


SANCTI GREGORII PAPÆ I. COGNOMENTO MAGNI, OPERA OMNIA.

AD MANUSCRIPTOS CODICES ROMANOS, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta, & illustrata notis,

Studio & Labore MONACHORUM Ordinis Sancti Benedicti, è Congregatione Sancti Mauri.

TOMUS TERTIUS.



VENETIIS, MDCCXLIV.

Typis, & Sumptibus { ANGELI GEREMIA, CAROLI PECORI, & AUGUSTINI SAVIOLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

In prima parte Tomi Tertii continentur.

PRÆFATIO
IN LIBRUM
SACRAMENTORUM.

Libri Sacramentorum quis auctor.

Cur S. Gregorio tribuatur.

I. *Sacramentorum librum ceteris sancti Gregorii Magni operibus accensemus, non quod primus ipsius fuerit parens (superioribus enim Romanis Pontificibus, maximeque Gelasio I. debetur) sed quod summa cura meliorem in formam ipsum sanctus Doctor redegerit, ut docet Johannes Diaconus lib. 2. cap. 17. Johanni consentiunt* Walafridus *Strabo de Officiis divinis, seu de Rebus Eccl. cap. 22. & alii qui de hoc argumento scripserunt plurimi; ut legere est in omnibus quæ libro Sacramentorum jam sæpius edito præfixæ sunt Præfationibus: neque enim placet jam dicta iterare. Gelasianum codicem primigenium Romæ publicavit primus, in rebus liturgicis versatissimus, Josephus Maria Thomasius, Clericus Regularis: Gelasiani vero codicis a Gregoriano discrimen totum est in Orationum quas Collectas vocamus varietate ac numero, uti observat noster Mabillonius de Liturgia Gallicana l. 1. c. 2. num. 5.*

Hujus libri editiones præcipuæ.

II. *Porro cum ad librum Sacramentorum a S. Gregorio collectum, correctum, ordinatum, auctum, novis typis edendum nos accingeremus, quem potissimum tot ex codicibus aut editis aut manu exaratis, qui penes nos sunt plurimi, publicandum eligeremus, diu sollicite quæsitum a nobis, & maturo consilio deliberatum.*

Vaticana.

1°. *Se offerebat is quem Angelus Rocca ex vetustissimo Bibliothecæ Vaticanæ exemplari, ut in Præfatione testatur, excudendum curavit, quique in collectione operum S. Gregorii multoties est recusus. At de laudati codicis antiquitate dubios nos fecit, quod observavit Hugo Menardus in Præfatione sua, nostræ mox subjicienda. Ad codicis etiam integritatem non pauca desiderari, omissasque fuisse præsertim Benedictiones, constat ex his quæ in festo S. Pauli Apostoli leguntur:* Præfatio & Benedictio quæ superius; *quod nimirum argumento est olim Benedictiones in Libro Sacramentorum extitisse; cum tamen in toto volumine ne unam quidem nunc legere liceat.*

Pameliana.

2°. *Jacobi Pamelii editionem Tomo II. Liturgicon Ecclesiæ Latinæ plurimi factam a viris eruditis intelleximus tamquam fontibus propiorem, si additamenta parenthesibus vel uncinis inclusa omittantur: eam sic expurgatam aiunt convenire cum duobus vetustissimis codicibus olim bibliothecæ Reginæ Sueciæ, scriptis sub Carolo Magno, vel Ludovico Pio ejus filio. Collata est hæc Pamelii editio cum uno ex laudatis codicibus, qui nunc in bibliotheca Vaticana numero 1275. asservatur; qua ex recensione nobis compertum est eum a Pamelii edito, etiam sepositis omnibus quæ intra parentheses includuntur, sæpe discrepare; non in verbis tantum, sed etiam in Collectis aliisque Orationibus, imo in Officiis integris.*

Menardiana ceteris præferenda.

Maxime ob multiplices observationes quibus illustratur.

3°. *Sancti Eligii codicem a nostro Hugone Menardo evulgatum, ac notis observationibusque illustratum, maxima apud eruditos auctoritate valere, minime nos fugiebat. Et sane perpensis omnibus æquiori lance, nullum ipsi vel ob antiquitatem, vel ob integritatem præferendum duximus, lecta quam editioni suæ vir doctissimus præfixit, Præfatione. Ut autem hunc præ ceteris codicem ederemus, id nos potissimum movit, quod nulli alteri aptari potuissent Menardianæ observationes & notæ, quas melioribus formis recudere, rei tum sacræ tum litterariæ non parum intererat. Ex tam copiosæ videlicet exquisitarum annotationum suppellectilis accessione, plurimum aut utilitatis aut voluptatis studiosum Lectorem percepturum haud dubitamus. Ut autem facilius & expeditius inveniri possint (quandoquidem illas columnis pro more nostro subjicere integrum non erat, propter nimiam plurimarum prolixitatem) eas seorsim excusas numeris distinguendas censuimus; & in libro Sacramentorum singula, quæ iis notis illustrantur & muniuntur, totidem numeris in margine scriptis indicavimus.*

Ita nobis cur additæ notæ. III. Quoniam vero post Hugonem Menardum multi de rebus Liturgicis egregie scripserunt, in his Eminentissimus Cardinalis Johannes Bona, Josephus Maria Thomasius jam laudatus, Johannes Fronto S. Genovefæ Parisiensis Canonicus Regularis; ex nostris Johannes Mabillonius, qui Liturgiam veterem Gallicanam pene e tenebris eruit, & Edmundus Martene, qui de Ecclesiæ ritibus tria edidit volumina, in quibus quidquid præsertim ad Sacramentorum administrationem pertinet diligenter fuseque pertractat: quæcumque ex eorum lucubrationibus colligere licuit a Menardo prætermissa, unde argumento proposito nonnihil lucis affulgere posset, ea in notulis ad columnarum calcem adtextis observare curavimus.

Quibus codicibus mss. usi simus. IV. Consuluimus etiam plurimos codices manu tantum exaratos, de quibus perpauca hic attingemus & breviter delibabimus.

Codex Reginæ Sueciæ. Codicis Reginæ Sueciæ ante annos octingentos descripti variantes lectiones omnes, collatione facta cum Pamelii edito collegimus, unde utriusque discrimen in multis advertimus. Certe ipso in limine codex ordinationes Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum exhibet ante Natalis Christi vigiliam; quæ omnia desunt apud Pamelium, ut de ceteris taceamus. Exaratum fuisse pro Ecclesia, ubi celebris erat S. Chlodoaldi memoria, & quidem in agro Parisiensi, inde conjicimus quod in oratione, Libera nos quæsumus, quæ post Pater noster dicitur, recitatis nominibus SS. Apostolorum Petri & Pauli atque Andreæ, addatur: nec non & beato Dionysio Martyre tuo atque Pontifice, cum sociis suis Rustico & Eleutherio, & beato Chlodoaldo; hinc vix dubitamus olim hunc codicem pertinuisse ad Ecclesiam Novigenti vulgo: S. Cloud, prope Parisios.

Calensis. Cum hoc Regio codice de antiquitate certare potest Calensis; seu codex parthenonis B. Mariæ de Calis: hic ad nostram editionem propius accedit, at contractior est, & pauciora continet Festa.

Duo Theodericenses. Superiores omnes ætate vincere videntur duo Theodericenses, seu monasterii S. Theoderici non procul a Remis. Prior notatus 62. ob figuras quibus ornatur spectabilis, scriptus creditur octavo seculo desinente, vel ineunte nono; quod in eo fiat mentio erutorum Leoni Papæ III. oculorum, tamquam facinoris non diu antea perpetrati. Sic enim legitur: Benedictio ad signum faciendum, &c. Missa de Inventione S. Stephani, quando Romani propter invidiam tulerunt oculos Domino Leoni Papæ. Sedit hic ab anno 795. ad 816. Vim autem passus ab æmulis creditur anno 799. Hoc in codice præmittuntur ordinationes Lectoris &c. Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, Episcopi. Sequuntur Benedictiones longe plures quam in vulgato Benedictionali, & in editione Menardi. Post orationem specialem Exomologicam seu confessionem, & plurimas alias, subjicitur Missa de Transfiguratione. Succedunt Præfatio, Communicantes, &c. Postea legitur, nono Kal. Januarii in vigilia de Natali Domini, &c. Eodem in codice ad marginem designantur quæ singulis in Missis cani debeant, ut in Antiphonario præscribitur: exempli gratia, pro prima Natalis Domini Missa assignatur Antiph. Dominus dixit ad me. Psalm. Quare fremuerunt. Resp. Tecum principium. Vers. Dixit Dominus. Allel. Dominus dixit ad me. Offert. Lætentur cæli. Vers. Cantate Domino. Communio. In splendoribus.

Alter codex Theodericensis notatus 63. ejusdem fere videtur ætatis. Scriptus procul dubio fuit ad usum Monasterii B. Mariæ Suessionensis; nam ibi legitur: Memento, Domine .... famularumque tuarum omnis congregationis B. Dei Genitricis Mariæ, sanctorumque Confessorum Medardi & Eligii. Tres in partes dividitur, quarum ultima Præfationes continet. In utroque Theod. plurimæ sunt Missæ, ut nunc dici solent votivæ, quæ in editis non extant, ut de Humilitate, de Misericordia, de Fide, Spe & Caritate. Sex habentur Missæ pro Abbate vel Congregatione. In Ordine ad benedicendum Abbatem, nihil de Mitra, Baculo Pastorali, Annulo; nihil denique legitur de pompa quæ hanc hodie benedictionem comitatur. Continuo sequitur Missa pro puero die oblationis suæ, scilicet juxta Regulam S. Benedicti; cetera omitto ut prolixiora. Ex his duobus codicibus antiquitate spectatissimis liquet non semper pro recentioribus habendos hujusmodi sacros libros, qui ampliores sunt. Hos codices describi jussit Illustrissimus Ecclesiæ Princeps Carolus Mauricius le Tellier Remorum Archiepiscopus & Dux, atque ad nos transmittendos curavit, cui multa alia debemus.

Gemeticensis. Laudatis codicibus ætate quidem inferior est Gemeticensis quo usi sumus, at elegantia & integritate nulli cedit. In ignoto Angliæ Monasterio Benedictini ritus in honorem sanctæ Dei Genitricis, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli constructo exara-

exaratus est anno millesimo, ut liquet ex Festorum mobilium tabula; Monasterio vero Gemeticensi dono datus a Roberto præfati cœnobii Anglicani prius Abbate, tunc Londinensi Episcopo, anno 1045. deinde Cantuariensi Archiepiscopo, qui Sede sua pulsus, cum Roma quo religionis causa pervexerat, reverteretur, Gemetici obiit die 26. Maii an. circiter 1052. Hoc in codice plurima desunt, quæ in vulgatis legimus. Sane libri hujus Anglicani magna præ ceteris habenda ratio videtur, quia Ecclesia Anglicana ab ipso S. Gregorio Liturgiam statim sacrosque ritus accepit, cum tardius Ordo Romanus in omni Ecclesia Gallicana obtinuerit, hoc est Pipini & Caroli Magni temporibus.

Cur codicum istorum tanta discrepantia.

Neque tamen omnes illius codicis aut aliorum differentias exhibere integrum fuit; alioquin in immensum opus hoc excrevisset. Nam Librum Sacramentorum suos in usus ita concinnarunt Occidentales Ecclesiæ, additis & detractis nonnullis, ut vix duo codices antiqui prorsus similes reperiantur. Plura de hoc argumento suppeditavit noster Edmundus Martene, qui libro de antiquis Ecclesiæ ritibus tom. 1. de administratione Sacramenti Ecclesiæ, & incruenti Sacrificii celebratione plurimos diversarum Ecclesiarum ordines, seu rituales libros exhibet.

Quanti fecerint majores nostri Sacrament. librum.

V. Quo loco veteres librum Sacramentorum habuerint, patet ex eburneis, argenteis, imo etiam aureis tabulis quibus in nonnullis Ecclesiis vestiebatur. Flodoardus lib. 3. Hist. Eccl. Rem. cap. 9. scribit: Librum quoque Sacramentorum sub eburneis tabulis auro præsignitis. . . , contulit. Eum quasi memoriter addiscere tenebantur olim Presbyteri, ut colligere licet ex Burchardo lib. 19. cap. 8. Nunc ergo, o Fratres, qui voluerit Sacerdotis nomen habere, in primis propter Deum cogitet ut discat ea quæ necessaria sunt. . . . id est Psalterium, Lectionarium cum Evangeliis, Sacramentorum Librum, &c. Nec immerito sane, cum hoc ex libro tota fere Christianæ Religionis ratio repetatur. Hinc qui pro fide contra hæreticos olim decertarunt, ex solemnibus precibus eo in codice contentis argumenta depromsere, puta in controversiis de Incarnatione contra Elipandum, de cultu ac usu Imaginum, de Christi Corpore in Eucharistia. Vide Menardi notas 254. & 257. Hæc Postcommunio: Perficiant in nobis, quæsumus Domine, tua Sacramenta quod continent, &c. ut in Sabbato quatuor temporum Septembris, laudatur a Gratiano de Consecrat. dist. 2. c. 34. & a Lanfranco, Guitmundo, & aliis realis præsentiæ aut impugnatoribus, aut defensoribus. Unde vero præsertim Augustinus contra Pelagianos divinæ gratiæ necessitatem tuetur, nisi ex orationibus, quibus ejusdem auxilium Ecclesia semper nobis adesse postulat?

Aliis libris Liturgicis quam anteponendus.

Ut autem merito jure ordinem ritumque Romanum, quem hic liber Sacramentorum exponit, ubique tandem obtinuisse demonstretur, satis est illum conferre cum Missalibus Gothico, Francico, & veteri Gallicano quæ edidit Mabillonius lib. 3. de Liturgia Gallic. & cum Sacramentario Gallicano ejusdem Mabillonii opera edito Musei Italici tomo primo 2. parte. In his enim sententiæ obscuræ & abjectæ, sermo barbarus, verba corruptissima, Deus bone! quam longe absunt a gravitate & majestate libri Sacramentorum Gregorio adscripti. Et hæc de ipso sufficiant: nunc vero de notis & observationibus in ipsum a Menardo lucubratis, hicque iterum editis breviter lector præmonendus.

Notæ Menardi in hunc librum.

VI. In iis laudat sæpe vir eruditus quasdam S. Ignatii martyris epistolas, quæ nunc pro spuriis habentur; qua in re communem suo ævo doctorum pene omnium sententiam secutus est: idem dicendum de supposititiis Romanorum Pontificum epistolis decretalibus, ex quibus frequenter adducit testimonia vir multarum litterarum. Hæc autem mutare & corrigere non præsumsimus; ubi vero manifesto errore præli potius quam Scriptoris, quædam laudata invenimus secus ac debuissent, ea emendare non dubitavimus. Sic pag. 104. legitur: Ecce mersisti; venisti ad Sacerdotem; tibi dixit? Deus, &c. quod sic restituimus: Ergo mersisti . . . . quid tibi dixit? Deus. Pag. 105. prioris editi habes, de sancto Gelsino martyre, legendum, Gelasino, uti nunc extat in hac editione. Pagina 115. apud Menardum sic profertur ille locus Deuteronomii 6. 4. Audi, Israel, Dominus Deus tuus est. Nunc autem col. 363. Audi, Israel, Dominus Deus unus est. Theodulphi Aurelianensis Episcopi libellus de ordine Baptismi in notis Menardi excusus pag. 113. & seq. multis mendis scatet. Multo emendatior prodiit cura Jacobi Sirmondi, ex cujus recensione plurima errata correximus. Corrupta vero loca in quæ suas Menardus conjecturas proposuit, aut notas adtexuit, relinquere intacta coacti sumus, ut Menardianam edi-

* iij tio-

tionem majori fide exprimeremus. Indulgendum autem viro docto qui in codicem corruptum incidit: non raro tamen ex conjectura Menardus quæ corrupta sunt sanat, & genuinam lectionem, quam postea Sirmondus amplexus est, restituit.

Aliæ Angeli Roccæ notæ superadditæ. *Menardianis notis eas adjecimus quas Angelus Rocca Camers apostolici sacrarii Præfectus, in librum Sacramentorum edit. Vatic. scripsit. His succedunt Benedictiones Episcopales quæ in codice S. Eligii desiderantur. Sequitur Gregorianus Antiphonarius, quæ in Missis canenda sunt exhibens. Tandem librum Responsalem seu Officialem, in quo cursus Ecclesiasticus, tam pro nocturnis quam pro diurnis horis in ordinem digestus continetur, ex veteri codice Compendiensi descriptum, subjunximus.*

Omnia pene quæ ad rem sacram pertinent hic collecta. *Ita omnia fere quæ ad rem sacram pertinent hic collecta reperiuntur, excepto dumtaxat Lectionario; quem addere non ausi sumus, tum quia eum S. Gregorio nemo tribuit, sed potius Hieronymo & Damaso Papæ; tum quia jam non semel excusus est, nimirum a Jacobo Pamelio tom. 2. Liturgicon, & longe emendatior a V. cl. Stephano Baluzio. Ceterum hoc in Lectionario tantum indicantur lectiones, tum ex Apostolo (paucis tamen aliunde ex veteri Testamento adductis) tum ex Evangelio; quæ fere omnes adhuc eædem in Missa recitantur. Quod vero spectat ad evangelicas, eas maxima ex parte suppeditant homiliæ in Evangelia tomo primo.*

Hugonis Menardi elogium. VII. *Quamvis ad Menardi laudem notæ ac observationes ab illo scriptæ in librum Sacramentorum satis esse videantur, de illo tamen ac de aliis ejusdem lucubrationibus paucis jam est dicendum.*

Nicolaus Hugo Menardus Parisiis anno 1585. honesto loco natus, a puerili ætate pietati simul ac litteris operam dedit. Memoria erat acri atque adeo tenaci, ut quæ semel legerat, numquam oblivioni daret. Sicque Latine, Græce, ac Hebraice brevi facilique negotio doctus, ad sacrarum litterarum studium, totum se conferre constituit. Nec minus serio de vita sancte ac pie instituenda cogitans, cum adhuc adolescens Regulæ S. Benedicti sese a *obstrinxisset in regali S. Dionysii cœnobio: ut quæ Deo pollicitus fuerat, facilius præstaret, annos jam natus 29. strictiori se observantiæ addixit in Monasterio & Congregatione S. Vitoni apud Virodunum die quinta Augusti anno 1614. Inde Parisios missus, in Collegio Cluniacensi Rhetoricam multis annis docuit. Postea in Monasterio S. Germani a Pratis reliquum vitæ egit, sacris studiis observantiæque regulari liberrimo in otio totus incumbens. Temporis jacturam præ ceteris deflebat. Hinc recessus & solitudinis amantissimus paucis amicis contentus erat iisque selectis, quos inter principem locum obtinuit Jacobus Sirmondus e Societate Jesu Theologus, quo non alius fuit aut in litteras, aut in litteratos propensior. Talium conferens judicio & criterio quidquid elucubraret, permittere solitus, erat vir summæ in primis modestiæ.*

Ejusdem Opera. *Prior ejus fetus fuit* Martyrologium Benedictinum *notis illustratum, de quo opere retractando & secundis curis edendo sollicitus erat, quando eum oppressit mors.*

Concordiam Regularum *Auctore S. Benedicto Anianæ Abbate, ex codice Floriacensi eruit, & notis observationibusque auctam publicavit Parisiis anno 1638.*

Quatuor post annis Librum Sacramentorum *S. Gregorii in lucem emisit, cum notis seorsim & animadversionibus amplissimis.*

Anno sequenti, suam de unico Dionysio Areopag. Athenarum & Parisior. Episcopo diatribam *tacito suo nomine vulgavit* adversus Johannis Launoi discussionem Milletianæ responsionis.

Anno 1645. prodiit in publicum, opus ejus posthumum, scilicet Epistola S. Barnabæ ex antiqua versione, *cum doctissimis notis, inquit Guillelmus Cave in Scriptorum Ecclesiasticorum historia litteraria.*

Anno vitæ quinquagesimo nono morte pene repentina, & quidem ex animi voto, correptus est die 20. Januarii anno 1644. cum ex alvi doloribus paucis horis decubuisset.

a Monachum induit die Dominica 3. Februarii ann. 1608. & professionem emisit die 10. Septembris ann. 1612.

D. HU-

D. HUGONIS MENARDI

EPISTOLA DEDICATORIA

Ad Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem Armandum Joannem, Ducem de Richelieu, & Parem Franciæ.

SAtis implevit Orbem Gregorius, CARDINALIS EMINENTISSIME, ut nemo neſciat magnitudinem illius, qui cum immenſi ponderis dignitatem ſuſtineret, & negotiorum turba circumfuſus, vix ab iis explicare ſe poſſe videretur: tamen ſingulis occurens, expedire difficilia, infeſta eluctari, ſalutaria conſtituere non deſinebat. Atque inter alia elucet quam vere Magnus aſſurrexerit in promovenda Religionis diſciplina, ſacrorumque cultu atque uſu: quæ numquam aut ad majeſtatem auguſtius, aut ad ſenſum pietatis ingerendum convenientius, quam poſt illius ſingularem operam exſplenduerunt. Quo mentem ac ſollicitudinem certe nihilo remiſſius appellebat, quam ſi unum id elaborandum ſibi fuiſſet otioſo de cæteris. Utque diligentiam hanc & ſollicitudinem teſtentur præclariſſima illius ſcripta, tamen hic Sacramentorum liber præſertim luculenta probatione demonſtrat: Qui cum nova quaſi parturitione in publicum prodeat, meis utcumque lucubratiunculis illuſtratus, in cujus nominis luce naſci oportuit, niſi Tui, CARDINALIS EMINENTISSIME; aut cujus niſi tui favoris, auſpicio? Si auctorem Gregorium ſpecto, non potuit, qui uſquequaque Magnus eſt, niſi ad illius purpuram venire, qui inter cæteros Eccleſiæ Principes eminet: neque clariſſimum lumen noſtri Ordinis debuit niſi ad illum deferri, cujus ope rurſus ad novum reparationis diem evigilat. Quod ſi ad operis dignitatem animum converto, & hoc nomine Tibi potiſſimum debetur; nam ſi Gregorius quanti faceret rem ſacram, hoc ſuæ ſingularis providentiæ ac pietatis fœtu, hoc, inquam, Sacramentorum libro demonſtravit: Tu quanti rem eamdem æſtimares, & propriis olim ingenii, doctrinæ, & zeli monimentis editis ſimiliter probaſti. Si partem ſuæ magnitudinis Gregorius invenit in cultu divino & cæremoniis Chriſtianam Religionem illuſtrantibus, quas dignitate extulit, concinnitate decoravit, ſanctione firmavit: Tu ex eodem divino cultu non minimam partem ſplendoris ad Purpuram tuam adjunxiſti; cum & hoſtes illius non uno modo repreſſiſti, & Hierarchas doctrina & pietate præſtan-

stantissimos tuo consilio in administrationem rei Ecclesiasticæ promovisti, & in ipsis templorum operosissimis, augustissimisque ædificiis memoriam tuam ad æternitatem commendasti. Denique si me Ascetarum ultimum vel paulisper attendo, cum sim ejus Congregationis alumnus, quæ Te suum instauratorem agnoscit, quæ sub auspiciis tuis numquam non secundis nova quotidie incrementa suscipit, ac statum sub tua auctoritate hactenus tutum obtinuit, ex tua benevolentia florentem habet, ex tua felicitate propemodum beatum sperat, Cui laborem hunc qualemcumque meum deferam potiori jure, quam Tibi, CARDINALIS EMINENTISSIME, qui ad cæteras tuas laudes istud adjicis, ut quemadmodum Gregorio huic nostro nihil parvum, nihil indignum suis infulis videbatur, quod Christianæ pietati accederet; ita neque tua EMINENTIA ea quæ vel minima censeri possunt, si de pietatis fonte profiscuntur, respuis. Quare & hoc munus inter innumera, quæ ad Purpuram tuam deferuntur benevolus accipe, tanquam symbolum magnitudinis tuæ ex Auctore Magno, zeli tui ex materia sua, gratitudinis vero Congregationis Benedictinæ ex Commentatore suo, Eminentiæ tuæ, Devotissimo Fr. HUGONE MENARD, Benedictino,



D. HU-

D. HUGONIS MENARDI

PRÆFATIO
AD LIBRUM
SACRAMENTORUM.

PIGNUS æternæ falutis, & amoris fui perpetui, candide Lector, corpus & fanguinem fuum Chriftus jam jam moriturus fuæ tradidit Ecclefiæ. Se totum quod erat dedit, ut cum toto fanguine totum in nos effunderet amorem. Nec fatis duxit fe in noftræ redemptionis pretium in ara Crucis Patri fuo omnipotenti offerre; nifi fe quotidie ipfe facerdos & hoftia per facerdotum minifterium offerret: non quidem in uno terræ angulo, fed in univerfo terræ ambitu juxta Joelis prophetiam, cujus veritas & certitudo cotidiana patet experientia. Siquidem ex quo facrificium iftud inftitutum eft, per univerfum orbem hæc hoftia numquam deftitit immolari; & quamvis diverfo ritu; res tamen ipfa ac veritas femper inconcuffa permanfit. Difficile eft enim univerfum orbem in eofdem ritus, & cæremonias confpirare, quamvis ipfa fides rituum diverfitate labefactari non poffit. Hæc tamen diverfitas multis retro fæculis, multis in regionibus ac præfertim occiduis, quæ jam pridem Romanum celebrandæ miffæ ordinem amplexatæ funt, videtur abrogata. Id olim fuerat in Hifpania tentatum. Nam Profuturus Bracarenfis Pontifex rationem celebrandæ Miffæ juxta Romanum ordinem a fede Apoftolica fufceperat, & fub Lucretio ejus fucceffore in Concilio Bracarenfi primo, quod anno Chrifti DLXI. juxta Garfiam; vel DLXIII. juxta Baronium habitum eft, can. 22. decretum fuerat, *Ut eodem ordine Miffæ celebrentur, Profuturus, quondam hujus Metropolitanæ Ecclefiæ Epifcopus ab ipfa Apoftolicæ fedis auctoritate fcriptum fufcepit*. Nimirum per totam Galliciam, cujus provinciæ hoc erat Concilium: cui tamen poftea conftitutioni per Miffam Mozarabum derogatum eft, quæ fuit in ufu per totam Hifpaniam ufque ad tempora Gregorii VII. Pontificis maximi, qui eam abrogavit, juffitque Hifpanos ordinem fequi Miffæ Romanæ: Gallia vero fuum olim habuit Miffæ celebrandæ ritum, donec illo Pipini Regis diligentia antiquaro, Miffæ Romanæ fufcepit ordinem, ut clarum eft ex Epiftola Caroli Calvi Imperatoris ad Clerum Ravennatem: *Nam & ufque ad tempora abavi noftri Pipini, Gallicana Ecclefia aliter, quam Romana & Mediolanenfis Ecclefia, celebrabant*. Quod etiam poftea cautum eft lib. 5. Capitul. Caroli & Ludovici Impp. cap. 219. *Ut unufquifque Presbyter Miffam ordine Romano cum fandalis celebret*. Confirmatque Carolus Calvus epift. citata: *fed nos fequendam ducimus Romanam Ecclefiam in Miffarum celebratione*. Et merito quidem: eft enim Ecclefia Romana aliarum mater, quam omnes aliæ imitari debent eique fubjici. Quamobrem cum Miffæ Romanæ dignitatem attentius fpectarem, in mentem fubiit eam pro virili parte illuftrare; maxime vero occafione nacta optimi atque vetuftiffimi libri Sacramentorum S. Gregorii Papæ, qui vulgo Miffale S. Eligii nuncupatur: infuper ad id impulfus amici cujufdam precibus, qui me obnixe rogavit ut hunc librum in lucem ederem, nec tantum thefaurum cum Chriftianæ Religionis difpendio diutius latere finerem. Hic igitur liber eft Bibliothecæ monafterii fancti Petri de Corbeia in extrema Picardia, quem vulgo ferunt fuiffe olim fancti Eligii Noviomenfis Epifcopi Miffale. Nam in dorfo ejufdem codicis fcriptum habetur in hunc modum, *Miffale S. Eligii*. Sed illius fuiffe pauca quædam quæ in eodem codice reperiuntur, reclamare videntur; ut fefta fancti Projecti, & fancti Leonis II. qui aliquot annis poft obitum fancti Eligii floruerunt. Itaque arbitror librum quidem Sacramentorum fancti Gregorii Papæ I. olim fancto Eligio ab aliquo Romano Pontifice fuiffe tranfmif-

fum, fed poftea tranfcriptum, eique paucula quædam addita fuiffe, & nomen fancti Eligii ob exemplar ex quo fumptum eft, retinuiffe: Aut certe dicendum eft, ideo librum hunc nuncupari fancti Eligii, quod olim ad monafterium fancti Eligii Novlomi fitum pertinuerit: quod tamen, cum id penitus non conftet, afferere non aufim. Quidquid fit, tamen certum eft codicem mf. effe vetuftiffimum. Illius characteres accedunt ad fimilitudinem alterius libri mf. Sacramentorum, quem olim fcripfit quidam Presbyter nomine Rodradus, qui vixit anno Domini DCCCLIII. de quo infra: fed apparent vetuftiores cum ipfa libri forma. Accedit ad commendandam illius vetuftatem, quod in eo pauciora fefta fint, quam in aliis Sacramentariis, & ordinibus mff. quæ funt penes nos, & in excufis ex codice Vaticano. Nam proceffu temporis fefta, & folemnitates acceviffe nemo eft qui ignoret. Hæc eadem hujus codicis vetuftas colligi poteft ex antiquis fcriptoribus. In hoc codice fancti Eligii funt quinque Dominicæ Adventus, & quæ remotior eft a natali Chrifti dicitur quinta, & quæ hanc fequitur appellatur quarta, & fic deinceps. At Amalarius Fortunatus lib. 3. de officiis Ecclefiafticis cap. 40. teftatur hanc effe Dominicarum Adventus rationem in antiquis Miffalibus, ut in eis fcriptum reperiatur: *Hebdomada quinta ante natalem Domini*. In eodem codice fancti Eligii fcriptum eft, *qui tecum vivis & regnat Deus*, atque hæc verborum feries eft antiquiffimorum exemplarium, ut docet Micrologus cap. 6. de obfervationibus Ecclefiafticis: *Sciendum eft autem in illa ufitatiffima conclufione, per Dominum noftrum, quod Romanus ordo & antiquiffima exemplaria exponunt, ubi dicitur, qui tecum vivis & regnat Deus, &c.*

Et fane quidam vir doctiffimus, qui nuper Vaticanam, & illuftriores Romæ bibliothecas perluftravit, mihi teftatus eft fe nullum ibi librum Sacramentorum fancti Gregorii vidiffe, qui de antiquitate cum hoc fancti Eligii Miffali certare poffit. Apparet etiam hunc librum fuiffe ante Caroli Magni fcriptum imperium, cum in illo nulla fit Imperatoris mentio; quam tamen videre eft in aliis libris Sacramentorum MSS. qui funt penes nos, de quibus ftatim agendum erit.

Libri auctoritatem & dignitatem hæc verba commendant: *Ex authentico libro Bibliothecæ cubiculi fcriptus*. Quæ etiam habentur in libro Sacramentorum ejufdem fancti Gregorii, qui fub Clemente VIII. Pontifice Maximo ex Bibliotheca Vaticana prælo fubjectus eft cura & ftudio R. & doctiffimi P. Angeli a Rocca Papæ Sacriftæ: nam fignificant hunc codicem exfcriptum fuiffe ex libro, qui fervabatur olim in aliquo cubiculo, feu fecretario Bafilicæ Sanctorum Apoftolorum Petri & Pauli cum aliis facris libris, quibus Romanus Pontifex ad divina utebatur officia.

Hunc igitur librum notis & obfervationibus illuftravimus, ad quod præftaudum hæc præcipua nobis fuerunt adminicula, & in primis optimi alii libri Sacramentorum mff. quorum primus eft ex Bibliotheca infignis Monafterii fancti Remigii Remenfis fcriptus a quodam Lamberto facerdote & folitario, juffu cujufdam Gaudelgaudi Presbyteri, monachi, & Decani, ut ipfe Lambertus in fuo prologo docet; quem hic fcripfiffem, nifi crebra folœca, quibus fcatet, obftitiffent. Illi in noftris obfervationibus nomen codicis Remenfis attribuimus. In altera codicis pagina e regione Prologi appatet effigies ipfius Godelgaudi induti cafula ad normam antiquam efficta, medio capite rafo, mento orbiculariter attonfo ac veluti rafo, finiftra librum claufum tenente, cum hac circa caput infcriptione GAUDELGAUDUS PRESBYTER. In adverfa pagina ftat [a] effigies fancti Gregorii Papæ cum cafula & tonfura ejufdem formæ ac ipfius Godelgaudi, & Dalmatica manicis longis, & latis juxta antiquam formam, & pallio Archiepifcopali albo fine crucibus, finiftra tenens librum: haberque hanc circa caput infcriptionem, CKC ΓΡΕΓΩΡΙΟC ΠΑΠΑ. id eft, *Sanctus Gregorius Papa*. In fequenti pagina ftat effigies fancti Remigii Remorum Epifcopi, eadem tonfura, pallio & habitu cum fancto Gregorio tenens etiam librum manu finiftra, cum hac circa caput infcriptione CKC PEMIΓIOC EPC. PEMP. id eft, *Sanctus Remigius Epifcopus urbis Remorum*. In fine prologi dicit fe hoc opus incœpiffe XI. Cal. April. indictione fexta, & colophonem impofuiffe X. Cal. Aug. indictione octava, anno XXXI. REGNI DOMNI NRI. CAROLI GLORIOSISSIMI REGIS FRANCORUM. Sed

a Has effigies habes col. 559. & 560. Gaudelgaudi vero effigiem exhibet Mabill. in Annal. Benedict. tom. 2. pag. 153.

Sed cum ejusmodi indictiones non possint convenire Carolo Calvo, & Carolo Simplici, puto librum hunc scriptum fuisse tempore Caroli Magni. Nam indictio sexta, qua hic liber inceptus est, incidit in annum tricesimum primum regni Caroli Magni, qui regnum iniit anno septingentesimo sexagesimo octavo, ut manifestum est ex Eginhardo, & ex ejusdem Caroli vita apud Pithœum: ita ut scriptor hujus libri videatur usus hyperbato; ut annus tricesimus primus Caroli Magni referendus sit ad indictionem sextam qua liber incboatus, non ad octavam qua perfectus est. In fine hujus codicis duæ sunt imagines habitu Sacerdotali depictæ sine inscriptione, quæ videntur esse hujus Lantberti scriptoris, & sequens pagella litteris Græcis exarata est, non Græcum tamen, sed Latinum discursum complectens inconditum valde, & solœcis consertum. In ipsa narratione profitetur se esse scriptorem & pictorem hujus codicis, incepisse anno 29. & absolvisse 31. regni Caroli Francorum Regis iisdem Calendis ut supra, indictionibus suppressis; postea agit de scribendi difficultate, tandem poscit Lectoris preces. Ibi semper ponit litteram, O, pro V, ut supra in effigie sancti Remigii dixit, ORBIS, pro URBIS. Tandem in adversa pagina, quæ est ultima libri, hæc verba reperire est: *Liber S. Remigii Remorum Pontificis a fratribus ejusdem loci fruitur usque hodie. Hincmarus Abbas.*

Secundus codex [a] msf. Rodradi Presbyteri dicitur, qui fuit illius scriptor, Bibliothecæ supra dicti monasterii sancti Petri de Corbeia. Floruit anno Christi 853. nam in sua præfatione dicit se fuisse ordinatum Sacerdotem eodem anno ab Hilmerado Episcopo. Hic autem Hilmeradus Episcopus fuit Ambianensis, ut videre est in Conciliis, Turonensi IV. anno 849. Suessionensi II. anno 853. & Vermeriensi, eodem anno celebratis, quibus interfuit. Quæ ut clariora sint, producemus duas ejusdem codicis præfatiunculas, priorem prosa, alteram metro in hunc modum:

Ego Rodradus misericordia Dei indigens, victus Hilmeradi antistitis jussionibus, vinctusque Episcopalis auctoritatis excommunicationibus IIII. nonas Martis Sacerdotalis ministerii trepidus suscepi officium, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIII. indictione I. Epacta VII. concurrente VII. termino Paschali. IIII. Kal. Apr. Quicumque hanc ordinationis meæ adnotatiunculam legeris, & per hunc codicem Dominici Corporis consecrationem recitaveris, tuis quæso precibus adjutus, dicatum Christo exhibere Sacerdotium, & supernæ visionis consequi bravium merear.

Altera præfatiuncula, quæ metricia est, ita se habet:

Hunc ego Hrodradus Sanctorum indignus alumnus
Composui librum Christi sub honore dicandum,
Officiis sacris agni dum victima digni
Religione pia sacram mactatur ad aram.
Qui licet indignus meritorum dote bonorum
Destituar, noxæ nimio sub pondere vilis,
Saltem hujus studii donet pietate placere
Altithrono Regi, ferimus quo judice cuncti
Pro merito nostro mercedis præmia digne.
Te quoque suppliciter, Christi benedicte Sacerdos,
Codicis istius frueris qui forsitan usu,
Inter sacrorum solemnia sis memor ipse
Posco mei, precibusque Deum mihi conciliato,
Obsequio cujus cœlestia munera libas.

Hic liber potissimum in duas partes dividitur. In prima continentur ea, quæ ipse Rodradus existimat tantum fuisse a sancto Gregorio collecta, exceptis nonnullis quæ dicit se ad distinctionem virgulis jugulasse: in altera comprehendit ea, quæ a sancto Gregorio prætermissa, ait ipse Rodradus se ex iis, quæ *a probatissimis & eruditissimis magna diligentia exarata sunt viris collegisse*, adjectis præfationibus & benedictionibus Episcopalibus: necnon & illud quod in præfato opere Beati Gregorii ad gradus inferiores in Ecclesia constituendos non habetur: ita enim ipse loquitur in sua præfatione post primam libri sui partem: *Hucusque præcedens Sacra-*

a Specimen scripturæ hujus codicis, vide lib. de re diplom. p. 363. Tom. II.

mentorum libellus a beato Gregorio constat esse editus, exceptis his quæ in eodem in quadragesima virgulis ante positis lectoris invenerit jugulata, solertia. Nam sicut quorundam relatu didicimus, Dominus Apostolicus in eisdem diebus a stationibus penitus vacat, eo quod cæteris septimanæ feriis stationibus vacando fatigatur, eisdem requiescit diebus, ob id scilicet, ut tumultuatione populari carens, & eleemosynas pauperibus distribuere, & negotia exteriora liberius valeat disponere. Missam vero præstitutam in natale ejusdem Beati Gregorii virgulis ante positis jugulatam a successoribus ejus causa amoris, imo venerationis suæ eidem operi non dubium est esse interpositum, &c. ut apud Pamelium, qui eamdem præfationem refert sub nomine Grimoldi Abbatis, etiam post priorem illam partem, quam Rodradus dicit esse sancti Gregorii. Hanc præfationem excipit series capitulorum secundæ partis, quæ apud Pamelium eadem prorsus est: ita ut hic liber ita distributus duos sibi vendicet auctores, Rodradum Sacerdotem, & Grimoldum Abbatem. Nec tamen controversia magna est. Nam quamvis sit eadem utriusque libri methodus, & unus ab altero præfationem emendicarit, non minimum tamen intercedit inter utrumque discrimen. Primo, ut missas faciam Orationes seu Collectas, in quibus aliquando Rodradi, & Grimoldi libri inter se diffident, in prima parte Rodradi codicis exarata reperies quæ spectant ad superiores ordines constituendos, exceptis quibusdam rubricis, quorum nulla est mentio in toto codice Grimoldi. Secundo in secunda parte Rodradi habentur ea omnia quæ spectant ad inferiores ordines conferendos cum eorum rubricis: sed nihil horum simile reperire est in codice Grimoldi, etsi in ejus præfatione hæc verba legere sit: *Necnon & illud quod in præfato codice Beati Gregorii ad gradus inferiores in Ecclesiu constituendos non habetur*, Tertio in codice Rodradi, in Sabbato sancto describuntur ritus, qui baptismum præcedunt, sed contractius, quam in codice Grimoldi, cæteris in secundam partem rejectis, quibusdam tamen sub finem prætermissis. Quarto sub finem primæ partis codicis Rodradi continetur baptismus infirmorum, & nonnulla alia, quæ in codice Grimoldi Abbatis desiderantur. Quinto Benedictiones Episcopales in secunda parte Rodradi sunt fere in omnibus festis Sanctorum; in Dominicis vero habentur duntaxat usque ad diem Pentecostes inclusive: at in codice Grimoldi, in Dominicis extant benedictiones Episcopales usque ad Dominicam undecimam post Pentecosten inclusive; in solemnitatibus vero Sanctorum pauciores, videlicet de sancta Cruce, in natali sancti Joannis Baptistæ, in natali Apostolorum Petri & Pauli, in nativitate sanctæ Mariæ, in martyrio sancti Joannis Baptistæ, & in commemoratione omnium Sanctorum. Sexto, in secunda parte Rodradi habentur præfationes, quæ absunt a codice Grimoldi, etsi in sua præfatione illarum mentionem faciat. Pamelius tamen, qui primus hunc Grimoldi librum in lucem edidit, multas subjunxit præfationes ex libro Sacramentorum Alcuini. Tandem in codice Rodradi secundæ parti subjiciuntur appendicis instar multæ Missæ cum apologiis, & ratione conferendi extremam unctionem, quæ neutiquam extant in codice Grimoldi. Ex his omnibus facile colligitur Rodradi librum alium esse a Grimoldi codice, & hos auctores seorsim scripsisse, & collegisse suum Sacramentorum librum. Quis autem fuerit hic Grimoldus Abbas non satis constat. In vita sancti Notkeri Balbuli apud Henricum Canisium tom. 6. antiquæ lectionis mentio fit Grimaldi cujusdam, qui fuit Abbas Canonicus celeberrimi Cœnobii sancti Galli, & Archicapellanus Ludovici pii Imperatoris, sed an hic idem sit cum Grimoldo quærendum est. Verum, ut ad eundem Rodradi librum nostra revertatur oratio, si fidem habemus Micrologo, similem librum contexuisse videtur Magister Albinus, qui vulgo Alcuinus dicitur. Sic enim ait cap. 6. de Ecclesiasticis observationibus. *Fecit tamen idem Albinus in sancta Ecclesia non contemnendum opus. Nam Gregorianas orationes in libris Sacramentorum, collegisse asseritur paucis aliis adjectis, quas tamen sub obelo notandas esse indicavit: deinde alias orationes, sive præfationes, etsi non Gregorianas, Ecclesiasticæ tamen celebritati idoneas collegit, sicut prologus testatur, quem post Gregorianas orationes in medio ejusdem libri collocavit.* Quæ sane verba indicant Albinum scripsisse librum Sacramentorum similem Rodradi & Grimoldi codicibus. Nam utriusque codicis supra notata præfatio est in medio operis inter primam & secundam partem. Nec potest esse error librarii, ut vult Pamelius, qui scripserit *Albinus*, pro *Grimoldus*. Nam cum videamus

Rodra-

Rodradi librum diversum esse a codice Grimoldi, fieri potest, ut suum etiam Albinus concinnarit. Sed miror, cur hæc distinctio, seu divisio Officiorum, & Missarum his auctoribus in mentem venerit, ut una pars paucis quibusdam exceptis, videatur esse sancti Gregorii Papæ, altera vero minime. Siquidem in vita Sancti Gregorii a Johanne Diacono scripta, cum agit de Sacramentorum libro collecto a sancto Gregorio, dicitur simpliciter; *Sed & Gelasianum codicem de Missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens in unius libelli volumine coarctavit.* Idem profert walfridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. Neque est simile vero Gelasianum codicem, etsi in quibusdam correctione indigeret, fuisse adeo mutilum, ut Missas quæ per totius anni curriculum dicendæ erant, non complecteretur. Quod etsi concederetur, non credibile est sanctum Gregorium, qui Gelasianum librum recensuit, nonnullis detractis, quibusdam vero aliis adjectis, librum Missarum quæ per totius anni circulum dicuntur, adeo mutilum reliquisse, ut major pars Dominicarum, seu missarum, quæ in Dominicis dici debeant, in eo desideretur. Nam juxta doctrinam supra citatorum scriptorum in hoc Gregorii codice Missæ Dominicales, quæ interjectæ sunt a Nativitate Domini usque ad Adventum, exceptis Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, Paschæ & illius octavæ, & Pentecostes, non sunt S. Gregorii, quod dicere absurdum est. Nam incredibile est in illis Dominicis tempore Gelasii & S. Gregorii nullas Missas celebrari solitas: quod si celebrarentur, detur ratio quare non essent in codicibus Gelasii & S. Gregorii descriptæ. Nostram opinionem confirmat inscriptio libri Sacramentorum tam in editis qoam in codicibus nostris manuscriptis, imo in ipsis codicibus Rodradi, & Grimoldi, quæ est ejusmodi: *Incipit liber Sacramentorum de circulo anni expositus a sancto Gregorio Papa, qualiter Missa Romana celebratur.* Cujus rituli veritas stare non potest cum adversariorum opinione, cum in eorum codicibus major pars Missarum Dominicalium desit. Nostram opinionem suadent codices manuscripti sancti Eligii & Remensis, antiquiores ipsis Rodradi & Grimoldi voluminibus, qui ejusmodi codicis Gregoriani separationem non admittunt. Confirmat codex manuscriptus Ratoldi Abbatis, de quo statim agendum est, etsi posterior sit codicibus Rodradi, & forsan Grimoldi, qui ejusmodi divisionem non agnoscit, quemadmodum nec liber Sacramentorum tempore Clementis VIII. ex Bibliotheca Vaticana editus.

Tertius liber * Sacramentorum manuscriptus quo usi sumus, est etiam Bibliothecæ Corbeiensis, quem nomine Ratoldi Abbatis indigitamus, quod ejus jussu scriptus sit, ut clarum est ex Calendario ejusdem libri, in quo idibus Martiis hic distichus reperitur:

Abbatis domni stat mentio sancta Ratoldi
Istum qui fecit scribere quippe librum.

Ratoldus autem fuit Abbas Corbeiensis vigesimus sextus, qui & mortem obiit anno Domini nongentesimo octogesimo sexto Idibus Martiis: ex quo apparet hunc librum scriptum fuisse ante hunc annum. Hic codex optimus est, & correctissimus, plures habet cæremonias, dies festos, benedictiones episcopales, & præfationes, quam alii: quia recentior est.

Ad hos codices accessit liber manuscriptus Bibliothecæ Tilianæ, qui est ordo Romanus, cujus mihi copiam fecit vir clarissimus Johannes Tilius. Sunt tamen quædam in eo, quæ in ordine Romano non extant, ut in ordine Romano quædam reperire est, quæ in hoc codice Tiliano desiderantur. Hic liber initio caret, priore quartenione avulso. Videtur olim fuisse Ecclesiæ Sagiensis in Normania sub Metropoli Rothomagensi. Nam in eo codice ubi agitur de ordinibus, hæc habentur: *Salariensis Ecclesia atque Episcopalis auctoritas sibi concedunt, &c.* Salariensis enim Ecclesia, & Sagiensis idem sunt, & Sagium dictum fuit etiam Salarium, ut clarum est ex Orderico Vitali, qui libro 8. hist. Eccl. Serlonem antea Abbatem Monasterii Sancti Eprulphi ubi nominavit Episcopum Sagiensem lib. 12. ejusdem historiæ in Epitaphio Rogeri, qui successit Serloni in Abbatiam sancti Eprulphi, ait:

Præsule jam facto Serlone Salaribus, iste
Cœnobii sancti regimen suscepit Eprulphi.

Et infra: *Eodem mense venerandus Serlo postquam Salariensem xxxij. annis rexit*

Ecclesiam, *&c.* Adde quod in hoc codice Tiliano passim habetur celebris memoria sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, & in commemoratione Sanctorum, post orationem Dominicam his verbis, *Atque Andrea*, subjungitur: *nec non beatis Martyribus tuis Gervasio & Protasio*. Quod quidem factum est, quod Ecclesia Sagiensis dedicata sit sub titulo Sanctorum martyrum Gervasii & Protasii: ut planum est ex Orderico Vitali libro citato, & Guillelmo Gemeticensi lib. 7. histor. cap. 13. & 15. Sub finem hujus codicis est successio Romanorum Pontificum, quæ definit in Sergio tertio. Sequitur Cronicon ab ortu mundi in cujus fine hæc habentur: *Et a Carlo, & Carlomanno usque ad Carlum anni quatuor, & deinde domnus Carlus solus regnum suscepit, & Deo protegente gubernat, usque in præsentem annum feliciter, qui est regni ejus quadragesimus secundus. Sunt autem totius summæ ab origine mundi, usque ad præsentem annum IV. MDCCLXI.* In eodem codice series habetur Regum Francorum, in cujus fine hæc scripta sunt: *Mortuo Roberto Rege Henricus filius ejus, adhuc juvenculus, multas insidias & calamitates perpessus est a principibus regni; auxilio Dei munitus omnes inimicos suos subjugavit suæ servituti.* Ex quibus planum est hunc codicem scriptum fuisse, Henrico illo, qui primus appellatur, in Francia regnante, qui regnum iniit anno Domini MXXXII. juxta Sigibertum in Chronico, quod etiam videtur forma characterum hujus libri suadere.

Usi etiam sumus ordine Romano vetustissimo manuscripto Bibliothecæ Corbeiensis: sed quia magna ex parte lacer est, pauca ex illo haurire potuimus.

Non mihi etiam parum profuit Ordo quidam manuscriptus Bibliothecæ Monasterii S. Germani a pratis prope Lutetiam Parisiorum siti, in quo præsentem lucubratiunculam, Deo juvante, composui. Codex satis antiquus videtur, & scriptus ante quingentos annos: ad cujus calcem est ordo ungendi infirmi; sed scripturæ a toto opere discrepantis, nec adeo vetustæ, siquidem trecentos annos vix superare videtur, sequiturque usum extremæ unctionis recentiorem, habetque formam deprecatoriam, hodiernæque similem, non indicativam, quam vetustiores codices manuscripti agnoscunt.

Insuper collectanea quædam misit ad me vir doctissimus Johannes le Prevost Canonicus & Bibliothecarius insignis Ecclesiæ Rothomagensis, ex duobus antiquis Sacramentariis seu Pontificalibus manuscriptis, quæ in ejusdem Ecclesiæ Secretario asservantur; quorum alterum videtur esse Anglicanum, ut ipse opinatur, idque patet ex Sanctis Anglicanis, qui passim in hoc libro nominantur, & ex coronatione Regum Angliæ, quæ in hoc codice extat. Alterum videtur fuisse olim Ecclesiæ Remensis, quia in Litania coronationis Regum, quæ illic habetur, hi Sancti Ecclesiæ Remensis nominantur: Nicasius, Remigius, Sixtus, Sinicius, & Rigobertus.

Usus sum etiam codice manuscripto mihi tradito ex Bibliotheca Monasterii sancti Remigii Remis fundati, scripto circiter annum Christi millesimum, in quo præter alia multa quæ ad nostrum propositum minime spectant, duo sunt ordines, alter ad dandam pœnitentiam, alter ad visitandum infirmum, qui mihi ad hæc duo Sacramenta illustranda non mediocrem lucem attulerunt.

Non mihi etiam parum contulit opis Martyrologium Sancti Hieronymi ms. ex Bibliotheca Corbeiensi, quod quidem, ut libere dicam quid de eo sentiam, non videtur purum: cum in eo multa Sanctorum, qui post sanctum Hieronymum vixerunt, nomina adjecta videantur ab ipso scriptore, qui sane fuit monachus Corbeiensis. Siquidem ibi notatur translatio sancti Præcordii, cujus corpus in dicto monasterio servatur, obitus Theofredi primi Abbatis Corbeiensis, obitus Ratoldi Abbatis ejusdem cœnobii, dedicatio Ecclesiæ ejusdem loci, & nonnullorum lacellorum, quæ adhuc Corbeiæ visuntur. Codex tamen antiquus est, & videtur scriptus ante annos sexcentos. Huic accesserunt cætera quædam Martyrologia, & Kalendaria manuscripta quæ nobis etiam in hoc opere præluxerunt.

Non est hic omittendus [a] Ordo Romanus jampridem typis mandatus, quem etiam diligenter contulimus cum codice sancti Eligii. Honorius Augustodunensis lib. de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, Ordinis Romani auctorem facit Bernol-dum

a De Ordine Romano lege Commentarium præviam in ipsum D. Mabill. Tom. II. Musei Italici.

dum quemdam Ecclesiæ Constantiensis Presbyterum, qui floruit sub Henrico IV. Imperatore; ita enim ait: *Bernoldus Constantiensis Ecclesiæ Presbyter Ordinem Romanum sub quarto Henrico composuit.* Quod tamen non videtur usquequaque verum. Siquidem hic Ordo Romanus est antiquior ipso Bernoldo, & Henrico quarto Imperatore. Etenim Ordo Romanus citatur in libro Sacramentorum manuscripto Ratoldi Abbatis, de quo supra egimus, in feria quinta in Cœna Domini, ubi agitur de pœnitentium reconciliatione, in hæc verba: *Faciatque sermonem tam populis, quam pœnitentibus, sicut Ordo præcipit Romanus.* Hic autem liber scriptus est ante annum 986. nondum nato Bernoldo. Mentionem etiam illius facit Isaac Lingonensis Episcopus Can. 35. qui floruit tempore Caroli Calvi Imperatoris, longe ante Bernoldum natum: *Et ibi*, inquit, *ab Episcopo canonice & ordinabiliter, sicut in Sacramentario, & Romano Ordine continetur, reconcilientur.* Citatur etiam ab Amalario, qui floruit tempore Ludovici Pii Imperatoris lib. 1. de officiis Eccles. cap. 12. *Restat unum in Ordine Romano, ubi præcipitur adhuc, ut a feria quinta usque in Sabbato sancto nuda sint altaria.* Quod extat in Ordine Romano, feria quinta in Cœna Domini: *A vespera autem hujus diei nuda sint altaria usque in mane Sabbati*; quare non proprie dici potest hic Bernoldus auctor Ordinis Romani, sed tantum instaurator, qui illum recognovit quibusdam detractis, & additis juxta usum, quem in Ecclesia suo tempore videbat. Quod satis credibile est, cum ille Ordo Romanus, qui jampridem typis editus est, purus non sit, quia in multis ab antiquis Sacramentorum libris deficit. Imo ipse liber in ordine Sabbati sancti sub finem ordinationis Missæ citat Ordinem Romanum, & ab illius ritu recedit. *Deinde*, inquit, *dicit Diaconus, Ite missa est, secundum Romanum Ordinem: sed usus Ecclesiæ non vult hoc propter vesperos. In hac nocte de vespertinali synaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante missam, neque post missam. Apud nos autem unus de schola, cui jussum fuerit, pro antiphona incipit* Alleluya *ad vesperam: & dum communicaverint, cantatur pro vespera festinanter psalmus* Laudate Dominum omnes gentes *&c.* secundum hodiernum usum, qui postea invaluit etiam in Ecclesia Romana.

Hunc etiam codicem sancti Eligii diligenter contuli cum edito Sacramentorum libro qui tempore Clementis VIII. exiit ex Bibliotheca Vaticana: sed non minimum discrimen inter utrumque reperi, licet in multis conveniant. Nam codex manuscriptus bibliothecæ Vaticanæ, unde editus transcriptus est, non videtur esse adeo antiquus, cum nonnulla complectatur, quæ antiquitatem non redoleant, ut plurima festa quæ longo post tempore in usu fuere: nullasque in eo benedictiones Episcopales reperire est, quæ tamen adhuc usitatæ erant tempore Honorii Augustodunensis auctoris libri, qui inscribitur *Gemma animæ*, in quo earum ratio & methodus describitur, qui vixit anno 1120. juxta Trithemium, imo adhuc in quibusdam Ecclesiis celebrantur. Quod tamen miror, quia in ejusmodi edito ex Vaticano, in festo S. Pauli scriptum habetur: *Præfatio & benedictio quæ superius*, ut in codice sancti Eligii. Unde fit, ut credam codicem illum manuscriptum descriptum quidem fuisse ex alio antiquissimo exemplari, sed quædam partim detracta fuisse, partim addita ab exscriptore, prout videbat ille usui temporis sui convenire. Qui expunxit festum sanctæ Mariæ ad Martyres, quod sua ætate abrogatum erat. Nam cum ipse ponat festum omnium Sanctorum, quod diu post festum sanctæ Mariæ ad Martyres institutum est, signum est eum non vixisse ante hujusmodi festi institutionem, sed post illius abrogationem. cum festum omnium Sanctorum duntaxat celebraretur, quod constat ex omnibus nostris Sacramentariis manuscriptis diu celebratum fuisse vigente adhuc festo sanctæ Mariæ ad Martyres. Quamvis autem quædam desint in codice sancti Eligii, quæ habentur in excuso Sacramentario ex bibliotheca Vaticana, est tamen eo locupletior, ut dixi in libri programmate, longe enim plura, quam ille continet, & antiquioris notæ.

De scriptoribus Ecclesiasticis

Præterea illa quæ in his tribus Sacramentariis manuscriptis Rodradi, Remensis, & Ratoldi notatu digniora erant, maxime quoad Sacramentorum rationem & festorum celebritatem, in nostris observationibus annotavi, illustravi & explicavi, quæque rariora erant in codice Tiliano in easdem transtuli diligenter cum codice sancti Eligii collata. Quæ sunt in appendice, ex nostris observationibus detracta, ad libri calcem sub appendicis titulo rejeci: ne in illis veluti sepulta jace-

jacerent. Sic autem in his observationibus me gessi, ut illa quæ sunt hodierni usus, quantum in me situm fuit, ad antiquos Ecclesiæ ritus revocarem: ab eorum tamen mente alienus, qui omnes Ecclesiasticas institutiones & ritus, atque etiam recentiores ad Apostolorum tempora omnibus remis & velis, ut aiunt, referre contendunt, quo nihil absurdius esse semper judicavi. Nam ejusmodi homines antiquiorum Patrum & Conciliorum verbis ac sententiis vim inferre non dubitant, modo suis nugis in officina cerebri sui cosis colorem aliquem & fucum tribuere possint: non eorum mentem sequi, sed eam ad sincipitis sui nebulas pertrahere cupientes, non sine gravi antiquitatis ecclesiasticæ, & veritatis dispendio; non advertentes omnes traditiones Ecclesiasticas non fuisse ubique temporum & locorum easdem: ac proinde omnia confundunt, & pessundant: & in hoc se belle putant Ecclesiæ auctoritati consulere, cum eam hac ratione scribendi penitus convellant. Nemo est enim adeo ab omni judicio aversus, qui nesciat Concilia, Episcopos, summos Pontifices, quos Deus posuit mysteriorum suorum dispensatores, posse vetera quædam abrogare, & nova statuere, prout sancti Spiritus impulsu ducti, Ecclesiasticæ utilitati ac dignitati ea conducere providerint.

Tandem ritus & cæremonias utriusque Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ, studiose inter se contuli: in quo convenirent, ac discreparent, quantum in me fuit, diligentius annotavi.

Ne quis autem offendatur, quod dixerim mundum plenum esse vagis Sacerdotibus, profiteor id me non intelligere de honestis Sacerdotibus, qui aut certas sedes habent, aut in Ecclesiis, & parochiis resident, sed de his duntaxat, qui per civitates vagantur, ἀπερίκαλοι, Sacerdotio prorsus indigni.

Neminem etiam lædere debet illud quod annotavi ad quemdam extremæ Unctionis ritum, in quo, altero ungente, alter verba pronuntiat, cum dixi hoc favere eorum opinioni qui dicunt hunc valere baptismum, si uno infundente aquam, aut mergente, alter verba proferat. Non enim hoc ideo protuli, quasi in ea sim sententia, quam vulgo repudiari non ignoro.

Hæc te monitum volebam, candide Lector. Si quid est in his meis lucubratiunculis, quod tibi sapiat, utere libenter: si quid nævi, ac maculæ repereris, æquus ac benevolus excusa.



SAN-

SANCTI GREGORII PAPÆ LIBER SACRAMENTORUM.

In Nomine Domini.

Nota 1. N. 2 [N] Hic Liber [N] Sacramentorum [a] de circulo anni [b] expositus, a S. Gregorio
N. 3 Papa Romano editus, [N] ex authentico libro Bibliothecæ [c] Cubiculi
scriptus, qualiter [N] Missa Romana celebratur, hoc est:

N. 4 N. 5 In primis [N] ad introitum Antiphona, qualis fuerit statutis temporibus, sive diebus festis, seu cotidianis.

N. 6 [N] Deinde KYRIE ELEISON.

N. 7 Item dicitur, [N] GLORIA IN EXCELSIS DEO.
N. 8 [N] Si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis.
N. 9 [N] A presbyteris autem minime dicitur, nisi solo in Pascha.
[d] Quando vero Litania agitur, neque *Gloria in excelsis Deo*, neque *Alleluia* canitur.

N. 10. [N] Postmodum dicitur oratio: deinde sequitur [N] Apostolus.

N. 11. N. 12 [N] Item Graduale, seu *Alleluia*.

N. 13. N. 14. Postmodum legitur [N] Evangelium, deinde [N] Offertorium, & dicitur Oratio super Oblata.

Qua completa, dicit Sacerdos excelsa voce: PER OMNIA secula seculorum, ℞. Amen. Dicit:

A Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo Dicit: N. 15. N. 16
[N] Sursum corda. ℞. [N] Habemus ad Dominum. Dicit: N. 17
[N] Gratias agamus Domino Deo nostro. ℞. N. 18
Dignum [N] & justum est:

VERE dignum & justum est, æquum & salutare, N. ..
nos tibi semper [N] & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem Majestatem tuam [N] laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: Cæli, cælorumque Virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus & nostra voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: N. 20
[N] SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cæli & terra gloria tua, Osanna in excelsis. N. 21
[N] Benedictus, qui venit in nomine Domini, [N] Osanna in excelsis [e]. N. 22. N. 23

TE [N] IGITUR clementissime pater, per Jesum N. 24
B Christum Filium tuum Dominum nostrum, [N] supplices rogamus, & petimus, uti accepta habeas & N. 25
benedicas [N] hæc [f] dona, hæc munera, hæc sancta N. 26
sacrificia [N] illibata: In primis [N] quæ tibi offerimus N. 27. N. 28

[a] Per Sacramenta intelliguntur vel omnia novæ Legis Sacramenta; quo sensu Theologi *de Sacramentis* tractatum edunt: vel tria potissimum Sacramenta, quæ simul accipiebantur olim, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia; de quibus scripti libri sex, *de Sacramentis*, inter Ambrosii opera tom. 2. novæ edit. vel solum Eucharistiæ sacramentum, quod plurali numero, in singulis fere Missis designatur, tum propter duplicem panis & vini materiam, tum propter corpus & Sanguinem Christi quæ continet. Vide notam 2. Menardi.

[b] In 2o Theod. & in Val. eb hic titulus legitur. *Incipit liber Sacramentorum de circulo anni a S. Greg. Papa Romano editus.*

[c] Vide Notam 3. Menardi, cui addere liceat quod legitur de S. Leone I. in Rom. Pontificali: *hic etiam constituit & addidit super sepulcra Apostolorum . . . qui dicuntur Cubicularii.*

[d] Litania ad luctum pertinet. Hinc Greg. arguit Johannem Ep. Ravennatem, quod in Litaniis, hoc est, *cineris & cilicii tempore*, pallium pompatice deferret. Vide l. 3. al. 2. ind. xi. ep. olim 54. nunc 56. Eadem fuit ratio, cur in Litania ab hymno *Gloria in excelsis Deo* abstineretur, & ab *Alleluia*.

[e] In priori Theoder. ante *Te igitur* &c. extant plures orationes: unam tantum retulimus post notam 23. Menardi.

[f] In miss. Theoder. & Gemet. hoc modo tres signantur cruces, ad hæc verba; *hæc dona ✠ hæc munera ✠ hæc sancta ✠ sacrificia illibata.*

N. 33 N. 30 pro N Ecclesia tua sancta Catholica, quam N A
N. 31 pacificare, custodire, N adunare, & regere di-
N. 32 gneris N toto orbe terrarum, una cum famu-
N. 33. N. 34 lo tuo Papa nostro Ill. & N Rege nostro Ill.
N & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & A-
postolicæ fidei cultoribus.

Memento, Domine, famulorum famularum-
N. 35 que tuarum, Ill. & Ill. & omnium N circum-
adstantium, quorum tibis fides cognita est, &
N. 36 nota devotio; N qui tibi offerunt hoc sacrifi-
cium laudis pro se, suisque omnibus, pro re-
demptione animarum suarum, pro spe salu-
N. 37 tis, & incolumitatis suæ, tibi reddunt N vota
a sua, æterno Deo, vivo, & vero a. B

N. 38. N. 39 N Communicantes, & memoriam veneran-
tes, in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ ge-
nitricis Dei & Domini nostri Jesu Christi. Sed &
beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum,
Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Tho-
mæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi,
N. 40. N. 41 Simonis, & N Taddei, Lini, Cleti, Clemen-
tis, N Syxti, Cornelii, Cypriani, Laurentii,
Chrysogoni, Johannis, & Pauli, Cosmæ, &
N. 42 Damiani, N Hilarii, Martini, Augustini, Gre-
gorii, Hieronymi, Benedicti, & omnium San-
N. 43 ctorum tuorum, N quorum meritis precibusque
concedas, ut in omnibus protectionis tuæ munia- C
mur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed
& cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine,
N. 44 ut placatus accipias; N diesque nostros in tua pace
N. 45 disponas, atque ab æterna damnatione nos eri-
pi, & in electorum tuorum jubeas grege numera-
ri. Per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæ-
N. 46. N. 46 sumus, N benedictam, N adscriptam, N ratam,
N. 48. N. 47 N rationabilem, acceptabilemque facere digne-
ris, ut nobis cor✠pus, & san✠guis fiat dile-
ctissimi filii tui Domini Dei nostri Jesu Christi. D

N. 50. N. 51 N Qui pridie quam pateretur, N accepit pa-
nem in sanctas, ac venerabiles manus suas, N
N. 52 elevatis oculis in cælum ad te Deum patrem suum
omnipotentem, tibi gratias agens, bene✠dixit,
N. 53 fregit; N dedit discipulis suis, dicens: Accipite,
N. 54. N. 55 & manducate N ex hoc omnes: N HOC EST
ENIM CORPUS MEUM.

Simili modo, postea quam cœnatum est, acci-
N. 56. N. 57 piens & hunc N præclarum calicem in sanctas
ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens,
N. 58 bene✠dixit, N dedit discipulis suis, dicens: Ac-
N. 59 cipite, & bibite ex eo omnes: N HIC EST
ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET E
N. 60 ÆTERNI TESTAMENTI, N MYSTERIUM
FIDEI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS
EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PEC-
CATORUM.

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memo-
riam facietis.

N. 61 N Unde & memores sumus, Domine, nostri
servi, sed & plebs tua sancta, Christi filii tui Dei
nostri, tam beatæ passionis, necnon & ab inferis
resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascensionis.
N. 62 Offerimus præclaræ Majestati tuæ N de tuis do-
N. 63 nis, ac datis, N Hostiam ✠ puram, Hostiam F
✠ sanctam, Hostiam ✠ N immaculatam, Pa- N. 64
nem sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ sa-
lutis perpetuæ.

Supra quæ, propitio, ac sereno vultu respicere
digneris, & accepta habere, N sicuti accepta ha- N. 65
bere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sa-
crificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi
obtulit N summus sacerdos tuus Melchisedech b N. 66
sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam. b

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, N ju- N. 67
be hoc perferri per manus Angeli tui in N sublime N. 68
altare tuum, in conspectu Divinæ Majestatis tuæ,
ut, quotquot ex hac Altaris participatione sacro-
sanctum filii tui ✠ Corpus, & ✠ Sanguinem sum-
serimus, omni benedictione cælesti, & gratia re-
pleamur. Per Cristum Dominum nostrum.

N Super Diptycha. N. 69

N. 70
N Memento etiam, Domine, famulorum famu-
larumque tuarum Ill. qui nos præcesserunt cum si-
gno fidei, N & dormiunt in somno pacis. Ipsis, N. 71
Domine, & N omnibus in Christo quiescentibus, N. 72
locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas,
deprecamur. c Per eumdem. c

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de mul-
titudine miserationum tuarum sperantibus, partem
aliquam & societatem donare digneris, cum tuis
sanctis Apostolis, & Martyribus, N cum Johan- N. 73
ne, N Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, N. 74
N Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Per- N. 75
petua, N Agathe d, Lucia, N Agnete, Cæcilia, N. 76. N. 77
Anastasia, N e & cum omnibus sanctis tuis, in- N. 77 N. 78
tra quorum nos consortium, non æstimator N N. 79
meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. d
Per Christum Dominum nostrum. e

Per quem hæc N omnia, Domine, semper bona N. 80
creas, sancti✠ficas, N vivi✠ficas, bene✠dicis, N. 81. N. 82
& præstas nobis. Per f ip✠sum, & cum ✠ ipso & f
in ✠ ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in uni-
tate Spiritus sancti, omnis honor & gloria.

Per omnia secula seculorum. Amen.

Oremus.

N Præceptis salutaribus moniti, & Divina in- N. 83
stitutione formati, audemus dicere:

N Pater noster, qui es in cælis, Sanctificetur N. 84
nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat
voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Panem no-
strum cotidianum da nobis hodie. Et dimitte
nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus
debitoribus nostris. Et ne nos inducas in ten-
tationem. R. Sed libera nos a malo.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus
malis, præteritis, præsentibus, & futuris, & in-
tercedente beata & gloriosa semper Virgine Dei ge-
nitrice Maria, & N beatis Apostolis tuis, Petro, & N. 85
Paulo, atque N Andrea, necnon & B. N Stephano N. 86. N. 87
Protomartyre tuo, g & omnibus sanctis, da pro- g
pitius pacem diebus nostris, ut ope misericordiæ
tuæ adjuti, & a peccato simus semper liberi,
& ab omni perturbatione securi. Per Domi-
num.

Pax

a In 2° Theod. *memento . . . omniumque propinquorum meorum, & quorum eleemosynas suscepimus, seu qui mihi confessi sunt, nec non & quorum nomina super sanctum altare tuum scripta habentur.*

b Ex lib. Pontific. in vita S. Leonis 1. quæ tom. 3. Conc. inseritur col. 1290. & seq. S. Leo constituit ut intra actionem sacrificii diceretur, *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.*

c In cod. Pamel. & Reginæ Suec. *per Christum Dom. nost.*

d Pamel. *Agatha*, ut in aliis editis.

e In Gemet. hic inseruntur nomina Sanctarum Ætheldrythæ & Gertrudis.

f Cruces hic Signatæ non videntur in Codice Reg. Suec.

g In cod Reg Suec. additur *necnon & beato Dionysio Martyre tuo atque Pontifice cum sociis suis Rustico & Eleutherio, & beato Clodoaldo Confess.* &c. *omnibus* &c. In Pamel cod *cum B. Cyriaco Mart.* &c. *& S. Martino Confess.* &c. & quæ in cod. Reg. Suec. desiderantur. In 2° Theodor. inseruntur hic nomina SS. Quintini, Nicasii, Gregorii, Medardi & Eligii.

Pax Domini sit semper vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

N. 88. ᴺ Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis [a].

a

b [b] ix. Kalend. Januarii.

IN VIGILIA NATALIS DOMINI.

N. 89. *Ad ᴺ Nonam.*

N. 90. ᴺ DEus qui nos redemtionis nostræ annua expectatione lætificas: ᴺ præsta, ut uni-
N. 91. genitum tuum quem Redemtorem læti suscepimus, venientem quoque judicem securi videamus Dominum nostrum, Jesum Christum, filium
N. 92. tuum, ᴺ qui tecum vivit & regnat Deus in uni-
N. 93. tate Spiritus sancti ᴺ per omnia secula seculorum.

N. 94. *ᴺ Super oblata.*

Da nobis, quæsumus omnipotens Deus, ut, sicut adoranda filii tui natalia prævenimus, sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Per eumdem.

N. 95. c *ᴺ Præfatio [c].*

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Cujus hodie faciem in confessione prævenimus, & voce supplici exoramus: ut superventuræ noctis officiis nos ita pervigiles reddat, ut sinceris mentibus ejus percipere mereamur Natale venturum, in quo invisibilis ex substantia tua, visibilis per carnem apparuit in nostra: tecumque unus non tempore genitus, non natura inferior, ad nos venit ex tempore natus. Per quem, &c.

N. 96. d *ᴺ Ad Complendum [d].*

Da nobis, Domine, quæsumus, Unigeniti filii tui recensita Nativitate respirare, cujus cæ-
N. 97. lesti mysterio pascimur, & potamur. ᴺ Per eumdem, &c.

Ad Vesperos.

Præsta, misericors Deus, ut ad suscipiendum filii tui singulare Nativitatis mysterium, & mentes credentium præparentur, & non credentium corda subdantur. Per eumdem.

N. 98. ᴺ IN VIGILIA DOMINI IN NOCTE.

DEus qui hanc sacratissimam noctem, veri luminis fecisti illustratione clarescere, da quæsumus, ut cujus lucis mysteria in terra

A cognovimus, ejus quoque gaudiis in cælo perfruamur. Qui tecum vivit, &c.

[e] Super oblata. e

Accepta sit tibi, Domine, quæsumus, hodiernæ festivitatis oblatio, ut tua gratia largiente, per hæc sacrosancta commercia, in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Qui tecum vivit & regnat Deus in unitate.

Præfatio.

B Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, [f] per Christum Dominum nostrum. f
Cujus Divinæ Nativitatis potentiam, ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo. Quem semper Filium, & ante tempora æterna genitum, quia tibi pleno, atque perfecto æterni Patris nomen non defuit, prædicamus, & honore, majestate, atque virtute æqualem tibi cum Spiritu sancto confitemur, & ᴺ in trino vocabulo unicam cre- N. 99.
dimus Majestatem. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationi-
C bus, cumque omni militia cælestis exercitus, Hymnum gloriæ tuæ canimus sine fine dicentes.

Te igitur Clementissime Pater, &c.

ᴺ Benedictio. N. 100.

Omnipotens Deus qui incarnatione Unigeniti sui mundi tenebras effugavit, & gloriosa nativitate hanc sacratissimam noctem irradiavit; effuget a vobis tenebras vitiorum, & irradiet corda vestra luce virtutum. Amen. Quique ejus sacratissimæ nativitatis gaudium magnum pastoribus ab Angelo voluit nuntiari, ipse su-
D per vos benedictionis suæ gratissimum imbrem infundat: atque ipso pastore vos ad æternorum gaudiorum pascua æterna perducat. Amen. Et qui per ejus incarnationem terrena cælestibus sociavit, internæ pacis & bonæ voluntatis vos nectare repleat, & cælestis militiæ consortes efficiat. Amen. Quod ipse &c [g]. g

Ad Complendum.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, ut, qui Nativitatem Domini nostri Jesu Chri-
E sti nos frequentare gaudemus, dignis conversationibus ad ejus mereamur pertinere consortium. Qui tecum vivit, &c.

Ad Matutinum.

Respice nos, misericors Deus: & mentibus clementer humanis, nascente Christo, summæ veritatis lumen ostende. Qui tecum vivit & regnat.

a Post *Agnus*, in 1. Theod. sequuntur sex orationes ex quibus secunda est: *Domine J. C. qui dixisti Apostolis tuis, pacem relinquo vobis* &c. quæ legitur in hodiernis Missalibus. In C. Reg. Suec. ante *Agnus Dei*, ponitur benedictio Episcoporum, *adesto suppl.* ut in Pontific. Rom. postea Consecratio: *Deus honorum omnium.* Deinde super oblata, *hac hostia* &c. ut in Pontif. Rom. Præfatio, *Dans igitur* &c. Ad complendum, *has nos communio* &c. Hæc excipiunt ordinationes Presbyteri & diaconi.

b Hic non consentiunt mss. nisi in duabus prioribus orationibus.

c Abest Præfatio a cod. Pamel. & Reg. Suec. In Gemet. assignatur Præfatio quæ in edit. Vatic. & Gussanvil. ponitur pro tertia missa Natalis Domini.

d In cod. Reg. Suec. & apud Pamel. legitur, *post Communionem.* Sequitur apud Pamel. Oratio, *super populum*, quæ abest a cod. Reg. Suec. sicut alia, *ad vesperos.*

e In C. Pamel. *secreta*, contradicente cod. Reg. Suec.

f Apud Pamel. *quia per incarnati verbi mysterium* &c. ut in Missalibus hodiernis. Consentiunt cod. Reg. Suec. Gemet. & Theoder. Post Præfat. Pamel. habet: *infra actionem. Communicantes & noctem sacratiss. celebr.* ut in Missali. Favent mss. Theoder. & Gemet. Abest hoc a cod. Reg. Suec. Sic adeo discrepant codices ab invicem, ut immensi prope laboris sit omnes variantes lectiones observare.

g Hæc benedictio quæ hic non extat in ed. Vat. & aliis postea est in benedictionali a Lambecio edito, quod habes in edit. Gussanvil. Ibidem reperiuntur omnes aliæ benedictiones in codice Mediolanensi, Missarum officiis insertæ. Sic absolvitur apud Lambecium: *quod ipse præstare dignetur cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & pax Domini sit semper vobiscum.*

N. 101. MISSA N IN MANE PRIMA NAT. DOM.

a *Sive Sancta [a] Anastasiæ.*

N. 102. DA N quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui nova incarnati Verbi tui luce perfundimur, hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. Per eumdem.

Alia.

Da, quæsumus omnipotens Deus, ut qui beatæ Anastasiæ martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum. B

Super Oblata.

Munera nostra, quæsumus, Domine, Nativitatis hodiernæ mysteriis apta proveniant, ut,
N. 103. N sicut homo genitus, idem refulsit Deus; sic nobis hæc terrena substantia conferat, quod divinum est. Per eumdem.

Alia.

Accipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, & beatæ Anastasiæ suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. Qui tecum vivit. C

N. 104. *N Præfatio.*

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia nostri Salvatoris hodie lux vera processit, quæ clara nobis omnia & intellectu manifestavit, & visu. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, cumque omni militia cælestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes. D

Ad Complendum.

N. 105. N. 106. N. 107. N Ejus nos, Domine, N Sacramenti semper N
N. 108. natalis instauret, cujus N Nativitas singularis humanam repulit vetustatem. Qui tecum vivit.

Alia.

Satiasti, Domine, Familiam tuam muneribus sacris, ejus, quæsumus, semper interventione nos resove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c. E

b *viij Kal. Januarii [b].*

IN DIE NATALIS DOMINI.

N. 109. N CONcede, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti Filii tui nova per carnem Nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Qui tecum vivit.

Super Oblata.

Oblata, Domine, munera, nova Unigeniti

A tui Nativitate sanctifica, nosque a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per eumdem, &c.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit. Ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc N invisi- N. 110.
bilium amore rapiamur. Et ideo cum Angelis.
Te igitur Clementissime pater, &c. *ut supra* [c]. c

Benedictio.

Benedicat vobis omnipotens Deus, vestramque ad superna excitet intentionem, qui hanc sacratissimam diem Nativitate filii sui fecit esse solemnem. Amen. Et qui eum qui panis est Angelorum, in præsepi Ecclesiæ cibum fecit esse fidelium animalium: ipse vos & in præsenti seculo degustare faciat æternorum dulcedinem gaudiorum, & in futuro perducat ad satietatem
æternorum præmiorum. Amen. N Quique ejus N. 111.
infantiam vilibus voluit indui pannis, ipse vos cælestium vestimentorum induat ornamentis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et pax Domini sit semper vobiscum.

Ad Complendum.

N Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut na- N. 112.
tus hodie Salvator mundi, sicut Divinæ nobis generationis est auctor, ita & immortalitatis sit ipse largitor. Qui tecum vivit & regnat Deus.

Aliæ Orationes.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut Salutare tuum, nova cælorum luce mirabile, quod ad salutem mundi hodierna festivitate processit, nostris semper innovandis cordibus oriatur. Qui tecum.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem per incarnationem Verbi tui, & partum Beatæ Mariæ Virginis consecrasti, da populis tuis in hac celebritate consortium, ut, qui tua gratia sunt redemti, tua sint adoptione securi. Per eumdem.

Alia.

Fundamentum fidei nostræ Deus, N qui in N. 113.
mentibus sanctis tamquam in excelsis montibus, æternitatis portas, justitia muniente, componis: concede nobis in te gloriose credere, tuumque Filium Dominum nostrum ad redemtionem animarum hominem factum prædicabiliter confiteri, Qui tecum, &c.

Alia.

Largire, quæsumus, Domine, famulis tuis, N fi- N. 114.
F dei, & securitatis augmentum: ut, qui de Nativitate filii tui Domini nostri gloriantur, & adversa mundi, te gubernante non sentiant, & quæ tempora-

a Assignatur quoque statio, *ad S. Anastasiam*, tum in plerisque codd. tum in Kalend. Rom. In cod. Reg. Suec. duæ sunt hujus missæ Præfationes, prior de S. Anastasia, alia de Nativitate.

b In Kalend. Rom. sicut in ed. Pamel. & plerisque mss. legitur, *ad sanctam Petrum*, ubi statio indicatur.

c Apud Pamelium post Præfationem habes: *Infra act. Communicantes & diem sacratiss. celebr. quo B. M. intem. virginitas (per errorem nativitas)* &c. quæ leguntur in ed. Vatic. & Gussanvil. necnon in Gemet. Abest a cod. Reg. Suec.

poraliter celebrare desiderant, sine fine percipiant. Per. A

Alia.

Deus qui per Beatæ Mariæ Virginis partum sine humana concupiscentia procreatum, in Filii tui membra venientes ^N paternis fecisti præ-
N. 115. judiciis non teneri, præsta quæsumus, ut, ^N
N. 116. hujus creaturæ novitate suscepta, vetustatis antiquæ contagiis exuamur. Per eumdem.

Alia.

N. 117. ^N Deus qui humanæ substantiæ dignitatem & mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti, da nobis, quæsumus, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus filius tuus, qui tecum vivit.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Filii tui Domini nostri Nativitate tribuisti totius religionis initium perfectionemque constare, da nobis, quæsumus, in ejus portione censeri, in quo totius salutis humanæ summa consistit. Qui tecum vivit & regnat Deus.

Alia.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo inviolabilem fidei firmitatem, ut, qui Unigenitum
N. 118. tuum in tua tecum gloria sempiternum, in veritate nostri corporis natum de matre Virgine confitentur, & a præsentibus liberentur adversis & mansuris gaudiis inserantur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum.

vij. Kal. Januarii.

a NATIVITAS S. STEPHANI. a

DA nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus & inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dom.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, munera pro tuorum com-
N. 119. memoratione Sanctorum, ^N ut sicut illos passio gloriosos, sic nos devotio reddat innocuos. Per
b Dominum b.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Beati Stephani Levitæ simul & martyris natalitia recolentes: qui fidei, qui sacræ militiæ, qui dispensationis & castitatis egregiæ, qui prædicationis mirabilisque constantiæ, qui confessionis ac patientiæ nobis exempla veneranda proposuit. Et ideo Nativitatem Filii tui merito præ ceteris passionis suæ festivitate pro-
N. 120. sequitur, ^N cujus gloriæ sempiternæ primus
N. 121. martyr occurrit. Per quem Majestatem, &c.

Benedictio.

Deus qui beatum Stephanum protomartyrem coronavit, & confessione fidei, & agone martyrii: mentes vestras circumdet, & in præsenti seculo corona justitiæ, & in futuro perducat vos ad coronam gloriæ. Amen. Illius obtentu tribuat vobis Dei & proximi caritate semper exuberare, qui hanc studuit etiam inter lapidantium impetus obtinere. Amen. Quo ejus exemplo roborati, & intercessione muniti, ab eo quem ille a dextris Dei vidit stantem, mereamini bene-
B dici. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Ad Complendum.

Auxilientur nobis, Domine, sumta mysteria, & intercedente Beato Stephano martyre tuo, sempiterna protectione confirment. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias martyrum, in Beati Levitæ Stephani sanguine dedicasti, tribue, quæsumus, ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis etiam persecuto-
C ribus exoravit. Per.

Alia.

Deus qui nos Unigeniti tui clementer incarnatione redemisti, da nobis patrocinia tuorum continuata Sanctorum, quibus capere valeamus salutaris mysterii portionem. Per eumdem.

Alia.

Gratias agimus, Domine, multiplicatis circa nos miserationibus tuis, qui & Filii tui Nativitate nos salvas, & Beati Martyris Stephani
D deprecatione sustentas. Per eumdem.

vij. Kal. Januarii c. c

NATIVITAS S. JOHANNIS EV.

^N ECclesiam tuam, Domine, benignus illustra, ut Beati Johannis Evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per. N. 122.

Super Oblata.

Suscipe munera, Domine, quæ in ejus tibi
E solemnitate deferimus, cujus ^N nos confidimus N. 123.
patrocinio liberari. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Beati Apostoli tui, & Evangelistæ Johannis veneranda natalitia recensentes: qui Domini nostri Jesu Christi Filii tui vocatione suscepta terrenum respuit patrem, ut posset invenire cælestem, adeptus in regno cælorum sedem Apostolici culminis, qui
F tantum retia ^N carnalia contemserat genitoris: qui- N. 124.
que ab Unigenito tuo sic familiariter est dilectus, & immensæ gratiæ muneribus approbatus, ut eum

 idem

a Apud Pamelium, *Martyris*, ut in editis Vatic. & Gussanvil. Abest a cod. Reg. Suec. & a Kalend. Rom. ubi nulla statio assignatur, sed pro Evangelio indicatur: *Dicebat Jesus turbis Judæorum*, eique, *benedictus qui venit in nom. Dom.* Matth. 23.

b Post hanc orationem, apud Pamelium sequitur oratio: *grata tibi sint* &c. quæ desideratur in cod. Reg. Suec. & abest ab edit. Vatic. Gussanvil. &c.

c In Kalend. Rom. nulla fit mentio stationis. Evangelium idem notatur, quod in hodiernis Missalibus legimus. In cod. Pamel. aliæ prorsus orationes assignantur. In una præmittitur, *ad S. Andream*. Aliquas ex illis habet codex Reg. Suec. sed non omnes, nam tres priores desunt.

N. 125. idem Dominus in cruce jam positus, N vicarium suæ Matri Virgini filium subrogaret: quatenus Beatæ Genitris integritati, probati, dilectique discipuli virginitas deserviret. Nam & in cœnæ mysticæ sacro-sancto convivio super ipsum vitæ fontem æternum, scilicet pectus recubuerat Salvatoris. De quo perenniter manantia cælestis hauriens fluenta doctrinæ, tam profundis, ac mysticis revelationibus est imbutus, ut omnem transgrediens creaturam, excelsa mente conspiceret, & Evangelica voce proferret, quod In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et ideo cum Angelis.

Benedictio.

Omnipotens Deus dignetur vobis per intercessionem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ benedicere, qui per eum arcana verbi sui voluit Ecclesiæ revelare. Amen. Concedat vobis, ut quod ille Spiritus sancti munere afflatus vestris auribus infudit, ejusdem Spiritus dono capere mente valeatis. Amen. Quo ejus documento de divinitate nostri Redemtoris edocti, & amando quod tradidit, & exsequendo quod jussit, ad dona pervenire mereamini, quæ idem Jesus Christus Dominus noster repromi-
C sit. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Refecti cibo, potuque cælesti, Deus noster, te supplices deprecamur, ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per.

N. 126. *Ad Vesperos.*

Beati Johannis Evangelistæ, quæsumus, Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis
D tribue, & remedia sempiterna concede. Per Dominum nostrum.

N. 127. N *Alia.*

Beati Evangelistæ Johannis, Domine, precibus adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Per.

N. 128. N *Alia.*

Sit, Domine, quæsumus, Beatus Johannes Evangelista nostræ fragilitatis adjutor, ut pro nobis tibi supplicans, copiosius audiatur. Per.

E *Alia.*

Deus qui per os Beati Apostoli tui Johannis, Verbi tui nobis arcana reserasti, præsta, quæsumus, ut, quod ille nostris auribus excellenter infudit, intelligentiæ competentis eruditione capiamus. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hujus diei venerandam, sanctamque lætitiam Beati Apostoli tui Johannis & Evangelistæ festivitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, & amare quod
F credidit, & prædicare quod docuit. Per.

Alia.

Adsit Ecclesiæ tuæ Domine, quæsumus, Beatus Evangelista Johannes, ut, cujus perpetuus
A doctor existit, semper esse non desinat suffragator. Per Dominum.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut excellentiam Verbi tui, quam Beatus Evangelista Johannes asseruit, & convenienter intelligere valeamus, & veraciter profiteri. Per eumdem.

v. Kalend. Januarii.

[a] NATALIS INNOCENTUM.

B DEus cujus hodierna die præconium innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per.

Super Oblata.

Adesto, Domine, muneribus Innocentum festivitate sacrandis, & præsta, quæsumus, ut eorum sinceritatem possimus imitari, quorum tibi dicatam veneramur infantiam. Per.

C *Præfatio.*

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
N & in pretiosis mortibus parvulorum, quos N. 129.
propter nostri Redemtoris infantiam bestiali sævitia Herodes funestus occidit, immensa clementiæ tuæ dona prædicare, in quibus fulget sola
magis gratia, quam voluntas, N & clara est N. 130.
prius confessio, quam loquela, N ante passio, N. 131.
quam membra idonea passioni. Existunt testes Christi, qui ejus nondum fuerant agnitores. O
D infinita benignitas! O ineffabilis misericordia, quæ pro suo nomine trucidatis, meritum gloriæ perire non patitur, sed proprio cruore perfusis & salus regenerationis adhibetur, & imputatur corona martyrii. Et ideo cum Angelis, &c.

Benedictio.

Omnipotens Deus pro cujus Unigeniti veneranda infantia, infantium innocentium catervas Herodis funesti peremit sævitia, suæ vobis be-
E nedictionis tribuat dona gratissima. Amen. Et qui eis concessit, ut unicum filium ejus, Dominum nostrum non loquendo, sed moriendo confiterentur, concedat vobis, ut fidem veram, quam lingua vestra fatetur, etiam mores probi, & vita inculpabilis fateatur. Amen. Quique eos primitivum fructum sanctæ suæ suscepit Ecclesiæ, cum fructu bonorum operum, vos faciat pervenire ad gaudia æternæ patriæ. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum.

Ad Complendum.

N Votiva, Domine, dona percepimus, quæ N. 132.
Sanctorum nobis precibus, & præsentis, quæsumus, vitæ pariter & æternæ tribue conferre subsidium.

[a] Deus

a Apud Pamel. Nat. *SS. Innocent.* Abest *sanctorum*, a cod. Reg. Suec. a Kalend. Rom. & abedis Vatic. & Gussanvil. In eodem Pamel. cod. legitur *ad S. Paulum* Sistetur de Ratione in Kalend. Rom. ubi Evangelium idem quod in hodierna SS. Innocentium Missa, designatur.

Alia.

a [a] Deus, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosius operaris in minimis, da nobis, quæsumus, in eorum celebritate gaudere, qui Filio tuo Domino nostro testimonium præbuerunt etiam non loquentes. Per eumdem, &c.

Alia.

Ipsi nobis, Domine, quæsumus, postulent mentium puritatem, quorum innocentiam hodie solemniter celebramus. Per.

Alia.

Adjuva nos, Domine, quæsumus, eorum deprecatione Sanctorum, qui filium tuum humana necdum voce profitentes, cælesti sunt pro ejus Nativitate gloria coronati. Per eumdem.

Prid. Kalendas Januarii.

b N. 133. NATIVITAS S. SILVESTRI [b] PAPÆ.

N Eodem die S. Fulgentii Episcopi.

DA quæsumus, omnipotens Deus, ut Beati Silvestri Confessoris tui, atque Pontificis veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per.

Super Oblata.

Sanctorum tuorum nobis, Domine, pia non desit oratio, quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per.

Ad Complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut hodiernæ munus solemnitatis acceptum, intercedente Beato Silvestro Confessore tuo, & corporibus nostris salutem præstet & mentibus. Per Dominum.

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec eos ullis mentis & corporis patiaris subjacere periculis, quos Beati Silvestri pontificis tui munus glorioso confessio. Per.

Kalendis Januarii.

c N. 134. N IN OCTAVIS DOMINI [c].

DEus qui salutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fecunda, humano generi præmia præstitisti, tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Alia.

Deus qui nobis nati Salvatoris diem celebrare A concedis octavuum, fac, quæsumus, nos ejus perpetua divinitate muniri, cujus sumus carnali commercio reparati. Qui tecum vivit, &c.

Super Oblata.

Præsta, quæsumus, Domine, ut per hæc munera, quæ Domini nostri Jesu Christi arcanæ Nativitatis mysterio gerimus, purificatæ mentis intelligentiam consequamur. Per eumdem.

Præfatio.

B Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: cujus hodie Circumcisionis diem, & Nativitatis octavum celebrantes, tua, Domine, mirabilia veneramur, Quia, quæ peperit, & Mater & Virgo est: Qui natus est & infans & Deus est. Et ideo cum Angelis, &c.

Benedictio.

Omnipotens Deus, cujus Unigenitus hodierna C die, ne Legem solveret, quam adimplere venerat, corporalem suscepit Circumcisionem, spiritali Circumcisione mentes vestras ab omnibus vitiorum incentivis expurget: & suam in vos infundat benedictionem. Amen. Et qui Legem per Moysen dedit, ut per Mediatorem nostrum benedictionem daret, exuat vos mortificatione vitiorum & faciat perseverare in novitate virtutum. Amen. Quo sic in senarii numeri perfectione in hoc seculo vivatis, & in septenario inter beatorum spirituum agmina requiescatis. N Quatenus in octavo resurrectione renovati, jubelei remissione ditati, ad gaudia sine fine mansura perveniatis. Amen. Quod ipse D præstare dignetur, cujus regnum. N. 135. N. 136.

Ad Complendum.

Præsta, quæsumus, Domine, ut quod Salvatoris nostri iterata solemnitate percepimus, perpetuæ nobis redemtionis conferat medicinam. Per eumdem.

Super Populum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Unigenito tuo novam Creaturam nos tibi esse fecisti, custodi opera misericordiæ tuæ, & ab omnibus nos E maculis vetustatis emunda, ut per auxilium gratiæ tuæ in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Qui tecum vivit. N. 137.

N [d] DOM. I. POST NATAL. DOMINI. N. 138. d

OMnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum.

Super Oblata.

Concede, quæsumus, Domine, ut oculis tuæ Maje-

a Hæc oratio & ultima, *adjuva* &c. deest in cod. Reg. Suec.

b Abest, *Papa*, a cod. Pamel. extat in cod. Reg. Suec. In neutro legitur quod hic de S. Fulgentio additum, uti nec in aliis vulgatis. In Kalend. Rom. ubi Papæ titulus S. Silvestro non datur, nullaque fit S. Fulgentii memoria; præscribitur Evangel. *dixit Jesus discipulis suis: vigilate*, usque *super omnia bona sua constituet eum*, sine ulla statione.

c Licet hoc festum a Circumcisione nomen haud accipiat in Kalendar. Rom. cui consentiunt libri Sacramentorum codices sive editi sive manu exarati, assignatur tamen Evangelium de Circumcisione, *postquam consummati sunt*, quod protrahitur, usque, *& gloriam plebis tuæ Israel*. Nulla stationis fit mentio. In editis F tamen Pamelianis consentiente cod. Reg. Suec. legitur, *ad S. Mariam ad Martyres*. In hoc cod. desiderantur quatuor orationes ultimæ apud Pamelium uncinis ( ) inclusæ: Præfatio & Benedictio quæ hic habentur, ubi Circumcisionis fit mentio, in Pamel. & Reg. Suec. codicibus non leguntur. In Kalendar. Rom. eodem die notatur, *natale S. Mariæ*; quod optime convenit cum S. Gregorii Antiphonario, ut a Pamelio exhibetur. Ea forte de causa etiam nunc festi Circumcisionis officium, magna ex parte ad Beatissimam Virginem pertinet.

d Hujus Dominicæ nihil extat in Pamel. aut in Reg. Suec. codicibus, præter orationem, *omnipotens* &c. In cod. Gemet. oratio est, *Deus qui sal. æt. B. Mariæ Virg. f.*

Majestatis munus oblatum & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum nostrum. A

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui peccato primi parentis hominem a salutis finibus exulantem, pietatis indulgentia ad veniam vitamque revocasti, mittendo nobis unigenitum Filium tuum Dominum, & Salvatorem nostrum; per quem Majestatem tuam, &c.

Benedictio.

Deus qui unigenitum suum misit, ut mundum salvaret: ejusdem salutis vos participes efficiat, & in ea perseverabiles reddat, Amen. Iram quæ super infideles maneat, a vobis amoveat, & ab ea vos in perpetuum liberos efficiat. Amen. Spiritum Filii sui vobis attribuat, ejusque donis vos affatim exuberare concedat. Amen. Quod ipse præstare dignetur cujus regnum.

Ad Complendum.

Per hujus, Domine, operationem mysterii, & vitia nostra purgentur, & justa desideria compleantur. Per Dominum, &c.

Super populum.

Propitiare, misericors Deus, supplicationibus nostris; & populum tuum pervigili protectione custodi, ut qui Unigenitum tuum in carne nostri corporis Dominum natum esse fatetur, nulla possit diaboli falsitate corrumpi. Per eumdem.

Nonis Januarii.

N. 139. a [N] IN VIGILIA [a] THEOPHANIÆ. D

Ad Vesperos.

Corda nostra, quæsumus, Domine, venturæ festivitatis splendor illustret, quo mundi hujus tenebris carere valeamus, & perveniamus ad patriam claritatis æternæ. Per.

Super Oblata.

Tribue, quæsumus, Domine, ut præsentibus illi immolemus sacrificis, & sumamus quæ venturæ solemnitatis pia munera præloquuntur. Per, &c. E

Præfatio.

Verum dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus: Et te laudare mirabilem Dominum in omnibus operibus quibus sactatissima regni tui mysteria revelasti. Hanc etenim festivitatem Dominicæ apparitionis index stella præcessit, quæ natum in terra cæli Dominum, Magis stupentibus, nuntiaret. Ut manifestandus mundo Deus & cælesti denuntiaretur indicio, & temporaliter procreatus signorum temporalium ministerio panderetur. Et ideo, &c.

Ad Complendum.

Illumina, quæsumus, Domine, populum tuum, & splendore gratiæ tuæ cor ejus semper accende, ut Salvatoris mundi stella famulante, manifestata Nativitas mentibus eorum & reveletur, semper & crescat. Per eumdem.

viij. Idus Januarii.

[N] IN [b] EPIPHANIA DOMINI. N. 140. b

B Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus [N] stella duce revelasti, concede N. 141. propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eumdem, &c.

Super Oblata.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, dona propitius intuere, quibus non jam aurum, thus, & myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, & sumitur, Jesus Christus Dominus noster. C

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia cum Unigenitus tuus in substantia nostræ N. 142. mortalitatis apparuit, [N] in novam nos immortalitatis suæ lucem reparavit. Et ideo cum Angelis, &c.

Te igitur Clementissime Pater, &c.

Benedictio.

Deus, lumen verum, qui unigenitum suum hodierna die stella duce Gentibus voluit revelare, sua vos dignetur benedictione ditare. Amen. Quo exemplo Magorum mystica Domino Jesu Christo N. 143. munera offerentes, spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum, ad æternam patriam redire valeatis per viam virtutum. Amen. Detque vobis veram mentium innocentiam qui super Unigenitum suum Spiritum sanctum demonstrare voluit per columbam, eaque virtute mentes vestræ exerceantur ad intelligenda divinæ Legis arcana, qua in Cana Galileæ lympha est in vinum conversa. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quæ solemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur. Per.

Aliæ Orationes.

Omnipotens sempiterne Deus, fidelium splendor animarum, qui hanc solemnitatem electionis F Gentium [N] primitiis consecrasti, imple mundum N. 144. gloria tua, & subditis tibi populis per luminis tui appare claritatem. Per.

Alia

a Sic appellatur Epiphaniæ festum a S. Greg. hom. 38. in Evang. *veni; ut quia Natalem Dominicum sive te feci, sanctam Theophaniam jam tecum faciam.*

q Hac die in ed. Pamel. statio figitur, *ad S. Petrum*; quod optime respondet titulo hom. 10. in Evang. *Cum natus esset Jesus in Bethlehem*; ubi legitur habita in basil. S. Petri. In Kalendario Rom. omittitur statio, assignaturque tantum Evangelium, *cum natus esset Jesus* &c. In eodem Kalend. post festum Theophaniæ tres dies festi celebrantur; & in primo legitur statio ad S. Petrum ad vincula.

Alia.

Deus, illuminator omnium Gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium Magorum mentibus adspirasti. Per.

Alia.

Da nobis, quæsumus, Domine, digne celebrare mysterium, quod in nostri Salvatoris infantia miraculis coruscantibus declaratur, & corporalibus incrementis manifesta designatur humanitas. Per eumdem.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Salvatoris mundi, stella duce, manifesta Nativitas mentibus nostris reveletur semper & crescat. Per eumdem.

Alia.

Illumina, quæsumus, Domine, populum tuum & splendore gratiæ tuæ cor ejus semper accende: ut Salvatorem suum & incessanter agnoscat, & veraciter adprehendat. Per Dominum nostrum.

a [a] *Dominica Prima.*

POST THEOPHANIAM.

VOta, quæsumus, Domine, supplicantis populi, cælesti pietate prosequere: ut & quæ agenda sunt, videant; & ad implenda quæ viderint, convalescant. Per.

Super Oblata.

Oblatum tibi, Domine, sacrificium vivificet nos semper & muniat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Quia cum Unigenitus tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, in novam nos immortalitatis suæ lucem reparavit. Et ideo, cum Angelis.

Benedictio.

Deus qui filii sui temporalem pueritiam fecit esse mirabilem, spiritu prudentiæ corda vestra illustrare ac docere dignetur. Amen. Quique illum parentibus temporaliter subdi voluit, ipse vos humilitatis & pietatis muneribus miseratus informet.
N. 145 Amen. Et [N] qui eum sapientia, ætate, & gratia proficere tribuit, spiritalium vobis profectuum incrementa propitius largiatur. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deservire concedas. Per Dominum.

Super populum.

Conserva, quæsumus, Domine, familiam tuam, F

A & benedictionum tuarum propitius ubertate purifica: ut eruditionibus tuis semper multiplicetur & donis. Per.

[N] IN [b] OCTAVIS THEOPHANIÆ. N. 146. b

DEUS cujus Unigenitus in substantia nostræ carnis apparuit, præsta quæsumus: ut per eum, quem similem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur. Qui tecum vivit, &c.

Super Oblata.

B Hostias tibi, Domine, pro nati tui Filii apparitione deferimus, suppliciter exorantes, ut sicut ipse nostrorum auctor est munerum, ita ipse sit misericors & susceptor Jesus Christus Dominus noster, qui tecum vivit & regnat Deus.

Ad Complendum.

Cælesti lumine, quæsumus, Domine, semper & ubique nos præveni: ut mysterium, cujus nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus effectu. Per.

xix. Kalendas Februarii.

C [N] NAT. SANCTI FELICIS. [c] N. 147. c

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos provocent, quatenus quorum solemnia agimus, etiam actus imitemur. Per.

Super Oblata.

Hostias tibi, Domine, pro commemoratione Sancti Felicis [N] Confessoris offerimus suppliciter deprecantes: ut sicut illi tribuisti sacræ fidei largitatem, sic nobis indulgentiam largiaris & pa- N. 148.
D cem. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & confessionem sancti Felicis memorabilem non tacere, qui [N] nec hæreticis pravitatibus, nec seculi N. 149.
blandimentis a sui status rectitudine potuit immutari: sed inter utraque discrimina veritatis assertor, firmitatem tuæ fidei non reliquit. Per.

E *Ad Complendum.*

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut cujus solemnia [N] celebramus, ejus ora- N. 150.
tionibus adjuvemur. Per Dominum.

[d] *Dominica secunda.* d

POST THEOPHANIAM.

OMnipotens sempiterne Deus, qui cælestia simul & terrena moderaris, supplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam nostris concede temporibus. Per.

B *Alia.*

a Vacat hæc Dominica in cod. Pamel in mf. Reg. Suec. omnia sunt ab idibus Januarii, usque ad xiii. Kalend. Febr.
b Pro octava Epiph. nihil assignatur in Kalend. Rom.
c In Kalend. Rom. & in cod. Reg. Suec. quem sequitur hic Pamel. additur, *in Pincis*. Consule Bollandum tom. 1. Sanctorum Januarii; & Tillemontium tom. 4. Comment. Eccles. Hujus Sancti solemnitas notatur 14. Jan. in Kalend. Rom. & apud Pamel. et die 13. in cod. Reg. Suec.
d Omittitur in C. Pamel. & Reg. Suec. necnon in Kalend. Rom. cujus loco occurrit, *Fer. IV. post Theophania*.

Alia.

Adesto, quæsumus, Domine, supplicantibus nostris, & in tua misericordia confidentes, ab omni nos adversitate custodi. Per.

Super Oblata.

Ut tibi grata sint, Domine, munera populi tui supplicantis, ab omni, quæsumus, eum contagione perversitatis emunda. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, B Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; semperque virtutes & laudes tuas labiis exultationis effari, qui nobis ad relevandos istius vitæ labores diversa donorum tuorum solatia, & munerum salutarium gaudia contulisti, mittendo nobis Jesum Cristum Filium tuum Dominum nostrum. Per quem.

Benedictio.

Deus qui sua mirabili potestate aquam vertit in vinum, vos a vetustate subtractos in beatæ vitæ transferat novitatem. Amen. Et qui nuptiis interesse voluit, ut earum sua præsentia comprobaret bonum, ipse vobis castitatis & sobrietatis C perpetuæ conferat donum. Amen. Ipse vobis sanctarum intelligentiam Scripturarum tribuat spiritalem; qui aquas in vina vertendo, hoc ipsum voluit designare. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus.

Ad Complendum.

Augeatur in nobis, Domine, quæsumus, tuæ virtutis operatio: ut divinis vegetati sacramentis, ad eorum promissa capienda tuo munere præparemur. Per.

D

Super populum.

Auxiliare, Domine populo tuo, ut sacræ devotionis proficiens incrementis, & tuo semper munere gubernetur, & ad redemtionis æternæ pertineat, te ducente, consortium. Per.

xviij. Kalendas Februarii.

a NAT. [a] S. MARCELLI PAPÆ.

PRECES populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi: ut Beati Marcelli Martyris tui atque Pontificis meritis adjuvemur, cujus E passione lætamur. Per Dominum nostrum &c.

Super oblata

Suscipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, & Beati Marcelli suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui F glorificaris in tuorum confessione Sanctorum. Et non solum excellentioribus præmiis Martyrum

A tuorum merita gloriosa prosequeris: sed etiam sacra mysteria competentibus servitiis exsequentes, gaudium Domini sui tribuis benignus intrare. Per Christum Dominum.

Ad Complendum.

Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris, semper ejus, quæsumus, interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per.

xv. Kalendas Februarii.

NAT. S. PRISCÆ VIRGINIS.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Beatæ Priscę Martyris tuę natalitia colimus, & annua solemnitate lætemur, & tantæ fidei proficiamus exemplo. Per.

Super Oblata.

Hostia, Domine, quæsumus, quam Sanctorum tuorum natalitia recensentes offerimus, & vincula nostræ pravitatis absolvat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per.

Ad Complendum.

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut cujus solemnia celebramus, ejus orationibus adjuvemur. Per.

xiij. Kalendas Februarii.

[b] NATALE S. [N] FABIANI. N. 151 b

INfirmitatem nostram respice, omnipotens Deus, & [*] quos pondus propriæ actionis gravat, Beati Fabiani Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per. N: 152

Super Oblata.

Hostias tibi, Domine, Beati Fabiani Martyris tui dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

Ad Complendum.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster, ut cujus exsequimur cultum, sentiamus effectum. Per.

Eodem die.

NAT. S. SEBASTIANI MARTYRIS.

DEUS qui beatum Sebastianum Martyrem tuum, virtute constantiæ in passione roborasti, ex ejus nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare. Per.

Super Oblata.

Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio, & ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur.

Præ-

a Apud Pamel. notatur die 18. Januar. at in cod. Reg. Suec. die 16. ejusdem mensis, consentiente Kalend. Rom.
b In Kalend. Rom. festum S. Sebastiani est ante festum S. Fabiani; secus in cod. Pamel. ac Reg. Suec. & in Vat. ed. atque aliis. Postea utraque solemnitas in unam coaluit.

Præfatio.

A

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quoniam Martyris Beati Sebastiani pro confessione nominis tui venerabilis sanguis effusus, simul & tua mirabilia manifestat, quo perficis in infirmitate virtutem, & nostris studiis dat profectum, & infirmis apud te præstat auxilium. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

B

Sacro munere satiati supplices te, Domine, deprecamur, ut quod debitæ servitutis celebramus officio, intercedente Beato Sebastiano Martyre tuo, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per Dominum nostrum.

xij. Kalend. Februarii.

N. 153. a NATALE S. [N] [a] AGNETIS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, concede propitius, ut qui Beatæ Agnetis Martyris tuæ solemnia colimus; ejus apud te patrocinia sentiamus. Per.

C

Super Oblata.

Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe: & intercedente Beata Agnete Martyre tua, vincula peccatorum nostrorum absolve. Per Dominum.

Præfatio.

D

Vere dignum & justum est, æquum & salutare nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne N. 154. Deus: Et [N] diem beatæ Agnetis Martyrio consecratam solemniter recensere, quæ terrenæ generositatis oblectamenta despiciens, cælestem meruit dignitatem: societatis humanæ vota contemnens, æterni Regis est sociata consortio; & pretiosam mortem, sexus fragilitate calcata, N. 155. pro Christi confessione suscipiens, [N] simul est facta conformis & sempiternitatis ejus & gloriæ. Per quem Majestatem tuam.

Ad Complendum.

E

b [b] Sumentes, Domine, gaudia sempiterna de participatione sacramenti festivitatis sanctæ Martyris Agnetis, suppliciter deprecamur, ut quæ sedula servitute, donante te, gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per.

xj. Kalendas Februarii.

NAT. S. VINCENTII MARTYRIS.

F

ADesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, B. Vincentii Martyris tui intercessione liberemur. Per.

Super Oblata.

Hodiernum, Domine, sacrificium lætantes offerimus, quo Beati Vincentii cælestem victoriam recensentes, & tua magnalia prædicamus, & nos acquisisse gaudemus suffragia gloriosa. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Pro cujus nomine gloriosus Levita Vincentius, & miles invictus, rabidi hostis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit: sciens paratus esse, ut resisteret, nesciens elatus esse, [N] ut vinceret, in utroque, Domini ac Magistri sui vestigia sequens, qui humilitatis custodiendæ, & de hostibus triumphandi, suis sequenda exempla monstravit, Per quem. N. 156.

Ad Complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cælestia alimenta percepimus, intercedente Beato Vincentio Martyre tuo, per hæc contra omnia muniamur. Per.

[c] CONVERSIO S. PAULI.

viij. Kalendas Februarii.

DEus qui universum mundum Beati Pauli Apostoli tui prædicatione docuisti, da nobis quæsumus, ut qui ejus hodie Conversionem colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per. N. 157.

Super Oblata.

Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica, ut quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut Ecclesiam tuam beati Pauli Apostoli tui prædicatione edoctam, nulla sinas fallacia violari: & sicut nihil in vera religione manere dinoscitur, [N] quod non ejus condierit disciplina: ita ad peragenda ea, quæ docuit, ejus obtentu fidelibus tribuatur efficacia: sentiatque credentium gentium multitudo, eum pro se apud te intercessorem, quem habere cognovit Magistrum atque Doctorem. Per Christum Dominum. N. 158.

Benedictio.

Deus qui gratia sua Beatum Paulum ex persecutore fecit Apostolum, ipse vobis compunctionis, piæque conversionis spiritum dignetur impertire. Amen. Quique ei secretorum cælestium mysteria dignatus est revelare, ipse vobis Scripturarum suarum abdita dignetur aperire. Amen. Et qui ei per-

a In cod Reg. Suec. *sancta Agna*. In Kalend Rom. *S. Agne de passione*. Legitur etiam, *Agne*, in potioribus mss. Homil. in Evang. ubi 11. est de hac S. Virg. & Mart.

b Hanc orationem aliæ duæ sequuntur in cod. Pam. Tres absunt a cod. Reg. Suec. Apud Pamelium uncinis clauduntur. Fere omnia quæ intra uncinos leguntur ibi, non extant in cod. Reg. Suec.

c Kalend. Rom. & cod Reg Suec. festum illud nesciunt. Ejus meminit cod. Pamel. sed adhibita uncinorum nota. Ante ipsum in cod. Theoder. ponitur festum SS. Emerentianæ & Macarii Martyrum. In Gemet. nulla hic assignantur Sanctorum festivitates.

severantiam fidei, constantiamque in persecutioni- A
bus inflexibilem dare dignatus est, eisdem vestram infirmitatem donis roborare atque munire dignetur. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Sanctifica nos, Domine, quæsumus, salutari mysterio & pro nobis ejus non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

N. 159 *N Eodem die.*

a NAT. a S PROJECTI MARTYRIS. B

MARTYRIS tui Projecti nos, quæsumus, Domine, interventio gloriosa commendet, ut quod nostris actibus non meremur, ejus precibus consequamur. Per Dominum.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, propitius orationem nostram cum oblationibus hostiarum superimpositis, & martyris tui Projecti deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptas, & illam, quæ in eo flagravit fortem dilectionem, in nobis aspira benignus. Per. C

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam misericordiam deprecari, ut mentibus nostris Bea-
N. 160. N. 161. ti Martyris tui Projecti N repetita solemnitate, spiritalis lætitiæ tribuas jugiter suavitatem. N Concedasque nobis, ut venerando passionis ejus triumphum, obtentu illius, & peccatorum remissionem & Sanctorum mereamur adipisci consortium. Per Christum Dominum. D

Ad Complendum.

Votiva, Domine, pro B. Martyris tui Projecti passione dona percepimus: quæsumus, ut ejus precibus, & præsentis vitæ nobis pariter & æternæ tribuas conferre præsidium. Per.

v. Kalendas Februarii.

NATALE SANCTÆ AGNETIS DE b NATIVITATE. N

N. 162. b DEUS qui nos annua Beatæ Agnetis Martyris tuæ solemnitate lætificas, da quæsumus, ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per.

Super oblata.

Super has, quæsumus, Domine, Hostias benedictio copiosa descendat, quæ & sanctificationem nobis clementer operetur; & de Martyrum nos solemnitate lætificet. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Beatæ Agnetis natalitia geminantes. Vere enim hujus honorandus est dies, quæ sic terrena generatione processit, ut ad divinitatis consortium perveniret. Per Christum.

Ad Complendum.

Sumsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva sacramenta, præsta quæsumus, ut & temporalis nobis vitæ remedia præbeant & æternæ. Per.

Super populum.

Adesto nobis omnipotens Deus, Beatæ Agnetis festa repetentibus, quam hodiernæ festivitatis prolatam exortu, ineffabili munere sublevasti. Per.

iv. Nonas Februarii.

N PURIFICATIO c S. MARIÆ VIRGINIS. N. 163. c

N *Ad Collectam.* N. 164.

N d ERUDI, quæsumus, Domine, plebem tuam & quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari; interius assequi gratiæ tuæ luce concede. Per. N. 165. d

Ad Missam.

Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut Unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eumdem Dominum.

Super Oblata.

Exaudi, Domine, preces nostras; &, ut digna sint munera, quæ oculis tuæ Majestatis offerimus, subsidium nobis tuæ pietatis impende. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: E
Quia per incarnati Verbi mysterium, nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis effulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc invisibilium amore rapiamur. Et ideo cum Angelis & Archangelis.

Benedictio.

Omnipotens Deus qui Unigenitum suum hodierna die in adsumpta carne in templo voluit præsentari: benedictionis suæ vos munere fultos bonis operibus faciat exornari. Amen. Et qui eum, ut Legem adimpleret, N ministrum voluit effici Legis, N. 166.
men- F

a Vel, *Projecti*, ut exhibent Theod. mss. Hujus martyris non meminere Kalendar. Rom. aut cod. Pamel. & Reg. Suec. In edit. Vat. & al. illius fit mentio.

b Ita in Kalend. Rom. Hoc festum in cod. Pamel. notatur die 27. Januarii, & die 28. tum in cod. Reg. Suec. tum in Kalend. Rom.

c In duobus Theodr. *Ypapanti*; quod in multis aliis codicibus legitur. Abest a Kalend. Rom. ubi tantum habetur: *die* 11. (Februarii) *secundum Lucam*. Postquam impl. c. *usque gloriam plebis tuæ Israel*.

d In edit. Vat. & Gussanvil. hæc oratio adhuc pertinet ad officium S. Agnetis; quod aliis cod. tam editis quam manu exaratis contrarium est. In cod. Pamel. præfigitur: *oratio ad Collectam ad S. Adrianum*. Et post orationem legitur: *ad missam ad S. Mar. majorem*. Idem extat in duobus Theod. & in cod. Reg. Suec. nisi quod in illis pro, *ad missam*, habes, *missa*. In multis cod. ut observat Pamel. est benedictio cereorum. In Theod. notantur multæ Antiphonæ præsertim, *Adorna thal.*

mentes vestra instruat legis suæ spiritalibus documentis. Amen. Quo ei & pro turturibus castitatis seu caritatis munera offerre valeatis: & pro pullis columbarum Spiritus sancti donis exuberetis. Amen. Quod ipse.

Ad Complendum.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, intercedente Beata semper Virgine Maria, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per.

Alia.

Perfice in nobis, quæsumus, Domine, gratiam tuam, qui justi Simeonis expectationem implesti: ut sicut ille mortem non vidit priusquam Christum Dominum videre mereretur, ita & nos vitam obtineamus æternam. Per.

Nonis Februarii.

a NAT. [a] S. AGATHÆ MARTYRIS.

DEus qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius, ut cujus natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, munera, quæ in Beatæ Agathæ Martyris tuæ solemnitate deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Pro cujus nomine
N. 167. N pœnarum mortisque contemptum in utroque sexu fidelium cunctis ætatibus contulisti, ut inter se-
N. 168. licium Martyrum palmas N Agathen quoque beatissimam Virginem victrici patientia coronares. Quæ nec minis territa, nec suppliciis superata, de diaboli sævitia triumphavit, quia in tuæ Deitatis confessione permansit. Et ideo.

Ad Complendum.

Beatæ Agathæ martyris tuæ, Domine, precibus confidentes, quæsumus clementiam tuam, ut per ea quæ sumsimus, æterna remedia capiamus. Per.

Alia.

Indulgentiam nobis, Domine, beata Agathe
N. 169. martyr imploret, quæ tibi grata N semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum.

b [b] *Dominica Tertia.*

POST THEOPHANIAM.

OMnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice, atque ad pro- A tegendum nos dexteram tuæ Majestatis extende. Per.

Super Oblata.

N Hæc Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, & sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per Dominum nostrum. N. 170.

Præfatio.

B Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Et te omni tempore collaudare & benedicere, quia in te vivimus, & movemur, & sumus. Et nullum tempus, nullumque momentum est, quod a beneficiis pietatis tuæ vacuum transigamus. Variis etenim solemnitatum causis, salutarium nobis operum tuorum & munerum memoria præsentis vitæ tempora exornat. Unde & nos vel innovante lætitia præteriti gaudii, vel permanentis boni tempus agnoscentes, indefessas Majestati tuæ grates exsolvimus. Per C Christum Dominum nostrum.

Benedictio.

Omnipotens Deus vos ab omnium peccatorum maculis emundet, qui leprosum supplicem tactu proprio dignatus est emundare. Amen. Quique centurionis servum non aspernatus est visitare, ipse cordium vestrorum hospitium dignetur misericorditer introire. Amen. Sicque vos fidei suæ plenitudine informet, ut cum sanctis suis in cælorum regno accumbere concedat. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum.

D Quos tantis, Domine, largiris uti mysteriis, quæsumus ut effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per.

Super populum.

Adsit, Domine, quæsumus, propitiatio tua populo supplicanti: ut quod te inspirante fideliter expetit, tua celeri largitate percipiat. Per Dominum nostrum.

Dominica Quarta.

E POST THEOPHANIAM.

DEus qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus. Per.

Super Oblata.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut hujus sacrificii munus oblatum, fragilitatem nostram ab omni malo purget semper & muniat. Per.

F *Præfatio.*

Vere dignum & justum est, æquum & salutare,

[a] In officio S. Agathæ multum discrepat edit. Pamel. a cod. Reg. Suec.

[b] In cod. Reg. Suec. & in edit. Pamel. omittitur hæc Dom. cum ceteris post Epiphaniam, quod mutilationis argumentum videtur. In Kalend. Rom. nulla Dominicarum facta mentione, assignantur decem hebdomadæ post Theophaniam cum singulis Evangeliis; & intra illas hebdomadas multæ sæpe feriæ tamquam solemnes notantur, ut Fer. 4. Fer. 6. Sabbatum, in quibus etiam indicuntur Evangelia.

tare, nos tibi semper & ubique gratias agere, A
Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
Qui genus humanum pro prævaricatione sua in
N. 171 ipsius originis radice damnatum, N per florem vir-
ginalis uteri reddere dignatus es absolutum; ut ho-
minem, quem per Unigenitum creaveras, per Fi-
lium tuum Deum & hominem recreares; & diabo-
N. 172 lus, qui Adam in fragili carne devicerat, N conser-
vata justitia, a Deo carne vinceretur assumta. Per
quem Majestatem tuam.

Benedictio.

Tentationum omnium a vobis Dominus pericula removeat, & perturbationum procellas mi- B miseratus excludat. Amen. Tentatoris fraudes atque molimina dissolvat; & vos adversus eum cautos atque invincibiles faciat, Amen. Continuæ pacis vobis munera tribuat, & vos in portu tranquillitatis ac securitatis propitiatus constituat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Munera tua nos, Deus, a delectationibus terrenis expediant, & cælestibus semper instruant alimentis. Per.

Dominica Quinta

POST THEOPHANIAM.

FAmiliam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Dominum.

Super Oblata.

Hostias tibi, Domine, placationis offerimus, ut & delicta nostra miseratus absolvas, & nutan- D tia corda tu dirigas. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Do-
mine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: &
N. 173 tibi hanc immolationis Hostiam offerre, N quæ
est salutifera & ineffabile Divinæ gratiæ sacramen-
N. 174 tum, quæ offertur a plurimis, N & unum Christi
corpus sancti Spiritus infusione perficitur: singuli
N. 175 accipiunt Christum Dominum: & N in singulis
N. 176 portionibus totus est: nec N per singulos minuitur, E
sed integrum se præbet in singulis: Propterea ipsi
qui sumimus communionem hujus sancti panis &
N. 177 calicis, N unum Christi corpus efficimur. Per ip-
sius itaque Majestatem Te supplices exoramus, ut
nos ab omnibus emundes contagiis vetustatis, & in
novitate vitæ perseverare concedas. Per Christum.

Benedictio.

Deus qui bonum semen in sua Ecclesia serere consuevit, in vobis illud conservare atque multiplicare numquam desistat. Amen. Zizaniorum superseminatorem a vobis procul repellas, & sui ver- F bi pabulo vos indesinenter reficiat. Amen. Quo cum dies judicii advenerit, a reprobis separati, ad dexteram judicis sistamini, & in beatissimo ipsius regno collocemini. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut illius salutaris capiamus effectum, cujus per hæc mysteria pignus accepimus. Per eumdem.

Super Populum.

Ecclesiæ tuæ, Domine, voces placatus admitte, ut destructis adversitatibus universis, secura tibi serviat libertate. Per.

Dominica Sexta

POST THEOPHANIAM.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur & factis. Per.

Super Oblata

Hæc nos oblatio, Deus, mundet, quæsumus, & renovet & gubernet & protegat. Per Dominum.

Præfatio.

C Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Ad cujus immensam pertinet gloriam, ut non solum mortalibus, tua pietate succurreres, sed de ipsa etiam mortalitate nostra nobis remedium provideres, & perditos quosque unde perierant, inde salvares. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio.

Deus qui mare suis pedibus fecit esse calcabile, vobis quidquid est noxium, ipse substernat. Amen. Contrarios immundorum spirituum motus compescat: & vos in sua pace confirmet. Amen. Crucis suæ navi inter mundi fluctus gubernet: & in littus beatæ perennitatis perducat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Cælestibus, Domine, pasti deliciis quæsumus, ut semper eadem, per quæ veraciter vivimus, appetamus. Per.

Super populum.

Conserva populum tuum, Deus, & tuo nomini fac devotum, ut divinis subjectus officiis, & temporalia viriliter & æterna dona percipiat. Per Dominum nostrum.

xvj. Kalendas Martii.

N NAT. S. VALENTINI [a] MARTYRIS. N. 178

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui B. Valentini martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus ejus intercessione liberemur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Oblatis, Domine, quæsumus, placare muneribus,

a Abest, *martyris*, a cod. Reg. Suec. In 2. Theodor. ante Natale S. Valentini notatur 7. Idus Febr. *Translatio S. Helenæ reginæ*; & 4. Idus Febr. *Natal. S. Scholasticæ Virg.* Post festum S. Valentini ibidem additur: *eadem die Nat. SS. Vitalis, Feliculæ, & Zenonis.*

bus, & intercedente beato Valentino Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis & corporis cæleste mysterium: ut cujus exsequimur actionem, sentiamus effectum. Per.

xiij. Kalendas Martii.

N. 179. a ᴺ a CATHEDRA S. PETRI.

DEus qui beato Apostolo tuo Petro, collatis clavibus regni cælestis, animas ligandi
N. 180. atque solvendi ᴺ Pontificium tradidisti, concede ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui vivis & regnas.

Super Oblata.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces & hostias Beati Petri Apostoli commendet oratio: ut quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & te laudare mirabilem Deum in Sanctis tuis, in quibus glorificatus es vehementer. Per quos Unigeniti tui sacrum corpus exornas, & in quibus Ec-
N. 181. clesiæ tuæ fundamenta constituis: quam ᴺ in Patriarchis fundasti, in Prophetis præparasti, in Apostolis condidisti. Ex quibus Beatum Petrum Apostolorum Principem, ob confessionem Unigeniti Filii tui, per os ejusdem Verbi tui confirmatum, in fundamento domus tuæ, mutato nomine, cælestium claustrorum præsulem custodemque feci-
N. 182. sti, Divino ei jure concesso, ut ᴺ quæ statuisset in terris, servarentur in cælis: In cujus veneratione hodierna die Majestati tuæ hæc festa persolvimus, & gratiarum ac laudis Hostiam immolamus. Per quem Majestatem.

Ad Complendum.

Lætificet nos, Domine, munus oblatum, ut sicut in Apostolo tuo Petro te mirabilem prædicamus, sic per illum tuæ sumamus indulgentiæ largitatem. Per.

Super populum.

Benedic, quæsumus, Domine, plebem tuam; & beati Petri Apostoli tui precibus tribue consequi tuæ defensionis auxilium. Per.

vj. Kalendas Martii.

N. 183. b b. NAT. ᴺ S. MATTHIÆ APOSTOLI.

DEus qui Beatum Matthiam Apostolorum tuorum collegio sociasti, tribue, quæsumus, ut ejus interventione, tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus. Per Dominum.

Super Oblata.

Deus qui proditoris apostatæ ruinam, ne Apostolorum tuorum ᴺ numerus sacratus per- N. 184.
fectione careret, B. Matthiæ electione supplesti, præsentia munera sanctifica, & per ea nos gratiæ tuæ virtute confirma. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & te laudare mirabilem Deum in Beatis Apostolis tuis, in quibus glorificatus es vehementer. Per quos Unigeniti tui sacrum corpus colligis, & in quibus Ecclesiæ tuæ fundamenta constituis: Unde poscimus clementiam tuam, piissime omnipotens Deus, ut intercessione B. Apostoli tui Matthiæ, cujus passionis triumphum solemniter celebramus, mereamur a peccatorum nostrorum nexibus solvi, & æternæ vitæ felicitati reddi, atque Sanctorum tuorum cœtibus connumerari. Per quem.

Benedictio.

Deus qui vos in Apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vobis dignetur, beati Apostoli sui Matthiæ intercedentibus meritis. Amen. Defendatque vos a cunctis adversis, Apostolicis præsidiis, qui vos eorum voluit ornari & munerari exemplis & documentis. Amen. Quo per eorum intercessionem perveniatis ad æternæ patriæ hereditatem, per quorum doctrinam tenetis fidei integritatem. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut per hæc sancta, quæ sumsimus, interveniente B. Matthia Apostolo tuo, veniam consequamur & pacem. Per Dominum.

Super populum.

Percipiat, Domine, quæsumus, populus tuus, intercedente Beato Matthia Apostolo tuo, misericordiam, quam deposcit, & quam precatur humiliter, indulgentiam consequatur & pacem: Per Dominum.

iv. Idus Martii.

NAT. S. GREGORII PAPÆ.

COncede, quæsumus, Domine, fidelibus tuis digne S. Gregorii Pontificis tui celebrare solemnia: ut ejus & hic experiantur auxilia, & æternis effectibus adprehendant. Per.

c *Super Oblata.* c

Hostias, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, Sancti Gregorii prosequatur oratio, per quam nos & expiari facias, & defendi. Per.

Præ-

a In cod. Vat. & Gussanv. *Cathedra S. Petri in Roma*, quod minime habent alii codices editi aut mss. Recenter itaque additum suspicamur, *in Roma*, ad distinctionem alterius Festi Cathedræ S. Petri *Antiochiæ*, die 18. Januar. quod utrum antiquis cognitum, consule observationem nostram ad notam 179. Kalend. Rom. Joh. Frontonis utrumque Festum nescit, ut & codex Reg. Suec.

b Omittitur hoc festum in Kalend. Rom. & in cod. Reg. Suec. In co. Teoder. immediate post Nat. S. Matth. sequitur Festum SS. Perpetuæ & Felicitatis.

c In cod. Reg. Suec. legitur hæc oratio: *Annue nobis, Domine ut animæ famuli tui Gregorii prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta*. Sic legi quibusdam in codicibus observat Pamelius.

Præfatio.

Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia sic tribuis Ecclesiam tuam Sancti Gregorii Pontificis tui commemoratione gaudere, ut eam illius & festivitate lætifices, & exemplo piæ conversationis exerceas, & Verbo prædicationis erudias, grataque tibi supplicatione tuearis. Per.

Ad Complendum.

N. 185. ᴺ Præstent nobis, quæsumus, Domine, tua sancta præsidium, quod, in ervenientibus Beati Gregorii meritis, ab omnibus nos absolvat peccatis. Per.

viij. Kalendas Aprilis.

N. 186. a

ᴺ a ANNUNTIATIO ANGELI AD B. MARIAM.

N. 187. DEus qui in ᴺ Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo annuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem.

Ad Missam.

N. 188. N. 189. N. 190. Deus qui hodierna die, Verbum tuum in ᴺ B. Virginis alvo ᴺ incarnari voluisti, fac nos ita præsentem ᴺ solemnitatem peragere, ut tibi placere valeamus. Per eumdem.

Super Oblata.

Altari tuo, Domine, superposita munera Spiritus sanctus assumat, qui hodie Beatæ Mariæ viscera splendoribus suæ virtutis replevit. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Quem pro salute hominum nasciturum, Gabriel Archangelus nuntiavit, Virgo Maria Spiritus sancti cooperatione concepit: ut quod Angelica nuntiavit sublimitas, Virginea crederet puritas, ineffabilis perficeret Deitas. Illius itaque optamus, te opitulante, cernere faciem sine confusione, cujus Incarnationis gaudemus solemnitate. Per quem Majestatem.

Ad Complendum.

In mentibus nostris, Domine, veræ fidei sacramenta confirma; ut qui conceptum de Virgine Deum verum & hominem confitemur, per ejus salutiferæ resurrectionis potentiam ad æternam mereamur pervenire lætitiam. Per.

Super populum.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis; & beatæ Mariæ patrociniis confidentes a cunctis hostibus redde securos. Per.

Alia.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui tecum vivit & regnat Deus.

Alia.

B Omnipotens sempiterne Deus, qui coæternum tibi Filium hodie pro mundi salute secundum carnem Spiritu sancto concipiendum Angelico ministerio Beatæ Mariæ semper Virgini declarasti, adesto propitius populo tuo, ut ad ejus Nativitatem, ᴺ pace concessa, liberioribus animis occurramus. Per eumdem. N. 191.

Alia.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Beatæ Mariæ sacri uteri ᴺ Divinæ gratiæ obumbrationem universum mundum illuminare dignatus es; & præsta, ut quod nostris meritis non valemus obtinere, ejus adipisci præsidiis mereamur. Per Dominum nostrum. N. 192. C

Alia.

Beatæ & gloriosæ semperque Virginis Dei genitricis Mariæ nos, Domine, quæsumus, merita consequantur, & tuam nobis indulgentiam semper implorent. Per.

Alia.

D Porrige nobis, Deus, dexteram tuam, & per intercessionem Beatæ & gloriosæ semperque Virginis Dei genitricis Mariæ, auxilium nobis supernæ Virtutis impende. Per eumdem.

IN ᴺ SEPTUAGESIMA b. N. 193. b

COncede quæsumus, omnipotens Deus, fragilitati nostræ sufficientiam competentem; ut suæ reparationis effectum, & pia conversatione recenseat, & cum exultatione suscipiat.

Super Oblata.

E Concede nobis, misericors Deus, & digne tuis servire semper altaribus, & eorum perpetua participatione salvari. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia per ea, quæ conspiciuntur, instruimur quibus modis ad invisibilia tendere debeamus. Denique commonemur, anni ducente successu de præteritis ad futura, de vetustate in novitatem vi-
F tæ transire, ᴺ ut terrenis sustentationibus expediti, cælestis doni capiamus desiderabilius ubertatem. N. 194.
Et ᴺ per eum cibum, qui beneficiis prærogatur alternis N. 195.

a Observat Joh. Fronto in notis ad Kal. Rom. a Concilio Toletano X. an. 656 Can. 1. cautum esse, ut hoc festum octava die ante Christi Nativitatem celebraretur, quod tempore Quadragesimæ, *nihil de Sanctorum solemnitatibus . . convenit celebrari*. Assignatur tamen hoc festum die 25 mensis Martii in Kal. Rom. in cod. Reg. Suec. apud Pamel. & in omnibus ed. libris Sacramentorum.

b In cod. Reg. Suec. & in cn. Theoder. *In Septuagesima*. In utroque additur, *ad sanctum Laurentium*, & in Theoder. *foris murum*. In cod. Pamel. *Statio ad S. Laurentium*, sine ullo addito. Eadem assignatur in Kalend. Rom. cum Evang. quod etiam nunc legitur. Prima oratio ubique est: *Preces populi tui* ut in officio Septuagesimæ nunc etiam habetur.

ternis perveniamus ad victum sine fine mansurum, A
Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem.

Benedictio.

Omnipotens Deus ita stadium vestri cursus dirigere dignetur, ut bravium vos æternæ vitæ comprehendere faciat. Amen. Et ita vos abstinentiæ armis circumdet, ut nullis vitæ hujus oneribus a N. 196.
N perventione retardemini. Amen. Quique vos vineam suam vocare, vobisque sanctos operarios mittere dignatus est, ipse vos sua gratia dignetur excolere, ut denario vitæ perennis munerare non abnuat. Quod ipse præstare. B

Ad Complendum.

Fideles tui, Deus, per tua dona firmentur: ut eadem & percipiendo requirant, & quærendo sine fine percipiant. Per.

Super populum.

Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Dominum. C

N. 197.
N IN SEXAGESIMA a.

Deus qui conspicis quia ex nulla nostra actione confidimus: concede propitius, ut contra adversa omnia Doctoris Gentium protectione muniamur. Per.

Super Oblata.

Intende, quæsumus, Domine, Hostias familiæ tuæ: & quam sacri muneris facis esse participem,
N. 198. tribue N ad ejus plenitudinem pervenire. Per. D

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui rationalem creaturam, ne temporalibus dedita bonis, ad præmia sempiterna non tendat, ea dispensatione dignaris erudire, ut nec castigatione deficiat, nec prosperitatibus insolescat: sed hoc potius fiat ejus gloriosa devotio, quo nullis adversitatibus obruta superetur. Per Christum Dominum. E

Benedictio.

Det vobis Dominus nosse mysteria regni Dei, qui jam dare dignatus est auditum verbi sui. Amen. Sicque mentes vestras seminis sui copia repleat, ut in vobis illud sibi placite fructificare concedat. Amen. Et ita ab omni tentatione muniat, quatenus
N. 199. N triceni, sexageni, atque centeni fructus pro suæ gratiæ distributione, magnificentia muneret. Amen. Quod ipse.

Ad Complendum.

N Adsit nobis, quæsumus, Domine, cibus sacer, potusque salutaris, qui & temporalem vitam muniat, & præstet æternam. Per Dominum nostrum. N. 200.

Super populum.

Tuere, quæsumus, Domine, plebem tuam, & sacram solemnitatem recolentem gratiæ cælestis largitate prosequere: ut visibilibus adjuta solatiis, ad invisibilia bona promtius incitetur. Per.

DOMINICA b IN QUINQUAGESIMA. b

Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi: atque a peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos adversitate custodi. Per.

Super Oblata.

Hæc Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta: N & sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per. N. 201.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & N Majestatem tuam c cernua devotione exorare, N. 202. & 203.
ut modulum terrenæ fragilitatis aspiciens, non in ira tua pro nostra pravitate nos arguas, sed immensa clementia purifices, erudias, consoleris. Qui cum sine te nihil possimus facere, quod tibi sit placitum, tua nobis gratia sola præstab t, ut salubri conversatione vivamus. Per. Christum. c

Benedictio.

Omnipotens Deus sua vos benedictione confirmet, & imminenti quadragesimali abstinentiæ aptos efficiat. Amen. Quique cæco supplicanti per divinitatis potentiam lumen restituit, cæcitatem vestri cordis elementissimus illuminator abstergat: & lucis suæ radiis mentes vestras benignus illustret. Amen. Quatenus vitiorum sordibus emundati, & caritatis ardore solidati, cælestem hereditatem percipere valeatis illæsi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

d *Ad Complendum.* d

Repleti sumus, Domine, donorum participatione cælestium: præsta quæsumus, ut eadem & sumamus jugiter, & inceslabiliter ambiamus. Per.

Super populum.

De multitudine misericordiæ tuæ, Domine, populum tibi protege confitentem, & corporaliter gubernatum, piæ mentis affectu, tuis muneribus assequendis effice promtiorem. Per Dominum nostrum.

F *Feria.*

a Apud Pamelium, consentientibus mss. nostris, Statio est *ad S. Paulum*. Ita etiam in Kalend. Rom. ubi Evang. præscribitur, *Cum turba plurima* &c. ut in hodiernis Missalibus. Porro quid intelligerent veteres per Stationem docere videtur Tertull. l. de orat. *Similiter*, inquit, *de Stationum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini*. Consule eruditorum notas ad hunc locum.

b Apud Pamel. & in codicibus nostris mss. additur, *ad S. Petrum*. Ita in Kalend. Rom. ubi Evang. est: *Assumsit J. duodecim*; ut hodie quoque legitur. Homil. 2. S. Greg. in idem Evangelium habita fuit Dominica Quinquagesimæ, & in S. Petri Basilica.

c Ita quoque in cod. Gemet. & in duobus Theod. In edit. Vat. & Gussanvil. legitur, *congrua*.

d In cod. Reg. Suec. oratio, *ad compl.* est. *Quæsumus, omnip. Deus, ut qui cælestia alimenta percepimus, per hæc contra adversa omnia muniamur*. Abest hæc oratio a cod. Pamel. quod observamus, ut eos aliquando minime convenire ostendatur.

Feria iv.

N. 203. a N CAPUT [a] JEJUNII.

N. 201. b N *Ad* [b] *Collectam.*

CONcede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis: ut contra spiritales nequitias pugnaturi continentiæ muniamur auxiliis. Per.

c [c] *Ad Missam.*

Præsta, quæsumus, Domine, fidelibus tuis, B ut jejuniorum veneranda solemnia, & congrua pietate suscipiant, & secura devotione percurrant. Per.

Super Oblata.

Fac nos, Domine, quæsumus, his muneribus offerendis convenienter aptari, quibus ipsius ve-
N. 206. nerabilis N sacramenti celebramus exordium. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, C nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia. Per Christum.

Ad Complendum.

N. 207. Percepta nobis, Domine, præbeant sacramenta N subsidium, ut & tibi grata sint nostra jejunia, & nobis proficiant ad medelam. Per.

Super populum.

Inclinantes se, Domine, Majestati tuæ propitiatus intende: ut qui divino munere sunt refecti, D cælestibus semper nutriantur auxiliis. Per Dominum nostrum [d].

d

e [e] *Feria v.*

INTRA QUINQUAGESIMAM.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per. E

Super Oblata.

Sacrificiis præsentibus, Domine, quæsumus, intende placatus: ut & devotioni nostræ proficiant & saluti. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, A Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quoniam illa festa remeant, quibus nostræ mortalitati procuratur immortale commercium, ac temporali vitæ subrogatur æternitas: Et N de N. 201
peccati pœna, peccata mundantur, mirisque modis conficitur de perditione salvatio, ut status conditionis humanæ qui per felicitatis insolentiam venit ad tristitiam, humilis & modestus ad æterna gaudia redeat per mœrorem. Per Christum.

Ad Complendum.

Cælestis doni benedictione percepta, supplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem nobis & N sacramenti causa sit & salu- N. 203.
tis. Per.

Super populum.

Parce, Domine, parce populo tuo: ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per.

Feria vj.

INTRA QUINQUAGESIMAM.

INchoata jejunia, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere: ut observantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per Dominum.

Super Oblata.

Sacrificium, Domine, N observantiæ Pascha- N. 210.
lis quod offerimus, præsta quæsumus, ut tibi & mentes nostras reddat acceptas, & continentiæ promtioris nobis tribuat facultatem. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Majestatem tuam suppliciter deprecari, ut intelligentiæ nobis spiritum benignus infundas, quo vel ipsi rationabiliter agenda cernamus, vel eis, qui N inutilia sentiunt, indi- N. 211.
cemus esse N censendum: nec studia nostra secte- N. 212.
mur, sed offerentibus meliora subdamur. Quoniam hæc apud te Sapientia est, quæ non suis inhæret vitiis, sed undecumque prolatam diligit veritatem. Per Christum Dominum.

Ad Complendum.

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde: ut quos uno cælesti pane satiasti, tua facias pietate concordes.

Super populum.

Guberna, Domine, quæsumus, plebem tuam, & tuis beneficiis semper accumula: ut & præsentis vitæ subsidiis gaudeat, & æternæ. Per.

Sab-

a Decst, *caput jejunii*, in cod. Reg. Suec. licet apud Pamel. legatur.

b In cod. Pamel consentiente C. Reg. Suec. legitur: *collecta ad S. Anast. Concede nobis* &c. Et postea, *ad Missam statio ad S. Sabinam*. In Kalendar. Rom. tantum extat, *Fer. iv. ad S. Sabinam*. Evang. est: *Dum f . . . Cum jejunatis*. In Gemet. & 10. Theod. præmittitur benedictio cinerum.

c Id minime legitur in cod. Reg. Suec. in quo etiam multa desunt quæ extant in cod. Pamel. in hac Fer. iv.

d In ed. Pamel. post omnes alias orat. una annotatur; *ad vesperos*, singulis Quadrag. diebus, quæ non solum in codd. aliis editis desideratur, sed etiam in mss. Reg. Suec. qui raro a Pamel. discrepat. Theoder. mss. exhibent has orat. *ad vesperos*. F

e Officia Feriæ v. per totam Quadragesimam inter ea sunt quæ Grimoldus Abbas dicit olim fuisse virgulis antepositis jugulata: instituta enim postea a Gregorio juniore testatur Micrologus c. 49. hæc Pamelius. Idem fere sentit Joh. Fronto in Kalend. Rom. ubi hæc feria cum sequenti notatur, additis stationibus & indiciis Evangelii, quæ adhuc leguntur iisdiebus. De Sabbato siletur. Apud Pamelium statio Fer. v. est ad S. Georgium, & Fer. vi. ad SS. Johannem & Paulum, quæ in Kalend. Rom. designatur titulo Pammachii. Codex Pamel. Pro Statione Sabbati habet, *ad S. Tryphonem*: codex Reg. Suec. nihil habet pro Sabbato.

Sabbato.

INTRA QUINQUAGESIMAM.

EXaudi nos, miserator & misericors Deus: & continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Præpara nos, quæsumus, Domine, hujus abstinentiæ festivis officiis: ut hæc sacrificia veneranda sobriis semper mentibus celebremus. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Majestatem tuam suppliciter deprecari, ut mentem nostram tibi placitam benignus efficias, quæ non tantum speciem bonitatis ostendat, sed justitiæ fructibus illuminata clarescat: tuæque semper dedita Majestati, beneficia desiderata percipiat. Qui necessariis prosequi muneribus non omittis, quos tuo cultui præstiteris convenienter intentos. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Tribue nobis, omnipotens Deus, ut dona cælestia, quæ debito frequentamus obsequio, salutaria nobis jugiter sentiamus. Per.

Super populum.

Tuere, Domine, populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia nulla ei nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Per.

a IN QUADRAGESIMA.[a]

Ad Missam.

DEus qui Ecclesiam tuam annua Quadragesimali observatione purificas, præsta familiæ tuæ, ut quod a te obtinere abstinendo
b nititur, [b] hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum.

Super Oblata.

Sacrificium Quadragesimalis initii solemniter immolamus, te, Domine, deprecantes, ut cum epularum restrictione carnalium, a noxiis quoque voluptatibus temperemus. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui continuatis quadraginta diebus & noctibus hoc jejunium non esuriens dedicavit: postea enim esuriit non tam cibum hominum quam salutem: nec escarum secularium epulas concupivit, sed animarum desideravit potius sanctitatem. Cibus
N. 213. namque ejus est redemtio populorum. N Cibus

A ejus est totius bonæ voluntatis effectus: Qui nos docuit operari, non cibum, qui terrenis dapibus apparatur, sed eum, qui divinarum Scripturarum lectione percipitur. Per quem.

Benedictio.

Benedicat vobis omnipotens Deus, qui quadragenarium numerum in Moysi & Eliæ, nec non & Mediatoris nostri jejunio consecravit: concedatque vobis ita transigere præsentis vitæ dispensationem, ut accepto a Patre familias remunerationis denario, perveniatis ad peccatorum omnium remissionem, & ad gloriosam
B cum Sanctis omnibus resurrectionem. Amen. Deque vobis spiritalium virtutum * invictricia arma, quibus exemplo Domini devincere valeatis antiqui hostis sagacissima tentamenta. Amen. Quo non in solo pane, sed in omni verbo quod de ore ejus procedit, spiritalem sumentes alimoniam, per jejuniorum observationem & ceterorum bonorum operum exhibitionem percipere mereamini immarcessibilem gloriæ coronam. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

* Forte victricia.

Ad Complendum.

C Tui nos, Domine, sacramenti libatio sancta restauret: & a vetustate purgatos in mysterii salutaris faciat transire consortium. Per.

Super populum.

In populum tuum, quæsumus, Domine, benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemtio sempiterna firmetur. Per.

Alia.

D Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, æternæ promissionis gaudia quærere, & quæsita citius invenire. Per.

Alia.

Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris: & in tua misericordia confidentes, ab omni nos adversitate custodi. Per Dominum nostrum.

Alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut per annua Quadragesimalis exercitia N sacramen- N. 214.
E ti, & ad intelligendum Christi proficiamus arcanum, & effectus ejus digna conversatione sectemur. Per.

» N Per totam Quadragesimam cotidianis die- » N. 215.
» bus, finita Missa, Episcopus & clerici disce-
» dunt, & exuuntur sacris vestibus, & tunc
» redeunt ad Vesperos. Et nullus Clericus in
» Ecclesia N stat operto capite, nisi habeat in- » N. 216.
» firmitatem, ullo tempore.

Feria ij.

F INTRA QUADRAGESIMAM.[c] c

COnverte nos, Deus salutaris noster: &, ut nobis jejunium Quadragesimale proficiat, men-

a Al. *in quadragesima*. Apud Pamel. additur, *ad S. Johannem in Laterane*. In Kalend. Rom. tantum, *ad Lateranis*, assignato Evang. *Ductus est Jesus &c.* Hom. 16. S. Gregorii in Evang. legitur *habita in basilica S. Johannis quæ dicitur Constantiniana, Dominica 1. in Quadragesima*.

b Ita cod. Reg. Suec. consentientibus aliis tum editis, tum mss. excepto Pamel. ubi habes, *hoc bonis moribus*. Hic cod. Reg. Suec. in multis discrepat a Pamel.

c Pamel. consentiente Kalend. Rom. addit: *ad S. Petrum ad vincula*. In Kalendario non aliud assignatur Evang. quam quod nunc legitur.

tes nostras cælestibus instrue disciplinis. Per.

Super Oblata.

Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, quæ & jejunium nostrum, ta operante, sanctificet, & indulgentiam nobis tuæ consolationis obtineat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui das escam omni carni, & nos non solum carnalibus, sed etiam spiritalibus escis reficis, ut non in solo pane vivamus, sed in omni verbo tuo vitalem habeamus alimoniam: nec tantum epulando, sed etiam jejunando pascamur. Nam ut dapibus & poculis corpora, sic jejuniis & virtutibus animæ saginantur. Magnam in hoc munere salubritatem mentis ac corporis contulisti: quia jejunium nobis venerabile dedicasti: ut ad paradisum, de quo non abstinendo decidimus, jejunando solemnius redeamus. Per Christum Dominum nostrum.

B

Ad Complendum.

Salutaris tui, Domine, munere satiati, supplices exoramus, ut cujus lætamur gustu, renovemur effectu. Per eumdem.

C

Super Populum.

Esto, Domine, propitius plebi tuæ, & temporali consolatione non deseras, quam vis ad æterna contendere. Per Dominum.

a FERIA III.

RESpice, Domine, familiam tuam, & præsta, ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Per.

D

Super Oblata.

Oblatis, Domine, placare muneribus: & a cunctis nos defende periculis.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. In quo jejunantium fides alitur, spes provehitur, caritas roboratur. Ipse enim est panis vivus & verus, qui substantia æternitatis, & esca virtutis est. Verbum enim tuum, per quod facta sunt omnia, non solum humanarum mentium, sed ipsorum panis est Angelorum. Hunc panem ministrare nobis non desinis: & ut eum indesinenter esuriamus, hortaris. Cujus carne dum pascimur, roboramur: & sanguine dum potamur, abluimur. Per quem.

E

Ad Complendum.

F

Sumsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva sacramenta: præsta quæsumus, ut & temporalis vitæ nobis N remedia proveniant, & æternæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum. N. 117.

Super populum.

Ascendant ad te, Domine, preces nostræ, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per.

b *Feria iv.* b

MENSIS PRIMI.

PReces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi: & contra cuncta nobis adversantia dexteram tuæ Majestatis extende. Per Dominum nostrum.

Alia.

Devotionem populi tui, Domine, quæsumus, benignus intende: ut qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per Dominum.

Super oblata.

Suscipe, Creator omnipotens Deus, quæ jejunantes de tuæ munificentiæ largitate deferimus: & pro temporali nobis collata præsidio, ad vitam converte propitiatus æternam. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui in alimentum corporis humani frugum copiam produci jussisti, & in alimentum animarum jejunii nobis medicinam indidisti. Te itaque supplices invocamus, ut tibi sit acceptabile jejunium nostrum, & nos a cibis jejunantes, peccatis absolvas. Per Christum.

Ad Complendum.

Tui, Domine, perceptione sacramenti, & a nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidiis. Per Dominum.

Super populum.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, lumine tuæ claritatis illustra: ut videre possimus quæ agenda sunt, & quæ recta sunt agere valeamus. Per Dominum nostrum.

Feria c *v.* c

INTRA QUADRAGESIMAM.

SUscipe, quæsumus, Domine, preces nostras, & ad aures misericordiæ tuæ postulationes sacratæ tibi plebis admitte. Per Dominum.

Super Oblata.

Sacrificia, Domine, quæsumus, ista nos salvent, quæ medicinalibus sunt instituta jejuniis. Per.

Præ-

a Statio hujus diei ex Pamel. & Kalend. Rom. est *ad S. Anastasiam*. Idem Evangel. præscribitur quod in hodierno officio extat. Idem intelligendum de cet. feriis, nisi aliter notetur.

b Apud Pamel. *Fer. IV. Hebdomada I. Quadrag. ad S. Mar. majorem*. In Kalend. Rom. *mense primo ad sanctam Mariam*. Codex Reg. Suec. paromper dissentit a Pamel.

c Kalend. Rom. *ad S. Laurentium*. *ad Formosum*, quod. Pamel. exhibet pro diversa lect. Apud eum legitur: *ad S. Laur. foris murum*. Favet primus Theod. at secundus habet, *ad Laurent. in Formosa*.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia competenter atque salubriter religiosa sunt nobis instituta jejunia, ut corporeæ jucunditatis immoderatas coerceamus illecebras, & terrenæ delectationis insolentia refrenata, purior atque tranquillior appetitus ad cælestia contemplanda mysteria fidelium reddatur animarum. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Tuorum nos, Domine, largitate donorum, & temporalibus attolle præsidiis, & renova sempiternis. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Da, quæsumus, Domine, populis Christianis, & quæ profitentur agnoscere, & cæleste munus diligere quod frequentant. Per Dominum.

a [a] *Feria vj.*

INTRA QUADRAGESIMAM.

ESto, Domine, propitius plebi tuæ: & quam tibi facis esse devotam, benigno refove miseratus auxilio: Per Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Suscipe, quæsumus, Domine, nostris oblata servitiis: & tua propitius dona sanctifica. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Qui jejunii observatione, & eleemosynarum gratissima largitione nos docuisti nostrorum consequi remedia peccatorum. Unde tuam imploramus clementiam, ut his observationibus, & ceteris bonorum operum exhibitionibus muniti, ea operemur, quibus ad æterna gaudia consequenda & spes nobis suppetat & facultas. Per Christum.

Ad Complendum.

Per hujus, Domine, operationem mysterii, & vitia nostra purgentur, & justa desideria impleantur. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Conserva, quæsumus, Domine, populum tuum, & ab omnibus, quas meretur, adversitatibus redde securum: ut tranquillitate percepta, devota tibi mente deserviat. Per.

N 115 b [N] *Sabbato in* [b] XXII. *Lectionibus*,

MENSIS PRIMI.

POpulum tuum, Domine, quæsumus, propitius respice; atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus qui delinquentes perire non pateris, sed expectas, ut convertantur & vivant; debitam, quæsumus, peccatis nostris suspende vindictam: & præsta propitius, ne dissimulatio cumulet ultionem, sed potius per jejunium emendatio proficiat ad veniam. Per.

Alia.

Protector noster aspice, Deus, ut qui ma-
B lorum nostrorum pondere premimur, percepta misericordia, libera tibi mente famulemur. Per.

Alia.

Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris: ut esse, te largiente, mereamur & inter prospera humiles & inter adversa securi. Per.

Alia.

Actiones nostras, quæsumus Domine, & aspi-
C rando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra operatio & a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per.

Ad Missam.

Deus qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Christum Dominum.

Super Oblata.

Præsentibus sacrificiis, Domine, jejunia no-
D stra sanctifica: ut quod observantia nostra profitetur extrinsecus, interius operetur. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, illuminator & Redemtor animarum nostrarum, qui nos per primum Adam, abstinentiæ lege violata, paradiso ejectos, fortiores jejunii remedio ad antiquæ Patriæ beatitudinem per gra-
E tiam revocasti. Nosque pia institutione docuisti, quibus observationibus a peccatis omnibus liberemur. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia nostra curentur, & [N] remedia nobis æterna proveniant. Per Christum Dominum nostrum. N. 115.

Super populum.

F Ab omnibus nos, quæsumus, Domine, peccatis propitius absolve: ut percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus serviamus. Per.

 Do-

a Magno consensu hic Pamel. Kalend. Rom. cod. Reg. Suec. & duo Theod. notant pro Statione: *ad Apostolos*.
b Ita cod. omnes editi & manu exarati. Apud Pamelium & in Kalend. Rom. additur, *ad S. Petrum*. Cum in mss. habeatur, *XII. Lect.* suspicatur Johannes Fronto legendum, *in duodecima lectione*, nimirum ex Evangelio, quæ post undecim alias ex variis sacræ Scripturæ libris, fiebat. Ex Pamelio Sabbatum hoc, *duodecim lectionum* nuncupatur, *quod aut 12 soleant legi lectiones diversæ, aut sex eædem lectiones semel Græce & semel Latine*. Consule Pamel. ad hunc locum.

[a] *Dominica II.*

IN QUADRAGESIMA.

DEus qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi ut & ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente, Per Dominum.

Super Oblata.

Ecclesiæ tuæ, Domine, munera placatus assume, quæ & misericors offerenda tribuisti, & in nostræ salutis potenter efficis transire mysterium. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut mentibus nostris medicinalis observantiæ munus infundas. Et qui negligentibus etiam subsidium ferre non desinis, beneficia præbeas potiora devotis. Per Christum Dominum.

Benedictio.

Omnipotens Deus, jejunii ceterarumque virtutum dedicator atque amator, sua vos benedictione sanctificet. Amen. Accendat in vobis piæ devotionis affectum, & præbeat supplicantibus suum benignus auditum. Amen. Quatenus mentes vestræ sinceris purgatæ jejuniis, bonorum omnium exuberent incrementis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Refecti, Domine, pane cælesti, ad vitam quæsumus, nutriamur æternam. Per.

Super populum.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, propitiatus illustra: ut beneplacitis inhærendo, cuncta quæ bona sunt mereatur accipere. Per.

[b] *Feria ij.*

IN HEBDOMADA SECUNDA.

N. 220. PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua, [N] quæ se affligendo carne, ab alimentis abstinet, sectando justitiam a culpa jejunet. Per.

Super Oblata.

Hæc Hostia, Domine, placationis & laudis, tua nos propitiatione dignos efficiat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et pietatem tuam supplici devotione deposcere, ut jejunii nostri oblatione placatus, & peccatorum nobis concedas veniam, & nos a noxiis liberes insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Hæc nos Communio, Domine, purget a crimine, & cælestis remedii faciat esse consortes. Per.

Super populum.

Tuis, quæsumus, Domine, adesto supplicibus: & inter mundanæ pravitatis insidias fragilitatem nostram sempiterna pietate prosequere. Per.

[c] *Feria iij.*

IN HEBDOMADA SECUNDA.

PErfice, quæsumus, Domine, benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Dominum.

Super Oblata.

Sanctificationem tuam nobis, Domine, his mysteriis placatus operare: quæ nos & a terrenis purget vitiis, & ad cælestia dona perducat. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui ob animarum medelam jejunii devotione castigari corpora præcepisti: concede, quæsumus, ut corda nostra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, ut ad tua mereamur, te opitulante, pervenire promissa. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Ut sacris, Domine, reddamur digni muneribus: fac nos tuis, quæsumus, obedire mandatis. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Præsta populo tuo, Domine, quæsumus, consolationis auxilium, & diuturnis calamitatibus laborantem propitius respirare concede. Per Christum Dominum nostrum.

Feria [d] *iv.*

IN HEBDOMADA SECUNDA.

POpulum tuum, Domine, propitius respice, & quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a no-

a Apud Pamelium legitur hic, *Dominica vacat.* Sed legendum ex nostris mss. & præsertim ex cod. Reg. Suec. *die Dominica vacat.* Sic quoque legitur in Kalend. Rom. Cur autem dicatur, vacare, ex Johanne Frontone repete. Certe in cod. Reg. Suec. in Gemet. in Theod. &c. officium hujus Dominicæ assignatur, sicut in aliis Dominicis, excepta statione. Fortasse ergo propter sacros ordines vespere Sabbati magno labore collatos, non fiebat processio & statio, nec homilia habebatur.

b Apud Pamelium consentientibus mss. Reg. Suecicæ, Gemet. duobus Theod. necnon Kalend. Rom. statio est, *ad S. Clementem.*

c In Kalend. Rom. cui suffragantur duo Theod. statio est, *ad S. Balbinam*, cujus tituli mentio est in Synodo habita sub S. Greg. ut observat Johan. Fronto. Apud Pamel. legitur, *ad S. Albinam*, & in cod. Reg. Suec. *Salbinam*.

d Statio hujus diei in Kalend. Rom. in cod. Pamel & in mss. nostris est, *ad S. Castillam*; cujus tituli meminit Synodus Rom. sub nostro Gregorio.

a noxiis quoque vitiis cessare concede. Per Dominum nostrum. A

Super Oblata.

Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius respice: & per hæc sancta commercia, vincula peccatorum nostrum absolve. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem humani generis reconciliationem mirabili dispensatione operatus es, præsta, quæsumus, ut sancto purificati jejunio, & tibi toto corde simus subjecti, & inter mundanæ pravitatis insidias, te miserante perseveremus illæsi. Per quem Majestatem.

Ad Complendum.

N. 322 Sumtis, Domine, sacramentis, ad [N] redemtionis æternæ, quæsumus, proficiamos augmentum. Per Dominum.

Super populum.

Deus innocentiæ restitutor & amator, dirige ad te tuorum corda servorum: ut spiritus tui fervore concepto, & in fide inveniamur stabiles, & in opere efficaces. Per Dominum.

a [a] *Feria v.*

IN HEBDOMADA SECUNDA.

PRæsta nobis, Domine, quæsumus, auxilium gratiæ tuæ, ut jejuniis & orationibus convenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis & corporis. Per Dominum. D

Super Oblata.

Accepta tibi sint, Domine, quæsumus, nostri dona jejunii, quæ & expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad sempiterna promissa perducant. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam cum celebratione jejunii pietatem devotis mentibus obsecrare, ut qui peccatis ingruentibus, malorum pondere premimur, & a peccatis omnibus liberemur, & libera tibi mente famulemur. Per Christum Dominum nostrum. E

Ad Complendum.

Gratia tua nos, quæsumus, Domine, non derelinquat, quæ & sacræ nos deditos faciat servituti, & tuam nobis opem semper acquirat. Per Dominum nostrum. F

Super populum.

Adesto, Domine, famulis tuis, & perpetuam benignitatem largire poscentibus, ut his qui te auctore & gubernatore gloriantur, & congregata restaures, & restaurata conserves. Per Dominum.

[b] *Feria vj.* b

IN HEBDOMADA SECUNDA.

B DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut sacro nos purificante jejunio, sinceris mentibus ad sancta ventura facias pervenire. Per Dominum nostrum.

Super Oblata

Hæc in nobis sacrificia, Deus, & sanctificatione permaneant, & operatione firmentur. Per.

Præfatio.

C Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui delinquentes perire non pateris, sed ut ad te convertantur & vivant hortaris. Poscimus itaque pietatem tuam, ut a peccatis nostris tuæ severitatis suspendas vindictam, & nobis optatam misericorditer tribuas veniam: nec iniquitatum nostrarum molestia provocet ad ultionem, sed jejunii observatio & morum emendatio te flectat ad peccatorum nostrorum remissionem. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Fac nos, quæsumus, Domine, accepto pignora salutis æternæ sic tendere congruenter, ut ad eam pervenire possimus. Per Dominum.

Super populum.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis & corporis: ut bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereatur protectione defendi. Per.

[c] SABBATO IN HEBDOM. SECUNDA. c

DA, quæsumus, Domine, nostris effectum jejuniis salutarem: ut castigatio carnis assumta ad nostrarum vegetationem transeat animarum.

Super Oblata.

His sacrificiis, Domine, concede placatus, ut qui propriis oramus absolvi delictis, non gravemur [N] externis. Per Dominum nostrum. N. 322.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine san-

a In hac Fer. statio, juxta ed. Pamel. consentientibus cod. Reg. Suec. & duobus Theod. est *ad S. Mariam trans Tiberim*. in Kal. Rom. additur, *Titulum Callixti*. Observandum est, in his quadragesimæ officiis, editiones Vatic. & Gussanvil. parum, imo vix a nostra discrepare.

b MS. quibus consentanea sunt Pamelii edita, *ad S. Vitalem*. At in Kal. Rom. legitur: *Ad Apostolos inter Vestina*; n si forte pro *inter*, legendum sit, *in tit.* idest, *in titulo Vestinæ*; ut conjicit Joh. Fronto.

c Hic magno consensu legitur statio, *ad SS. Marcellinum & Petrum*.

A sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam jugiter exorare clementiam, ut mentes nostras, quas conspicis terrenis affectibus prægravari, medicinalibus tribus jejuniis exonerari, & per afflictionem corporum proveniat nobis robur animarum. Per Christum.

Ad Complendum.

Sacramenti tui, Domine, divina libatio penetralia nostri cordis infundat, & sui participes potenter efficiat. Per Christum Dominum nostrum.

Super populum.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi: ut quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, cælesti etiam protectione muniatur. Per eumdem.

a [a] *Dominica III.*

IN QUADRAGESIMA.

QUæsumus, omnipotens Deus, vota humilium respice: atque ad defensionem nostram dexteram tuæ Majestatis extende. Per Dominum.

Super Oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, devotorum munera famulorum, & tua divinis purifica servientes pietate mysteriis, quibus etiam justificas N ignorantes. Per. N. 213

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te suppliciter exorare, ut cum abstinentia corporali mens quoque nostra sensus declinet illicitos. N. 214 Et N quæ terrena delectatione carnalibus epulis abnegamus, humanæ voluntatis pravis intentionibus amputemus. Quatenus ad sancta Sanctorum fideliter salubriterque capienda, competenti jejunio valeamus aptari. Tanto nobis certi propensius jugiter adfutura, quanto fuerimus eorum institutionibus gratiores. Per.

Benedictio.

b [b] Omnipotens Deus jejuniorum vestrorum victimas clementer accipiat, & sua vos benedictione dignos efficiat. Amen. Mentes vestras ita parsimoniæ dono contra vitia muniat, præceptorum suorum doctrinis erudiat, caritatis dono repleat; ut vos in omnibus sibi placere concedat. Amen. Quatenus præsentis Quadragesimæ diebus devotissime celebratis, ad Paschalia festa purificatis cordibus accedere valeatis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum.

Cunctis nos, Domine, reatibus & periculis propitiatus absolve, quos tanti mysterii tribuis esse participes. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Subjectum tibi populum, quæsumus, Domine, propitiatio cælestis amplificet, & tuis semper faciat servire mandatis.

[c] *Feria ij.*

IN HEBDOMADA TERTIA. c

B CORdibus nostris, quæsumus, Domine, benignus infunde: ut sicut ab escis corporalibus abstinemus, ita sensus quoque nostros a noxiis retrahamus excessibus. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Munus quod tibi Domine nostræ servitutis offerimus, tu salutare nobis perfice sacramentum. Per.

Præfatio.

C Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et clementiam tuam cum omni supplicatione precari, ut per hanc jejuniorum observationem crescat nostræ devotionis affectus, & nostras actiones religiosus exornet effectus: quatenus, te auxiliante, & ab humanis semper retrahamur excessibus, & monitis inhærere valeamus, te largiente, cælestibus. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum.

Super populum.

D Conserva, Domine, familiam tuam bonis semper operibus eruditam, & sic præsentibus consolare subsidiis, ut ad superna perducas dona propitius. Per Dominum nostrum.

[d] *Feria iij.* d

IN HEBDOMADA TERTIA.

EXaudi nos, omnipotens & misericors Deus: & continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per.

Super Oblata.

E Per hæc veniat, quæsumus, Domine, sacramenta N nostræ redemtionis effectus, qui nos & ab humanis retrahat semper excessibus, & ad salutaria cuncta perducat. Per Dominum nostrum. N. 215

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui peccantium non vis animas perire, sed culpas; & peccantes non semper continuo judicas, sed ad F pœnitentiam provocatos expectas: Averte, quæsumus,

a Non minus consentiunt codices editi & mss. in assignanda hodierna statione, *ad S. Laurentium foris murum*. In Kalend. Rom. tamen simpliciter legitur, *ad S. Laurentium Martyrem*.

b Benedictio hæc abest ab ed. Vatic. & Gussanvil. necnon a mss. nostris & a cod. Pamel.

c Statio in cod. Pamel. & mss. indicitur, *ad S. Marcum*, ut in Kalend. Rom. Observat Joh. Fronto S. Marcum de quo hic, esse Rom. Pontificem qui die 7. Octobris colitur, cujus nomine extat in urbe antiquus titulus. Admonet Pamelius hac feria fieri solitam denuntiationem primi scrutinii electorum sive Catechumenorum, quod Feria 4. seq. celebrabatur.

d Additur in Kalend. Rom. in cod. Pamel. Reg. Suec. & aliis mss. *ad S. Potentianam*. Eadem est ac *S. Pudentiana*.

fumus, a nobis quam meremur iram, & quam op- A tamus fuper nos effunde clementiam: ut facro purificati jejunio, electorum tuorum adfcifci mereamur collegio. Per Chriftum Dominum noftrum.

Ad complendum.

Sacris, Domine, myfteriis expiati, & veniam fequamur & gratiam. Per.

Super populum.

Concede, mifericors Deus, ut devotus tibi populus femper exiftat, & de tua clementia, quod ei profit, indefinenter obtineat.

a [a] *Feria iv.*

IN HEBDOMADA TERTIA.

PRæfta nobis, quæfumus, Domine, ut falutaribus jejuniis eruditi, a noxiis quoque vitiis abftinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per.

Super Oblata.

Sufcipe, quæfumus, Domine, preces populi tui cum oblationibus Hoftiarum: & tua myfteria celebrantes ab omnibus nos defende periculis. Per. C

Præfatio.

Vere dignum & juftum eft, æquum & falutare, nos tibi femper & ubique gratias agere, Domine fancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Tuamque mifericordiam fuppliciter exorare, ut jejuniorum noftrorum facrofancta myfteria tuæ fint pietati femper accepta: Concedafque ut quorum corpora abftinentiæ obfervatione macerantur, mentes quoque virtutibus, & cæleftibus inftitutis exornentur. Per Chriftum Dominum noftrum.

Ad complendum. D

N. 226. Sanctificet nos, Domine, qua pafti fumus, menfa cæleftis: & a cunctis erroribus expiatos, N fupernis promiffionibus reddat acceptos. Per Dominum.

Super populum.

Defende, Domine, familiam tuam, & toto tibi corde proftratam ab hoftium tuere formidine: nec bona tua difficulter inveniat, pro quibus & Sancti tui, & Angelicæ tibi fupplicant poteftates. Per Dominum noftrum.

b [b] *Feria v.*

IN HEBDOMADA TERTIA.

COncede, quæfumus, omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus, fecura tibi mente ferviamus. Per.

Super Oblata.

Deus de cujus gratiæ rore defcendit, ut ad myfteria tua, purgatis fenfibus, accedamus: præfta, F quæfumus, ut in eorum traditione folemniter honoranda, competens deferamus obfequium. Per.

Præfatio.

Vere dignum & juftum eft, æquum & falutare, nos tibi femper & ubique gratias agere, Domine fancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam immenfam clementiam fupplici voto depofcere, ut nos famulos tuos, & jejunii maceratione caftigatos, & ceteris bonorum operum exhibitionibus eruditos, in mandatis tuis facias perfeverare finceros, & ad Pafchalia fefta pervenire illæfos; ficque præfentibus fubfidiis confolemur, quatenus ad æterna gaudia pertingere mereamur. Per Chriftum Dominum. B

Ad complendum.

Sacramenti tui, Domine, veneranda perceptio, & myftico nos mundet effectu, & perpetua virtute defendat. Per Dominum.

Super populum.

Conferva, quæfumus, Domine, populum tuum & gratiæ tuæ in eo dona multiplica: ut ab omnibus liber offenfis, & temporalibus non deftituatur auxiliis, & fempiternis gaudeat inftitutis. Per Dominum noftrum.

[c] *Feria vj.* c

IN HEBDOMADA TERTIA.

JEjunia noftra, quæfumus, Domine, benigno favore profequere: ut ficut ab alimentis in corpore, ita a vitiis jejunemus in mente. Per.

Super Oblata.

Refpice, Domine, propitius ad munera quæ facramus, ut & tibi fint grata, & nobis falutaria femper exiftant. Per.

Præfatio.

Vere dignum & juftum eft, æquum & falutare, nos tibi femper & ubique gratias agere, Domine fancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui ad infinuandum humilitatis fuæ myfterium, fatigatus refedit ad puteum: qui a muliere Samaritana aquæ fibi petiit porrigi potum, qui in ea creaverat fidei donum. Et ita ejus fitire dignatus eft fidem, ut dum ab ea aquam peteret, in ea ignem divini amoris accenderet. Imploramus itaque tuam immenfam clementiam, ut contemnentes tenebrofam E profunditatem vitiorum, & relinquentes noxiarum N hydriam cupiditatum, & te, qui fons vitæ & origo bonitatis es, femper fitiamus, & jejuniorum noftrorum obfervatione tibi placeamus. Per quem Majeftatem. N. 227.

Ad Complendum.

Hujus nos, Domine, perceptio facramenti mundet a crimine, & ad cæleftia regna perducat. Per.

Super populum.

Gaudeat, Domine, quæfumus, populus, tua femper benedictione confifus, ut & temporalibus beneficiis adjuvetur, & erudiatur æternis. Per Dominum.

[a] SAB-

a Statio indicitur, ad S. Xiftum; five, ut legitur in cod. Reg. Suec. ad Siftum, cujus tituli mentio in Synodo Rom. fub Greg. 2. an. 721.

b Jam fæpe laudati codices five manu exarati, five editi, habent hic ad SS. Cofmam & Damianum.

c Statio eft ad S. Laurentium in tit. Lucinæ, five ut habet Pamel. confentiente cod. Reg. Suec. in Lucina.

a ᵃ SABBATO IN HEBDOM. TERTIA.

PRæsta quæsumus, omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parcimoniæ studio reformetur. Per Dominum.

Super Oblata.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut hujus sacrificii munus fragilitatem nostram ab omni malo purget semper & muniat. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui jejunii Quadragesimalis observationem in Moyse & Elia dedicasti, & in unigenito filio tuo, Legis & Prophetarum nostroque omnium Domino exornasti. Tuam igitur immensam bonitatem supplices exposcimus, ut quod ille jugi jejuniorum complevit continuatione, nos adimplere valeamus illius adjuti largissima miseratione: & adimplentes ea quæ præcepit, dona percipere mereamur quæ promisit. Per quem.

Ad Complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut inter ejus membra numeremur, cujus corpori communicamus & sanguini. Per Dominum.

Super populum.

Prætende, Domine, fidelibus tuis dexteram cælestis auxilii: ut te toto corde perquirant, & quæ digne postulant, consequi mereantur. Per Dominum nostrum.

b ᵇ *Dominica IV.*

IN QUADRAGESIMA.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, sacrificium cujus te voluisti dignanter immolatione placari; & præsta, quæsumus, ut hujus operatione mundati, beneplacitum tibi nostræ mentis offeramus affectum. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te Creatorem omnium de præteritis fructibus glorificare, & de venturis suppliciter exorare: ut, cum de perceptis non invenimur ingrati, de percipiendis non judicemur indigni; sed exhibitis toties solemni devotione jejuniis, cum subsidiis corpora-

A libus profectum quoque capiamus animarum, Per Christum Dominum.

Benedictio.

Deus ᶜ qui vos ad præsentium Quadragesimalium dierum medietatem dignatus est perducere, ipse vos sua miseratione dignetur benedicere. Amen. Abstinentiam vestram præteritam acceptet, futuram sibi placitam reddat, ut sicut ab illicitis cibis, ita vos etiam a vitiis omnibus abstinere concedat. Amen. Quo de præteritis & futuris charismatum frugibus ei grates persolventes, ad sanctum Pascha pervenire possitis ᴺ indemnes. N. 225.
B Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Da nobis, misericors Deus, ut sancta tua, quibus incessanter explemur, sinceris tractemus obsequiis, & semper fideli mente sumamus. Per.

Super populum.

Deus qui in deserti regione multitudinem populi tua virtute satiasti: in hujus quoque seculi transeuntis excursu, victum nobis spiritalem,
C ne deficiamus, impende. Qui vivis & regnas.

ᵈ *Feria ij.* d

IN HEBDOMADA QUARTA.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut observationes sacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente. Per.

Super Oblata.

Oblatum tibi, Domine, sacrificium vivificet
D nos semper & muniat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam suppliciter misericordiam implorare, ut exercitatio veneranda jejunii salutaris, nos a peccatorum nostrorum maculis purgatos reddat, & ad supernorum civium societatem perducat: ut & hic devotorum actuum sumamus augmentum,
E & illic æternæ beatitudinis percipiamus emolumentum. Per Christum Dominum nostrum.

Ad complendum.

Divini satiati muneris largitate, quæsumus, Domine Deus noster: ut in hujus semper participatione vivamus. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Proficiat, quæsumus, Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu: ut sacris actionibus eru-
F dita, quanto Majestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per Dominum.

* Fe-

a Legitur apud Pamel. & in Kalend. Rom. *ad S. Susannam*, quibus favent mss.

b In C. Pamel. habes pro statione, *ad Jerusalem*. Assentiuntur codd. Reg. Suec. & duo Theod. At in Kalend. Rom. legitur, *in Sessorio*, quod idem significare putat Joh. Fronto, ac *in Jesserio*; ipsius notas ad hunc locum consule.

c Benedictio hæc legitur in benedictionali; abest autem a cod. Theodor. ab ed. Tat.

d Magno consensu statio hujus fer. est, *ad sanctos quatuor coronatos*.

a *Feria iij.*

IN HEBDOM. IV. QUADRAGESIMÆ.

SAcræ nobis, Domine, quæsumus, observationis jejunia, & piæ conversationis augumentum, & tuæ propitiationis continuum præstent auxilium. Per Dominum.

Super Oblata.

Purifica nos, misericors Deus: ut Ecclesiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ sunt, pia munera deferentis, fiant expiatis mentibus gratiores. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, per Mediatorem Dei & hominum, Jesum Christum Dominum nostrum: Qui mediante die festo ascendit in templum docere, qui de cælo descendit, mundum ab ignorantiæ tenebris liberare: Cujus descensus genus humanum doctrina salutari instruit, mors a perpetua morte redemit, ascensio ad cælestia regna perducit. Per quem, te summe Pater poscimus, ut ejus institutione edocti, salutaris parcimoniæ devotione purificati, ad tua perveniamus promissa securi. Per quem Majestatem tuam.

Ad Complendum.

Cælestia dona capientibus, quæsumus, Domine, non ad judicium pervenire patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium providisti. Per.

Super populum.

b b Tueatur, quæsumus, Domine, dextra tua populum tuum deprecantem, & purificatum dignanter erudiat: ut consolatione præsenti ad futura bona proficiat. Per Dominum nostrum.

c c *Feria iv.*

IN HEBDOMADA QUARTA.

OMnipotens sempiterne Deus, qui & justis præmia meritorum, & peccatoribus per jejunium veniam præbes: miserere supplicibus, parce peccantibus; ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum nostrum.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quos jejunia votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta lætificet: ut terrenis affectibus mitigatis facilius cælestia capiamus. Per Dominum.

Super Oblata.

Supplices, Domine, te rogamus, ut his sacrificiis peccata nostra mundentur: quia tunc veram

A nobis tribuis & mentis & corporis sanitatem. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui illuminatione suæ fidei tenebras expulit mundi; & genus humanum, quod primæ matris uterus profuderat cæcum, Incarnationis suæ mysterio reddidit illuminatum, fecitque filios adoptionis, qui tenebantur vinculis justæ damnationis. Per

B ipsum te petimus ut tales in ejus inveniamus justissima examinatione, quales facti sumus in lavacri salutaris felicissima regeneratione: ut ejus Incarnationis medicamine imbuti, sacrosancti lavacri ablutione loti, parcimoniæ devotione ornati, ad æterna gaudia perveniamus illæsi. Per quem Majestatem.

Ad Complendum.

Sacramenta quæ sumsimus, Domine Deus noster, & spiritalibus nos repleant alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis. Per Dominum nostrum.

Super populum.

C Pateant aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium: &, ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare. Per.

d d *Feria v.*

IN HEBDOMADA QUARTA.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis

D adversantia, te adjuvante, superemus. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Efficiatur hæc Hostia, Domine, quæsumus, solemnibus grata jejuniis: &, ut tibi fiat acceptior, purificatis mentibus immoletur. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus:

E cujus bonitas hominem condidit, justitia damnavit, misericordia redemit. Te humiliter exoramus ut sicut per illicitos appetitus a beata regione decidimus, sic ad æternam patriam per abstinentiam redeamus. Sicque moderetur tua miseratione nostra fragilitas, ut & transitoriis subsidiis nostra sustentetur mortalitas, & per bonorum operum incrementa, beata acquiratur immortalitas. Per Christum.

Ad Complendum.

Sancta tua nos, Domine, quæsumus, & vivificando renovent, & renovando vivificent. Per

F Dominum nostrum.

a Ubius fer. statio pari consensu, *ad S. Laurentium in Damaso*, sive ut habet cod. Reg. Suec. *in Damasum*. In Kalend. Rom. legitur tantum, *in titulo Damasi*, dissimulato S. Laurentii nomine.

b Hæc oratio in cod. Pamelii legitur in officio feriæ præcedentis cum hoc titulo: *Ad vesperos*. Abest a cod. Reg. Suec. ad quem tamen multum accedit edit. Pameliana.

c Statio assignatur *ad S. Paulum* in omnibus libris nostris qui stationum meminerunt.

d Indicitur statio, *ad S. Silvestrum*, in laudatis supra codd. qui de stationibus agunt.

Super populum.

Populi tui, Deus, institutor & rector, peccata quibus impugnatur expelle: ut semper tibi placitus, & tuo munimine sit securus. Per eumdem Dominum.

Feria [a] *vi.*

IN HEBDOMADA QUARTA.

DEus qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis: præsta quæsumus, ut Ecclesia tua & æternis proficiat institutis, & temporalibus non destituatur auxiliis. Per.

Super Oblata.

Munera nos, quæsumus, Domine, oblata purificent, & te nobis jugiter faciant esse placatum. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui est dies æternus, lux indeficiens, claritas sempiterna. Qui sic sequaces suos in luce præcepit ambulare, ut noctis æternæ valeant caliginem evadere, & ad lucis patriam feliciter pervenire. Qui per humilitatem assumtæ humanitatis, Lazarum flevit, per Divinitatis potentiam vitæ reddidit, genusque
N. 229 humanum N quadrifida peccatorum mole obrutum, ad vitam reduxit. Per quem petimus, jejunii observatione, a peccatorum nostrorum nexibus solvi, æternæ vitæ felicitati reddi, & Sanctorum cœtibus connumerari. Per quem.

Ad Complendum.

Hæc nos, quæsumus, Domine, participatio sacramenti, & propriis reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur adversis. Per.

Super populum.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per.

b [b] SABBATO IN HEBDOM. QUARTA.

FIat, Domine, quæsumus, per gratiam tuam fructuosus nostræ devotionis affectus: quia tunc nobis proderunt suscepta jejunia, si tuæ sint placita pietati. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Oblationibus, quæsumus Domine, placare susceptis, & ad te nostras, etiam rebelles, compelle propitius voluntates. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: misericordiæ dator & totius bonitatis auctor, qui jejuniis, orationibus, & eleemosynis peccatorum remedia & virtutum omnium tribuis incrementa. Te humili devotione precamur, ut qui ad ad hæc agenda saluberrimam dedisti doctrinam, ad complendum indefessam tribuas efficaciam: ut obedienter tua exequentes præcepta, feliciter tua capiamus promissa. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Tua, nos, quæsumus, Domine, sancta purificent, & operatione sua perficiant esse placitos. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Deus qui sperantibus in te, misereri potius eligis, quam irasci; da nobis digne flere mala quæ fecimus, ut tuæ consolationis gratiam invenire valeamus. Per.

Dominica V.

IN QUADRAGESIMA. [c] DE PASSIONE DOMINI. c

QUÆsumus, omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice: ut te largiente regatur in corpore, & te servante custodiatur in mente. Per Dominum.

Super Oblata.

Hæc munera, Domine, quæsumus, & vincula nostræ pravitatis absolvant, & tuæ nobis misericordiæ dona concilient. Per Christum Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Majestatem tuam propensius implorantes, ut quanto magis dies salutiferæ festivitatis accedit, tanto devotius ad ejus digne celebrandum proficiamus Paschale mysterium. Per Christum Dominum nostrum.

[d] Benedictio. d

Accendat in vobis Dominus vim sui amoris, & per jejuniorum observantiam infundat in vobis donum suæ benedictionis. Amen. Sic ei parcimoniæ victimas offeratis, ut contriti ei cordis & humiliati sacrificio placeatis. Amen. Quatenus oratio vestra jejuniis & eleemosynæ alis subvecta ad aures vestri Conditoris ascendat, ut vos æternæ beatitudinis heredes, & supernorum civium consortes efficiat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum.

Adesto, nobis, Domine, Deus noster: & quos tuis mysteriis recreasti, perpetuis defende [e] præsidiis. Per Dominum nostrum. e

Super Populum.

Da, quæsumus, Domine, nobis perseverantem in tua voluntate famulatum: ut in diebus nostris, & me-

a In iisdem supra laud. codd. legitur hic *ad S. Eusebium*.
b In Kalend. Rom. hic legitur, *ad sanctum Laurentium ad Martinum*; in cod. Pam. & in nostris mss. legatur, *ad S. Laur. foris murum*. Sic quoque legendum censet Joh. Fronto.
c Sic legitur in omnibus libris nostris tam editis quam manu descriptis, si Kalendarium Rom. excipias; in quo ut in ceteris pro statione legitur, *ad S. Petrum*.
d Hæc benedictio legitur in Benedictionali.
e In edit. Pamel. *defende subsidiis*, dissentiente cod. Reg. Suec. qui habet, *præsidiis*.

& merito & numero populus tibi serviens augea- A tur. Per Dominum nostrum.

a [a] *Feria ij.*

IN HEBDOMADA QUINTA.

SAnctifica, quæsumus, Domine, nostra jejunia, & cunctarum nobis propitius indulgentiam largire culparum. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Concede nobis, Domine Deus noster, ut hæc Hostia salutaris, & nostrorum fiat purgatio deli- B ctorum, & tuæ propitiatio Majestatis. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te suppliciter exorantes ut sic nostra sanctificentur jejunia, quo cunctorum nobis peccatorum proveniat indulgentia: quatenus, appropinquante Unigeniti Filii tui passione, bonorum operum tibi placere valeamus exhibitione. Per quem Majestatem. C

Ad Complendum.

Sacramenti tui, quæsumus, Domine, participatio salutaris, & purificationem nobis præbeat & medelam. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Benedictio, quæsumus, Domine, in tuos fideles copiosa descendat, & quam subjectis cordibus expetunt, largiter consequantur. Per.

Feria iij. D

b [b] IN HEBDOMADA QUINTA.

c NOstra tibi, quæsumus, Domine, sint accepta jejunia, quæ nos & expiando [c] gratia

N. 190. tua dignos efficiant, & ad [N] remedia perducant æterna. Per Dominum.

Super Oblata.

Hostias tibi, Domine, deferimus immolandas: quæsumus, temporalem consolationem nobis impendant, ut promissa certius non desperemus æterna. Per. E

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te devotis mentibus supplicare, ut nos interius, exteriusque restaures, & parcimonia salutari a peccatorum sordibus purges. Et quos illecebrosis delectationibus non vis impediri, spiritalium virtutum facias vigore muniri: & sic in rebus transitoriis foveas, ut perpetuis inhærere concedas. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut quæ divina sunt, jugiter exequentes, donis mereamur cælestibus appropinquare. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Libera, quæsumus, Domine, a peccatis & hostibus tibi populum supplicantem: ut sancta conversatione viventes, nullis inficiantur adversis. Per eumdem Dominum nostrum.

Feria [d] *iv.* d

IN HEBDOMADA QUINTA.

SAnctificato hoc jejunio, Deus, tuorum corda fidelium miseratus illustra: & quibus devotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per Dominum.

Super Oblata.

Annue, misericors Deus, ut hostias placationis & laudis sincero tibi deferamus obsequio. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te supplici devotione exorare, ut per jejunia, quæ sacris institutis exequimur, a cunctis reatibus emundari mereamur: tuamque percipere valeamus propitiationem, qui præparamur ad celebrandam Unigeniti Filii tui passionem. Per quem Majestatem.

Ad Complendum.

Cælestis doni benedictione percepta, supplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem nobis & [N] sacramenti causa sit & salutis. Per Dominum. N. 191.

Alia.

Exaudi, quæsumus, Domine, gemitum populi supplicantis: & qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium, sed misericordiam consequi mereamur. Per Dominum.

[e] *Feria v.* e

IN HEBDOMADA QUINTA.

TRibue nobis, quæsumus, indulgentiam peccatorum: ut instituta jejunia tibi placitis sensibus operemur. Per Dominum.

Super Oblata.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut celebraturi sancta mysteria, non solum abstinentiam corporalem, sed, quod est potius, habeamus mentium puritatem. Per. F

 Præ-

a Statio feriæ hujus est, *ad S. Chrysogonum*.

b Apud Pamel. assentientibus mss. & cod. Reg. Suec. & Theoder. statio est, *ad S. Cyriacum*. In Kalend. Rom. legitur, *ad S. Quiriacum*. Hujus tituli mentio est præsertim in Synodo Rom. sub nostro Greg. quæ in prius vulgatis est lib. 4. epist. 44. nunc ad Registri calcem, huic enim Synodo subscripsit *Aventius Presbyter S. Quiriaci*.

c Apud Pamel. *gratia tua dig.* Favent nobis mss. ipseque codex Reg. Suec.

d Apud Pamel. & in Kal. Rom. statio assignatur, *ad S. Marcellum*; cum quibus convenit primus Theoder. In cod. Reg. Suec. *ad S. Marcellianum*. In secundo Theoder. *ad S. Marcum*.

e Pro statione legitur in Kalend. Rom. & apud Pamel. *ad S. Apollinarem*. Id confirmant mss.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui sic nos tribuis solemne tibi deferre jejunium, ut indulgentiæ tuæ speremus nos percipere subsidium: sic nos instituis ad celebranda Paschalia festa, ut per hæc acquiramus gaudia sempiterna. Per Christum Dominum.

Ad Complendum.

Vegetet nos, Domine, semper, & innovet tuæ mensæ libatio, quæ fragilitatem nostram gubernet & protegat, & in portum perpetuæ salutis inducat. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Concede, misericors Deus, ut sicut nos tribuis solemne tibi deferre jejunium: sic nobis indulgentiæ tuæ præbeas benignus auxilium. Per.

a *Feria vj.*

IN HEBDOMADA QUINTA.

Cordibus nostris, Domine, benignus infunde, ut peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quam suppliciis deputemur æternis. Per.

Super Oblata.

Præsta nobis, misericors Deus, ut digne tuis semper servire altaribus mereamur, & eorum perpetua participatione salvari. Per Dominum.

Præfatio.

N.232 Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cujus nos misericordia prævenit ut bene agamus: subsequitur, ne frustra agamus: accendit intentionem, qua ad bona opera peragenda inardescamus: tribuit efficaciam, qua hæc ad perfectum perducere valeamus. Tuam ergo clementiam indefessis vocibus obsecramus, ut nos jejunii victimis a peccatis mundatos, ad celebrandam Unigeniti Filii tui Domini nostri passionem facias esse devotos. Per quem Majestatem.

Ad Complendum.

Sumti sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, & noxia semper a nobis cuncta depellat. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Protege, Domine, populum tuum; & in Majestatis tuæ patrocinio confidentem, perpetua defensione guberna. Per.

SABB. b ANTE RAMOS PALMARUM.

Omnipotens sempiterne Deus clementiam tuam suppliciter exoramus, ut qui mala nostra semper prævenis miserando, facias tibi placitos, & piis actionibus & jejuniis salubribus expiando. Per.

Super Oblata.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut jejuniorum placatus sacrificiis, remissionis tuæ nos venia prosequaris. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cujus nos fides excitat, spes erigit, caritas jungit. Cujus miseratio gratuita purificat quos conscientiæ reatus accusat. Te igitur cum interno rugitu deprecamur, ut carnalis alimoniæ refrenatione castigati, ad celebrandum Paschale mysterium inveniamur idonei. Per Christum.

Ad Complendum.

Adesto, Domine, fidelibus tuis: & quos cælestibus reficis sacramentis, a terrenis conserva periculis. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Plebs tua, Domine, quæsumus, benedictionis sanctæ munus accipiat, per quod & noxia quæque declinet, & optata reperiat. Per Dominum.

DOM. IN RAMIS PALMARUM c. N. 218

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere & crucem subire fecisti: concede propitius, ut & patientiæ ipsius habere documenta, & Resurrectionis consortia mereamur. Qui tecum vivit.

Super Oblata.

Concede, quæsumus, Domine, ut oculis tuæ Majestatis munus oblatum, & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per.

d *Præfatio.*

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem nobis indulgentia largitur, & pax per omne seculum prædicatur, traditur cunctis credentibus disciplina, ut sanctificatos nos possit dies venturus excipere. Et ideo cum Angelis.

Be-

a Hujus fer. statio, juxta eosdem codd. est, *ad S. Stephanum*.
b Apud Pamelium titulus est. *Sabbatum vacat. Dominus Papa eleemosynam dat. Ad S. Petrum.* Ad marginem autem hæc habet: *Hunc esse verum titulum hujus diei, atque ideo sequens officium non esse Gregorianum, patet ex ordine Romano pag. 41.* Reddit autem rationem hujus tituli Alcuinus, quod etsi a Pontifice omni tempore eleemosyna detur, specialius tamen id hodie faciat, quia Evangelium pauperum mentionem facit, cujus historia hoc die ante sex dies Paschæ contigit. In cod. Reg. Suec. legitur: *Sabbatum, ad S. Petrum quando eleemosyna datur.* Consentit huic lect. secundus Theod. prior autem eadem habet ac Pam. ed. In Kal. Rom. vero: *Sabbato datur fermentum in consistorio Lateranensi.*

c In edit Pamel. cui consentiunt mss. *ad S. Johannem in Lateranis.* In Kalend. Rom. tantum legitur, *in Lateranis.* In cod. Reg. Suec. legitur hæc ramorum benedictio, quæ abest ab ed. Pam. & aliis. Eamdem exhibet primus Theod. *Deus cujus filius pro salute generis humani de cælo descendit ad terras, & appropinquante hora passionis suæ Hierosolymam in asino venire, & a turbis Rex appellari ac laudari voluit: benedicere digneris hos palmarum cæterarumve frondium ramos: ut omnes qui eos laturi sunt, ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatinus & in hoc seculo hostis antiqui temptamenta superare, & in futuro cum palma victoriæ & fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eumdem.*
d Aliam Præfat. habet edit. Angeli Roccæ seu Vaticana.

Benedictio.

Benedicat vobis omnipotens Deus, cui & jejuniorum maceratione, & præsentium dierum observatione placere studetis. Amen. Concedat-
N. 234. que vobis, ut sicut ei [N] cum ramis palmarum ceterarumve frondium præsentari studuistis, ita cum palma victoriæ, & fructu bonorum operum post obitum apparere valeatis. Amen. Quique Unigeniti filii ejus passionem puro corde creditis, mente devota venerari studetis, ad resurrectionis ejus festa, & vestræ remunerationis præmia ipsius fulti munimine veniatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Præsta nobis, omnipotens Deus, ut quia vitiis subjacet nostra mortalitas, tua nos medicina purificet, & potentia tueatur. Per.

Super populum.

Da, misericors Deus, ut quod in tui Filii passione mundus exercuit, salutare nobis fideliter sentiamus. Per.

[a] FERIA II. POST PALMAS.

N. 235. [N] DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente Unigeniti Filii tui passione respiremus. Qui tecum.

Alia.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & famulos tuos æterna protectione sanctifica: pro quibus Jesus Christus filius tuus per suum cruorem nobis instituit Paschale mysterium. Qui tecum vivit.

Super Oblata.

Hæc sacrificia nos, omnipotens Deus, potenti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cujus nos
N. 236. humanitas colligit, [N] humilitas erigit, traditio absolvit, pœna redemit, crux salvificat, sanguis emaculat, caro saginat. Per quem, te, summe Pater, cum jejuniorum obsequiis obsecramus, ut ad ejus celebrandam passionem purificatis mentibus accedamus. Per quem.

Ad Complendum.

Præbeant nobis, Domine, divinum tua sancta fervorem: quo eorum pariter & actu delectemur & fructu. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Adjuva nos, Deus salutaris noster, & ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus
A es, tribue venire gaudentes. Per Dominum nostrum.

FERIA III. POST [b] PALMAS.

OMnipotens sempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ passionis [N] sacramenta perage- N. 237.
re, ut indulgentiam percipere mereamur. Per eumdem.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Christi tui beata passione nos reparas, conserva in nobis
B opera misericordiæ tuæ: ut in hujus celebritate mysterii perpetua devotione vivamus. Per.

Super Oblata.

Sacrificia nos, quæsumus, Domine, propensius ista restaurent, [N] quæ medicinalibus sunt N. 238.
instituta jejuniis. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus,
C per Christum Dominum nostrum: Cujus salutiferæ passionis, & gloriosæ Resurrectionis dies appropinquare noscuntur, in quibus & antiqui hostis superbia triumphatur, & nostræ Redemtionis mysterium celebratur. Unde poscimus tuam immensam clementiam, ut sicut in eo solo consistit totius nostræ salvationis summa, ita per eum tibi sit jejuniorum & actuum nostrorum semper victima grata. Per quem.

Ad Complendum.

Repleti, Domine, sacri muneris gratia, sup-
D plices exoramus, ut quæ gustu corporeo dulci veneratione contingimus, dulciora mentibus sentiamus. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Tua nos misericordia, Deus, & omni subreptione vetustatis expurget, & capaces sanctæ novitatis efficiat. Per Dominum.

FERIA [c] IV.

[d] "HOra tertia Pontifex cum Clero, & ordine suo procedit ad Altare in Eccle-
E sia majore: & [N] dicit Orationes solemnes hoc N. 239.
ordine: [N] OREMUS. ET Diaconus: [N] FLE- N. 240. N. 241.
CTAMUS GENUA. [N] Postquam oraverint, N. 242.
[N] dicit, LEVATE. Et Pontifex dat orationem." N. 243.

Deus a quo, & Judas reatus sui pœnam, & confessionis suæ latro præmium sumsit: concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut sicut in passione sua Jesus Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum, ita nobis, ablato vetustatis errore, resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qui tecum.

"Post, AMEN sequitur, & dicit Orationes
solemnes: [N] tantummodo pro se intermittit. N. 244.
F Alii vero Sacerdotes in suis Ecclesiis pro eo dicunt. Et cum in ceteris flectant genua, [N] pro N. 245.
Judæis non flectant."

Ore-

a In cod. Reg. Suec & secundo Theod. statio, *ad S. Praxedem*. Idem habet Pamelius. At in Kalend. Rom. & in primo Theodor. legitur, *ad SS. Nereum & Achilleum*.
b Consentiunt codices omnes in assignanda statione, *ad S. Priscam*.

c Ubique legitur pro statione *ad S. Mariam*, scilicet, *majorem*, ut habent omnes codd. excepto Kalend. Rom.
d Omnes orationes hic assignatæ nullibi leguntur in hac Fer. IV. præterquam in codd. Angeli Roccæ seu Vatic. apud Gussanv. recusa, & Menard.

Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei; ut eam Deus & Dominus noster pacificare, & custodire dignetur toto orbe terrarum, subjiciens ei principatus & potestates, detque nobis quietam & tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem omnipotentem. A

„ OREMUS. Dicit Diaconus: FLECTAMUS
„ GENUA. Postquam oraverint, dicit: LEVATE.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret. Per eumdem Dominum nostrum.

Oremus & pro beatissimo Papa nostro *Ill.* ut Deus & Dominus noster, qui elegit eum in ordinem Episcopatus, salvum atque incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ ad regendum populum sanctum Dei. B

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus judicio universa fundantur, respice propitius ad preces nostras, & electum nobis Antistitem tua pietate conserva; ut Christiana plebs, quæ tali gubernatur Auctore, sub tanto Pontifice, credulitatis suæ meritis augeatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. C

Oremus & pro omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, N. 246. [N] Confessoribus, N. 247. [N] Virginibus, N. 248. [N] Viduis, & pro omni populo sancto Dei.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per eumdem Dominum. D

N. 249. Oremus & pro [N] Christianissimo Rege nostro *Ill.* ut Deus & Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad nostram perpetuam pacem.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus in cujus manu sunt omnium potestates, & omnia jura regnorum, N. 250. [N] respice ad Romanorum, atque Francorum benignus Imperium; ut gentes, quæ in sua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera comprimantur. Per.

Oremus & pro Catechumenis nostris, ut & Deus & Dominus noster adaperiat aures præcordiorum ipsorum, januamque misericordiæ; ut per lavacrum regenerationis, accepta remissione omnium peccatorum, & ipsi inveniantur in Christo Jesu Domino nostro. E

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam nova semper prole fœcundas, auge fidem, & intellectum Catechumenis nostris: ut renati fonte baptismatis, adoptionis tuæ filiis aggregentur. Per. F

Oremus, Dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium; ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per.

Oremus & pro hæreticis atque schismaticis, ut Deus ac Dominus noster eruat eos ab erroribus universis, & ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam revocare dignetur.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas; ut, omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per Dominum nostrum.

Oremus & pro perfidis Judæis, ut Deus & Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut & ipsi agnoscant Jesum Christum Dominum nostrum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui etiam Judaicam perfidiam a tua misericordia non repellis, exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcæcatione deferimus, ut agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, a suis tenebris eruantur. Per eumdem Dominum nostrum.

Oremus & pro paganis, ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, & relictis idolis suis convertantur ad Deum vivum & verum, & unicum filium ejus Jesum Christum Deum & Dominum nostrum, cum quo vivit & regnat cum Spiritu sancto Deus. Per omnia secula seculorum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe propitius orationem nostram, & libera eos ab idolorum cultura, & aggrega Ecclesiæ tuæ sanctæ ad laudem & gloriam nominis tui. Per.

„ [N] Quibus expletis, osculatur Altare, & egre- N. 251.
„ ditur. Postea vero [N] hora viij. ingrediuntur ad N. 252.
„ Missam hoc ordine: Dicit [N] Schola Antipho- N. 253.
„ nam ad Introitum. Qua finita, dat orationem
„ Pontifex.

[N] [a] Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut N. 254.
qui nostris excessibus incessanter affligimur, per a
Unigeniti tui passionem liberemur. Qui.

„ Deinde legitur Lectio una. Sequitur Resp.
„ Postea dicatur altera.

Oratio.

Deus qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum [b] subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem; concede nobis famulis tuis, ut Resurrectionis gratiam consequamur. Per eumdem. b

„ [N] Sequitur altera Lectio, & postea Responso- N. 255.
„ rium, DOMINE EXAUDI, cum suis versi-
„ busquinque. Deinde pronuntiatur a Diacono,
„ [N] PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRI- N. 256.
„ STI SECUNDUM LUCAM. Qua perlecta ex-
„ pletur Missa ordine suo.

Su-

a Hic incipit Officium hujus feriæ in aliis codicibus sive excusis sive scriptis.

b Apud Pamel. *subire fecisti*. Favet nostræ lectioni codex Reg. Suec.

Super Oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, munus oblatum, & dignanter operare, ut quod passionis Filii tui Domini nostri mysterio gerimus, piis effectibus consequamur. Per eumdem.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui innocens pro impiis voluit pati, & pro sceleratis indebite condemnari. Cujus mors delicta nostra detersit, & resurrectio justificationem nobis exhibuit. Per quem tuam pietatem supplices exoramus, ut sic nos hodie a peccatis emacules, ut cras venerabilis cœnæ dapibus saties: Hodie acceptes confessionem nostrorum peccaminum, & cras tribuas spiritalium incrementa donorum: Hodie jejuniorum nostrorum vota suscipias, & cras nos ad sacratissimæ cœnæ convivium introducas. Per quem.

Benedictio.

Omnipotens Deus qui Unigeniti sui Passione tribuit vobis humilitatis exemplum, concedat vobis per eamdem humilitatem percipere suæ benedictionis ineffabile donum. Amen. Ipsius Resurrectionis percipiatis consortia, cujus patientiæ veneramini documenta. Amen. Quo ab eo sempiternæ vitæ munus percipiatis, per cujus temporalem mortem, æternam vos evadere creditis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

N. 257. N Largire sensibus nostris, omnipotens Deus, ut per temporalem Filii tui mortem, quam mysteria veneranda testantur, vitam te nobis dedisse perpetuam confidamus. Per eumdem.

Super populum.

Respice, Domine, quæsumus, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui tecum vivit.

[a] FERIA V.

N. 258.
N. 259. „ INde Hora N tertia ingressi sacrarium, induunt
„ N dalmaticas, tam Pontifex, quam omnes
„ Diaconi, vel omnia ornamenta, sedente Pon-
N. 260. „ tifice in sella sua: & præparantur N ampullæ duæ
„ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut
N. 261. „ N accepto balsamo, & commiscitato cum oleo,
„ manu sua impleat eam. Illam vero aliam mini-
„ stri retineant plenam Et Pontifex lotis manibus,
N. 262. „ procedit cum septem N cereostatis ad Missam.
„ Dicta Antiphona ad introitum, dicit, GLO-
„ RIA IN EXCELSIS DEO. Quo finito,
N. 263. „ dicit, N PAX VOBIS, & dat orationem
„ hanc. Et cetera omnia sicut in alia solemni
„ Missa.

DEUS, a quo & Judas reatus sui pœnam, & confessionis suæ Latro præmium sumsit, concede nobis tuæ propitiationis effectum: ut sicut in passione sua Jesus Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum, ita nobis, ablato vetustatis errore, Resurrectionis suæ gratiam largiatur.

„ TUNC legitur Epistola, & sequitur Resp.
„ Gradale & Tractum, ac deinde Evangelium:
„ quo lecto, peragitur Missa ordine suo.

Super Oblata.

IPSE tibi, quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, Deus, sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemorationem hoc fieri N hodierna traditione monstravit Jesus Christus Dominus noster. N. 264.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Quem in hac nocte inter sacras epulas increpantem mens sibi conscia traditoris ferre non potuit, sed Apostolorum relicto consortio, sanguinis pretium a Judæis accepit, ut vitam perderet quam N distraxit. N. 265. Cœnavit igitur hodie proditor mortem suam, & cruentis manibus panem de manu Salvatoris exiturus accepit, ut saginatum cibo major pœna constringeret, N quem nec sacrati cibi collatio ab scelere revocaret. N. 266. Patitur itaque Dominus noster Jesus Christus, filius tuus cum hoste novissimum participare convivium, a quo se noverat continuo esse tradendum, ut exemplum innocentiæ mundo relinqueret, & passionem suam pro seculi redemtione suppleret. Patitur mitis Deus immitem Judam, & sustinet pius crudelem convivam, qui merito laqueo suo periturus erat, quia de Magistri sanguine cogitarat. O Dominum per omnia patientem! O Agnum inter suas epulas mitem! Cibum ejus Judas in ore ferebat, & quibus eum traderet persecutores advocabat. Sed Filius tuus Dominus noster, tamquam pia Hostia, & immolari se tibi pro nobis patienter permisit, & peccatum, quod mundus commiserat, relaxavit. Quæsumus igitur, ut qui pro salute nostra se tradi permisit, ipse nos suæ gratiæ dono locupletet: Et qui per buccellam panis suum prodidit traditorem, ipse nos sui panis perceptione faciat sibi inhærere: Quique discipulorum pedes eluere dignatus est hodie, ipse nos ab omnibus delictis emaculet, & cœtui fidelium discipulorum adsociet. Per quem Majestatem &c.

TE IGITUR Clementissime pater, &c.

Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes, N quo Dominus noster Jesus Christus N. 267. pro nobis est traditus. Sed & memoriam.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus ob diem in N qua Dominus noster Jesus Christus tradidit N. 268. discipulis suis corporis & sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus, Domine, ut placatus.

Qui pridie quam pro nostra omnium salute pateretur, hoc est, hodie, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.

„ N TUNC offertur Pontifici oleum, & bene- N. 269.
„ dicit eum, tam ipse, quam omnes Presbyteri
„ ad ungendum infirmum, his verbis:

[b] EMITTE, Domine, Spiritum sanctum tuum paraclitum de cælis in hanc pinguedinem olivæ, b

quam

a Hic variant cod. In Kalend. Rom. legitur ad Lateranis consecratur chrisma. Apud Pamel. ad S. Johannem in Lateran. In primo Theoderic. statio ad S. Petrum.

b In ed. Pam. hic præmittitur: Benedictio olei. Verum addendum ex cod. Reg. Suec. ad Infirmum. In eadem benedictione, emitte &c. deest apud Pamelium, per quem hæc omnia, Domine &c. quæ in cod. Reg. Suec. habentur.

quam de viridi ligno producere dignatus es ad A refectionem corporis, ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis. Unde unxisti Sacerdotes, Reges,
N. 270. Prophetas, & Martyres, ᴺ chrisma tuum perfectum, Domine, a te benedictum in nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, san✠ctificas, vivi✠ficas, be✠nedicis, & præstas nobis. Per ipsum, & cum ipso, & in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria.

Per omnia secula seculorum. Amen.

Oremus, Præceptis salutaribus moniti, & Divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. &c.

Sed libera nos a malo.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris: & intercedente beata, & gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apostolis tuis, Petro, & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, C ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & a peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum.

Benedictio.

Benedicat vos Deus, qui per Unigeniti filii sui passionem vetus Pascha in novum voluit converti; concedatque vobis ut expurgato veteris fermenti contagio, nova in vobis perseveret conspersio. Amen. Et qui ad celebrandam Redemtoris Cœnam mente devota convenistis, æternarum dapum vobiscum epulas reportetis. Amen. Ipsius quoque opitulante clementia mundemini a sordibus peccatorum, qui ad insinuandum humilitatis exemplum, D pedes voluit lavare discipulorum. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & pax Domini sit semper vobiscum. Et cum spiritu tuo.

„ TUNC communicat solus Episcopus, & „ Diaconus offert ei calicem, illo tantummodo „ die. Postquam communicaverit, ponit cali- „ cem super Altare, deinde acceptam a Subdia- „ cono patenam, ponit juxta calicem de latere „ sinistro: & statim cooperitur a duobus Dia- E „ conibus utrumque de sindone munda, quam „ prius præparaverant in ora Altaris, e regione „ Pontificis post corporale expansam. Et conti- „ nuo duo Acolythi involutas ampullas cum sin- „ done alba serica, itaut videri possint a medio, „ tenet in brachio sinistro, projectis sindonibus „ super scapulam sinistram, itaut pertingant sca- „ pulam dextram, quatenus possint dependentia „ retineri. A quibus sub humero stantibus, ve- „ nit Subdiaconus & accipit ampullam commix- „ tam, una cum sindone, & dat eam Archidiaco- „ no, & ille defert Pontifici ante sedem. Tunc
N. 271. „ Pontifex stans in sede, & ᴺ respiciens ad orien- F „ tem, Archidiacono tenente ante ipsum ampul- „ lam in sinistro brachio revoluta sindone, ut su- „ pra præfiximus, & halat in ipsa ampulla, & intrat
N. 272. „ ᴺ in consecrationem chrismatis excelsa voce:

A DOMINUS vobiscum: Et cum spiritu tuo. Sursum corda: Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro: Dignum & justum est.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui in principio inter cetera bonitatis & pietatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna jussisti, inter quæ hujus pinguissimi liquoris ministræ oleæ nascerentur: quarum fructus sacro chrismati deserviret. Nam & David prophetico spiritu gratiæ tuæ sacramenta prænoscens, vultus nostros in oleo B exhilarandos esse cantavit. Et cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris columba demonstrans, ᴺ N. 273.
per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiavit. Quod in novissimis temporibus, manifestis est effectibus declaratum, cum baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus, hæc olei unctio vultus nostros jucundos efficit ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo mandatum dedisti, ut Aaron fratrem suum prius aqua lotum, per infusionem hujus unguenti constitueret Sacerdotem. Accessit ad hoc amplior honor, cum filius tuus Jesus Christus Dominus noster lavari se a Johan- C ne undis Jordanicis exegisset, ut, Spiritu sancto in columbæ similitudinem desuper misso, Unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuisset, testimonio subsequentis vocis ostenderes: & hoc illud esse manifestissime comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum David Propheta cecinisset. Te igitur deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eumdem Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum, ut hujus creaturæ pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, & sancti Spiritus ei admiscere virtutem, cooperante potentia Christi tui, a cujus sancto nomine
D Chrisma nomen accepit: ᴺ unde unxisti Sacer- N. 274.
dotes, ᴺ Reges, ᴺ Prophetas, & ᴺ Martyres, N. 275. N. 276.
ut spiritalis lavacri baptismo renovandis, creatu- N. 277.
ram chrismatis in sacramentum perfectæ salutis vitæque confirmes: ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vitæ, innocens odore redolescat: ut secundum constitutionis tuæ sacramentum Regio & Sacerdotali Propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur: ut sit his qui renati fuerint ex aqua & Spiritu sancto Chrisma E salutis, eosque æternæ vitæ participes, & cælestis gloriæ facias esse consortes. Per eumdem Dominum [a].

ᴺ Qua expleta, benedicit ampullam ordine N. 278.
quo supra declaratum est: & similiter halat in ipsa; sed tacite ipsam benedicit.

DOMINUS vobiscum: Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus incrementorum & ᴺ profectuum spirita- N. 279.
lium, qui virtute sancti Spiritus tui, imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ regenerationis lava- F crum tribuas per unctionem istius creaturæ purgationem mentis & corporis, ut, si quæ illis adversantium spirituum maculæ inhæserunt, ad tactum sanctificati olei hujus abscedant. Nullus spiritali-
bus nequitiis locus: nulla ᴺ refugis virtutibus sit N. 280.
facul-

a Post hanc benedictionem sequitur apud Pamel. exorcismus olei: *Deus qui virtute sancti Spiritus &c.*

facultas: nulla insidiantibus malis latendi licentia A
relinquatur; sed venientibus ad fidem servis tuis,
& sancti Spiritus tui operatione mundandis, sit un-
ctionis hujus præparatio utilis ad salutem: quam
etiam cælestis regenerationis nativitate in sacra-
mento sunt baptismatis adepturi. Per Dominum
nostrum Jesum Christum filium tuum, qui ven-
turus est judicare vivos & mortuos & seculum per
ignem.

„ AMPULLA autem, quæ cum chrismate est,
„ statim ut benedicta fuerit cooperitur, ut a nemi-
„ ne videatur; sed tenente eam Acolytho, omnes
„ eam per ordinem salutent: nam Episcopus, &
„ diaconi omnes eam nudam salutant. Hoc exple- B
„ to, ablutis manibus, Pontifex vadit ante Alta-
N. 281. „ re, & communicat omnis populus in ordine
N. 282. „ suo, & [N] servant de ipso sacrificio in crastinum,
„ unde communicent.

Ad complendum.

REFECTI vitalibus alimentis, quæsumus, Do-
mine, Deus noster, ut quod tempore nostræ mor-
talitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere
a consequamur. Per Dominum nostrum [a].

N. 283. b

[N] FERIA [b] VI.

N. 284. „ [N] HOra tertia conveniunt omnes Presbyte- C
„ ri tam civitatis, quam de suburbanis,
„ & omnis Clerus cum populo in Ecclesia statuta
„ intra Urbem, non tamen in majori Ecclesia, &
„ expectans Pontificem, vel qui vicem illius te-
„ nuerit. Qui dum veniens de Sacrario, proces-
N. 285. „ serit ante altare, adorandum ordine quo in [N]
N. 286. „ Sacramentario continetur; mox ut surrexerit,
„ cum silentio ascendit ad sedem. Quo sedente
„ statim Subdiaconus ascendit ad legendum. Et
„ post hæc cantatur Canticum, DOMINE AU-
„ DIVI; deinde sequitur altera Lectio: post quam
„ sequitur Tractus, DEUS LAUDEM MEAM. D
„ Quo finito, legitur, PASSIO DOMINI NO-
„ STRI JESU CHRISTI SECUNDUM JO-
„ HANNEM. Hac expleta, venit Pontifex an-
„ te Altare, & dicit: OREMUS, Dilectissimi no-
„ bis, pro Ecclesia sancta Dei, &c. [N] Sicut in quar- c
N. 287. „ ta feria habentur. Quas ut finierit, statim duo
„ Diaconi nudant Altare sindone, quæ prius fue-
„ rat sub Evangelio posita, & ista omnia tacite:&
„ exeunt foras; Presbyteri vero Ecclesiarum, sive
„ de Urbe, sive de suburbanis vadunt per Eccle-
„ sias suas, ut hoc ordine cuncta ad Vesperum fa-
„ ciant. Hoc tantum mutantes, ut ubi Pontifex
„ meminit Apostolicum, ipsi nominent Episco- E
„ pum suum. Ad Vesperum vero tam in Ecclesia,
„ in qua Pontifex dicit orationes, quam in ceteris
„ Presbyterorum, post orationes præparatur Crux
„ ante Altare, interposito spatio inter ipsam & Alta-
„ re, sustentata hinc inde a duobus Acolythis. Posi-
N. 288. „ to ante eam in [N] Oratorio, venit Pontifex, [N] ado-
N. 289. „ ratam deosculatur Crucem. Deinde Episcopi,
„ Presbyteri, Diaconi, & ceteri per ordinem, dein-
„ de populus; Pontifex vero redit in sedem usque
„ dum omnes salutent: Presbyteri vero duo prio-
„ res, mox ut salutaverint, intrant in sacrarium,
„ vel ubi positum fuerit corpus Domini, quod pri-
„ die remansit, ponentes illud in patena; & Sub-
„ diaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non
„ consecrato, & alter patenam cum corpore Do-
„ mini. Quibus, tenentibus, accipit unus Presby-
„ ter patenam, & alter calicem, & deferunt super
„ altare nudatum. Pontifex vero sedet dum persa- N. 290.
„ lutet populus Crucem: nam salutante Pontifi-
„ ce, vel populo Crucem, canitur semper Anti- N. 291.
„ hona: ECCE LIGNUM CRUCIS. Dicitur
„ [N] Psalmus 118. Qua salutata, & reposita in N. 292.
„ loco suo, descendit Pontifex ante altare, & di-
„ cit:

OREMUS. Præceptis salutaribus moniti, & di-
vina institutione formati audemus dicere: Pater
noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum:
Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua sicut in
cælo & in terra; Panem nostrum quotidianum da
nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra si-
cut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne
nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos
a malo.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus
malis præteritis, præsentibus, & futuris: & inter-
cedente beata & gloriosa semper virgine Dei geni-
trice Maria, & beatis Apostolis tuis Petro & Paulo
atque Andrea, & omnibus Sanctis, da propitius
pacem in diebus nostris: ut ope misericordiæ tuæ
adjuti, & a peccato simus semper liberi & ab omni
perturbatione securi. Per Dominum nostrum Je-
sum Christum filium tuum, qui tecum vivit & re-
gnat Deus in unitate Spiritus sancti. Per omnia se-
cula seculorum. Amen.

„ CUM dixerint AMEN, sumit de [N] sancta, N. 293.
„ & ponit in calicem [N] nihil dicens. Et com- N. 294.
„ municant omnes cum silentio, & [N] expleta sunt N. 295.
„ universa. N. 296.
„ A feria V. vespere [N] nuda sint Altaria us- N. 297.
„ que mane sabbati [d]. d

[N] [e] SABBATO SANCTO. N. 298. e

„ HORA [N] octava veniunt omnes tam clerus, N. 299.
„ quam populus in Ecclesiam, & ingre-
„ diuntur clerici in Sacrarium, & induunt se vesti-
„ mentis, sicut mos est, & tunc illuminantur duo
„ cerei, quos tenent duo [N] notarii, unus in dextro N. 300.
„ cornu Altaris, & alter in sinistro, & ascendit
„ lector in ambonem pronuntians; N. 301.
„ Lectio Libri Genesis; IN PRINCIPIO. Si-
„ militer & illas lectiones omnes, Ante IN PRIN-
„ CIPIO, non dicit orationem. Prima lectione
„ finita, dicis hanc orationem:

DEUS qui mirabiliter creasti hominem, & mira-
bilius redemisti, da nobis contra oblectamenta pec-
cati, mentis ratione persistere: ut mereamur ad
gaudia æterna pervenire. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Genesis: TENTAVIT Deus A-
braham.

Deus qui in Abrahæ famuli tui opere, humano
generi obedientiæ exempla præbuisti: concede no-
bis, & nostræ voluntatis pravitatem frangere, &
tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus
adimplere. Per.

F

a In ed. Vat. seu Angeli Roccæ sequitur: *Item oratio ad reconciliandum Pœnitentem*, cum quatuor aliis orat. in eadem rem. His subduntur; *ad missam*, *super oblata*, & *ad complendum*, tres orationes.

b Apud Pamel. pro statione tantum legitur, *in Jerusalem*. In Kalend. Rom. *In Sessorio*, *quod est in basilica Jerusalem*.

c In oratione pro imperatore & imperio, quæ habetur in aliarum feriæ quarta, ms. Reg. Suec. habet, *respice ad Christianum benignus imp.* primus Theod. *ad Christianiss.* Pamelius, cui favet secundus Theod. *ad Romanorum*.

d In fine officii hujus feriæ apud Pamelium sequitur: *ordo ad faciendum catechumenum*, qui non reperitur in cod. Reg. Suec. magna saltem ex parte.

e Stationis hac die nulla fit mentio, nisi in Kalend. Rom. ubi legitur: *Sabbato sancto*, *ad Lateranis*.

Lectio Libri Exodi: DIXIT Dominus ad Moysen & Aaron.

Deus qui peccati veteris hereditariam mortem, in qua posteritatis genus omne successerat, Christi tui Domini nostri passione solvisti: da ut conformes eidem facti, sicut imaginem terreni naturæ necessitate portavimus, ita imaginem cælestis, gratiæ sanctificatione portemus Christi Domini nostri. Qui tecum vivit.

Lectio Libri Exodi: FACTUM est in vigilia matutina.

Canticum CANTEMUS.

Deus cujus antiqua miracula in præsenti quoque seculo coruscare sentimus; præsta, quæsumus, ut sicut priorem populum ab Ægyptiis liberasti, hoc ad salutem Gentium per aquas baptismatis operetis. Per.

N. 302. Lectio N Isaiæ Prophetæ: HÆC hereditas.

Deus qui Ecclesiam tuam semper gentium vocatione multiplicas; concede propitius, ut quos aqua baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per.

„ Lectio Isaiæ Prophetæ: APPREHENDENT
„ septem mulieres.

Canticum: CANTEMUS.

Deus qui nos ad celebrandum Paschale sacramentum, utriusque testamenti paginis instruis: da nobis intelligere misericordiam tuam, ut ex perceptione præsentium, firma sit expectatio futurorum. Per.

„ Lectio Jonæ Prophetæ: FACTUM est Ver-
„ bum Domini.

Deus qui divitias misericordiæ tuæ in hac præcipue nocte largitis, propitiare universo ordini sacerdotalis officii, & omnes gradus famulatus nostri perfecta delictorum remissione sanctifica: ut ministraturos regeneratrici gratiæ tuæ, nulli esse obnoxios patiaris offensæ. Per.

a Lectio Isaiæ Prophetæ: HÆC DICIT DOMINUS in die illa radix Jesse.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa Paschalia agimus, cælestibus desideriis accensi, fontem vitæ sitiamus. Per.

Tract. SICUT cervus desiderat ad fontes.

Alia Oratio, in eodem Psalmo.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad devotionem populi renascentis, qui, sicut cervus, aquarum tuarum expetit fontem: & concede propitius, ut fidei ipsius sitis, baptismatis mysterio, animam corpusque sanctificet. Per Dominum nostrum.

N. 303. „ Expletis lectionibus. statim N venit unus mi-
„ nistrorum tenens ampullas in manibus suis, stat
„ in dextro cornu Altaris, qui præcedat Pontifi-
„ cem ad fontes. Tunc deinde Schola descendit ad
„ fontes ad Letaniam faciendam, expectantes pa-
„ rati Pontificem. Secundus vero Scholæ tenet
„ vas aureum in manu sua sinistra super plane am,
„ unde Pontifex mittat chrisma in fontem, & jussi
N. 304. „ faciunt N Litaniam septenam: & cum jam prope
„ finem ejus fuerint, tunc procedit Pontifex cum
„ omni decore, sustentatus a duobus Diaconibus:
N. 305. „ Et illa N duo cereostata, quæ antea fuerant il-
„ luminata, semper ante ipsum procedunt usque
N. 306. „ dum omnia finierit: Qui mox, ut venerit an-
„ te fontes, N stans benedicit fontem, dicens ea
„ voce, qua alias orationes. Et prima oratio a
„ DOMINUS VOBISCUM incipit: & finitur

A „ PER OMNIA SECULA SECULORUM, si-
„ cut alia oratio ad Missam.

„ DOMINUS vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto sacramentis, & ad creandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte, ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum.

„ Consecratio fontis canitur sicut Præfatio, usque
B „ ET SPIRITUS SANCTI: & non incipit a VE-
„ RE DIGNUM. Deinde dicitur decantando.

DEUS qui invisibili potentia sacramentorum tuorum, mirabiliter operatis effectum: & licet nos tantis mysteriis exequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens, etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis inclinas. Deus, N cujus Spiritus super aquas inter ipsa mundi pri- N. 307.
mordia ferebatur, ut jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura N conciperet. Deus, qui N. 308.
N nocentis mundi crimina per aquas abluens, re- N. 309.
generationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti, ut unius ejusdemque elementi mysterio,
C & finis esset vitiis, & origo virtutibus: Respice Domine in faciem Ecclesiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu, lætificas civitatem tuam, fontemque baptismatis aperis, toto orbe terrarum N genti- N. 310.
bus innovandis, ut tuæ Majestatis imperio, sumat Unigeniti gratiam de Spiritu sancto.

„ ✠ HIC CUM manu sua dividit aquam in N. 311.
„ N modum Crucis.

QUI hanc aquam regenerandis hominibus præparatam, arcana sui luminis admixtione fecundet: ut sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam
D progenies cælestis emergat. Et quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in unam pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc, jubente te Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis admixtio; non insidiando circum-
volet, non latendo N subripiat, non inficiendo cor- N. 312.
rumpat. Sit hæc sancta & innocens creatura libera ab omni impugnatoris incursu, & totius nequitiæ purgata discessu: sit fons vivus, aqua regenerans, unda purificans; ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu sancto,
E perfectæ purgationis indulgentiam consequantur.

Un✠de benedico te creatura aqu✠æ, per
Deum vivu✠m, per Deum sanctum qui te N in N. 313.
mundi creatione principio Verbo separavit ab ari- N. 314.
da, cujus N Spiritus super te ferebatur, qui N te N. 315.
de paradiso manare, & in quatuor fluminibus to-
tam terram rigare præcepit: N qui te in deserto N. 316.
amaram, suavitate indita, fecit esse potabilem, & sitienti populo de petra produxit. Be✠nedico te & per Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, qui te in Cana Galilææ, signo admirabili sua potentia convertit in vinum, qui pedibus super te ambulavit, & a Johanne in
F Jordane in te baptizatus est. Qui te una cum sanguine suo de latere produxit, & discipulis suis jussit, ut credentes baptizarentur in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, In nomine ✠ Patris, & Filii ✠ & Spiritus sancti.

HIC

a Hæc lectio cum oratione sequenti omittur in ed. Vatic.

HIC MUTAT vocem quasi lectionem legens: A
HÆC NOBIS præcepta servantibus, tu Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira, tu has simplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

N. 317. „ [N] ET mittuntur prædicti duo cerei intus in
N. 318. „ baptisterio. Hic [N] insflat tribus vicibus in aqua.

DESCENDAT, Domine, in hanc plenitudinem fontis, virtus Spiritus tui: totamque hujus aquæ substantiam, regenerandi fœcundet effectu. Hic omnium peccatorum maculæ deleantur, hic natura ad imaginem tuam condita, & B ad honorem sui reformata principii, vetustatis cunctis squaloribus emundetur, ut omnis homo hoc sacramentum regenerationis ingressus, in veræ innocentiæ novam infantiam renascatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum: Qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem.

„ INDE accipiens vas aureum cum chrisma-
N. 319. „ te, [N] fundit chrisma in fonte, in [N] modum
N. 320. „ crucis, & expandit aquam cum manu sua.
„ Tunc baptizantur infantes, primum masculi,
„ deinde feminæ: Et tenente eo infantem, a quo
„ suscipiendus est, interrogat Pontifex, vel Sa- C
N. 321. „ cerdos ita: *Quis* [N] *vocaris?* Resp. *Ill.* Item in-
N. 322. „ terrogat Sacerdos: [N] *Credis in Deum Patrem*
„ *omnipotentem, creatorem cæli & terræ?* Resp. *Cre-*
„ *do.* Interrogat: *Et in Jesum Christum filium ejus*
„ *unicum Dominum nostrum, natum, & passum?*
„ Resp. *Credo.* Interrogat: *Credis & in Spiritum*
„ *sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum*
„ *Communionem, remissionem peccatorum, carnis resur-*
„ *rectionem, vitam æternam?* Resp. *Credo.* Interrogat:
N. 323. „ *Vis baptizari?* Resp. *Volo:* Et dicit. *Et* [N] *ego baptizo*
„ *te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*
„ Ut autem surrexerit a fonte, ille qui eum D
N. 324. „ suscipit, offert eum uni presbytero, [N] qui
„ faciat signum crucis de chrismate cum pol-
„ lice, in vertice ejus dicens.

N. 325. [N] DEUS omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in vitam æternam. Resp. Amen.

„ ET baptizantur: & sunt parati, qui eos
N. 326. „ suscepturi sunt, [N] cum linteis in manibus eo-
„ rum, & accipiunt ipsos a presbyteris, qui
„ eos baptizant: Pontifex vero redit in sacra-
N. 327. „ rium expectans, [N] ut cum vestiti fuerint in- E
N. 328. „ fantes, confirmet eos. Qui [N] etiam non prohi-
„ bentur lactari ante sacram Communionem, si
„ necesse fuerit. Induti vero ordinantur per ordi-
„ nem sicut scripti sunt. Et infantes quidem in bra-
N. 329. „ chiis dextris tenentur: [N] majores vero pedem po-
N. 330. „ nunt super pedem [N] patrini sui. Deinde Scola jus-
„ sa facit Litaniam quinam ad fontes, Pontifex vero
„ veniens ad infantes, tenente Archidiacono chri-
„ ma, involutis scapulis, & brachiis ex panno lineo,
N. 331. „ & [N] levata manu sua super capita omnium dicit:

N. 332. [N] OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem F omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de cælis, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis: adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti. Per.

„ Et interrogantibus Diaconibus nomina singu-
„ lorum, [N] Pontifex tincto pollice in chrisma- N. 333.
„ te facit [N] crucem in fronte unius, similiter per N. 334.
„ omnes singillatim. Quibus expletis, jussi inci-
„ piunt in Ecclesia Litaniam ternam. Et cum
„ dixerint, AGNUS DEI, Magister Scholæ di-
„ cit, *Ascendite:* Et illuminatur Ecclesia, &
„ procedit Pontifex de sacrario cum duobus ce-
„ reostatis sicut superius, & stant, sicut antea,
„ a dextris & a sinistris Altaris. Litania exple-
„ ta, dicit Pontifex: [N] GLORIA IN EXCELSIS
„ DEO. Quo finito, dicit, PAX VOBISCUM.
„ Resp. Et [N] cum spiritu tuo. ET dat orationem: N. 335.

DEUS, [N] qui hanc sacratissimam noctem glo- N. 336.
ria Dominicæ Resurrectionis illustras, conserva
in nova familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum, N. 337.
quem dedisti, ut corpore, & mente renovati, puram tibi exhibeant servitutem. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti. Per.

Deinde legitur Apostolus, & canitur ALLELUJA Quod primum Pontifex inchoat. CONFITEMINI DOMINO. Tract. LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES. Sequitur E-
vangelium. [N] Non cantent offertorium, [N] neque N. 338. N. 339.
Agnus Dei, neque Communionem.

Super Oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, & plebis tuæ & tuorum Hostias renatorum, ut & confessione tui nominis, & baptismate renovati sempiternam beatitudinem consequantur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te omni quidem tempore, sed in hac potissimum nocte gloriosius collaudare & prædicare, per Christum Dominum nostrum: Qui inferorum claustra disrumpens, victoriæ suæ clara vexilla suscepit, & triumphato diabolo, victor a mortuis resurrexit. Et ideo cum Angelis.

TE IGITUR Clementissime Pater. &c.

Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Sed & memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ, genitricis ejusdem Dei & Domini nostri Jesu Christi.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Domine, ut placatus accipias.

Benedictio.

Deus, qui Ecclesiæ suæ intemerato utero novos populos producens, eam virginitate manente nova semper prole fœcundat; fidei, spei, & caritatis vos munere repleat, & suæ in vos benedictionis dona infundat. Amen. Et qui hanc sacratissimam noctem Redemtoris nostri Resurrectione vo-

luit illustrare, mentes vestras peccatorum tenebris mundatas virtutum copiis faciat coruscare. Amen. Quo eorum, qui modo renati sunt, innocentiam imitari certetis, & vascula mentium vestrarum exemplo præsentium luminum illustretis: ut cum bonorum operum lampadibus, ad ejus sponsi thalamum cujus resurrectionem celebratis, cum prudentibus Virginibus intrare possitis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum,

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut divino munere satiati, & sacris mysteriis innovemur & moribus. Per.

N. 340. a IN a DIE SANCTO PASCHÆ.

DEus qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti: vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eumdem.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, quæsumus, preces populi tui cum oblationibus hostiarum, ut paschalibus initiata mysteriis, ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te quidem omni tempore, sed in hac potissimum die gloriosius prædicare, cum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus,
N. 341. qui abstulit peccata mundi. Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Et ideo cum Angelis.

Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes, &c.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ. Sed & cunctæ &c.

b *Benedictio.*

Benedicat vos omnipotens Deus, hodierna interveniente Paschali solemnitate, & ab omni miseratus dignetur defendere pravitate. Amen. Et qui ad æternam vitam in Unigeniti sui resurrectione vos reparat, in ipsius adventu immortalitatis vos gaudiis vestiat. Amen. Et qui explețis jejuniorum sive Passionis Dominicæ diebus, Paschalis festi gaudia celebratis, ad ea festa, quæ non sunt annua, sed continua, ipso opitulante exultantibus animis veniatis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, ut quos sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes.

c *Ad Vesperos.*

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui resurrectionis Dominicæ solemnia colimus, innovatione tui Spiritus, a morte animæ resurgamus. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti, per omnia secula seculorum.

Ad fontes.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui resurrectionis Dominicæ solemnia colimus, ereptionis nostræ suscipere lætitiam mereamur. Per eumdem.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gratiam Dominicæ resurrectionis agnovimus, ipsi per amorem Spiritus a morte animæ resurgamus. Per eumdem.

Alia.

Deus, qui Paschale nobis remedium contulisti, populum tuum cælesti dono prosequere: ut inde post in perpetuum gaudeat, unde nunc temporaliter exultat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

d FERIA II. IN ALBIS.

DEus, qui solemnitate Paschali mundo remedia contulisti, populum tuum, quæsumus, cælesti dono prosequere: ut, & perfectam libertatem consequi mereatur, & ad vitam proficiat sempiternam. Per.

Super Oblata.

Paschales hostias recensentes, quæsumus, Domine, ut quod frequentamus actu, comprehendamus affectu. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te suppliciter exorare, ut fidelibus tuis dignanter impendas, quo & Paschalia capiant sacramenta, & desideranter expectent ventura: ut in mysteriis, quibus renati sunt, permanentes, ad novam vitam his operantibus perducantur. Per Christum.

TE IGITUR, sicut in Pascha.

e *Benedictio.*

Deus, qui pro vobis suscepit injuriam Crucis, lætitia vos innovet suæ Resurrectionis. Amen. Et qui pendenti secum in Cruce latroni remisit N. 342.
delictum, vos salvet a cunctis nexibus peccatorum. Amen. Ut Redemtionis vestræ mysterium & digne conservetis in opere, & locupletius æterna perfruamini remuneratione. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Impleatur in nobis, quæsumus, Domine, sacramenti Paschalis, sancta libatio, nosque de terrenis affectibus ad cæleste transferat institutum. Per.

Ad

a Apud Pamelium, *Dominica sancta Pascha*. Omittitur, *Pascha*, in cod. Reg. Suec. In Kalend. Rom. legitur: *in Pascha Dominica sancta*. In omnibus statio est *ad S. Mariam majorem ad Præsepe*. Abest, *majorem*, a Kalend. Rom. nec legitur in titulo Hom. 21. in Evang. ibidem hac die habitæ.

b Benedictio hæc in editis Pamel. & Angeli Roccæ non reperitur. Est in Benedictionali vulgato a Lambecio & Gussanv.

c Huic orationi in ed. Pamel. præmittitur, *ad S. Johannem, ad Vesperos*. Sequenti, *Præsta ... ut qui gratiam* &c. præfigitur, *ad S. Andream*.

d In Kalend. Rom. & apud Pamel. legitur, *ad S. Petrum*; convenit titulus Hom. 23. in Evangel. hac habitæ. Abest, *in albis*, a Kalend. Rom.

e Abest non solum ab aliis vulgatis, Pamel. Vatic. &c. sed etiam a Benedictionali jam laudato.

Ad Vesperos. A

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, a cunctis malis imminentibus, per hæc Paschalia festa liberemur. Per Dominum nostrum.

Ad fontes.

Concede quæsumus, omnipotens Deus, ut festa Paschalia, quæ venerando colimus, etiam vivendo teneamus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus qui populum tuum de hostis callidi servitute liberasti, preces ejus misericorditer respice, & adversantes ei tua virtute prosterne. Per Dominum nostrum. B

a [a] FERIA III. IN ALBIS.

N. 143. DEus qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas, concede famulis tuis, ut ^N sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Per.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, fidelium preces, cum oblationibus Hostiarum: ut per hæc piæ devotionis officia, ad cælestem gloriam transeamus. Per. C

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui oblatione sui corporis, remotis sacrificiorum carnalium

N. 144. observationibus, ^N seipsum tibi sacram Hostiam, Agnumque immaculatum summus Sacerdos pro salute nostra immolavit. Per quem.

„ TE IGITUR, sicut in Pascha. D

Benedictio.

Deus qui vos lavit aqua sui lateris, & redemit effusione cruoris, ipse in vobis confirmet gratiam adeptæ Redemtionis. Amen. Per quem renati estis ex aqua & Spiritu sancto, ipse vos cælesti consociet regno. Amen. Quique dedit vobis initia sanctæ fidei, ipse conferat & perfectionem operis, & plenitudinem caritatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum. E

N. 145. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Paschalis perceptio sacramenti ^N continua in nostris mentibus perseveret. Per.

Ad Vesperos.

Concede, quæsumus, omnipotens, Deus, ut qui Paschalis festivitatis solemnia colimus, in tua semper sanctificatione vivamus. Per.

b [b] *Ad fontes.*

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut per hæc Paschalia festa, quæ colimus, devoti in tua semper laude vivamus. Per. F

Alia.

Deus qui conspicis familiam tuam omni humana virtute destitui, Paschali inveniente festivitate, tui eam brachii protectione custodi. Per.

[c] FERIA IV. IN ALBIS.

DEus qui nos Resurrectionis Dominicæ annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut per temporalia festa, quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per eumdem.

Super Oblata.

Sacrificia, Domine, Paschalibus gaudiis immolamus, quibus Ecclesia mirabiliter & ^N nascitur & nutritur. Per. N. 146.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et pietatem tuam indefessis precibus implorare, ut qui Paschalis festivitatis solemnia colimus, in tua semper sanctificatione vivamus. Quo per temporalis festi observationem pervenire mereamur ad æternorum gaudiorum continuationem. Per Christum Dominum nostrum.

TE IGITUR, sicut in Pascha.

[d] *Benedictio.* d

Dominus Deus noster vos perducat ad arborem vitæ, qui eruit de lacu miseriæ. Amen. Ipse vobis aperiat januam paradisi, qui confregit portas inferni. Amen. Ipse vos eruat flagello, & in regnum suum perducat confitentes, qui pati dignatus est pro impiis innocens. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Ab omni nos, quæsumus, Domine, vetustate purgatos, sacramenti tui veneranda perceptio in novam transferat creaturam. Per Dominum nostrum.

Ad Vesperos.

Præsta, quæsumus, omnipotens, Deus, ut hujus Paschalis festivitatis mirabile sacramentum, & temporalem nobis tranquillitatem tribuat, & vitam conferat sempiternam. Per.

Ad fontes.

Deus qui nos per Paschalia festa lætificas, concede propitius, ut ea, quæ devote agimus, te adjuvante, fideliter teneamus. Per.

Alia.

Tribue, quæsumus, omnipotens Deus, ut illuc tendat Christianæ devotionis affectus, quo tecum est nostra substantia. Per eumdem.

[e] FERIA V. IN ALBIS. e

DEus qui diversitatem Gentium in confessione tui nominis adunasti, da ut renatis fonte baptisma-

a Statio hujus feriæ tam in editis quam in mss. est, *ad S. Paulum*. Desideratur *in albis*, in cod. Reg. Suec. tam hic, quam in sequentibus feriis.

b In ed. Angeli Roccæ non inscribitur hæc oratio, *ad fontes*, ut hic & in ed. Pamel. consentientibus mss.

c Pro statione additur in ed. Pamel. *ad S. Laurentium foris muros*. Duo ultima verba desunt in Kalend. Rom. & in duobus Theod. necnon in tit. Hom. 24. in Evang. hodie habitæ.

d Benedictionale laudatum hanc bened. non exhibet.

e Unanimi consensu librorum nostrorum, tam excusorum quam manu exaratorum, assignatur statio, *ad Apostolos*.

ptismatis, una sit fides mentium, & pietas actionum. Per. A

Super Oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, munera populorum tuorum propitius: ut confessione tui nominis, & baptismate renovati, sempiternam beatitudinem consequantur. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui nos per Paschale mysterium docuit vetustatem vitæ relinquere, & in novitate B spiritus ambulare, a quo perpetuæ mortis superatur acerbitas, & æternæ vitæ fidelibus tribuitur integritas. Per quem Majestatem.

„ TE IGITUR, sicut in Pascha.

b [a] *Benedictio.*

Omnipotentis Dei & Domini nostri benedictionibus repleamini, cujus estis sanguine pretioso redemti. Amen. Ejus vos indeficiens repleat gratia, cujus ineffabilis plasmavit potentia, [N] & qui N. 347. vobis in hoc mundo præstitit conditionem nascendi, ipse in regno æterno tribuat mansionem sine C fine vivendi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Exaudi, Domine, preces nostras: ut Redemtionis nostræ sacrosancta commercia, & vitæ nobis conferant præsentis auxilium, & gaudia sempiterna concilient. Per.

Ad Vesperos.

Deus qui in nobis ad celebrandum Paschale sacramentum liberiores animos præstitisti: doce N. 348. nos & metuere [N] quod irasceris, & amare quod D præcipis. Per.

b [b] *Ad fontes.*

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut Ecclesia tua, & suorum firmitate membrorum, & nova semper fœcunditate lætetur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Multiplica, quæsumus, Domine, fidem populi tui: ut cujus per te sumsit initium, per te consequatur augmentum. Per. E

c [c] FERIA VI. IN ALBIS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum in reconciliationis humanæ fœdere contulisti: da mentibus nostris, ut quod professione celebramus, imitemur effectu. Per.

Super Oblata.

Hostias, quæsumus, Domine, placatus assume, quas & pro renatorum expiatione deferimus, & pro acceleratione cælestis auxilii. Per. F

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui secundum promissionis suæ incommutabilem veritatem, cælestis Pontifex factus in æternum, [N] so- N. 349. lus omnium Sacerdotum peccati remissione non eguit, sed [N] potius peccatum mundi idem verus N. 350. Agnus abstersit. Per quem.

„ TE IGITUR, sicut in Pascha.

[d] *Benedictio.* d

Benedicat vos de cælis omnipotens Deus, qui per crucem & sanguinem Passionis suæ vos dignatus est redimere in terris. Amen. Ipse vos renovet a vetustate peccati, qui pro vobis dignatus est crucifigi, vosque ad cælestia suscitet, qui pro vobis inferos penetravit. Amen. Vitam suam Dominus vobis tribuat, qui mortem vestram suscepit, & perdidit. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Respice, quæsumus, Domine, populum tuum: & quem æternis dignatus es renovare mysteriis, a temporalibus culpis dignanter absolve. Per Dominum nostrum.

Ad Vesperos.

Deus per quem nobis & redemtio venit & præstatur adoptio, respice in opera misericordiæ tuæ, ut in Christo renatis & æterna tribuatur hereditas & vera libertas. Per eumdem.

Ad fontes.

Adesto, quæsumus, Domine, familiæ tuæ, & dignanter impende: ut quibus fidei gratiam contulisti, & coronam largiaris æternam. Per Dominum nostrum.

[e] SABBATO IN ALBIS. e

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa Paschalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per.

Super Oblata.

Concede, quæsumus, Domine, semper nos per hæc mysteria Paschalia gratulari: ut continua nostræ reparationis operatio, perpetuæ nobis fiat causa lætitiæ. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Per quem supplices exposcimus, ut cujus muneris pignus accepimus, manifesta dona comprehendere valeamus. Et quæ nobis fideliter speranda Paschale contulit sacramentum, per Resurrectionis ejus attingere mereamur ineffabile mysterium. Per quem.

„ TE IGITUR, sicut in Pascha.

Benedictio.

Ad

a Hujus bened. ne quidem Benedictionale meminit.
b Omittitur, *ad fontes*, in ed Vatic. & Gussanvil.
c Pro statione legitur in Kalend. Rom. in cod. Pamel. &c. *ad S. Mariam ad martyres*.
d In nullis librorum nostr. hæc occurrit.

e Pro statione in ed. Pamel. legitur, *ad S. Johannem in Lateranis*. Abest *in Lateranis* a cod. Reg. Suec & ab utroque Theodor. Kalend. Rom. tantum habet, *ad Lateranis*. In titulo hom. 26. in Evang. *cum fero esset* &c. quod hodie legitur juxta Kalend. Rom. habes quoque factam esse in basil. S. Johan. quæ dicitur Constantiniana.

Ad complendum.

N. 351. Redemtionis nostræ munere vegetati, quæsumus, Domine, ut hoc perpetuæ salutis auxilium fides semper vera [N] perficiat. Per.

Ad Vesperos.

Deus totius Conditor creaturæ, famulos tuos, quos fonte renovasti baptismatis, quosque gratiæ tuæ plenitudine solidasti, in adoptionis sorte facias dignanter adscribi. Per Dominum nostrum.

Ad fontes.

Deus, qui multiplicas Ecclesiam tuam in sobole renascentium, fac eam gaudere propitius de suorum profectibus filiorum. Per Dominum nostrum.

N. 352. [N] DOMINICA OCTAVAS [a] PASCHÆ.

a PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Paschalia festa peregimus, hæc, te largiente, moribus & vita teneamus. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Suscipe munera, quæsumus, Domine, exultantis Ecclesiæ: & cui causam tanti gaudii præstitisti, perpetuum fructum concede lætitiæ.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te suppliciter obsecrare, ne nos ad illum sinas redire actum cui jure dominatur inimicus: sed in hac potius facias absolutione persistere, per quam diabolus extitit, Filio tuo vincente, captivus. Et ideo cum Angelis.

b [b] *Benedictio,*

Deus, cujus Unigenitus discipulis suis januis elausis dignatus est apparere, suæ vos benedictionis douo locupletare, & cælestis vobis regni januas dignetur aperire. Amen. Et qui ab eorum pectoribus attactu sui corporis vulnus amputavit dubietatis, concedat ut per fidem, qua eum resurrexisse creditis, omnium delictorum maculis careatis. Amen. Et qui cum Thoma Deum & Dominum creditis, & ceruuis vocibus invocatis, ab eo & in hoc seculo a malis omnibus tueri, & in futuro Sanctorum cœtibus adscisci valeatis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine Deus uoster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per.

Alia.

Deus qui nos fecisti hodierna die Paschalia festa celebrare, fac nos, quæsumus, iu cælesti regno gaudere. Per.

Ad Vesperos.

Deus qui nos exultantibus animis Pascha tuum

A celebrare tribuisti: fac nos, quæsumus, & temporalibus gaudere subsidiis, & æternitatis affectibus gratulari. Per Dominum nostrum.

[N] ALIÆ [c] ORATIONES PASCHALES. N. 353. C

DEus, qui credentes in te fonte baptismatis innovasti, hanc renatis in Christo concede custodiam: ut nullo erroris incursu gratiam tuæ benedictionis amittant. Per eumdem.

Alia.

Deus, qui ad æternam vitam in Christi Resur-
B rectione nos reparas, erige nos ad consedentem in dextera tua nostræ salutis auctorem: ut qui propter nos judicandus advenit, pro nobis judicaturus adveniat Jesus Christus filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit & regnat.

Alia.

Deus & reparator innocentiæ & amator, dirige ad te tuorum corda servorum: ut de infidelitatis tenebris liberati, numquam a tuæ veritatis luce discedant. Per Dominum.

Alia.

C Deus, qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas, respice propitius ad electionem tuam: ut qui sacramento baptismatis sunt renati, regni cælestis mereantur introitum. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humanam naturam supra primæ originis reparas dignitatem, respice pietatis tuæ ineffabile sacramentum: & quos regenerationis mysterio innovare dignatus es, in his dona tua perpetuæ gratiæ protectione
D conserva. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, deduc nos ad societatem cælestium gaudiorum, ut Spiritu sancto renatos regnum tuum facias introire: atque eo perveniat humilitas gregis, quo præcessit celsitudo Pastoris. Qui tecum vivit.

Alia.

Deus, qui pro salute mundi sacrificium Paschale fecisti, propitiare supplicationibus nostris: & interpellans pro nobis Pontifex summus, [N] nos per N. 354.
E id quod nostri est similis reconciliet; per id quod tibi est æqualis absolvat Jesus Christus filius tuus.

Alia.

Præsta nobis, omnipotens & misericors Deus, ut in Resurrectione Domini nostri Jesu Christi percipiamus veraciter portionem. Qui tecum vivit.

Alia.

Deus qui ad æternam vitam in Christi Resurrectione nos reparas, imple pietatis tuæ ineffabile sa-
F cramentum: ut, cum in Majestate sua Salvator noster advenerit, quos fecisti baptismo regenerari, facias beata immortalitate vestiri. Per eumdem.

Alia.

a Apud Pamelium solum subditur, *ad S. Pancratium*. Nulla statio assignatur in Kalend. Rom. Secundus Theoder. habet, *ad SS. Cosmam & Damianum*, quod etiam præfigitur in cod. Reg. Suec. orationi ad Vesperos ejusdem Dominicæ.

b Hæc benedictio nullibi nobis occurrit, præterquam in codice Grimoldi, quem Pamelius edidit Liturgic. Tomo 2 ubi tamen pro, *Et qui ab eorum*, legitur, *Ut qui ab eorum*, &c.

c Apud Pamelium longe plures assignantur orationes Paschales, & pleræque a nostris diversæ.

Alia. A

Deus humani generis Conditor, & Redemtor, da quæsumus, ut reparationis nostræ collata subsidia, te jugiter inspirante, sectemur. Per.

Alia.

Deus, qui renatis ex aqua & Spiritu sancto cælestis regni pandis introitum, auge super famulos tuos gratiam, quam dedisti: ut qui ab omnibus sunt purgati peccatis, nullis priventur promissis. Per. B

Alia.

Conserva in nobis, quæsumus, Domine, misericordiam tuam: ut quos ab erroris liberasti caligine, veritatis tuæ firmius inhærere facias documento. Per Dominum.

Alia.

Solita, quæsumus, Domine, nos pietate custodi, ut qui Unigeniti tui Passione sunt redemti, ejus Resurrectione lætentur. Per eumdem.

Alia. C

Omnipotens sempiterne Deus, propensius his diebus tuam misericordiam consequamur, quibus eam plenius, te largiente, cognovimus. Per.

xviij. Kalendas Maii.

NAT. SS. TIBURTII, VALERIANI, [a] ET MAXIMI.

a PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum tuorum Tiburtii, Valeriani, & Maximi solemnia colimus, eorum etiam virtutes imitemur. Per Dominum nostrum. D

Super Oblata.

Hostia hæc, quæsumus, Domine, quam Sanctorum tuorum natalitia recensentes offerimus, & vincula nostræ pravitatis absolvat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: E Et te in sanctorum Martyrum tuorum festivitate laudare, qui semper es mirabilis in tuorum commemoratione Sanctorum, & magnæ fidei largiris affectum, & tolerantiam tribuis passionum, & antiqui hostis facis superari machinamentum: quo egregii Martyres tui ad capiendam supernorum beatitudinem præmiorum, nullis impediantur retinaculis blandimentorum. Per Christum.

Ad complendum.

Cælesti munere saginati, quæsumus, Domine F N. 115. Deus noster, ut hæc nobis dona Martyrum tuorum intercessio beata sanctificet. Per.

ix Kalendas Maii.

NAT. S. GEORGII [b] MARTYRIS. b

DEus, qui nos beati Georgii Martyris tui meritis & intercessione lætificas: concede propitius, ut qui ejus beneficia poscimus, N dona tuæ gratiæ consequamur. Per. N. 116.

Super Oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica: & intercedente Beato Georgio Martyre tuo, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Pro cujus nominis veneranda confessione, Beatus Martyr Georgius diversa supplicia sustinuit, & ea devincens, coronam perpetuitatis promeruit. Per quem Majestatem tuam.

Ad complendum.

Beati Georgii Martyris tui, Domine, suffragiis exoratus, percepta sacramenti tui nos virtute defende. Per.

vij. N [c] Kalendas Maii. N. 117. c

NAT. S. MARCI EVANGELISTÆ.

DEus, qui beatum Marcum Evangelistam tuum, Evangelicæ prædicationis gratia sublimasti: tribue, quæsumus, ejus nos semper & eruditione proficere & oratione defendi. Per.

Super Oblata.

Beati Marci Evangelistæ tui solemnitate tibi munera deferentes, quæsumus, Domine, ut sicut illum prædicatio Evangelica fecit gloriosum, ita nos ejus intercessio & verbo & opere tibi reddat acceptos. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cujus gratia Beatum Marcum in Sacerdotium elegit, doctrina ad prædicandum erudiit, potentia ad perseverandum confirmavit: ut per Sacerdotalem infulam N perveniret ad martyrii palmam: docensque subditos, instruens vivendi exemplo, confirmans patiendo, ad te coronandus perveniret, qui persecutorum minas intrepidus superasset. Cujus interventus, nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, qui tibi placuit tot donorum prærogativis. Per quem Majestatem. N. 118.

[d] B. R. d

Ad complendum.

Tribuant nobis, quæsumus, Domine, continuum

a Deest, *Maximi*, In cod. Reg. Suec. In Kal. Rom. legitur, *Maximiani*. Observat Johan Fronto in Kalend Rom. *Maximi* nomen in Antiphonario quoque omissum.

b Abest, *martyris*, a Kalend. Rom. In cod. Reg. Suec. post, *natal. S. Georgii*, legitur, *& S. Reguli Episcopi*.

c In Kal. Rom. & in edit. Pamel. consentientibus mss. Reg. Suec. duob. Theod & Gemet. *Litania major*, nulla S. Marci facta mentione, præterquam apud Pamel. ubi intra uncinos includitur, *officium S. Marci*, quod significat in antiq. codicibus desiderari.

d Id est, *benedictionem require*.

nuum tua sancta præsidium, quod Beati Marci A Evangelistæ tui precibus nos ab omnibus semper tueatur adversis. Per.

iv. Kalendas Maii.

N. 359 NAT. S. N VITALIS a MARTYRIS.

a

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente Beato Vitale Martyre tuo, & a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, &
b a pravis cogitationibus b mundemur in mente. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio: & ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur. Per.

Ad complendum.

Exultet, Domine, populus tuus in sancti tui commemoratione Vitalis: & cujus votivo lætatur officio, suffragio relevetur optato. Per.

Kalendis Maii. C

c NAT. c SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

DEus, qui nos annua Apostolorum tuorum Philippi & Jacobi solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per.

Super Oblata.

Munera, Domine, quæ pro Apostolorum tuorum Philippi & Jacobi solemnitate deferimus, D propitius suscipe: & mala omnia, quæ meremur, averte. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Ecclesiam tuam in Apostolica soliditate firmasti: de quorum consortio sunt Beati Philippus & Jacobus, quorum Passionis hodie festa veneramur: poscentes, ut sicut eorum doctrinis instruimur, ita exemplis muniamur, & precibus adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum.

N. 360. N B. R.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut quorum mysteria celebramus, eorum orationibus adjuvemur. Per Dominum.

Super populum.

Beatorum Apostolorum Philippi & Jacobi honore continuo, Domine, plebs tua semper exul- F tet: & his Præsulibus gubernetur, quorum & doctrinis gaudet & meritis. Per.

v. Nonas Maii.

NAT. SS. N ALEXANDRI, EVENTII, ET THEODOLI. N. 361.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui sanctorum tuorum Alexandri, Eventii, & Theodoli natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

Super Oblata.

Super has Hostias, Domine, benedictio co- B piosa descendat, quæ & sanctificationem nobis clementer operetur, & de Martyrum nos solemnitate lætificet. Per.

Ad complendum.

Pasce nos, Domine, tuorum gaudiis ubique Sanctorum: quia nostræ salutis augmenta sunt, quoties illis honor impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris. Per.

Eodem die.

N d INVENTIO SANCTÆ CRUCIS. N. 362. d

DEus qui in præclara salutiferæ Crucis Inventione, N passionis tuæ miracula suscitasti: concede, ut vitalis ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur. Quis vivis & regnas. N. 363.

Super populum.

Sacrificium, Domine, quod immolamus, placatus intende: ut ab omni nos exuat bellorum nequitia, & per vexillum sanctæ Crucis Filii tui, ad conterendas potestatis adversæ insidias, nos in tuæ protectionis securitate constituat. Per eumdem.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui N per N. 364. Passionem Crucis mundum redemit, & antiquæ arboris amarissimum gustum Crucis medicamine indulcavit: mortemque quæ per lignum vetitum venerat, per ligni trophæum devicit, ut mirabili suæ pietatis dispensatione, qui per li- E gni gustum a florigera sede discesseramus, per Crucis lignum ad paradisi gaudia redeamus. Per quem.

e *Benedictio.* e

Benedicat vobis omnipotens Deus, qui per Unigeniti sui Domini nostri Jesu Christi Passionem & Crucis patibulum, genus redemit humanum. Amen. Concedatque vobis, ut cum omnibus Sanctis, N quæ sit ejusdem Crucis longitudo, latitudo, N. 365. sublimitas, & profundum, mente devota comprehendere possitis. Amen. Quatenus vosmetipsos abnegando, crucemque gestando, ita in præsentis vitæ stadio Redemtorem nostrum possitis sequi; ut ei inter choros Angelorum post obitum mereamini adscisci. Amen. Quod ille præstare, &c.

a Abest, *martyris*, ab ed. Pamel. & a Kalend. Rom.
b Pamel. reluctante cod. Reg. Suec. & aliis mss. *liberemur in mente*.
c In edit. Vatic. & Gussanv. pridie celebratur vigilia Sanctorum illorum Apostolorum.

d In Kal. Rom. & in antiquis codd. minime extat hoc festum. Habetur tamen in secundo Theodor. & in edit. Pamelii, etsi fateatur abesse a suo cod. Colon.
e Reperitur in Benedictionali; *in festivitate S. Crucis*.

Ad Complendum.

Repleti alimonia cælesti, & spiritali poculo recreati, quæsumus, omnipotens Deus, ut ab hoste maligno defendas, quos per lignum sanctæ Crucis filii tui, arma justitiæ pro salute mundi triumphare jussisti. Qui tecum.

Alia.

N. 366. Deus qui omnia verbo tuo fecisti, supplices quæsumus ineffabilem clementiam tuam: ut quos per lignum sanctæ crucis filii tui pio cruore [N] es dignatus redimere, omnibus in te credentibus dira serpentis venena extinguas, & per gratiam Spiritus sancti poculum salutis semper infundas. Per eumdem.

Pridie Nonas Maii.

N. 367. [a] NAT. [N] S. JOHANNIS ANTE PORTAM LATINAM.

DEus qui conspicis quia nos undique mala nostra perturbant: præsta, quæsumus, ut B. Johannis Apostoli tui intercessio gloriosa nos protegat. Per.

Super Oblata.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque [b] susceptis, & cælestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum.

Ad Complendum.

Refecti, Domine, pane cælesti, ad vitam, quæsumus, nutriamur æternam. Per.

vj. Idus Maii.

N. 368. NAT. S. [N] GORDIANI ET EPIMACHI.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatorum Gordiani atque Epimachi solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur. Per.

Super Oblata.

Hostias tibi, Domine, beatorum Martyrum Gordiani atque Epimachi dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per.

Ad Complendum.

Quæsumus omnipotens Deus, ut qui cælestia alimenta percepimus, intercedentibus sanctis tuis Gordiano atque Epimacho, per hæc contra adversa omnia muniamur. Per.

iv. [c] Idus Maii.

N. 369. NAT. [N] S. PANCRATII MARTYRIS.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui B. Pancratii Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus ejus intercessionibus liberemur. Per Dominum.

Super Oblata.

Munera, quæsumus, Domine, tibi dicata sanctifica: & intercedente B. Pancratio Martyre tuo, per eadem nos placatus intende.

[N] B. R. N. 370.

Super populum.

Beati Pancratii Martyris tui, Domine, intercessione placatus, præsta, quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua [N] salutatione capiamus. Per. N. 371.

iij. Idus Maii.

[N] NAT. [d] SANCTÆ MARIÆ AD MARTYRES. N. 372.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ad eorum gaudia æterna pertingere, de quorum nos virtute tribuis annua solemnitate gaudere. Per.

Super Oblata.

Super has, quæsumus, hostias, Domine, benedictio copiosa descendat, quæ & sanctificationem nobis clementer operetur, & de martyrum nos solemnitate lætificet. Per.

Ad Complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deservire concedas. Per.

viij. Kalendas [e] Junii.

[N] NAT. S. URBANI PAPÆ. N. 373.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui B. Urbani Martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per.

Super Oblata.

Hæc hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra crimina: & intercedente B. Urbano Martyre tuo, [N] sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. N. 374.

Ad Complendum.

B. Urbani Martyris tui atque Pontificis, Domine, intercessione placatus, præsta, quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua salvatione capiamus. Per Dominum nostrum.

[f] *Dominica Prima.*

POST OCTAVAS PASCHÆ.

DEus, qui in filii tui humilitate jacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam lætitiam

a Omittitur hoc festum in Kal. Rom. Illius officium continetur in cod. Reg. Suec.
b Idem codex habet, *conceptis*.
c In Kalend. Rom. & ed. Pamel. *nat. SS. Nerei, & Achillei, & Pancratii*. Solius S. Pancratii meminit cod. Reg. Suec. Observandum est in Kalend. Rom. prius annotari festum SS. Nerei & Achillei, & postea S. Pancratii.

d In sola edit. Pamel. *Dedicatio basilicæ S. Mar.* &c. reluctante ipso cod. Reg. Suec.
e Ante hoc festum, in ed. Pamel. legitur, *Ascensa Domini, ad S. Petrum*. Item *Dominica post ascensa*. Denique *festum S. Potentianæ Virg.* Quod etiam exhibet Kalend. Rom. ad diem 19. Maii, sed sub nomine S. Pudentianæ.
f Hæc Dominica post Pascha vacat cum ceteris in ed. Pamel.

tiam concede: ut quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudiis facias sempiternis perfrui. Per.

Super Oblata.

Digne nos tuo nomini, quæsumus, Domine, famulari salutaris cibus & sacer potus efficiat, ut renovatio conditionis humanæ, quam mysteria continent, in nostris jugiter sensibus offeratur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus: Et immensam bonitatis tuæ pietatem humiliter exo- B
rare: ut ignorantiam nostræ mortalitatis attendens, ex tua inspiratione nos facias postulare quod rectum est, & tua clementia tribuas impetrare quod poscimus. Per Christum.

Benedictio.

a [a] Benedicat vos omnipotens Deus. qui vos gratuita miseratione creavit, & in resurrectione Unigeniti sui spem vobis resurgendi concessit. Amen. Resuscitet vos de vitiorum sepulcris, qui eum resuscitavit a mortuis. Amen. Et cum eo sine fine feliciter vivatis, quem resurrexisse a mortuis veraciter creditis. Amen. Quod ipse præstare. C

Ad complendum.

Paschalia nobis, quæsumus Domine, remedia dignanter impende; ut terrena desideria respuentes, discamus amare cælestia. Per.

Super populum.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio; ut Paschali interveniente solemnitate, ab omni pravitate de- D
fensa donis cælestibus prosequatur. Per.

Dominica secunda.

POST OCTAVAS PASCHÆ.

DEus qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis: da cunctis qui Christiana professione censentur, & illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari. Per.

Super Oblata. E

Deus qui solemnitate Paschali cælestia mundo remedia benignus operaris, annua festivitatis hujus dona prosequere; ut observantia temporalis ad vitam nobis proficiat sempiternam. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Qui de Virgine nasci dignatus, per Passionem & mortem a perpetua nos morte liberavit, & resurrectione sua æternam nobis vitam contulit. Per quem.

b [b] *Benedictio.*

Deus qui per resurrectionem Unigeniti sui vobis contulit & bonum Redemtionis & decus adop- A
tionis, suæ vobis conferat præmia benedictionis. Amen. Et quo redimente percepistis donum perpetuæ libertatis, eo largiente consortes efficiamini æternæ hereditatis. Amen. Et cui consurrexistis in baptismate credendo, adjungi mereamini in cælesti regione bene vivendo. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, jam non teneamur obnoxii sententiæ damnationis humanæ, cujus nos vinculis hæc Redemtio Paschalis absolvit.

Alia.

Fac, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Paschalibus remediis innovati similitudinem terreni parentis evasimus, ad formam cœlestis transferamus auctoris. Qui tecum.

Dominica Tertia

POST OCTAVAS PASCHÆ.

DEus qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per.

Super Oblata.

Exuberet, quæsumus, Domine, in mentibus nostris Paschalis gratia sacramenti, ut donis suis ipse nos dignos efficiat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et [N] tui misericordiam muneris postulare, ut N. 371.
tempora, quibus post Resurrectionem suam Dominus noster Jesus Christus discipulis suis corporaliter apparuit, sic [N] ipso opitulante pia de- N. 376.
votione tractemus, quatenus in his omnium vitiorum sordibus careamus. Per.

[N] *Benedictio.* N. 517.

Ad Complendum.

Concede, quæsumus, misericors Deus, ut quod Paschalibus exequimur institutis, salutiferum nobis omni tempore sentiamus. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Gaudeat, Domine, plebs fidelis; & cum propriæ recolit salvationis exordia, ejus promoveatur augmentis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Dominica Quarta.

POST OCTAVAS PASCHÆ.

DEus a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt; & te gubernante eadem faciamus. Per.

Super Oblata.

Clementiam tuam, Domine, suppliciter exora-

a Hæc benedictio in Benedictionali Greg. assignatur, *De Resurrectione*, post benedictionem octavæ Paschæ.

b Legitur in Benedictionali post præcedentem.

ramus, ut Paschalis muneris sacramentum, quod A fide recolimus, & spe desideramus intenti, perpetua dilectione capiamus. Per.

Præfatio.

N. 377. Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et N Majestatem tuam indefessis precibus exorare, ut mentes nostras bonis operibus semper informes. Quia sic erimus præclari muneris prompta sinceritate cultores, si ad meliora jugiter

N. 378. transeuntes, N Paschale mysterium studeamus habere perpetuum. Per Christum.

Benedictio.

Ad complendum.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut percipientes Paschali munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per Dominum nostrum.

Feria 3.

N. 380. IN N a LITANIA MAJORE.

N. 381. MEntem familiæ tuæ, quæsumus Domine, intercedente Beato Ill. & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per Dominum.

Alia.

Deus qui culpas delinquentium districte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuses: ut qui pondus tuæ animadversionis cognovimus, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per.

Alia.

N. 382. Parce, quæsumus, Domine, parce populo tuo: & nullis jam patiaris adversitatibus N fatigari, quos pretioso Filii tui sanguine redemisti. Qui tecum.

Alia.

Deus qui culpas nostras piis verberibus percutis, ut nos a nostris iniquitatibus emundes, da nobis & de verbere tuo proficere, & de tua citius consolatione gaudere. Per Dominum nostrum.

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris: & sperantes in tua misericordia, intercedente Beato Petro Apostolo tuo cælesti protege benignus auxilio. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente Beato Petro Apostolo tuo, tuæ pietatis indulgentiam consequamur. Per b.

AD MISSAM.

N. 383. N PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia tua semper protectione muniamur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Sacrificium nostræ pœnitudinis jejunantes, Domine, tibi persolvimus, obsecrantes ut ejus virtute muniti, semper ad cæleste convivium festinemus. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Et te auctorem & sanctificatorem jejunii collaudare, per quod nos liberas a nostrorum debitis peccatorum. Ergo suscipe jejunantium preces; atque ut nos a malis omnibus propitiatus eripias, iniquitates nostras, quibus merito affligimur, placatus absolve. Per Christum.

c *Benedictio.*

Omnipotens Deus devotionem vestram dignanter intendat, & suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Indulgeat vobis mala omnia quæ egistis, & tribuat veniam quam ab eo deposcitis. Amen. Sicque N jejunii vestri & precum vota suscipiat, ut a vobis adversa omnia, quæ peccatorum retributione meremini, avertat, & donum in vos Spiritus paracliti infundat. Amen. Quod ipse præstare dignetur. N. 384.

Ad complendum.

Vota nostra, quæsumus, Domine, pio favore prosequere: ut dum dona tua in tribulatione percipimus, de consolatione nostra in tuo amore crescamus. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Prætende nobis Domine, misericordiam tuam: ut quæ votis expetimus, conversatione tibi placita consequamur. Per.

FERIA III.

COnserva, quæsumus, Domine, populum tuum, & ab omnibus, quas meretur, adversitatibus redde securum: ut tranquillitate percepta, devota tibi mente deserviat. Per Dominum nostrum.

Alia.

Afflictionem familiæ tuæ, quæsumus, Domine, intende placatus, ut indulta venia peccatorum, de tuis semper beneficiis gloriemur. Per.

Alia.

Ab omnibus nos, quæsumus, Domine, peccatis propitiatus absolve, ut percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus serviamus. Per Dominum.

Alia.

Precibus nostris, quæsumus, Domine, aurem tuæ pietatis accommoda, & orationes supplicum, occultorum cognitor, benignus exaudi: ut te largiente, ad vitam perveniant sempiternam. Per.

Alia. N. 385.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui N nostris fati-

a Apud Pam. & in Kalend. Rom. non hic assignatur Litan. Quæ vero exhibet Pamel. ad diem 25. Aprilis, ubi indicitur *Litania major*, a nostris omnino discrepant. Prior Theoder. hoc loco meminit Litaniæ maj. & fere convenit cum edit. Pamel. ad diem 25. Aprilis.

b Post hanc orat. in ed. Angeli Roccæ, seu Vat. sequuntur quatuor orationes quibus præmittitur: *Ad campum.*

c Extat in Benedictionali, & inscribitur, *De jejunio.*

tigamur offensis, & merito nostræ iniquitatis af- A fligimur, pietatis tuæ gratiam consequi mereamur. Per Dominum.

AD MISSAM.

Deus, qui nos conspicis in tot perturbationibus non posse subsistere, afflictorum gemitum propitius respice, & mala omnia, quæ meremur, averte. Per.

Super Oblata.

N. 384. Offerentium, quæsumus, Domine, vota multiplica, & omnes N veræ credulitatis instrumentis B perlustra. Sicque nobis per hoc sacrificium adesto placatus, ut nos & a peccatis & a periculis omnibus miseratus absolvas. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut non nos nostræ malitiæ, sed indulgentiæ tuæ præveniat semper affectus, qui nos a noxiis voluptatibus indesinenter expediat, & a mundanis cladibus dignanter eripiat. Per Christum. C

Ad complendum.

Purifica, quæsumus, Domine, tuorum corda fidelium: ut a terrena cupiditate mundati, & præsentis vitæ periculis exuantur, & perpetuis donis firmentur. Per.

FERIA IV.

Exaudi, Domine, populum tuum tota tibi mente subjectum; ut corpore & mente protectus, quod pie credit, tua gratia consequatur. Per. D

Alia.

Subjectum tibi populum, quæsumus, Domine, propitiatio cælestis amplificet, & tuis semper faciat servire mandatis. Per Dominum nostrum.

Alia.

Miserere jam, quæsumus, Domine, populo tuo, & continuis tribulationibus laborantem celeri propitiatione lætifica. Per Dominum nostrum.

Alia.

Auxiliare, Domine, quærentibus misericordiam tuam, & ad veniam confitentibus, parce supplicibus: ut, qui nostris meritis flagellamur, tua miseratione salvemur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui iram tuæ indignationis agnovimus, misericordiæ tuæ indulgentiam consequamur. Per.

Ad Missam.

Intende, quæsumus, Domine, preces nostras: & qui non operando justitiam, correptionem meremur, afflicti in tribulatione, clamantes respiremus auditi. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Pater, ut nostræ mentis intentio, quo solemnitatis hodiernæ gloriosus auctor ingressus est, semper intendat: &, quo fide pergit, conversatione perveniat. Per eumdem Dominum nostrum.

Super Oblata.

Jejunantium, Domine, quæsumus, supplicum vota propitius intuere; & munera præsentia sanctificans, perceptione eorum occulta cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis: ut nec opera carnalia, nec fluxa nos teneant, quos institutor jejunii Christus Dominus reparavit. Qui tecum.

Alia.

Sacrificium, Domine, pro Filii tui supplices venerabili, quam prævenimus, nunc Ascensione deferimus; præsta quæsumus, ut & nos per ipsum his commerciis sacrosanctis ad cælestia consurgamus. Per eumdem Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Ut quia tui est operis, si quod tibi placitum est, aut cogitemus, aut agamus: tu nobis semper & intelligendi quæ recta sunt, & exequendi tribuas facultatem. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum.

Tribue, Domine, quæsumus, ut per hæc sacra, quæ sumsimus, illuc tendat nostræ devotionis affectus, quo tecum est nostra substantia. Qui tecum vivit & regnat.

Super populum.

Familiæ tuæ, quæsumus, Domine, esto protector: & misericordiam tuam concede poscenti, quo tibi semper fiat obediens, & tua dona percipiat. Per.

IN a ASCENSA N DOMINI. N. 384

Ad Missam.

N Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum Redemtorem nostrum ad cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cælestibus habitemus. Per eumdem. N. 388. E

Super Oblata.

Suscipe, Domine, munera, quæ pro Filii tui Gloriosa Ascensione deferimus, & concede propitius, ut a præsentibus periculis liberemur, & ad vitam perveniamus æternam. Per eumdem.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, F Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: per Christum Dominum nostrum: qui post Resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, & ipsis cernentibus est elevatus in cælum, ut

a In Kalend. Rom. huic festo assignatur vigilia, & postea legitur, *Fer. V. in Ascensa Dom.* Ibi nulla est statio; at in ed. Pamel. legitur, *ad S. Petrum*, quod abest a cod. Reg. Suec.

ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes. Et A ideo cum Angelis.

TE IGITUR CLEMENTISSIME PATER &c.

Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster Unigenitus Filius tuus unitam sibi fragilitatis nostræ substantiam, in gloriæ tuæ conlocavit. Sed dextera & memoriam &c.

Benedictio.

Benedicat vobis Deus, cujus Unigenitus hodierna die cælorum alta penetravit, & vobis ubi ille est, ascendendi aditum patefecit. Amen. Conce- B dat propitius, ut sicut post resurrectionem suam discipulis visus est manifestus, ita vobis in judicium veniens videatur placatus. Amen. Et qui consedere Patri in sua majestate creditis, vobiscum manere usque in finem seculi secundum suam promissionem sentiat. Amen. Quod ipse præstare,

Ad complendum.

Præsta nobis, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut quæ visibilibus mysteriis sumenda percepimus, invisibili consequamur effectu. Per C Dominum nostrum.

Alia.

Tribue, quæsumus, omnipotens Deus, ut munere festivitatis hodiernæ, illuc filiorum tuorum dirigatur intentio, quo in tuo Unigenito tecum est nostra substantia. Qui tecum vivit & regnat,

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut sicut humani generis salvatorem consedere tecum D in tua Majestate confidimus; ita usque ad consummationem seculi manere nobiscum, quemadmodum est pollicitus, sentiamus Jesum Christum Dominum nostrum. Qui tecum.

Alia.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, illuc subsequi tuorum membra fidelium, quo caput nostrum principiumque præcessit Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum vivit & regnat Deus.

Alia. E

Deus cujus filius in alta cœlorum potenter ascendens, captivitatem nostram sua duxit virtute ca-
N. 389. ptivam: tribue, quæsumus, ut ᴺ dona, quæ suis
N. 390. ᴺ participibus contulit, largiatur & nobis Jesus Christus filius tuus.

Dominica prima

POST ASCENSIONEM DOMINI.

OMnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper & devotam gerere voluntatem, & Majestati tuæ sincero corde servire. Per. F

Super Oblata.

Sacrificia nos, Domine, immaculata purificent, & mentibus nostris supernæ gratiæ dent vigorem. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui generi humano nascendo subvenit, cum per mortem Passionis mundum devicit, per gloriam Resurrectionis vitæ æternæ aditum patefecit, & per suam Ascensionem ad cælos nobis spem ascendendi donavit. Per quem Majestatem.

[a] *Benedictio.* a

Benedictionum suarum super vos Dominus imbrem infundat, & caritatis suæ thesauros cælestes vobis aperiat. Amen. Faciat vos Dominus vitæ æternæ participes, & regni cælestis coheredes. Amen. Dignam in vobis habitationem Spiritus sanctus inveniat, ut ejus gloriosa majestas placide in vestris cordibus requiescat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Repleti, Domine, muneribus sacris, quæsumus, ut in gratiarum actione semper maneamus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus vita fidelium, gloria humilium, & beatitudo justorum, propitius respice supplicum preces: ut animæ, quæ promissiones tuas sitiunt, de tua semper abundantia repleamur. Per Dominum nostrum.

INCIPIUNT ORATIONES DE PENTECOSTE.

[b] *Die Sabbato* ᴺ *ante descensum Pontis.* b N. 391.

Lectio Libri Genesis. NOE, cum quingentorum esset annorum.

DEus, qui Ecclesiam tuam semper gentium vocatione multiplicas: concede propitius, ut quos aqua baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per Dominum.

„ Lectio Libri Deuteron. SCRISIT Moyses
„ Canticum: ATTENDE CÆLUM.

Deus, qui nobis per Prophetarum ora præcepisti, temporalia relinquere, atque ad æterna festinare: da famulis tuis, ut quæ a te jussa cognovimus, implere cælesti inspiratione valeamus. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Levitici. CUM ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis.

Deus, qui diversitatem omnium Gentium in confessione tui nominis adunasti, da nobis & velle & posse quod præcipis: ut populo ad æternitatem vocato, una sit fides mentium & pietas actionum. Per.

„ Lectio Isaiæ Prophetæ. APPREHEN-
„ DENT septem mulieres.
„ Canticum: VINEA.

Deus incommutabilis virtus & lumen æternum, respice propitius ad totius Ecclesiæ mirabile sacramentum: & da famulis tuis, ut hoc, quod devote agimus, etiam rectitudine vitæ teneamus. Per Dominum nostrum.

Can-

a Nullibi hanc benedictionem invenimus.
b Apud Pamel. *in Sabbato Pentecostes*, & in Kalend. Rom. *Die Sabbat. in Vigilia Pentecostes.*

Canticum de Psal. XLI. SICUT CERVUS desiderat ad fontes. A

Post Tractum.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ot qui solemnitatem doni Spiritus sancti colimus, cælestibus desideriis accensi, fontem vitæ sitiamus. Per.

Oratio ad Missam post Ascensum Fontis.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut claritatis tuæ super oos splendor effulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam ruam renati sunt, sancti Spiritus illustratione confirmet. Per B Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum qui tecum vivit, & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti.

Super Oblata.

Hostias populi tui, quæsumus, Domine, miseratus intende: et ut tibi reddantur acceptæ, conscientias nostras sancti Spiritus salutaris emundet adveotus. Per Dominum. &c. in unitate.

Præfatio.

C

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine
N. 392. sancte, pater omnipotens, æterne Deus: N Qui sacramenrum Paschale consummans, quibus per Unigeniti tui consortium filios adoptionis esse tribuisti, per Spiritum Sanctum largiri dona gratiarum, & sui cohæredibus Redemtoris jam nunc supernæ pignus hereditatis impendis: ut tanto se certius ad eum confidant esse venturos, quanto se sciunt ab eo redemtos, & sancti Spiritus infusione ditatos. Et ideo cum Angelis:

TE IGITUR, &c.

D

N. 393. Communicantes, & N diem sacratissimum Pentecostes prævenientes, quo Spiritus sanctus Apostolos, plebemque credeotium præsentia suæ Majestatis implevit. Sed & memoriam venerantes. &c.

Hanc igitur oblatiooem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto, tribueos eis remissionem omnium peccatorum, quæsumos, ut placatus.

a *Benedictio.* [a]

Benedicat vobis omnipotens Deus, ob cujus paracliti Spiritus adventum mentes vestras jejunii E observantia præparatis, & præsentem diem solemnibus laudibus honoratis. Amen. Instar modo renatorum infanöum talem inoocentiam habeatis, ut templum sancti spiritus ipso tribuente esse possitis. Amen. Atque idem Spiritus sanctus ita vos hodie sua habitatione dignos efficiat, ot cras se vestris mentibus vobiscum perpetim habitaturus infundat, & peracto præsentis vitæ curriculo vos ad cælestia dona perducat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Præsta, quæsumos, omnipotens Deus, ut Spi- F ritus sanctus adveniens, Majestatem nobis Filii tuà manifestando clarificet. Per eumdem. In unitate ejusdem.

Alia.

Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ multiplicatur & regitur, conserva in nova familiæ tuæ progenie sanctificationis gratiam, quam dedisti: ut corpore & mente renovati, in unitate fidei ferventes, tibi Domino servire mereantur. Per Dominum nostrum. In unitate ejusdem.

DIE [b] SANCTO PENTECOSTES. b

Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per. In unitate ejusdem.

Super Oblata.

Munera, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, & corda nostra illustratione sancti Spiritus emunda. Per. In unitate ejusdem.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: per
Christum Dominum nostrum; Qui N ascendens N. 394.
super omnes cælos, sedensque ad dexteram tuam promissum Spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & supernæ virtutes, atque angelicæ potestates hymnus gloriæ tuæ concinunt, sine fine dicentes.

TE IGITUR, &c.

Communicantes, & diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus sanctus Apo-
stolis N io igneis linguis apparuit. Sed & me- N. 395.
moriam.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ, tuæ, quam tibi offerimos, pro his quoque regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, ut placatus.

c *Benedictio.* [c]

Deus, qui hodiarna die discipulorum mentes Spiritus parácleti infusione dignatus est illustrare, faciat vos sua benedictione repleri, & ejusdem Spiritus doots exuberare. Amen. Ille ignis, qui super discipulos apparuit, peccatorum vestrorum sordes expurget, & sui luminis infusione corda vestra perlustret. Amen. Quiqne dignatus est diversitatem linguarum io unius fidei confessione adunare, in eadem vos faciat fide perseve-
rare, & per hanc N a spe ad speciem perveni- N. 396.
re. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio: & sui roris intima aspersione fecundet. Per Dominum.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale Sacramentum quinquaginta dierum voluisti mysterio contineri: præsta, ut gentium facta dispersio divisione linguarum, ad unam confessio-

a Extat in Vigil. Pentecostes, in Benedictionali Greg.
b Apud Pamel. pro Statione ad S. Petrum.
c In Benedictionali assignatur etiam pro Pentecoste.

nem tui nominis, cælesti munere congregetur. Per Dominum.

Alia.

Deus, qui Sacramento festivitatis hodiernæ Ecclesiam tuam in omni gente & natione sanctificas: in totam mundi latitudinem Spiritus tui dona diffunde. Per.

a FERIA II.

DEus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum: ut quibus dedisti fidem, largiaris & pacem. Per.

Super Oblata.

Propitius, Domine, quæsumus, hæc dona sanctifica: & Hostiæ spiritalis oblatione suscepta, nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui promissum Spiritum paraclitum super discipulos misit: qui principio nascentis Ecclesiæ cunctis gentibus imbuendis, & Deitatis scientiam inderet, & linguarum diversitatem in unius fidei confessione sociaret. Per quem Majestatem tuam supplices exoramus, ut cujus celebramus Adventum, ejus multimodæ gratiæ capiamus effectum. Per quem Majestatem.

Ad complendum.

Adesto, Domine, quæsumus, populo tuo; & quem mysteris cælestibus imbuisti, ab hostium furore defende. Per.

Alia.

Deus, qui discipulis tuis Spiritum sanctum paraclitum in ignis fervore mittere dignatus es, da populis tuis in unitate fidei esse ferventes: ut in tua semper dilectione permanentes, & in fide inveniantur stabiles, & in opere efficaces. Per Dominum.

b FERIA III.

ADsit nobis, Domine, quæsumus, virtus Spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum.

Super Oblata.

Purificet nos, quæsumus, omine, muneris præsentis oblatio, & dignos sacra participatione perficiat. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui Spiritus sancti infusione replevit corda fidelium, ut sua admirabili operatione, & sui amoris in eis ignem accenderet, & per diversitatem linguarum Gentes in unitate fidei solidaret: Cujus dono petimus, & illecebrosas a nobis excludi voluptates, & spiritales in nobis exstrui plantarique virtutes. Per quem, Majestatem,

Ad complendum.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Spiritus sanctus divinis reparet sacramentis, quia ipse est remissio omnium peccatorum. Per Dominum.

c FERIA IV. MENSIS IV.

MEntes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut Spiritus sanctus adveniens, templum nos gloriæ suæ dignanter habitando perficiat. Per.

Super Oblata.

Accipe, quæsumus, Domine, munus oblatum, & dignanter operare: ut quod mysteriis agimus, piis effectibus celebremus. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum, Per quem discipulis Spiritus sanctus in terra datur ob dilectionem proximi, & de cælo mittitur propter dilectionem tui. Cujus infusio, petimus, ut in nobis peccatorum sordes exurat, tuis amoris ignem nutriat, & nos ad amorem fraternitatis accendat. Per quem, Majestatem tuam.

Ad complendum.

Sumentes, Domine, cælestia sacramenta, quæsumus clementiam tuam; ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

d N FERIA V. N. 392. d

ILlo nos igne, quæsumus, Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit, & regnat Deus in unitate ejusdem.

Super Oblata.

Virtute Spiritus sancti, Domine, munera nostra continge; ut quod solemnitate præsenti, tuo nomini dedicavit, & intelligibile nobis faciat & æternum. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: per Chri-

a Apud Pamel. & in Kalend. Rom. pro statione legitur: *ad vincula.* In utroque Theodor. *Ad S. Petrum ad vincula.*

b Iisdem in codicibus statio est, *ad S. Anastasiam.*

c Ed. Pamel. habet pro Stat. *ad S. Mariam maj. & ad S. Petrum.* Kalend. Rom. tantum, *ad S. Mariam.* Addunt duo Theod. *majorem.*

d Apud Pamel. statio feriæ hujus est, *ad S. Laur. foris murum.* Istud officium Gregorii primi non esse, patet ex ord. Romano pag. 81 & Alcuino pag. 69. item Micrologo cap. 50. Neque sane in uno Coloniensium codicum habebatur, inquit Pamel. Abesse quoque a cod. Reg. Suec. observamus.

Christum Dominum nostrum. Per quem pietatem tuam suppliciter petimus, ut Spiritus sanctus corda nostra expurget, & sui luminis irradiatione perlustret: ut in eo, qui gratiarum largitor est, recta sapiamus, & de ejus consolatione in perpetuum gaudeamus. Per quem majestatem tuam.

Ad Complendum.

Sacris cælestibus, Domine, sancto Spiritu operante, vitia nostra purgentur, ut muneribus tuis possimus semper aptari. Per Dominum nostrum.

Alia.

Præsta, quæsumus, Domine, ut a nostris mentibus carnales amoveat Spiritus affectus, & spiritalia nobis dona potenter infundat. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat, Deus, in unitate ejusdem.

a FERIA VI. [a] MENSIS IV.

N. 398. [N] DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Sacrificia, Domine, tuis oblata conspectibus, ille ignis divinus assumat, qui discipulorum Christi tui per spiritum sanctum corda succendit. Per eumdem Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut Spiritus paraclitus adveniat, & nos, inhabitando, templum suæ Majestatis efficiat: Quod cum unigenito Filio suo clementi respectu semper digneris invisere, & tuæ inhabitationis fulgore in perpetuum perlustrare. Per quem, Majestatem.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, sacri dona mysterii, humiliter deprecantes: ut quæ in tui commemorationem nos facere præcepisti, largiente sancto Spiritu, in nostræ proficiant infirmitatis auxilium. Per Dominum.

N. 399. *Super populum,* [N] *si in jejunio fuerit.*

E Da nobis, quæsumus, Domine, per gratiam Spiritus sancti, novam tui Paracleti spiritalis observantiæ disciplinam, ut mentes nostras sacro purificante jejunio, cunctis reddantur ejus muneribus aptiores. Per Dominum. In unitate ejusdem.

b SABBATO *in XII.* [b] *Lectionibus.*

MENSES IV.

MEntibus nostris, Domine, Spiritum sanctum benignus infunda, cujus & sapientia conditi sumus, & providentia gubernamur. F Per Dominum nostrum.

Alia.

Annue, misericors Deus, ut qui divina præcepta violando, a Paradisi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis, duce sancto Spiritu, redeamus accessum, per tuorum custodiam mandatorum. Per. In unitate ejusdem.

Alia.

Deus, qui ad animarum medelam, jejunii devotione castigari corpora præcepisti, concede nobis propitius, & mente & corpore semper tibi esse devotos. Per.

Alia.

B Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut salutaribus jejuniis eruditi, ab omnibus etiam vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, sic nos ab epulis carnalibus abstinere, ut a vitiis irruentibus pariter jejunemus. Per Dominum nostrum.

Alia. ad Missam.

C Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

Super Oblata.

Omnipotens sempiterne Deus, qui non sacrificiorum ambitione placaris, sed studia piæ devotionis intendis, da familiæ tuæ Spiritum rectum, & habere cor mundum: ut fides eorum hæc dona tibi conciliet, & humilitas oblata commendet. Per.

Præfatio.

D Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam omnipotentiam devotis precibus implorare, ut nos [N] Spiritus tui lumen infundat, N. 400. cujus nos sapientia creat, pietas recreat, & providentia gubernat. Qui cum a tua substantia nullo modo sit diversus, sed tibi & Unigenito tuo consubstantialis & coæternus, diversitate tamen donorum replet tuorum corda fidelium. Et ideo cum Angelis.

c [c] *Benedictio.*

Benedicat vobis omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, & vobis in baptismate per Spiritum sanctum remissionem omnium peccatorum tribuit. Amen. Quique eumdem Spiritum sanctum in igneis linguis discipulis suis dedit, ipsius illustratione corda vestra perlustret, atque in suum amorem jugiter accedant. Amen. Quatenus ejus dono a vitiis cunctis emundati, ipsius opitulatione ab omnibus adversitatibus defensi, templum ipsius effici mereamini. Amen. quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Præbeant nobis, Domine, divinum tua sancta fervorem, quo eorum pariter & actu delectemur & fructu. Per.

a Indictu-statio, *ad Apostolos*, in Kalend. Rom. consentientibus edit. Pamel. codd. mss.

b Legitur in ed. Pamel. & in Kalend. Rom. *ad S. Petrum.*

c Hæc benedictio non legitur in aliis ed. nequidem in Benedictionali. Extat in 1. Theoderic.

N. 401. a *Dominica* [N] *octavas*.

PENTECOSTES.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare Unitatem: quæsumus, ut ejusdem firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Sanctifica, quæsumus, Domine Deus noster, per Unigeniti tui virtutem, hujus oblationis Hostiam, & cooperante Spiritu sancto, per eam nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per eumdem. In unitate ejusdem. B

Præfatio.

N. 402. Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: [N] Qui cum Unigenito Filio tuo & Spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate personæ, sed in unius Trinitate substantiæ. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentia discretione sentimus: Ut in confessione veræ, sempiternæque Deitatis & in personis proprietas, & in essentia Unitas, & in Majestate adoretur æqualitas. Quam laudant Angeli. C

b [b] *Benedictio.*

Omnipotens Trinitas, unus & verus Deus, Pater, & Filius & Spiritus sanctus, det vobis se desiderare fideliter, agnoscere veraciter, diligere sinceriter. Amen. Æqualitatem atque incommutabilitatem suæ essentiæ ita vestris mentibus infigat, ut ab ea numquam vos quibuscumque phantasiis aberrare permittat. Amen. Sicque vos in sui fide, spe & caritate perseverare concedat, ut per eas postmodum ad sui manifestationem, visionemque interminabilem introducat. Amen. Quod ipse præstare dignetur. D

Ad complendum.

Proficiat nobis ad salutem corporis & animæ, Domine, quæsumus, hujus sacramenti perceptio, & sempiternæ sanctæ Trinitatis, ejusdemque individuæ unitatis confessio.

Super populum.

Domine Deus, Pater omnipotens, famulos tuæ Majestatis subjectos, per unicum Filium tuum in virtute sancti spiritus benedic & protege: ut ab omni hoste securi, in tua jugiter laude lætemur. Per eumdem. E

Kalendas Junii.

N. 403. c [c] DEDICATIO [N] BASILICÆ S. NICOMEDIS.

DEus, qui nos beati Nicomedis martyris tui meritis & intercessione lætificas, concede A propitius: ut qui ejus beneficia poscimus, dona tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, & intercedente beato Nicomede Martyre tuo, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis Sacramentis, intercedente beato Nicomede Martyre tuo, tibi etiam placitis moribus dignanter tribuas deservire. Per Dominum.

iv. Nonas Junii.

NAT. SS. MARCELLINI ET PETRI [d]. d

DEus, qui nos annua Beatorum Martyrum tuorum Marcellini & Petri solemnitate lætificas; præsta quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, provocemur exemplis. Per.

Super Oblata.

Votiva, Domine, munera deferentes, in tuorum Marcellini & Petri Martyrum passione tuam magnificentiam veneramur, & per eam nobis imploramus tuæ pietatis auxilium. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Apud quem semper est præclara vita sanctorum, quorum nos pretiosa mors lætificat & tuetur. Quapropter Martyrum tuorum Marcellini & Petri gloriosa recensentes natalitia, laudes tibi referimus: & magnificentiam tuam supplices exoramus, ut quorum sumus martyria venerantes, beatitudinis mereamur esse consortes. Per Christum Dominum nostrum.

Ad complendum.

Intercedentibus Sanctis tuis, Domine, Marcellino & Petro, plebi tuæ præsta subsidium: ut ab omnibus noxiis expedita, cuncta sibi profutura perficiat. Per Dominum nostrum.

v. Idus Junii.

[N] NAT. SS. [e] PRIMI ET FELICIANI. N. 404. e

FAc nos Domine, quæsumus, Sanctorum tuorum Primi & Feliciani semper festa sectari, quorum suffragiis, protectionis tuæ dona capiamus. Per.

Super Oblata.

Fiat Domine, quæsumus, Hostia sacranda placabilis F

a Melo in edit. Vat. & Gall. *in octab. Pent.* Forte priores editores ita legerunt pro *in Oct.* additione litt. *o* Apud Pam. sunt aliæ orationes. Ad marginem vero hæc habet: *Dominica vacat*. Officii quoque hujus titulus satis indicat Gregorianum non esse. De octava inter in Pentecostes celebranda late tractat Berno de missa c. 3. & officium hoc authenticum esse idem probat c. 5. ex concordia hujus orationis cum Antiphona & lectione in hac Dominica præscripta. Facit ejusdem mentionem Micrologus c. 59. &c.
b De benedictione hac nihil invenio, nisi in 1. Theoderic.

c Apud Pamel. *dedicatio Nicomedis martyris*.
d Additur in Kalend. Rom. *via Lavicana*.
e Hoc officium cum sequenti desideratur in cod. Reg. Suec. & Colens. Extat utrumque in duobus Theod. Prius exhibet codex Gemet. in quo præter festa in aliis codd. contenta & a nobis observata, notantur multa alia Anglicanæ Ecclesiæ, ut *S. Dunstani Archiepiscopi 14. Kalendas Junii. S. Augustini Ep. 7. Kalendas Junii.* &c. In eodem cod. Gemet. habetur festum & officium, *S. Barnabæ Apostoli 3. Idus Junii*, quod nullibi nobis occurrit.

bilis, pretiosi celebritate martyrii, quæ & peccata nostra purificet, & tuorum tibi vota conciliet famulorum. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut Sanctorum tuorum cælestibus mysteriis celebrata solemnitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat. Per.

Pridie Idus Junii.

a NAT. [a] SS. BASILIDIS, CYRINI, NABORIS ET NAZARII.

N. 405. SAnctorum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii, quæsumus, Domine, natalitia nobis votiva resplendeant: & [N] quod illis contulit excellentia sempiterna, fructibus nostræ devotionis adcrescat. Per.

Super Oblata.

N. 406. Pro sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii sanguine venerando, Hostias tibi, Domine, solemniter immolamus, tua mirabilia pertractantes: [N] per quam talis est perfecta victoria. Per

Ad complendum.

Semper, Domine, Sanctorum Martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii solemnia celebremus: ut eorum patrocinia jugiter sentiamus. Per.

xiv. Kalendas Julii.

NAT. SS. MARCI ET MARCELLIANI.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui sanctorum Marci & Marcelliani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum [b]

b intercessione liberemur. Per.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, munera tuorum populorum votiva, & Sanctorum Marci, & Marcelliani tibi precibus esse grata concede, pro quorum solemnitatibus offeruntur. Per.

Ad complendum.

Intercessione Beatorum Martyrum tuorum Marci & Marcelliani, quæsumus, Domine, ut mysticis nos dapibus foveas ac reformes. Per Dominum nostrum.

N. 407. c [N] [c] Denuntiatio jejuniorum, primi, quarti, septimi & decimi mensis.

ANniversariam, fratres carissimi, jejunii puritatem, quæ & corporis acquiritur & animæ sanctitas, nos commonet Ill. mensis instaurata devotio: quarta igitur & sexta feria sollicito convenientes occursu, offeramus Deo spiritale jejunium.

N. 408. Die [N] vero Sabbati, apud Beatum Petrum Apostolum, cujus nos intercessionibus credimus adjuvandos, sanctas vigilias Christiana pietate celebremus, ut per hanc institutionem salutiferam, peccatorum sordes, quas corporum fragilitate contrahimus, jejuniis & eleemosynis abluamus, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia secula seculorum.

Alia.

Ill. Mensis jejunia in hac hebdomada nobis sunt tenenda, Ideoque hortamur sanctam fidem vestram, ut quarta, sexta, vel septima feria jejunemus, quatenus divinis inhærendo mandatis, propitiationem Dei nostri perseverantia debitæ servitutis obtineat, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum.

[N] Mensis iv. Feria iv. N. 409.

[N] Si post Hebdomadam Pentecostes advenerit. N. 410.

Oratio ad Missam

OMnipotens & misericors Deus, apta nos tuæ propitius voluntati: quo, sicut ejus prætereuntes tramitem deviamus, sic integro tenore dirigamur, ad illius semper ordinem recurrentes. Per Dominum nostrum.

Alia.

Da nobis mentem, Domine, quæ tibi sit placita: quia talibus jugiter quidquid est prosperum ministrabis. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Solemnibus jejuniis expiatos, tuo nos, Domine, mysterio congruentes, hoc sacro munere effice: quia tanto nobis salubrius aderis, quanto id devotius sumpserimus. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia post illos lætitiæ dies quos in honore Domini a mortuis resurgentis, & in cælos ascendentis exegimus, postque perceptum sancti Spiritus donum, necessario nobis jejunia sancta provisa sunt, ut pura conversatione viventibus, quæ divinitus sunt Ecclesiæ collata permaneant. Per Christum.

Ad complendum.

Concede, quæsumus, Domine, populo tuo veniam peccatorum, ut quod meritis non præsumit, indulgentiæ tuæ celeri largitate percipiat.

Feria VI.

UT nobis, Domine, terrenarum frugum tribuas ubertatem, fac mentes nostras cælesti fertilitate fecundas. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Ut accepta tibi sint, Domine, nostra jejunia, præsta nobis, quæsumus, hujus munere sacramenti purificatum tibi pectus offerre. Per Dominum nostrum.

 Ad

a Abest a mss. Calend.
b In cod. Reg. Suec. intercessionibus.

c Hæc non extant in nostris codd. mss. nec in Pamel. aut Ord. Rom. sunt inserta.

Ad complendum.

A Annue, quæsumus, omnipotens Deus, ut sacramentorum tuorum gesta recolentes, & temporali securitate relevemur, & erudiamur legalibus institutis. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Fideli populo, Domine, misericordiam tuam placatus impende, & præsidia corporis copiosa tribue supplicanti. Per Dominum.

Sabbato in XII. Lect.

B Præsta, Domine, quæsumus, tales nos fieri tuæ gratiæ largitate, ut bona tua & fiducialiter impetremus, & sine difficultate sumamus. Per.

Alia.

Da nobis, Domine, regnum tuum, justitiamque semper inquirere: ut quibus indigere nos perspicis, clementer facias abundare. Per.

Alia.

C Deus, qui nos de præsentibus adjumentis esse vetuisti sollicitos: tribue, quæsumus, ut pie sectantibus, quæ tua sunt, universa nobis salutaria condonentur. Per.

Alia.

Deus, qui misericordia tua prævenis non petentes, da nobis affectum Majestatem tuam jugiter deprecandi: ut pietate perpetua supplicibus potiora defendas. Per Dominum nostrum.

Alia.

D Deus, qui non despicis corde contritos & afflictos miseris, populum tuum jejunii ad te devotione clamantem propitius exaudi: ut quos humiliavit adversitas, attollat reparationis tuæ prosperitas. Per.

N. 411. [N] POST [a] BENEDICTIONES.

Ad Missam.

Deus, qui tres pueros de camino ignis, non solum illæsos, sed etiam tuis laudibus conclamantes liberasti: quæsumus, ut nos peccatorum nexibus obvolutos, velut de voragine ignis eripias; ut criminum flammas, operumque carnalium incendia superantes, hymnum tibi debitum jure meritoque reddamus. Per.

Super Oblata.

Domine Deus noster, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis nostræ præsidium condidisti, tuo quoque nomini munera jussisti dicanda constitui: tribue, quæsumus, ut & vitæ nobis præsentis auxilium, & æternitatis efficiant sacramentum. Per.

Ad complendum.

Sumtum, quæsumus, Domine, venerabile sacramentum, & præsentis vitæ subsidiis, nos foveat, & æternæ. Per.

Super populum.

Proficiat, Domine, quæsumus, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu: ut sacris actibus erudita, quanto Majestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per.

xiij. Kalendas Julii.

NAT. [N] SS. GERVASII ET PROTASII. N. 412.

[N] Sanctorum Martyrum nos, Domine, Gervasii & Protasii confessio beata communiat, & fragilitati nostræ subsidium dignanter exoret. N. 413.
B Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut his muneribus, quæ pro sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii honore deferimus, & te placemus exhibitis, & nos vivificemur acceptis. Per.

Ad complendum.

Te, quæsumus, omnipotens Deus, ut mysteriorum virtute sanctorum, & [N] intercessione Beatorum Gervasii & Protasii Martyrum tuorum, vita nostra [N] fulciatur. Per. N. 414. N. 415.

ix. Kalendas Julii.

[N] VIGILIA S. JOHANNIS BAPTISTÆ. N. 416.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, & Beati Johannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum.

Super Oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, & intercedente Beato Johanne Baptista, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, [N] Exhibentes solemne jejunium, quo Beati Johannis Baptistæ natalitia prævenimus. Cujus genitor, N. 417.
E dum eum dubitat nasciturum, sermonis amisit officium: & eo nascente & sermonis usum, & prophetiæ suscepit donum: Cujusque genitrix senio confecta, sterilitate multata, in ejus conceptu non solum sterilitatem amisit, fecunditatem acquisivit, sed etiam Spiritum sanctum, quo Matrem Domini & Salvatoris agnosceret, accepit. Per quem Majestatem.

Ad complendum.

Beati Johannis Baptistæ, nos, Domine, præclara comitetur oratio: & quem venturum esse prædixit, poscat nobis favere placatum. Per Dominum nostrum.
F

[N] IN [b] PRIMA MISSA DE NOCTE. N. 418.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Johannis Baptistæ solemnia colimus,

a Non legitur in ed. Vat. *post benedictiones* cætera sunt similia.
b In ms. Colensi: *viij. Kalend. Julii natal. S. Johannis Baptistæ: in prima missa, Concede &c.* Consentiunt cod. Reg. Suec. Gemet. Theod. At in vet. Sacram. Gall. unica tantum hoc die extat Missa *in S. Johannis Baptista*. Sed postea habetur, *Missa in Johan. passione*.

mus, ejus apud te intercessione muniamur, Per Dominum.

Super Oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, & intercedente beato Johanne Baptista, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cælestia alimenta percepimus; intercedente beato Johanne Baptista, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum. B

Super populum.

Præsta, quæsumus, Domine, ut populus tuus ad plenæ devotionis effectum, beati Johannis Baptistæ natalitiis præparetur, quem præmisisti filio tuo parare plebem perfectam, Jesu Christo Domino nostro, Qui.

Alia.

Beati nos, Domine, Johannis oratio, & intelligere Christi tui mysterium postulet, & mereri. Per eumdem. C

viij. Kalendas Julii.

NAT. S. JOHANNIS BAPTISTÆ.

DEus, qui præsentem diem honorabilem nobis in Beati Johannis nativitate fecisti: da populis tuis spiritalium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per.

Super Oblata.

Tua, Domine, muneribus altaria cumolamus; D illius nobis per hæc opem adesse poscentes, & nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem mundi & cecinit adfuturum, & adesse monstravit, Dominum nostrum.

[a] *Præfatio.*

a Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
Et in die festivitatis hodiernæ, qua Beatus Johannes exortus est, tuam magnificentiam collaudare:
Qui vocem matris Domini nondum editus sensit,
& N adhuc clausus utero, adventum salutis homa- E
N. 419. næ prophetica exultatione significavit. N Qui
N. 420. & genitricis sterilitatem conceptus abstulit, &
patris linguam natus absolvit, solusque omnium Prophetarum, Redemtorem mundi, quem prænuntiavit, ostendit. Et ut sacræ Purificationis effectum aquarum natura conciperet, sanctificandis Jordanis fluentis ipsum baptismo baptismatis lavit Auctorem. Et ideo cum Angelis.

[b] *Benedictio.*

b Benedicat vobis omnipotens Deus, beati Johannis Baptistæ intercessione, cujus hodie natalitia celebratis; concedatque, ut cujus solemnia F colitis, patrocinia sentiatis. Amen. Illius obtento ab omnibus adversis tueamini, & bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemtoris mundi necdum natus cognovit, matris sterilitatem nascendo abstulit, patris linguam natus absolvit, Amen. Quatenus ipsius agni, quem ille digito ostendit, cujus immolatione estis redemti, ita virtutum laois vestiri, & innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ patriæ felicitate possitis adjungi. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Sumat Ecclesia tua, Deus, Beati Johannis Baptistæ generatione lætitiam, per quem suæ regenerationis cognovit Auctorem, Dominum nostrum. Qui tecum vivit.

[c] *Ad Matutinos.* c

Omnipotens, & misericors Deus, qui Beatum Johannem Baptistam tua providentia destinasti, ut perfectam plebem Christo Domino prepararet: da, quæsumus, ut familia tua hujus intercessione præconis, & a peccatis omnibus exuatur, & ad eum, quem prophetavit, pervenire mereatur, Dominnm.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, da cordibus nostris illam tuarum rectitudinem semitarum, quam Beati Johannis Baptistæ io deserto vox clamantis edocoit. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus, qui conspicis, quia nos undique mala nostra contristant; per Præcursorem gaudii corda nostra lætifica. Per Dominum oostrum.

Alia.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, intra sanctæ Ecclesiæ tuæ uterum coostitutos, eo nos Spiritu ab iniquitate nostra justificari, quo Beatum Johannem intra viscera materna docuisti. Per Dominum nostrum Jesum.

Alia.

Deus, qui nos annua Beati Johannis Baptistæ solemnia frequentare concedis: præsta, quæsumus, ut & devotis eadem mentibus celebremus, & ejus patrocinio promerente, plenæ capiamus securitatis augmentum. Per.

vj. Kalendas Julii.

NAT. SS. JOHANNIS ET PAULI.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de Beatorum Johannis & Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides & passio vere fecit esse germanos. Per.

Super Oblata.

Hostias altaribus tuis, Domine, placationis imponimus, potentiam tuam in Sanctorum tuorum passionibus hoorando, & per eos nobis implorando veniam peccatorum. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æqunm & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine

a Eadem pene legitur in Sacram. Gallic.
b In Benedictionali extat, nec non apud Grimoldum a Pamelio editum.
c Forte legendum, *ad vesperos*, ut legitur in edit. Vatic.

mine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: per Christum Dominum nostrum: Pro cujus amore gloriosi Martyres, Johannes & Paulus martyrium non sunt cunctati subire: quos in nascendi lege junxit germanitas: in gremio matris Ecclesiæ, fidei unitas: in passionis acerbitate ferenda, unius amoris societas. Per quem nos petimus eorum precibus adjuvari, quorum festa noscimur venerari. Per quem, Majestatem.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, sanctorum tuorum Johannis & Pauli solemnia celebrantes, cælestia sacramenta: præsta quæsumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Christum Dominum.

iv. Kalendas Julii.

N. 411. N NAT. S. LEONIS PAPÆ.

DEus, qui Beatum Leonem Pontificem, Sanctorum tuorum meritis coæquasti: concede propitius, ut qui commemorationis ejus festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

N. 412. a Annue nobis, Domine, ut N animæ famuli [a] tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Deus, qui animæ famuli tui Leonis æternæ beatitudinis præmia contulisti: concede propitius, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. Per.

Eodem die.

N. 413. N VIGILIA SANCTI PETRI, ET PAULI.

N. 184. „ N QUANDO Apostolicus duas Missas celebrat
N. 415. „ una die, inter eas N non lavat os, nisi post officium: Sed absque intervallo, finita priore, incipitur altera.

b [b] DEus qui nobis Apostolorum Beatorum Petri & Pauli natalitia gloriosa præire concedis: tribue, quæsumus, eorum nos semper & beneficiis prævenire, & orationibus adjuvari. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Munera, Domine, tuæ glorificationis offerimus, quæ tibi pro nostris grata jejuniis, sanctorum Apostolorum, quæsumus, deprecatio quorum solemnia prævenimus, efficiat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Apud quem cum Beatorum Apostolorum continuata festivitas, triumphique cælestis perpetua & æterna sit celebritas, nobis tamen eorum festa annuis recursibus tribuis frequentare: ut & illorum passioni sit veneratio ex nostra devotione, & nobis auxilium proveniat de eorum sanctissima intercessione. Per.

Ad complendum.

Sumtis, Domine, remediis sempiternis, tuorum mundentur corda fidelium: ut Apostolici Petri & Pauli natalis insignia, quæ corporalibus officiis exequuntur, pia cordis intelligentia comprehendant. Per.

Super populum.

Deus, qui ligandi, solvendique licentiam tuis Apostolis contulisti, da quæsumus: ut per ipsos æternis vitiis expediti, liberi possimus cælestibus interesse mysteriis. Per eumdem Dominum.

Ad Vesperos.

Apostolicis nos, Domine, quæsumus, Beatorum Petri & Pauli attolle præsidiis, ut quanto fragiliores sumus, tanto validioribus auxiliis foveamur. Per.

Ad [c] Matutinos.

Deus qui Ecclesiam tuam N Apostoli tui Petri fide & nomine consecrasti, quique Beatum illi Paulum ad prædicandum Gentibus gloriam tuam sociare dignatus es: concede, ut omnes, qui ad Apostolorum tuorum solemnia convenerunt, spiritali remuneratione ditentur. c N. 416.

iii. Kalendas Julii.

N NAT. EJUSDEM [d] PETRI ET PAULI. N. 417. d

Ad Missam.

DEus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri & Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiæ tuæ, eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumsit exordium. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Hostias, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, Apostolica prosequatur oratio, per quam nos expiari tribuas & defendi. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te suppliciter exorare, ut gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per Beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios, eidem contulisti præesse Pastores. Dt ideo cum Angelis & Archangelis.

Be-

a Apud Pamelium sic mutata est hæc oratio: *ut intercessione famuli tui Leonis hæc nobis prosit oblatio*. Fatetur tamen non consentire mss. cod. huic mutationi. Favere tamen videtur secundus Theod. ubi legitur, *ut intercedente B. Leone* &c.

b Loco hujus orationis, legitur in edit. Pamel. consentientibus mss. Reg. Sue. & Gemet. *Præsta qu. omnip. D. ut nullis nos perturbationibus concuti, quos in Apost. confessionis petra solidasti.* In Kal. Rom. habes, *Translatio corporis B. Leonis*, utrum Leonis II aut alterius, consule notas Joh. Frontonis ad hunc locum.

c In Cal. legitur, *ad vigilias in nocte*.

d In vet. Sacram Gal. *Missa in natale Petri & Pauli:* post quam legitur *Missa S. Sigismundi Regis*.

[a] *Benedictio*.

Benedicat vobis omnipotens Deus, qui vos beati Petri saluberrima confessione in Ecclesiasticæ fidei fundavit soliditate. Amen. Et quos Beati Pauli sanctissima instruxit prædicatione, sua tueatur gratissima defensione. Amen. Quatenus Petrus clava, Paulus sermone, utrique intercessione ad illam nos certent patriam introducere, ad quam illi, alter cruce, alter gladio, hodierna die pervenere. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Quos cælesti, Domine, alimento satiasti, Apostolicis intercessionibus ab omni adversitate custodi. Per.

Super populum.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, propitius intuere, & Apostolicis defende præsidiis; ut eorum precibus gubernetur, quibus nititur, te constituente, Principibus. Per.

Alia.

C Deus, qui Apostolo tuo Petro, collatis clavi-
N. 428. bus regni cælesti, ligandi atque solvendi N Pontificium tradidisti: concede, ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Per Dominum.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam Apostolica soliditate fundatam, ab infernarum eruis terrore portarum: præsta, ut in tua veritate persistens, nulla recipiat consortia perfidorum. Per.

Alia.

Exaudi nos, Deus, salutaris noster, & Apostolorum tuorum nos tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per.

Alia.

Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator, & custos: ut Apostolicis munita præsidiis, & conversatione tibi placeas, & secura deserviat. Per.

Prid. Kalendas Julii.

N. 429. N NAT. S. PAULI.

Deus, qui multitudinem Gentium Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti; da nobis, quæsumus, ut cujus natalitia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per.

Super Oblata.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces & Hostias Apostolica commendet oratio: ut quod pro illorum gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per.

N. 430. N Præfatio [b] & benedictio, quæ est superius.

Ad complendum.

Perceptis, Domine, sacramentis, Beatis Apostolis intervenientibus deprecamur: ut quæ pro illorum celebrata sunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti. Per.

vj. Nonas Julii.

NAT. SS. PROCESSI ET MARTINIANI.

Deus, qui nos sanctorum tuorum Processi & Martiniani confessionibus gloriosis circumdas & protegis: da nobis, & eorum imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, preces & munera, quæ ut tuo sint digna conspectui, Sanctorum tuorum precibus adjuvemur. Per Dominum.

Ad complendum.

Corporis sacri, & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine, Deus noster: ut quod pia devotione gerimus, certa redemtione capiamus. Per.

Pridie Nonas Julii.

OCTAVA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Deus, cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; & coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem, de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur. Per Dominum.

Super Oblata.

Hostias, quæsumus, Domine, suscipe placatus oblatas, quæ meritis Apostolorum tuorum Petri & Pauli, te sanctificante, nobis efficiantur salutares. Per.

Ad complendum.

Beatorum Apostolorum tuorum, Domine, Petri & Pauli desiderata solemnia recensentes, præsta quæsumus: ut eorum supplicationibus muniamur, quorum regimur principatu. Per.

Super populum.

Protege, Domine, populum tuum, & Apostolorum tuorum patrocinio confidentem perpetua defensione conserva.

a Hanc exhibet Benedictionale.
b Idem legitur in edit. Vatic. & Gussanv. quod significet superius in festo SS. Apost. Petri & Pauli extare benedictionem, quæ minime tamen ibi reperitur.

vj. Idus Julii.

N. 432. NAT. [N] SEPTEM [a] FRATRUM.

a

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per.

Super Oblata.

Sacrificiis præsentibus, Domine, quæsumus, intende placatus; &, intercedentibus sanctis tuis devotioni nostræ proficiant, & saluti. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; donari nobis suppliciter exorantes, ut sicut Sancti tui mundum in tua virtute vicerunt, ita nos a mundanis erroribus postulent expediri. Per Christum Dominum.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut illius salutaris capiamus effectum, cujus per hæc mysteria pignus accepimus. Per Dominum nostrum.

viij. Kalendas Augusti.

N. 433. [N] NAT. S. JACOBI APOSTOLI.

ESto, Domine, propitius plebi tuæ, sanctificator & custos: ut Apostoli tui Jacobi munita præsidiis, & conversatione tibi placeat, & secura deserviat. Per.

Super Oblata.

Oblationes populi tui, Domine, quæsumus, Beati Apostoli tui Jacobi passio beata conciliet: & quæ nostris apta non sunt meritis, fiant tibi placita ejus deprecatione. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia licet nobis semper salutem operetur divini celebratio sacramenti, propensius tamen nobis confidimus profuturam, si Beati Apostoli tui Jacobi intercessionibus adjuvemur. Per Christum.

Ad complendum.

Beati Apostoli tui Jacobi, cujus hodie festivitate, corpore & sanguine Filii tui nos refecisti, quæsumus, Domine, intercessione adjuva, pro cujus solemnitate percepimus tua dona, lætantes. Per eumdem.

Super populum.

Solemnitatis Apostolicæ multiplicatione gaudentes clementiam tuam deprecamur, omnipotens Deus: ut tribuas jugiter nos eorum & confessione benedici, & patrociniis confoveri. Per Dominum.

iv. [b] Kalendas Augusti.

b

NAT. [N] SANCTI FELICIS. N. 434.

INfirmitatem nostram respice, omnipotens Deus: Et [N] quos pondus propriæ actionis gravat, Beati Felicis Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum nostrum. N. 435.

Super Oblata.

Hostias tibi, Domine, pro commemoratione Sancti Felicis offerimus, quem a tui corporis unitate nulla tentatio separavit. Per.

Ad complendum.

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde: ut quos uno pane cælesti satiasti, intercedente Beato Felice Martyre tuo, tua facias pietate concordes. Per.

iij. Kalendas Augusti.

NAT. SS. ABDON ET SENNEN.

DEus, qui sanctis tuis Abdon & Sennen ad hanc gloriam veniendi copiosum munus gratiæ contulisti: da famulis tuis suorum veniam peccatorum, ut Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereamur adversitatibus liberari. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Munera tibi, Domine, pro sanctorum Martyrum Abdon & Sennen passione deferimus, qui dum finiuntur in terris, facti sunt cælesti luce perpetui: humiliter postulantes, ut eorum semper meritis muniamur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Et te

a In Kalend. Rom. *Septem Fratrum Apli & Salariæ.* At censet Joh. Fronto legendum, *via Appia & Salaria.* Septem fratrum nomina exhibet Pamelius; at contra vet. mss. fidem. Post hoc festum, in codd. Gemet. & duobus Theodor. legitur, *Translatio corporis* vel *natale S. Benedicti Abb.* cujus officium, ut est in utroque Theodor. hic exhibemus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosa exempla humilitatis, triumphum nobis ostendisti æternum: da, quæsumus, ut viam tibi placitæ obedientiæ, quam venerabilis Pater illæsus antecedebat Benedictus, nos prælatis ejus meritis adjuti sine errore subsequamur. Per.

Secreta.

Sacris altaribus, Domine, Hostias superpositas S. Benedictus, quæsumus, in salutem nobis provenire deposcat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; Et gloriam tuam profusis precibus exorare; ut qui Beati confessoris tui Benedicti veneramur festa, te opitulante, ejus sanctitatis imitari valeamus exempla. Et cujus meritis nequaquam possumus coæquari, ejus precibus mereamur adjuvari. Per Christum.

Ad complendum.

Protegat nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti, Beatus Benedictus Abbas pro nobis intercedendo: ut & conversationis ejus experiamur insignia, & intercessionis ipsius percipiamus suffragia. Per.

Alia.

Intercessio nos, quæsumus, Domine, Beati Benedicti Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per.

b Ante hoc festum in codd. Theod. & Gemet. occurrunt festa S. Praxedis, & S. Apollinaris, Sanctorum vero Nicasii & Sociorum Mart. in utroque Theod. & S. Pantaleonis in Gemet.

te laudare mirabilem Dominum in sanctis tuis, quos ante constitutionem mundi, in æternam tibi gloriam præparasti: ut per eos huic mundo veritatis tuæ lumen ostenderes, quos ita spiritu veritatis armasti, ut formidinem mortis per infirmitatem carnis evincerent. De quorum Collegio sunt
N. 436. Martyres tui Abdon, & Sennes, qui in Ecclesiæ tuæ prato sicut rosæ & lilia floruerunt: Quos Unigeniti tui sanguis in prælio confessionis, roseo colore perfudit: & ob præmium passionis, niveo liliorum splendore vestivit. Per quem Majestatem.

Ad complendum.

Populum tuum, Domine, perpetua munitione defende: nec difficulter, quod pie & juste postulat, consequatur, cui Sanctorum tuorum merita suffragantur. Per.

Kalendis Augusti.

N. 437. N AD SANCTUM PETRUM AD VINCULA.

DEus, qui Beatum Petrum Apostolum a vinculis absolutum, illæsum abire fecisti: nostrorom, quæsumus, absolve vincula peccatorum, & omnia mala a oobis propitiatus exclude. Per.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, Hostiam redemtionis humanæ, interveniente Beato Petro Apostolo, & salutem nobis mentis & corporis operare placatus. Per.

Ad complendum.

Corporis sacri, & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster: ut quod pia devotione[a] gerimus, intercedente Beato Petro Apostolo tuo, certa redemtione capiamus.

iv. Nonas Augusti.

NAT. S. STEPHANI EPISCOPI ET MARTYRIS.

DEus, qui nos Beati Stephani Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Munera tibi, Domine, dicata sanctifica: & intercedente Beato Stephano Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum.

Ad complendum.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine: & intercedente Beato Stephano Martyre tuo atque Pontifice, cælestis remedii faciat esse consortes. Per.

viij. Idus Augusti.

N. 438. [b] NAT. N S. SIXTI EPISCOPI.

DEus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concede propitius, ut, in-

a In cod. Reg. Suec. *gerimus, certa redemtione capiamus. Per.* &c. In ed. Pamel. alia est oratio.
b Ex tractatu 27. S. Aug. in Johan. constat tunc S. Sixti festum eodem die fuisse celebratum.

tercessione Beati Sixti Martyris tui atque Pontificis, contra omnia adversa muniamur. Per.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, munera propitiatus oblata, quæ Majestati tuæ Beatus Sixtus Sacerdos commendet & Martyr. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in die festivitatis hodiernæ, qua Beatus Sixtus pariter Sacerdos & Martyr, devotum tibi sanguinem exultanter effudit: Qui ad eamdem gloriam promerendam, doctrinæ suæ filios incitavit, & quos erudiebat hortatu, præveniebat exemplo. Per Christum.

N Præfatio uvæ. N. 439.

Intra quorom nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum.

N Benedictio uvæ. N. 440.

Benedic, Domine, & hos fructus novos uvæ, quos tu, Domine, rore cæli, & inundantia pluviarum, & temporum serenitate atque tranquillitate, ad maturitatem perducere dignatus es, & dedisti eos ad usus nostros, cum gratiarum actione percipi, in nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem hæc omnia.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, ut cujus nobis festivitate votiva sunt sacramenta, ejus salutaria nobis intercessione reddantur.

Eodem [c] die.

NAT. SS. FELICISSIMI ET AGAPITI.

DEus, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum, Felicissimi & Agapiti natalitia colere: da nobis in æterna lætitia de eorum societate gaudere. Per.

Super Oblata.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata sint honore justorum, & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum.

Ad complendum.

Præsta nobis, Domine, quæsumus, intercedentibus Sanctis tuis, Felicissimo & Agapito, ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

vj. Idus Augusti.

NAT. N SANCTI CYRIACI. N. 442.

DEus, qui nos annua Beati Cyriaci Martyris tui solemnitate lætificas: concede propitius,

c In Kalend. Rom. *Die V. mensis Aug. natal. S. Sixti, Felicissimi & Agapiti.* S. Sixtus idem est qui supra. In cod Reg. Suec. natale S. Xisti notatur quoque, non die sexta, sed quinta hujus mensis.

ut cujus natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, sacrificium placationis & laudis: quod nos, interveniente Sancto tuo Cyriaco, & perducat ad veniam, & in perpetua gratiarum constituat actione. Per.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine Deus noster: ut interveniente Beato Cyriaco Martyre tuo, sacrosancta mysteria, quæ sumsimus, actu subsequamur & sensu. Per.

v. Idus Augusti.

VIGILIA SANCTI LAURENTII.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, & intercessione Beati Laurentii Martyris tui, perpetuam nobis misericordiam impende. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe; & intercedente Beato Laurentio Martyre tuo, vincula peccatorum nostrorum absolve. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et devotis mentibus natale Beati Martyris tui Laurentii prævenire: qui Levita simul Martyrque venerandus, & proprio claruit glorioso officio, & memorandæ passionis refulsit Martyrio. Per Christum Dominum nostrum.

Ad complendum.

Da, quæsumus, Deus noster, ut sicut Beati Laurentii Martyris tui commemoratione, temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per.

Alia.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut triumphum Beati Laurentii Martyris tui, quem despectis ignibus consummavit in terris, perpetua cælorum luce conspicuum, digno fervore fidei veneremur. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinos.

Deus, mundi creator & rector, qui hunc diem in Beati Levitæ tui Laurentii Martyrio consecrasti: concede propitius, ut omnes, qui martyrii ejus merita veneramur, intercessionibus ejus, ab æternis gehennæ incendiis liberemur. Per.

N. 442. IN N [a] PRIMA MISSA DE NOCTE.

EXcita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum cui Beatus Laurentius Levita servivit: ut eodem nos N replente studeamus amare quod amavit & opere exercere quod docuit. Per. N. 443.

Super Oblata.

Sacrificium tibi, Domine, quæsumus, Beati Laurentii precatio sancta conciliet: ut cujus honore solemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos donis cælestibus satiasti, intercedente beato Laurentio Martyre tuo, perpetua protectione custodias. Per.

iv. Idus Augusti.

NAT. SANCTI LAURENTII.

DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui Beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Accipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata; & Beati Laurentii suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et præcipue N in die solemnitatis hodiernæ, qua N. 444. Beatus Laurentius hostia sancta viva tibi placens A oblatus est: Qui igne accensus tui amoris, con- N. 445. stanter ignem sustinuit passionis; & per immanitatem tormentorum pervenit ad societatem civium supernorum. Per Christum Dominum.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: ut quos donis cælestibus satiasti, intercedente Beato Laurentio Martyre tuo, perpetua protectione custodias. Per.

Super populum.

Deus, cujus caritatis ardore Beatus Laurentius edaces incendii flammas, contemto persecutore, devicit: concede, ut omnes, qui martyrii ejus merita veneramur, protectionis tuæ auxilio muniamur. Per.

Alia.

Sancti Laurentii nos, Domine, sancta precatio tueatur: & quod nostra conscientia non meretur, ejus nobis, qui tibi placuit, oratione donetur. Per.

Alia.

Adsit nobis, Domine, quæsumus, S. Laurentii Martyris tui in tua glorificatione benedictio, cujus nobis est hodie facta suffragium in tua virtute confessio. Per Dominum nostrum.

Alia.

Præsta, quæsumus, Domine, ut semper nos Bea-

[a] Edit. Pamel. habet, *in primo mane*. Kalend. Rom. *In prima Missa*, ceteris omissis. Postea, *Dis SS. ad Missa publica natal. S.* Laurent. Pro quo legitur apud Pam. *In die ad Missam*; ubi codex Reg. Suec. *item alia Missa*.

N. 446. Beati Laurentii lætificent ᴺ votiva martyria, A quæ semper esse non desinunt admiranda. Per.

iij. Idus Augusti.

ᴺ NAT. S. TIBURTII ᵃ MARTYRIS.

N. 447. a BEati Tiburtii nos Domine, foveant continuata præsidia: quia non desinis propitius intueri, quos talibus auxiliis concesseris adjuvari. Per.

Super Oblata.

Adesto, Domine, precibus populi tui, adesto B muneribus: ut quæ sacris sunt oblata mysteriis, tuorum tibi placeant intercessione Sanctorum. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus; Qui dum Beati Tiburtii merita gloriosa veneramur,
N. 448. ᴺ auxilium nobis tuæ protectionis adfore deprecamur,
N. 449. ᴺ quoniam credimus nos per eorum intercessionem, qui tibi placuere, peccatorum nostrorum veniam impetrare. Per Christum. C

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, pignus redemtionis æternæ: sit nobis, quæsumus, interveniente Beato Tiburtio Martyre tuo, ᴺ vitæ præsentis auxi-
N. 450. lium pariter & futuræ. Per.

Idibus Augusti.

N. 451. ᴺ NAT. S. HIPPOLYTI MARTYRIS.

SAncti Martyris tui Hippolyti, Domine, quæsumus, veneranda festivitas, salutaris auxilii nobis præstet augmentum. Per. D

Super Oblata.

Respice, Domine, munera populi tui, Sanctorum festivitate votiva: & tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et
N. 452. ᴺ tuam clementiam votis supplicibus implorare: ut Beati Hippolyti intercessio peccatorum nostrorum nobis obtineat veniam, qui per tormenta passionis æternam pervenit ad gloriam. Per Christum. E

Ad complendum.

Sacramentorum tuorum, Domine, communio sumta nos salvet: et intercendente Beato Hippolyto Martyre tuo, in tuæ veritatis luce confirmet. Per

N. 453. *xix. Kalendas Septembris.*

b NAT. ᴺ S. EUSEBII ᵇ CONFESSORIS.

DEus, qui nos Beati Eusebii confessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propi- F tius, ut cujus natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per.

Super Oblata.

Laudis tuæ, Domine, immolamus Hostias in tuorum commemoratione Sanctorum, quibus nos & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine B sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et clementiam tuam pronis mentibus implorare, ut per Beati Eusebii Confessoris tui intercessionem, salutiferam in nostris mentibus firmes devotionem. Concedasque, ut sicut te solum credimus Auctorem, & veneramur Salvatorem, sic in perpetuum ejus interventu habeamus adjutorem. Per Christum.

Ad complendum.

Sancti Eusebii natalitia celebrantes, supplices te, Domine, deprecamur: ut hoc idem nobis semper indulgentiæ causa sit & salutis. Per. C

Eodem die.

ᴺ ᶜ VIGILIA ASSUMTIONIS S. MARIÆ. N. 454. c

DEus, qui virginalem aulam Beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da, quæsumus, ut sua nos defensione munitos, jucundos N. 455.
ᴺ faciat suæ interesse festivitati. Qui vivis & regnas.

Super Oblata.

D Magna est, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis oratio, quam idcirco de præsenti seculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. Per eumdem Dominum.

Ad complendum.

Cælesti munere satiatos, omnipotens Deus, tua nos protectione custodi, & castimoniæ pacem mentibus nostris atque corporibus, intercedente Beata Maria, propitiatus indulge: ut veniente sponso Filio tuo Unigenito, accensis lampadibus, ejus E digne præstolemur occursum. Qui vivit, & regnat Deus in unitate Spiritus sancti.

Alia.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium: ut qui sanctæ Dei Genitricis requiem celebramus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem.

Alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ad Beatæ Mariæ semper virginis gaudia æterna pertingere, de cujus nos veneranda Assumtione tribus F annua solemnitate gaudere. Per.

a In Kalend. Rom. additur *Die SS.* hoc est supra scripta *Natal. S. Susannæ.* Hic vero seq. legitur, *Die XII. Mens. Aug. Natal. S. Eupli.*

b In Calend. *Presbyteri.* Ita quoque legitur in ed. Pamel. sed *Presbyteri* desideratur in cod. Reg. Suec.

c Censet Pamelius hoc officium & sequens non esse S. Gregorii, licet Gregorio esse vetustiora, verisimile ipsi videtur. Sane extent in cod. Reg. Suec. in utroque Theod. in Gemet. &c. etiam sub *Assumtionis* titulo. Notatur hoc modo in Kalend Rom. *Die xv. mens. Aug. Solemnia de Pausatione S. Mariæ.* Ubi quoque assignatur Evang. *intravit Jesus in quoddam Castell.* Consule Doctissimi Johan. Frontonis notas ad hunc locum.

xviij. Kalendas Septembris.

N. 456. ᴺ ASSUMTIO SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

N. 457. ᴺ VEneranda nobis, Domine, hujus est diei festivitas, in qua Sancta Dei Genetrix mortem subiit temporalem; nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum vivit, & regnat Deus.

Ad Missam.

Famulorum tuorum, Domine, delictis ignosce: & qui placere de actibus nostris non valemus, B Genetricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit.

Super Oblata.

Subveniat, Domine, plebi tuæ, Dei Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cælesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus. Per eumdem Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et C te in veneratione sacrarum Virginum exultantibus
N. 458. animis laudare, benedicere & prædicare: ᴺ Inter quas intemerata Dei Genitrix Virgo Maria, cujus Assumtionis diem celebramus, gloriosa effulsit: Quæ & Unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente, huic mundo lumen æternum effudit, Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem.

a *Benedictio.*

N. 459. ᴺ Deus, qui per Beatæ Mariæ Virginis partum, D genus humanum dignatus est redimere, sua vos dignetur benedictione locupletare. Amen. Ejusque semper & ubique patrocinia sentiatis, ex cujus intemerato utero auctorem vitæ suscipere meruistis. Amen. Et qui ad ejus celebrandam festivitatem hodierna die devotis mentibus convenistis, spiritalium gaudiorum, & æternorum præmiorum vobiscum munera reportetis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Mensæ cælestis participes effecti, imploramus clementiam tuam, Domine Deus noster: ut qui E festa Dei Genetricis colimus, a malis imminentibus, ejus intercessionibus liberemur. Per eumdem.

Alia.

Porrige nobis, Domine, dexteram tuam, & per intercessionem Beatæ, & gloriosæ semperque Virginis Genetricis Mariæ, auxilium nobis supernæ virtutis impende. Per eumdem.

xv. Kalendas Septembris.

b NAT. S. AGAPITI b MARTYRIS.

N. 460. ᴺ SAncti Martyris tui Agapiti merita nos, Do- F mine, pretiosa tueantur, in quibus tuæ Majestatis opera prædicantes, & præsens capiamus adjutorium & futurum. Per.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, munera, quæ in ejus tibi solemnitate deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum.

Ad Complendum.

Protegat, quæsumus, Domine, populum tuum, & participatio cælestis indulta convivii, & deprecatio collata Sanctorum. Per Dominum nostrum.

xj. Kalendas Septembris.

NAT. ᴺ S. TIMOTHEI MARTYRIS. N. 461.

AUxilium tuum nobis, Domine, quæsumus, placatus impende, & intercedente Beato Timotheo Martyre tuo, dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per.

Super Oblata.

Accepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per Dominum.

Ad complendum.

Divini muneris largitate satiati, quæsumus, Domine Deus noster: ut, intercedente Beato Timotheo Martyre tuo, ejus semper participatione vivamus. Per.

ix. Kalendas Septembris.

NAT. ᴺ S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI. N. 462. c

OMnipotens sempiterne Deus, qui hujus diei venerandam, sanctamque lætitiam Beati Apostoli tui Bartholomæi festivitate tribuisti: da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Beati Apostoli tui Bartholomæi, cujus solemnia recensemus, quæsumus, Domine, auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi Hostias laudis offerimus.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Qui Ecclesiam tuam sempiterna pietate ᴺ non deseris: sed per Beatos Apostolos tuos jugiter erudis, & sine fine custodis. Per Christum Dominum nostrum. N. 463.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, pignus salutis æternæ, celebrantes Beati Bartholomæi Apostoli tui votiva solemnia, & perpetua merita venerantes. Per Dominum nostrum.

Super

a Benedictio hæc in Benedictionali continetur.
b Deest, *Martyris*, in cod. Reg. Sueciæ. sed in prima oratione legitur.
c Hoc festum omittitur in Kalend. Rom. in Calensi & in cod. Reg. Suec. Extat in Gemet. ubi eodem die prius legitur: *Nat. S. Audoeni Episcopi*, sc. Rotomagensis VI. Kalendas Septembris. in utroque Theoderic. & in Gemet. assignatur, *Nat. S. Rufi martyris*.

Super populum.

Protege, Domine, populum tuum; & Apostolorum tuorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva. Per.

v. Kalendas Septembris.

NAT. S. AUGUSTINI [a] EPISCOPI.

ADesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus; & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente Beato Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Sancti Confessoris tui Augustini nobis, Domine, pia non desit oratio, quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
N. 464. Qui Beatum N Augustinum Confessorem tuum, & scientiæ documentis replesti, & virtutum ornamentis ditasti: Quem ita multimodo genere pietatis imbuisti, ut ipse tibi, & ara, & sacrificium, & sacerdos esset & templum. Per Christum Dominum nostrum.

Ad complendum.

Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem, Beatus Confessor tuus Augustinus, & Pontifex, quæsumus, precator accedat. Per Dominum nostrum.

Eodem die.

NAT. S. HERMETIS MARTYRIS.

N. 465. N INtercessio, Domine, B. Hermetis Martyris tui, & tuam nobis non desinat placare justitiam, & nostrum tibi devotum jugiter efficere famulatum. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Munera, Domine, nostra, quæsumus, propitiatus assume: &, ut digne tuis famulemur altaribus, sancti tui nos Hermetis intercessione custodi. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quoniam fiducialiter laudis tibi immolamus Hostias,
N. 466. N quas sancti Hermetis Martyris tui precibus tibi esse petimus acceptas. Per Christum.

Ad complendum.

Repleti, Domine, benedictione cælesti, quæsumus clementiam tuam: ut intercedente Beato Hermete Martyre tuo, quod humiliter gerimus, salubriter sentiamus. Per.

iv. Kalendas Septembris.

NAT. SANCTÆ SABINÆ.

EXaudi nos, Deus, salutaris noster, ut sicut N. 467.
sanctæ Sabinæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur effectu. Per.

Super Oblata.

Gratanter, Domine, ad munera dicanda concurrimus, quæ nomini tuo pro solemnitate sanctæ Martyris tuæ Sabinæ suppliciter immolamus, Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Purificet nos, Domine Deus, & divinæ perceptio sacramenti, & gloriosa deprecatio sanctæ Sabinæ. Per.

Eodem die.

[b] DECOLLATIO SANCTI JOHANNIS BAPTISTÆ.

SAncti Johannis Baptistæ & Martyris tui, Domine, quæsumus, veneranda festivitas, salutaris auxilii nobis præstet effectum. Per.

Super Oblata.

Munera tibi, Domine, pro sancti Martyris tui Johannis Baptistæ passione deferimus, qui dum finitur in terris, factus est cælesti sede perpetuus; quæsumus, ut ejus obtentu nobis proficiant ad salutem. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Qui præcursorem Filii tui tanto munere ditasti, ut pro veritatis præconio capite plecteretur: Et qui Christum aqua baptizaverat, ab N ipso in spiritu baptizatus, pro eodem proprio sanguine tingeretur. N. 468.
Præco quippe veritatis, quæ Christus est, Herodem a fraternis thalamis prohibendo, carceris obscuritate detruditur: ubi solius divinitatis tuæ lumine N frueretur. Deinde N capitalem sententiam subiit, & ad inferna Dominum præcursurus descendit. Et quem in mundo digito demonstravit, ad inferos pretiosa morte præcessit. Et ideo cum Angelis. N. 469. N. 470.

[c] Benedictio.

Deus, qui nos beati Johannis Baptistæ concedit solemnia frequentare, tribuat vobis & eadem devotis mentibus celebrare, & suæ benedictionis dona percipere. Amen. Et qui pro legis ejus præconio carceralibus est retrusus in tenebris, intercessione sua a tenebrosorum operum vos liberet incentivis. Amen. Et qui pro veritate, quæ Deus est, caput non est cunctatus amittere, suo interventu ad caput nostrum, quod Christus est, est, vos faciat pervenire. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Conferat nobis, Domine, sancti Johannis u-

trum-

a Nihil quoque legitur de S. Aug. in prædictis codicibus Colensi & Reg. Suec. sed extat ejus natale in mss. Gem. & Theod. post festum S. Hermetis.

b De hoc festo fit die seq. in Kalend. Rom.

c Extat in Benedict. *in festo S. Johannis de Martyrio.*

strumque solemnitas: ut & magnifica sacramen- A ta quæ sumsimus, digne veneremur, & nobis salutaria sentiamus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Perpetuis nos, Domine, sancti Johannis Baptistæ tuere præsidiis: & quanto fragiliores sumus, tanto magis necessarius attolle suffragiis. Per.

iij. Kalendas Septembris.

NAT. SANCTORUM FELICIS ET ADAUCTI.

B

MAjestatem tuam, Domine, supplices deprecamur: ut sicut jugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per.

Super Oblata.

Hostias, Domine, tuæ plebis intende: & quas in honore Sanctorum tuorum devota mente celebrat, proficere sibi sentiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Repleti, Domine, muneribus sacris, quæsu- C mus, ut, intercedentibus Sanctis tuis, in gratiarum tuarum semper actione maneamus. Per.

vj. Idus Septembris.

[a] NAT. S. MARIÆ VIRGINIS.

Orationes ad Matutinos.

ADesto nobis, omnipotens Deus, Beatæ Mariæ festa repetentibus, quam hodiernæ festivitatis prolatam exortu, ineffabili munere sublevasti. Per.

D

N. 471. *Ad N Processionem.*

Supplicationem servorum tuorum, Deus miserator, exaudi: ut qui in nativitate Dei Genitricis & Virginis congregamur, ejus intercessionibus, a te de instantibus periculis eruamur. Per eumdem Dominum nostrum.

Ad Missam.

Famulis tuis, Domine, cælestis gratiæ munus impartire: ut quibus Beatæ Mariæ Virginis partus extitit salutis exordium, nativitatis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per.

E

Super Oblata.

Unigeniti tui, Domine, nobis succurrat humanitas: ut qui natus de virgine, matris integritatem non minuit, sed sacravit, in nativitatis ejus solemniis, a nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam. Qui tecum vivit.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & saluta- F re, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Et præcipue pro meritis Beatæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, gratia plenæ, tuam omnipotentiam laudare, benedicere, & prædicare. Per quem.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva sacramenta: præsta, quæsumus, intercedente Beata semper Virgine Maria, ut & temporalis nobis vitæ remedia præbeant & æternæ. Per.

Super populum.

Adjuvet nos, quæsumus, Domine, sanctæ Mariæ intercessio veneranda, cujus etiam diem, quo felix ejus est inchoata nativitas, celebramus. Per.

Eodem die.

N NAT. [b] S. ADRIANI MARTYRIS. N. 472.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Beati Adriani Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus ejus intercessionibus liberemur. Per.

Super Oblata.

Munera, quæsumus, Domine, tibi dicata sanctifica: & intercedente Beato Adriano Martyre tuo, per eadem nos placatus intende. Per.

Ad complendum.

Beati Adriani Martyris, Domine, intercessione placatus, præsta quæsumus: ut quæ temporaliter gerimus, perpetua salvatione capiamus. Per [c].

iij. Idus Septembris.

NAT. SS. N PROTI, ET HYACINTHI. N. 473.

BEati Proti nos, Domine, & Hyacinthi foveat pretiosa confessio, & pia jugiter intercessio tueatur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Pro sanctorum tuorum Proti & Hyacinthi, munera, tibi Domine, commemoratione, quæ debemus, exolvimus: præsta quæsumus, ut remedium nobis perpetuæ salutis operentur. Per.

Ad complendum.

Ut perpetua nos, Domine, tua sancta purificent, Beati Proti & Hyacinthi, quæsumus imploret oratio. Per.

xviij. Kalendas Octobris.

N EXALTATIO SANCTÆ CRUCIS. N. 474.

N DEus, qui Unigeniti tui Domini nostri pretioso sanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, ut qui ad adorandam N. 475.

a Idem sentit Grimoldus Abbas de hoc, quod supra de officio Assumtionis Mariæ adnotavimus. Vetustum tamen esse patet ex ord. Rom. pag. 84. ubi etiam stationis ad S. Adrianum fit mentio, ad quam prima hæc collecta pertinet: Missæ autem ad S. Mariam. Facit hujus orationis & coll. mentionem Radulphus Tungr. c. 13. & 23. ubi institutam fuisse hoc die a D. Gregorio Letaniam scribit a S. Adriano ad S. Mariam majorem, *Pamelius*. Hoc tamen festum & officium habet in cod. Reg. Suec. & in al. necnon in Kalend. Rom. ubi assignatur ad diem 9. Septembris, & præscribitur Evang. *Exurgens Maria abiit in montana*.

b Abest a mf. Cal.

c Post festum S. Adriani sequitur, v. *Idus Septembris, nat. S. Gorgonii Mart.* in ed. Varic. faventibus mss. Theod. & Gemet. De illo vero silent edit. Pamel. Kalendar. Rom. & cod. Reg. Suec.

dam vivificam ejus Crucem adveniunt, a peccatorum suorum nexibus liberentur. Per eumdem.

Super Oblata.

N. 475. N Devotas, Domine, humilitatis nostræ preces, & Hostias misericordiæ tuæ præcedat auxilium: & salutem, quam per Adam in paradisi ligno clauserat temerata præsumtio, ligni rursum fides aperiat. Per.

„ Præfationem, quæ est in inventione Sanctæ „ Crucis, require in v. Nonas Maii.

Ad complendum.

B

N. 477. N Jesu Christi Domini nostri corpore et sanguine saginati, per quam Crucis est sanctificatum vexillum, quæsumus, Domine Deus noster: ut sicut adorare meruimus, ita perennitatis ejus gloriæ salutari potiamur effectu. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Adesto familiæ tuæ, quæsumus, clemens et misericors Deus: ut in adversis et prosperis ejus preces exaudias, et nefas adversariorum per auxilium Sanctæ Crucis digneris conterere, ut portum salutis tuæ valeat apprehendere. Per.

C

Eodem die.

N. 478. NAT. N SS. CORNELII ET a CYPRIANI.

N. 479. BEatorum Martyrum, pariterque Pontificum, Cornelii et Cypriani nos, quæsumus, Domine, festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda. Per.

Super oblata.

Plebis tuæ, Domine, munera benignus intende, quæ Majestati tuæ pro Sanctorum Martyrum tuorum Cornelii et Cypriani solemnitatibus sunt dicata. Per.

D

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus:
N. 480. N Tuamque in Sanctorum tuorum Cornelii simul, & Cypriani festivitate prædicare virtutem: quos diversis terrarum partibus greges sacros divino pane pascentes, una fide, eademque dia pari nominis tui confessione coronasti. Per Christum.

E

Ad complendum.

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis: ut quorum solemnia celebramus, orationibus adjuvemur. Per.

xviij. Kalendas Octobris.

NAT. S. NICOMEDIS MARTYRIS.

N. 481. ADesto, Domine, populo tuo: ut Beati Nicomedis Martyris tui merita præclara N suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrocinius adjuvemur. Per.

F

Super Oblata.

Suscipe, Domine, munera propitius oblata, quæ Majestati tuæ Beati Nicomedis Martyris commendet oratio. Per.

Ad complendum.

Purificent nos, Domine, sacramenta quæ sumsimus: & intercedente Beato Nicomede Martyre tuo, a cunctis efficiant vitiis absolutos. Per.

xvij. Kalendas Octobris.

NAT. S. EUPHEMIÆ MARTYRIS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: concede propitius, ut qui Beatæ Euphemiæ Martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per.

Super Oblata.

Præsta, quæsumus, Domine Deus noster: ut sicut in tuo conspectu mors est pretiosa Sanctorum, ita eorum merita venerantium accepta tibi reddatur oblatio. Per.

Ad complendum.

Sanctificet nos, Domine, quæsumus, tui perceptio sacramenti: & intercessio Beatæ Martyris tuæ Euphemiæ tibi reddat acceptos. Per.

Eodem die.

NAT. SS. LUCIÆ b ET GEMINIANI.

PRæsta, Domine, precibus nostris cum exultatione proventum: ut quorum diem passionis annua devotione recolimus, etiam fidei constantiam subsequamur. Per.

Super Oblata.

Vota populi tui, Domine, propitiatus intende: ut quorum nos tribuis solemnia celebrare, facias gaudere suffragiis. Per.

Ad complendum.

Exaudi, Domine, preces nostras: ut Sanctorum tuorum, quorum festa solemniter celebramus, continuis foveamur auxiliis. Per.

xij. Kalendas Octobris.

c VIGILIA S. MATTHÆI EVANG.

DA nobis, omnipotens Deus, ut Beati Matthæi Apostoli tui & Evangelistæ, quam prævenimus veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat & salutem. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

N Apostolici reverentia culminis offerentes tibi sacra N. 482.

a Celeberrimi natalis S. Cypriani meminit Cassiodorus Variar. lib. 8. ep. 33 & ipse Greg. lib. 2. indict. 10. ep. 32. In Kalendariis Rom. seu hebdomadæ, quæ festum hoc sequuntur, ab illo nomen accipiunt; quod celebritatis & solemnitatis insigne est argumentum. Apud Pamel. favente cod. Reg. Suec. festum S. Cypriani præmittitur solemnitati Exalt. S. Crucis, quæ eodem die occurrit.

b Non meminit S. Geminiani Kalend. Rom. Ejus autem nomen conspicitur in codd. mss. etiam antiquissimis, quales sunt cod. Reg. Suec. & hujus Pamelius consuluit.

c De hac Vigilia siletur in edit. Pamel. & Kalend. Rom. antiquisque codd. Imo in cod. Reg. Suec. & ms. Calensi nullum de S. Matthæo extat officium. In edit. Pamel. reperitur, sed intra uncinos conclusum. Habetur in utroque Theod. & in Gemet.

sacra mysteria, Domine, quæsumus: ut Beati A
Matthæi Evangelistæ suffragiis, cujus natalitia
N. 483. præimus, N hic plebs tua semper & sua vota depromat, & desiderata percipiat. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Beati Matthæi Evangelistæ, quæsumus, Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede. Per Dominum nostrum.

Alia.

Sit, Domine, Beatus Matthæus Evangelista nostræ fragilitatis adjutor: ut pro nobis tibi supplicans, copiosius audiatur. Per.

xj. Kalendas Octobris.

NAT. S. MATTHÆI APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ.

BEati Matthæi Evangelistæ, Domine, precibus adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Supplicationibus Apostolicis Beati Matthæi Evangelistæ, quæsumus, Domine, Ecclesiæ tuæ commendetur oblatio, cujus magnificis prædicationibus eruditur. Per.

Præfatio.

d Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Qui Ecclesiam tuam in tuis fidelibus ubique pollentem, Apostolicis facis constare doctrinis: præsta, quæsumus, ut per quos initium divinæ cognitionis accepit, per eos usque in finem seculi
N. 484. capiat N regni cœlestis augmentum. Per Christum.

Ad complendum.

Perceptis, Domine, sacramentis, Beato Matthæo Apostolo tuo & Evangelista interveniente, deprecamur; ut quæ pro ejus celebrata sunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per.

Alia.

N. 485. N Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui jugiter Apostolica defensione munimur, nec succumbamus vitiis, nec opprimamur adversis. Per Dominum nostrum.

a MENSE VII. FERIA [a] IV.

MIsericordiæ tuæ remediis, quæsumus, Domine, fragilitas nostra subsistat: ut quæ sua conditione atteritur, tua clementia reparetur. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, Domine, familiæ supplicanti, ut dum a cibis corporalibus se abstinent, a vitiis mente jejunent. Per.

Super Oblata

Deus fidelis, qui fidelia promissa confirmas, dum vocatas gentes ex fide justificas, tu cognitionem nobi individuæ tribue Trinitatis, ut pacifici conversemur inter filios unitatis: quo istius sanctæ confessionis sacrificio potenter oblato, visitationem tuam jugiter mereamur ex alto. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
B Qui nos ideo collectis terræ fructibus, per abstinentiam tibi gratias agere voluisti, ut ex ipso devotionis genere nosceremus, non hæc ad exuberantiam corporalem, sed ad fragilitatis sustentationem nos percepisse: ut quod ex his parcius sumeremus, egentium proficeret alimentis; Et salutaris castigatio, mortalitatis insolentiam mitigaret: Et pietas largitoris, nos tuæ benignitati commendatos efficeret; sicque donis uteremur transitoriis, ut disceremus inhiare perpetuis. Per Christum Dominum nostrum.

C *Ad complendum.*

Sumentes, Domine, dona cælestia suppliciter deprecamur; ut quæ sedula servitute, donante te, gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Quæsumus, omnipotens Deus, preces nostras respice, & tuæ super nos viscera pietatis impende: ut qui ex nostra culpa affligimur, ex tua pietate misericorditer liberemur. Per.

D [b] *Feria VI.* b

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut observationes sacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente. Per

Super Oblata.

Accepta tibi sint, Domine, quæsumus, nostri dona jejunii: quæ expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad sempiterna promissa perducant. Per.

Præfatio.

E Vero dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui justo pioque moderamine, & pro peccatis flagella irrogas, & post flagella veniam propitiatus condonas, & peccatorum vitam potius volens quam mortem, non eos ad interitum condemnas, sed ut corrigantur, miseratus expectas. Per Christum Dominum nostrum.

Ad complendum.

F Quæsumus, omnipotens Deus; ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

a Sab-

a Apud Pamel. in ms. Calensi & in Kal. Rom. statio assignatur, ad S. Marcum, addit Pamel. majorem. Apud eumdem, consentiente cod. Reg. Suec. prius annotatur Dominica, cujus statio indicitur, ad S. Petrum.
b Feriæ hujus statio est, ad Apostolos, juxta Kalend. Rom. edit. Pamel. & codd. mss.

a [a] *Sabbato in XII. Lection.*

OMnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem, & corporibus mederis & mentibus, Majestatem tuam supplices exoramus: ut pia jejunantium deprecatione placatus, & præsentia nobis subsidia præbeas & futura. Per.

Alia.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut jejunando tua gratia satiemur; & abstinendo, cunctis efficiamur hostibus fortiores. Per Dominum nostrum.

Alia.

Tuere, quæsumus, Domine, familiam tuam: ut salutis æternæ remedia, quæ, aspirante, requirimus, te largiente consequamur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Tribue, quæsumus, Domine, fidelibus tuis; ut & jejunio convenienter aptentur, & suscepta solemniter castigatio corporalis ad fructum nostrarum transeat animarum. Per Dominum nostrum.

Alia.

Ut nos, Domine, tribuis solemne tibi deferre jejunium; sic nobis, quæsumus, indulgentiæ præsta subsidium. Per.

Alia.

N. 486. [N] Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium; concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Hæc Hostia, Domine, quæsumus, & vincula nostræ iniquitatis absolvat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tibi sanctificare jejunium, quod nos ob ædificationem animarum & castigationem corporum servare docuisti: quia [N] restrictis corporibus, animæ saginantur: in quo homo noster N. 487. affligitur exterior, dilatatur interior. Memento, quæsumus, Domine, jejuniorum nostrorum & misericordiarum tuarum, quas peccatoribus pie semper jejunantibus contulisti; & præsta, ut non solum a cibis, sed a peccatis omnibus abstinentes, devotionis tibi jejunio placeamus. Per Christum Dominum.

b [b] *Benedictio.*

Deus fons indulgentiæ, suscipiat propitius libationem abstinentiæ vestræ. Amen. Impleat corda vestra suarum delectationibus hostiarum, & det vobis posse suis parere præceptis. Amen. Ut quod non potestis carnali ex infirmitate perficere, ipsius gratiæ ubertate mereamini adimplere. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

[c] Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent: ut quę nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Per. c

Super populum.

Gaudeat, Domine, quęsumus, plebs tua beneficiis impetratis: & cui fiduciam sperandę pietatis indulges, optatę misericordię pręsta benignus effectum. Per Dominum nostrum.

v. Kalendas Octobris.

NAT. [d] SS. COSMÆ ET DAMIANI. d

ADesto, Domine, Martyrum deprecatione Sanctorum: & quos pati pro tuo nomine voluisti, fac tuis fidelibus suffragari. Per.

Super Oblata.

Anticipa nos misericordia tua priusquam zelus irę deseviat, misericors Deus: & hęc dona sanctifica, ut, adjuti patrociniis beatorum, quorum propter te sanguis effusus est, propitiationem tuam cum peccatorum venia consequamur. Per.

Ad complendum.

Sit nobis, Domine, sacramenti tui certa salvatio: quæ cum Beatorum Martyrum tuorum Cosmæ & Damiani meritis imploratur. Per.

iij. Kalendas Octobris.

DEDICATIO [e] BASILICÆ S. MICHAELIS. e

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas, concede propitius: ut quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra nostra vita muniatur.

Super Oblata.

Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes: ut easdem Angelico pro nobis interveniente suffragio, & placatus accipias, & ad salutem nostram provenire concedas. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Sancti Michaelis Archangeli merita prædicantes: quamvis enim nobis sit omnis Angelica veneranda sublimitas, quæ in Majestatis tuæ consistit conspectu, illa tamen est propensius honoranda, quæ in ejus ordinis dignitate, cælestis militiæ meruit principatum. Per Christum Dominum nostrum.

[f] *Benedictio.* f

Deus, qui ad salutem nostram Angelorum suorum unitur ministerio, eorum vos munimine com-

a Ex iisdem libris statio est *ad S. Petrum*.
b Hanc Benedictionem nullibi reperimus adscriptam, ne in ipso quidem Benedictionali.
c Hæc laudatur a Gratiano de consecrat. dist. 2. cap. 34. *Species* necnon a Lanfranco, Guitmundo & aliis qui adversus Berengarium decertarunt.
d Ante hoc festum in Kalend. Rom. legitur. *Die xj. m. Septembris S. Eustochii*, sed legendum, *Eustachii*, censet Johan. Fronto. In nullis mss. nostrum habetur.
e In Kalend. Rom. *Dedicatio Ecclesiæ Archangeli*. In ms. Calend. *S. Angeli*. In vet. Sacramentario Gallic. est ut *Missa in honore S. Michael* ab hac longe discrepans, in cujus præfatione seu contestatione dedicationis fit mentio.
f Benedictionem hanc nesciunt alii libri nostri.

N. 488. muni N custodiat custodia. Amen. Det vobis mentium puritatem, & jugem corporum castitatem, qui eorum electis omnibus repromisit æqualitatem. Amen. Quique illis certissimam suæ permansionis tribuit fiduciam, ipse vos fidei, spei, caritatisque perseverabili virtute confirmet, atque ad eorum beatitudinis societatem perducat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Beati Archangeli tui Michaelis intercessione suffulti, supplices, te Domine, deprecamur: ut quos honore prosequimur, contingamus & mente. Per Dominum.

Super populum.

N. 489. N Adesto plebi tuæ, misericors Deus: &, ut gratiæ tuæ beneficia potiora percipiat, Beati Michaelis Archangeli fac supplicem deprecationibus sublevari. Per Dominum nostrum.

Nonis Octobris.

N. 490. NAT. SANCTI N MARCI PAPÆ.

EXaudi, Domine, quæsumus, preces nostras: & interveniente Beato Marco Confessore tuo atque Pontifice, supplicationes nostras placatus intende. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Benedictio tua, Domine, larga descendat: quæ munera nostra, deprecante Sancto Marco Confessore tuo atque Pontifice, tibi reddat accepta, & nobis sacramentum redemtionis efficiat. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Da, quæsumus, Domine, fidelibus populis Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum.

Pridie idus Octobris.

NAT. S. CALISTI PAPÆ.

DEus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere: ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Mystica nobis, Domine, prosit oblatio, quæ nos & a reatibus nostris expediat, & perpetua salvatione confirmet. Per.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut reatum nostrum munera sacrata purificent, & recte vivendi nobis operentur effectum. Per Dominum nostrum.

xv. Kalendas Novembris.

a * NAT. S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

INterveniat pro nobis, Domine, quæsumus, Sanctus tuus Lucas Evangelista, qui Crucis

A mortificationem jugiter in suo corpore pro tui nominis honore portavit. Per Dominum nostrum.

Super oblata.

Donis nos cælestibus, da, quæsumus, Domine, libera mente servire: ut munera, quæ deferimus, interveniente Beato Evangelista tuo Luca, & medelam nobis operentur & gloriam. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te in
B tuorum Sanctorum meritis gloriosis collaudare, benedicere, & prædicare: Qui eos dimicantes contra antiqui serpentis machinamenta, & proprii corporis blandimenta, inexpugnabili virtute, Rex gloriæ, roborasti. Ex quibus Beatus Lucas Evangelista tuus, N assumto scuto fidei, N. 491.
& galea salutis, & gladio Spiritus sancti, & viriliter contra vitiorum incentiva pugnavit, & Evangelicæ nobis dulcedinis fluenta N manavit. N. 492.
Unde petimus immensam, Domine, pietatem tuam, ut qui eum tot meritorum donasti prærogativis, nos ejus & informes exemplis, & adjuves meritis. Per Christum.

C „ Benedictionem require, in * natali. * Vide not. 308. Mn ordi.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens æterne Deus, ut id, quod de sancto Altari tuo accepimus, precibus Beati Evangelistæ tui Lucę sanctificet animas nostras, per quod tuti esse possimus. Per.

vj. Kalendas Novembris.

VIGILIA APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

D

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut Apostolorum tuorum Simonis & Judæ gloriosa natalitia prævenimus; sic ad tua beneficia promerenda, majestatem tuam pro nobis ipsi præveniant.

Super Oblata

Muneribus nostris, Domine, Apostolorum Simonis & Judæ festa precedimus, humiliter postulantes: ut quę conscientię nostrę prępediuntur obstaculis, illorum meritis grata reddantur.
E Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia tu es mirabilis in omnibus sanctis tuis, quos & nominis tui confessione præclaros, & suscepta pro te fecisti passione gloriosos. Unde sicut illi jejunando, orandoque certaverunt, ut hanc possent obtinere victoriam, ita nos N eorum exemplis in- N. 493.
formemur: ut ad celebranda præsentia festa idonei inveniamur, & ad æterna percipienda eorum
F interventu digni judicemur. Per Christum.

Ad complendum.

Sumto, Domine, sacramento, suppliciter deprecamur:

a In cod. Reg. Suec. post Officium de S. Calixto omnia omittuntur usque ad Kalendas Novembris, in quibus non omnium sanctorum festivitas, sed solum S. Cæsarii natale celebratur. Codex Calon- [illegible] nescit festa S. Lucæ SS. Simonis & Judæ, & S. Thomæ.

camur: ut intercedentibus Beatis Apostolis, quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam. Per.

Ad Vesperos.

Omnipotens sempiterne Deus, mundi Creator & Rector, qui Beatos Apostolos nominis tui gloria sublimasti: exaudi, quæsumus, Domine, populum tuum cum Sanctorum tuorum tibi patrocinius supplicantem; ut nobis & pacis donum tribuas, & continuatum proficiat ad fidei & caritatis augmentum. Per Dominum nostrum.

.V. Kalendas Novembris.

NAT. S. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

DEus, qui nos per Beatos Apostolos tuos ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: da nobis gloriam sempiternam proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per.

Super Oblata.

Gloriam, Domine, Sanctorum Apostolorum perpetuam venerantes, quæsumus, ut eam sacris mysteriis expiati, dignius celebremus. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te in tuorum Apostolorum glorificantes honore, qui & illis tribuisti beatitudinem sempiternam, & infirmitati nostræ talia præstitisti suffra-
N. 494. gia, per [N] quæ tua possimus adispici subsidia, & pervenire ad præmia repromissa. Per Christum.
* Id est, Require quæ supra. „ Benedictionem R. * Q.

Ad complendum.

Perceptis, Domine, sacramentis suppliciter te rogamus: ut, intercedentibus Beatis Apostulis tuis, quæ pro illorum veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad medelam. Per.

Alia.

Exaudi nos, Deus salutaris noster; & Apostolorum tuorum nos tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per.

Pridie Kalendas Novembris.

VIGILIA OMNIUM SANCTORUM.

DOmine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam: & quorum prævenimus gloriosa solemnia, tribue subsequi in sancta professione lætitiam. Per.

Super Oblata.

Altare tuum, Domine Deus, muneribus cumulamus oblatis: da, quæsumus, ut ad salutem nostram omnium Sanctorum tuorum precatione proficiant, quorum solemnia ventura præcurrimus. Per.

Ad complendum.

Sacramentis, Domine, & gaudiis optata celebritate expletis, quæsumus: ut eorum precibus

A adjuvemur, quorum recordationibus exhibentur. Per.

Super populum.

Erudi, quæsumus, Domine, populum tuum spiritalibus instrumentis: & quorum præstas solemnia prævenire, fac eorum & consideratione devotum, & defensione securum. Per.

Kalendis Novembris.

[N] NAT. [a] S. CÆSARII MARTYRIS. N. 495. a

B [N] DEus, qui nos beati Martyris tui Cæsarii annua solemnitate lætificas, concede propitius: ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per. N. 496.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, Beati Cæsarii Martyris tui dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per.

Ad complendum.

C Quæsumus, omnipotens Deus; ut, qui cælestia alimenta percepimus, intercedente Beato Cæsario Martyre tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Eodem die.

[N] NAT. [b] OMNIUM SANCTORUM. N. 497. b

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quæsumus: ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multipli-
D catis intercessionibus, largiaris. Per.

Super Oblata.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ & pro cunctorum tibi grata sint honore Sanctorum, & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
E Et clementiam tuam suppliciter obsecrare, ut cum exultantibus Sanctis in cælestis regni cubilibus gaudia nostra subjungas. Et quos virtutis imitatione non possumus sequi, debitæ venerationis contingamus affectu. Per Christum.

Benedictio.

Sanctorum suorum meritis vos Dominus faciat benedici, & contra adversa omnia eorum intercessione muniri. Amen. Eorum efficiant suffragia felices, quorum festivitatis diem celebratis ovantes. Amen. Quo eorum imitantes exempla, ad cælestia possitis pervenire promissa.
F Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Sanctorum omnium gloriosa confessio, Deus, tribue

a Extat in codicibus nostris & in ms. Reg. Suec. qui solemnitatis omnium sanctorum minime meminit.

b Miramur hic annotatum a Pamelio (quod etiam in edit. Gussanvil. legitur) hujus diei officium in omnibus reperiri m. Certe de ipso silet in cod. Reg. Suec. in duobus aliis a Menardo hic indicatis, & in Kalend. Rom.

tribue nobis, quæsumus, ut, per hæc sancta quæ sumsimus, tuorum admixti conciliis, misericordiæ tuæ dapibus saginemur. Per.

Alia.

Da, quæsumus, Domine, fidelibus populis omnium Sanctorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per.

N. 498. „ N QUATUOR CORONATORUM nomi-
„ na hæc sunt: Servus, Severianus, Victorinus,
N. 499. „ & Carpophorus, N quorum dies natalis per in-
„ curiam neglectus minime reperiri potarat; ideo
„ statutum est, ut in eorum Ecclesia, horum
„ quinque Sanctorum, qui in Missa recitantur,
„ natalis celebretur, ut cum istis eorum quo-
„ que memoria pariter fiat.

vj. Idus Novembris.

NATIVIT. SS. QUATUOR CORONATORUM.

N. 500. PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut
N. 502. qui gloriosos Martyres, N Claudium, Nicostratum, N Symphonianum, Castorium, atque Simplicium, fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per.

Super Oblata.

Benedictio tua, Domine, larga descendat, quæ & munera nostra, deprecantibus Sanctis tuis, tibi reddat accepta, & nobis sacramentum redemtionis efficiat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: celebrantes Sanctorum natalitia Coronatorum: Quia dum tui nominis per eos gloriam frequentamus, in nostræ fidei augmento succrescimus. Per Christum.

Ad complendum.

Cælestibus refecti sacramentis & gaudiis, supplices te, Domine, deprecamur, ut quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per.

v. Idus Novembris.

NAT. S. THEODORI MARTYRIS.

DEus, qui nos Beati Theodori Martyris tui confessione gloriosa circumdas & protegis: præsta nobis ejus imitatione proficere, & oratione fulciri. Per.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, fidelium preces cum oblationibus Hostiarum; & intercedente Beato Theodoro Martyre tuo, per hæc piæ devotionis officia ad cælestem gloriam transeamus. Per.

Ad complendum.

Præsta nobis, Domine, quæsumus, intercedente Beato Theodoro Martyre tuo, ut quæ ore contigimus, pura mente capiamus. Per.

iij. Idus Novembris.

NAT. S. MENNÆ MARTYRIS.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus; ut qui Beati Mennæ Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per.

Super Oblata.

Beati Mennæ Martyris tui, Domine, solemnia recensentes, quæsumus: ut ejus auxilio, tua beneficia capiamus, pro quo tibi Hostias laudis offerimus. Per.

Ad complendum.

Benedictio tua, Deus, impleat corda fidelium: talesque perficiat, qui & Martyrum honorificent passiones, & remedia salutis æternæ, eisdem patrocinantibus, assequantur. Per.

Eodem die.

NAT. [a] S. MARTINI CONFESSORIS.

DEos, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius: ut intercessione Beati Martini Confessoris tui atque Pontificis, contra omnia adversa muniamur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Beati Martini Pontificis, quæsumus, Domine, nobis pia non desit oratio; quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
Cujus N munere Beatus Martinus Confessor pariter N. 504.
& sacerdos, & bonorum operum incrementis excrevit, & variis virtutum donis exuberavit, & miraculis coruscavit: Qui, quod verbis docuit, operum exhibitione complevit: & documento simul & exemplo subditis ad cælestia regna pergendi ducatum præbuit. Unde tuam clementiam petimus, ut ejus, qui tibi placuit, exemplis ad bene agendum informemur, meritis muniamur, intercessionibus adjuvemur: qualiter ad cæleste regnum, illo interveniente, te opitulante, pervenire mereamur. Per Cristum.

Ad complendum.

Tua, Domine, sancta sumentes, suppliciter deprecamur; ut quorum veneramur confessionem, præsidia sentiamus. Per.

Super populum.

Exaudi, Domine, populum tuum tota tibi mente subjectum, & Beati Martini Pontificis supplicatione custodi: ut corpore & corde protectus, quod pie credit, appetat, & quod juste sperat, obtineat. Per.

x. Kalendas Decembris.

[b] NAT. SANCTÆ CÆCILIÆ.

DEus, qui nos annua beatæ Cæciliæ Martyris tuæ solemnitate lætificas: da, ut quam vene-

a In Theod. S. Martini festum ponitur ante nat. S. Mennæ, & vigilia solemni prævenitur.

b Ex priori Theod. hoc festum cum vigilia celebratur.

veneramur officio, etiam piæ conversationis fequamur exemplo. Per.

Super Oblata.

Hæc Hostia, Domine, placationis & laudis, quæsumus, ut, interveniente Beata Cæcilia Martyre tua, nos tua propitiatione dignos semper efficiat. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui in infirmitate virtutem perficis, & humani generis inimicum non solum per viros, sed etiam per feminas vincis: Cujus munere Beata Cæcilia, & in virginitatis proposito, & in confessione fidei roborata est, ut nec ætatis lubrico ab intentione mutaretur, nec blandimentis carnalibus demulceretur, nec sexus fragilitate deterreretur, nec tormentorum immanitate vinceretur; sed servando corporis ac mentis integritatem, cum virginitatis & martyrii palma æternam mereretur adipisci beatitudinem. Per Christum.

Ad complendum.

Sic nos, Domine, gratia tua, quæsumus, semper exerceat; ut & divinis instauret nostra corda mysteriis, & sanctæ Cæciliæ Martyris tuæ commemoratione lætificet. Per Dominum nostrum.

ix. Kalendas Decembris.

NAT. S. CLEMENTIS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in omnium Sanctorum tuorum es virtute mirabilis, da nobis in Beati Clementis annua solemnitate lætari, qui filii tui Martyr & Pontifex, quod ministerio gessit, testimonio comprobavit: & quod prædicavit ore, confirmavit exemplo. Per.

Super Oblata.

Sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus, pro sancti celebritate Clementis: ut propitiationem tuam, quam nostris operibus non meremur, piis Suffragatoris intercessionibus assequamur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in hac die, quam Beati Clementis passio consecravit, & nobis venerabilem exhibuit: Qui Apostolica prædicatione imbutus, doctrinis cælestibus educatus, successionis dignitate conspicuus, & Martyr insignis & Sacerdos refulsit egregius. Per Christum Dominum nostrum.

Ad complendum.

Da, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut tuorum commemoratione Sanctorum temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per.

Eodem die.

NAT. S. FELICITATIS.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus; ut Beatæ Felicitatis Martyris tuæ solemnia recensentes, meritis ipsius protegamur & precibus. Per.

Super Oblata.

Suscipe vota tuorum, Domine, famulorum: & oblatum tibi, pro commemoratione Beatæ Felicitatis, pacifici libaminis sacrificium propitiatus intende. Per.

Ad complendum.

Supplices te rogamus omnipotens Deus; ut intervenientibus Sanctis tuis, & tua in nobis dona multiplices, & tempora nostra disponas. Per.

viij. Kalendas Decembris.

NAT. SANCTI CHRYSOGONI MARTYRIS.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris; ut, qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, Beati Chrysogoni Martyris tui intercessione liberemur. Per.

Super oblata.

Oblatis, quæsumus, Domine, placare muneribus: & intercedente Beato Chrysogono Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Qui nos assiduis Martyrum passionibus consolaris, & eorum sanguinem triumphalem, quem pro professione nominis tui infidelibus præbuere fundendum, ad tuorum facis auxilium transire fidelium.

Ad complendum.

Tui, Domine, perceptione sacramenti, & a nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidiis. Per.

iij. N Kalendas Decembris. N. 503.

NAT. S. SATURNINI MARTYRIS.

DEus, qui nos Beati Saturnini Martyris tui concedis natalitio perfrui; ejus nos tribue meritis adjuvari. Per.

Super Oblata.

Munera tibi, Domine, dicata sanctifica: & intercedente Beato Saturnino Martyre tuo, per eadem nos placatus intende. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Sanctificet nos, Domine, quæsumus, tui perceptio sacramenti, & intercessione Sanctorum tibi reddat acceptos. Per.

Eodem die.

VIGILIA SANCTI ANDREÆ.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut Beatus Andreas Apostolus tuum nobis imploret auxilium: ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. Per Dominum nostrum.

Super.

Super Oblata.

N. 504. N Sacrandum tibi, Domine, munus offerimus, quo Beati Andreæ solemnia recolentes, purificationem quoque nostris mentibus imploramus. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
N. 505. Et N Majestatem tuam suppliciter exorare: ut qui Beati Andreæ Apostoli festum solemnibus jejuniis, & devotis prævenimus officiis, illius apud Majestatem tuam, & adjuvemur meritis, & instruamur exemplis. Per Christum. B

Ad complendum.

Perceptis, Domine, sacramentis, suppliciter exoramus: ut intercedente Beato Andrea Apostolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad medelam. Per.

Alia.

Tuere nos, misericors Deus, & Andreæ Apostoli tui, cujus natalitia prævenimus, semper guberna præsidiis. Per Dominum nostrum. C

Ad Vesperos.

Adjuvet Ecclesiam tuam tibi, Domine, supplicando, Beatus Andreas Apostolus: & pius interventor efficiatur, qui tui nominis extitit prædicator. Per Dominum.

Ad Matutinas.

Deus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hunc diem Beati Andreæ martyrio consecrasti: da Ecclesiæ tuæ de ejus natalitio D semper gaudere, ut apud misericordiam tuam exemplis ejus protegamur & meritis. Per.

Pridie Kalendas Decembris.

NATALE [a] SANCTI ANDREÆ.

MAjestatem tuam supplices, Domine, exoramus: ut sicut Ecclesiæ tuæ Beatus Andreas Apostolus extitit Prædicator & Rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per.

Super Oblata.

Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, Beati Andreæ precatio sancta conciliet: ut cujus honore solemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per Dominum nostrum. E

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
N. 506. N Quoniam adest nobis dies magnifici votiva mysterii, qua venerandus Andreas Apostolus germanum se gloriosi Apostoli tui Petri, tam prædica- F tione Christi tui, quam conversatione monstra-
N. 507. b vit: ut ad, [b] quod libera prædicaverat voce, N A nec pendens taceret in Cruce: Auctoremque vitæ perennis tam in hac vita sequi, quam in mortis genere meruit imitari: ut, cujus præcepto terrena in semetipso crucifixerat desideria, ejus exemplo ipse patibulo figeretur. Utrique igitur germani piscatores, ambo cruce elevantur ad cælum; ut, quos in hujus vitæ cursu gratia tua tot vinculis pietatis obstrinxerat, hos immarcescibilis in regno cælorum necteret corona. Et quibus erat una causa certaminis, una retributio esset & præmii. Per quem, Majestatem tuam.
„ Benedictionem require, N in natali. N. 508.

Ad complendum.

Sumsimus Domine, divina mysteria, Beati Andreæ festivitate lætantes: quæ sicut tuis sanctis ad gloriam, ita nobis, quæsumus, ad veniam prodesse perficias. Per Dominum.

Ad Vesperos.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, Beati Apostoli tui Andreæ intercessionibus sublevari: ut N per quos Ecclesiæ tuæ superni muneris rudimenta donasti, per eos subsidia perpetuæ salutis impendas. Per Dominum nostrum. N. 509.

Alia.

Exaudi, Domine, populum tuum cum Sancti Apostoli tui Andreæ patrocinio supplicantem; ut tuo semper auxilio secura tibi possit devotione servire. Per.

Idibus Decembris.

NAT. S. LUCIÆ VIRGINIS.

EXaudi nos, Deus salutaris noster: ut sicut de Beatæ Luciæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur effectu. Per.

Super Oblata.

Quæsumus, virtutum cælestium Deus; ut sacrificia pro Sanctæ tuæ Luciæ solemnitate delata, desiderium nos temporale doceant habere contemtum, & ambire dona faciant celestium gaudiorum. Per.

Ad complendum.

Læti, Domine, sumsimus sacramenta cælestia: quæ, intercedente pro nobis Beata Lucia Martyre tua, ad vitam nobis proficiant sempiternam. Per Dominum.

Alia.

Intercessio nos, Domine, quæsumus, Sanctæ Luciæ Martyris tuæ votiva confoveat: ut ejus sacrata natalitia & temporaliter frequentemus, & conspiciamus æterna. Per Dominum nostrum.

xij. Kalendas Januarii.

NAT. [c] S. THOMÆ APOSTOLI.

DA nobis, quæsumus, Domine, Beati Apostoli tui Thomæ solemnitatibus gloriari: ut ejus semper

a In Kalend. Rom. præscribitur Evangel. *Ambulans Jesus juxta mare*, in quod homilia v. S. Greg. legitur habita.

b Ex his corroborantur acta S. Andr. probaturque non ita recentem fuisse eorum publicationem.

c Nihil habetur de S. Thoma in codice Reg. Suec. in Calend. & in Kalend. Rom. ubi assignatur post festum S. Luciæ, *quatuor Dominicæ ante natale Domini*. Apud Pamelium consentiente ms. Calensi legitur: *De adventu Domini, Dominica I.* & consequenter *Dominica II.* &c. Post Sabbatum *in xii. Lectionibus* seu quatuor temp. apud Pamelium inseritur officium de S. Thoma, sed intra uncinos comprehenditur. De Dominicis Adventus infra habetur officium in ed. Angeli Roccæ & in altera Hugonis Menardi, quam sequimur.

per & patrociniis sublevemur, & fidem congrua devotione sectemur. Per.

Super Oblata.

Debitum, Domine, nostræ reddimus servitutis, suppliciter exorantes: ut suffragiis Beati Thomæ Apostoli in nobis tua munera tuearis, cujus honorando confessionem, laudis tibi hostias immolamus. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Qui Ecclesiam tuam in Apostolicis tribuisti consistere fundamentis, de quorum Collegio Beati Thomæ Apostoli tui solemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non taceamus. Per Dominum nostrum.
R. Q. Bened. in natali.

Ad complendum.

Conserva, Domine, populum tuum: & quem Sanctorum tuorum præsidiis non desinis adjuvare, perpetuis tribue gaudere remediis. Per.

Super populum.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo, Spiritum veritatis & pacis: & intercedente Beato Thoma Apostolo tuo, & te tota mente cognoscat, & quæ tibi sunt placita, toto corde sectetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

N. 510. a ᴺ INCIPIT * ORDO AD ECCLESIAM DEDICANDAM.

„ PRIMITUS enim antequam Pontifex intro-
N. 511. „ eat Ecclesiam, ᴺ illuminentur XII. candelæ per
„ circuitum Ecclesiæ: & induant se vestimentis sa-
„ cris. Et cum venerint ad ostium Ecclesiæ, per-
N. 512. „ cutiat Pontifex ter superliminare de ᴺ cambutta
N. 513. „ sua, dicens ante portam Antiphonam, ᴺ TOL-
„ LITE portas principes vestras. Et canant ipsum
N. 514. „ Psalmum totum ante ostium, ᴺ & aperto ostio
„ intrantes dicant, PAX huic domui. Deinde in-
„ cipiat Clerus Litaniam. Et cum venerint Sacer-
N. 515. „ dotes, ᴺ vel Levitæ ante altare, prosternant se
N. 516. „ ᴺ super stramenta cum Pontifice usque dum di-
„ catur, AGNUS DEI. Ut autem surrexerint
„ aboratione, non dicat Pontifex, DOMINUS
„ vobiscum; Sed, OREMUS, tantum. Et Dia-
„ conus dicat, FLECTAMUS genua; Postquam
„ oraverint, dicat, LEVATE. Et sequitur
„ oratio.

MAgnificare, Domine Deus noster, in sanctis tuis, & in hoc templo ædificationis tuæ appare: ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hereditate lauderis. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum.

N. 517. „ ᴺ DEINDE incipiat Pontifex de sinistro an-
„ gulo ab Oriente scribens per pavimentum cum
N. 518. „ cambutta sua, ᴺ A, B, C, usque in dex-
„ trum angulum Occidentis; incipiens iterum si-
„ militer a dextro angulo Orientis, A, B, C, scribit
„ usque in sinistrum angulum Occidentis Basilicæ.
„ DEINDE ᴺ veniens ante altare dicat: DEUS N. 519.
„ in adjutorium meum intende, Domine ad adju-
„ vandum me festina. Gloria Patri, & Filio, &
„ Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc
„ & semper & in secula seculorum. Amen, ᴺ abs- N. 520.
„ que, ALLELUIA. Deinde ᴺ sequitur exor- N. 521.
„ cismus aquæ. N. 522.

ᴺ DISCEDE, immunde Spiritus, ab omnibus, quibus fides nostra usura est, Religiosi officii ᴺ N. 523.
Sacramentis. Nec prætendas culpam criminis, qui agnoscis potentiam Salvatoris. Non est meriti confidentia, sed præcepti: licet ipsa potestas ministerii dignitas sit ministri. Te igitur per communem Deum, aquæ creatura, convenio: ut conservato motu sensibilitatis, intelligens subjici servitio, quo placere Deo nitimur, non recuses. Omnem a te communionem dæmonum, omne collegium iniquitatis expurges. Totam phantasmatis labem capax dominicæ protectionis extermines: ut gratia sanctificationis indepta, tuo nostroque pariter creatori debito famulatu deserviens, omnem Spirituum pravorum nequitiam quocumque loco fueris aspersa dejicias, & sanctæ copiam benedictionis infundas. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

DEINDE dicat hanc orationem.

ᴺ SANCTIFICARE per verbum Dei unda cæ- N. 524.
lestis, sanctificare aqua Christi calcata vestigiis. Quæ montibus pressa non clauderis, quæ scopulis illisa non frangeris, quæ terris diffusa non deficis. Tu sustines aridam, portas montium pondera, nec dimergis. Tu cælorum vertice contineris, circumfusa per totum lavas omnia, nec lavaris. Tu fu-
gientibus populis Hebræorum in ᴺ molem durata N. 525.
constringeris, tu rursum salsis resoluta verticibus Nili accolas perdis, & hostilem globum freto sæviente persequeris. Una eademque es salus fidelibus, & ultio criminosis. Te per Moysem percussa rupes evomuit, nec abdita cautibus latere potuisti, cum Majestatis imperio jussa prodires. Tu gestata nubibus imbre jucundo arva fecundas.
ᴺ Per te aridis æstu corporibus dulcis ad gratiam, N. 526.
salutaris ad vitam potus infunditur. Tu intimis scaturiens venis, aut spiritum inclusa vitalem, aut succum fertilem præstas: ne siccatis examinata visceribus, solemnes neget terra proventus. Per te initium, per te finis exultat: vel potius ex Deo tuum est, ut terminum nesciamus. At tu, Domine omnipotens Deus, cujus virtutum non nescii, dum aquarum merita promimus, operis insignia prædicamus, benedictionis auctor, salutis origo, te supplices deprecamur & quæsumus: ut imbrem gratiæ tuæ super hanc domum cum abundantia tuæ benedictionis infundas, bona omnia largiaris, prospera tribuas, adversa repellas. Malorum fautorem dæmonem destruas, Angelum lucis amicum, bonorum provisorem defensoremque constituas. Domum in tuo nomine cœptam, te adjutore, perfectam benedictio tua in longum mansura confirmet. Tuum hæc fundamenta præsidium, cul- c

a De Ecclesiæ Dedicatione non agunt hoc loco mss. nostri; sed alibi fusissime; maxime Gemet. ubi etiam describitur totum officium nocturnum de Dedicatione, assignatis duodecim Psalmis cum singulis Antiphonis ex præscripto Reg. S. Bened. Psalmi autem non sumuntur de feria, sed ex diversis aliis feriarum Psalmis delecti sunt. Unde liquet quomodo tunc intelligeretur quod decernitur c. 24. Reg. S. Bened. *In Sanctorum festivitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: excepto quod Psalmi aut Antiphonæ vel Lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur.* In e lit. Pamel. contractius est officium in Dedicatione, omninoque diversum. Pauciora adhuc habet codex Reg. Suec. At uterque Theod. longe plura & longiora. In his legitur benedictio, *ad signum Ecclesiæ*, quod appellatur *vasculum ad invitandos filios Ecclesiæ præparatum, & ut ubicumque sonuerit ejus tinnibulum, longe recedat virtus inimicorum.* Infra signum quod benedicitur appellatur, *tinnibulum*. Similia non habentur in benedictione signi quam ex cod. Gemet. noster Edmundus Martene suis antiquis Ecclesiæ ritibus inseruit Tom. 3. l. 2. pag. 289.

mina tegumentum, ostia introitum, penetralia me-
reantur accessum. Sit per lustrationem vultus tui
utilitas hominum, stabilitas parietum; sit positis
crux invicta liminibus; utrique postes gratiæ tuæ
inscriptione signentur, ac per multitudinem propi-
tiationis tuę visitatoribus domus hujus sit pax cum
abundantia, sobrietas cum modestia, redundan-
tia cum misericordia. Inquietudo omnis & calami-
tas longe recedat, inopia, pestis, morbus, lan-
guor, incursusque malorum spirituum tua semper
visitatione discedat. Et ita fusa in hoc loco nostræ
supplicationis oratio extensos ejus terminos & a-
tria circumjecta percurrat; sicque per cunctos an-
gulos ac recessus data benedictio hujus gurgitis pu-
rificatione perlabatur: ut semper hic lætitia quie-
tis, gratia hospitalitatis, abundantia frugis, re-
verentia religionis, copia sit salutis. Et ubi invo-
catur sanctum tuum nomen, bonorum succedat co-
pia, malorum tentamenta procul effugiant. Et
mereamur Angelum pacis, castitatis, & veritatis,
qui nos semper ab omnibus malis custodiat, pro-
tegat atque defendat. Per Dominum.

Benedictio aquæ.

N. 527. N Domine Deus, Pater omnipotens, statutor
& conditor omnium elementorum, qui per Jesum
Christum filium tuum Dominum nostrum ele-
mentum hoc aquæ in salutem humani generis esse
voluisti, te supplices deprecamur: ut, exauditis
orationibus nostris, eam tuæ pietatis respectu san-
ctifices; atque ita omnium spirituum immundo-
rum ab ea recedat incursio, ut ubicumque fuerit
in nomine tuo aspersa, gratia tuæ benedictionis ad-
veniat, & mala omnia, te propitiante, procul
recedant. Per eumdem Dominum nostrum Je-
sum Christum.

a *Exorcismus Salis.*

N. 528. N Exorcizo te, creatura salis, in nomine Patris
& Filii & Spiritus sancti, qui te per Elizeum in a-
N. 529. qua mitti jussit, ut sanarentur aquæ steriles: N qui
divina oris sui voce ait discipulis suis: Vos estis
N. 530. sal terræ: & N per Apostolum suum vas electio-
nis; SERMO vester sale sit conditus. Ideoque ef-
ficere sal exorcizatum, ut sis in remissionem pecca-
torum, & sanitatem mentium, in protectionem
animæ atque corporis, in confirmationem salutis,
ad expellendas, & excludendas omnes dæmonum
tentationes, in nomine Dei Patris omnipotentis,
& Jesu Christi Filii ejus, & spiritus sancti viventis
in secula seculorum.

Benedictio Salis.

Virtutis tuæ invictam fortitudinem depreca-
mur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne
Deus, qui inter omnia necessaria, quæ per Jesum
Christum Dominum nostrum procreari jussisti,
non minimam gratiam conferre dignatus es sali, ut
ex illo possint universa condiri, quæ omnibus ad
escam per eumdem tuum Filium Dominum no-
strum procreasti. Ideoque te supplices exoramus,
ut hoc sal digneris aspicere, quatenus ex Majestatis
tuæ virtute contra omnes spiritus immundos valo-
rem possit accipere. Expellat ab omni loco, ubi
tua fuerit invocatione aspersum, quidquid potest
esse pestiferum ut exhibeat plenum salutis effectum,
Deterreat omnes præstigias inimici, & omnia
N. 5 . monstruosorum genera longius faciat effugari. N
Gravedines omnes, phantasiasque compescat, &
per signum Crucis Filii tui Domini nostri Jesu
Christi tutelam fidelissimam desiderantibus præ-
stet. Qui tecum vivit & regnat Deus.
„ N ET miscetur sal & cinis; faciensque ter N. 532.
„ inde crucem super ipsam aquam, dicat hanc
„ orationem.

Oremus.

N Æterne omnipotens Deus, qui nobis a te con- N. 533.
ditam creaturam aquæ in fide distinxisti; ut liquo-
rem simplicem ad lavacrum, salsam soliditatem
præberes ad condimentum: quatenus & sordida
possent ablui, & fatua imbui: quo & noxa tollere-
tur originalis & corrigeretur error ad viam salutis:
te officii nostri functione immeriti deprecamur, ut
hæc salis & aquæ in tuo nomine facta permixtio,
clementiæ tuæ sanctificetur obtutu. Quodque my-
sterialiter Baptismo commodum, culpæ N traduci N. 534.
inimicum, sapientiæ aptum, errori præstas adver-
sum, Sancti Spiritus tui sanctitate reddas sanctifica-
tum; nec ullo contagio reddatur immundum, quod
tua fieri credimus majestate beatum. Sed ita per te
præbeat plenum sanctificationis effectum; ut ubi-
cumque invocato nomine tuo fuerit manu emis-
sum, vel quolibet modo assumtum, expulsis &
explosis omnibus insidiis contrariæ potestatis, &
cuncta dæmonum machinamenta ex eodem loco
fugata deficiant, & sanctorum Angelorum custo-
dia semper inibi mansuram consistat. Per.
„ DEINDE misceatur vinum cum aqua, & di-
„ cit hanc orationem.

Oremus.

N. 535.
N Creator & conservator humani generis, dator
gratiæ spiritalis, largitor æternæ salutis, tu Do- N. 536.
mine, N permitte Spiritum sanctum tuum super N. 537.
vinum hoc aqua mixtum, ut N armati virtute
cęlestis defensionis ad consecrationem hujus Eccle-
siæ vel altaris proficiant. Per Dominum nostrum
Jesum Christum. N. 538.
„ INDE facit crucem de digito suo cum ipsa a- N. 539.
„ qua in dextera parte, N per quatuor cornua alta- N. 540.
„ ris. Inde veniens ante altare N cum hyssopo a-
„ spergit ipsum altare septem vicibus canendo An-
„ tiphonam, ASPERGES me, Domine, hyssopo N. 542.
„ & mundabor, N cum ipso Psalmo. Et vadit in cir-
„ cuitu altaris spargendo. Deinde in dextera parte N. 542.
„ per parietes Ecclesiæ, N usque dum veniens an-
„ te altare, spargit iterum desuper in circuitu alta- N. 543.
„ ris N vel Ecclesiæ, canendo Antiphonam, E-
„ XURGAT Deus, cum ipso Psalmo; usque dum
„ veniens iterum ante altare aspergit desuper, & N. 544.
„ in circuitu Ecclesiæ N canendo Antiphonam,
„ SANCTIFICAVIT Dominus tabernaculum
„ suum, quia hæc est; Psalmum, DEUS Deus
„ noster, &, ECCE nunc. E mittit ex ministris N. 545.
„ aut Clericis duos vel tres N qui extrinsecus Ec-
„ clesiæ parietes una voce psallant. Interim ipse
„ Pontifex vadit de ipso altari spargendo per
„ medium Ecclesiæ in longum & latum, N facien- N. 546.
„ do crucem super pavimentum cum Antiphona,
„ DOMUS mea domus orationis vocabitur, cum
„ versu, NARRABO nomen tuum fratribus meis
„ Item versus, DOMINE dilexi, cum Gloria:
„ & veniens in medio Ecclesiæ dicit: OREMUS.
„ Et dicit Diaconus, FLECTAMUS genua, po-
„ stea dicit, LEVATE. Et dicit orationem.
N DEUS, qui loca nomini tuo dicata sanctificas, N. 547.
effunde desuper hanc sanctificationis domum gra-
tiam

a Hic exorcismus cum benedictione seq. legitur in vet. Sacram. Gallic. præmittiturque: *Exorcismus ad salis sparsum faciendum.*

tiam tuam, ut ab omnibus hic invocantibus te, auxilium tuæ misericordiæ sentiatur Per Dominum nostrum Jesum Christum.

„ ITERUM dicit, OREMUS, & Diaco-
„ nus, FLECTAMUS genua, postea dicit,
N. 548. „ LEVATE. N Et sequitur oratio.

DEUS sanctificationum, omnipotens dominator, cujus pietas sine fine sentitur; Deus, qui cælestia simul, & terrestria moderaris, servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ, exaudi preces servorum tuorum: ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte. Hancque basilicam, in honore sancti *Ill.* sacris mysteriis institutam, elementissimus (B) dedica, miseratus illustra, proprio splendore clarifica. Omnemque hominem venientem adorare in loco hoc placatus admitte, propitius dignare respicere, & propter nomen tuum magnum, & manum tuam fortem & brachium excelsum in habitaculo hoc supplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defensione conserva: ut semper felices, semper tua religione lætantes constanter in sanctæ Trinitatis fide Catholica perseverent. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem.

N. 549. „ N IPSA expleta incipit Antiphonam, IN- (C)
„ TROIBO ad altare Dei mei, ipsam canendo,
N. 550. „ cum ipso Psalmo. Vadit ante altare, N & fun-
„ dit quod remansit de ipsa aqua ad basim altaris.
N. 551. „ Et extergitur altare de linteo; N postea offert
N. 552. „ incensum, & mittit oleum super altare, in
„ medio crucem faciens, & super quatuor angulos
„ cum Antiphona canendo, EREXIT Jacob,
N. 553. „ cum Psalmo, N FUNDAMENTA ejus; N &
N. 554. „ unguit cum manu sua ipsum lapidem, semper in-
„ censum in circuitu ipsius altaris alio Sacerdote
N. 555. „ faciente. Post N, expleto Psalmo, mittit iterum
„ oleum similiter sicut prius canendo Antipho-
„ nam, N MANE surgens Jacob, cum Psalmo, BO- (D)
N. 556. „ NUM est confiteri Domino. Ipso expleto N mit-
N. 557. „ tit Chrisma similiter canendo Antiphonam, Ec-
„ CE odor filii mei, cum Psalmo, LAUDA Je-
„ rusalem Dominum. Item Antiphonam, UN-
„ XIT te Dominus, Psalmum, ERUCTAVIT
„ cor meum. Deinde in circuitu Ecclesiæ per pa-
N. 558. „ rietes N dextro in dextro faciens crucem
„ cum pollice de ipso Chrismate cum Anti-
„ phona, SANCTIFICAVIT ominus; Psal-
„ mum, MAGNUS Dominus, &, ECCE nunc.
„ Item dicit Antiphonam, LAPIDES pretiosi:
N. 559. „ Psalmum, LAUDA Jerusalem. N Inde faciens
„ crucem incensi super altare dicit, OREMUS (E)
„ Diaconus, ut supra. Et dicit orationem super
„ altare.

DEI Patris omnipotentis misericordiam, dilectissimi fratres, deprecemur. ut hoc altare sacrificiis spiritualibus consecrandum, vocis nostræ exoratus officio præsenti benedictione sanctificet: ut in eo semper oblationes famulorum suorum studio suæ devotionis impositas benedicere & sanctificare dignetur, & spiritali placatus incenso precanti familiæ suæ promtus exauditor assistat. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum qui venturus. Iterum dicit, OREMUS. Diaconus ut supra.

Sequitur Benedictio.

Deus omnipotens, in cujus honora altare hoc
N. 560. N sub invocatione tui nominis, indigni consecramus, clemens & propitius preces nostræ humilitatis exaudi; & præsta, ut in hac mensa sint tibi li-

(A) bamina accepta, sint grata, sint pinguia, & Spiritus sancti tui semper rore perfusa: ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per Dominum.

„ DEINDE dicit Antiphonam, CONFIR-
„ MA hoc Deus, cum GLORIA.
„ N DEINDE tenentibus Subdiaconis vel Acoly- N. 561.
„ this linteamina, vel omnia ornamenta Eccle-
„ siæ, seu vasa sacra quæcumque ad cultum Dei &
„ Ecclesiæ pertinere videntur, benedicit ea Pon-
„ tifex.

Benedictio N ad linteamina, vel ad omnia in usum Basilicæ. N. 562.

N Omnipotens, & misericors Deus, qui ab initio utilia & necessaria hominibus creasti, templaque manu hominum facta nomini sancto tuo dicari, tuæque habitationis loca vocari voluisti; quique per famulum tuum Moysen vestimenta Pontificalia, & Sacerdotalia, seu Levitica, & alia quæque diversi generis ornamenta ad cultum & decorem Tabernaculi, & altaris tui fieri decrevisti: exaudi propitius preces nostras, & omnia hæc diversarum specierum ornamenta, in usum tuæ hujus basilicæ vel altaris ad honorem & gloriam tuam præparata, N purificare & sanctificare, benedicere & consecrare per nostræ humilitatis servitutem digneris: ut & divinis cultibus sacrisque ministeriis apta existant, & his confectioni corporis & sanguinis Jesu Christi Filii tui Domini nostri, dignis pareatur famulatibus, Qui tecum vivit & regnat. N. 563. N. 564.

Alia.

N Omnipotens sempiterne Deus, a quo omnia immunda purgantur, & in quo omnia purgata clarescunt, supplices famuli tui, tuam omnipotentiam invocamus: ut ab hoc vase, vel vestimento, quæ tibi offerunt famuli tui, *Ill.* omnis spiritus immundus, confusus longe discedat; & per fidei benedictionem huic sancto altari tuo sint perfecta, & utilia ad opus ministerii tui, te juvante sanctificata permaneant. Per Dominum nostrum Jesum. N. 565.

N a Benedictio super munus, quod quis Ecclesiæ offert. N. 566. a

Deus, cujus verbo & potentia facta sunt omnia, cujus dono percipimus, quæ ad vitæ remedium possidemus, te supplices nixis precibus exoramus, ut de sede Majestatis tuæ huic oblationi fidelium sanctificator accedas. Suscipe de manu famulorum tuorum *Ill.* munus oblatum, quod a tua clementia benedictum, in hujus sanctuarii tui usum maneat consecratum. Sint hæc in conspectu tuo libenter accepta, sicut quondam Abel alumni tui, vel Melchisedech munera tibi placuerunt oblata. Et quia ob honorem tui amoris Ecclesiam tuam summis nituntur decorare obsequiis: tu eis Domine magna pro pravis recompensa, ut devotionem eorum accipiens, peccata dimittas, fide eos repleas, (F) indulgentia foveas, misericordia protegas, adversa destruas, prospera concedas. Habeant in hoc seculo bonæ actionis documentum, caritatis studium, sancti amoris effectum, & in futuro cum sanctis Angelis adipiscantur perpetuum regnum. Per Dominum.

a Hæc benedictio iisdem pene verbis legitur invet. Sacram. Gall.

Alia.

Exaudi nos Domine, quæsumus, ut hæc lintea-mina, aliaque indumenta, necnon & vasa sancto altari tuo atque Ecclesiæ tuæ, cunctoque sacri ministerii usui præparata, benedicere & sanctificare digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

N. 567. N. 568. *Ad [N] consecrandam Patenam.*

[N] Consecramus & sanctificamus hanc Patenam, [a] ad conficiendum in ea Corpus Domini nostri Jesu Christi patientis crucem pro salute nostra omnium, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per cuncta secula seculorum. Amen.

N. 569. „ [N] Inde faciens signum Crucis de oleo sancto super Patenam, dicit.

Consecrare & sanctificare digneris, Domine, patenam hanc per istam unctionem & nostram benedictionem, in Christo Jesu Domino nostro, qui vivis, &c.

N. 570. [N] *Benedictio patenæ.*

Domine, Deus omnipotens, qui per Moysen famulum tuum tabernaculi altare, & vasa omnia divino cultui mancipasti, elementiam tuam supplices deprecamur, ut hoc vas aptum cultibus tuis, dignumque altaribus reddas: ut sanctificatum in C nomine tuo, corporis tui pretiosum ferculum deputetur. Qui vivis & regnas cum Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen.

N. 571. b [N] *Ad Calicem [b] benedicendum.*

Oremus, dilectissimi Fratres, ut Dominus Deus noster Calicem in usum sui ministerii consecrandum, cælestis gratiæ inspiratione sanctificet: & ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet. Per Dominum.

Item alia.

Oremus.

N. 572. Dignare, Domine, Calicem istum in usum ministerii tui, [N] pia famuli tui ℟. devotione formatum, ea sanctificatione perfundere, qua Melchisedech famuli tui sacratum Calicem perfudisti. Et quod arte, vel metallo effici non potest altaribus tuis dignum, fiat tua benedictione pretiosum. Per.

Item [c] alia.

c N. 573. [N] Deus, qui Moysi famulo tuo in Oreb monte servanda populo tuo præcepta disponens, templum sanctum tuum qualiter ædificaret instituisti; sacra E quoque vasa, quæ inferri altari tuo deberent, ad instar vasorum cælestium docuisti: precamur, ut hunc Calicem, in quo celebraturi sumus sacrosancta mysteria, emissione sancti Spiritus tui cælesti benedictione sanctifices, gratumque & acceptabilem habeas, atque benedicas, ac digne sociatum vasculis tuis & acceptabilem deferat famulatum, & digne tuis mysteriis consecretur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum.

N. 574. „ [N] DEINDE vadunt ad eum locum, in quo „ reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, „ & elevent eas.

Oratio quando elevantur Reliquiæ.

Oremus.

N. 575. [N] Aufer a nobis, quæsumus, Domine, ini-A quitates nostras, ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Dominum.

Alia.

Fac nos, Domine, sanctorum tuorum specialiter dicata membra contingere, quorum cupimus patrocinia incessanter habere. Per Dominum.

„ FINITA hac oratione elevent eas cum feretro, & cum magno honore cantando has Antiphonas: [N] AMBULATE Sancti Dei. Antiphonam, DE JERUSALEM. Antiphonam, ECCE populus. Antiphonam, CUM jucunditate. [N] Cum crucibus, & thuribulis, & candelabris B multisque luminaribus. Et veniant ad basilicam, „ in qua deponendæ sunt: & mox, ut intro pedem intulerint, dicat hanc orationem: N. 576. N. 577.

Oremus.

[N] Domum tuam, quæsumus, Domine, clementer ingredere, & in tuorum tibi cordibus fidelium perpetuam constitue mansionem: ut cujus ædificatione subsistit, hujus fiat habitatione præclara. Per Dominum. N. 578.

Alia. Oremus.

Deus qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc orationis domum benedictionem tuam: ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum, defensionis tuæ auxilium sentiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium.

„ DEINDE pergant ad altare, ubi condendæ „ sunt: & extenso velo inter eos & populum, & re- N. 579.
„ condat Pontifex propria manu ipsas reliquias [N] in
„ loco altaris, canendo Antiphonam, EXULTA- N. 580.
„ BUNT Sancti in gloria, [N] cum Psalmo, LAU-
„ DATE Dominum de cælis. Item Antiphonam, N. 581.
„ CANTATE Domino canticum novum, Psal-
D „ mum ipsum. Item Antiphonam, SUB altare „ Dei sedes accepistis: Psalmum, LAUDATE „ Dominum in Sanctis ejus. Finito hoc dicat „ hanc orationem.

Oremus.

Deus, qui ex omni coaptatione Sanctorum æternum tibi condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cælestia: ut quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Dominum.

E „ [N] POST hæc vestiatur altare [N] cum Anti- N. 582.
„ phona, IN velamento alarum tuarum. Psal- N. 583.
„ mum, DEUS, DEUS meus, ad te luce vigi-„ lo. Et dicatur hæc oratio:

Oremus.

Descendat, quæsumus, Domine, Deus noster, Spiritus sanctus tuus semper hoc altare: qui & populi tui dona sanctificet, & sumentium corda dignanter emundet. Per Dominum.

„ INDE [N] revertatur Pontifex in sacrarium N. 584.
„ cum ordinibus suis, & induant se vestimen-
F „ tis aliis solemnibus. Interim ornetur Eccle-„ sia, & accedantur luminaria multa: & in-„ cipiat cantor Antiphonam ad introitum: „ TERRIBILLIS est locus iste. Et procedat

a In duobus Theod. *ad confringendum in ea corpus*, &c.
b Hæc oratio cum duabus sequentibus legitur in utroque Theod.
c In vet. Sacram. Gallic. hæc oratio, nonnullis immutatis, adhibetur, *ad benedictionem calicis & patenæ, & turris simul.* Turris hujus usus erat ad sacrum ministerium deferendum. Ipsum Christi corpus in turre gestari solitum docet Mabill. in Liturgia Gallic. & in Commentario in Ordinem Rom. §. 20. cujus sententia confirmatur ex Greg. Tur. l. de gloria Mart. c. 86. *Accepta que turre Diaconus in qua mysterium Dominici corporis habebatur*,

A „ dat Pontifex de sacrario cum ordinibus suis, si-
N. 185. „ cut consuetudo est in festivitatibus. N Celebre-
„ tur ibi solemniter missa more solito, ordine suo,
N. 186. „ cum GLORIA in excelsis Deo. N Tota vero
„ hebdomada Missæ publicæ in Ecclesia fient.

Orationes ad Missas in Dedicatione Ecclesiæ.

Deus, qui invisibiliter omnia contines, & tamen pro salute generis humani signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis; templum hoc Majestate tuæ inhabitationis illustra: ut omnes quicumque huc deprecaturi convenerint, ex quacumque ad te tribulatione clamaverint, consolationis tuæ beneficia consequantur. Per Dominum.

Super Oblata.

Omnipotens sempiterne Deus, altare nomini tuo dicatum cælestis virtutis benedictione sanctifica, & omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende; ut hic sacramentorum virtus, & votorum obtineatur effectus. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Per quem te supplices deprecamur, ut altare hoc sanctis usibus præparatum cælesti dedicatione sanctifices. Et sicut Melchisedech Sacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili suscepisti; ita imposita huic novo altari munera semper accepta ferre digneris: ut populus, qui in hanc Ecclesiæ domum sanctam convenerit, per hæc libamina cælesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Per quem Majestatem.

Item Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui cum ubique sis totus, & cum universa tua Majestate contineas, sacrari tamen tibi loca tuis mysteriis apta voluisti: ut ipsæ orationum domus supplicum mentes ad invocationem tui nominis incitarent. Effunde, quæsumus, super hunc locum gratiam tuam, & omnibus te invocantibus auxilii tui munus ostende: ut hic sacramentorum virtus omnium fidelium corda confirmet. Per eumdem Dominum.

a Benedictio.

Benedicat & custodiat vos omnipotens Dominus, domumque hanc sui muneris præsentia illustrare, atque suæ pietatis oculos super eam die ac nocte dignetur aperire. Amen. Concedatque propitius, ut omnes, qui ad dedicationem hujus Basilicæ devote convenistis, intercedente beato *Ill.* & ceteris sanctis suis, quorum reliquiæ hic pio venerantur amore vobiscum, hinc veniam peccatorum vestrorum reportare valeatis. Amen. Quatenus eorum interventu ipsi templum sancti Spiritus, in quo sancta Deus Trinitas jugiter habitare dignetur, efficiamini: & post hujus vitæ labentis excursum ad gaudia æterna feliciter pervenire mereamini. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

a Benedictionem hanc non habet Benedictionale.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut in hoc loco, quem nomini tuo indigni dicavimus, cunctis petentibus aures tuæ pietatis accommodes. Per.

Alia.

Sanctorum tuorum, Domine, precibus confidentes, quæsumus: ut per ea quæ sumsimus, æterna remedia capiamus. Per.

Super populum.

Copiosa beneficia, quæsumus, Domine, Christianus populus assequatur: ut qui in honorem Sanctorum tuorum sacrandis tibi liminibus devotus occurrit, & vitæ subsidia præsentis accipiat, & gratiam sempiternæ redemtionis inveniat. Per.

Alia.

Dona, Domine, virtutem populo tuo, & effice nos templum Spiritus sancti: ut tibi de corde puro holocaustum acceptabile præparemus. Per.

N IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS BASILICÆ. N. 187.

DEus, qui nobis per singulos annos, hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, & sacris semper mysteriis repræsentas incolumes: exaudi preces populi tui, & præsta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per Dominum.

Super Oblata.

Annue, quæsumus, Domine, precibus nostris, ut quicumque intra templi hujus, cujus anniversarium dedicationis diem celebramus, ambitum continemur, plena tibi atque perfecta corporis & animæ devotione placeamus; ut, dum hæc præsentia vota reddimus, ad æterna præmia te adjuvante pervenire mereamur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et pro annua devotione tabernaculi hujus honorem tibi debitum referre, per Christum Dominum nostrum: cujus virtus magna, pietas copiosa. Respice, quæsumus, de cælo, & vide, & visita domum istam; ut si quis in ea nomini tuo supplicaverit, libenter exaudias, & satisfacientibus libenter ignoscas. Hic tibi Sacerdotes tui sacrificium laudis offerant, hic fidelis populus vota persolvat, hic peccatorum onera deponantur, hic fides sancta stabiliatur, hic pietas absoluta redeat, hic iniquitas emendata discedat. Inveniat apud te, Domine, locum veniæ, quicumque satisfaciens huc confugerit, & conscio dolore victus altaria tua rivis suarum eluerit lacrimarum. Hic, si quando populus tuus tristis mœstusque convenerit, adquiesce rogari, & rogatus indulge petentibus. Per quem.

Ad complendum.

Multiplica, Domine, quæsumus, per hæc sancta, quæ sumsimus, veritatem tuam in manibus nostris: ut te in templo sancto jugiter adoremus, & in conspectu tuo cum sanctis Angelis gloriemur. Per.

Super Oblata. A

Deus, qui Ecclesiam tuam unigeniti tui sponsam vocare dignatus es, utque haberet gratiam per fidei devotionem, haberet etiam ex nomine pietatem: da, ut omnis hæc plebs nomini tuo serviens, hujus vocabuli consortio digna esse mereatur. Et Ecclesia tua in templo, cujus anniversarius dedicationis dies celebratur, tibi collecta, te timeat, te diligat, te sequatur: ut dum jugiter, per ejus vestigia graditur, ad cœlestia promissa, ipso ducente, pervenire mereatur. Qui tecum.

N. [illegible] N IN VIGILIA APOSTOLORUM. B

Concede nobis, quæsumus, omnipotens Deus, venturam Apostoli tui *Ill.* solemnitatem congruo prævenire honore, & venientem digna celebrare devotione. Per.

Super Oblata.

Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, & ad Apostolicam puriores faciat nos venire festivitatem. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; Et venientem natalem Beati Apostoli tui *Ill.* debita servitute prævenire, suppliciter obsecrantes, ut ipsum nos apud tuam clementiam sentiamus habere patronum, quem, tua gratia largiente, meruimus æternæ salutis suscipere ministrum. Per Christum. C

Ad complendum.

Præsta nobis, æterne largitor, ejus ubique protegi oratione, cujus natalitia per hæc sancta, quæ sumsimus, votivo prævenimus obsequio. Per. D

Ad Vesperos.

Sancti tui nos, quæsumus, Domine, *Ill.* Apostoli solemnitas, quam prævenimus, tueatur: quia tanto fiducialius tuo nomini supplicamus, quanto frequentius Apostolorum intercessionibus confovemur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus, tuorum gloria justorum, præsta quæsumus: ut sancti tui *Ill.* cujus diem passionis celebrando prævenimus, sentiamus auxilium. Per. E

Ad Matutinos.

Deus, qui es omnium Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hunc diem Beati Apostoli tui *Ill.* martyrio consecrasti: da Ecclesiæ suæ de natalitio tantæ festivitatis lætari, ut, quæ Apostolorum tuorum prædicatione floruit, eorum exemplis muniatur, & intercessionibus adjuvetur. Per Dominum [a].

MISSA IN VIGILIA UNIUS MARTYRIS. F

N. 559. Quæsumus, omnipotens Deus, ut nostra devotio, quæ natalitia Beati *Ill.* N Martyris antecedit, patrocinia nobis ejus accumulet. Per.

Super Oblata.

Magnifica, Domine, Beati *Ill.* solemnia recensemus, quæ promtis cordibus ambientes, oblatis muneribus & suscipimus & præimus. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et gloriosi *Ill.* Martyris pia certamina præcurrendo, cujus honorabilis annua recursione solemnitas, & perpetua semper & nova est: quia & in conspectu tuæ Majestatis permanet mors tuorum pretiosa justorum, & N restaurantur incrementa lętitię, cum N. 590. felicitatis ęternę recoluntur exordia. Per Christum.

Ad complendum.

Sancta tua, Domine, in Beati *Ill.* Martyris N N. 591. pretiosa passione, quam pręimus, nos resoveant; quibus & jugiter satiamur, & semper desideramus expleri. Per Dominum.

Super populum.

Pręsta, quęsumus, omnipotens Deus, ut qui Sancti Martyris tui *Ill.* solemnia pręimus, ejus etiam virtutes imitemur. Per.

Ad Vesperos.

Deus, qui nobis Beati *Ill.* Martyris tui natalitia gloriosa pręire concedis, tribue quęsumus, ejus nos semper & beneficiis pręveniri, & orationibus adjuvari. Per.

Alia.

Deus, qui nos Beati Martyris tui *Ill.* concedis natalitia pręvenire, ejus nos tribue meritis adjuvari. Per.

Ad Matutinos.

Omnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium, & Martyrum palma, solemnitatem hodiernę diei propitius intuere, & Ecclesiam tuam continua fac celebritate lętari: ut quod meritis non pręsumit, intercessione Beati Martyris tui *Ill.* assequi mereatur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus, mundi Creator & Rector, qui hunc diem in Beati *Ill.* martyrio consecrasti: concede propitius, ut omnes, qui martyrii ejus merita venerantur, intercessionibus ejus ab æternis gehennę incendiis liberentur. Per.

MISSA IN NAT. UNIUS MARTYRIS.

N Votivos, Domine, quæsumus, Beati Martyris tui *Ill.* natalis nos semper excipiat: N. 592. qui & jucunditatem nobis suę glorificationis infundat, & tibi nos reddat acceptos. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Præsentia munera, quęsumus, Domine, ita serena pietate intuere, ut sancti Spiritus perfundantur benedictione, & in nostris cordibus eam dilectio-

a Nulla hic Missa de communi Apostolorum legitur sicut infra de communi martyrum; fortasse quod omnes Apostoli Missam haberent propriam.

ctionem validius infundant, per quam Sanctus A Martyr *Ill.* omnia corporis tormenta devicit. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in præsenti festivitate Sancti Martyris tui *Ill.* tibi confitendo laudis Hostias immolare: Tuamque immensam pietatem implorare, ut sicut illi dedisti cælestis palmam triumphi, sic, eo suffragante, nobis emendationem ac veniam concedas peccatis: ut in te exultemus in misericordia, in quo ille lætatur in gloria. Per Christum. B

Item alia Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te in omnium Martyrum triumphis laudare. Quoniam tuis donis atque muneribus Beati Martyris tui *Ill.* passionem hodierna solemnitate veneramur: qui pro confessione Jesu Christi filii tui Domini nostri diversa supplicia sustinuit, & eadem vincens, coronam perpetuitatis promeruit. Per quem.

N.593. [N] *Item alia Præfatio.*

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cujus gratia Beatum *Ill.* in sacerdotium elegit, doctrina ad prædicandum erudiit, potentia ad perseverandum confirmavit, ut per sacerdotalem infulam perveniret ad martyrii palmam. Docensque subditos, instruens vivendi exemplo, confirmans patiendo, ad te coronandus perveniret, qui persecutorum minas intrepidus superasset. Cujus interventus nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, qui tibi placuit tot donorum prærogativis. Per quem Majestatem. D

a [a] *Benedictio.*

Beati Martyris sui *Ill.* intercessione vos Dominus benedicat, & ab omni malo defendat. Amen. Extendat in vos dexteram suæ propitiationis, qui eum suscepit per supplicia passionis. Amen. Quo ejus in cælo mereamini habere consortium, cujus devotis mentibus in terra celebratis triumphum. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum.

Ad complendum. E

Sumsimus, Domine, Sancti *Ill.* Martyris solemnitate cælestia sacramenta: cujus suffragiis, quæsumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

Super populum.

Fac, quæsumus, Domine Deus noster, intercedente Beato Martyre tuo *Ill.* populum tuum in tua devotione gaudere: quia perpetua est & plena felicitas, si bonorum omnium serviamus Auctori. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Aliæ Orationes. F

Sancti *Ill.* Martyris tui, Domine, nos oratio sancta conciliet, quæ sacris virtutibus veneranda refulget. Per Dominum nostrum.

Alia.

Beati Martyris tui *Ill.* quæsumus, Domine, precibus adjuvemur; & ejus digne solemnia celebrantes tuo nomini fac nos semper esse devotos. Per.

Alia.

Beati Martyris tui *Ill.* quæsumus, Domine, nos patrocinium collatum non deserat: quod fragilitatem nostram & precibus tueatur & meritis. Per.

Alia.

Deus, qui sanctam nobis hujus diei solemnitatem pro commemoratione Beati Martyris tui *Ill.* fecisti, adesto familiæ tuæ precibus: & da, ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis & intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Plebs tua, Domine, sancti Martyris tui *Ill.* te glorificatione magnificet: & eodem semper precante, te mereamur habere Rectorem. Per Dominum nostrum.

C MISSA [N] IN VIGILIA PLURIMORUM MARTYRUM. N. 594.

Beatorum Martyrum *Ill.* & *Ill.* natalitia veneranda, quæsumus, Domine, Ecclesia tua devota suscipiat, & fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per.

Super Oblata.

Hæc Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, & ad venturam festivitatem [b] tantorum Martyrum tuorum *Ill.* celebrandam, subditorum sibi corpora mentesque sanctificet. Per. b

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Misericordiæ dator, & totius bonitatis auctor, qui jejuniis, orationibus, & eleemosynis, peccatorum remedia, & virtutum omnium tribuis incrementa: te humili devotione precamur, ut qui sanctis tuis *Ill.* quorum festa prævenimus, martyrii dedisti coronam, intercessionibus eorum ad hæc agenda nobis tribuas indefessam efficaciam. Per Christum.

Ad complendum.

Pasce nos, Domine, tuorum gaudiis ubique Sanctorum: quia nostræ salutis augmenta sunt, quoties illis honor impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris. Per.

Super populum.

Protege, Domine, plebem tuam: & quam Martyrum tuorum *Ill.* assidua tribuisti festivitate devotam, tibi semper placitam fieri precibus concede justorum. Per.

Alia.

Sint tibi, Domine, quæsumus nostri munera grata jejunii: quia tunc eadem in Sanctorum *Ill.* digna commemoratione deferimus, si & actus illorum pariter subsequamur. Per.

Alia.

a Legitur in Benedictionali, ubi assignatur, *in natalitiis unius martyris*.

b In Vatic. & Gussanv. edit. legitur, *fanctorum*.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut populus tuus ad plenæ devotionis affectum, Beatorum Martyrum *Ill.* natalitiis præparetur: & eorum patrocinio promerente, plenæ capiat securitatis augmentum. Per Dominum.

Alia,

Deus, qui nos annua Beatorum Martyrum tuorum *Ill.* solemnia frequentare concedis: præsta quæsumus, ut & devotis eadem mentibus celebremus, & eorum intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinos,

Deus, qui hodiernam diem Sanctorum tuorum *Ill.* martyrio consecrasti, da nobis salutem mentis & corporis: ut & illorum passioni sit veneratio ex nostra devotione, & nobis auxilium proveniat de eorum sanctissima intercessione. Per.

IN NAT. PLURIMORUM MART.

OMnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosi bella certaminis ad immortales triumphos martyres extulisti: da cordibus nostris dignam pro C eorum commemoratione lætitiam, ut quorum memoriam pio amore amplectimur, eorum precibus adjuvemur.

Super Oblata.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata sint honore justorum, & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, D Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Sanctorum Martyrum tuorum pia certamina ad copiosam perducis victoriam, atque perpetuum eis largiris triumphum, ut Ecclesiæ tuæ semper sint in exemplum: præsta nobis, quæsumus, ut per eorum intercessionem, quorum festa celebramus, pietatis tuæ munera capiamus. Per Christum.

Benedictio.

a • Benedicat vobis Dominus Beatorum Martyrum suorum *Ill.* suffragiis, & liberet ab adversitatibus cunctis. Amen. Commendet vos eorum intercessio gloriosa, quorum in conspectu ejus est E mors pretiosa. Amen. Ut sicut illi per diversa genera tormentorum cælestis regni sunt sortiti hereditatem, ita vos eorum mereamini consortium per bonorum operum exhibitionem. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Præsta nobis, Domine, quæsumus, ut quæ pro Martyrum tuorum *Ill.* beata passione peregimus, ipsorum nobis fiant intercessione salutaria, in quorum natalitiis sunt exultanter impleta. Per Dominum nostrum. F

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Sanctorum tuorum cordibus flammam tuæ dilectionis accen-

A dis: da mentibus nostris eamdem fidei & caritatis virtutem, ut quorum gaudemus triumphis, proficiamus exemplis. Per.

Alia.

Ad defensionem fidelium, Domine, quæsumus, dexteram tuæ Majestatis extende: &, ut perpetua pietatis tuæ protectione muniantur, intercessio pro his non desit Martyrum continuata sanctorum. Per.

Alia.

Omnipotens & misericors Deus, fidelium lu-
B men animarum, adesto votis solemnitatis hodiernæ, & Ecclesiæ tuæ gaudiis de Beatorum Martyrum *Ill.* gloria conceptis benignus aspira: ut & corda nostra passione ipsorum N ignitantur, & apud misericordiam tuam eorum juvemur meritis, quorum gaudemus exemplis. Per Dominum nostrum. N. 525.

Alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Sanctorum Martyrum tuorum, quorum celebramus victorias, participemus & præmiis. Per Dominum nostrum.

IN VIGILIA UNIUS N CONFESSORIS. N. 126.

COncede nobis, quæsumus, omnipotens Deus, venturam Beati Confessoris tui *Ill.* solemnitatem congruo prævenire honore, & venientem digna celebrare devotione. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, & ad Sancti Confessoris tui *Ill.* puriores faciat nos venire festivitatem. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut qui Beati *Ill.* Confessoris tui festum solemnibus jejuniis, & devotis prævenimus officiis, illius apud Majestatem tuam & adjuvemur meritis, & instruamur exemplis. Per.

Ad complendum.

Beati Confessoris tui *Ill.* Domine, suffragiis exoratus, percepta nos sacramenti tui virtute defende. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Benedictionis tuæ, Domine, gratiam, intercedente sancto Confessore tuo *Ill.* suscipiamus: ut cujus præveniendo gloriam celebramus, ejus supplicando auxilium sentiamus. Per Dominum nostrum.

Ad Vesperos.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sancti Confessoris tui *Ill.* exempla nos provocent: quatenus cujus solemnia prævenimus, etiam actus imitemur, & intercessionibus adjuvemur. Per.

Alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut

a In Benedictionali, ubi hæc leguntur, *benedicat vos*.

cut Confessoris tui *Ill.* gloriosa natalitia prævenimus; sic ad tua beneficia promerenda, Majestatem tuam pro nobis ipse præveniat. Per. A

Ad Matutinos.

Adesto, Domine, populo tuo: ut Beati Confessoris tui *Ill.* merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrociniis adjuvetur & meritis. Per Dominum nostrum.

Alia.

Absolve, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum: & a peccatorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, intercedente Beato Confessore tuo *Ill.* liberemur. Per Dominum nostrum. B

MISSA IN NAT. UNIUS CONFESSORIS.

Misericordiam tuam, quæsumus, Domine, nobis, interveniente Beato Confessore tuo *Ill.* clementer impende: & nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis. Per.

Super Oblata.

C

Propitiare, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris: & interveniente pro nobis Sancto *Ill.* Confessore tuo, his sacramentis cælestibus servientes, ab omni culpa liberos esse concede: ut purificante nos gratia tua, iisdem, quibus famulamur, mysteriis emundemur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: D Et in hac die, quam transitu sacro Beati Confessoris tui *Ill.* consecrasti: Quæsumus ergo clementiam tuam, ut des nobis illam sequi doctrinam, quam ille & verbo docuit, & opere complevit: quatenus nos adjuvari apud misericordiam tuam, & exemplis ejus sentiamus & meritis. Per Christum Dominum nostrum.

Alia Præfatio.

Vere dignum & justum ast, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te in Sanctorum tuorum virtute laudare, quibus pro meritis suis beatitudinis præmia contulisti. E Quoniam semper in manu tua sunt, & non tanget illos tormentum mortis, quos, te custodiente, beatitudinis sinus intercludit: ubi perpetua semper axultatione lætantur, ubi atiam Beatus Confessor tuus *Ill.* sociatus exultat. Petimus ergo, ut memor sit miseriarum nostrarum, & de tua misericordia nobis imperret beatitudinis suæ consortium. Per Chsistum.

Benedictio.

Omnipotens Deus det vobis copiam Benedictionis, qui beatum *Ill.* sibi adscivit virtute confessionis. Amen. Et qui illum fecit coruscare miraculis, vos exornet bonorum operum incrementis. Amen. Quo ejus & exemplis eruditi, & intercessione muniti, cujus depositionis diem celebratis, illi possitis in cælesti regione adjungi. Ameu. Quod ipse præstare dignetur. F

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente Beato Confessore tuo *Ill.* beneficia potiora sumamus. Per.

Super populum.

Aures pietatis tuæ, quæsumus, Domine, precibus nostris inclina: ut qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur, intercedenta Beato Confessore tuo *Ill.* miserationis tuæ gratia liberemur. Per.

Alia.

Sancti Confessoris tui *Ill.* nos, quæsumus, Domine, tuere præsidiis: ut ejus semper intercessionibus adjuvemur. Per.

Alia.

Adesto, quæsumus, Domine, precibus nostris, quas in Sancti Confessoris tui *Ill.* commemoratione deferimus: ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Exultemus, quæsumus, Domine, Deus noster in solemnitate Beati Confessoris tui *Ill.* ut ejus sacra natalitia celebrantes, ad impetrandam misericordiam tuam, semper ejus patrociniis adjuvemur. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, cui cuncta famulantur alementa, exaudi propitius, intercedente pro nobis Confessore tuo *Ill.* orationem nostram, & tribue nobis misericordiam tuam: & quæcumque præcipis, ut agamus, ipse adjuva ut implere possimus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Sancti Confessoris tui *Ill.* tribue nos, Domine, supplicationibus foveri: ut cujus depositionem annuo celebramus obsequio, ajus apud te intercessionibus & meritis adjuvemur. Per.

MISSA IN VIGILIA PLURIMORUM CONFESSORUM.

Beatorum Confessorum tuorum, Domine, *Ill.* natalitia præeuntes, supplices te rogamus: ut quos cælesti gloria sublimasti, tuis adesse concedas fidelibus. Per.

Super Oblata.

Sacrificium, Domine, quod pro Beatis Confessoribus tuis *Ill.* offert nostra devotio, eorum meritis augeat nobis, te donante, suffragium. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum ast, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Sanctorum tuorum *Ill.* solemnitatem prævenientes concede propitius, ut qui donis tuis ita extiterunt gloriosi, apud te nostris existant nominibus idonei interventores. Per Christum.

Ad complendum. A

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis: ut quorum solemnitatem præimus, eorum orationibus adjuvemur. Per.

Super populum.

Conserva, quæsumus, Domine, familiam tuam, & beodictionum tuarum propitius ubertate purifica: ut per intercessionem Beatorum Confessorum tuorum *Ill.* & eruditionibus tuis semper multiplicetur, & donis. Per Dominum oostrum.

Alia. B

Propitiare, misericors Deus, supplicationibus nostris, & populum tuum pervigili protectione custodi: ut qui Beatorum Confessorum tuorum *Ill.* solemnia prævenimus, tribuas nobis ex eorum imitatione prospera mundi despicere, & oulla ejus adversa formidare. Per.

Alia.

Deus, qui Beatos Confessores tuos *Ill.* Sanctorum tuorum meritis coæquasti, da nobis in eorum celebritate gaudere; ut quorum commemorationem agimus, eorum imitatione proficiamus, & intercessionibus sublevemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. C

IN NAT. PLUR. CONFESSORUM.

PRæsta, Domine, quæsumus, ut sicut Sanctorum tuorum *Ill.* oos natalitia celebranda non deserunt, ita jugiter suffragiis comitentur. Per

Super Oblata.

Munera, Domine, plebis tuæ, quæsumus, Beatorum Confessorum tuorum *Ill.* fiant grata suffragiis: & pro quorum triumphis tuo nomini offeruntur, ipsorum digna perficiantur & meritis. D Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Majestatem tuam supplici devotione exorare, ut Beatorum Confessorum tuorum *Ill.* quorum hodie festa celebramus, obtentu, mereamur tuum obtinere auxilium. Per Christum.

Alia Præfatio. E

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; Et te in tuorum honore Sanctorum *Ill.* glorificare, qui & illis pro certaminis constantia beatitudinem tribuisti sempiternam, & infirmitati nostræ talia præstitisti suffragia, quæ pro eorum meritis possis audire digneris. Per Christum.

[a] *Benedictio.*

Sanctorum suorum Confessorum *Ill.* meritis vos Dominus faciat benedici, & contra adversa omnia eorum intercessione muniri. Amen. Eorum efficiat suffragio felices, quorum festivitatis diem celebratis ovantes. Amen. Quo eorum imitantes exempla, ad cælestia pervenire possitis promissa. Amen. Quod ipse præstare dignetur. F

Ad complendum.

Et natalitiis Sanctorum, Domine, & sacramenti munere vegetati, quæsumus: ut bonis, quibus per tuam gratiam nunc fovemur, perfruamur æternis. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Adesto, Domine, precibus populi tui cum Sanctorum *Ill.* patrocinio supplicantis; ut quod propria fiducia non præsumit, suffragantium meritis consequatur. Per.

Alia.

Magnificantes, Domine, misericordiam tuam suppliciter exoramus: ut qui nos Sanctorum tuorum frequentibus facis natalitiis interesse, perpetuis tribuas interesse consortiis. Per.

Alia.

Da nobis, omnipotens Deus, in Sanctorum tuorum te semper commemoratione laudare: quia refovere curabis, quos in honore tuo perseverare concedis. Per Dominum nostrum.

Alia.

Sanctorum tuorum *Ill.* Domine, suffragiis imploramus, ut a cunctis liberemur offensis. Per Dominum nostrum.

Alia.

Exaudi nos, omnipotens & misericors Deus, & Sanctorum tuorum nos ubique tuere præsidiis. Per.

Alia.

Tribue, quæsumus, Domine, Sanctos tuos jugiter orare pro nobis; & semper eos clementer digneris audire. Per Dominum nostrum.

Alia.

Sancti tui, quæsumus, Domine, jugiter nobis a te & veniam postulent, & profectum. Per.

IN VIGILIA VIRGINUM.

SAnctæ Martyris tuæ *Ill.* Domine, supplicationibus tribue nos foveri; ut cujus venerabilem solemnitatem prævenimus obsequio, ejus intercessionibus commendemur & meritis. Per Christum.

Super Oblata.

Muneribus nostris, Domine, Sanctæ *Ill.* Martyris tuæ festa præcedimus, præsta quæsumus; ut, quæ peccatorum nostrorum præpediuntur obstaculis, illius meritis reddantur accepta. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te Beatæ *Ill.* natalitia præveniendo, laudare, prædicare, & benedicere: quam tanto munere sublimasti, ut ei conferres & virginitatis coronam & martyrii palmam. Cujus interventus nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, & supernorum civium faciat adscisci consortiis. Per Christum.

Alia.

a Iisdem verbis habetur in Benedictionali pro nativitate plurimorum Confessorum.

Alia Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te Beatæ *Ill.* natalitia præveniendo, laudare, prædicare, & benedicere: quam tanto munere sublimasti, ut ei conferres virginitatis coronam, & martyrii palmam: sicque virtute fidei, & decore pudicitiæ polleret, ut ad cælestia regna Virgo pariter & Martyr intraret. Per Christum.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut quorum nos tribuis communicare memoriis, eorum facias veraciter imitatores. Per.

IN NAT. VIRGINUM.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

In Sanctæ Virginis *Ill.* festivitate pretiosa, tua, Domine, mirabilia prædicantes, munera votiva deferimus: præsta quæsumus, ut sicut ejus tibi grata sunt merita, sic nostræ servitutis accepta reddantur officia. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Quem Beata Virgo pariter & Martyr *Ill.* & diligendo timuit, & timendo dilexit: Illique conjuncta est moriendo, cui se consecraverat caste vivendo: Et pro eo temporalem studuit sustinere pœnam, ut ab eo perciperet gloriam sempiternam. Quæ, dum duplicem vult sumere palmam in sacri certaminis agone, & de corporis integritate, & de fidei puritate, laboriosius duxit longa antiqui hostis sustinere tentamenta, quam vitam præsentem cito amittere per tormenta. Quoniam cum in martyrio proponantur ea, quæ terreant, in carnis vero delectamentis ea, quæ mulceant, molestius sustinetur hostis occultus, quam superatur infestus. Cum ergo in utroque, tui sit muneris quod vicit, quia nihil valet humana fragilitas, nisi tua hanc adjuvet pietas; pro nobis, quæsumus, tuam pietatem exoret, quæ a te accepit, ut vinceret. Et quæ Unigeniti tui intrare meruit thalamum, intercessione sua inter mundi hujus adversa nobis præstet auxilium. Per quem, Majestatem tuam.

Alia Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cujus caritatis ardore, ista, & omnes Sanctæ Virgines, a Beata Maria exemplum Virginitatis accipientes, præsentis seculi voluptates ac delicias contemserunt. Quoniam tuo dono actum est, [N] ut postquam Virgo de Virgine prodiit, sexus fragilis esset fortis: & [N]
N. 597.
N. 598.

Tom. III.

A in quo fuit peccandi facilitas, esset vincendi felicitas. Antiquusque hostis, qui per antiquam Virginem genus humanum se vicisse gloriabatur, per sanctas nunc Virgines, sequaces potius Mariæ, quam Evæ, vincatur. Et in eo major ei confusio crescat, quod de eo etiam sexus fragilis jam triumphat. Quapropter immensam pietatem tuam humiliter exposcimus, ut per earum intercessionem, quæ & sexum vicerunt & seculum, tibique placuerunt & virginitatis decore, & passionis vigore, nos mereamur & invisibilem hostem superare, & Unigenito tuo Domino nostro adhærere. Per quem, Majestatem.

B

[a] Benedictio.

Benedicat vobis Dominus qui Beatæ Virgini *Ill.* concessit, & decorem Virginitatis, & gloriam passionis. Amen. Et cujus opitulatione illa meruit, & sexus fragilitatem, & persequentium rabiem devincere, vos possitis & vestrorum corporum illecebras, & antiqui hostis machinamenta superare. Amen. Quo sicut illa sexu fragili virile nisa est certamen adire, & post certamen de hostibus triumphare: ita vos in hac mortalitate viventes valeatis & antiquum hostem devincere, & ad regna cælestia pervenire. Amen. Quod ipse præstare.

C

Alia Benedictio.

Omnipotens Dominus, intercedentibus sanctis Virginibus suis *Ill.* vos dignetur benedicere, qui de antiquo hoste non solum per viros, verum etiam per feminas voluit triumphare. Amen. Et qui illis voluit centesimi fructus donum decore Virginitatis & agone Martyrii conferre, vos dignetur & vitiorum squaloribus expurgare, & virtutum lampadibus exornare. Amen. Quatenus virtutum oleo ita pectorum vestrorum lampades possint repleri, ut cum eis cælestis sponsi thalamum valeatis ingredi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum & imperium.

D

Ad complendum.

Auxilientur nobis, Domine, sumta mysteria; & intercedente Beata *Ill.* Martyre tua, sempiterna protectione confirment. Per Dominum nostrum.

Alia.

Indulgentiam nobis, Domine, Beata *Ill.* Martyr imploret, quæ tibi semper grata extitit, & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum.

E

[N] Alia Missa. N. 599.

DEus, qui nos hodie Sanctæ Virginis *Ill.* annua solemnitate lætificas: concede propitius, ut ejus adjuvemur meritis, cujus castitatis irradiamur exemplis. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Grata sit tibi, Domine, hæc oblatio plebis tuæ, quam tibi offerimus in honorem Sanctæ *Ill.* Virginis: ut cunctis proficiat ad salutem. Per.

F

Ad complendum.

Adjuvent nos, quæsumus, Domine, & hæc mysteria sancta, quæ sumsimus, & Beatæ *Ill.* Virginis intercessio veneranda. Per.

a Hæc bened. assignatur in Benedictionali pro nat. unius Virginis; & sequent, in nativitate plurim. Virginum.

N. 600 *Benedictio vestium Virginis, N vel viduæ.* A

Deus, æternorum bonorum fidelissime promissor, & certissime persolutor, qui vestimentom salutare, & indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti, elementiam tuam suppliciter exoramus: ut hæc indumenta humilitatem cordis, & contemtum mundi significantia, quibus famola tua *Ill.* sancto visibiliter est informanda proposito, propitius bene✠dicas; & beatæ castitatis habitum, quem, te inspirante susceperit, te protegente custodiat: & quam vestibus venerandæ professionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per Dominum oostrum. B

Item alia.

Deus, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infusor, exaudi preces nostras: & hanc vestem, qua famula tua *Ill.* pro conservandæ castitatis signo, se adoperiendam exposcit, bene✠dicere & saoctificare digneris. Per Dominum.

Benedictio vestis Virginis.

C Exaudi, omnipotens Deus, preces nostras, & hanc vestem, qua famula tua *Ill.* se adoperiendam exposcit, uberrimæ benedictionis imbre persunde, sicut persudisti oras vestimentorum Aaron benedictiune profluente a capite iu barbam unguenti. Et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita eam benedicere dignare: ac præsta, clementissime Pater, ut supradictæ famulæ tuæ hæc sit vestis salubris protectio, hæc cognitio religionis, hæc initium sanctitatis, hæc contra omnia tela inimici robusta defensio, ut centesimi muneris opulentia perseveranti continentia ditetur. Per Dominum nostrum.

N. 601. ^ BENEDICTIO Virginis ab N Episcopo di- D
N. 602. „ cenda, N quæ fit in Epiphania, ^ vel secun-
N. 603. „ da feria Paschæ, aut ^ quando Apostolorum
N. 604. „ natalitia celebrantur; & N vestimenta nigra
N. 605. N. 606. „ forinsecus gestant.

RESPICE, Domine, propitius super hanc famulam tuam *Ill.* ut sanctæ virgimtatis propositum, quod, te inspirante, suscepit, te gubernaote, custodiat. Per.

Consecratio.

Deus, castorum corporum benignus inhabitator, & incorruptarum amator animarum, qui humanam substantiam in primis hominibua diabolica E fraude vitiatam, ita iu Verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad ex-
N. 607. perientiam N quorumdam bonorum, quæ in N no-
N. 608. vo seculo sunt habenda, perducas, & obstrictos adhuc conditione mortalium, jam ad similitudinem provehas Angelorum: respice super hanc fa-
N. 609. mulam tuam *Ill.* ^ quæ tibi devotionem suam of-
N. 610. fert, a qoo & ipsa idem N votum assumsit. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui, prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas: serveat in caritate, & nihil extra te diligat, laudabiliterque vivat, & laudari non ap- F A petat, te timeat, tibi amore serviat: Tu ei hooor, tu gaudium, tu iu mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium, tu in injuria defensio, in tribulatione patieotia, in paupertate abundantia, N in N. 611. jejunio cibus, in infirmitate sis medicina: Per te, quem diligere super omnia appetit, quod est professa custodiat, ut & hostem antiquum devincat, & vitiorum squalores expurget: ^ Quatenus cen- N. 612. tesimi fructus dono virginitatis decorari, virtutumque lampadibus exornari, & electarum Virginum tuarum consortio, te donante, mereatur uniri. Per eumdem.

B MISSA IN CONSECRATIONE VIRGINIS.

DA, quæsumus, Domine, famulæ tuæ *Ill.* quam virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum: & ut perfectam tibi offerat pleuitudinem, initia sua perducere mereatur ad finem. Per.

Super Oblata.

Oblatis Hostiis, Domine, quæsumus, præsentis famulæ tuæ *Ill.* perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda: ot apertis januis, summi Regis in adventu, regnum cæleste cum lætitia mereatur intrare. Per. C

Ad complendum.

Respice, Domine, famulæ tuæ *Ill.* debitam servitutem: ut inter humanæ fragilitatis incerta, nullis adversitatibus opprimatur, quæ de tua protectione confidit. Per.

Oratio ad Abbatissam faciendam.

Exaudi, Domine, preces nostras, & super hanc famulam tuam *Ill.* Spiritum tuæ benedictionis emitte: ut cælesti munere ditata, & tuæ gratiam possit Majestatis acquirere, & bene vivendi aliis D exemplum præbere. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio N ad [a] *ancillas Dei velandas.* N. 613. a

Famulas tuas, Domine, tuæ custodia muniat pietatis: ot Virginitatis sanctæ propositum, quod, te inspirante, susceperunt, te protegenre illæsum custodiant. Per Dominum.

N *Oratio ad Abbatem faciendum.* N. 614.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, & E famulum tuum *Ill.* quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequere: ut, te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per Dominum.

b N *Hebdomada II.* N. 615. b

POST PENTECOSTEN.

DEus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris: & quia sine te F nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ: ut in sequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus. Per.

Su-

a In vet. Sacram Gall. extat *ordo ad consecrandas monachas*, & ad velandam Virg. Sequitur *Benedictio Abbatissæ, & super viduam veste mutandam.*

b In edit. Pamel. nihil de Dominicis post Pentecosten occurrit. Sed post officium dedicationis Eccl. sequitur, *in natali Papæ. In ordinatione presbyteri. Ad sponsam benedicendam. Orationes pro peccatis* &c. Sic etiam legitur in cod. Reg. Sueciæ, ex quo multa editionis Pamelianæ errata emendari possunt; ut pag. 384. in oratione *ad capillaturam*: *Ad novum tondendi gratiam venire dignatus es pro*, *Ad comam tondendi* &c. uti exhibet hic codex ms. Omittuntur quoque Dominicæ post Pentecosten in Kal. Rom. Earum Missæ assignantur eodem ordine in duobus Theod. et in nostris editis. In codice vero Gemet. reperiuntur immediate post octavam Pentecostes.

Super Oblata.

Oblationem nostram, quæsumus, Domine, misericorditer acceptare, & sanctificare digneris: ut ejus sanctificatione nobis salus proveniat, & defensio sempiterna. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Ecclesiæ tuæ filios sicut non cessas erudire, ita non desinis adjuvare: ut scientiam, te miserante, recta faciendi, & possibilitatem capiant exequendi. Per Christum.

[a] Benedictio.

Benedicat vobis Dominus, & custodiat vos. Amen. Illuminet faciem suam super vos, & misereatur vestri. Amen. Convertat vultum suum ad vos, & donet vobis pacem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet, per omnia secula seculorum. Amen. Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, & pax Domini sit semper vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Ad complendum.

Tantis, Domine, repleti muneribus, quæsumus: ut & salutaria dona capiamus, & a tua numquam laude cessemus. Per.

Super populum.

Fideles tuos, Domine, benedictio desiderata confirmet, quæ eos & a tua voluntate faciat numquam discrepare, & tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per eumdem Dominum nostrum.

Hebdomada III.

POST PENTECOSTEN.

SAncti nominis tui, Domine, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum.

Super Oblata.

Oblatio nos, Domine, tuo nomini dicanda purificet, & de die in diem ad cælestis vitæ transferat actionem. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Per quem, Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut ab Ecclesia tua quidquid est noxium tu repellas, & quod eidem salutare est, largiaris: nosque contra superbos spiritus humilitatem tribuas rationabilem custodire, cum gratiam tuam clementer nobis impendis: nec humani incertos consilii derelinquas, sed tua, quæ falli non potest, gubernatione disponas. Per quem.

[b] Benedictio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus vestris, & sanet omnes languores vestros. Amen. Redimat de interitu animam vestram, & satiet in bonis desiderium vestrum. Amen. Auferat a vobis cor lapideum, & det vobis cor carneum. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Sumtis muneribus, Domine, quæsumus: ut cum frequentatione mysterii, crescat nostræ salutis effectus. Per Dominum.

Super populum.

Deus, qui te in rectis ac sinceris manere pectoribus asseris, da nobis tua gratia tales existere, in quibus habitare digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Hebdomada IV.

POST PENTECOSTEN.

DEprecationem nostram, quæsumus, Domine, benignus exaudi: & quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Dominum.

Super Oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, ut tui nobis Unigeniti corpus & sanguis fiant. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cujus hoc mirificum opus ac salutare mysterium fuit, ut perditi dudum atque prostrati, de diabolo & mortis aculeo, ad hanc gloriam vocaremur, qua nunc genus electum, sacerdotiumque regale, populus acquisitionis, & gens sancta vocaremur. Agentes igitur indefessas gratias, sanctamque munificentiam tuam prædicantes, Majestati tuæ hæc sacra deferimus, quæ nobis ipse salutis nostræ auctor Christus instituit. Per quem, Majestatem tuam.

[c] Benedictio.

Benedicat vobis Dominus nostri oris alloquio, & cor vestrum sinceri amoris copulet nexu perpetuo. Amen. Floreatis rerum præsentium copiis, justitia acquisitis, gaudeatis perenniter fructibus sincerissimæ caritatis. Amen. Tribuat vobis Dominus dona perennia, ut post tempora feliciter dilatata, percipiatis gaudia sempiterna. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Sacris muneribus, Domine, perceptis, quæsumus: ut nos eorum virtute, & a vitiis omnibus expies, & donis tuæ gratiæ jugiter repleas. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Tempora nostra, quæsumus, Domine, pio favore prosequere; & quibus cursum tribuis largiorem, præsta continuum benignus auxilium. Per Dominum nostrum.

a Legitur in Benediction. inscribiturque, *Benedictio quotidianis diebus.*
b Benedictionem hanc nullibi legi.

c Hæc quoque aliis ex codicibus minime nota. De ceteris, quæ sequuntur, eadem dicta sunto, nisi aliter rem se habere moneamus.

Hebdomada V.

POST PENTECOSTEN.

PRotector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam: ut te Rectore, te Duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Respice, Domine, munera supplicantis Ecclesiæ; & saluti credentium perpetua sanctificatione sumenda concede. Per. B

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Et omnipotentiam tuam jugiter implorare, ut nobis & præsentis vitæ subsidium, & æternæ tribuas præmium sempiternum. Quo sic mutabilia dona capiamus, ut per hæc ad incommutabilia dona pervenire valeamus: sic temporalis lætitiæ tempora transeant, ut eis gaudia sempiterna succedant. Per Christum Dominum nostrum. C

Benedictio.

Emundet Dominus conscientias vestras ab omni malitia, & repleat sanctificatione perpetua. Amen. Vota vestra clementer intendat, & peccata omnia propitiatus indulgeat. Amen. Quæ pie optatis miseratus attribuat, ac quæ pavescitis, pius propugnator procul repellat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Sancta tua nos, Domine, sumta vivificent, & misericordiæ sempiternæ præparent expiatos. Per Dominum nostrum. D

Super populum.

Respice, Domine, propitius plebem tuam; & toto tibi corde subjectam, præsidiis invictæ pietatis attolle. Per Dominum.

Hebdomada VI.

POST PENTECOSTEN.

DA nobis, quæsumus, Domine, ut & mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, & Ecclesia tua tranquilla devotione lætetur. Per Dominum.

Super Oblata.

Ascendant, quæsumus, Domine, preces humilitatis nostræ in conspectu clementiæ tuæ: & descendat super hæc oblata virtus tuæ divinitatis, quam nostris quoque purificandis mentibus largiaris. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut opem

A tuam petentibus dignanter impendas, & desiderantibus benignus tribuas profutura. Per Christum Dominum.

[a] Benedictio.

Omnipotens Deus sua vos clementia benedicat, & sensum vobis sapientiæ salutaris infundat. Amen. Catholicæ fidei vos documentis enutriat, & in sanctis operibus perseverabiles reddat. Amen. Gressus vestros ab errore convertat, & viam vobis pacis & caritatis ostendat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Mysteria nos, Domine, sancta purificent, & suo munere tueantur. Per.

Super populum.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, & dies nostros in tua pace dispone: ut a cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi servitute famulemur.

Hebdomada VII.

POST PENTECOSTEN.

DEus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum: ut te in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per.

Super Oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume: ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Verum æternumque Pontificem, & solum sine peccati macula sacerdotem. N. 167. Cujus sanguine, fidelium corda mundantur: cujus institutione, placationis tibi Hostias non solum pro delictis populi, sed etiam pro nostris offensionibus immolamus: tuam poscentes clementiam, ut omne peccatum, quod carnis fragilitate contraximus, ipso summo pro nobis Antistite interveniente, solvatur. Per quem. E

Benedictio.

Amoveat a vobis Dominus totius maculas simultatis, & imbuat vobis munera puræ dilectionis. Amen. Subjuget in vobis reluctationem carnis & sanguinis, & opem conferat perpetuæ castitatis. Amen. Idque vos in præsenti sæculo diligere faciat, quod a cælestis paradisi hereditate non dividat. Amen. Quod ipse præstare dignetur. F

Ad complendum.

Quos cælesti, Domine, dono satiasti, præsta, quæsumus: ut a nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidiis. Per.

Su-

a Extat in Benedict. post Benedictionem quotidianis diebus.

Super populum.

Protegat, Domine, quæsumus, tua dextera populum supplicantem; ut præsentem vitam sub tua gubernatione transcurrens, mereatur invenire perpetuam. Per Dominum nostrum.

Hebdomada VIII.

POST PENTECOSTEN.

N. 618. DEus virtutum, N cujus est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum: ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias. Per.

Super Oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has populi tui oblationes benignus assume: &, ut nullius sit irritum votum, & nullius vacua postulatio, præsta, quæsumus, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et
N. 619. tibi vovere contriti sacrificium cordis, N tibi litare humiliati victimam pectoris; a quo omne bonum sumimus, omnem jucunditatem haurimus. Precamur itaque, ut tibi conscientia nostra famuletur, & ut in te de die in diem meliorata proficiat, tuæ gratiæ intemerata subdatur. Nostris nos, quæsumus, Domine, evacua malis, tuisque reple per omnia bonis, ut percepta gratia, quam nostra non exigunt merita, a cunctis adversitatibus liberati, & in bonis omnibus confirmati, supernis civibus mereamur conjungi. Per Christum.

a Benedictio.

Inclinet Dominus aurem suam ad preces vestræ humilitatis, & det vobis gratiam suæ benedictionis, & præmium sempiternæ salutis. Amen. Semper & ubique Dominum propitium habeatis, & in ejus laudibus exultetis. Amen. Omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, & ad gloriam sempiternam pervenire vos faciat. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Repleti, Domine, muneribus tuis, quæsumus: ut eorum & mundemur effectu, & muniamur auxilio. Per eumdem.

Super populum.

Da nobis, quæsumus, Domine, ut in tua gratia veraciter confidentes, & quæ digna sunt postulemus, & jugiter postulata sumamus. Per.

Hebdomada IX.

POST PENTECOSTEN.

DEus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus: ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per.

Super Oblata.

Deus, qui legalium differentias Hostiarum unius sacrificii perfectione N sanxisti, accipe sacrificium a devotis tibi famulis, & pari benedictione, sicut munera Abel, sanctifica: ut, N quod singuli obtulerunt, ad Majestatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum. N. 620. N. 621.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam misericordiam totis nisibus exorare, ne pro nostra nos iniquitate condemnes, sed pro tua pietate in via recta semper disponas: nec sicut meremur, delinquentibus irascaris, sed fragilitati nostræ invicta bonitate subvenias. Per Christum.

Benedictio.

Sanctificet vos Domini gratia, & ab omni malo custodiat. Amen. Arceat a vobis omne quod malum est, & spiritus vestros corporaque purificet. Amen. Alliget vos sibi vinculo caritatis, & pax ejus abundet in cordibus vestris. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Tua nos, Domine, medicinalis operatio, & a nostris perversitatibus clementer expediat, & ad ea, quæ sunt recta, perducat. Per.

Super populum.

Plebis tuæ, quæsumus, Domine, ad te semper corda converte, ut quam tantis facis patrociniis adjuvari, perpetuis non desinas gubernare præsidiis. Per.

Hebdomada X.

POST PENTECOSTEN.

LArgire nobis, Domine, quæsumus, semper N spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius & agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per. N. 620.

Super Oblata.

Suscipe munera, quæsumus, Domine, quæ de tua largitate deferimus: ut hæc sacrosancta mysteria, gratiæ tuæ operante virtute, & præsentis vitæ nos conversatione sanctificent, & ad gaudia sempiterna perducant. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam misericordiam exorare, ut te annuente valeamus, quæ mala sunt, declinare; & quæ bona sunt, consequenter explere: & quia nos fecisti ad tua sacramenta N pertinere, tu clementer in nobis N. 623. eorum munus operare. Per Christum.

Benedictio.

Multiplicet in vobis Dominus copiam suæ benedictionis, & confirmet vos in spe regni cælestis. Amen. Actus vestros corrigat, vitam emendet, mo-

a Habetur in Benedictionali versus finem.
b In Benedictionali locum habet, inter illas quæ de communi leguntur.

mores componat, & vos ad cælestis paradisi hereditatem perducat. Amen. Talique intentione repleri valeatis, qua ei in perpetuum placeatis. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Sumtis, Domine, tuæ institutionis muneribus, quæsumus: ut nos eorum & munditia purges, & potenti virtute defendas. Per Dominum.

Super populum.

M. 624. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut viam tuam devota mente currentes, N subripientium delictorum laqueos evadamus. Per Dominum nostrum.

Hebdomada XI.

POST PENTECOSTEN.

Præsta, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut inter hujus vitæ caligines, nec ignorantia fallente mergamur, nec præcipiti studeamus voluntate peccare; sed quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum. Per.

Super Oblata.

M. 625. Concede nobis hæc, quæsumus, Domine, digne frequentare mysteria: quia quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, N opus nostræ redemtionis exercetur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tibi debitam servitutem, per ministerii hujus impletionem persolvere: quia non solum peccantibus veniam tribuis, sed etiam præmia petentibus impertiris. Et quod perpeti malis operibus promeremur, magnifica pietate depellis, ut nos ad tuæ M. 626. reverentiæ cultum, & N terrore cogas, & amore perducas. Per Christum.

Benedictio.

Deus, qui est vita mortalium, salusque peccatorum, auferat a vobis omnes maculas delictorum. Amen. Induat vos decore virtutum, sanctificet mentes, purificet voluntates, & donet vobis sanctorum consortium Angelorum. Ut probabiles fide, & opere immaculati, perveniatis ad æternam gaudiorum cælestium hereditatem. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Tui nobis, Domine, communio sacramenti, & purificationem conferat, & tribuat unitatem. Per.

Super populum.

Conserva, quæsumus, Domine, tuorum corda fidelium, & gratiæ tuæ virtute corrobora: ut & in tua sint supplicatione devoti, & mutua dilectione sinceri. Per Dominum nostrum.

Hebdomada XII.

POST PENTECOSTEN.

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas, multiplica

A super nos misericordiam tuam; ut ad tua promissa currentes, cælestium bonorum facias esse consortes. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Tibi, Domine, sacrificia dicata reddantur, quæ sic ad honorem nominis tui deferenda tribuisti, ut eadem remedia fieri nostra præstares. Per Dominum.

Præfatio.

B Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cujus primum tuæ pietatis indicium est, si tibi nos facias toto corde subjectos, & spiritum nobis tantæ devotionis infundas, ut propitius largiaris consequenter auxilium. Per Christum.

a Benedictio.

Devotionem vestram Dominus dignanter intendat, & suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Talique vos in præsenti seculo subsidio muniat, ut peradisi vos in futuro habitatores efficiat.
C Amen. Sicque corda vestra sanctificando benedicat, & benedicendo sanctificet; ut vobiscum, imo in vobis eum habitare delectet. Amen. Quod ipse præstare

Ad complendum.

Quæsumus, Domine Deus noster: ut quos divinis reparare non desinis sacramentis, tuis non destituas benignus auxiliis. Per.

Super populum.

Fideles tuos, Domine, quæsumus, corpore
D pariter & mente purifica: ut tua inspiratione compuncti, noxias delectationes vitare prævaleant; atque, ut earum non capiantur illecebris, tua semper suavitate pascantur. Per.

Hebdomada XIII.

POST PENTECOSTEN.

E Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & merita supplicum excedis & vota: effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, & adjicias quod oratio non præsumit. Per.

Super Oblata.

Respice, Domine, quæsumus, nostram propitius servitutem: ut quod offerimus, sit tibi munus acceptum, sit nostræ fragilitatis subsidium. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui nos
F castigando sanas, & refovendo benignus erudis, dum magis vis salvos esse correctos, quam perire dejectos. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio.

Gratia sua vos Dominus locupletet, & cælesti benedictione multiplicet. Amen. Ab omni vos adver-

a Exhibetur in Benedictionali inter communes, seu nulli diei ad fctus.

versitate defendat, & pia semper miseratione custodiat. Amen. Petitiones vestras placatus intendat, & culparum omnium vobis veniam clementer attribuat. Ameo. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Sentiamus, Domine, quæsumus, tui perceptione sacramenti subsidium mentis & corporis: ut in utroque salvati, cælestis remedii plenitudine gloriemur. Per.

Super populum.

Tuere, Domine, populum tuum; & salutaribus præsidiis semper adjutum, beneficiis attolle continuis & mentis & corporis. Per.

Hebdomada XIV.

POST PENTECOSTEN,

N. 437. OMnipotens sempiterne Deus, per quem cœpit esse, quod non erat, & [N] factum est visibile, quod latebat, stultitiam nostri cordis emunda: & quæ in nobis sunt vitiorum secreta purifica: ut possimus tibi Domino pura mente servire. Per Dominum.

Super Oblata.

Offerimus tibi, Domine, Hostiam placationis & laudis, humiliter implorantes: & eam placabili pietate respicias, & offerentium preces clementi largitate exaudias. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æteroe Deus: Quia tu in nostra semper faciens infirmitate virtutem,
N. 438. [N] Ecclesiam tuam inter adversa crescere tribuisti: ut cum putaretur oppressa, tunc potius prævaleret exaltata: dum simul & experientiam fidei declarat afflictio, & victoriosissima semper perseveret, te adjuvante, devotio. Per Christum.

Benedictio.

Det vobis Dominus munus suæ benedictionis, & repleat vos spiritu veritatis & pacis. Amen. Quatenus sic per viam salutis devota mente curratis, ut subrepentium delictorum laqueos salubriter evadatis. Amen. Sicque efficiamini in ejus supplicatione devoti, & in mutua dilectione sinceri, ut ad cæleste regnum pervenire possitis securi. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Vivificet nos, quæsumus, Domine, hujus participatio sancta mysterii: & pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per.

Super populum.

Omnipotens & misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne & laudabiliter serviatur: tribue, quæsumus, nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per.

Hebdomada XV.

POST PENTECOSTEN.

OMoipotens sempiterne Deus, da oobis fidei, spei & caritatis augmentum; & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per.

Super Oblata.

Propitiare, Domine, populo tuo, propitiare muneribus: ut hac oblatione placatus, & indulgentiam nobis tribuas, & postulata concedas. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui nos de donis bonorum temporalium ad perceptionem provehis æternorum, & hæc tribuis & illa largiris, ut & mansuris jam incipiamus inseri, & prætereuntibus non teneri. Tuum est enim quod vivimus: quia licet peccati vulnere natura nostra sit vitiata, tui tamen est operis, ut terreni generati ad cælestia renascamur. Per Christum.

Benedictio.

Benedictio vos Domini comitetur ubique, sibique semper faciat adhærere. Amen. Ipse vos sua benedictione salvificet, qui dignatus est plasmare potenter. Amen. Atque ita vos præstet feliciter vivere, ut cælestis beatitudinis efficiat coheredes. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Cælestibus, Domine, donis satiatos, quæsumus; ut & voluntate pie recteque vivendi, & virtute atque efficacia perficiendi, nos jugiter donare digneris. Per Dominum.

Super populum.

Conserva, quæsumus, Domine, populum tuum; & quem salutaribus præsidiis non desinis adjuvare, perpetuis tribue gaudere beneficiis & mentis & corporis. Per Dominum nostrum.

Hebdomada XVI.

POST PENTECOSTEN.

CUstodi, Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua: & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis & abstrahatur a noxiis & ad salutaria dirigatur. Per Dominum.

Super Oblata.

Hostiam sacrificii singularis tibi, Domine, deferentes petimus: ut ejus virtute nos & a peccatis emacules, & tua sanctificatione dignos efficias. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: per Christum Dominum nostrum: Qui æternitate Sacerdotii sui, omnes tibi servientes sanctificat Sacerdotes: quoniam mortali carne circumdati, ita quotidianis peccatorum remissionibus indigemus, ut non solum pro populo, sed etiam pro nobis ejusdem te Pontificis sanguis exoret. Per quem.

a *Benedictio.*

Concedat vobis omnipotens Deus, munus suæ benedictionis, qui vestræ est conscius infirmitatis. Amen. Et N qui vobis tribuit supplicandi effectum, tribuat consolationis auxilium. Amen. Ut ab eo & præsentis & futuræ vitæ subsidium capiatis, cujus vos bonitate creatos esse creditis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Præsta nobis, misericors Deus, ut placationem tuam promtis mentibus exoremus: & per sacramenta, quæ sumsimus, peccatorum veniam consequentes, a noxiis liberemur incursibus. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Propitiare, Domine, populo tuo, & ab omnibus illum absolve peccatis; ut quod nostris offensionibus promeremur, tua indulgentia repellatur. Per.

Hebdomada XVII.

POST PENTECOSTEN.

N. 630. Ecclesiam, tuam, Domine, miseratio continuata mundet & muniat: & quia sine te non potest salva consistere, tuo semper N munere gubernetur. Per Dominum.

Super Oblata.

Tua nos, Domine, sacramenta custodiant; & contra diabolicos tueantur semper incursus. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

N. 631. Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Et te incessanter precari, ut qui te auctore subsistimus, te dispensante dirigamur. Non N nostris sensibus relinquamur, sed ad tuæ reducti semper tramitem veritatis, hæc studeamus exercere quæ præcipis, ut possimus dona percipere quæ promittis, Per Christum.

Benedictio.

Omnipotens Deus peccatorum vestrorum maculas purget, & sua vos benedictione illustret. Amen. Repleat vos spiritalium donis virtutum, & perseverare faciat in bonis propositum vestrum. Amen. Sicque humilitatem vestram benignus acceptet, ut suæ vos pietatis remuneratione locupletet. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

N. 631. Mentes nostras & corpora possideat, Domine, quæsumus, doni cælestis operatio: N ut non noster sensus in nobis, sed jugiter ejus præveniat effectus. Per Dominum.

Super populum.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & nihil de sua conscientia præsumentibus, ineffabili miseratione succurre: ut quod non habet fiducia meritorum, tua conferat largitas invicta donorum. Per.

Hebdomada XVIII.

POST PENTECOSTEN.

Absolve, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum: & a peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per.

Super Oblata.

Pro nostræ servitutis augmento sacrificium tibi laudis offerentes, quæsumus, Domine: N ut quod immeritis contulisti, propitius exequaris. Per Dominum. N. 633.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia cum laude nostra non egeas, grata tibi tamen est tuorum devotio famulorum: nec te augent nostra præconia, sed nobis proficiunt ad salutem, Quoniam sicut fontem vitæ præterire causa moriendi est, sic eodem jugiter redundare, effectus est sine fine vivendi. Per Christum.

Benedictio.

Omnipotens Deus cælesti vos protectione circumdet, & suæ benedictionis dono locupletet. Amen. Concedatque vobis, ut qui in sola spe gratiæ cælestis innitimini cælesti etiam protectione muniamini. Amen. Quatenus & in præsenti seculo mortalis vitæ solatia capiatis, & sempiternæ gaudia comprehendere valeatis. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Salutaris Hostiæ participatione recreati, quæsumus, omnipotens Deus: ut ejus potentia singulari nos ipsos tibi holocaustum facias sempiternum. Per.

Super populum.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo & mentem, qua tibi devotus existat; & intellectum, quo justa deposcat; & propitiationem tuam, qua pie desiderantibus profutura perficias. Per.

Hebdomada XIX.

POST PENTECOSTEN.

Omnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuam ostende supplicibus; ut qui de N meritorum qualitate diffidimus, non judicium tuum, sed indulgentiam sentiamus. Per Dominum. N. 635.

Super Oblata.

Hujus te, Domine, muneris oblatione placemus, & perpetuæ vitæ participes hujus operatione reddamur. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum; Qui vicit diabolum

a Extat in Benedictionali, scilicet in serie benedictionum de communi seu quotidianarum.

bolum & mundum, hominemque paradiso restituit, & vitę januas credentibus patefecit. Per quem. A

a *[a] Benedictio.*

Omnipotens Deus dexterę suę perpetuo vos circumdet auxilio, & benedictionum suarum repleat dono. Amen. Ab omni vos pravitate defendat, & donis cælestibus exuberare concedat. Amen. Quo corpore mundati ac mente, talem ei exhibeatis servitutem, per quam suam consequi valeatis propitiationem. Amen. Quod ipse.

Ad complendum.

B Cælestis mensæ, quæsumus, Domine, sacrosancta libatio corda nostra purget semper & pascat. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Adesto, Domine, populis tuis in tua protectione fidentibus: & tuæ se dexteræ suppliciter inclinantes, perpetua defensione conserva. Per.

Hebdomada XX.

POST PENTECOSTEN.

FAc nos, Domine, quæsumus, promte voluntate subjectos: & ad supplicandum tibi, nostras semper excita voluntates. Per.

Super Oblata.

Munda nos, Domine, sacrificii præsentis effectu; & perfice miseratus in nobis, ut ejus mereamur esse participes. Per

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine D sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam Majestatem humiliter implorare, ut Jesus Christus filius tuus Dominus noster sua nos gratia protegat & conservet: &, quia sine ipso nihil recte valemus efficere, ipsius munere capiamus, ut tibi semper placere possimus. Per quem Majestatem.

b *[b] Benedictio.*

Purificet omnipotens Deus vestrorum cordium arcana, & benedictionis suæ vobis tribuat incrementa. Amen. Ab omnibus vitæ præsentis periculis exuamini, & virtutum spiritualium ornamentis induamini. Amen. Quo illius adjutorio fulti sic ei E serviatis in terris, ut ei conjungi valeatis in cœlis. Amen. Quod ipse.

Ad complendum.

Purifica, Domine, quæsumus, mentes nostras benignus, & renova cælestibus sacramentis: ut consequenter & corporum præsens pariter & futurum capiamus auxilium. Per.

Super populum.

Respice, propitius Domine, ad debitam tibi F populi servitutem: ut inter humanæ fragilitatis incerta, nullis adversitatibus opprimatur, qui de tua protectione confidit. Per Dominum nostrum.

a Est in Benedict. loco jam designato.
b Hæc Benedictio præcedenti subicitur in Benedictionali.

Hebdomada XXI.

POST PENTECOSTEN.

DA, quæsumus, Domine, populo tuo diabolica vitare contagia, & te solum Dominum puro corde sectari. Per.

Super Oblata.

Majestatem tuam, Domine, suppliciter deprecamur, ut hæc sancta, quæ [N] gerimus, & præteritis nos delictis exuant & futuris. Per. N. 611.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et suppliciter te exorare, ut sic nos bonis tuis instruas sempiternis, ut temporalibus quoque consolari digneris: sic præsentibus refovere, ut ad gaudia nos mansura perducas. Per Christum.

Benedictio.

c Omnipotens Deus [c] universa a vobis adversa excludat, & suæ super vos benedictionis dono propitiatus infundat. Amen. Corda vestra efficiat C sacris intenta doctrinis, quo possint repleri beneficiis sempiternis. Amen. Quatenus & exequenda intelligentes & intellecta exequentes, & inter adversa mundi inveniamini [N] indemnes, & beatorum spirituum efficiamini coheredes. Amen. Quod ipse præstare dignetur. N. 636.

Ad complendum.

Sacrificium, quod tuæ, Domine Deus, obtulimus pietati, nobis ad veniam nostrorum proficiat peccatorum, & tuæ miserationis semper tribuat solatium. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Super populum.

Benedictionem tuam, Domine, populus fidelis accipiat: qua corpore salvatus ac mente, & gratam tibi semper exhibeat servitutem, & propitiationis tuæ beneficia semper inveniat. Per Dominum nostrum.

Hebdomada XXII.

POST PENTECOSTEN.

DIrigat corda nostra, Domine, quæsumus, tuæ miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus. Per Dominum.

Super Oblata.

Deus, qui nos per hujus [N] sacrificii veneranda commercia, unius summæque divinitatis participes efficis, præsta, quæsumus: ut & tuam cognoscamus veritatem, & eam dignis mentibus ac moribus assequamur. Per Dominum nostrum. N. 617.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui propterea jure punis errantes, & clementer refoves

M ij

c In ed. deest *universa*, quod addidimus ex MS. & ex Benedictionali.

ves castigatos, ut nos a malis operibus abstrahas, & ad bona facienda convertas; Quia non vis invenire, quod damnes; sed esse potius quod corones. Qui cum pro nostris meritis jugiter mereamur affligi, ut tamen judicium ad correctionem temperas, non perpetuam exerces ad pœnam. Juste enim corrigis, & clementer ignoscis: in utroque verax, in utroque misericors. Qui nos ea lege disponis, ut coercendo in æternum perire non sinas, & parcendo spatium tribuas corrigendi. Qui ideo malis præsentibus nos flagellas, ut ad bona futura perducas: ideo bonis temporalibus consolaris, ut de sempiternis facias certiores. Quo te & in prosperis & in adversis pia semper confessione laudemus. Per Christum Dominum nostrum.

a Benedictio.

Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, & suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Ab omnibus vos perturbationibus liberet, & mentes vestras suæ pacis tranquillitate consolidet. Amen. Quatenus spei, fidei & caritatis gemmis ornati, & præsentem vitam transigatis illæsi, & ad æternam perveniatis securi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Gratias tibi referimus, Domine, sacro munere vegetati, tuam misericordiam deprecantes ut dignos nos ejus participatione perficias. Per Dominum.

Super populum.

Familiæ tuæ, quæsumus, Domine, esto protector: & misericordiam tuam concede poscenti, qua tibi semper fiat obediens, & tua dona percipiat. Per.

Hebdomada XXIII.

POST PENTECOSTEN.

Omnipotens & misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude: ut mente, & corpore pariter expediti, quæ tua sunt, liberis mentibus exequamur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, sic nos sacris muneribus tuam veniam promereri, ut nostros corrigamus excessus: sic fatentibus relaxa re delictum, ut coerceamus in suis pravitatibus obstinatos. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et clementiam tuam suppliciter exorare, ut Filius tuus Jesus Christus Dominus noster, qui se usque in finem seculi suis promisit fidelibus adfuturum, N & præsentiæ corporalis mysteriis non deserat quos redemit, & Majestatis suæ beneficiis non relinquat. Per quem, Majestatem.

N. 635.

Benedictio.

Benedictionis Domini gratia vos semper protegat, & ab omni malo defendat. Amen. Mundet

A vos ab omni crimine peccatorum, & sibimet placere faciat in æternum. Amen. Ubique vobis Dominus placatus occurrat, & suæ benedictionis opem dignanter attribuat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Tua nos, Domine, medicinalis operatio, & a nostris perversitatibus clementer expediat, & tuis faciat semper inhærere mandatis. Per.

Super populum.

B Familiam tuam, quæsumus, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio: ut ab omni pravitate defensa, donis cælestibus prosequatur. Per Dominum nostrum.

Hebdomada XXIV.

POST PENTECOSTEN.

Largire, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem: ut pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deserviant. Per.

Super Oblata.

C Cælestem nobis præbeant hæc mysteria, quæsumus, Domine, medicinam: & vitia nostri cordis expurgent. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut expulsis azymis vetustatis, illius agni cibo satiemur & poculo, qui & nostram imaginem reparavit, & suam nobis gratiam repromisit, Jesus D Christus filius tuus.

Benedictio.

Omnipotens Dominus adaperiat cor vestrum in lege sua, & humiliet animas vestras ad capienda mandata cælestia. Amen. Quidquid vobis pro salute animarum vestrarum os mortalitatis nostræ enarrat, acceptum vobis pietas divina efficiat. Amen. Ut divinis sermonibus animati cum eis qui pro vobis invigilant, ad æternam beatitudinem mereamini pervenire illæsi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

E Sacrificium salutis nostræ tibi offerentes, quæsumus, Domine Deus noster: ut concedas nobis purificatis mentibus semper tuæ pietatis celebrare mysterium. Per Dominum nostrum.

Super populum.

F Da salutem, Domine, quæsumus, populo tuo mentis & corporis, & perpetuis consolationibus tuorum reple corda fidelium: ut tua protectione relevati, & pia tibi devotione complaceant, & tua semper beneficia consequantur. Per Dominum nostrum.

* Heb-

a In Benedictionali est ultima.

a Hebdomada XXV.

POST PENTECOSTEN.

DEus, qui nos regendo conservas, parcendo justificas: & a temporali tribulatione nos eripe, & gaudia nobis æterna largire. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, propitiatus Hostias, quibus & te placari voluisti, & nobis salutem potenti pietate restitui. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Per quem sanctum & benedictum nomen Majestatis tuæ ubique veneratur, adoratur, prædicatur, & colitur; Qui est origo salutis, via virtutis, & tuæ propitiatio pietatis. Per quem.

N. 139. » N Req. Ben.

Ad complendum.

Immortalitatis alimoniam consecuti, quæsumus, Domine: ut quod ore percepimus, mente sectemur. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut a cunctis adversitatibus te protegente sit libera, & in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dominum.

Hebdomada XXVI.

POST PENTECOSTEN.

DEus, refugium nostrum & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis: & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per.

Super Oblata.

Da, misericors Deus, ut hæc salutaris oblatio & a propriis nos reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tibi debitas laudes pio honore deferre, & mirabilium tuorum inenarrabilia præconia devotæ mentis veneratione celebrare. Teque ineffabilem atque invisibilem Deum laudare, benedicere, adorare. Per Christum Dominum nostrum.

» Req. Ben.

Ad complendum.

Cælesti lumine, quæsumus, Domine, semper & ubique nos præveni: ut mysterium, cujus nos

A participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus affectu. Per.

Super populum.

Protector in te sperantium, Deus, salva populum tuum: ut a peccatis liber, & ab hoste securus, in tua semper gratia perseveret. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Hebdomada XXVII.

POST PENTECOSTEN.

B EXcita, Domine, quæsumus, tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia majora percipiant. Per Dominum.

Super Oblata.

Propitius esto, Domine, supplicationibus nostris; & populi tui oblationibus, precibusque susceptis, omnium nostrum ad te corda converte: ut a terrenis cupiditatibus liberi, ad cælestia desideria transeamus. Per.

Præfatio.

C Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cujus est operis, quod conditi sumus; muneris, quod vivimus; pietatis, quod tua erga nos dona cognoscimus. Quamvis enim natura nostra peccati viriata sit vulnere, a terrenis tamen ad cælestia provehitur tuo inenarrabili munere. Per Christum.

» Req. Ben.

Ad complendum.

D Concede nobis, Domine, quæsumus, ut quidquid in nostra mente vitiosum est, sacramenti quod sumsimus medicatione curetur. Per.

Super populum.

Excita, Domine, tuorum corda fidelium: ut sacris intenta doctrinis, & intelligant quod sequantur, & sequendo fideliter apprehendant. Per Dominum nostrum.

N b *Hebdomada V.* N. 640. b

ANTE NAT. DOMINI.

E N EXcita, Domine, potentiam tuam, & veni: & quod Ecclesiæ tuæ promisisti, usque in finem seculi clementer operare. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia. N. 641.

Super Oblata.

Sacrificium tibi, Domine, celebrandum placatus intende, quod & nos a vitiis nostræ conditionis emundet, & tuo nomini reddat acceptos. Per.

Præfatio.

F Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus:

M iij per

a In Calend. assignantur tantum Dominicæ 24. post Pentecost. In Gemet. 23. post octavas Pentecost. In primo Theod. 25. post Pentecost. in altero 26.

b In Kalendario Rom. quatuor tantum Hebdomadæ assignantur ante natale Domini, & totidem in ms. Calend. Plures invenio in Gemet. & Theod.

N. 642. per Christum Dominum nostrum: Cujus N primi adventus mysterium, ita nos facias dignis laudibus & officiis celebrare, præsentemque vitam inculpabilem ducere, ut secundum valeamus interriti expectare. Per quem Majestatem. A

Benedictio.

Concedat vobis Dominus præmium sinceræ caritatis, ut cum omnibus semper in pace vivatis. Amen. Inimicorum omnium insidias superetis, & præsentem vitam sincerissime peragatis. Amen. Sitis etiam a reatu conscientiæ liberi, ut nihil metuatis in die judicii postfuturi. Quod ipse. B

Ad complendum.

Animæ nostræ, quæsumus, omnipotens Deus, hoc potiantur desiderio, ut a tuo Spiritu inflammentur: ut sicut lampades divino munere satiati, ante conspectum venientis Christi filii tui velut clara lumina fulgeamus. Per eumdem.

Super populum.

Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi: ut qui de adventu Unigeniti filii tui secundum carnem lætantur, in secundo, cum C venerit in Majestate sua, præmium æternæ vitæ percipiant. Per.

Hebdomada IV.

ANTE NAT. DOMINI.

EXcita, quæsumus, Domine, potentiam tuam & veni: ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante, salvari. Qui vivis & regnas.

Super Oblata.

Intende, quæsumus, Domine, sacrificium singulare: ut hujus participatione mysterii, quæ D speranda credimus, expectata sumamus. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus:
N. 646. N Cui proprium est & singulare quod bonus es, & nulla umquam a te es commutatione diversus: propitiare, quæsumus, supplicationibus nostris, E & Ecclesiæ tuæ misericordiam tuam quam deprecatur, ostende; manifestans plebi tuæ, Unigeniti tui & incarnationis mysterium, adventus admirabile sacramentum: ut in universitate
N. 644. nationum N constet esse perfectum, N quod Va-
N. 303. tum oraculis fuit ante promissum: N percipiant-
N. 648. que dignitatem adoptionis, quos exornat confessio veritatis. Per quem.

Benedictio.

Omnipotens Deus, cujus Unigeniti adventum, & præteritum creditis, & futurum expectatis, ejusdem adventus vos illustratione sanctificet, & F sua benedictione locupletet. Amen. In præsentis vitæ stadio vos ab omni adversitate defendat, & se vobis in judicio placabilem ostendat. Amen. Quo a cunctis contagiis peccatorum liberati, illius tremendi examinis diem expectetis interriti. Amen. Quod ipse.

Ad complendum.

Suscipiamus, Domine, misericordiam tuam in medio templi tui: & reparationis nostræ ventura solemnia congruis honoribus præcedamus. Per.

Super populum.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo Spiritum veritatis & pacis: ut & te per adventum Unigeniti tui tota mente cognoscat, & quæ tibi sunt placita, toto corde sectetur. Per eumdem Dominum nostrum.

Hebdomada III.

ANTE NAT. DOMINI.

EXcita, Domine, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui tecum vivit & regnat Deus.

Super Oblata.

Placare, Domine, quæsumus, humilitatis nostræ precibus & Hostiis: & ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuæ nobis indulgentiæ succurre præsidiis. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: N. 647.
Qui N tuo inenarrabili munere præstitisti, ut natura humana ad similitudinem tui condita, dissimilis per peccatum & mortem effecta, nequaquam in æterna damnatione periret: sed unde peccatum mortem contraxerat, inde vitam tua pietas immensa repararet: & N antiquæ Virginis facinus, N. 641.
nova & intemerata Virgo Maria piaret: Quæ ab Angelo salutata, ab Spiritu sancto obumbrata, illum gignere meruit, qui cuncta nasci suo nutu concessit: quæ mirabatur & corporis integritatem, & conceptus fecunditatem: gaudebatque suum paritura parentem, Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem.

Benedictio.

N Deus cujus adventus incarnationis præteritus creditur, & judicii venturus expectatur, vos, N. 645.
antequam veniat, expiet ab omni contagione delicti. Amen. Prius in vobis diluat omne quod illa futura examinatione puniturus est; ut cum justus advenerit judex, non in vobis inveniat quod condemnet. Amen. Quo veniente non incurratis supplicium æternum, sed remuneremini donariis sempiternis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Repleti cibo spiritalis alimoniæ, supplices te, Domine, deprecamur: ut hujus participatione mysterii, doceas nos terrena despicere, & amare cælestia. Per Dominum nostrum.

Super populum.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, cunctæ familiæ tuæ hanc voluntatem, Christo filio tuo Domino nostro venienti, in operibus justis aptos occurrere: ut ejus dexteræ sociati, regnum mereantur possidere cæleste. Per eumdem Dominum nostrum.

Heb-

ANTE NAT. DOMINI.

AUrem tuam, quæsumus, Domine precibus nostris accommoda, & mentis nostræ tenebras gratia tuę visitationis illustra. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Devotionis nostrę tibi, quęsumus, Domine, Hostia jugiter immoletur, quę & sacri peragat instituta mysterii, & salutare tuum nobis mirabiliter operetur. Per eumdem Dominum nostrum. B

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cujus incarnatione salus facta est mundi, & passione redemtio procurata est hominis procreati: ipse nos, quęsumus, ad ęternum perducat pręmium, qui redemit de tenebris infernorum, justificetque in adventu secundo, qui nos redemit in primo, Quatenus illius nos a malis omnibus defendat sublimitas, cujus nos ad vitam erexit humilitas. Per quem Majestatem tuam. C

Benedictio.

Omnipotens Deus vos placato vultu respiciat, & in vos donum suæ benedictionis infundat. Amen. Et qui hos dies incarnatione Unigeniti sui fecit solemnes, a cunctis præsentis & futuræ vitæ adversitatibus reddat indemnes. Amen. Ut qui de adventu Redemtoris nostri secundum carnem devota mente lætamini, in secundo, cum in majestate venerit, præmiis æternæ vitæ ditemini. Amen. Quod ipse præstare dignetur. D

Ad complendum.

Imploramus, Domine, clementiam tuam: ut hæc divina subsidia a vitiis expiatos, ad festa ventura nos præparent. Per.

MENSIS X. [a] FERIA IV.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut redemtionis nostræ ventura solemnitas, & præsentis nobis vitæ subsidia conferat, & æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dominum. E

Alia.

Festina, quæsumus, Domine, ne tardaveris, & auxilium nobis supernæ virtutis impende: ut adventus tui consolationibus sublevemur, qui in tua pietate confidunt. Qui vivis & regnas.

Super Oblata.

Grata tibi sint, Domine, munera; quibus mysteria celebrantur nostræ libertatis & vitæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum. F

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui ab antiquis Patribus expectatus, ab Angelo nuntiatus, a Virgine conceptus, in fine seculorum hominibus est præsentatus. Qui appropinquante Nativitatis suæ Festo, ita, quæsumus, sit nobis placatus, qualiter tecum, & cum Spiritu sancto ad nos veniat nobiscum perpetim permansurus. Per quem.

Ad complendum.

Conservent nos, quæsumus, Domine, munera tua: & per adventum Unigeniti tui tribuant nobis vitam æternam. Qui tecum.

Super populum.

Gratiæ tuæ, quæsumus, Domine, supplicibus tuis tribue largitatem: ut mandata tua, te opitulante, sectantes, consolationem præsentis vitæ percipiant & futuræ. Per Dominum.

[b] *Feria VI.*

EXcita, quæsumus Domine, potentiam tuam & veni: ut hi qui in tua pietate confidunt, ab omni citius adversitate liberentur. Qui vivis & regnas.

Super Oblata.

Præsta, Domine, quæsumus, ut dicato muneri congruentem nostræ devotionis offeramus effectum. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui sanctificator & institutor es abstinentiæ, cujus nullus finis, nullusque est numerus, effunde, quęsumus, super nos, in diebus jejuniorum nostrorum, Spiritum gratiæ salutaris, & ab omnibus nos perturbationibus seculi hujus, tua defensione conserva: ut qui Unigeniti tui celebramus adventum, continuum ejus sentiamus auxilium. Per quem Majestatem tuam.

Ad complendum.

Prosint nobis, Domine, sumta mysteria: pariterque nos & a peccatis exuant, & præsidiis tuę propitiationis attollant. Per Dominum nostrum.

[c] *Sabbato in XII. Lect. Mensis X.*

DEus, qui conspicis quia ex nostra pravitate affligimur, concede propitius, ut ex tua visitatione consolemur. Per.

Alia.

Concede, quęsumus, omnipotens Deus, ut quia sub peccati jugo ex vetusta servitute deprimimur, expectata Unigeniti Filii tui nova nativitate liberemur. Qui tecum vivit & regnat Deus.

Alia.

[a] In Kalend. Rom. statio est, *ad S. Mariam.* Evangelium, *Missus est*, ut etiam hodie legitur. Eadem est statio in Calensi.
[b] Ex eodem Kalendario & cod. Calen. statio fit, *ad Apostolos*. Hujus teriæ Evangel. assignatur, *Exurgens Maria abiit in mont.*

[c] In Kalend. Rom. statio indicitur, *ad S. Petrum*. Præscribitur legendum Evang. *Anno xv. Imperii Tiberii.* Hom. 20. S. Greg. in hanc Evangelii lectionem dicitur habita in Basilica S. Joh. Bapt. In Cal. post hoc Sabb. legitur, *Domum vocem.*

Alia.

Indignos nos, quæsumus, Domine, famulos tuos, quos actionis propriæ culpa contristat, Unigeniti Filii tui adventu lætifica. Qui tecum.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Filii tui ventura solemnitas, & præsentis nobis vitæ remedia conferat, & præmia æterna concedat. Per eumdem.

Alia.

Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pietatis tuæ visitatione consolemur. Per Dominum.

N. 430. N *Alia Ad Missam.*

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius: ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Ecclesiæ tuæ, Domine, munera sanctifica: & concede, ut per hæc veneranda mysteria, pane cælesti refici mereamur. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui non solum peccata dimittis, sed ipsos etiam justificas peccatores, & reis non tantum peccata relaxas, sed dona largiris & præmia: Cujus nos pietatem supplices exoramus, ut qui jejuniis & votis solemnibus nativitatem Unigeniti tui prævenimus, illius dono & præsentis vitæ perturbationibus careamus, & æterna munera capiamus. Per quem Majestatem tuam.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per.

N. 431. N *Dominica I.*

ANTE NAT. DOMINI.

EXcita, Domine, potentiam tuam & veni, & magna nobis virtute succurre: ut per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui vivis & regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, Deus. Per omnia.

Super Oblata.

Hæc tibi, Domine, oblata benignus sanctificanda assume libamina: ut eorum perceptione expiemur a crimine, & adventus Filii tui gloriam mereamur interriti præstolari. Per eumdem Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Quem Johannes præcessit nascendo, & in desertis eremi prædicando & in fluentis Jordanis baptizando, & ad inferna descendendo: Cujus venerandæ nativitatis proxime ventura solemnitas ita nos, quæsumus tibi placitos reddat, ut eum fructu bonorum operum ad regna cælestia introducat, ut parando in cordibus nostris viam Domino, fructusque dignos pœnitentiæ faciendo, per prædicationem Johannis obtemperemus monitis nostri Salvatoris. Sicque perveniamus per Filium Sterilis, ad Filium Virginis: per Johannem hominem magnum, ad eumdem Dominum nostrum hominem Deum: qui sicut venit ad nos redimendum occultus, ita justificet, cum ad judicandum venerit manifestus. Per quem.

Benedictio.

Deus, qui vos & prioris adventus gratia reparavit, & in secundo daturum se vobis regnum cum sanctis Angelis repromisit, adventus sui vos illustratione sanctificet. Amen. Vincula vestra dissolvat, antequam veniat, ut liberati a vinculis peccatorum, interriti tremendum ejus expectetis adventum. Amen. Et quem venisse in terris pro vestra salute creditis, venturumque ad judicium sustinetis, ejus adventus gloriam impavidi mereamini contueri. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum.

Tribue nobis, Domine, cælestis mensæ virtute satiatis, & desiderare quæ recta sunt, & desiderata percipere. Per.

Super populum.

Adjuva, Domine, fragilitatem plebis tuæ: ut ad votivum magnæ festivitatis effectum, & corporaliter gubernata recurrat, & ad perpetuam gratiam devota mente perveniat. Per.

N [a] *Orationes de adventu Domini quotidianis diebus.* N. 432. a

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut magnæ festivitatis ventura solemnia prospero celebremus effectu: pariterque reddamur & intenti cælestibus disciplinis, & de nostris temporibus lætiores. Per.

Alia.

Conscientias nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica: ut veniens Jesus Christus filius tuus Dominus noster, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum.

Alia.

Prope esto, Domine, omnibus expectantibus te in veritate: ut in adventu Filii tui Domini nostri placitis tibi actibus præsentemur. Per eumdem Dominum nostrum.

Alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, hanc gratiam plebi tuæ, adventum Unigeniti tui cum sum-

a In edit. Vatic. & Gussanvil. *manca*.

summa vigilantia expectare: ut, sicut ipse auctor nostræ salutis docuit, velut fulgentes lampadas, in ejus occursum nostras animas præparemus. Per.

Alia.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, lumine tuæ visitationis illustra: ut esse, te largiente, mereamur & inter prospera humiles, & inter adversa securi. Per Dominum.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut Filii tui ventura solemnitas, & præsentis vitæ nobis remedia conferat, & præmia æterna concedat. Qui tecum vivit, & regnat Deus.

Alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut quia sub peccati jugo ex vetusta servitute deprimimur, expectata Unigeniti Filii tui nova nativitate liberemur. Qui tecum.

Alia.

Quæsumus, omnipotens Deus, preces nostras respice, & tuæ super nos viscera pietatis impende: ut qui ex nostra culpa affligimur, Salvatore nostro adveniente, respiremus. Qui tecum vivit.

Alia.

Voci nostræ, quæsumus, Domine, aures tuæ pietatis accommoda, & cordis nostri tenebras lumine tuæ visitationis illustra. Qui vivis.

Alia.

Porrige nobis, Domine, dexteram tuæ venerationis, & veni: & peccata nostra propitiatus absolve. Qui vivis & regnas.

Alia.

Festinantes, omnipotens Deus, in occursum Filii tui Domini nostri, nulla impediant opera actus terreni sed cælestis: Sapientiæ eruditio faciat nos ejus esse consortes. Qui tecum.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus; ut quia pro peccatis nostris meremur affligi, per adventum Filii tui a cunctis adversitatibus liberemur. Per.

Alia.

Deus, qui nostra nos conspicis semper infirmitate destitui, adventus Filii tui nos visitatione custodi. Qui tecum vivit & regnat.

Alia.

Adesto, quæsumus, omnipotens Deus; atque in cunctis actionibus nostris, & adspirando nos præveni, & adjuvando custodi. Qui vivis.

Alia.

Præveniat nos, quæsumus, omnipotens Deus, tua gratia semper, & subsequatur: ut per adventum Unigeniti tui, quem summo cordis desiderio

A sustinemus, & præsentis vitæ subsidia & futuræ etiam consequamur. Qui tecum vivit & regnat. Deus.

Alia.

Deus, qui conspicis, quia in tua pietate confidimus: concede propitius, ut per adventum Unigeniti tui, de cælesti semper protectione gaudeamus. Qui tecum vivit, & regnat Deus.

Alia.

Subveniat nobis, Domine, misericordia tua; ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis,

B te mereamur veniente salvari. Qui vivis & regnas.

Alia.

Excita, Domine, potentiam tuam, & veni; ut tua propitiatione salvemur. Qui vivis.

Alia.

Festina, ne tardaveris, Domine Deus noster, & a diabolico furore nos potenter libera. Qui vivis.

Alia.

C Exultemus, quæsumus, Domine Deus noster, omnes recti corde in unitate fidei congregati: ut veniente Salvatore nostro Filio tuo, immaculati occurramus illi in ejus Sanctorum comitatu. Qui tecum.

Alia.

Fac nos, quæsumus, Domine, mala nostra toto corde respuere: ut veniente Filio tuo Domino nostro, bona ejus capere valeamus. Qui tecum vivit.

Alia.

D Præcinge, quæsumus, Domine Deus noster, lumbos mentis nostræ divina tua virtute potenter: ut veniente Domino nostro Jesu Christo Filio tuo, digni inveniamur æternæ vitæ convivio, & vota cælestium dignitatum ab ipso percipere mereamur. Qui tecum vivit & regnat.

Alia.

Fac nos, quæsumus, Domine Deus noster, pervigiles atque sollicitos adventum expectare Christi Filii tui Domini nostri: ut dum venerit pulsans, non dormientes peccatis, sed vigilantes,

E & in suis inveniat laudibus exultantes. Qui tecum vivit & regnat Deus.

[a] *Incipiunt* N *Orationes pro peccatis.* N 65. a

SUccurre, quæsumus, Domine, populo supplicanti, & opem tuam tribue benignus infirmis: ut sincera tibi mente devoti, & præsentis vitæ remediis gaudeant, & futuræ. Per Dominum.

Alia.

Deus, qui juste irasceris, & clementer ignoscis, afflicti populi lacrymas respice; & iram tuæ indignationis, quam juste meremur, propitiatus

F averte. Per Dominum.

Alia.

a In edit. Pamel. sunt etiam orationes multæ pro peccatis, sed a nostris prorsus discrepantes, paucis exceptis. Ett vero codex Reg. S. Pam. editis plerumque assimiatur, non paucæ tamen sunt in quibus variæ sunt diversæque lectiones. Sic in orat. 6. pag. 373. ubi legitur: *liberis tibi mentibus serviamus*, legendum ex cod. mf. *de tuis semper beneficiis gloriemur*. Orat. 8. eadem pag. ubi ed. habet *diurnis calamis*, melius legitur in mf. *diuturnis cal.* Pag. 374. l. 28. *ut de morito gaudium tua misericordia*, &c. ubi ex cod. laudato restituendum, *ut de mœrore gaudium* &c. Hæc pauca observavimus, ut palam fieret, in edit. Pamel. ex codice Reg. S. cujus penes nos variantes lectiones habemus, multa posse corrigi. In mf. Cal. hoc quoque loco exhibentur orationes, *pro peccatis*, *matutinales*, *quotidianæ* &c. necnon in aliis mff. nostris.

Alia.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nostris fatigamur offensis, & merito nostræ iniquitatis affligimur, pietatis tuæ gratiam consequi mereamur. Per.

Alia.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: & quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per Dominum nostrum.

Alia.

Da nobis, quæsumus, Domine, de tribulatione lætitiam: ut, qui diu pro nostris peccatis affligimur, intercedente beato *Ill.* martyre tuo, in tua misericordia respiremus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia.

Clamantium ad te, quæsumus, Domine, preces dignanter exaudi: ut sicut Ninivitis in afflictione positis pepercisti; ita & nobis in præsenti tribulatione succurras. Per.

Alia.

Tribulationem nostram, quæsumus, Domine, propitius respice, & iram tuæ indignationis, quam juste meremur propitiatus averte. Per Dominum.

Alia.

Deus, qui peccantium animas non vis perire, sed culpas: contine, quam meremur, iram, & quam precamur, super nos effunde clementiam; ut de mœrore gaudium tuæ misericordiæ consequi mereamur. Per.

Alia.

Quæsumus, omnipotens Deus, afflicti populi lacrymas respice, & iram tuæ indignationis averte: ut qui reatum nostræ infirmitatis agnoscimus, tua consolatione liberemur. Per.

Alia.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi supplicantis propitius respice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Dominum.

Alia.

Parce, Domine, parce populo tuo; ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia.

Deus, refugium pauperum, spes humilium, salusque miserorum, supplicationes populi tui clementer exaudi: ut quos justitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat consolatos. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui

A offensam nostram per flagella cognoscimus, tuæ consolationis gratiam sentiamus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Ne despicias, omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam nominis tui tribulatis succurre placatus. Per.

Alia.

Exaudi, Domine, gemitum populi tui: nec plus apud te valeat offensio delinquentium, quam
B misericordia tua indulta fletibus supplicantium. Per Dominum nostrum.

Alia.

Omnipotens Deus, misericordiam tuam nobis placatus impende: ut qui te contemnendo, culpam incurrimus, confitendo veniam consequamur. Per.

Alia.

Moveat pietatem tuam, quæsumus, Domine, subjectæ tibi plebis affectus; & misericordiam
C tuam supplicatio fidelis obtineat. Per.

Alia.

Averte, quæsumus, Domine, iram tuam propitiatus a nobis; & facinora nostra, quibus indignationem tuam provocamus, expelle. Per Dominum.

Alia.

Memor esto, quæsumus, Domine, fragilitatis humanæ; & qui juste verberas peccatores, parce propitiatus afflictis. Per.

Alia.

D Aures tuæ pietatis, quæsumus, Domine, precibus nostris inclina: ut qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur, miserationis tuæ gratia liberemur. Per.

N [a] *Incipiunt Orationes Quotidianæ.* N. 614. a

VOx clamantis Ecclesiæ ad aures, Domine, quæsumus, tuæ pietatis ascendat: ut percepta venia peccatorum, te fiat operante devota, te protegente, secura. Per Dominum nostrum.

Alia.

E Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & exorabilis tuis esto supplicibus: ut concessa venia, quam precamur, perpetuo misericordiæ tuæ munere gloriemur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Nostris, Domine, quæsumus, propitiare temporibus: ut tuo munere dirigatur, & Romana securitas, & devotio Christiana. Per Dominum nostrum.

Alia.

F Dies nostros, quæsumus, Domine, placatus intende; pariterque nos & a peccatis absolve propitius, & a cunctis eripe benignus adversis. Per.

Alia.

[a] In ed. Pamel. *orationes quotidianis diebus*. At in cod. Reg. S. titulus est idem ac in ed. Menard licet in ceteris fere cum ed. Pam. consentiat. Ex eo tamen multa quæ hac in edit. deficiunt, restitui possunt. Sic pag. 376. lin. antepenult. legitur: *& cui sperandi pietatis indulges*. At supplendum ex ms. *cui fiduciam sp. pict.* In edit. Angeli Roccæ, quæ Vaticanis typis excusa est, ac sæpe alibi recusa, novissime vero cura Petri Gussanv. hæc longa orationum quotidianarum, Vespertinalium, Matutinalium &c. series reperitur, paucis dumtaxat exceptis.

A

Alia.

Quæsumus, omnipotens Deus, ne nos tua misericordia derelinquat, quæ & errores nostros semper amoveat, & noxia cuncta depellat. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut inter innumeros vitæ præsentis errores, tuo semper moderamine dirigamur. Per Dominum nostrum.

Alia.

B Perpetua, quæsumus, Domine, pace custodi, quos in te sperare donasti. Per Dominum nostrum.

Alia.

Adesto nobis, misericors Deus, & tuæ pietatis nobis propitius dona concede. Per.

Alia.

Rege nostras, Domine, propitius voluntates: ut nec propriis iniquitatibus implicentur, nec subdantur alienis. Per Dominum nostrum.

Alia.

C Comprime, Domine, quæsumus, noxios semper incursus: & salutarem temporibus nostris propitius da quietem. Per.

Alia.

Ab omnibus nos defende, quæsumus, Domine, semper adversis: & continuis tuere præsidiis. Per Dominum.

Alia.

D Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Fac nos, quæsumus, Domine Deus noster, in tua devotione gaudere: quia perpetua est, & plena felicitas, si bonorum omnium serviamus Auctori. Per.

Alia.

E Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper & devotam gerere voluntatem, & Majestati tuæ sincero corde servire. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus, a quo cuncta bona procedunt, largire supplicibus: ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante, eadem faciamus. Per.

Alia.

Vox nostra, te Domine, semper deprecetur, & ad aures tuæ pietatis ascendat. Per Dominum.

Alia.

F Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut liberis tibi mentibus serviamus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Ut tuam, Domine, misericordiam consequamur, fac nos tibi toto corde esse devotos. Per.

Alia.

Suscipe, Domine, preces nostras, & clamantium ad te pia corda propitius intende. Per.

Alia.

Cunctas, Domine, semper a nobis iniquitates repelle: ut ad viam salutis æternæ secura mente curramus. Per Dominnm nostrum.

Alia.

Redemtor noster, aspice, Deus: & tibi nos jugiter servire concede. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus, cæli terræque dominator, auxilium nobis tuæ defensionis benignus impende. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, misericors Deus, ut tibi placita mente serviamus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Purificet nos indulgentia tua, Deus, & ab omni semper iniquitate custodiat. Per.

Alia.

Adesto nobis, misericors Deus, & tua circa nos propitiatus dona custodi. Per.

Alia.

A cunctis iniquitatibus nostris exue nos, Domine, & in tua fac pace gaudere. Per.

Alia.

Vincula, Domine, quæsumus, humanæ pravitatis abrumpe: ut ad confitendum nomen tuum libera mente curramus. Per.

Alia.

Tua nos, Domine, quæsumus, gratia benedicat, & ad vitam perducat æternam. Per Dominum nostrum.

Alia.

Vide, Domine, infirmitates nostras, & celeri nobis pietate succurre. Per Dominum nostrum.

Alia.

Fac nos, Domine, quæsumus, mala nostra toto corde respuere: ut bona tua capere valeamus. Per.

Alia.

Esto nobis propitius, Deus: ut tua nos misericordia subsequatur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Præveniat nos, quæsumus, Domine, misericordia tua: & voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per.

Alia.

Celeri nobis, quæsumus, Domine, pietate succurre: ut devotio supplicantium ad gratiarum transeat actionem. Per.

Alia.

Delicta nostra, Domine, quibus adversa domi-

nantur, absterge: & tua nos ubique miseratione A custodi. Per.

Alia.

Absolve, Domine, quæsumus, nostrorum vincula peccatorum: & quidquid pro eis meremur, averte. Per.

Alia.

Ascendant ad te, Domine, preces nostræ: & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per.

Alia.

Clamantes ad te, meus, dignanter exaudi: ut nos de profundo iniquitatis eripias, & ad gaudia æterna perducas. Per.

Alia.

Concede nobis, quæsumus, Domine, veniam delictorum: & eos qui te impugnare moliuntur, expugna. Per.

Alia.

Tua nos, Domine, quæsumus, gratia semper & præveniat, & sequatur: ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. Per.

Alia.

Respice nos, misericors Deus, & nomini tuo perfice veraciter obsequentes. Per.

Alia.

Tuere nos, superne moderator, & fragilitatem nostram tuis defende præsidiis. Per.

Alia.

Ut a nostris excessibus, Domine, temperemus, tua nos præcepta concede jugiter operari. Per.

Alia.

Aufer a nobis, quæsumus, nostras, Domine, pravitates: ut non indignationem tuam, sed indulgentiam sentiamus. Per.

Alia.

Ut cunctis nos, Domine, foveas adjumentis, tuis apta propitius disciplinis. Per.

Alia.

Oculi nostri ad te, Domine, semper intendant: ut auxilium tuum, & misericordiam sentiamus. Per.

Alia.

Peccata nostra, quæsumus, Domine, memor humanæ conditionis absolve: & quidquid eorum retributione meremur, averte. Per.

Alia.

Porrige nobis, Deus, dexteram tuam, & auxilium nobis supernæ virtutis. Per.

Alia.

Exaudi nos, Domine Deus noster: & Ecclesiam tuam inter mundi turbines fluctuantem, clementi gubernatione moderare. Per.

Alia.

Intende, Domine, quæsumus, supplices tuos, & pariter nobis indulgentiam tribue benignus & gaudium. Per.

Alia.

Respice nos, omnipotens, & misericors Deus, & ab omnibus tribulationibus propitiatus absolve. Per.

Alia.

Iniquitates nostras ne respicias, Deus, sed sola B nobis misericordia tua prosit indignis. Per.

Alia.

Fac nos, momine Deus noster, tuis obedire mandatis: quia tunc nobis prospera cuncta provenient, si te totius vitæ sequamur auctorem. Per.

[a] *Orationes* N *aliæ vespertinales.* N. 611. a

OMnipotens sempiterne Deus, vespere, & mane, & meridie Majestatem tuam suppliciter deprecamur: ut expulsis de cordibus nostris pec- C catorum tenebris, ad veram lucem, quæ Christus est, nos facias pervenire. Per.

Alia.

Vespertinæ laudis officia persolventes, clementiam tuam, Domine, humili prece deposcimus: ut nocturni insidiatoris fraudes, te protegente, vincamus. Per.

Alia.

Propitiare, Domine, vespertinis supplicationibus nostris: & fac nos sine ullo reatu matutinis D tibi laudibus præsentari. Per.

Alia.

Exaudi, Domine, famulos tuos vespertina nomini tuo vota reddentes: & quos per singula diei momenta servasti, per noctis quietem custodire dignare. Per.

N *Orationes ad Crucem.* N. 256.

QUæsumus, Domine Deus noster: ut per vexillum sanctæ Crucis Filii tui, ad conterendas adversariorum insidias, nos in tuæ prote- E ctionis securitate constituas. Per eumdem.

Alia.

Supplices clementiam tuam quæsumus, omnipotens Deus: ut ab hoste maligno defendas, quos per lignum Sanctæ Crucis Filii tui, arma justitiæ, pro salute mundi triumphare jussisti. Per eumdem Dominum.

Alia.

Deus, qui pro nobis Filium tuum Crucis pati- F bulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, ut antiqui hostis insidias tanti virtute mysterii superantes, sincerissima tibi perpetuo mente famulemur. Per eumdem Dominum.

Alia.

a In edit. Pamel. præcedunt orat. Matutinales, & quidem longe plures quam hic, penitusque diversæ. In vet. Sacram. Gall. leguntur tantum duæ ex his orationibus, sc. prima, *Omnipotens* &c. & 4 *Propitiare* &c.

Alia.

Deus, cujus Filius per trophæum Crucis, mundum redimere dignatus est, concede propitius: ut qui de redemtione lætamur, æternis gaudiis perfrui mereamur. Per eumdem Dominum.

Alia.

Deus, qui per sanguinem Crucis Domini nostri Jesu Christi Filii tui dedisti pacem hominibus, & cælestium collegium Angelorum: da nobis & tuæ pacis ubertate repleri, & Angelicæ societatis unitate lætari. Per eumdem Dominum.

N. 657. *N Orationes ad Completorium.*

ORiatur in nobis, Domine, nascentibus tenebris, aurora justitiæ: ut peracto die, tibi suppliciter gratias agentes, etiam mane dignanter respicias vota solventes. Per.

Alia.

Gratias tibi agimus, Domine, custoditi per diem, grates tibi exolvimus custodiendi per noctem: repræsenta nos, quæsumus, Domine, matutinis horis incolumes, ut nos omni tempore habeas laudatores. Per Dominum nostrum.

Alia.

Illumina, quæsumus, Domine, tenebras nostras, & totius noctis insidias tu repelle propitius. Per.

Alia.

Quæsumus, Domine Deus noster, diei molestias, noctis quiete sustenta: ut necessaria temporum vicissitudine succedente, nostra reficiatur infirmitas. Per.

Alia.

Adesto, Domine, precibus nostris, & die noctuque nos protege: ut quibuslibet alternstionibus temporum, tua semper incommutabilitate firmemur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus, qui illuminas noctem, & lucem post tenebras facis: concede nobis ut hanc noctem sine impedimento Satanæ transesmus, atque matutinis horis ad altare tuum recurrentes, tibi Deo gratias referamus. Per.

Alia.

Tuus est dies, Domine, & tua est nox, concede nobis ut hanc noctem &c. *ut in superiori.*

Alia.

Tuus est dies, Domine, & tua est nox: concede solem justitiæ permanere in cordibus nostris, ad repellendas tenebras cogitationum iniquarum. Per.

N. 658. *N Incipiunt Orationes Matutinales.*

ILlumina, Domine, quæsumus, in te corda credentium: ut tuo semper munimine, & tuo auxilio protegamur. Per.

Alia.

Tua nos, Domine, veritas semper illuminet, & ab omni pravitate defendat. Per Dominum.

Alia.

Salva nos, omnipotens Deus, & lucem nobis concede perpetuam. Per Dominum nostrum.

Alia.

Exaudi nos, misericors Deus, & mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende. Per.

Alia.

Matutina supplicum vota, Domine, propitius intuere, & occulta cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis: ut desideria tenebrosa non teneant, quos lux cælestis gratiæ reparavit. Per.

Alia.

Emitte, quæsumus, Domine, lucem tuam cordibus nostris: ut mandatorum tuorum lege percepta, in via tua ambulantes, nihil patiamur erroris. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, apud quem nihil obscurum est, nihil tenebrosum, emitte lucem tuam cordibus nostris, &c. *ut in superiori.*

Alia.

Deus, qui vigilantes in laudibus tuis cælesti mercede remuneras, tenebras de cordibus nostris auferre digneris: ut splendore luminis tui semper gaudeamus. Per.

Alia.

Exurgentes de cubilibus nostris, auxilium gratiæ tuæ matutinis, Domine, precibus imploramus: ut discussis tenebris vitiorum, ambulare mereamur in luce virtutum. Per.

Alia.

Te lucem veram, & lucis Auctorem, Domine, deprecamur: ut digneris a nobis tenebras depellere vitiorum, & clarificare nos luce virtutum. Per.

Alia.

Auge in nobis, Domine, quæsumus, fidem tuam, & Spiritus sancti lucem in nobis semper accende. Per.

Alia.

Deus, qui tenebras ignorantiæ verbi tui luce depellis, auge in cordibus nostris virtutem fidei, quam dedisti: ut ignis, quem gratia tua fecit accendi, nullis tentationibus possit extingui. Per.

Alia.

Auribus percipe, Domine, quæsumus, verba oris nostri, clamoremque matutinum pius scrutator intellige: ut orandi ad te nobis sit fida devotio, tuaque donetur nobis diluculo contemplatio, & peccatorum omnium exoptata remissio. Per.

Alia.

Veritas tua, quæsumus, Domine, luceat in cordibus nostris, & omnis falsitas inimici destruatur. Per Dominum nostrum.

Alia.

Sensibus nostris, quæsumus, Domine, lumen sanctum tuum benignus infunde: ut tibi semper

simus devoti, cujus sapientia creati sumus, & pro- A videntia gubernamur. Per.

N. 459. *Item N ad Matutinos, lucescente die.*

DEus, qui diem discerois a nocte, actus nostros a tenebrarum distingue caligine: ut semper quæ sancta sunt meditantes, in tua jugiter luce vivamus. Per Dominum nostrum.

Alia.

Gratias tibi agimus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos de transacto noctis spatio ad matutinas horas perducere dignatus es: B quæsumus, ut dones nobis diem hunc sine peccato transire; quatenus ad vesperum, & semper tibi Deo gratias referamus. Per.

Alia.

Gratias agimus inenarrabili pietati tuæ, omnipotens Deus, qui nos depulsa noctis caligine ad diei hujus principium perduxisti, & abjecta ignorantiæ cæcitate, ad cultum tui nominis atque scientiam revocasti: illabere sensibus nostris, omnipotens Pater; ut in præceptorum tuorum lumine gradientes, te ducem sequamur & principem. Per. C

Alia.

Deus, qui nos ad principium hujus diei pervenire fecisti, da nobis hunc diem sine peccato transire: ut in nullo a tuis semitis declinemus; sed ad tuam justitiam faciendam nostra semper procedant eloquia. Per.

Ad primam.

Dirigere dignare, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, hodie corda & corpora nostra in opera mandatorum tuorum: ut in hac die D ad nullum declinemus peccatum, sed semper quæ sancta sunt meditemur, atque opere compleamus, & tuo ubique auxilio muniamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus.

Missa pro Peccatis.

EXaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per Dominum nostrum.

E

Super Oblata.

Adesto, nobis quæsumus, Domine, & preces nostras benignus exaudi: ut quod fiducia non habet meritorum, placatio obtineat Hostiarum. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Suppliciter implorantes, ut nos ab omnibus peccatis clementer eripias, & a cunctis protegas benignus inimicis. Per Christum.

F

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus, pro peccatis, atque offensionibus nostris, ut omnium delictorum nostrorum remissionem consequi mereamor, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas.

Ad complendum.

Præsta nobis, æterne Salvator, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per Dominum.

Alia.

Sancta tua nos, Domine, quæsumus, a peccatis exuant, & cælestis vitæ vigore confirment. Per.

Orationes tempore belli.

Omnipotens & misericors Deus, a bellorum nos, quæsumus, turbine fac quietos: quia bona nobis cuncta præstabis, si pacem dederis & mentis & corporis. Per.

Alia.

Omnipotens Deus, Christiani nominis inimicos virtute, quæsumus, tuæ comprime Majestatis: ut populus tuus & fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate semper exultet.

Missa in tempore belli.

DEus, regnorum omnium, regumque dominator, qui nos & percutiendo sanas, & ignoscendo conservas, prætende nobis misericordiam tuam: ut tranquillitate pacis, tua potestate firmata, ad remedia correctioois utamur. Per

Alia.

Deus, cujus regnum, regnum est omnium seculorum, supplicationes nostras clementer exaudi: & Christianorum regnum tibi subditum protege, ut in tua virtute fidentes, & tibi placeant, & super omnia regna præcellant. Per.

Item alia.

Deus, qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas: auxiliare implorantibus misericordiam tuam, ut omnium Gentium feritate compressa, indefessa te gratiarum actione laudemus. Per.

Super Oblata.

Sacrificium, Domine, quod immolamus, intende: ot ab omni nos exuat bellorum nequitis, & in tuæ protectionis securitate constituat. Per Dominum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te toto corde prostrati suppliciter exorantes, ut & præteritorum nobis concedas veniam delictorum, & ab omni mortalitatis incursu continua nos miseratione protegas. Quia tunc defensionem tuam non diffidimus adfuturam, cum a nobis ea, quibus te offendimus, dignanter expuleris. Per Christum.

Ad complendum.

Sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi refectione vegetati, supplices te rogamus, omnipotens Deus: ut hoc remedio singulari ab omnium peccatorum nos contagione purifices, & a periculorum munias incursione cunctorum. Per eumdem.

Alia.

Alia.

Protector noster aspice, Deus, & ab hostium nos defende periculis: ut omni perturbatione submota, liberis tibi mentibus serviamus. Per Dominum.

Item alia Missa.

Hostium nostrorum quæsumus, Domine, elide superbiam, & dexteræ tuæ virtute prosterne. Per.

Super Oblata.

Hujus, Domine, quæsumus, virtute mysterii, & a nostris mundemur occultis, & ab inimicorum liberemur insidiis. Per. B

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui subjectas tibi glorificas potestates, suscipe, quæsumus, propitius preces nostras, & vires adde Principibus nostris, ut qui se dextera tua expetunt protegi, nulla possint adversitate superari: fidelem quoque populum tuum potentiæ tuæ muniat invicta defensio, ut pio semper tibi devotus affectu, & ab C infestis liberetur inimicis, & in tua jugiter gratia perseveret. Per Christum.

Ad complendum.

Vivificet nos, quæsumus, Domine, participatio tui sancta mysterii, & pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per Dominum nostrum.

Item alia Missa.

Deus, qui providentia tua cælestia simul & terrena moderaris, propitiare Christianorum rebus, & regibus: ut omnis hostium fortitudo, te pro nobis propugnante, frangatur. Per Dominum. D

Alia.

Deus, servientium tibi fortitudo regnorum, propitius Christianorum adesto semper Principibus: ut quorum tibi subjecta est humilitas, eorum ubique excellentior sit potestas. Per.

Super Oblata.

Propitiare, Domine, precibus, & Hostiis famulorum tuorum, & propter nomen tuum Christiani nominis defende Rectores: ut salus servientium tibi Principum, pax tuorum possit esse populorum. E

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Sub cujus potestatis arbitrio omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, ut Principibus nostris propitius adesse digneris, ut qui tua expetunt protectione defendi, omnibus sint hostibus fortiores. Per Christum.

Ad complendum.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis; & corporis, & spiritualibus enutriens eos alimentis, a cunctis hostibus redde securos. Per.

Missa pro pace.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus non potest dare pacem: ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per.

Alia.

Deus conditor mundi, sub cujus arbitrio seculorum ordo decurritur, adesto invocationibus nostris, & tranquillitatem pacis præsentibus concede temporibus: ut in laudibus misericordiæ tuæ, incessabili exultatione lætemur. Per.

Super Oblata.

Deus, qui credentes in te populos nullis sinis concuti terroribus, dignare preces & Hostias dicatæ tibi plebis suscipere: ut pax tua pietate concessa Christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos. Per Dominum.

Ad complendum.

Deus auctor pacis & amator, quem nosse, vivere; cui servire, regnare est: protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos: ut qui in defensione tua fidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per.

Alia.

Deus, qui misericordiæ tuæ potentis auxilio, & prospera tribuis, & adversa depellis, universa obstacula, quæ servis tuis adversantur, expugna: ut remoto terrore bellorum & libertas secura, & religio sit quieta. Per.

MISSA.

Pro quacumque tribulatione.

Deus infinitæ misericordiæ, & bonitatis immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, & omnibus animarum nostrarum medere languoribus: ut peccatorum nostrorum remissione percepta, semper in tua benedictione lætemur. Per.

Super Oblata.

Tuere nos, Domine, divinis propitius sacramentis: &, ut his congrue famulemur, eorum præsta potenter effectu. Per eumdem.

Benedictio.

Deus, mœstorum solatium, tribulatorum refugium, suo vos brachio foveat, & ab imminentibus periculis illæsos miseratus efficiat. Amen. Dexteræ suæ vos omnipotentis clypeo muniat, & muro suæ inexpugnabili fortitudinis ab instanti tribulatione circumtegat. Amen. Iram suæ animadversionis a vobis propitiatus avertat, & portum vobis salutis indulgens in suæ vos protectionis interritos securitate constituat. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Muniat, quæsumus, Domine, fideles tuos sumti vivificatio sacramenti: & a vitiis omnibus expeditos, in sancta faciat esse devotione currentes. Per.

Item alia Missa.

Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, & omnes conscientiæ pavescunt, propitiare omnium doloribus gementium, & cunctorum medere vulneribus: ut sicut nemo nostrum liber a culpa est, ita nemo sit alienus a venia. Per.

Alia.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui timore sentiris, dilectione coleris, confessione placaris, misericordiam tuam effunde supplicibus: ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium tuum, sed indulgentiam sentiamus. Per.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, propitiatus Hostias, quibus & te placari voluisti, & nobis salutem potentia pietatis tuæ restitui. Per.

Ad complendum.

Quos munere cælesti reficis, Domine, divino tuere præsidio: ut tuis mysteriis perfruentes, nullis subdamur adversis. Per.

Item alia Missa.

DEus humilium consolator, & fidelium fortitudo, propitius esto supplicibus: & da ut humana fragilitas, quæ per se proclivis est ad labem, per te semper reparetur ad veniam. Per.

Alia.

Suscipe, misericors Domine, supplicum preces, & secundum multitudinem indulgentiarum tuarum ab omnibus nos absolve peccatis: ut ad omnia pietatis opera, te parcente, reparemur; & quos venia feceris innocentes, auxilio facias efficaces.

Super Oblata.

Hæc Hostia, Domine, quæsumus, & ab occultis Ecclesiam tuam reatibus semper expediat, & manifestis convenienter expurget. Per.

Ad complendum.

Purificent nos, Domine, sacramenta quæ sumsimus, & a cunctis efficiant vitiis absolutos. Per.

Item alia Missa.

QUæsumus clementiam tuam, omnipotens Deus: ut ubi nulla fiducia suppetit actionum, gratia tua copiosa resplendeat, & cum delicta remittit indignis, & cum beneficia præstat immeritis. Per Dominum.

Alia.

Misericors & miserator Domine, qui nos parcendo sustentas, & ignoscendo sanctificas, dona veniam peccatis nostris: & sacramentis cælestibus servientes, ab omni culpa liberos esse concede. Per Dominum.

Super Oblata.

Hostias tibi, Domine, placationis offerimus; ut & delicta nostra miseratus absolvas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dominum.

Ad complendum.

Supplices, te rogamus, omnipotens Deus: ut quos tuis reficis sacramentis, tibi placitis moribus dignanter informes. Per Dominum.

Oratio tempore (quod absit) mortalitatis.

ECclesiæ tuæ, quæsumus, omnipotens Deus placatus intende conventum; & misericordia tua nos potius quam ira præveniat: quia si ini-

A quitates nostras observare volueris, nulla poterit creatura subsistere: sed admirabili pietate, qua nos fecisti, ignosce peccantibus, ut opera manuum tuarum non facias interire. Per.

Alia.

Exaudi, Domine, preces nostras, & ne velis cum servis tuis adire judicium: quia sicut in nobis nulla justitia reperitur, de qua præsumere valeamus; ita te fontem pietatis agnoscimus, a quo & a peccatis nostris nos absolvi, & a necessitatibus liberari confidimus. Per Dominum.

B

Super Oblata.

Per hæc, quæsumus, veniat, Domine sacramenta nostræ redemtionis effectus, qui nos & ab humanis retrahat semper excessibus, & ad salutaria cuncta perducat. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Hujus operatio nos, Domine, sacramenti, quæsumus, purificet semper & muniat. Per.

Item alia Missa.

C DEus, cujus misericordia cælestium quoque virtutum indigent potestates, & in cujus conspectu nullus est hominum absque sorde & pœna peccati: delicta populi, quæsumus, averte propitiatus, ut quos propriæ conscientiæ reatus accusat, bonitatis tuæ patientia faciat veniam promereri. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus, cujus tanta est excellentia pietatis, ut uno peccatore converso, maximum gaudium facias in cælis haberi: respice in exiguam populi
D portionem, ut omni depulsa vexatione hereditas tua & numero augeatur, & devotione proficiat. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Protegat nos, Domine, quæsumus Hostia salutaris: & quæ ad honorem nominis tui immolatur, nobis prosit ad veniam. Per.

Ad complendum.

Sancta tua, nos, Domine, sumta vivificent, & misericordiæ sempiternæ præparent expiatos. Per Dominum.

E

Item alia Missa.

EXaudi, Domine, quæsumus, populum tuum de tua misericordia malorum suorum veniam supplicantem: & quia potens es dimittere peccata, supplicia, quæ nostris meremur operibus, potentia tuæ pietatis averte. Per.

Alia.

Iram tuam, quæsumus, Domine, a populo tuo miseratus averte, quam nostris quidem meremur operibus, sed humana fragilitate sustinere
F non possumus: illa nos itaque contine pietate, quam præstare soles indignis. Per.

Super Oblata.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut hæc Hostia salutaris, & nostrorum fiat purgatio peccatorum, & tuæ propitiatio potestatis. Per.

Ad

Ad complendum.

A

Plebem nomini tuo subditam, Domine, propitius intuere: & ei tuas consolationes jugiter per cælestem gratiam dignanter operare. Per Dominum.

Item alia Missa.

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum, quæsumus, ad te converte propitius: ut dum tibi devotus extiterit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoveas. Per.

Alia.

B

Populum tuum, quæsumus, omnipotens Deus, ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate: ut qui tuæ Majestatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari. Per.

Super Oblata.

Subveniat nobis, Domine, quæsumus, sacrificii præsentis operatio: quæ nos & ab erroribus universis potenter absolvat, & a totius eripiat perditionis incursu. Per Dominum.

Ad complendum.

C

Tuere nos, Domine, quæsumus, tua sancta sumentes, & ab omni propitius iniquitate defende. Per.

Alia.

Exaudi nos, Domine Deus noster: & intercedente Beato Martyre tuo *Ill.* populum tuum & ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & misericordiæ tuæ fac largitate securum. Per Dominum nostrum.

Orationes ad pluviam postulandam.

D

Terram, Domine, quam videmus nostris iniquitatibus tabescentem, cælestibus aquis infunde: atque irriga beneficiis gratiæ sempiternæ. Per Dominum.

Alia.

Da nobis, Domine, quæsumus, pluviam salutarem, & aridam terræ faciem fluentis cælestibus dignanter infunde. Per Dominum nostrum.

Alia.

E

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, & neminem vis perire, aperi fontem benignitatis tuæ, & terram aridam aquis fluenti cælestis dignanter infunde. Per.

Alia.

Delicta nostra, Domine, nos ipsi cognoscimus, ut ipsius terræ fœditas monstrat transgressionis excessus: tu autem, piissime Pater, qui cælum clausisti contumacibus & ingratis, reseratum humilibus & contritis, concede deprecantibus subsidia pluviarum, & largire mœrentibus abundantiam. Per Dominum.

Alia.

F

In afflictione maxima constitutis consolationem tribue, fons largissimæ pietatis: descendat, quæsumus, pluvia salutaris, ut omnia quæ sub cælo sunt, irrigentur ab aquis: pasce servos tuos imbribus consuetis, quos ad laudem tuæ creare dignatus es Majestatis. Per.

Tom. III.

Alia.

Omnipotens Deus, qui solus aquas emittis e cælis, dona servis tuis beneficium pluviæ salutaris: ut quod facinore nostro suspenditur, tuo jam gratuito munere prorogetur. Per.

MISSA.

Ad pluviam postulandam.

Deus, in quo vivimus, movemur, & sumus, pluviam nobis tribue congruentem: ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per.

Alia.

Delicta fragilitatis nostræ, Domine, quæsumus, miseratus absolve: & aquarum subsidia præbe cælestium, quibus terrena conditio vegetata subsistat. Per.

Super Oblata.

Oblatis, Domine, placare muneribus, & opportunum nobis tribue pluviæ sufficientis auxilium. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Tuere nos, quæsumus, Domine, tua sancta sumentes, & ab omnibus propitius absolve peccatis. Per Dominum.

Item alia Missa.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus munere elementa omnia recreantur, reminiscere miserationum tuarum: & salutiferos imbres humano generi concede propitius, quatenus fecunditatis tuæ alimoniis terra lætetur. Per.

Super Oblata.

Placare, Domine, muneribus semper acceptis: & diuturnam tempera diffusis imbribus siccitatem. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Obsecrantes misericordiam tuam, ut squallentes agri fœcundis imbribus irrigentur: quibus pariter æstivi mitigentur ardores, & sævientium morborum restinguatur accensio, ac salus hominibus, jumentisque proveniat: atque ut hæc, te largiente, mereamur, peccata, quæ nobis adversantur, relaxa: qui pluis super justos & injustos, etiam nostris offensionibus relaxatis, expectata nubium munera largiaris, quibus & salus nobis, & alimenta præstentur. Per Christum.

Ad complendum.

Precibus populi tui, quæsumus, Domine, placatus aspira: ut veniam tribuas humanis excessibus, & opem miseris benignus impendas. Per Dominum nostrum.

Orationes ad poscendam serenitatem.

Domine Deus, qui in ministerio aquarum salutis tuæ nobis sacramenta sanxisti, exaudi orationem populi tui: & jube terrores inundantium cessare pluviarum, flagellumque hujus

O ele-

clementi, ad effectum tui converte mysterii: ut qui se regenerantibus aquis gaudent renatos, gaudeant his castigantibus esse correctos. Per.

Alia.

Quæsumus, omnipotens Deus, clementiam tuam, ut inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem tui vultus nobis impertiri digneris. Per Dominum.

MISSA.

Ad poscendam serenitatem.

AD te nos, Domine, clamantes exaudi, & aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus: ut qui pro peccatis nostris juste affligimur, misericordia tua præveniente clementiam sentiamus. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Præveniat nos, quæsumus, Domine, tua gratia semper, & subsequatur: & has oblationes, quas pro peccatis nostris nomini tuo consecrandas deferimus, benignus assume; ut per intercessionem Sanctorum tuorum cunctis nobis proficiant ad salutem. Per.

Ad complendum.

Plebs tua, Domine, capiat sacræ benedictionis augmentum: & copiosis beneficiorum tuorum sublevetur auxiliis, quæ tantis intercessionum deprecationibus adjuvatur. Per.

Oratio ad repellendam tempestatem.

Deus, qui omnium rerum tibi servientium naturam per ipsos motus aeris ad cultum tuæ Majestatis instruis, tranquillitatem nobis misericordiæ tuæ, remotis largire terroribus: ut cujus iram expavimus, clementiam sentiamus. Per.

Oratio contra fulgura.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, & propitiare supplicibus: ut post noxios ignes nubium, & vim procellarum, in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Per.

Alia.

Deus, cujus imperio nihil non verbo regitur, nihil non oratione mutatur, parce metuentibus, propitiare supplicibus: ut post noxios ignes nubium, & turbines procellarum, in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Per Dominum nostrum *.

Oratio pro fratribus in via dirigendis.

Deus, qui diligentibus te misericordiam tuam semper impendis, & a servientibus tibi nulla es regione longinquus, dirige viam famuli tui *Ill.* in voluntate tua: ut te protectore, et te præduce, per justitiæ semitas sine offensione gradiatur. Per Dominum.

Alia.

Exaudi, Domine, preces nostras, & iter famuli tui *Ill.* propitius comitare, eique misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire: quatenus ab omnibus adversitatibus tua opitulatione defensus, justorum desideriorum potiatur effectibus, et tibi gratiarum referat actionem. Per.

Alia.

Deus qui ad vitam ducis, et confidentes in te paterna protectione custodis, quæsumus, ut præsenti famulo tuo a nobis egredienti angelicum tribuas comitatum: ut ejus auxilio protectus, nullius mali concutiatur formidine, nullo comprimatur adversitatis angore, nullis irruentis inimici molestetur insidiis; sed, spatiis necessarii itineris prospero gressu peractis, propriisque locis feliciter restitutus, universos reperiat sospites, ac debitas exsolvat tuo nomini gratias. Per Dominum.

MISSA

Pro iter agentibus.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famuli tui *Ill.* in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ, et vitæ hujus varietates, tuo semper protegatur auxilio. Per Dominum.

Super Oblata.

Propitiare, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et oblationes has, quas tibi offerimus pro famulo tuo *Ill.* benignus assume: ut viam illius, et præcedente gratia tua dirigas, et subsequente comitari digneris: ut de actu atque incolumitate ejus secundum misericordiæ tuæ præsidia gaudeamus. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; A quo deviare, mori; coram quo ambulare, vivere est. Qui fideles tuos in tua via deducis, et miseratione gratissima in veritatem inducis; Qui Abrahæ, Isaac, et Jacob in præsentis viæ, et vitæ curriculo, custos, dux, et comes esse voluisti; et famulo tuo Tobiæ Angelum prævium præparasti. Cujus immensam misericordiam humillimis precibus imploramus, ut iter famuli tui *Ill.* cum suis in prosperitate dirigere, eumque inter viæ et vitæ hujus varietates digneris custodire: quatenus Angelorum tuorum præsidio fultus, intercessione quoque Sanctorum tuorum munitus, a cunctis adversitatibus tua miseratione defensus, profectionis et reversionis suæ felicitate potitus, et compos reddatur justorum votorum, & de suorum lætetur remissione peccatorum. Per Christum.

Bene-

* Cum nullæ hic aut alibi habeantur orationes contra terræ motum, visum est nobis appendicis loco attexere collectam a Sanctissimo D. N. Clemente Papa XI. elegantissime compositum, cum ineunte an. 1703. Italiæ pars maxima, Romaque ipsa terræ motibus quateretur, ac ruinis laederetur.

Collecta tempore terræ motus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui respicis terram & facis eam tremere, parce metuentibus, propitiare supplicibus: ut cujus iram terræ fundamenta concutientem expavimus, clementiam contritiones ejus sanantem jugiter sentiamus. Per Dominum.

Secreta.

Deus, qui fundasti terram super stabilitatem suam, suscipe oblationes & preces populi tui; ac trementis terræ periculis penitus amotis, divinæ tuæ iracundiæ terrores, in humanæ salutis remedia converte: ut qui de terra sunt & in terram revertentur, gaudeant se fieri sancta conversione cœlestes. Per Dominum.

Postcommunio.

Tuere nos, Domine, tua sancta sumentes; & terram, quam vidimus nostris iniquitatibus trementem, superno munere firma; ut mortalium corda cognoscant, a te indignante talia flagella prodire & te miserante cessare. Per Dominum.

Benedictio.

Dirigat iter vestrum Dominus in beneplacito suo, vobisque inseparabiliter benignissimus custos inhæreat. Amen. Ducem vobis Archangelum Raphaelem adhibeat, & omnem a vobis incommoditatem contrarietatemque propitiatus amoveat. Amen. Desideriorum vestrorum pia vota clementer impleat: ut & hic bona consequi, & ad æternam beatitudinem pervenire feliciter mereamini. Amen. Quod ipse præstare.

Ad complendum.

Deus infinitæ misericordiæ & Majestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec intervalla temporum, ab his, quos tueris, disjungunt, adesto famulo tuo *Ill.* in te ubique fidenti, & per omnem, quam iturus est, viam, dux ei & comes esse dignare: nihil illi adversitatis noceat, nihil difficultatis obsistat: cuncta ei salubria, cuncta sint prospera: & sub ope dexteræ tuæ, quidquid justo expetierit desiderio, celeri consequatur effectu. Per.

N. 652. *Orationes ad* N *Clericum faciendum.*

OReMus, dilectissimi Fratres, Dominum nostrum Jesum Christum pro hoc famulo suo *Ill.* qui ad deponendam comam capitis sui pro ejus amore festinat: ut donet ei Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eo perpetuum conservet, & a mundi impedimento, vel seculari desiderio cor ejus defendat: ut sicut immutatur in vultu, ita manus dextera ejus ei virtutis tribuat incrementa, & ab omni cæcitate spiritali oculos ejus aperiat, & lumen ei æternæ gloriæ concedat. Qui vivit cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum.

Item alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis imponimus: ut, te largiente, & devotus in Ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Dominum.

„ Dum tondes eum dicis Antiphonam, Tu
„ es, Domine, qui restitues mihi hereditatem
„ meam. Vers. DOMINUS pars hereditatis meæ,
„ & Gloria. Item alia Antiphona, HÆC est
„ generatio, & Gloria. Item alia Antiphona,
„ HIC accipiet benedictionem.

Oratio post tonsionem.

Præsta, omnipotens Deus, huic famulo tuo *Ill.* cujus hodie capitis comam pro divino amore deposuimus, ut in tua dilectione perpetuo maneat: & eum sine macula in sempiternum custodias. Per Dominum.

N. 661. a *Orationes & preces super* N *pœnitentem* [a] *confitentem peccata sua more solito.*

N. 662. N EXaudi, Domine, preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis: ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per Dominum.

Alia.

N Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus, N. 663.
Domine, misericordia tua: ut omnes iniquitates
ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia.

N Adesto, Domine, supplicationibus nostris, N. 664.
nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio. Sana vulnera, ejusque remitte peccata: ut nullis a te iniquitatibus separatus, tibi Domino semper valeat adhærere. Per.

Alia.

N Domine Deus noster, N qui offensione no- N. 665.
stra non vinceris, N sed satisfactione placaris, re- N. 666. N. 667.
spice, quæsumus, ad hunc famulum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est ablutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo, Domine,
hoc, N ut tibi pœnitentiæ excubias celebret; & N. 668.
correctis actibus suis, conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

Alia.

N Precor, Domine, N clementiam tuæ Ma- N. 669. N. 670.
jestatis ac nominis; ut huic famulo tuo peccata
& facinora sua confitenti veniam dare, & præ-
teritorum criminum debita relaxare digneris; qui
humeris filii tui ovem perditam reduxisti N ad N. 671.
caulas; N qui Publicani precibus vel confessione N. 672.
placatus es. Tu etiam, Domine, & huic famu-
lo tuo placare, tu ejus precibus benignus N assi- N. 673.
ste: ut in confessione flebili N permanens, cle- N. 674.
mentiam tuam celeriter exoret; & N sanctis al- N. 675.
taribus restitutus, spei rursus æternæ, & cælesti
gloriæ N reformetur. Per eumdem Dominum N. 676.
nostrum.

N *Orationes ad reconciliandum Pœnitentem.* N. 677.

N ADesto, Domine, supplicationibus nostris, N. 678.
& me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi; & ipse in nostro ministerio quod tuæ pietatis est, operare. Per Dominum.

Alia.

N Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo N. 679.
tuo dignum pœnitentiæ fructum: ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per Dominum nostrum.

Item alia.

Deus, humanis generis benignissime Conditor, & misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica hunc famulum, quem tibi nullatenus mori desideras, & qui non derelinquis devium, assume correctum. Movcant pietatem tuam, quæsumus, Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria. Tu ejus medere vulneribus,

a Multæ Confessionis formulæ a nobis olim collectæ legi possunt in Tract. Gallico de Confess. 1. Parte cap. 12. 14. 19. Magnam vero fuisse olim librorum Pœnitentialium copiam, quibus & confessionis & absolutionis sacerdotalis ritus docerentur probavimus præsertim cap. 21. Quamplurimos autem Ordines ad dandam pœnitentiam reconciliandosque pœnitentes, a nostro D. Edmundo Martene collectos libro de Antiquis Ecclesiæ ritibus, secunda parte cap. 6, articulo 7. consulere licet si libeat.

bus, tu jacenti manum porrige salutarem: ne A Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitenti: ut sic in hac mortalitate peccata sua, te adjuvante, defleat, qualiter in tremendi Judicii die sententiam damnationis æternæ evadat; & nesciat quod terret in tenebris, quod stridet in flammis: atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ, nequaquam ultra vulneribus saucietur; sed integrum sit ei atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, B & quod misericordia reformavit. Per eumdem Dominum nostrum Jesum.

N. 860. a *Missa* [N] [a] *pro Episcopo defuncto.*

DA nobis Domine, ut animam famuli tui *Ill.* Episcopi, quam de seculi educis laborioso certamine, Sanctorum tuorum cœtui tribuas esse consortem. Per.

Super Oblata.

Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui *Ill.* Episcopi hæc prosit oblatio, quam immolando C totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro commemoratione depositionis animæ famuli tui *Ill.* Episcopi, quæsumus, Domine, ut placatus accipias: & quem in corpore constitutum sedis Apostolicæ gubernaculo præesse voluisti, in electorum tuorum numero constitue Sacerdotum; Diesque nostros.

Super Dypticа.

Memento etiam, Domine, famulorum tuorum *Ill.* qui nos præcesserunt, & dormiunt in somno pacis.

N. 861. [N] *Item post lectionem.*

Istis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis, & pacis indulgentiam deprecamur. Per Christum.

Ad complendum.

His sacrificiis, quæsumus, omnipotent Deus, purgata anima famuli tui *Ill.* Episcopi ad indulgentiam & refrigerium sempiternum pervenire E mereatur.

Item Missa pro Episcopo defuncto.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum *Ill.* Episcopum censeri fecisti, præsta quæsumus: ut quorum vicem gerebat ad horam in terris, eorum perpetuo consortio lætetur in cælis. Per.

Super Oblata.

Hæc oblatio, Domine, quæsumus, animam famuli tui *Ill.* Episcopi omnibus vitiis humanæ F conditionis absolvat, quæ totius mundi tulit etiam immolata peccatum. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Devotis clementiam tuam mentibus obsecrantes, ut animam *Ill.* Episcopi in electorum tibimet Pontificum numero jubeas consistere gaudentem; ut qui hic tuo pro eis supplex deserviebat Altari, gloriosa illic cum eis tua gratuletur & laude. Per Christum Dominum nostrum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, quam tibi offerimus pro commemoratione animæ famuli tui *Ill.* Episcopi, quæsumus, Domine, placatus accipias, & cum præsulibus Apostolicæ dignitatis, quorum est secutus officium, habere tribuas sempiternæ beatitudinis portionem, atque inter Summi Pastoris efficias præcipua membra censeri: Diesque nostros.

Ad complendum.

Da veniam, Domine, quæsumus, per hæc sancta mysteria, animæ famuli tui *Ill.* Episcopi: ut occursu non terreatur malo, sed tuo protegatur auxilio. Per.

Alia.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus: ut anima famuli tui *Ill.* Episcopi, quam in hoc seculo commorantem sacris muneribus decorasti, cælesti sede gloriosa exultet. Per Dominum.

Item alia pro Episcopo defuncto.

SUscipe, Domine, quæsumus, preces nostras pro anima famuli tui *Ill.* Episcopi: ut in Pontificum tibimet placitorum perpetua sede læ- D tetur. Per.

Super Oblata.

Offerimus, Domine, hostias placationis, & laudis: ut perpetuæ misericordiæ largitate, animam famuli tui *Ill.* Episcopi in lucis æternæ facias regione gaudere.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Ineffabilem tuæ clementiæ potentiam supplici-ter exorantes, ut famulus tuus *Ill.* Beatorum tabernaculis constitutus, evasisse se carnales glorietur angustias, diemque judicii cum voto gratulationis expectet. Per Christum Dominum nostrum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *Ill.* Episcopi, quæsumus, Domine, ut placatus accipias; & quem tuis Altaribus servire tribuisti, ad Beatorum pertinere jubeas consortia Sacerdotum: Diesque nostros.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli

a Eadem Missa legitur in ed. Pamel. consentiente cod. Reg. S. ubi tremenda non est edit. lectio; quod sane sæpe contingit. Sic in orat. quæ sequitur, legitur apud Pamel. *educens*, pro *educis* vel *eduxisti*, ut habet cod. Reg. S. Supra in orat. ultima *ad mor. animalium*, ubi legitur *ut sine quibus non habetur hum. conditio*, deficiente sensu, scriptum est optime quidem: *ut sine quibus non alitur hum.* &c. In veteri Sacram. Gal. extrat una Missa in depositione Sacerdotis; & altera, pro defunctis quibuslibet.

li tui *Ill.* Episcopi in congregatione justorum æternæ beatitudinis jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

Alia Missa pro Episcopo defuncto.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum *Ill.* Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per.

Super oblata.

Suscipe, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *Ill.* sacerdotis, quas offerimus hostias: ut Pontificale cui donasti meritum, dones & præmium. Per Dominum.

Ad complendum.

Preces nostras, quæsumus, Domine, quas in famuli tui *Ill.* Episcopi depositione deferimus, propitiatus exaudi: ut qui nomini tuo ministerium fidele dependit, perpetua Sanctorum societate lætetur. Per Dominum.

Missa pro Episcopo defuncto.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum *Ill.* Pontificali fecisti dignitate vigere; præsta, quæsumus, ut eorum & perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Hæc oblatio, Domine Deus, animam famuli tui *Ill.* ab omnibus vitiis humanæ conditionis absolvat, quæ totius mundi tollit etiam immolata peccatum. Per.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Devotis clementiam tuam mentibus obsecrantes, ut animam famuli tui *Ill.* in electorum tibimet Pontificum numero gaudeas consistere gaudendo; ut qui tuo pro eis supplex deserviebat altari, gloriosa illic cum eis gratuletur laude. Per Christum Dominum nostrum.

Ad complendum.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro anima famuli tui *Ill.* Sacerdotis preces nostras: & lucis ei lætitiæque regionem in Sanctorum tuorum societate concede. Per Dominum nostrum.

Missa pro sacerdote defuncto.

PRæsta, quæsumus, Domine, ut anima famuli & Sacerdotis tui *Ill.* quam in hoc seculo commorantem sacris muneribus decorasti, cælesti sede gloriosa semper exultet. Per Dominum.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, quæsumus, hostias pro anima famuli & Sacerdotis tui *Ill.* ut cui Pontificale donasti præmium, dones & meritum. Per Dominum.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli & Sacerdotis tui *Ill.* in congregatione justorum æternæ beatitudinis jubeas esse consortem. Per Dominum.

Missa unius defuncti.

OMnipotens sempiterne Deus, cui numquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animæ famuli tui *Ill.* ut qui de hac vita in tui nominis confessione discessit, Sanctorum tuorum numero eum facias aggregari. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Propitiare, quæsumus, Domine, animæ famuli tui *Ill.* pro qua tibi hostias placationis offerimus: & quia in hac luce in fide mansit Catholica, in futura vita ejus retributio condonetur. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut animam famuli tui *Ill.* ab Angelis lucis susceptam, in præparata habitacula deduci facias Beatorum. Per Dominum.

Missa [a] *in die depositionis defuncti.* a N. 684.
Sive III. VII. Trigesimoque.

ADesto, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *Ill.* cujus in depositione sua officium commemorationis impendimus: ut si aliqua ei secularis macula inhæsit, aut vitium mundiale infecit, dono tuæ pietatis indulgeas, & extergas. Per Dominum nostrum.

Alia.

Quæsumus, Domine, famulo tuo *Ill.* cujus tertium, vel VII. sive XXX. obitus sui diem commemoramus, Sanctorum tuorum atque electorum largire consortium; & rorem ei misericordiæ tuæ perennem infunde. Per.

Super Oblata.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depositionis tertium, vel septimum, sive trigesimum pro anima famuli *Ill.* placatus ac benignus assume.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere: Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Per quem salus mundi, per quem vita hominum, per quem resurrectio mortuorum. Per ipsum te, Domine, suppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui *Ill.* cujus diem depositionis tertium vel septimum sive trigesimum celebramus, indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restituas. Per quem Majestatem.

O iij *Ad*

a Hæc fere habent duo Theod. quoad titulum: at diversæ omnino sunt orationes & præfatio.

Ad complendum.

Omnipotens sempiterne Deus, collocare dignare corpus & animam famuli tui *Ill.* cujus diem depositionis III. aut VII. vel XXX. celebramus in finibus Abrahæ, Isaac, & Jacob: ut cum dies agnitionis tuæ venerit, inter Sanctos & electos tuos eum resuscitari præcipias. Per Dominum nostrum.

Missa in anniversario unius defuncti.

PRæsta, Domine, quæsumus, ut anima famuli tui *Ill.* cujus anniversarium depositionis B diem celebramus, his purgata sacrificiis, indulgentiam pariter & requiem capiat sempiternam. Per Dominum.

Super Oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro anima & Spiritu famuli tui *Ill.* cujus hodie annua dies agitur, pro qua tibi offerimus sacrificium laudis: ut eam Sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum.

Ad complendum.

Suscipe, Domine, preces nostras, pro anima famuli tui *Ill.* ut si quæ ei maculæ de terrenis contagiis adhæserunt, remissionis tuæ remedio deleantur.

Missa plurimorum defunctorum.

PRopitiare quæsumus, Domine animabus famulorum famularumque tuarum *Ill.* & *Ill.* misericordia sempiterna: ut mortalibus nexibus expeditas, lux eas æterna possideat. Per.

Super Oblata.

Hostias tibi, Domine, humili placatione deferimus: ut animæ famulorum famularumque tuarum per hæc placationis officia tuam misericordiam consequantur. Per.

Ad complendum.

Inveniant, quæsumus, Domine, animæ famulorum famularumque tuarum *Ill.* & *Ill.* omniumque in Christo quiescentium, lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi, tuum consecuti sunt sacramentum. Per.

N a Incipit ordo N ad Sacros Ordines benedicendos.

a N. 683.
N. 684.
N. 685. „ N MAjores gradus, ante Evangelium; Mi-
„ nores vero post Communionem dan-
N. 686. „ tur: & N Minores quidem Dominicis diebus,
„ si necesse est; N Majores vero in Sabbatis duo-
N. 687. „ decim lectionum per quatuor tempora tan-
„ tummodo.

Ordinatio b Ostiarii.

b
N. 688. „ N OSTIARIUS cum ordinatur, postquam
N. 689. „ N ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter
A „ in domo Dei debeat conversari, ad suggestio-
„ nem Archidiaconi N tradat ei Episcopus claves N. 690.
„ Ecclesiæ, dicens: SIC age, quasi redditurus
„ Deo rationem pro his rebus, quæ istis clavi-
„ bus recluduntur. N Et tradat ei Diaconus o- N. 691.
„ stium Ecclesiæ.

Præfatio Ostiarii.

N Deum patrem omnipotentem suppliciter de- N. 692.
precemur, ut hunc famulum suum *Ill.* benedicere
dignetur, quem in officium Ostiarii eligere digna-
tus est: ut sit ei fidelissima cura in diebus ac nocti-
bus, N ad distinctionem horarum certarum ad in- N. 693.
B vocandum nomen Domini, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit, & regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen.

N Benedictio ejusdem. N. 694.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne
Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum,
Ill. Ostiarium: ut inter janitores Ecclesiæ N pareat N. 695.
obsequia, & inter electos tuos partem tuæ mereatur habere mercedis. Per Dominum nostrum.

C

Ordinatio Lectoris.

„ N LEctor, cum ordinatur, faciat N de illo N. 696.
„ verbum Episcopus ad plebem, indicans N. 697.
„ ejus fidem ac vitam, atque ingenium: post
„ hæc, spectante plebe, N tradat ei codicem, N. 698.
„ de N quo lecturus sit, dicens: N. 699.
N ACCIPE, & esto verbi Dei relator, habi- N. 700.
turus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum his, qui verbum Dei ministraverunt: Eligunt te fratres tui, ut sis Lector in domo Dei tui, & agnoscas officium tuum, & impleas illud: potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam.

D

Benedictio Lectoris.

N Domine sancte, Pater omnipotens, æterne N. 701.
Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc
in officium Lectoris: ut assiduitate lectionum, N N. 702.
distinctus atque N ordinatus, & agenda dicat, & N. 703.
dicta opere compleat, & in utroque sanctæ Ecclesiæ consulat. Per Dominum.

Ordinatio Exorcistæ.

„ N EXorcista, cum N ordinatur, accipiat de N. 704.
E „ manu Episcopi libellum, in quo scripti N. 705.
„ sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo.
N ACCIPE, & commenda memoriæ, & N ha- N. 706.
beto potestatem imponendi manum super energu- N. 707.
menum, sive baptizatum, sive cathecumenum.

N Præfatio Exorcistæ. N. 708.

N Deum patrem omnipotentem supplices de- N. 709.
precemur, ut hunc famulum suum *Ill.* benedicere dignetur in officium Exorcistæ: ut sit spiritalis imperator ad abjiciendos dæmones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi,
F adjuvante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum eo vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti.

Be-

a Eadem leguntur deinceps in edit. Vat. & Gussanv. Qui plura de hoc argumento voluerit, consulat nostrum Edm. Martene de Antiquis Eccl. Ritibus cap. 9. de Ritibus ad Sacramentum Ordinis spectantibus art. 12. ubi exhibet 25. Ordines ex libris mss. potissimum excerptos, quibus docetur quomodo Ecclesiæ ministri ordinentur apud Latinos, Græcos, Maronitas, Syros Jacobitas, & Euthychianos, ac Cophtas.

b Pene hæc omnia extant in primo Theod. ubi mutilus non est: legitur tamen in plurali *Ord. Lectorum, Exorcistarum* &c.

Benedictio Exorcistæ.

N. 710. ᴺ Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum Ill. in officium Exorcistæ; & ad impositionem manuum & oris officium cum eligere
N. 711. digneris: ut imperium habeat ᴺ spirituum im-
N. 714. mundorum coercendorum, & ᴺ probabilis sit
N. 711. medicus Ecclesiæ, ᴺ gratiæ curationum virtute confirmatus. Per Dominum.

ORDINATIO ACOLYTHI.

N. 714. „ ᴺ ACOLYTHUS, cum ordinatur, ᴺ primum
N. 715. „ ab episcopo doceatur, qualiter in of-
N. 716. „ ficio suo agere debeat; sed ᴺ ab Archidiacono
„ accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se
N. 717. „ ad ᴺ accendenda Ecclesiæ luminaria mancipa-
N. 718. „ ri, ᴺ ita sibi dicente.
N. 719. ᴺ Accipite hoc gestatorium luminis, ut per illud valeatis adversariorum tenebras effugare, & verissimum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum, fideliter invenire.
N. 720. ᴺ Accipiat & urceolum
N. 721. vacuum ᴺ ad fun-
N. 722. dendum ᴺ vinum in Eucharistia Corporis.

Benedictio Acolythi.

N. 723. ᴺ Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, qui per Jesum Christum filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque passionis mysterio redemisti, benedicere dignare hunc famulum tuum, quem in Acolythi officium consecramus, poscentes tuam clementiam: ut ejus mentem & lumine scientiæ illustres, & pietatis tuæ rore irriges; ut ita perceptum ministerium peragat, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereatur. Per eumdem Dominum nostrum.

N. 724. ᴺ ORDINATIO SUBDIACONI.

Capitulum S. Gregorii.

N. 725. ᴺ SIcut, qui invitatus renuit, quæsitus refu-
N. 726. a git, sacris est Altaribus ᴺ a removendus, sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, est proculdubio repellendus: nam qui nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat? Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur?
N. 727. „ ᴺ Subdiaconus cum ordinatur, quia manus
N. 728. „ impositionem non accipit, ᴺ Patenam de ma-
„ nu Episcopi accipiat vacuam, & calicem va-
N. 729. „ cuum: de manu Archidiaconi accipiat ᴺ ur-
N. 730. N. 731. „ ceolum cum ᴺ aquamanili, ac ᴺ manutergium.
„ Exhibeatur in conspectu Episcopi patena &
„ calix vacuus, & dicat Episcopus.
N. 732. ᴺ Vide, cujus ministerium tibi traditur; & ideo si usque nunc fuisti tardus ad Ecclesiam, amodo debes esse assiduus: si usque nunc somnolentus, amodo vigil: si usque nunc ebriosus, amodo sobrius: si usque nunc inhonestus, amodo castus. Oblationes, quæ veniunt in Altare, panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in Altari poni, quan-

A tum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ vero ᴺ quæ sunt in N. 733.
substratorio, in alio vase debent lavari, in ᴺ alio N. 734.
corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerunt, nullum linteamen ibidem aliud debet lavari: ipsa aqua in baptisterio debet vergi. Ideo te admoneo: tu talem te exhibe, ut Deo placere possis.

„ Et tradat ei Calicem & patenam.

Ordinatio Subdiaconi.

ᴺ Oremus Deum ac Dominum nostrum, ut N. 735.
super servum suum Ill. quem ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat bene-
B dictionem & gratiam suam: ut in conspectu suo fideliter serviens, prædestinata Sanctis præmia consequatur, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit & regnat Deus.

Benedictio Subdiaconi.

ᴺ Domine sancte, Pater omnipotens, æterne N. 736.
Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc, quem ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es, uti cum sacrario tuo sancto strenuum sollicitumque cælesti militiæ instituas, & sanctis Altaribus fideliter subministret, & requiescat super eum Spiritus sapientiæ & intellectus, Spi-
C ritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Repleas eum Spiritu timoris tui, & eum ministerio divino confirmes, ut obediens facto, atque dicto parens, tuam gratiam consequatur. Per Dominum nostrum, &c. in unitate ejusdem.

ᴺ Ordo [b] qualiter in Romana Ecclesia Diaconi & Presbyteri ordinandi sunt. N. 737 b

„ Mensis primi, quarti, septimi, & decimi
„ Sabbatorum die in duodecim lect. ad Sanctum
„ Petrum, ubi Missæ celebrantur; postquam
„ Antiphonam ad Introitum dixerint, data ora-
D „ tione, venit Archidiaconus, & offert eum,
„ qui ordinandus est, Pontifici, ita dicens.

Postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Subdiaconem, ad onus Diaconii, vel Diaconum ad onus Presbyterii ordinetis.

„ Interrogat Episcopus: Scis illum dignum
„ esse? Respondet offerens:

Quantum humana fragilitas nosse sinit: & scio, & testificor ipsum dignum esse ad hujus onus officii.

„ Et tunc annuntiat Pontifex populo, dicens:

Auxiliante Domino Deo & Salvatore nostro
E Jesu Christo.

Iterum dicit.

Auxiliante Domino Deo & Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus in ordinem Diaconii, sive Presbyterii Ill. Subdiaconum, sive Diaconum
de ᴺ titulo Ill. Ill. Presbyterum ᴺ de titulo Ill. N. 738. N. 739.
Si ᴺ quis autem habet aliquid contra hos viros, N. 740.
pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat. Verumtamen memor sit conditionis suæ.

„ Et post modicum intervallum mox ᴺ inci- N. 741.
„ piunt omnes Kyrie eleison, cum Litania. Hac
F „ expleta ascendunt ipsi electi ad sedem Pontifi-
„ cis, & benedicit eos ad quod vocati sunt: & de-
„ scendentes stant in ordine suo, benedictione per-
„ cepta

a Ita legit Hugo Menardus, ut ex ejus nota liquet. In editis tamen Vatic. & Gussanv. legitur, *admovendus*, quam lectionem confirmant Epistolæ S. Greg. sive excusæ sive manu descriptæ. Adde quod Menardi editionis lectioni vix ullus aptari possit sensus.

b In primo Thuan. hæc omnia omittuntur, usque ad: *Oremus dilectissimi &c.* col. seq. cui præmittitur: *Orationes ad Ordinandos Diaconos.* Eodem ritu cetera pro Ordin. Presbyteri & Episcopi habentur.

N. 742. » cepta. Diaconus cum ordinatur, N solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super » caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, » sed ad ministerium consecratur. Ad ordinandum Diaconum & Presbyterum, prima Oratio dicitur lengendo. Et sequitur Oratio. Et » non dicitur, Vere dignum, in consecratione.

Orationes.

N. 743. Oremus N, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem in sacrum ordinem dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eique donum consecrationis indulgeat: per quod eum ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum eo vivit & regnat.

Oremus.

N. 744. N Exaudi, Domine, preces nostras, & super hunc famulum tuum Spiritum tuæ benedictionis emitte: ut cælesti munere ditatus, & tuæ gratiam possit Majestatis acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum nostrum, &c. in unitate ejusdem.

Consecratio.

N. 745. N. 746. N Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, N honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor. Qui in te manens innovas omnia, & cuncta disponens per Verbum, Virtutem, Sapientiamque tuam Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia præparas, & singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus, Ecclesiam tuam cælestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam discretione membrorum, per Legem mirabilem totius compagis unitam in augmen- D tum templi tui, crescere dilatarique largiris, sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens. Electis ab initio Levi filiis, qui in mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hereditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent. Super hunc quoque famulum tuum, quæsumus, Domine, placatus intende, quem tuis sacrariis serviturum in officium Diaconi suppliciter dedicamus. Et nos quidem tamquam homines divini sensus & summæ rationis ignari, hujus vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, Domine, ea quæ nobis sunt ignota, non E transeunt: te occulta non fallunt: Tu cognitor secretorum, tu scrutator es cordium, tu ejus vitam cælesti poteris examinare judicio, quo sem-
N. 747. per prævales, & admissa purgare, & N ea quæ sunt agenda concedere. Emitte in eum, Domine, quæsumus, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii fideliter exequendi, septiformis gratiæ tuæ munere roboretur. Abundet in eo totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, & spiritalis observatio disciplinæ: in moribus ejus præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sancta plebs acquirat: & bonum conscientiæ testimonium pro- F ferens, in Christo firmus, & stabilis perseveret: dignisque successibus, de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

N. 748. » N Quando stolam eum induis, sic dices.

Per hoc signum vobis Diaconatus officium hu- A militer imponimus, ut firmamentum mensæ divinæ tamquam sustentacula columnarum esse possitis, & præcones regis cælestis irreprehensibiliter existere mereamini.

N Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum N. 749. benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.

Oratio ad Presbyteros ordinandos.

N Oremus, Dilectissimi, Deum Patrem N. 750. B omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad Presbyterii munus elegit, cælestia dona multiplicet: & quæ ejus dignatione suscipit, ipsius exequatur auxilio, auxiliante Domino nostro Jesu Christo.

Oremus.

N Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus no- N. 751. ster: & super hunc famulum tuum benedictionem sancti Spiritus, & gratiæ sacerdotalis effunde virtutem; ut quem tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandum, perpetua muneris tui lar- C gitate consequaris. Per Dominum.

N *Consecratio.* N. 752.

N Domine sancte, Pater omnipotens, æter- N. 753. ne Deus, N honorum auctor, & distributor om- N. 754. nium dignitatum, per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum. Unde & Sacerdotales gradus atque officia Levitarum, sacramentis mysticis instituta creverunt: ut cum N N. 755. Pontifices summos regendis populis præfecisses, D ad eorum societatis & operis adjumentum, sequentis ordinis viros & secundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleazaro & Ithamar filiis Aaron, paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad Hostias salutares, & frequentioris officii sacramenta ministerium sufficeret Sacerdotum: Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui, doctores fidei, comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati E quoque nostræ, Domine, hæc adjumenta largire: quia quanto magis fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hunc famulum tuum Presbyterii dignitatem: innova in visceribus ejus Spiritum sanctitatis: & acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineat, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuet. Sit probus cooperator ordinis nostri, & luceat in eo totius forma justitiæ: ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ rediturus, æternæ beatitudinis præmia consequatur. Per eumdem Dominum.

F N *Hic vestis ei casulam.* N. 756.

Benedictio Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te, ut sis benedictus in ordine sacerdotali, & offeras placabiles Hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo. Cui est honor & gloria in secula seculorum.

Conse-

Consecratio manus.

N. 757. N Consecrentur manus istæ, quæsumus, Domine, & sanctificentur per istam unctionem, & nostram benedictionem: ut quæcunque benedixerint, benedicta sint, & quæcumque sanctificaverint, sanctificentur. Per [a].

N. 758.
N. 759. „ N Episcopus cum ordinatur, duo N Episcopi
„ ponant & teneant Evangeliorum codicem super
„ caput ejus: & uno super eum fundente benedi-
N. 760. „ ctionem, N reliqui omnes Episcopi, qui adsunt,
N. 761. „ N manibus suis caput ejus tangant.

N. 762. N *Oratio ad ordinandos Episcopos.*

N. 763.
N. 764. N OREmus, dilectissimi nobis, ut his viris N ad utilitatem Ecclesiæ providendam electis, benignitas omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largitatem. Per Dominum nostrum.

Benedictio Episcoporum.

N. 765. N Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus: & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Alia.

N. 766. N Propitiare, Domine, supplicationibus nostris: & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per.

b [b] *Consecratio.*

N. 767.
N. 768. N Deus honorum omnium, N Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacratis famulantur ordinibus. Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu inter cetera cælestis documenta
D culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, nec eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati. Cum & apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, & apud nos certiora esseot experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est, & N Pontificalem gloriam non jam
N. 769. nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum: N quia & illa, quæ tunc carnalibus blan-
N. 770. diebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipsis erant
E intelligenda, poscebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem N ad summi Sacerdotii ministerium ele-
N. 771. gisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largia-
N. 772. ris, ut N quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clare-
N. 773. „ scat. N HIC accipis chrisma. COMPLE, Domine, in Sacerdote tuo, mysterii tui summam, & or-
N. 774. namentis totius glorificationis instructum, N cæ-
N. 775. „ lestis unguenti flore sancti✠fica. N HIC fundis in
„ caput ejus. HOC, Domine, copiose in ejus caput ✠ influat, hoc in oris subjecta ✠ decurrat, hoc
F in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, pu-
N. 776.
N. 777. ritas dilectionis, N sinceritas pacis: N tribuas ei,

A Domine, cathedram Episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem universam. Sis ei auctoritas, sis ei firmitas, sis ei potestas. Multiplices super eum benedictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam semper misericordiam tuam, tuo munere semper idoneus, tua gratia possit esse devotus. Per.

N *Si Papa [c] ordinatus est, hæc addi debent in loco ubi scriptum est:* N. 778. c

Et idcirco huic famulo tuo, quem Apostolicæ sedis Præsulem N & Primatem omnium qui in or- N. 779.
B be terrarum sunt Sacerdotum, ac universalis Ecclesiæ tuæ doctorem dedisti, & ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine gratiam largiaris.

Super Oblata.

Hæc Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, & N sacrificium celebrandum subdi- N. 780.
torum tibi corpora mentesque sanctificet. Per Dominum nostrum.

Infra actionem.

N Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed N. 781.
C & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, etiam pro famulo tuo *Ill.* quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona custodias: ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exequatur. Diesque nostros, &c.

Ad complendum.

N Hæc nos communio, Domine, purget a cri- N. 782.
mine, & cælestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio in N Nat. Papæ. N. 783.

DEus, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosus operaris in minimis, concede mihi indigno famulo tuo, sacris convenienter servire mysteriis: atque in omnibus tua misericordia protegat, quem conscientiæ reatus accusat. Per.

Alia.

Deus, qui populis tuis indulgentia consulis, & amore dominaris, da Spiritum sapientiæ, quibus dedisti regimen disciplinæ: ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna Pastorum. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Hostiam tibi, Domine, laudis exolvo, suppliciter implorans: ut quod immerito mihi contulisti, intercedente Beato Petro Apostolo tuo, propitius exequaris.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ut
F quia in manu tua dies nostri vitaque consistit, sicut honorem nobis indignis largiris ministerii, sic quoque tribuas rationabilis obsequii propitius incrementum. Et tua dona in nobis custodias, ut ejus

a In ed. Vatic. & aliis, hic ante orat. ad ord. Ep. ponitur. *Examinatio in ordinatione Episcopi ante Litaniam facienda.* Nimirum qui ordinandus est Episcopus, de fidei articulis interrogatur.

b Ante consecrationem istam, referuntur in laudatis edit. orationes, *ad annulum dandum*, & *ad baculum* (sc. Pastoralem) *dandum*.

c Ipsa ed. Rom. seu Vaticana, manutissa ista caret.

ejus suffragiis apud te semper reddar acceptus, cu- A jus me vice hodie Ecclesiæ tuæ præesse voluisti. Per Christum.

Ad complendum.

Corporis sacri & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster: ut gratiæ tuæ munus, quod nobis immeritis contulisti, intercedente Beato Petro Apostolo tuo, propitius muniendo custodias. Per Dominum nostrum.

N. 784. *Missa propria* N *in die ordinationis suæ.* B

DEus, qui non propriis suffragantibus meritis, sed sola ineffabilis gratiæ largitate, me familiæ tuæ præesse jussisti; tribue tibi digne persolvere ministerium sacerdotalis officii, & Ecclesiasticis convenienter servire ministeriis, plebemque commissam, te in omnibus protegente, gubernare concede. Per.

Alia.

Deus, mundi Creator & Rector, ad humilitatis meæ preces placatus intende; & me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed im- C mensa largitate clementiæ tuæ cælestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris Altaribus fac ministrum: ut quod mea celebrandum voce depromitur, tua sanctificatione firmetur. Per Dominum nostrum.

Super Oblata.

Ad gloriam, Domine, tui nominis, annua festa repetentes Sacerdotalis exordii, Hostiam tibi laudis offerimus, suppliciter exorantes: ut cujus ministerii vice tibi servimus immeriti, suffragiis ejus reddamur accepti. Per.

D

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus & sacerdos ob diem, in quo me dignatus es ministerio sacro constituere sacerdotem, obsecro, Domine, placatus suscipias: Majestatem tuam supplex exorans, ut in me, quod largiri dignatus es, propitius custodire digneris. Per.

a *Benedictio.*

Omnipotens Deus, qui in populo suo ministe- E rio utitur Sacerdotum, conferat vobis suæ propitiationis, & benedictionis donum. Amen. Quique me indignum nullis existentibus meritis, sed gratuita sua pietate huic Ecclesiæ præesse voluit, suffragiis Sanctorum suorum me ab omnibus vinculis peccatorum absolvat, sanctisque suis Altaribus strenuum dignumque ministrum efficiat. Amen. Quatenus per exempla sanctorum Sacerdotum, qui in hac sede, & in hoc ministerio ei placuerunt, gradientes, gregemque commissum secundum suam voluntatem, eo opitulante, regentes ab omnium Pastorum Pastore Christo Domino præmia Sanctis promissa una cum subditis percipere, & F in electorum numero mereamur adjungi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

a In Benedictionali legitur alia pro anniversario consecrationis Episcopi.
b Abest ab aliis editis.

Ad complendum.

Repleantur consolationibus tuis, Domine, quæsumus, tuorum corda fidelium: pariterque etiam & de Ecclesiæ Præsule, & de suorum votorum plenitudine gratiarum referant actionem. Per.

Orationes pro adepta dignitate.

DEus, cui omnis potestas & dignitas famulatur, da famulo tuo *Ill.* prosperum suæ dignitatis effectum, in qua te semper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Dominum.

Alia.

Omnium, Domine, fons bonorum, justorumque provectuum, tribue, quæsumus, *Ill.* famulo tuo adeptam bene gerere dignitatem; & a te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per Dominum nostrum.

N *Oratio* b *ad Abbatem faciendam.* N. 785. b

Quæsumus, omnipotens Deus, famulum tuum *Ill.* quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequere; ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per.

N c INCIPIUNT APOLOGIÆ. N. 786. c

N IMpellit ministrandi officium N hostia salu- N. 787.
taris populi pro delicto, terret conscientia N. 788.
indebiti Sacerdotii pro reatu. Si a me omnium Sa-
cerdotum N peripsema sacrificium offeratur, pol- N. 789.
lutæ conscientiæ crimen augetur. Si tantæ Maje-
stati, universæ carnis judici non offertur, negli-
gentiæ reatus adscribitur. Inter hæc tuæ, omni-
potens, libramen pietatis imploro, cujus ultionis
diem accusante conscientia pertimesco. N Ne indi- N. 790.
gnum, quæso, misericordia tua judices, quem a
tempore pœnitentiæ non excludis. N Suspende se- N. 791.
curim, donec cultor vineæ admoveat cofinum
stercoris infructuosæ arboris ad radicem. Parce
mihi, Domine clementissime, pœnitenti, qui Da-
vid post lapsum clementer ad veniam revocasti;
qui Petri misericors amare flentis lacrymas re-
spexisti; qui latronem in Crucis patibulo tanti fa-
cinoris reum divina gratia illustrasti, cui mox ob-
tinuit confessio N perspicue Dei Filium, fides præ- N. 792.
mium, pœna veniam, lamenta gaudia sempiter-
na: N dum confessor in cruce, possessor extitit pa- N. 793.
radisi post crucem. Sed quia verba veniæ tuæ pie-
tatis indigent, quæ indigni Sacerdotis opera non
commendant, saltim adstantium vota suscipe: ut
& mihi suis apud te precibus veniam, & eorum
meritis sacrificia nostrorum vulnerum salubriter
nobis conferant medicinam: N ut quia omnipotens N. 794.
pro omnibus factus es hostia pro peccatis, adsis
nobis sanctificatio in sacrificio pro delictis, Christe,
Salvator mundi, qui cum æterno Patre una cum
Spiritu sancto vivis & regnas Deus. Per omnia se-
cula seculorum.

Item Apologia.

N Ante oculos tuos, Domine, reus conscientiæ N. 795.
testis assisto: Rogare vix N audeo, quod impetra- N. 796.
re

c Hæc apologia cum sequenti in ed. Vatic. & Gussanvil continetur. In vet. Miss. Gallic. alia reperitur apologia, licet quoad sensum vix discrepet.

N. 797. re non mereor. Tu N enim scis, Domine, om- A
N. 798. nia quæ aguntur in nobis. N Erubescimus confi-
N. 799. teri, quod N per nos non timemus N admittere.
N. 800. Verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur:
& quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus ap-
N. 801. probamus. N Parce, Domine, confitentibus igno-
sce. Peccavimus, miserere, te rogamus. Et quia
N. 802. in Sacramentis tuis meus sensus N infirmus est, præ-
N. 803. sta, quæsumus; N ut qui ex nobis duri cordis ver-
N. 804. ba non suscipis, N per te nobis veniam largiaris. N
N. 805. Per Dominum.

Item Apologia.

N. 806. N Conscientia quidem trepidi, omnipotens Deus, B
ad altare tuum accedimus, sed fiduciam de tuæ pie-
tatis misericordia retinemus. Et licet ad celebran-
N. 807. da sacrificia semper inveniamur indigni: N sed si
recedimus, veremur de inobedientia condemnari.
N. 808. Pro N qua re dignare nos pietate paterna placito
vultu respicere, & cordis nostri interiora purgare.
N. 809. N Et si nos pondere peccatorum nostrorum ac rea-
tu constrigimur, nostrarum tamen precum obten-
tu tibi sint, quæsumus, Domine, in omnibus pla-
cita mysteria consecranda. Per.

Item Apologia.

N Ignosce, Domine, ignosce, N quod dum ro- C
N. 810. gare compellor, dum per immunda labia nomen
N. 811. sanctum tuum assumo, & N cum pudendorum a-
N. 812. ctuum secreta confiteor, N non habeo apud te nec
N. 813. verba sine crimine. Tu enim conscientiæ meæ vul-
N. 814. nera, & N cogitationum mearum occulta nosti,
& immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere
mihi, Domine, miserere mihi, ignosce mysterii
tui secreta tractanti: nec indignum misericordia tua
judices, quem pro aliis rogare permittis: & in quo
testimonium boni operis non agnoscis, officium
N. 815. saltem dispensationis creditæ non recuses. Per N
Dominum nostrum.

Item alia.

N. 816. N Rogo te, Deus Sabaoth altissime, Pater san-
N. 817. cte, N uti me tunica castitatis digneris accingere,
lumbosque meos balteo tui amoris ambire, ac re-
nes cordis mei igne tuæ caritatis urere: ut pro pec-
catis meis possim intercedere, & adstantis populi
peccatorum veniam promereri, ac pacificas singu-
lorum hostias immolare, me quoque tibi audaciter
accedentem non sinas perire; sed dignare lavare,
ornare, & leniter suscipere. Per Dominum no-
strum Jesum.

Item alia.

N. 819. N Ante æterni regis Christi præsentiam nostra
indigna accedunt præconia, quæ valent populi im-
N. 815. petrare delicta. N Livore torquetur conscientia,
quia sacris mysteriis offerendis se ingerit crimino-
sam; & dum respicit admissa, terretur tuis conspe-
ctibus adstare confusa. Sed quæso humilis reus, quia
ad te post lapsum redeo devius, jaceo saucius, in
te vilis respiro, bone medice, vulneratus: ut qui
sacrificia Altaribus tuis munda offerri præcipis, cum
offerentium meritis, sacerdotis indigni labia pol-
luta sanctifices, qui indigere me miserum tua, F
Christe Salvator inclyte, misericordia recognoscis.
Qui vivis & regnas.

Item alia in festivitate Sanctorum.

N Eripiat nos, quæsumus, Domine, tuorum N. 820.
deprecatio Sanctorum: & sicut per Moysem famu-
lum tuum peccata populi dimisisti: ita per interces-
sionem Sanctorum tuorum nostra omnium jubeas
relaxari delicta. Per Dominum.

Item Apologia quotidianæ Sacerdotis propria.

N Mordacis [a] conscientiæ stimulis, & delictorum N. 821.
nostrorum recordatione commoniti N, te Deum in- N. 822.
dulgentiæ deprecamur: ut quidquid dicto, facto,
cogitatione N peccatum est, sive lubricæ ætatis im- N. 823.
pulsu, sive ignorantiæ errore N commissum, pie- N. 824.
tas Domini nostri Jesu Christi N resolvere ac indul- N. 825.
gere dignetur. Per.

Item alia.

N Indignum me Domine, sacris tuis esse fateor N. 8[illegible]
qui innumeris quotidie peccatis fuscor. N Quid ego N. 8[illegible]
te blandis verbis rogare præsumo, quem improbis
sæpissime factis offendo? tu enim mihi medicinam N. 828.
N ingeris, ego N sanitati meæ contraria ago. Legem N. 829.
tuam sacris inditam paginis lego, sanam vero di-
sciplinam infelix negligo. Ad tuum quidem Altare
quasi devotus accedo, sed a præceptis tuis contu-
maci corde N recedo. Da ergo mihi, Domine, cor N. 830.
compunctum, quo veraciter odio habeam pecca-
tum. Meum est, si donaveris, delicta deflere:
tuum est etiam nubem eam cito delere, ut N qui N. 831.
h[illegible] palmam amiserim inimico fraudante, ad ve- N. 832. N. 833.
niam saltem pertineam, te Domino miserante. N N. 834.
Tibi enim Deo est honor Regum Regi cunctorum
per cuncta regnanti secula seculorum.

Item alia.

N Projectis nobis, Domine, in condemnationem N. 835.
operum nostrorum, da capiti nostro aquam, &
oculis nostris fontem infunde lacrymarum; ut D
peccati maculas abluendo, ultrices pœnarum flam-
mas fletuum ubertate vincamus. N Quia tibi non N. 836.
sunt occulta quæ N gerimus. Sit N in nobis, Domi- N. 837. N. 838.
ne, non oris tantum confessio, sed & doloris; non
excusatio criminum, sed lamentatio peccatorum. N. 839.
N Castos enim nostri corporis oculos lasciviæ N N. 840.
mundi violavit aspectus. N Mores corrupti, disci- N. 841.
plina vitiata, simulatio in vultu, fallacia in verbis,
dolus in corde, volubilitas in lingua, operatio
stulta, mens dubia, concupiscentia carnalis, N N. 842.
sollicitudo carnis, oblivio animæ, negligentia
sanctitatis, super hæc autem mortis timor incre-
vit. Miserere nobis, Domine, miserere nobis. E
Da N præteritis veniam, præsentibus emendatio- N. 843.
nem, futuris largire custodiam. Per.

Item alia.

N Ita, Domine, immensi criminis rei, conscientia N. 844.
teste, confundimur, ut ad officium tuum nec se-
curi possimus venire, nec liberi. Quis enim pen-
sans peccatum suum, N nec se a facie tua vellet ab- N. 845.
scondere, si liceret tantæ majestatis oculos declina-
re, si aut evasurus lateret, aut occultatus evaderet?
Aut quis non magis videre te cuperet, si non jam
hinc N quodcumque peccantem prospicis, plus ti- N. 846.
meret? Ergo quia tu ubique nos invenis, ad te
confugimus, quem fugere non valemus. Restat
miseris non latebras intervenire, sed lacrymas. Fo-

a Legitur in laudatis edit. cum duabus sequentibus, *Mordacis &c.* &, *Indignum me*, &c. Prior Theod. exhibet etiam hujusmodi apologias partim similes, partim diversas. In his notanda venit quæ adhuc nobis familiaris est, paucis immutatis: *Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis & nequissimis cogitationibus, ut exaudiri merear deprecans te pro populo quem elegisti.*

veat indulgentia, quos terret offensa. Minatur po- A
tentia, sed misericordia consoletur. Ex te est, qui
liberet, per te est qui excuset. Parce, Pater omni-
potens; & quos aspicis humiles per reatum, ere-
ctos munerare digneris in præmio. Et quos intelli-
gis per confessionem miseros, non facias in exami-
natione confusos. Per Dominum.

N. 247 ### N Item alia [a] in tribulatione.

N. 248 N Si ante oculos tuos, Domine, culpas quas fe-
N. 249 cimus, & N plagas quas excipimus conferamus;
N. 250 minus est quod patimur, majus est N quod mere-
mur. Peccati pœnam sentimus, & peccandi perti-
naciam non vitamus. In flagellis tuis fragilitas no- B
N. 251 stra frangitur, & iniquitas non mutatur. Mens
ægrota torquetur, & cervix dura non flectitur.
N. 252 Vita in dolore suspirat, & N in opere non N emen-
N. 253 dat. Si expectas, N non corrigimur: si vindicas, non
N. 254 duramus. Confitemur N in correptione quod feci-
N. 255 mus, obliviscimur in visitatione quod flevimus. Si
N. 256 N impresseris manum, facienda promittimus: si
suspenderis gladium, promissa non facimus: si fe-
N. 257 rias, clamamus ut parcas: si N parcas, iterum te
N. 258 N provocamus ut ferias: Si N angustiæ venient,
N. 259 tempus petimus pœnitendi: si misericordia subve-
niat, abutimur patientia, quæ pepercit. Adhuc C
plaga illata vix præterit, etiam non recolit mens
ingrata quod pertulit. Si citius nos audias, ex mi-
sericordia insolescimus; si tardius, ex impatientia
murmuramus. Te, Domine, volumus servare
N. 260 quod feceris, N non timemus observare quod jusse-
ris. Habes, Domine, confitentes reos: parce,
N. 261 quia pius es. N Novimus, quod nisi dimittas, recte
N. 262 nos N punias. Sed apud te est multa miseratio, &
propitiatio perabundans. Præsta sine merito quod
N. 263 rogamus, qui fecisti N ex nihilo, N qui rogarent.
N. 264 Clamantibus nobis ad te, Domine, miserere: mo-
veat misericordiam tuam vox fidelis & flebilis; at-
que illa, de qua totum speramus, pietas non reputet D
quod offendimus, dum respicit quod rogamus: &
cum grandis sit miseria esse nos reos, major tibi sit
N. 265 clementia esse nos miseros. Tuo N supplices auxilio
ante te & criminis nostri mala ponimus, & doloris
re precando misericordiam, quam peccando repu-
limus, expectamus. Præstetur his de indulgen-
N. 266 tia, N quod rogaris accipere, quos agnoscis fidu-
N. 267 ciam de N tua justitia non habere. Erige nos, Do-
mine Deus noster, & alleva in misericordia tua, ut
communione salutis, & gaudio caritatis, dum ip- E
si salvari ex munere tuo cupimus, etiam fide & pa-
N. 268 ce N cuncta regentium gaudeamus. Per Domi-
num.

Item alia.

N. 269 N Ignosce, Domine, N commaculatæ viæ con-
N. 270 scientiæ sordido, & criminum confusione captivo,
N. 271 N qui pro me obtinere nihil mereor, pro aliis ro-
gaturus adsisto. Profero ad te, si digneris, Domi-
ne, gemitus captivorum, tribulationes plebium,
N. 272 pericula populorum, N angustias pauperum, neces-
sitates peregrinorum, inopias debilium, despera-
tiones languentium, defectus senum, suspiria ju-
N. 273 venum, vota virginum, N lamenta viduarum. Et
N. 274 N quoniam me eadem, quæ populum tuum cate- F
N. 275 na constringit, N communes lugeo passiones, non
obsit populo tuo oratio subjugata peccatis. Per me
N. 276 tibi offertur N votum, per te meum compleatur of-
ficium. Per.

Alia.

N Deus, ad quem accedere mundi desideramus, N. 277
& ob cujus gloriam in honorem tuorum marty-
rum expiari deposcimus, in vivam nos tibi præpa-
ra hostiam; cordium quoque nostrorum abdita om-
ni crimine lava, & spiritali reple lætitia. Quique
coram te, & pro nostris, & pro fratrum delictis
ingemiscimus, exaudiri a te quantocius merea-
mur; ut nec nostro puniamur, nec alieno pecca-
to; ut justitia & sanctitate vestiti, præsentemur ti-
bi indemnes in die judicii.

Alia.

N Dimitte, Deus, N quidquid per intemperan- N. 278
tiam mordacis linguæ incauta oris nostri increpatio N. 279
momordit in subditos. Quidquid minus de boni
perfectione diximus, parce; quidquid incongruum,
vel minus temperate protulimus, tu ignosce. Non
incautum præsumtio puniat, sed agnoscentem me
iniquitates meas pietas miserationis tuæ absolvat.
Et quia non mihi alibi est fiducia, nisi in misericor-
dia tua, tu & os meum præconio veritatis * perar- N. 280
ma *, & opus pleniori ubertate sanctifica: ut & in- * In mss. perarma.
dignum me salves, & commissum mihi gregem pro
tua pietate N justifices. Quidquid in illis vitiatum N N. 281
respicis sana; quidquid in me vitiosum inspicis, cu- N. 282
ra. Si N quam vitio tepiditatis meæ, vel incuria con- N. 283
traxerunt, vel contrahunt labem, omitte. Si quo
etiam, me ignorante, vel N cognito, deciderunt in N. 284
crimine, atque si exempli mei offendiculo prorue-
runt, N ignosce: & pro culpis talibus misero mihi N. 285
ultionis non restituas vicem. His tamen, quibus
increpationis visus sum adhibere judicium, & N in- N. 286
crepatio ipsa eis proficiat ad salutem, & oratio hæc
interpellans commisso eos revocet ab errore; ut non
perferant tartareos cruciatus, quibus, ut pote N N. 287
mortales, pœnitentiæ indiximus leges: quo N utro- N. 288
rumque incommodis parcens, illorum iniquitati-
bus tribuas veniam, & meam abluas contractam de
gerendi incommoditate offensam. Præbe, Deus,
aurem sacrificiis nostris, & me mihique commis-
sos tuis adscribe in paginis; quo cum grege mihi
credito, & a cuncto eluar crimine, & ad te merear
pervenire in pace. Pacatum redde, Deus, nostro-
rum cordium habitaculum, expulsione carnalium
vitiorum. Et N qui in subditis conor summam exer- N. 289
re virtutum, pacatis mentium corporumque in-
commodis pacificus merear, te judicante, coronari
cum Angelis. Fac ergo, quæsumus, nos, pie Deus,
aspicientes in conspectu tuo, N flammescentes tuæ N. 290
gratiæ dono; ut zelus tuæ domus nos comedat. At-
que ita per vigorem sancti Spiritus regentes subdi-
tos temperemus; N ut & disciplinis nostri regimi- N. 291
nis obtineant lucrum, & illorum duritia frangatur,
ac vita sanctificetur. Suscipe, Domine, nostro-
rum votorum libamina: & per hæc quidquid in
subditos correctionis verbo, vel merito imperti-
mus, non ad discordiam nostri, sed ad perpetuum
dulcedinis gaudium, & nobis, & illis profecisse N N. 292
lætemur. Ablue N nos, Deus, & alieno & nostro N. 293
delicto: ut in utroque spiritalis gratiæ efficientiam
capientes, fiducialius tuo nomini supplicemus. Per
Dominum.

N Orationes ad visitandum infirmum. N. 294

» IN primis faciant sacerdotes asperso sale aquam N. 295
» benedictam, & N aspergant eam N cum an- N. 296
» tipho-

[a] Hæc A,o...gia nonnullis immutatis legitur in vet. Sacrament. Gal.

„ tiphona & orationibus super ipsum infir- A
„ mum, & super domum ejus.

N. 197. *N Exorcismus salis.*

Exorcizo te, creatura salis, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis; & effugiat, atque discedat ab eo loco, quo aspersus fueris, omnis phantasia & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque Spiritus immundus adjuratus per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, B & seculum per ignem.

Benedictio salis.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, benedicere & sanctificare tua pietate digneris, ut sit omnibus salus mentis & corporis: ut quidquid eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritalis nequitiæ. Per.

Exorcismus aquæ. C

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi filii ejus Domini nostri: ut fias aqua exorcizata, ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis: per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

Benedictio aquæ.

Deus, qui ad salutem humani generis, maxi- D ma quæque sacramenta in aquarum substantiam condidisti, adesto invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis effunde: ut creatura mysterii tui tibi serviens ad abjiciendos dæmones, morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum: ut quidquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat immunditia, liberetur a noxia. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat: ut salubritas per E invocationem tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per.

Benedictio salis & aquæ pariter.

„ Hic mittitur sal in aquam.

Deus invictæ virtutis auctor, & [a] inseparabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potens expugnas, te, Domine, trementes ac supplices deprecamur, ac petimus: ut hanc creaturam salis & aquæ dignanter accipias, beni- F gnus illustres, pietatis tuæ more sanctifices, ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis omnis infestatio immundi spiritus abjiciatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum.

Oratio, quando aqua spargitur in domo.

EXaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, & mittere dignare Angelum tuum sanctum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per.

Benedictio domus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris: & hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra. Descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio: ut in his manufactis habitaculis cum salubritate manentibus, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per Dominum.

Alia.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ut si qua sunt adversa, si qua contraria in hac domo famuli tui *Ill.* auctoritate majestatis tuæ pellantur. Per.

N Benedictio uvæ vel N favæ. N. 198. N. 199.

Benedic, Domine, hos fructus novos uvæ, sive favæ, quos tu, Domine, per rorem cæli, & inundantiam pluviarum, & tempora serena atque tranquilla ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum.

Benedictio ad fructus novos.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cælum & terram & omnia creasti, te supplices quæsumus: ut hunc fructum novum benedicere, & sanctificare digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi: ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti, & vini: ut lætantes in eis referant tibi Deo omnipotenti laudes & gratias. Per.

Benedictio ad omnia quæ volueris.

Benedic, Domine, creaturam istam: ut sit remedium salutare generi humano; & præsta per invocationem nominis tui, ut quicumque ex ea sumserit, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiat. Per.

Benedictio N panis. N. 900.

Benedic, Domine, creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes gustantes ex eo, accipiant tam corporis, quam animæ sanitatem. Qui vivis cum Deo Patre in unitate.

[b] Oratio ad N capillaturam. N. 901. b

N OMnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hunc famulum tuum *Ill.* quem N. 902.
[c] ad novam tondendi gratiam evocare dignatus es, c
tribuens ei remissionem omnium peccatorum, N N. 903.
atque cælestium donorum consortium esse præceptorum. Per.

a Ita in codice, ubi tamen Pamelius asserit legendum *insuperabilis*. Paulo post exstat etiam in cod. Grimoldi, *more*, non *vero*, ut in vulgatis codicibus.

b Eadem legitur in edit. Pamel. sed longe alio ordine.
c In cod. Reg. Suec. *ad comam tondendi gratiam*.

N. 904. *Oratio* [a] *ad* N *barbas tondendas.*

Deus, cujus spiritu creatura omnis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum *ill.* juvenili ætate decore lætantem, & primis auspiciis, ad tondendum, exaudi, Domine; ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cælestem benedictionem accipiat, & præsentis vitæ præsidiis gaudeat & æternæ. Per.

N. 905. *Oratio ad* N *infirmum ungendum.*

Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam. Operare, creatura olei in nomine Patris omnipotentis: ut non lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed in te habitet virtus Christi altissimi, & Spiritus sancti. Per eumdem.

Oratio ad visitandum infirmum.

N. 906. N Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti: ita & famulum tuum illum a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per.

Alia.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam resove, quam creasti: ut castigationibus emundata, continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per.

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris: & famulum tuum *ill.* ex adversa valetudine corporis laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, ac cælestis gratiæ præsta medicinam. Per.

Alia.

Deus, qui humano generi, & salutis remedium, & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo *ill.* tuarum dona virtutum: & concede, ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propitius huic famulo tuo *ill.* ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per Dominum nostrum.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas: ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra & membra vegetentur, super hunc famulum tuum *ill.* propitiatus intende: ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Dominum.

„ Deinde a sacerdote dicatur hæc Oratio:

N. 907. Domine Deus, N qui per Apostolum tuum locutus es, *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & si in peccatis est, dimittentur ei:* Cura, quæsumus, Redemtor noster, gratia Spiritus sancti languores istius infirmi, & sua sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde: ut ope misericordiæ tuæ restitutus & sanatus, ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Per.

„ ET sic N flectat genu vel genua qui est langui„dus, & stet ad dexteram sacerdotis, & sic de„cantetur hæc Antiphona: N. 908.

Dominus N locutus est discipulis suis: *In nomine meo dæmonia ejicite: & super infirmos manus vestras imponite, & bene habebunt.* Psal. *Deus Deorum Dominus locutus est.* ET repetit: *In nomine meo, &c.* N. 909.

Sequitur Oratio.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & cum omni supplicatione rogemus; ut hunc famulum suum *ill.* per Angelum sanctum suum visitare, lætificare & confortare dignetur.

Sequitur Antipona.

„ Succurre, Domine, infirmo isto *ill.* & medi„ca cum spiritali medicamine; ut in pristina sa„nitate restitutus, gratiarum tibi sanius referat „actiones. *Psal.* N Ad Dominum cum tribularer. „SEQUITUR alia Ant. SANA, Domine, in„firmum istum, cujus ossa turbata sunt, & cujus „anima turbata est valde: sed tu, Domine, con„vertere, & sana eum, & eripe animam ejus. „*Psal.* Domine, ne in furore tuo arguas me, cum „Gloria; ET repetent: SANA Domine. N. 910.

„ Et N sic perungat infirmum de oleo sanctifi„cato, cruces faciendo in collo & gutture, & „inter scapulas, & in pectore: seu in loco, ubi „plus dolor imminet, amplius perungatur: & „supplicando, dum ungitur infirmus, dicat unus „ex sacerdotibus hanc orationem. N. 911.

Sequitur Oratio.

N Inungo te de oleo sancto in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed in te habitet virtus Christi altissimi, & Spiritus sancti: quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus, sive fotus, pristinam & immelioratam recipere merearis sanitatem. Per eumdem. N. 912.

Sequitur hæc Oratio.

Domine N Deus, Salvator noster, qui es vera salus, & medicina, & a quo omnis sanitas, & medicamentum venit, quique nos Apostoli documento instruis, ut languentes olei liquore orantes tangeremus: respice propitius super hunc famulum tuum *ill.* & quem languor curvat ad exitum, & virium defectus trahit ad occasum, medela tuæ gratiæ restituat in salutem. Sana quoque, quæsumus, omnium medicator, ejus febrium, & cunctorum languorum cruciatus, ægritudinemque, N. 913.

[a] Extat in vet. Sacr. Gall. *Benedictio super eum qui in Ecclesia primitus tondetur*, cujus sensus idem fere est ac hujus orationis.

que, & dolorum omnium dissolve tormenta, viscerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum: sana discrimina ulcerum, vanitatumque putredines evacua, conscientiarumque atque plagarum obducito cicatrices veteres, immensasque remove passiones: carnis ac sanguinis materiam reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue: sicque illum tua pietas jugiter custodiat, ut nec ad correptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem nunc, te auxiliante, perducat infirmitas: sed fiat illi hæc olei sacra perunctio, morbi & languoris præsentis expulsio, atque peccatorum omnium optata remissio. Per Dominum nostrum.

Alia.

N. 914. [N] Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & satiet in bonis desiderium tuum, qui solus in Trinitate unus Deus vivit & regnat per immortalia secula seculorum. Amen.

„ [N] DEINDE communicet eum Corpore &
N. 915. N. 916. „ Sanguine Domini. Et [N] sic faciant illi per septem
„ dies, si necessitas fuerit, tam de communione,
„ quam & de alio officio: & suscitabit eum Domi- C
„ nus, &, si in peccatis fuerit, dimittentur ei.
N. 917. „ [N] DEBENT etiam sacerdotes & ministri san-
„ ctæ Ecclesiæ, cum summa reverentia infirmis
„ decantare per singulos dies vesperas & matuti-
N. 918. „ nos cum hymno: [N] CHRISTE cælestis medi-
„ cina Patris, *& reliq.* & cum Antiphonis, &
„ responsoriis, sive lectionibus & orationibus ad
„ hoc pertinentibus.
N. 919. „ [N] Multi enim sacerdotum infirmos [N] perun-
N. 920. „ guent insuper in quinque sensus corporis, id est
N. 921. „ in superciliis oculorum, & in [N] naribus deintus,
„ & in narium summitate sive exterius, & in la- D
„ biis exterius, & in manibus exterius, id est de-
„ foris. In omnibus ergo his membris crucem fa-
N. 922. „ ciant de oleo sacrato [N] dicentes: In nomine Pa-
„ ✠tris, & Fi✠lii, & Spiri✠tus Sancti.
„ HOC enim faciant, ut si in quinque sensis
„ mentis & corporis aliqua macula inhæsit, hac
„ medicina Dei sanetur.

Oratio in consummationem hujus Officii.

N. 923. [N] Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis & necessitate laborantibus, Majestatem tuam supplices exoramus: ut mittere digneris sanctum Angelum tuum, qui famulum tuum *Ill.* in angustiis & necessitatibus laborantem, consolationibus tuis attollat, quibus & de præsenti consequatur auxilio, & æterna remedia comprehendat. Per Dominum nostrum.

Missa pro Episcopo vel Congregatione.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum *Ill.* & super cunctos illi commissos spiritum gratiæ salutaris: & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Dominum.

Super Oblata.

F Hostias, Domine, famuli tui *Ill.* & omnium sibi commissorum placatus intende: & quas in honorem nominis tui devota mente pro eis celebra-

A mus, proficere sibi sentiant ad medelam. Per Dominum.

Ad complendum.

Famulum tuum *Ill.* & omnes sibi commissos per hæc cælestia munera perpetuo, Domine, comitare præsidio: eosque fovere non desinens dignos fieri sempiterna redemtione concede. Per.

Alia Missa.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo, & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut, te donante, B tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per.

Super Oblata.

Proficiat, quæsumus, Domine, hæc oblatio quam tuæ supplices offerimus Majestati, ad salutem famuli tui *Ill.* ut tua providentia ejus vita inter adversa & prospera ubique dirigatur. Per.

Ad complendum.

Sumentes, Domine, perpetuæ Sacramenta salutis, tuam deprecamur clementiam: ut per ea famulum tuum ab omni adversitate protegas. Per.

Ad complendum.

Famulum tuum, quæsumus, Domine, tua semper protectione custodi: ut libera tibi mente deserviat, & te protegente a malis omnibus sit securus. Per.

[a] Missa votiva.

DEus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatorum, Majestatem tuam suppliciter deprecamur: ut famulum tuum *Ill.* de tua misericordia confidentem cælesti protegas benignus D auxilio, & assidua protectione conserves: ut tibi jugiter famuletur, & nullis tentationibus a te separetur. Per.

Super Oblata.

Hujus, Domine, quæsumus, virtute mysterii & a propriis nos munda delictis, & famulum tuum *Ill.* ab omnibus absolve peccatis. Per.

Ad complendum.

Purificent nos, Domine, quæsumus sacramenta quæ sumsimus, & famulum tuum *Ill.* ab omni culpa liberum esse concede: ut qui conscientiæ E reatu constringitur, cælestis remedii plenitudine glorietur. Per.

Missa specialis Sacerdotis.

FAc me, quæso, omnipotens Deus, ita justitia indui, ut in Sanctorum tuorum merear exultatione lætari: quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar placentium sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per.

Super Oblata.

F Deus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibique sacrificium contriti cordis offerri; hoc sacrificium, quod indignis manibus meis offero, acceptare dignare: ut & ipse tibi hostia, & sacrificium esse merear, miseratus concede, quo per

mi-

a In cod. Cal. multæ sunt Missæ votivæ, sc. de S. Trinitate: de Sapientia: ad postulandam gratiam Spirit. in honore S. Mariæ: ad postulanda angelica suffragia, De S. J. Bapt. De S. Petro. De S. Stephano. De S. Cruce &c. Missa spec. Sacerdotis. Pro salute vivorum. Pro familiaribus. Pro Rege. &c.

ministerii hujus exhibitionem, peccatorum om- A
nium percipiam remissionem. Per.

Ad complendum.

Hujus mihi, Domine, sacramenti perceptio sit peccarorum remissio, & tuæ pietatis optata propitiatio: ut per hæc, te opitulante, efficiar sacris mysteriis dignus, quæ de tua pietate confisus frequentare præsumo indignus. Per.

Missa pro salute vivorum.

PRætende, Domine, misericordiam tuam famulis & famulabus tuis *Ill.* dexteram cælestis B
auxilii: ut te toto corde perquirant, & quæ digna postulant, assequantur, & medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiant. Per.

Super Oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum, quas tibi pro incolumitate eorum offerimus, benignus assume: & ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, præsta, quæsumus, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. C
Per.

Ad complendum.

Da famulis & famulabus tuis, quæsumus, Domine, in tua fide & sinceritate constantiam: ut in caritate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per.

Missa pro familiaribus.

DEus, qui caritatis dona, per gratiam sancti Spiritus, tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis tuis, pro quibus tuam deprecamur D
clementiam, salutem mentis & corporis; ut te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per.

Super Oblata.

Miserere, quæsumus, Domine Deus, famulis tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus Majestati: ut per hæc sancta supernæ benedictionis gratiam obtineant, & gloriam æternæ beatitudinis acquirant. Per.

Ad complendum.

Divina libantes mysteria, quæsumus, Domine, E
ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem & pacem, pro quorum dilectione hæc tuæ obtulimus Majestati. Per Dominum.

a *Missa* [a] *quotidiana pro Rege.*

N. 924. [N] QUæsumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus *Ill.* qui tua miseratione suscepit regni
N. 925. gubernacula, virtutum etiam [N] omnium percipiat incrementa: quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra devitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratiosus valeat pervenire. Per.

Super Oblata. F

Munera, Domine, quæsumus, oblata sanctifica: ut & nobis Unigeniti tui Corpus & Sanguis
N. 926. fiant, & [N] *Ill.* Regi ad obtinendam animæ corpo-
N. 927. risque salutem, & [N] peragendum injunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per Dominum.

Ad complendum.

Hæc, Domine, [N] oratio salutaris famulum tuum *Ill.* ab omnibus tueatur adversis: quatenus & Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, & post istius temporis decursum ad æternam perveniat hereditatem. Per. N. 921.

Missa pro pace.

DEus, a quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per.

Super Oblata.

Deus, qui credentes in te populos nullis sinis concuti terroribus, dignare & preces & Hostias dicatæ tibi plebis suscipere: ut pax tua pietate concessa, Christianorum fines ob omni hoste faciat esse securos.

Ad complendum.

Deus, auctor pacis & amator, quem nosse vivere, cui servire regnare est, protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos: ut qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per.

Missa pro quacumque tribulatione.

INeffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende: ut simul nos & a peccatis exuas, & a pœnis quas pro his meremur, eripias. Per.

Super Oblata.

Purificet nos, Domine, quæsumus, muneris præsentis oblatio, & dignos sacra participatione perficiat. Per.

Ad complendum.

Præsta, Domine, quæsumus, ut terrenis affectibus expiati, ad superni plenitudinem sacramenti, cujus libavimus sancta, tendamus. Per.

Missa pro infirmis.

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis *Ill.* quibus misericordiæ tuæ imploramus auxilium: ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actionem. Per Dominum.

Super Oblata.

Deus, sub cujus nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt, suscipe preces & Hostias famulorum tuorum, pro quibus ægrotantibus misericordiæ tuæ imploramus auxilium: ut de quorum periculis metuimus, de eorum salute lætemur. Per Dominum.

Ad complendum.

Deus, infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmos nostros ostende virtutem: ut ope misericordiæ tuæ adjuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentari mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum.

AP-

a In vet. Sacram. Gallic. habetur *Missa pro Principe.*

APPENDIX
AD
LIBRUM SACRAMENTORUM
S. GREGORII PAPÆ.

VETUS MISSA.

Ex codice Ratoldi Abbatis Corbeienſis.

Dominica in die ſancto Paſcha.

„ PRIMO antequam Epiſcopus Miſſam celebret, ingredietur quoddam oratorium, & ſecundum cordis compunctionem ſeipſum libamine orationis Deo offerat. Dicat hanc orationem:

N. 929. Via [N] Sanctorum omnium Jeſu Chriſte, qui ad te venientibus claritatis gaudium contuliſti, introitum templi iſtius, Spiritus ſancti luce perfunde: qui locum iſtum ſanctorum tuorum Martyrum nomine, vel ſanguine conſecraſti: præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut omnes [N] iſti intercedentes obtineant veniam pro delictis, ab omnibus liberentur anguſtiis, impetrent quidquid petierint pro neceſſitatibus ſuis, placere ſemper prævaleant coram oculis tuis; quatenus per te & per S. Petrum militem tuum muniti, mereamur aulam paradiſi introire. Per.

N. 930. „ HORA vero diei tertia [N] arma ſibi deferantur Sacerdotalia, quæ induet extra chorum ſiniſtræ partis in loco [N] Secretarii. Dum introierit in Secretarium, dicat hanc orationem:

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdotum miniſterio, ad tibi ſerviendum & ſupplicandum, uti dignaris; quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quidquid modo viſitamus, viſites; quidquid benedicimus, benedicas; ſitque ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per.

N. 933. „ PRIMO quidem [N] miniſter deferat caligas, uſque ad genu tendentes, & dicat: TU DOMINE, optamus, jubeas benedicier omnes. Reſpondet Epiſcopus.

Totius honeſtatis auctor omnipotens Deus, ad reprimendas antiqui hoſtis verſutias, per noſtræ ſervitutis * myſterium jube ſanctificari has caligas: ut & in greſſu reſplendeat Evangelii veritas, & mente fidei exerceatur integritas. Per omnia.

* Forte miniſterium.

N. 934. „ DEINDE miniſter det [N] ſandalia, & dicat, *ut ſupra*. Reſpondet Epiſcopus:

Indue me, Domine, calceamentis juſtitiæ], quem Johannes vidit veſtitum podere: ut poſſim tibi omni tempore cum timore ſervire. Per omnia.

„ POST hæc vero ornet ſe ceteris indumentis, & miniſter adminiſtret [N] ſuperhumerale, & dicat: JUBE Domine benedicere. Reſpondet Epiſcopus: N. 935.

Virtus ſumma Deus, cunctorum rector opimus,
Tu benedic noſtrum, quo nunc ornamur, amictum:
Ut ſervire tibi valeamus corde pudico. Per omnia.

„ POSTEA miniſtret ei albam [N] & dicat, *ut ſupra*. N. 936.

Veſtibus angelicis induti, rex pietatis;
Poſſimus libare pii libamen odoris,
Clemens & pravæ purges contagia mentis.
Ac citius delenda [N] malæ contagia mentis. N. 937.
Per omnia.

„ POSTEA miniſtret ei [N] cingulum, & dicat *ut ſupra*. N. 938.

Scrutator cordis, & caſtæ mentis amator,
Tu lumbos præcinge meos, Deus intime judex,
Mortificans pravos in caſto corpore geſtus.
Per omnia.

„ POSTEA detur ei baltheum [N] pudicitiæ, & dicat miniſter, *ut ſupra*. Reſpondet Epiſcopus: N. 939.

Rogo te, altiſſime Deus Sabaoth, Pater ſancte, ut me caſtigare digneris, accingere, & meos lumbos baltheo tui timoris ambire, ac renes cordis mei tuæ caritatis igne urere: ut pro peccatis meis poſſim intercedere, & adſtantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas ſingulorum hoſtias immolare. Per.

TUM miniſter offerat ei ſtolam jucunditatis, gerens vitam geminæ contemplationis. Et dicat, *ut ſupra*. Reſpondet Epiſcopus:

Colla jugo ſubdenda tuo, Deus alme, ſacrato,
Ad cujus dignum pretioſa morte ſepulcrum,
Virtus angelica conſederat ordine mundo.
Per omnia.

N. 939. * leg. mirifice. N. 941. N. 942. SUPER hæc itaque ministretur ei N tunica gyris N in tintinnabulis * N mirice refecta, & dicat minister, *ut supra*. Respondet Episcopus:

Sanctifica tunicam, qua nunc superinduor, istam,

Omnipotens æterne Deus: sine numine cujus
Nil humana valet devoti condere virtus,
Et qui me sacris voluisti vestibus uti,
Da servire tibi, judex pie, mente fideli. Per omnia.

DEINDE ministretur ei aqua ad manus, & pecten ad caput, & dicat minister, *ut supra*. Respondet Episcopus;

Omnipotens & misericors Deus, precor clementiam tuam: ut me audaciter accedentem non sinas perire, sed dignare lavare, ornare, & leniter suscipera. Per omnia.

N. 943. TUNC ministrentur ei N manicæ, *ut supra*.
Digna manus nostras Christi custodia servet,
Ut tractare queant nostræ monumenta salutis. Per omnia.

N. 944. POSTEA N detur ei annulus in dextera manu desuper manica. Dicat minister, *ut supra*. Respondet Episcopus:

Pignore me fidei signatum pacis & arrha,
Custodi dextra, rex benedicte, tua. Pee omnia.

N. 945. N. 946. * Forte junctum. POSTEA ministretur ei N casula: tandem vero N rationale cohærens * vinctam super humerali. Et dicat minister, *ut supra*. Respondet Episcopus:

Spes æterna, Deus, cunctorum certa, salusque,
Tu memor esto mei toto te corde petenti,
Exequar ut dignus cælestis munia vitæ.
Dumque meis manibus tractatur mystica virtus,
Dispereat quidquid contraxerat ordo veternus: Per omnia.

N. 947. DETURQUE manui lævæ N manipulus castitatis, & dicat minister: JUBE, Domine, benedicere. Respondet Episcopus:

Qui super astra sedes, qui regni sceptra teneris,
Summus adesto, Deus, mihimet tua jussa sequenti,
Ac levem capiti complexibus adhibe dextram,
Auxiliumque mihi tribuas per cuncta benignus,
Ut valeam casta tibi sistere perpeti vita. Per omnia.

N. 948. N. 949. N. 950. CUM omni quoque diligentia Episcopus veneretur a suis. Eo autem rationabiliter N flamineato, accedat ordinatim omnis N processio. VII. aut V. aut III. N etsi non Presbyter, & Diaconus. Presbyter quoque ad dexteram & Diaconus ad sinistram, Subdiaconus vero ante oculos ejus teneat Evangelium: qui etiam stipatus sit duobus Acolythis, aut pluribus cum candelabris & thuribulis. Interim sane præparet se schola, & Cantor eorum medius N annuente Episcopo inchoat Antiphonam. RESURREXI. Psal. DOMINE probasti me. Properante Episcopo ad templi vestibulum, & ad ostium secretarii, osculetur Evangelium: & postea cum omni diligentia incedant. Finitoque Introitu ingrediatur medius Pontifex cum Collegio processionis. Eo autem adstante & orante dicat hanc orationem: N. 951.

N. 952. N Suscipe confessionem meam, unica spes salutis meæ Domine Deus meus: quia gula, ebrietate, fornicatione, libidine, acedia, tristitia, somnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate, ac superbia perditus sum: & omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus sensibus extinctus: qui justificas impios & vivificas mortuos, vivifica me, & resuscita me, & miserere mei, Deus meus.

ANNUENTE Episcopo N incipiatur Psalmus a Cantore, cum Introitu reciprocante. N Interim quoque osculetur omnes sibi circumdatos, incipiens N sinistre, alternatimque veniens N dextre. N. 953. N. 954. N. 955. N. 956.

HOC autem expleto, N Episcopus signo digiti sui, inchoet Cantor, GLORIA PATRI. Et properet Episcopus ad Altare stipentibus ministris, dicat hanc orationem; N. 957.

Indignum N me, Domine, sacris tuis esse fateor, qui innumeris quotidie peccatis fuscor. Quid ego blandis te, Domine, verbis rogare præsumo, quam improbis sæpissime factis offendo? Tu enim, Domine, mihi medicinam ingeris ægro; ego sanitati meæ contraria ago: legem tuam, Domine, sacris paginis inditam lego: sanam vero disciplinam infelix negligo. Ad tuum quidem Altare quasi devotus accedo: sed a præceptis tuis contumaci corde recedo. Da ergo mihi, Domine, quæso, cor compunctum, quod veraciter odio habeat peccatum. Meum est, si donaveris, delicta deflere; tuum est ea ut nivem cito delere. Et licet palmam amiserim inimico fraudante, ad veniam saltem perveniam te miserante. Tibi Deo est honor, regnum regi cunctorum cuncta regnanti in secula seculorum. Amen. N. 958.

MORA quidem orationis facta, sicut ordinata sunt, alter alterutrum Presbyteri & Diaconi osculentur Altaris cornua. Et ultimus Episcopus, ministrantibus illis, osculetur Evangelium ab ipsis elevatum & apertum, a Subdiacono scilicet in Altaris medio positum. Et tunc canatur, KYRIE ELEISON. Et ipsis ducentibus, perveniat Episcopus ad solium. N Et tunc incipiat, GLORIA IN EXCELSIS DEO. Post hæc autem canatur Missa secundum sui * visum. Et annuntiat Episcopus: PAX vobis. Resp. ET CUM SPIRITU TUO. N. 959. * Forte usum

Oratio.

Deus, qui hodierna die per unigenitum tuum &c.

EXINDE procedat Subdiaconus in ambonem, & legat Epistolam. EXPURGATE. N Resp. HÆC dies. Alleluia, PASCHA nostrum. N. 960. N. 961.

INCEDAT siquidem Diaconus cum thuribulo, aliusque minister cum thure genuflectentes ad genua sedentis Episcopi: & mittat incensum, fumum suavis odoris, & dicat:

Mitto incensum in odorem suavitatis, & in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

ET Diaconus postulans, inclinato capite benedictionem, & dicat: N JUBE, Domine, benedicere. Respondet Episcopus: DOMINUS sit in corde tuo, & in ore ad proferendam Evangelii lectionem. N. 962.

ACCIPIENS ipse Evangelium & deosculetur eum & Altare. Et ascendat in ambonem * adnuntianti verba æternæ felicitatis. Legatur Evangelium. MARIA Magdalenæ. Finito Evangelio portetur Evangelium a Subdiacono, ut osculetur Episcopus, & omnes post illum. Et dicat Episcopus, DOMINUS VOBISCUM. Resp. ET CUM SPIRITU TUO. N OREMUS. Tunc incipiat offertorium: N TERRA tremuit: * ad nuntiandum N. 963. N. 964. N. 965. N. 966. N. 967.

Eo

N. 968. Eo autem finito, & N oblatione recepta N
N. 969. cum omni processione revertatur ad solium: &
N. 970. exuat N manicas, N lavetque manus, & sic in-
N. 971. grediatur propitiatorium, & N omnis processio
N. 972. offerat sibi oblationem, & N ad ultimum incen-
N. 973. sum, & dicat has orationes dum incensatur:
Domine Deus noster, supplici devotione de-
poscimus: ut sicut suscepisti munera Abel, Noe,
Aaron, Zachariæ, & Samuel, & omnium San-
ctorum tuorum; sic manu nostra peccatrice susci-
pere digneris incensum istud in odorem suavitatis,
& remissionem omnium peccatorum nostrorum.
Per Dominum.

Alia.

Placetur, Domine, hoc thymiamate vel in-
censo furor tuus contra me, & contra locum
istum, & contra populum istum; & præsta pro-
pitius, ut fumus boni odoris tibi simus ad capien-
dam vitam æternam. Per.
POSTEA vero ordinent se more Ecclesiasti-
co. Hoc est, Diaconi ante altare, Subdiaconi
retro, Episcopus in medio, quia in ore duo-
rum vel trium stat omne verbum, inclinantes
capita quousque dicatur: PER OMNIA SE-
CULA SECULORUM. Resp. AMEN. Et
N. 974. dicat hanc orationem super oblata: N SUSCI-
PE, Domine, quæsumus, preces populi tui
cum oblationibus hostiarum. REQUIRE re-
tro in Sabbato sancto. Tunc vero post hanc eri-
gunt se: Et Acolythi ministrent aquam ad ma-
N. 975. nus N Diaconum, & manutergium; & dicat
Pontifex alta voce: PER OMNIA SECULA
SECULORUM. Resp. AMEN. SURSUM
CORDA. Resp. HABEMUS ad Dominum.
GRATIAS agamus Domino Deo nostro.
Resp. DIGNUM & justum est.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & saluta-
re: Te quidem omni tempore, *ut supra*.
DUM dicatur, Sanctus, inclinant se omnes,
& Episcopus dicat hanc orationem interim:
N. 976. N Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam de-
sideras peccatorum, me miserum fragilemque pec-
catorem a tua non repellas pietate: neque aspicias
ad peccata, & ad scelera mea, & immundas tur-
pesque cogitationes meas, quibus flebiliter a tua
disjungor voluntate: sed ad misericordiam tuam,
& ad fidem devotionemque eorum, qui per me
peccatorem tuam expetunt misericordiam. Et quia
me indignum medium inter te & populum tuum
fieri voluisti, fac me dignum talem: ut possim
tuam exorare misericordiam pro me, & pro eo-
dem populo tuo. Et adjunge voces nostras voci-
bus sanctorum Angelorum tuorum: ut sicut il-
li te laudant incessanter & infatigabiliter in æter-
na beatitudine: ita nos quoque eorum interventu
mereamur laudare te inculpabiliter in hac pere-
grinatione. Per Dominum.
TE IGITUR, clementissime Pater.
Communicantes, & memoriam venerantes, *ut
supra*.
Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, *ut
supra*.
Antequam dicatur, per quem hæc omnia,
N. 977. N Benedictio carnis:
Deus universæ carnis, qui Noe, & filiis ejus.
Per quem hæc omnia, Domine, semper bona
creas, sancti✠ficas, vivi✠ficas.

A ACOLYTHUS vero cum patena stet retro
Diaconos inclinans se cum diaconibus, usque
dicat Episcopus, NOBIS QUOQUE PECCA-
TORIBUS. Diaconus igitur qui Evangelium
legit, N inde præcavens quod super calicem E- N. 978.
piscopus faciat signum crucis, & N præveniat si- N. 979.
bi N sublevans calicem in conspectu Domini: & N. 980.
revertatur ad locum suum cito. Siquidem sub-
diaconi a retro altari, ubi memoriam N vel no- N. 981.
mina vivorum & mortuorum nominaverint,
vel recitaverunt, procedunt post Diaconum in-
clinantes capita. Dominica oratione finita acci-
piat subdiaconus patenam de manu Acolythi, &
B det Diacono, & ille deferat Episcopo: & post
hæc stabilientur in loco quo erant, antequam
legeretur Evangelium, quousque benedictio &
pacis osculum fuerint finita. Deinde dum dicat
Episcopus: PER OMNIA SECULA SECU-
LORUM: Resp. AMEN. Post Dominicam
orationem dum finierit. LIBERA NOS A MA-
LO; Annuente Episcopo N dicat Diaconus. N N. 982.
HUMILIATE VOS AD BENEDICTIO- N. 983.
NEM; Et populus resp. DEO GRATIAS. Et
Episcopus dicat hanc benedictionem:
N Benedicat vos omnipotens Deus hodierna in- N. 984.
terveniente Paschali solemnitate, &c.
C ET inde accipiens partem corporis Domini &
dicat, PAX N DOMINI SIT SEMPER VO- N. 985.
BISCUM. Resp. ET CUM SPIRITU TUO. ET
annuente Episcopo dicat Cantor: AGNUS DEI,
QUI TOLLIT PECCATA MUNDI. N Interim N. 986.
osculetur Archidiaconum & ceteros. Inde vertens
se ad altare dicat hanc orationem: DOMINUS
VOBISCUM. Resp. ET CUM SPIRITU TUO.
N Hæc sacro-sancta commixtio corporis & san- N. 987.
guinis Domini nostri Jesu Christi fiat, N omnibus N. 988.
sumentibus salus mentis & corporis: & ad vitam
capiendam æternam præparatio salutaris. Per Do-
D minum.

Dum frangitur Corpus.

Emittere digneris, Domine, sanctum Angelum
tuum ad sacrum & immortale mysterium, scili-
cet Corpus & sanguinem tuum: nos enim frangi-
mus, Domine, illud: tu dignare benedicere, &
præsta: ut immaculatis sensibus, & manibus illud
tractare valeamus, & digne sumere. Per Domi-
num nostrum. Emitte Angelum tuum, Domi-
ne ut dignetur.
POST hæc itaque N communicent se omnes N. 989.
singillatim, Episcopus quoque; N eoque com- N. 990.
E municato dicat orationes has:
Perceptio corporis & sanguinis tui, Domine
Jesu Christe, quam ego indignus præsumo sume-
re, non mihi veniat ad judicium & condemnatio-
nem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamen-
tum mentis & corporis, qui cum Patre in unitate.

Alia.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui ex vo-
luntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per
mortem tuam mundum vivificasti, libera me per
hoc sacrum corpus & sanguinem tuum a cunctis
iniquitatibus & universis malis meis, & fac me
F tuis obedire præceptis, & a te numquam in per-
petuum separari. Qui cum Patre.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus,
da mihi hoc corpus & sanguinem Domini nostri Je-

fu Christi ita sumere, ut merear per hoc remissio- A
nem omnium peccatorum meorum accipere, & tuo sancto Spiritu repleri: quia tu es benedictus, & præter te non est alius, cujus regnum gloriosum permanet in secula seculorum. Amen.

N. 991 „ ET N Episcopus communicet Presbyteros &
N. 992. „ Diaconos cum osculo pacis, N sicco tamen sacri-
N. 993. „ ficio: & subdiaconos sine osculo, mixto N sa-
„ crificio. Et Diaconi & Presbyteri summatim „ gustent cum calice, tenente subdiacono, de ip- „ so sanguine. Interim Cantor incipiat annuente
N. 994. „ Episcopo. N COM. Pascha nostrum. Psalm.
„ Domine probasti me, cum GLORIA. Hoc „ autem expleto, sedeat Episcopus in solio, & „ lotis manibus tertio, revertatur ad altare, & „ dicat Collectam.

Ad complendum.

„ SPIRITUM nobis, Domine. Postea dicat „ Episcopus convertens ad populum. DOMINUS VOBISCUM. Resp. ET CUM SPIRITU TUO. Annuente Episcopo dicat Diaco-
„ nus: ITE N MISSA EST. Resp. Deo gratias. N. 995.
„ Ipse autem Episcopus deosculatur Altare, cum „ silentio dicit hanc orationem:

Oremus.

N Placeat tibi sancta Trinitas. *Ad S. Johan. ad* N. 996.
Vesp. Concede quæsumus omnipotens Deus. *Ad* B *fontes.* Præsta quæsumus omnipotens Deus. *Ad S. Andream.* Præsta quæsumus omnipotens Deus: ut qui gratiam. *Hactenus Missa Paschalis.*

ALIA MISSA VETUS

Ex codice Tiliano.

N. 997. „ N INcipit Ordo Pontificis, quando præparat
N. 998. „ se ad Missam. N Quando lavat manus,
„ dicat hanc orationem: C

LARGIRE sensibus nostris, omnipotens Pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum: sic a te mundentur interius pollutiones mentium, & crescat in nobis sanctarum augmentum virtutum. Per.

N. 999. „ POSTEA N se incipit sandalia Episcopus cal-
„ ciare, & dicit orationem hanc:

CALCIA, Domine, pedes meos in præparatione Evangelii pacis: & protege in velamento alarum tuarum.

N. 1000. „ N DEINDE cantet cum circumstantibus
„ hos Psalmos:

QUAM dilecta. Benedixisti, Domine. Incli- D
na Domine, *Cum precibus.* Exurge, Domine. Fiat misericordia tua, Domine. Deus tu conversus. Ostende nobis, Domine. Ne intres in judicium. Propitius esto peccatis nostris. Domine exaudi orationem.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia sancti Spiritus illumina cor meum: ut tuis ministeriis digne ministrare valeam, ac te æterna caritate diligere merear. Per.

Oratio sacerdotis ad Missam præparandi.

Obumbra, Domine, caput meum umbraculo E
sanctæ fidei: & expelle a me nubila ignorantiæ. Amen.

Ad albam.

Indue me, Domine, vestimento salutis, & circumda me lorica fortitudinis. Amen.

Ad zonam.

Domine, accinge in me custodiam mentis meæ, nec ipsa meos insectatur spiritu elationis. Amen.

Ad stolam.

Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem F
meam: & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam. Amen.

Ad casulam.

Indue me, Domine ornamento caritatis & pacis: ut undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis, & hostibus mentis & corporis.

Postquam ad manipulum.

Da mihi, Domine, sensum rectum, & vocem puram: ut implere possim laudem tuam.

„ POSTQUAM intrat in Ecclesiam, N oscule- N. 1001.
„ tur duos Presbyteros, & duos Diaconos, N in- N. 1002.
„ cipiens per se. INTROIBO ad Altare Dei, cum „ Psalmo, JUDICA me Deus. Interim dum can-
„ tetur versus ad introitum, dicit has orationes:
„ N AUFER a nobis iniquitates nostras: ut ad N. 1003.
„ sancta sanctorum puris mentibus * introire. *Lege mereamur.*

Alia Oratio.

N Omnipotens Deus, qui me peccatorem sa- N. 1004.
cris altaribus astare voluisti, & sancti nominis tui laudare potentiam: concede, quæsumus, per hujus sacramenti mysterium, meorum veniam peccatorum: ut tuæ Majestati digne ministrare merear. Per.

„ N DEINDE cum osculabitur Evangelium, N. 1005.
„ dicat:

PAX Christi quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet, & conservet corda nostra & corpora in vitam æternam. Amen.

N CONFESSIO Sacerdotis ante Altare.

SUSCIPE confessionem meam unica spes salutis N. 1006.
meæ, Domine Deus meus. Gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, acedia, somnolentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate ac superbia perditus sum; & omni cogitatione, locutione, actione, atque omnibus malis extinctus sum: sed tu, qui justificas impios, & vivificas mortuos, vivifica me & resuscita me, Deus meus.

Oratio sacerdotis ante Altare priusquam Missam incipiat.

Deus, propitius esto mihi peccatori: quia tu es Deus immortalis, & sine peccato solus. Domine Deus meus indigno mihi famulo tuo indulge: quia peccator sum & indignus, qui præsumo ad sanctum Altare tuum accedere, & invocare te, qui peccavi coram te, & coram Angelis tuis: sed tribue

bue indulgentiam delictorum meorum, & confirma me in sancta Ecclesia tua, in fide orthodoxorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis.

N. 1007. *N Item oratio interim dum Gloria in excelsis Deo cantatur.*

Domine Jesu Christe, Redemtor mundi, propitius esto mihi peccatori, omnibus modis in peccato jacenti; quia tu solus Domine Deus noster immortalis es & sine peccato, indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad Sanctum Altare tuum B & invocare te: quia peccavi ab infantia mea, usque nunc coram te, & coram omnibus Sanctis tuis: sed per illorum intercessionem tribue mihi divina clementia veniam peccatorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis & regnas.

N. 1008. „ N POST collectam usque ad Evangelium pro„ ut sibi videatur, dicit has orationes:

DEUS, qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos: munda corpus meum, & cor meum ab omni contagione & sorde peccati, & fac me dignum sanctis Altaribus tuis ministrum, & concede propitius, C ut in hoc Altari, ad quod indignus accedo, hostias placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis & offensionibus meis, & innumeris quotidianisque excessibus, & grege mihi commisso, & famulo tuo N. conjugeque, ac populo sibi subjecto, & omnibus circumadstantibus, omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus me odio execrabili insectantibus, & Ecclesiæ tuæ commissæ adversantibus, cunctis fidelibus simul Christianis. Et per eum sit tibi meum votum, atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri obtulit in sacrificium Jesus Christus Dominus noster.

D Ignosce, Domine, quod te rogare compellor, dum per immunda labia mea nomen sanctum tuum assumo: ut cum pudendorum actuum meorum secreta confiteor. Non habeo apud te verba sine crimine. Tu enim conscientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta nosti, & immunditiam meam tu solus agnoscis. Miserere mihi, Domine, miserere mihi: Ignosce mysterii tui secreta tractanti: nec indignum misericordia tua judices, quem pro aliis rogare permittis: & in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ E non recuses, Salvator mundi. Qui vivis.

N. 1009. „ CUM N incensum, antequam legatur Evan„ gelium, mittit in thuribulum, dicat:

ODORE cælestis inspirationis suæ accendat, & impleat Dominus corda nostra ad audienda & implenda Evangelii sui præcepta. Qui vivit.

N. 1010. „ N DEINDE inclinanti Diacono dicat Sacer„ dos:

DOMINUS in corde tuo, & in labiis tuis; ut annunties competenter Evangelium pacis:

N. 1011. „ N PERLECTO autem Evangelio, affera„ tur ad salutandum Episcopo, & dicat:

PER istos sermones sancti Evangelii Filii tui Domini nostri Jesu Christi, indulgeat Dominus F peccata nostra.

N. 1012. „ CUM N autem ornatum fuerit Altare, ante„ quam suscipiat Præsul oblationes Presbytero„ rum, & Diaconorum, dum canuntur Offerto„ ria, ascendat ad Altare, & humillime dicat „ hanc orationem:

A Ante oculos tuos, Domine, reus, conscientiæ testis assisto. Rogare non audeo, quod impetrare non mereor. Tu enim scis, Domine, quæ aguntur in nobis. Erubescimus confiteri, quod non timemus admittere. Verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur: & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce, Domine, confitentibus, ignosce peccantibus, miserere te rogantibus. Et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, & apud te peccatores non habent verba sine crimine: præsta, Domine, ut si ex nobis indignis & peccatoribus duri cordis verba non suscipis, per temetB ipsum nobis veniam largiaris. Qui vivis & regnas Deut & semper, & in æterna secula seculorum.

„ TUNC N convertat se ad suscipiendas obla- N. 1013.
„ tiones offerentium Presbytererum vel Diaco„ norum, N & dicat unusquisque hanc oratio- N. 1014.
„ nem:

TIBI Domino Deo Creatori meo hostiam offero pro remissione omnium peccatorum, & cunctorum fidelium tuorum.

„ CUM Diaconus libamen calicit accipit, di„ cat:

ACCEPTUM sit omnipotenti Deo sacrificium C istud.

„ TUNC redeat Sacerdos ad Altare: & coram „ altari, antequam secretam dicat, N accuset se N. 1015.
„ prius flebiliter, & dicat hanc orationem:

N ANTE conspectum divinæ majestatis tuæ reus N. 1016.
assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo. Miserere mihi, Domine, homini peccatori, ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri, parce labe peccatorum præ ceteris capitalium polluto. Et ne intres in judicium cum servo tuo scilicet vitiis ac voluptatibus carnis aggravato. Recordare, Domine, D quod caro sum. In tuo conspectu etiam cæli non sont mundi, quanto magis nos homines mortales. Indignus sum, ut sim vivens. Tu qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in carne constituto: ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfruar in cælis per te, Jesu Christe.

„ N TUNC puro corde offerat Domino obla- N. 1017.
„ tat Altari superpositas, dicens:

N SUSCIPE, sancta Trinitas, hanc oblationem, N. 1018.
quam tibi offero pro me peccatore, & nostræ congregationis salute, & pro omni populo Christiano, & pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, & pro his etiam qui se commendaverunt in E nostras orationes: & qui nostri memoriam in suis orationibus habent: ut hic veniam recipiamus peccatorum, ot in futuro præmia consequi mereamur æterna. Amen.

N Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblatienem, N. 1019.
quam offero inprimis, ut justum est, in memoriam incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionisque Domini nostri Jesu Christi, & in honorem omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & quorum nomina & reliquiæ hic continentur, & eorum, quorum festivitas celebratur in terris; ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: ut illi omnes F intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

N Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, N. 1020.
quam tibi offero pro N anima famuli tui, quatenus N. 1021.
te donante, percepta venia peccatorum, vitæ quoque sempiternæ immensa gaudia percipere mereatur.

N. 1022. ᴺ Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum tuorum, & famularum: ut per hoc salutare sacrificium purgatæ, Sanctorum tuorum consortio mereantur ᴬ adjungi.

N. 1023. N. 1024. „ ᴺ TUNC Diaconus calicem offerat Sacer-
„ doti super Altare, & dicat:

IMMOLA Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Sit Dominus adjutor tuus, mundum te faciat; dum oraveris ad eum, exaudiat te.

N. 1025. „ ET ᴺ Episcopus calicem offerens Domi-
„ no dicat:

N. 1026. ᴺ DOMINE Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ de latere tuo sanguinem & aquam, unde tibi Ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum; & concede, clementissime, ut pro redemtione nostra, & etiam pro totius mundi in conspectu divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis tuæ ascendat, Jesu Christe.

N. 1027. „ AD ᴺ miscendum vinum cum aqua.

DEUS, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti, da nobis, quæsumus, per hujus aquæ & vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ ᴺ dignatus es fieri particeps
N. 1028. Jesu Christe.

N. 1029. ᴺ TUNC elevata manu benedicat utrumque.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi sit sacrificium istud immaculatum, & a te Deo vivo & vero adunatum & benedictum.

„ ᴺ POSTEA incensum accipiens ponat in
N. 1030. „ thuribulum, dicens:

PER intercessionem sancti Gabrielis Archangeli stantis a dextris Altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud Dominus dignetur benedicere, & in odorem suavitatis accipere.

N. 1031. „ ᴺ TUNC ponat incensum super sacrifi-
„ cium, & in circuitu Altaris dicat:

INCENSUM istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, & descendat super nos misericordia tua. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

N. 1032. „ ᴺ QUANDO odor ejusdem incensi Episco-
„ po vel ceteris porrigitur, unusquisque dicat:

ACCENDAT in nobis Dominus ignem sui amoris, & flammam æternæ caritatis.

„ ᴺ TUNC Sacerdos humillime convertat
N. 1033. „ se ad circumstantes, & dicat.

ORATE pro me misero peccatore ad Dominum nostrum Jesum Christum: ut meum sacrificium ac vestrum sit acceptabile in conspectu divinæ pietatis.

N. 1034. „ ᴺ TUNC dicatur a singulis:

ORENT pro te omnes Sancti Dei. Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Exaudiat te Dominus pro nobis orantem. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua.

„ ᴺ POSTQUAM Sacerdos TE IGITUR
N. 1035. „ incipit, Diaconi & Subdiaconi cantent istos
„ Psalmos:

EXAUDIAT te Dominus. AD te, Domine, levavi. MISERERE mei Deus. QUI habitat. *Cum precibus*. SALVUM fac servum tuum. DESIDERIUM cordis. VITAM petiit a te. OCULI Domini super justos. FIAT misericordia. DOMINE exaudi orationem.

Oratio pro Sacerdote.

Gaudeat, Domine Deus, famulus tuus beneficiis impetratis: & cui fiduciam sperandæ pietatis tribuisti, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum.

Item pro omnibus oratio.

Precibus nostris, quæsumus, Domine, aures tuæ pietatis accommoda, & orationes supplicum, occultorum cognitor, benignus exaudi: ut te largiente ad veniam perveniamus æternam.

„ ᴺ EXPLETA secreta, & ᴺ oratione Domi- N. 1036.
„ nica, cum dixerit, PAX Domini sit semper vo- N. 1037.
„ biscum, Misceatur Corpus Domini cum San-
„ guine.

HÆC sancta commixtio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus nobis mentis & corporis ad æternam vitam capessendam præparatio salutaris. Per.

„ ᴺ POSTQUAM autem benedictio Episcopalis N. 1038.
„ expleta est, accipiens partem quam antea effre-
„ git, tenensque super calicem frangat & dicat:

SANCTI sanguinis commixtio cum sancto corpore Domini nostri Jesu Christi, prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam.

„ ᴺ QUANDO corpus Domini in manus N. 1039.
„ accipit dicat: PANEM cælestem accipiam,
„ & nomen Domini invocabo.

„ AD sumendum corpus Dominicum.

ᴺ PERCEPTIO corporis tui, Domine Je- N. 1040.
su Christe, quod indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium, & condemnationem, sed per tuam pietatem prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis. Qui vivis.

„ ᴺ QUANDO calicem accipit, dicat: N. 1041.

QUID retribuam Domino, &c. *Ut in Miss. Rom.*

POST sumtum, secrete.

COMMUNICATIO & confirmatio sancti sanguinis tui, Domine Jesu Christe, prosit mihi in remissionem omnium peccatorum, & conservet me in vitam æternam.

ᴺ DOMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, N. 1042.
qui ex voluntate Patris ᴺ cooperante * San- N. 1043. * *leg. Spiritu sancto.*
ctorum per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus, & sanguinem tuum, quatenus non sit mihi ad judicium, neque ad condemnationem, sed ad remedium proficiat animæ meæ: & a cunctis iniquitatibus meis libera me Deus, & fac me tui obedire mandatis, & a te, & a Sanctis tuis numquam in perpetuum separari. Qui vivis.

ᴺ Domine sancte, Pater omnipotens, æterne N. 1044.
Deus, da mihi hoc corpus & sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere; ut merear per hoc remissionem peccatorum accipere, & tuo sancto Spiritu repleri: quia tu es, & præter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in secula seculorum. Amen.

„ ᴺ DEINDE cum ceperit communicare cle- N. 1045.
„ rum sive populum, dicat singulis.

ᴺ PERCEPTIO corporis Domini nostri sit N. 1046.
tibi vita & salus, & redemtio omnium tuorum peccatorum.

Oratio sancti Gregorii Papæ.

Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit mihi in remissionem omnium peccatorum ad vitam æternam.

„ ᴺ FINITA Missa postquam Diaconus dicit, N. 1047.

ITE.

ITE Missa est, veniat Sacerdos ante Altare, A
& osculato dicat:
Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis
meæ, & præsta ut hoc sacrificium quod
oculis tuæ majestatis indignus obtuli, sit tibi
placens: mihique & omnibus, pro quibus illud
obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Qui vivis.

N. 1048. N *Alia Oratio*,

Meritis & intercessionibus omnium Sanctorum
suorum misereatur nobis omnipotens Dominus.
N. 1049. „ N EXPLETIS omnibus, Episcopus rediens ad B
„ sacrarium cum Diaconibus & ceteris cantet
„ Hymnum trium puerorum, & LAUDATE N. 1050.
„ Dominum in Sanctis ejus. N *Postea preces*.
CONFITEANTUR tibi, Domine, omnia opera
tua, & Sancti tui. EXULTABUNT justi.
EXULTENT justi. NON nobis, Domine, non
nobis. SACERDOTES induam. NE intres in.
DOMINE Deus virtutum. BENEDICAT nos
Deus Deus. DOMINE exaudi. N Deinde Oratio, N. 1051.
Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium,
concede propitius per interventum eorum, & eorum,
& omnium Sanctorum, ut nos famulos tuos
non exurat flamma vitiorum. Per.



RITUS ANTIQUUS
CELEBRANDÆ MISSÆ.

*Vulgo Sausseuse. *Ex antiquo Codice manuscripto * Salicosani apud Velocasses, Ordinis Sancti Augustini Canonicorum, non longe a Vernone. Cujus Codicis initium est,*

Domino vere sancto & meritis honoran- C
N. 1052. do N MAURILIO, venerabili S. Ro-
N. 1053. tomagensi Ecclesiæ Archiepiscopo, N
JOHANNES Abrincacensis omnium
Episcoporum meritis infimus, corpore
& spiritu totius obedientiæ munus, &c.

MIssa diei hoc ordine celebretur. In primis in
ferialibus diebus duæ campanæ pulsentur,
in festis omnes. AD GLORIA Patri, Choro In-
N. 1054. troitum a B. Cælestino institutum canente Sacerdos
N in vestiario, ceterique ministri sanctis vestibus
justa ordinem induantur, scilicet Alba, Stola, &
Dalmatica Diaconus; Alba, & Tunica, & Ma- D
nipulo Subdiaconus; reliqui tantum Albis, scilicet
duo Acolythi, unus qui cantet Graduale, &
deferat thuribulum. Psalmo dicto, incipiente Choro
GLORIA Patri, Sacerdos ceterique ministri sic
ad Altare procedent. Diaconus præcedat Presbyterum,
Subdiaconus præcedens Diaconum ferat Evangelium,
Ceroferarius cum cereo præcedat Subdiaconum,
portitur thuribuli Ceroferarium. Dum
ergo ante Altare venerint, Subdiaconus Evangelium
ponat super dextrum cornu Altaris, ubi usque
ad Evangelium manebit. Per Altare Jerusalem designatur,
in qua ab initio adventus Domini Evangelica
doctrina retonuit, & inde usque ad publicum
exivit, ut scriptum est: DE SION exibit lex, &
Verbum Domini de Jerusalem. Postea Subdia- E
N. 1055. conus ad sinistram Sacerdotis transeat, Diaconus ad
dexteram: ubi confessione invicem facta, N Diaconum
& Subdiaconum osculetur Sacerdos. Primum
enim Christus pacem Apostolis dedit, per eos
Orbe transmisit. Post quæ Sacerdos, ceterique mi-
N. 1056. nistri retro coram Altari breviter orent, stantes
ordine suo: deinde primum ab oratione N surgens
inclinanti sibi inclinet Diacono, Diaconus inclinanti
Subdiacono, Subdiaconus inclinanti sibi Choro.
N. 1057. Diaconus vero post inclinationem utraque Altaria
cornua deosculans N Sacerdoti medium Altaris o-
sculanti Evangelium osculandum offerat. Evangelio
enim Christus prævaricationis Chirographum
delens, pacem mundo dedit, cujus præconibus utrumque
populum, Judaicum quippe & Gentilem,
sibi reconciliavit. Quod Altare Sacerdos osculatur,
significat gentem Judæam in Jerusalem morantem,
quam Christus sibi reconciliavit: per Evangelium,
gentilem populum. Dehinc pergit Sacerdos
ad dexterum cornu Altaris: dexteram enim
Christus semper egit vitam: dextera enim vita acquiritur
cælestis gloria. Diaconus post eum eamdem
imitando vitam consistat, quousque ei sedere
innuat. Sessio Episcopi justa decreta Urbani Papæ N. 1058.
& Carthaginense Concilium ceteri celsior debet fieri,
in qua cathedra Pontificalis honorifice constituatur,
&c. N Ceroferarii vero usque ad Kyrie elei- N. 1059.
son ab Austro ad Aquilonem candelabra teneant,
quo incepto ibidem dimittant. Per Austrum qui
est ventus calidus, Spiritus sancti fervor designatur,
qui veri Solis ortu ab oriente ad Occidentem
mundum illuminando diffunditur. Unus vero
tertius in medio ponatur, per quem ubi duo
vel tres congregati fuerint in nomine Domini,
Dominum adesse designatur. Per hoc quod, incepto
KYRIE, cerei deponuntur, nos dum Dominum
exoramus, contrito corde humiliari oportere
demonstratur. Salutante Presbytero populum,
iterum ibidem teneant. Oratione finita ab
Oriente ad Occidentem collocent. Duobus enim
testamentis illuminantur quatuor partes mundi.
Septem candelabra in Festis significant septem dona
Spiritus sancti. Incipiente Subdiacono Epistolam,
Sacerdos justa Altare sedeat, & Diacono in
loco suo sedere innuat; Subdiaconus vero, excepto
tempore ministrationis suæ, in choro maneat.
Propinquante Evangelii termino Sacerdos
thymiama in thuribulo ponat, quo incensato Altari
ante Evangelium deferatur. Per thuribulum
quod fragrantiam odoris emittit, fama bonorum
operum quæ Christi doctrinam præcessit. Diaconus
benedictione a sacerdote accepta, ab Altari
Evangelium accipiens super sinistrum armum
im-

imponat. Per sinistrum enim armum vita tempo-
ralis designatur, qua oportet Evangelium prædi-
cari. Et Subdiaconus ante eum pulvinar deferat.
Per pulvinar quod præcedit, Lex figuratur quæ
Evangelium præcessit: per plumas quæ intus oc-
cultantur, mysteria quæ in lege continebantur:
per levitatem plumæ præcepta veteris Legis le-
via ad comparationem novæ: in illa enim dici-
N. 1060. „ tur, *Non occides*. In nova vero, *Qui irascitur*
„ *fratri suo, reus erit judicio*. ^N Sicque præceden-
tibus Ceroferario thuribulique latore, cum Pro-
cessione ad pulpitum pergat, & posito Evangelio
ac incensato, versus Aquilonem, Evangelium
legat: per Aquilonem enim infidelitas Gentium
designatur, quibus Evangelium ab Apostolis igne
Spiritus sancti accensis prædicatur. Quo lecto can-
delabra extinguantur. Immolatione enim veri A-
gni, typici cessavit immolatio, & cetera mysteria
quæ in Lege continebantur & Prophetis per can-
delabra designatis. Incensum Sacerdoti in thu-
ribulo offeratur, & Evangelium primum a Sub-
diacono sibi porrectum osculetur, quod post a
Diacono osculetur. Et in festivis diebus a Sub-
diacono omni clero, incenso præcedente, præ-
sentetur. Evangelio lecto populus a Sacerdote
N. 1061, N. 1062. salutetur: ^ Offerenda incipiatur, quam finitam
versus ^N sequatur. Interim vero panis & vini
oblatio a Subdiacono Diacono, a Diacono offe-
ratur Presbytero. Cantor aquam linteo cooper-
tam in festis Diacono deferat, quam Diaconus
vino misceat. Dulci enim Cantoris modulatio-
ne, populus pia devotione & divino amore ac-
cenditur, & sic ad Dominum currit, & unum
corpus in Christo efficitur. Per vinum Chri-
stus, per aquam populus, per linteam cooper-
turam aquæ labor modulationis Cantoris, quo
N. 1063. liberatur populus a cogitationum pravitate: lino
enim labor exprimitur. ^N Aqua mixta vino, po-
N. 1064. pulus adunatur Christo. Aliis diebus ministret
eam Acolythus. ^N Sacerdos oblationem ita com-
ponat: ut in dextera parte hostiæ calicem consti-
tuat: a dextro enim latere Domini sanguis deflu-
xit & aqua. Sicque corporali cooperta incensum
desuper offerat, & sic Diacono præbeat. Diaconus
vero in circuitu Altaris deferat, postea sacerdoti,
deinde ministro reddat; at clero populoque defe-
rat. Præterea accipiens patenam de Altari, Subdia-
cono porrigat, Subdiaconus vero si fuerit, Acoly-
tho. Non licet enim quidquam sacri ab Altari au-
N. 1065. ferre alicui nisi Diacono vel Sacerdoti. ^N Tunc
coram Altari oret inclinatus Sacerdos solus, po-
stulando ut dignus possit accedere ad Altare & insi-
stere cultibus divinis. Ceteri vero ministri stent in
oratione in ordine suo. Post quæ versus ad popu-
lum orare moneat, conversusque ad Altare secre-
„ tam Orationem dicat: qua completa, VERE
„ DIGNUM &c. devota mente dulcique voce pro-
„ ferat, in cujus fine Hymnum SANCTUS, San-
ctus, Sanctus, a B. Sixto institutum Chorus respon-
„ deat. Diaconus & ministri ad TE IGITUR &c.
„ perseverent retro sacerdotem usque SED LIBE-
RA NOS inclinati. Domino enim patienti mœro-
re & timore sui compatiebantur Apostoli. Per in-
clinationem Diaconorum significatur mœstitia A-
postolorum: per Subdiaconorum, sanctarum mu-
lierum. Subdiaconi vero similiter inclinati sint in
aspectu Sacerdotis, per quos exprimuntur sanctæ
mulieres, quæ patiente Domino, fugientibus di-
scipulis, licet timore & mœrore percussis in his quæ
de eo fiebant, erant intendentes: sed Domino de
cruce deposito ac sepulto, inde recesserunt, & aro-

A mata sepulturæ paraverunt: ita Subdiaconi ab eo
loco discedant, & Corpori ac Sanguini Christi
ministrare satagant, offerentes patenam per ma-
num Diaconi Sacerdoti ad frangendum in ea Cor-
pus Domini, &c. Ubi ergo ad hæc verba venerit,
scilicet, PER quem hæc omnia Domine semper
bona, tunc Diaconus accedat, & dextera manu de-
xterum cornu corporalis accipiat, cum Sacerdote
discooperiat. Sacerdos PER IPSUM &c. dicendo,
^N oblata quatuor partes calicis tangat. Immolatio-
ne enim Corporis Christi redemta sunt quatuor N. 1066.
climata mundi. ^N Item oratione finita ^ uterque ca- N. 1067.
licem levent, & simul ponant, & cooperiant. In- N. 1068.
B de Altare Diaconus osculetur, deinde dextram Sa-
cerdotis scapulam. Per scapulam Sacerdotis lapis
designatur, in quo Angelus ad sepulcrum rese-
dit. Semper enim Angelus credendus est adesse
immolationi Corporis Christi. Per ^N Diaconum N. 1069.
Joseph exprimitur, per sacerdotem Nicodemus,
per elevationem de altari hostiæ depositio Christi
de cruce, per depositionem iterum in Altari se-
pultura Christi. Post quæ Sacerdos Orationem
Dominicam alta voce proferat. Per exaltatio-
nem Dominicæ Orationis demonstratur nostræ
unitas fraternitatis. Deus enim Pater noster,
pacis & concordiæ Magister, sic nos unum pro
C omnibus orare docuit, quomodo in uno om-
„ nes portavit. Clero, SED libera nos a ma-
„ lo, respondente, ^N Officium consecrationis N. 1079.
„ perficiat. SED libera, dicto, Diaconus & Sub-
diaconus se erigant, & oculos in Dominici cor-
poris consecrationem intendant. Ait enim Evange-
lista, quia noti eius a longe stabant, sua pectora
percutientes. Ubi ergo ad locum DA propitius
pacem, venerit, ^N qui mantili indutus tenuerat N. 1071.
* Subdiacono, Subdiaconus Diacono, Diaconus * Forte leg.
Sacerdoti offerat, in qua Sacerdos corpus Domini Potentem.
tripliciter dividat: quarum partium unam Sacer-
D „ dos calici immittens, PAX Domini alta voce N. 1072.
„ dicendo, protinus subdat secreto, ^N FIAT
„ commixtio simul corporis & sanguinis Domi-
„ ni nobis accipientibus in vitam æternam. A-
„ lia se Diaconum, Subdiaconumque commu-
nicet. Tertiam, ^N viaticum, si opus fuerit, in pa- N. 1073.
tena usque ad finem Missæ reservet. Per parti-
culam oblatæ immissæ in calicem, ostenditur
corpus Christi quod resurrexit a mortuis: per
comestam a Sacerdote vel populo vivificantem
eos in Deo, Christi cum discipulis suis post re-
surrectionem conversatio. Tertiam, quæ rema-
net in Altari vocat sancta Ecclesia viaticum mo-
E rientis: ut ostendatur non eos debera deputari
morientes, sed dormientes, qui in Christo moriun-
tur, dum tali tantoque ductore ad æternam vitam
perducuntur. Si autem opus non fuerit, tertiam
Sacerdos aut unus ministrorum accipiat. Non au-
tem intincto pane, sed juxta diffinitionem To- N. 1074.
letani Concilii seorsum corpore, seorsum sangui-
ne, Sacerdos comunicet, ^ excepto populo, quem N. 1075.
intincto pane, non auctoritate, sed summa neces-
sitate timoris sanguinis Christi effusionis permitti-
tur communicare. Dum ergo Sacerdos ministris
communionem porrigit, unumquemque primitus
osculetur: & post qui communicandus est manu
F Sacerdotis osculata, communionem ab eo accipiat.
^N Postremo vero particulam quæ in calice reman- N. 1076.
sit, Sacerdos sumat: & post Diacono calicem ad
mundandum & sumendum quod remansit porri-
gat, qui in sinistrum cornu Altaris calicem cum pa-
tena deferat, ubi partem sibi accipiat, & partem
Subdiacono tribuat. Post mundato utroque utri-

que

quæ participent. Acolythus vero alterum calicem A Sacerdoti ad mundandos digitos deferat. Subdiaconus autem ad mundandum calicem & patenam Diacono serviat. Post mundationem patenæ & calicis Acolythus utrumque mantili involutum teneat usque ad completionem primæ Postcommunionis, suaque ceteri ministri Officia. Sacerdos, ut supra diximus, partito corpore Domini, PAX Domini alta voce proferat, a quo onus Canonicorum pacem accipiat, quam in utroque Choro majoribus distribuat. Ipsi autem ceteris ita porrigant, ut nullus de loco moveatur, sed a superiori accipiat, & inferiori tribuat. Unus minorum utriusque Chori a majoribus accipiat, & juxta præscriptum ordinem ceteris distribuat. Hoc autem firmiter teneant juxta Apostolum, honore invicem prævenientes, ut dantes pacem & recipientes semper inclinent. Per osculum pacis designatur nostræ utilitas Fidei. Chorus vero psallat, AGNUS Dei, quod Sergius Papa tempore confractionis corporis Domini cantare præcepit: cujus Agni immolatio mundum redemit. Quo incepto candelabra illuminentur: Agni passione illuminatus est mundus, &c.



RITUS OLIM OBSERVATUS IN UNCTIONE REGUM FRANCORUM.

Ex codice Ratoldi Abbatis.

INcipit percunctatio sive electio Episcoporum B
N. 1077. ac Clericorum, necnon populorum N ad Regem consecrandum sive ad benedicendum.

ADMONITIO Episcoporum vel Clericorum seu populorum ad Regem dicenda ita legatur ab uno Episcopo coram omnibus:

N. 1078. N A vobis perdonari petimus, ut unicuique de nobis, & Ecclesiis nobis commissis canonicum privilegium ac debitam legem atque justitiam conservetis, & defensionem exhibeatis, sicut rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi
N. 1079. commissæ N per rectum exhibere debet.

N. 1080. *N Responsio Regis.* C

Promitto vobis & perdono, quia unicuique de vobis & Ecclesiis vobis commissis canonicum privilegium & debitam legem atque justitiam servabo, & defensionem quantum potuero, adjuvante Domino, exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.

N. 1081. N DEINDE alloquantur duo Episcopi populum in Ecclesia inquirentes eorum volunta-
N. 1082. tem, & si concordes fuerint, N agant Deo
N. 1083. gratias omnipotenti N decantantes, TE Deum laudamus. Et duo Episcopi accipiant eum per D manus, & deducant ante Altare, & prosternet se usque ad finem, TE Deum laudamus.

N. 1084. *N Invocatio super Regem.*

Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ut hunc famulum tuum N. quem tuæ divinæ dispensationis providentia in primordio plasmatum, usque ad hunc præsentem diem juvenili flore lætantem crescere concessisti, eum tuæ pietatis dono ditatum plenumque gratia veritatis de die in diem coram Deo & hominibus
N. 1085. ad meliora semper proficere facias: N ut summi regiminis solium gratiæ supernæ largitate gaudens suscipiat, & misericordiæ tuo muro ab hostium adversitate undique munitus, plebem sibi commissam cum pace propitiationis, & virtute victoriæ feliciter regere mereatur. Per Dominum.

Item Oratio.

N Deus, qui populis tuis virtute consulis, & a- N. 1086.
more dominaris, da huic famulo tuo Spiritum sapientiæ cum regimine disciplinæ: ut tibi toto corde devotus in regni regimine maneat semper ido-
neus, tuoque munere N ipsius temporibus securitas N. 1087.
Ecclesiæ dirigatur, & in tranquillitate devotio Christiana permaneat: ut in bonis operibus perseverans ad æternum regnum te duce valeat pervenire. Per.

Alia.

In diebus ejus oriatur omnibus æquitas & justitia, amicis adjutorium, inimicis obstaculum, humilibus solatium, elatis correctio, divitibus doctrina, pauperibus pietas, peregrinis pacificatio, propriis in patria pax & securitas, unicuique secundum
suam mensuram moderate gubernans, seipsum se- N. 1088.
dulus discat: ut tua irrigatus compunctione, toti populo tibi placita præbere vitæ possit exempla, & per viam veritatis cum grege gradiens sibi subdito, opes frugales abundantes adquirat simul ad salutem non solum corporum, sed etiam cordium a te concessam cuncta accipiat. Sicque in te cogitatum animi consiliumque omne componens, plebis gubernacula cum pace simul & sapientia, semper invenire videatur: teque auxiliante præsentis vitæ prolixitatem percipiat; & per tempora bona usque ad summam senectutem perveniat; hujusque fragilitatis finem perfectum ab omnibus vitiorum vinculis tuæ pietatis largiente liberatus, & infinitæ prosperitatis præmia perpetua, Angelorumque æterna commercia consequatur. Per.

N Consecratio Regis. N. 1089.

Omnipotens sempiterne Deus, Creator & gu- E bernator cæli & terræ, Conditor & dispositor Angelorum & hominum, Rex regum & Dominus dominorum, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi & Josue populo tuo prælatis multiplicem victoriam tribuisti: humilem quoque David puerum tuum regni fasti-

a In primo Theod. sunt, *Orationes ad benedicendum regem*. At cum nostris nullo pacto conveniant. In his hæc notatu digna quæ inscribuntur; *Oratio quam dixerunt Domnus Apostolicus Johannes* (octavus) *Ludovicum* (cognomento Balbum) *Junioris Caroli Imperatoris filium, Trecas civitatis*. Spiritum sanctificationis, quæsumus Domine Lud. Regi nostro prop. infunde &c.

gio sublimasti, cumque de ore leonis, & de manu
bestiæ atque Goliæ, sed & de gladio maligno Saul,
& omnium inimicorum ejus liberasti, & Salomo-
nem sapientiæ, pacisque ineffabili munere ditasti:
respice propitius ad preces nostræ humilitatis, &
super hunc famulum tuum, quem supplici devo-
N. 1090. tione in N regnum N. Albionis totius videlicet
Francorum pariter eligimus, benedictionum tua-
rum dona multiplica, cumque dextera tuæ poten-
tiæ semper ubique circumda: quatenus prædicti
Abrahæ fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine
fretus, Josue fortitudine munitus, David humili-
tate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi
in omnibus complaceat, & per tramitem justitiæ
inoffenso gressu semper incedat: & totius Albio-
nis Ecclesiam deinceps cum plebibus sibi annexis
ita enutriat, ac doceat, muniat, & instruat, con-
traque omnes visibiles, & invisibiles hostes idem
potenter regaliterque tuæ virtutis regimine ad-
N. 1091. ministret, N ut regale solium videlicet Francorum
sceptra non deserat, sed ad pristinæ fidei pacisque
concordiam eorum animos te opitulante reformet;
ut utrorumque horum populorum debita subje-
ctione fultus, condigno amore glorificatus, per
longum vitæ spatium paternæ apicem gloriæ tua
miseratione unatim stabilire, & gubernare merea-
tur: tuæ quoque protectionis galea munitus, &
scuto insuperabili jugiter protectus, armisque cæ-
lestibus circumdatus, optabilis victoriæ trium-
phum de hostibus feliciter capiat, terroremque suæ
potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militan-
tibus lætanter reportet: virtutibus necnon quibus
præfatos fideles tuos decorasti multiplici honoris
benedictione condecora, & in regimine regni su-
blimiter colloca, & oleo gratiæ Spiritus sancti per-
N. 1092. „ unge. HIC N ungatur oleo. Ant. UNXERUNT
„ Salomonem Sadoc Sacerdos, & Nathan Prophe-
„ ta regem in Gion, & accedentes læti dixerunt,
„ vivat Rex in æternum. Unde unxisti Sacerdo-
tes, Reges & Prophetas, ac Martyres, qui per
fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, at-
* Leg. adepti. que * ademti sunt promissiones. N Cujus sacratis-
N. 1093. sima unctio super caput ejus defluat, atque ad inte-
riora descendat, & cordis illius intima penetret: &
promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi re-
ges, gratia tua, dignus efficiatur: quatenus, &
in præsenti seculo feliciter regnet, & ad eorum con-
sortium in cælesti regno perveniat per Dominum
nostrum Jesum Christum filium tuum, qui unctus
est oleo lætitiæ præ consortibus suis, & virtute
Crucis potestates aereas debellavit, tartara destru-
xit, regnumque diaboli superavit, & ad cælos vi-
ctor ascendit; in cujus manu victoria, omnis glo-
ria, & potestas consistunt, & tecum vivit & re-
gnat Deus in unitate ejusdem Spiritus. Per.

Alia.

N. 1094. N Deus electorum fortitudo & humilium celsi-
tudo, qui in primordio per effusionem diluvii cri-
mina mundi castigare voluisti, & per columbam
ramum olivæ portantem pacem terris redditam de-
monstrasti; iterumque Aaron famulum tuum per
unctionem olei sanxisti, & postea per hujus un-
guenti infusionem ad regendum populum Israeli-
ticum Sacerdotes, & Reges, & Prophetas perfeci-
sti, vultumque Ecclesiæ in oleo exhilarandum per
propheticam famuli tui vocem David esse prædixi-
sti: ita, quæsumus, omnipotens Pater, per hu-
jus creaturæ pinguedinem, hunc servum tuum
sanctificare tua benedictione digneris, N eumque
in similitudine columbæ pacem simplicitatis popu- N. 1095.
lo sibi commisso præstare, & exempla Aaron in
Dei servitio diligenter imitari, regnique fastigia
in consiliis scientiæ, & æquitate judicii semper as-
sequi, vultumque hilaritatis per hanc olei unctio-
nem, N te adjuvante, totius plebis paratum ha- N. 1096.
bere facias.

Alia.

Deus N Dei Filius Christus Dominus noster, N. 1097.
qui a Patre oleo exultationis unctus est præ partici-
pibus suis, ipse per præsentem sacri unguinis infu-
sionem, Spiritus Paracliti super caput tuum infun-
dat benedictionem, eamdemque usque ad interio-
ra cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc visibi-
li & tractabili dono invisibilia percipere, & * tem- * Leg. temp. regno, ut in coronatione Henr. IV.
poralia regna justis moderaminibus executo, æ-
ternaliter cum eo regnare merearis. Per.

Hic N detur annulus. N. 1098.

N Accipe annulum, signaculum videlicet sanctæ N. 1099.
fidei, soliditatem regni, augmentum potentiæ per
* quæ scias triumphali potentia hostes repellere, * Leg. quem, ut in coronatione Henr. IV.
hæreses destruere, subditos coadunare, & Catho-
licæ fidei N perseverabilitati connecti. Per. N. 1100.

N Oratio post annulum datum. N. 1101.

Deus, cujus est omnis potestas & dignitas, da
famulo tuo pro Spiritu suæ dignitatis effectum,
in qua te remunerante permaneat, semperque ti-
meat, tibique jugiter placere contendat. Per.

Hic N cingatur ei gladius ab Archiepiscopo. N. 1102.

N Accipe hunc gladium cum Dei benedictione N. 1103.
tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus sancti
resistere, & ejicere omnes inimicos tuos valeas, &
cunctos sanctæ Dei Ecclesiæ adversarios, regnum-
que tibi commissum tutari, atque protegere castra
Dei per auxilium invictissimi triumphatoris Do-
mini nostri Jesu Christi, qui cum Patre in unitate
Spiritus sancti vivit & regnat in secula seculorum.

N Oratio post gladium. N. 1104.

Deus, qui providentia tua cælestia simul, & N. 1105.
terrena moderaris, propitiare N Christianissimo
Regi nostro: ut omnis hostium suorum fortitudo
virtute gladii spiritalis frangatur, ac te pro illo
pugnante penitus conteratur. Per.

Hic N coronetur. N. 1106.

N Coronet te Deus corona gloriæ, atque justitiæ N. 1107.
honore, & opere fortitudinis; ut per officium no-
stræ benedictionis cum fide recta, & multiplici bo-
norum operum fructu, ad coronam pervenias re-
gni perpetui, ipso largiente, cujus regnum per-
manet in secula seculorum.

Oratio post coronam.

Deus perpetuitatis dux virtutum, cunctorum
hostium victor, benedic hunc famulum tuum tibi
caput suum inclinantem, & prolixa sanitate, &
prospera felicitate eum conserva, & ubicumque
pro quibus auxilium tuum invocaverit, cito adsis,
& protegas, atque defendas. Tribue ei, quæsumus,
Domine, divitias gratiæ tuæ. Comple in bonis
desiderium ejus, corona eum in miseratione, &
misericordia, tibique Domino pia devotione fa-
muletur. Per Dominum nostrum.

Hic

Hic detur sceptrum.

N. 1108. N Accipe sceptrum, regiæ majestatis insigne, virgam scilicet rectam regni, virgam virtutis, qua te ipsum bene geras, sanctam Ecclesiam populumque Christianum tibi a Deo commissum regia virtute ab improbis defendas: pravos corrigas, rectos pacifices: & ut viam rectam tenere possint, tuo juvamine dirigas: quatenus de temporali regno ad æternum regnum pervenias: ipso adjuvante, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum.

Oratio post sceptrum.

Omnium, Domine, fons bonorum, cunctorumque Deus institutor profectuum, tribue, quæsumus, famulo tuo *Ill.* adeptam bene gerere dignitatem, & a te sibi præstitutum honorem dignare corroborare. Honorifica eum præ cunctis regibus terræ: uberi eum benedictione locupleta, & in solio regni firma stabilitate consolida: visita eum in sobole, præsta ei prolixitatem vitæ, in diebus ejus semper oriatur justitia: ut cum jocunditate & lætitia æterno glorietur in regno. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Tunc datur ei virga.

N. 1109. N Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos. Erranti viam doce, lapsisque manum porrige, disperdasque superbos, & releves humiles; & aperiat tibi ostium Jesus Christus Dominus noster, qui de seipso ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Et ipse, qui est clavis David, & sceptrum domus Israel, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit sit tibi adjutor, qui educit vinctum de domo carceris sedentem in tenebris & umbra mortis: ut in omnibus sequi merearis eum, de quo Propheta David cecinit: *Sedes tua Deus, seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui*: & imitando ipsum, qui dicit: *Diligas justitiam, & odio habeas iniquitatem. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*: ad exemplum illius, quem ante secula unxerat præ participibus suis, Jesum Christum Dominum nostrum.

Tunc dicatur Benedictio.

N. 1110.
N Extendat omnipotens Deus dexteram suæ benedictionis, & effundat super te donum suæ protectionis, & circumdet te muro felicitatis, ac cu-
N. 1088. stodia suæ propitiationis, sanctæ Mariæ, N ac beati
N. 1119. Petri Apostolorum Principis, N sanctique Grego-
N. 1113. rii N Angelorum Apostolici, atque omnium Sanctorum intercedentibus meritis, indulgeat tibi Do-
N. 1114. minus omnia mala quæ gessisti. Amen.

Et N tribuat tibi gratiam & misericordiam quam humiliter ab eo deposcis, & liberet te ab adversitatibus cunctis, & ab omnibus visibilium & invisibilium inimicorum insidiis. Amen.

Angelos suos bonos semper & ubique qui te præcedant, comitentur, & subsequantur, ad custodiam tui ponat; & a peccato seu gladio, & ab omnium periculorum discrimine sua potentia liberet. Amen.

N Inimicos tuos ad pacis caritatisque benignitatem convertat, & bonis omnibus te gratiosum, & amabilem faciat; pertinaces quoque in tui insectatione & odio, confusione salutari induat; super te autem sanctificatio sempiterna floreat. Amen. N. 1115.

Victoriosum te atque triumphatorem de invisibilibus atque visibilibus hostibus semper efficiat: & sancti nominis sui timorem, & amorem continuo cordi tuo infundat, & in fide recta, ac bonis operibus perseverabilem reddat, & pace in diebus tuis concessa, cum palma victoriæ te ad perpetuum regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere regem, & in præsenti seculo felicem, æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Quod ipse præstare dignetur.

Item alia Benedictio.

N Benedic, Domine, N hunc Præsulem prin- N. 1116.
cipem, qui regna omnium regum a seculo mo- N. 1117.
deraris. Amen.

Et tali eum benedictione glorifica; ut * Davitica teneat sublimitate sceptrum salutis, & sanctificæ propitiationis munere reperiatur locupletatus. Amen. [* al. Davidica.]

Da ei a tuo spiramine regere populum, sicut Salomonem fecisti regnum obtinere pacificum. Amen.

Quod ipse præstare dignetur.

Regis status designatur.

Sta N & retine N amodo quem hucusque pa- N. 911.
terna N suggestione tenuisti hereditario jure tibi de- N. 1118.
legatum per auctoritatem Dei omnipotentis, & per N. 1120.
præsentem traditionem nostram omnium scilicet Episcoporum, ceterorumque Dei servorum: & quanto clerum sacris altaribus propinquiorem prospicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris: quatenus Mediator Dei & hominum te Mediatorem Cleri, & plebis in hoc regni solio confirmet, & in regnum æternum secum regnare faciat Jesus Christus Dominus noster Rex regum, & Dominus Dominantium, qui cum Patre & Spiritu sancto

N Rectitudo Regis est noviter ordinati, & N. 1121.
in solium sublimati hæc tria populo Christiano sibi subdito præcipere, in primis ut Ecclesia Dei & omnis populus Christianus veram pacem ✠ servans in omni tempore. Aliud est, ut rapacitates, & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat. Tertium est, ut in omnibus judiciis æquitatem & misericordiam præcipiat; ut illi & nobis indulgeat sua misericordia clemens, & misericors Deus, qui cum Patre.

„ Et N tunc deosculetur omnem Clerum po- N. 1122.
„ pulumque: N & dicat unusquisque VIVAT REX N. 1123.
„ FELICITER IN SEMPITERNUM, tribus
„ vicibus: VIVAT REX, ut supra. Et post E-
„ vangelium N offert Rex ad manum Archiepisco- N. 1124.
„ pi oblationem & vinum, & sic peragatur Missa
„ suo ordine. Deinde communicetur ab Ar-
„ chiepiscopo corpore & Sanguine Christi: N N. 1125.
„ & sic referant Deo gratias, post pergant ad
„ mensam.

N. 1126. ## N ITEM AD REGINAM BENEDICENDAM.

» DEbet enim adduci in Ecclesiam, & prosterni ante Altare. Elevata ab oratione ab Episcopis, & inclinato capite, dicat Archiepiscopus hanc Orationem:

N. 1127. N Adesto, Domine, supplicationibus nostris: & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

N. 1128. *N Tunc debet caput ejus ungi oleo.*

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti prosit tibi hæc unctio olei in honorem & confirmationem æternam.

Sequitur oratio post unctionem.

Omnipotens, sempiterne Deus, affluentem Spiritum tuæ benedictionis super famulam tuam
N. 1129. nobis orantibus propitiatus infunde; N ut quæ per manus nostræ impositionem hodie Regina instituitur, sanctificatione tua digna, & electa permaneat; ut numquam postmodum de tua gratia separetur indigna. Per.

N. 1130. *N Tunc debet ei annulus mitti digito.*

Accipe fidei signaculum sanctæ Trinitatis, quo A possis omnes pravitates hæreticas devitare, &
N barbaras gentes virtute tibi præstita ad agnitionem veritatis advocare. N. 1131.

Sequitur Oratio.

Deus, cujus est omnis potestas, & dignitas, da famulæ tuæ *Ill.* signo tuæ fidei prosperum suæ dignitatis effectum; qua tibi semper firma maneat, tibique jugiter placere contendat.

N Tunc debet imponi corona in capite. N. 1132.

B N Accipe coronam gloriæ, honorem jocunditatis: ut splendida fulgeas, & æterna exultatione coroneris, Per Dominum. N. 1133.

Item Oratio.

Omnium, Domine, fons bonorum, & cunctorum dator provectuum, tribue famulæ tuæ *Ill.* adeptam bene gerere dignitatem; & a te sibi præstitam in ea bonis operibus corrobora gloriam. Per Dominum.

BENEDICTIO NUPTIARUM

Ex codice Remensi.

N. 1134. a *Incipit actio N a nuptialis.*

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: ut quod, te auctore, jungitur, te auxiliante servetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Item alia.

Quæsumus, omnipotens Deus, instituta providentiæ tuæ pio favore comitare: & quos legitima societate connectis, longæva pace custodi. Per Dominum.

Super Oblata.

N. 1135. b Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & N hanc oblationem b famularum tuarum illarum, quam tibi offerimus pro famula tua illa, quam ad statum maturitatis, & ad diem nuptiarum perducere dignatus es, placidus, ac benignus assume: ut quod tua dispositione expetitur, tua gratia compleatur. Per Dominum nostrum.

V. D. qui fœdera nuptiarum blando concordiæ jugo, & insolubili pacis vinculo nexuisti, ut multiplicandis adoptionum Filiis sanctorum connubiorum fecunditas pudica serviret. Tua enim, Domine, providentiæ tuæ gratia ineffabilibus modis E
C utrumque dispensas; ut quod generatio ad mundi edet ornatum, N generatio ad Ecclesiæ perducat augumentum. Per Christum. N. 1136. c

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famularum tuarum illarum, quæsumus, Domine, placatus accipias, pro qua majestatem tuam supplices exoramus: ut sicut eam ad ætatem nuptiis congruentem pervenire tribuisti, sic eam consortio maritali tuo munere copulatam, desiderata sobole gaudere perficias N atque d oblatam seriem cum
D suo conjuge provehas benignus annorum. Per Christum Dominum nostrum. Quam oblationem tu Deus. N. 1137. d

Infra N e actio. Ad tricesimum, vel annualem nuptiarum. N. 1138. e

Hanc igitur oblationem Domine, famulorum tuorum illorum, & illarum, quam tibi offerunt ob diem tricesimum conjunctionis suæ, vel annualem, quo die eos jugali vinculo sociare dignatus es, placatus suscipias, deprecamur. Ob hoc igitur reddant tibi vota sua Deo vero, & vivo, pro quibus tremendæ pietati tuæ supplices fundimus preces: ut pariter bene ac pacifice senescant, & videant filios filiorum suorum usque ad tertiam, & quartam progeniem, & te benedicant omnibus diebus vitæ

a Observatione dignum videtur in vet. Sacram. Gall. occurrere orationem seu benedictionem super eos qui secundo nubunt, etsi hujusmodi nuptiæ in Ecclesia benedici non solerent.

b Noster Edmundus Martene qui hæc eadem exhibet ex Gelasiano Missali & mss. codicibus Remensi & Gellonensi l. 1. de antiq. Eccl. ritibus c. 9. de Sacram. Matrim. Art. 5. legit famulorum. Aliqua emendat interi ab ipso factas attenuamus.

c Idem legit, regeneratio.

d Lege, optatam, ex eodem Martene.

e Ibid. infra actionem.

tæ suæ. Per Christum Dominum nostrum. Quam A
oblationem.
N. 1139. „ Percomples canonem plenarium, & N di-
N. 1140. „ cis Orationem Dominicam, & a sic N eam
a „ benedicis his verbis:

Oratio.

N. 1141. N Deus, qui mundi crescentis exordium mul-
tiplicata prole benedicis, propitiare supplicatio-
N. 1142. nibus nostris: & N super hanc famulam tuam
illam opem benedictionis infunde, ut in con-
N. 1143. jugali consortio, affectu compari, mente con-
* leg. sanctitate mutua. b simili * N sanctitatem ut b tua copulentur.

Item Oratio.

Pater mundi Conditor, nascentium genitor,
N. 1144. multiplicandæ originis N institutor, qui Adæ
comitem tuis manibus addidisti, cujus ex ossi-
bus ossa crescentia parem formam admirabili di-
versitate signarent: hinc ad totius multitudinis
incrementum conjugalis thori jussa consortia,
totum inter N c seculum colligarent, humani
N. 1145. c generis fœdera nexuerant. Sic enim tibi, Do-
mine, placitum fuit, sic enim necessarium fuit:
N. 1146. N ut quia longe est & infirmus, d quod ho-
d mini silem, quam quod tibi Deo feceras, ad-
deretur fortiore sexus infirmior; ut unum effice-
N. 1147. ras ex duobus, & pari pignore soboles N mix-
N. 1148. ta maneret; tunc per ordinem flueret ogesta
posteritas, ut N in prioris ventura sequerentur,
nec ullum sibi finem in tam brevi termino,
quamvis essent caduca, proponerent. Ad hæc
e e igitur N datæ sint legis instituta ventura.
N. 1149. Quapropter hujus f familiæ tuæ, Pater, rudi-
f menta sanctifica, ut bono & bene prospero so-
g ciata consortio legis æternæ g jura custodiat; D

meminerit que, Domine, non tantum ad licen-
tiam conjugalem, sed ad observantiam fidei N N. 1150.
sanctorum pignorum h diligata N fidelis & ca- h
sta, nubat in Christo imitatrixque sanctarum N. 1151.
permaneat feminarum. Sit N amabilis ut Ra- N. 1152.
chel viro suo, sapiens ut Rebecca, longæva
& fidelis ut Sara. N Nihil ex hac N subdolus N. 1153.
ille auctor prævaricationis usurpet, nexa fidei N. 1154.
N mandatisque permaneat N feminarum, ser- N. 1155.
viens N Deo vero devota N muniat infirmita- N. 1156. N. 1157.
tem suam robore disciplinæ, uni thoro juncta N. 1158.
contactus vitæ illicitos fugiat. i Sit N verecun- i
da, gravis pudore, venerabilis, doctrinis cæle- N. 1159.
B stibus erudita, N sit fecunda sobolem, sit N pro- N. 1160.
bata, & innocens, & ad Beatorum requiem N. 1161.
usque ad cælestia regna perveniat.
„ Post hæc dic PAX vobiscum, & sic eos
„ communica. Deinde posteaquam communi-
„ caverint, dicis super eos Benedictionem his
„ verbis:
Domine sancte, Pater omnipotens, iteratis
ritibus te supplices exoramus, pro quibus apud
te supplicatus est Christus N k conjunctionis fa- N. 1162. N. 1163.
mulorum tuorum fovere digneris, N bened- k
cta nes tuas excipere mereantur: l ut filiorum l
successibus fecundentur, sicut N plurimi omnes N. 1164.
C confirmare dignare. Avertantur ab eis inimici N. 1165. N. 1166.
insidiæ, N omnipotens, ut N sanctitatem Pa-
trem etiam in ipso conjugio imitentur, qui
providentia tua, Domine, conjungi meruerunt.
Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Post Communionem.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipo-
tens, æterne Deus, ut m quod N non ministren- N. 1167.
tur officio, tua benedictione potius impleantur. m
Per Dominum nostrum Jesum Christum.

a. Apud eumdem Martene, *& sic cantas benedictionis oratio-
nem his verbis*.
b Ita etiam restituit laudatus scriptor.
c Mart. *Institutor*.
d Idem, *quod hominis similem, quam quod tibi feceras, addi-
tus fortiore sexus infirmior, ut unum efficeris ex duobus.... &
priores ventura sequerentur*. Ubi forte menda typographico legi-
tur, *similem pro simile*, & *efficeris*, pro *efficeres*.
e Ibid. *datæ sint legis instituta ventura*. Potior videtur Me-
nardi restitutio, quam habes in notis.
f Melius Martene, *hujus famulæ tuæ*.
g Idem, *jussa*.
h Ibid. *diligatam, fidelis & casta &c*.
i Mart. *sit verecundia gravis, pudore venerabilis ... sit fecunda
in sobole*.
k Idem, *conjunctiones fam*.
l Ibid. *& filiorum successibus fecundentur: sicut eorum stru-
ctu primi hominis confirmare dignare. Avertantur ab eis inimici
omnes insidiæ, ut sanctitatem Patrum etiam*.
m Idem, *ut quod nostro ministratur off. tua: benedi. potius im-
pleatur*.

ELENCHUS CAPITULORUM

HUJUS LIBRI SACRAMENTORUM.

Ad

Heb-

Appendix ad Librum Sacramentorum.

NOTÆ

NOTÆ
ET OBSERVATIONES
IN LIBRUM SACRAMENTORUM
SANCTI GREGORII PAPÆ.

Auctore D. HUGONE MENARDO, *Monacho Benedictino.*

a NOTA 1. HIC [a] LIBER. In excusis legitur, *Incipit liber.*

Nota 2. LIBER SACRAMENTORUM.

Ita in codicibus nostris mss. Rodradi, Remensi, & Ratoldi Abbatis. Ita appellatur in Concilio Remensi apud Burchardum lib. 3. cap. 97. *Expletâ Missâ calix cum patena; & Sacramentorum liber cum vestibus Sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondantur.* Idem videre est apud eumdem Burchardum libro decimo-nono, capite octavo. *Nunc ergo, o Fratres, qui voluerit Sacerdotis nomen habere, imprimis propter Deum cogitet, ut discat ea quæ necessaria sunt, antequam manus Episcopi caput ejus tangat: id est, Psalterium, Lectionarium cum Evangeliis, Sacramentorum librum, Baptisterium, & Computum cum cyclo, &c.* Ubi τὸ baptisterium est conferendi baptismi ratio. Apud Flodoardum lib. 3. hist. Eccl. Rem. cap. 9. *Librum quoque Sacramentorum sub eburneis tabulis argento præfignatis, sed Lectionarium ad Missas librum pari decore venustatum ibidem contulit.* Ita appellat Micrologus cap. 6. de observationibus Ecclesiasticis: *Fecit autem idem Albinus in sancta Ecclesia non contemnendum opus: nam Gregorianas orationes in libris Sacramentorum collegisse asseritur paucis aliis adjectis, &c.* Berno Abbas Augensis cap. 1. libri de quibusdam rebus ad Missam spectantibus: *Quia sicut Papa Gregorius Librum Sacramentorum diligentissime ad veritatis limam correxit.* Johannes Diaconus in vita S. Gregorii citata ab eodem Bernone capite eodem: *Unde & in vita ipsius legimus: Sed & Gelasianum codicem de Missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens in unius libelli volumine coarctavit, quod volumen librum Sacramentorum prætitulavit.* Ita apud Johannem Diaconum.

b [b] Sed ultimum hujusce loci membrum ex ejus textu a nescio quo avulsum est. Walfridus libro de rebus Ecclesiasticis cap. 22. *Curavit B. Gregorius rationabilia quæque coadunare, & seclusis iis, quæ vel nimia vel inconcinna videbantur, composuit librum, qui dicitur Sacramentorum, sicut ex titulo ejus manifestissime declaratur.* Ita etiam appellat Gennadius quamvis de alio libro loquatur, lib de viris illustribus, cap. de Voconio Castellanensi Episcopo: *Composuit etiam Sacramentorum volumen;* & cap. de Musæo Massiliensi Presbytero: *Composuit Sacramentorum egregium, & non parvum volumen per membra quidem pro opportunitate officiorum & temporum, pro lectionum textu, Psalmorumque serie; sed supplicandi Deo: & contestandi beneficiorum ejus soliditate sui consentaneum.* Ita etiam Missa ab Illyrico edita, *Incipit ordo Sacramento-* A *rum.* Quare non assentior iis qui scribunt titulum hujus libri esse τὸ *Sacramentarium*, non vero, *Liber Sacramentorum.* Cum etiam contrarium pateat ex hoc Sacramentorum libro, in quo manifeste *Sacramentarium* a libro *Sacramentorum* distinguitur. Siquidem ibi feria 6. Majoris Hebdomadæ citatur Sacramentarium: *Qui dum veniens de sacrario processit ante altare ad orandum, ordine quo in Sacramentario continetur. Mox ut surrexerit, &c.* Nec obest, quod Albinus, Amalarius, & alii nonnulli hunc librum appellarint Sacramentarium, cum satis ex supradictis constet τὸ *Liber Sacramentorum* B esse verum ac germanum hujus operis titulum: etsi non diffitear hanc vocem *Sacramentarium*, vel *Sacramentarius* esse antiquam: siquidem Gennadius in Paulino ea usus est: *Fecit*, inquit, *& Sacramentarium & Hymnarium.* Aptissime autem hoc opus, liber Sacramentorum dicitur, quia in eo officia Missarum liturgice recte disposita continentur; quæ Sancti Patres olim Sacramenta appellarunt, quemadmodum Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum: *Num quis dubitet vos illud legitimum in Sacramentorum mysterio præterire non posse? offerre vos dicitis pro Ecclesia, quæ una* C *est.* Et lib. 6. *Inter Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum*, id est in Missarum celebratione potuit tangi velamen altaris, non ipsum altare; quod lignum appellatur, quia ligneum erat, qua de re infra dicetur. S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus: *An quid est indignius, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur? circumsonare Sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium?* S. Augustinus epist. 59 ad Paulinum: *Ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sa-* Nunc 159. D *cramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici.* Et lib. de dono perseverantiæ cap. 13. *Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini.*

Nota 3. EX AUTHENTICO LIBRO BIBLIOTHECÆ CUBICULI SCRIPTUS.

In aliis codicibus nostris mss. hæc verba desiderantur, quæ non parum faciunt ad auctoritatem hujus codicis. Habentur in editis excepto hoc vocabulo, LIBRO. Cubiculum est quoddam secretarium, cella, seu domus juxta Ecclesiam S. Petri, in E qua excubabant ii qui ad custodiam corporum SS. Apostolorum Cubicularii dicti sunt: in qua etiam erat Bibliotheca sacrorum librorum, eorum præsertim qui ad officium Ecclesiasticum, & divina mysteria peragenda spectant. Quod videre est etiam in

[a] Hic titulus legitur in vetustissimis Sacramentorum libris, præsertim in Ratholdino antiquissimo, cujus Scripturæ specimen lege apud Mabill. de re Diplomat. pag. 365.

[b] In mss. Johannis Diaconi, etiam antiquioribus Bernone, qui floruit ineunte sec. xi. verba hæc non extant, neque ulla supersunt abrasionis vestigia.

in Basilica Nolæ a S. Paulino ædificata, ubi a parte sinistra apsidis fecit Secretarium libris sacris condendis aptum, quod ipsa inscriptio significat,

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Ut testatur idem S. Paulinus epist. 12.

Nota 4. MISSA.

Antiqui Patres fere utuntur hoc vocabulo in numero plurali: habetur tamen apud sanctum Ambrosium singulare libro quinto a Epist. 35. ad Marcellinam sororem: *Sequenti die (erat autem Dominica) post lectiones & tractatum dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in baptisteriis tradebam Basilicæ, illic nuntiatum est mihi comperto, quod ad Portianam Basilicam de palatio Decanos misisset, & vela suspenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere, Missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognovi a populo Castulum quemdam, quem Presbyterum dicerent Arianus. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissime flere & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, ut subveniret.* Ubi verbum *Offero*, & nomen *oblatio*, aperte indicant Missam hoc loco esse de sacrificio corporis & sanguinis Christi liturgico intelligendam.

Nota 5. AD INTROITUM ANTIPHONA, QUALES FUERIT.

Ita in b Antiphonario Gregoriano mss. Bibl. Corbeiensis, atque etiam in editis. Ita loquuntur Walfridus Strabo de rebus Eccles. cap. 22. & Micrologus cap. 1. de observationibus Ecclesiasticis: *Interim cantatur Antiphona ad Introitum, quæ ab introitu Sacerdotis ad altare hoc nomen meruit habere.* Vulgo *Introitus* appellatur, & habetur in codicibus mss. Rodradi Presbyteri, & Rutoldi Abbatis, & in editis: id etiam videre est apud Amalarium lib. 3. de officiis cap. 5. *Officium quod vocatur Introitus Missæ, habet initium a prima Antiphona, quæ dicitur Introitus: & finitur in oratione quæ dicitur a Sacerdote ante lectionem.* Nulla hic est mentio Psalmi: sed satis intelligitur, cum fit mentio Antiphonæ, quæ ei præmitti solet in Missa. Hic Psalmus olim canebatur integer: unde in Antiphonariis Gregorianis, & in Missali Romano post Antiphonam ponitur Psalmi principium. Quod si primus Psalmi versiculus est Antiphona, tum illam subsequitur secundus Psalmi versiculus, etsi quidam recentiores novarum Missarum concinnatores hoc præ ignorantia minus observent. Itaque olim a psalmodia Missa ducebat initium, ut modo fit, ut planum est ex S. Dionysio cap. 3. Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Ubi primum Pontifex ducto ab altari suffitionis initio, chori ambitum cum suffitione perlustravit, reversus ad altare ἀπάρχεται τῆς ἱερᾶς τῶν ψαλμῶν μελῳδίας, &c. id est, sacram incipit Psalmorum melodiam, omni ordine Ecclesiastico sacram ipsi psalmodiam succinente. Cui videtur suffragari S. Basilius lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 27. cum ait quædam præmitti lectioni Apostoli & Evangelii: οὐ γὰρ δὴ τούτοις ἀρκούμεθα ὧν ὁ Ἀπόστολος, ἢ τὸ Εὐαγγέλιον ἐπεμνήσθη, ἀλλὰ καὶ προλέγομεν καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλην ἔχοντα πρὸς τὸ μυστήριον τὴν ἰσχύν. id est, non tantum contenti sumus his quorum meminerunt Apostolus & Evangelium: sed alia quædam præmittimus & subjungimus, tamquam multum momenti ad hoc mysterium habentia. Alcuinus tamen lib. de Offic. divinis cap. de vestimentis, & Amalarius lib. 3. de Eccl. Officiis cap. 5. scribunt hoc institutum manasse tantum a Cælestino Papa, qui instituit, ut Psalmi CL. ante sacrificium canerentur, quod antea non fiebat, cum Missa tantum exordium duceret ab lectione Apostoli, & Evangelii. Hæc illi & recte. Nam tempore S. Justini Martyris, qui discipulis Apostolorum coævus fuit, Missa incipiebat a lectionibus, ut ipsa testatur in Apologia secunda pro Christianis sub finem: *Et Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit,* καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν Προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ. id est, & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quantum hora permittit, leguntur. Deinde Lectore quiescente, &c. Apud S. Cyrillum quidem Catech. 5. Mystagogica, ubi ordo Missæ recensetur, primo fit mentio lotionis manuum, deinde osculi pacis, quorum rationem mysticam reddit; sed non puto tunc Missam caruisse lectione sacra; nam idem Cyrillus Catechesi 4. hortatur legendum eas Scripturas dumtaxat, quæ in Ecclesia leguntur. Si vero nullam fecit mentionem lectionis Scripturarum Catech. 5. mystag. in promptu causa est, quia facilis erat ratio cum Scripturæ legerentur in conventu; aliorum vero mysteriorum non item, quam enucleatius explicat in hac catechesi. Idem initium Missæ a Scripturis diu perseveravit in Ecclesia. Nam vigebat adhuc tempore S. Ambrosii, ut planum est ex Epist. 35. lib. 5. *Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum, dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in baptisteriis tradebam Basilicæ, &c.* (Nunc ep. 20. I. Classis.) Et Carthagine tempore S. Augustini usus Psalmorum ante oblationem tantum receptus est, ut patet ex lib. 2. Retractationum cap. 11. *Inter hæc Hilarius quidam vir tribunitius & Catholicus, nescio unde adversus Dei ministros, ut fieri assolet, irritatus, morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut Hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione lacerabat, asserens fieri non oportere.* Unde postea videmus Psalmorum mentionem fieri in ipsis Liturgiis, ut clarum est ex Gennadio in Musæo Massiliensi qui librum Sacramentorum composuit Psalmorum serie, & decantatione discretum. Sed hic Psalmorum usus tempore Musæi Massiliensis, & postea ubique in Gallia nondum receptus erat. Nam tempore Theodeberti regis Treviris Missæ exordium adhuc a lectionibus ducebatur, ut patet ex S. Gregorio Turonensi in vitis Patrum, in S. Nicetio Trevirorum Pontifice. *Advenit die Dominicus: & ecce Rex cum his, qui ab hoc Sacerdote communione abesse jussi fuerant, Ecclesiam est ingressus; lectis igitur lectionibus, quas Canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super altare Dei, ait Sacerdos: non hic hodie Missarum solemnia consummabuntur, nisi communione privati prius abscedant.* Quæ cum ita sint, dicendum est priscis illis temporibus non fuisse unum eumdemque usum: sed alios Missæ exordium duxisse a psalmodia, alios vero a lectionibus.

Nota 6. DEINDE KYRIE ELEISON.

Antiqua fuit plane consuetudo Ecclesiæ Romanæ canere *Kyrie eleison* tam in Missis, quam in cæteris divinis officiis, ut planum est ex Concilio Vasensi, quod celebratum fuit Decio juniore V. C. Consule an. Christi DXXIX. can. 3. *Et quia tam in sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales atque Italiæ Provincias dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut Kyrie eleison cum grandi affectu & compunctione dicatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo, & ad Matutinos & ad Missas, & ad Vesperam Deo propitio intromittatur.* Ex quo patet immerito a quibusdam Græcis notatum fuisse S. Gregorium Papam, quasi ut Ecclesiam Constantinopolitanam opprimeret, tum primum instituerit, ut in Missa Romana *Kyrie eleison* caneretur: ut ipse testatur c lib. 7. Regesti, epist. 64. ubi affirmat se numquam id ab Ecclesia Constantinopolitana emendicasse

a In novissima edit. est 20. Ep. primæ Classis.

b S. Gregorii Antiphonarium mox edituri sumus. MSS. Theoder. præter collectam, orationem, super oblata, præfationem & quæ exhibent omnes libri Sacram. assignant singulis in missis Antiphonam, seu Introitum, Psalmum huic Antiphonæ respondentem, Responsorium cum versu quæ gradualia nomine modo intelliguntur, Alleluia, Offertorium cum pluribus versibus, & Communionem cum Psalmo. quæ omnia complectitur Antiphonarium.

c Nunc l. 9. ind. 2. Ep. 12. Cæterum hujus Epistolæ verba non recte assecutus mihi videtur Menardus. Nemo enim unquam conquestus est Gregorium Constantinop. Ecclesiam voluisse opprimere, illius ritus emendicando, & in Romanam Ecclesiam invehenda; cum id potius Constant. Sedi foret perhonorificum. Sed nonnulli mirati sunt, Gregorium eo ipso tempore quo C. P. Patriarchæ profanum œcumenici titulum usurpanti obsistebat; &, ut immerito clamitabant eius Patroni, Constantinopolitanam Ecclesiam opprimere & spoliare satagebat: voluisse tamen ipsius ritibus Romanam Ecclesiam subdere. Sic igitur accipienda sunt verba hæc laudatæ Epistolæ: *Quomodo Ecclesiam Const. disponit comprimere, qui ejus consuetudines per omnia sequitur.* Quasi diceretur: *Ecce qui Ecclesiæ C. P. infensissimus est, eam tamen honore summo afficit, ejus ritibus Romanam Ecclesiam subjiciendo.*

casse, alioque ritu hanc supplicationem a Roma Ecclesia cantari: *Kyrie eleison autem* (inquit) *nos neque diximus, neque dicimus, sicut a Græcis dicitur; quia in Græcis simul omnes dicunt: apud nos autem a Clericis dicitur, a populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur*. Hæc ille. Quod spectat ad illa verba, *quia in Græcis simul omnes dicunt*; ritus notus est ex Liturgiis S. Marci, S. Jacobi & similibus, in quibus populus dicit *Kyrie eleison*. In Liturgia vero S. Johan. Chrysostomi, Chorus; quæ vox hoc loco sumitur pro universo cœtu seu Ecclesiastico seu Laico, quemadmodum & vox *populus*, sumi debet in citatis Liturgiis. Quod attinet ad illa verba, *Et totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur*, ritus notandus est, quo olim toties dicebatur *Christe eleison*, quoties *Kyrie eleison*, qui non est amplius in usu, quia modo in Missa *Christe eleison* ter dumtaxat, & *Kyrie eleison* sexies repetitur. Itaque cum in translatione Græca Missæ Gregorianæ circa hanc precationem auctore Georgio Codino servetur modernus usus, signum est ei ad suam versionem antiqua & pura exemplaria defuisse. In tribus vero codicibus nostris mss. nihil est quod huic loco S. Gregorii adversetur, cum semel in eis tantum *Kyrie eleison* brevitatis, ut arbitror, causa scriptum sit. Cum autem S. Gregorius scribit, *Christe eleison* a Græcis non cantari, veritas hujus sententiæ patet ex antiquis Græcorum Liturgiis, in quibus *τὸ Christe eleison* non reperitur.

Nota 7. ITEM GLORIA IN EXCELSIS.

Vulgo fertur institutum esse a Telesphoro Papa, ut hic Hymnus Angelicus in Missa caneretur. Hanc illi institutionem attribuunt, Anastasius Bibliothecarius in ejus vita, Walafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 22. Amalarius Fortunatus lib. 3. de Off. Eccles. cap. 8. & Alcuinus de divin. Off. cap. *Quid significent vestimenta*: qui tamen eodem libro cap. seq. ait hunc Hymnum postea auctum fuisse & consummatum a S. Hilario Pictaviensi. Quod si ita est, videtur Alcuinus non sibi constare. Sed puto in priori loco locutum esse tantum de verbis hujus Hymni, quæ extant in Evangelio. Concilium Toletanum IV. can. 12. *Reliqua quæ ibi sequuntur Ecclesiasticos Doctores composuisse* scribit. In Liturgia S. Jacobi Angelica seu Evangelica verba ter dicuntur: quo præbuit ansam quibusdam scribendi, hunc Hymnum in Missa dici consuevisse ex traditione Apostolica, quod tamen non potest evidenter colligi ex eadem Liturgia; quia aliud est loqui de ipsis verbis Angelicis seu Evangelicis præcise, aliud de toto Hymno, etsi integer extet in constitutionibus Apostolicis lib. 7. cap. 4. nam in ejusmodi constitutionibus multa postea addita fuisse omnes docti norunt. Olim hic Hymnus Angelicus in Laudibus Matutinis canebatur, ut notavimus ad Concordiam Regularum S. Benedicti Abbatis Anianensis.

Nota 8. SI EPISCOPUS FUERIT.

Ita in editis, & in codibus Rodradi & Ratoldi: in quibusdam male legitur, *affuerit*, at ex sequentibus constat.

Nota 9. A PRESBYTERIS AUTEM MINIME DICITUR NISI IN SOLO PASCHA.

Idem institutum videre est apud Bernonem Augiensem cap. 2. de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, etsi adversari videatur: *Cur non liceat omni die Dominico, vel natalitiis Sanctorum Presbyteris illum Hymnum canere, quem nato in carne Domino Angeli cecinere dicentes: Gloria in excelsis Deo. Quod si concessum est illum canere in Pascha secundum prætitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in cælis. Proferant contradictores in medium ubinam sit a Sanctis Patribus, vel ab ipso sanctissimo Papa Gregorio interdictum*. Sed ei sufficere debebat sui Missalis auctoritas instituti olim a Sanctis Patribus, & ab ipso sanctissimo Gregorio recogniti, quod etiam videre est in cod. mss. Rodradi, & Ratoldi. Sed tandem institutio mutata.

Nota 10. POSTMODUM DICITUR ORATIO.

In hoc S. Eligii codice, ut in codicibus Rodradi & Ratoldi, atque in editis, & in Ordine Romano, unica habetur oratio, seu collecta in prima parte Missæ ante Evangelium, raro duæ. In codice Remensi duas reperire est, raro unicam. Itaque non assentior iis, qui asserunt in Ecclesia Romana a temporibus Apostolicis usitatam fuisse trium orationum in hac prima Missæ parte recitationem, exceptis festis duplicibus, totidemque super Oblata, & post Communionem. Olim apud Græcos quinque orationes peragebantur ante pacem datam, quam sequebatur oblatio mysteriorum. Id videre est in Concilio Laodiceno can. 19. quem quia inutile admodum a quodam viro docto citatus est, integrum fere producam, ut palam fit omnis illius doctrina: περὶ τοῦ δεῖν ἰδίᾳ μετὰ τὰς ὁμιλίας τῶν Ἐπισκόπων, καὶ τῶν κατηχουμένων εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι, καὶ μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοὺς κατηχουμένους, τῶν ἐν μετανοίᾳ τὴν εὐχὴν γίνεσθαι, καὶ τούτων προσελθόντων ὑπὸ χεῖρα, καὶ ὑποχωρησάντων, οὕτως τῶν πιστῶν τὰς εὐχὰς γίνεσθαι τρεῖς, μίαν μὲν τὴν πρώτην διὰ σιωπῆς, τὴν δὲ δευτέραν, καὶ τρίτην διὰ προσφωνήσεως πληροῦσθαι, εἶθ' οὕτως τὴν εἰρήνην δίδοσθαι. Id est, quod oporteat seorsum primum, post Episcoporum sermones Catechumenorum orationem peragi, & post Catechumenorum excessum, Pœnitentium fieri orationem: & cum hi sub manum accesserint, & excesserint, tres fidelium preces fieri; unam quidem scilicet primam silentio, secundam autem & tertiam clara voce impleri, deinde sic pacem dari. Quæ sane tres orationes dabantur post Evangelium, nam Catechumeni & Pœnitentes non dimittebant nisi illo cantato. Sanctus Johannes Chrysostomus homilia septuagesima secunda in Matthæum trium orationum dumtaxat mentionem facit, quæ ante pacem videlicet dicebantur, καὶ πρώτη ἡ δεῖ ἐλεημοσύνης γέμει, ὅταν ὑπὲρ τῶν ἐνεργουμένων παρακαλῶμεν, καὶ ἡ δευτέρα πάλιν ὑπὲρ ἑτέρων τῶν ἐν μετανοίᾳ πολὺ τὸ ἔλεος ἐπιζητοῦσα, καὶ ἡ τρίτη δὲ πάλιν ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν. Id est, & prima (Missæ) oratio plena est misericordiæ qua pro arreptitiis precamur; secunda, qua pro Pœnitentibus oratur, multam quærit misericordiam; tertia rursus pro nobis ipsis recitatur, hoc est, fidelibus. Idem Homil. 18. in 2. Epist. ad Corinthios mentionem facit orationum, quæ in sacro-sancto opere Liturgico pro Energumenis & Pœnitentibus effunduntur. Ex quibus locis satis colligitur Græcos in ejusmodi ritu quodammodo a se invicem discrepasse, & multo magis a Latinis; nec mihi probatur illa explicatio, qua dicitur præfatis S. Johannis Chrysostomi locis Energumenos sumi pro Catechumenis. Cetera quæ ad rationem collectarum spectant, require in observationibus nostris ad Concordiam regularum cap. 15. §. 8.

Nota 11. DEINDE SEQUITUR APOSTOLUS.

Id est, lectio ex a Apostolo, vulgo Epistola. Optima lectio, quæ etiam habetur in codicibus editis, & in mss. Rodradi, & Ratoldi. Ita loquitur Concilium Toletanum primum, can. 2. *ita ut Evangelia aut Apostolum non legant*; & can. 4. *ita ut Evangelium & Apostolum non legat*. Ita etiam Codinus de officiis Palatii Constantinopolitani: καὶ μετὰ τὸν τρισάγιον ὕμνον ἀναγινώσκεται ὁ Ἀπόστολος. id est, & post trisagium Hymnum legitur Apostolus. Et paulo ante: καὶ ὁ μὲν λειτουργία ψάλλεται ὀξὺς χαμηλῶς ἄχρι τῆς ἀναγνώσεως τοῦ Ἀποστόλου. id est, Liturgia psallitur submisse, usque ad lectionem Apostoli. Ita passim in Euchologio Græcorum; quare non opus est, ut codices nostri puriores emendentur a quibusdam codicibus mss. in quibus habetur *τὸ Epistola*. Antiqua autem consuetudo est legendi Epistolas Apostolorum. Sed maxime S. Pauli in Missarum celebritate, ut constat ex S. Basilio cap. 27. libri de Spiritu sancto ad Amphilochium: οὐ γὰρ τούτοις ἀρκούμεθα ὧν ὁ Ἀπόστολος ἢ τὸ Εὐαγγέλιον ἐπεμνήσθη. id est, non

a Antiquum Lectionarium Epistolas, ut modo solemnus appellare, ac Evangelia per annum continentem, vide apud Pamel. Tom. 2. Liturgic. Antiquissimum Lectionarium, ad vet. Missam Gallic. pertinentem edidit quoque noster D. J. Mabil. ex ms. Luxoviensi ante annos mille exarato.

non sumus contenti his quæ Apostolus aut Evangelium commemorant; & ex S. Justino Martyre, cum agit de sacra Liturgia, Apologia 2. pro Christianis, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν Προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ. id est, & commentaria Apostolorum vel scripta Prophetarum leguntur quoad tempus fert. Qui tamen locus potest etiam de Evangelio intelligi.

Nota 12. GRADALE. Ita in codd. Rodradi, & Ratoldi. In editis, & in vulgatis Missalibus, *Graduale*.

Nota 13. LEGITUR EVANGELIUM.

Ex antiquo ritu Ecclesiæ, ut manifestum est ex S. Basilii loco paulo ante citato, quo etiam referri potest locus S. Justini paulo ante productus. Id etiam suadetur ex Epistola S. Cypriani 24. *Et plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta & Evangelium Domini*. Et paulo post, *nihil est in quo magis Confessor Fratribus prosit, quam dum Evangelica lectio de ore ejus auditur*. Porro nulla hic Symboli post Evangelium mentio; de quo tamen commodius infra ad Missam Paschalem dicetur.

Nota 14. DEINDE OFFERTORIUM.

Ita in codd. nostris mss. Rodradi & Ratuldi, quæ tamen desiderantur in editis. Offertorium Antiphona est, quæ dum caneretur, populus sua dona in altari offerebat juxta antiquum morem, de quo infra ad Missam Paschalem dicetur.

Nota 15. SURSUM CORDA.

Hic incipit Præfatio, de quo vocabulo infra. Hæc autem verba non sunt novellæ institutionis: siquidem habentur in Liturgiis SS. Jacobi, Basilii, & Chrysostomi, quorum & mentionem facit S. Cæsarius Arelatensis Homil. 12. *Pene omnes recitatis lectionibus exeunt de Ecclesia: cui dicturus est Sacerdos, Sursum corda?* D. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 13. *Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini*; & de bono viduitatis cap. 16. *Quia & illud quod inter sacra mysteria cor habere sursum jubemur, ipso adjuvante id valebis*. & multis aliis locis. S. Anastasius Sinaita Sermone de Synaxi: ταῦτα διαμαρτύρεται ὁ ἱερεὺς λέγων, ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας. id est, hæc testatur Sacerdos dicens, Sursum habeamus corda. S. Cyrillus Alexandrinus Catechesi 5. mystagogica; μετὰ τοῦτο βοᾷ ὁ ἱερεὺς, ἄνω τὰς καρδίας. id est, postea Sacerdos clamat, Sursum corda. Et S. Cyprianus lib. de oratione Dominica: *Et ideo Sacerdos ante orationem parat fratrum mentes dicendo, Sursum corda*.

Nota 16. HABEMUS AD DOMINUM.

Præter antiquas Liturgias, etiam præfati Patres horum verborum meminerunt. S. Cæsarius Homil. 16. *Et Sacerdote dicente, sursum corda, cum secura conscientia respondeamus, nos habere ad Dominum*. S. Cyrillus eadem Catechesi, καὶ ἀποκρίνεσθε, ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον. id est, deinde respondetis, habemus ad Dominum. S. Cyprianus libro citato: *Ut dum respondet plebs, habemus ad Dominum*. Et S. Anastasius Sinaita Serm. citato: εἶτα τί πρὸς ταῦτα ὑμεῖς ἀποκρινόμεθα, ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον. id est, deinde quid ad hæc nos respondemus, habemus ad Dominum? Et infra: ἰδοὺ πρὸ βραχέων συνέθεσθε, ἔχομεν πρὸς κύριον τὰς καρδίας. id est, ecce & paulo ante consensistis, habemus ad Dominum corda.

Nota 17. GRATIAS AGAMUS DOMINO DEO NOSTRO.

Huc spectant illa S. Augustini lib. de dono perseverantiæ cap. 13. *De quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere a Sacerdote post hanc vocem, quibus dicitur, admonemur*. & lib. de bono viduitatis cap. 16. *Et ideo sequitur, ut de tanto bono sursum levati cordis non nobis gloriam quasi nostrarum virium, tribuamus; sed Domino Deo nostro gratias agamus*. & Serm. 21. de diversis: *Norunt fideles, ubi & quando dicatur; gratias agamus Domino Deo nostro. Quis autem gratias agit Deo, nisi qui sursum cor habet ad Dominum?* Et Epist. ad Honoratum mox citanda. Et illa S. Cyrilli Catechesi citata: εἶτα ὁ ἱερεὺς λέγει, εὐχαριστήσωμεν τῷ Κυρίῳ. id est, deinde Sacerdos dicit, gratias agamus Domino. Quapropter S. Johan. Chrysostomus infra mox citandus hanc orationem εὐχαριστίαν, id est gratiarum actionem appellat.

Nota 18. DIGNUM ET JUSTUM EST.

Hæc verba tangunt S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica. εἶτα λέγετε, ἄξιον καὶ δίκαιον. id est, deinde dicitis, dignum & justum est. S. Johan. Chrysost. Serm. 18. in 2. Epist. ad Cor. τὰ τῆς εὐχαριστίας πάλιν κοινά, οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνος (ἱερεὺς) εὐχαριστεῖ μόνος ἀλλὰ καὶ ὁ λαὸς ἅπας, πρότερον γὰρ αὐτῶν λαβὼν φωνὴν εἶτα συντιθεμένων, ὅτι ἀξίως καὶ δικαίως γίνεται τὴν εὐχαριστίαν. Id est, rursus quæ ad gratiarum actionem spectant, communia sunt, non enim ille (*Sacerdos*) solus gratias agit, sed etiam omnis populus anticipata eorum voce, deinde illis consentientibus, quia hoc digne & juste fit, tunc incipit gratiarum actionem. Et S. Augustinus libro de dono perseverantiæ cap. 13. *Et dignum & justum esse respondens*; & libro de bono viduitatis cap. 16. *Hoc cum continuo commonemur, quia hoc dignum est, hoc justum est recordari*. His autem probat S. Augustinus adversus Pelagianos, quod omnia Deo referre debeamus accepta. Nam cum plebs respondet habere se cor sursum ad Dominum, tum monita a Sacerdote ut de tanto munere ac beneficio sursum levati cordis Deo gratias agat, statim in gratiam tanti beneficii respondet, dignum & justum est.

Nota 19. NOS TIBI SEMPER ET UBIQUE GRATIAS AGERE.

Hujus gratiarum actionis meminit S. Irenæus lib. 4. cap. 34. *Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus*. & S. Johan. Chrysost. paulo ante citatus: τότε ἄρχεται τῆς εὐχαριστίας. id est, tunc incipit gratiarum actionem. Hæc autem gratiarum actio non tantum fiebat, quod sursum haberemus corda, sed & pro beneficiis omnibus a Deo receptis, ut docet S. Augustinus Epist. 120. ad Honoratum: *Omnia largitur & præscit, sed peccata prædicit, supplicia minatur, beneficia pollicetur. Filii ergo promissionis, filii beneficii. Hæc est gratia, quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro: quod est magnum Sacramentum in sacrificio novi testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies*. Celebratur etiam hæc gratiarum actio ratione tanti mysterii ac beneficii, ut patet ex S. Justino Martyre Apol. 2. pro Christianis: *Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis*, αἶνον καὶ δόξαν τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει, καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ, ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. id est, *Laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus sancti offert, & gratiarum actionem proeo quod nos hisce donis suis dignatus sit, prolixe exequitur*. Eadem repetit infra: & expresse habetur in Liturgia S. Johan. Chrysostomi. εὐχαριστοῦμέν σοι καὶ ὑπὲρ τῆς λειτουργίας ταύτης, ἣν ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν δέξασθαι κατηξίωσας. id est, gratias agimus tibi pro hac Liturgia, quam de manibus nostris suscipere dignatus es.

Nota 20. LAUDANT ANGELI, &c.

Mos est antiquus Ecclesiæ in Missæ Præfatione mentionem facere cælestium illorum Spirituum, qui Deum sine intermissione laudant in cælis, ut clarum ex Liturgiis SS. Jacobi & Chrysostomi, ex S. Cæsario quæst. 44. dialogi primi, ὃν ὑμνοῦσιν οἱ τῆς θείας τελετῆς ἱερεῖς ἀναφωνοῦντες, σὲ ὑμνοῦσιν ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι, θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαί, ἐξουσίαι, δυνάμεις. id est, quem divini sacrificii sequentes Sacerdotes Deo clamant, te laudant angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes. & S. Cyrillo, Catechesi sæpius citata, καὶ μετὰ ταῦτα μνημονεύομεν, &c. ἀγγέλων, ἀρχαγγέλων, δυνάμεων, κυριοτήτων, ἀρχῶν, ἐξουσιῶν, θρόνων, τῶν χερουβὶμ, &c. id est, facimus deinde mentionem, &c. angelorum, archangelorum, virtutum, dominationum, principatuum, potestatum, thronorum, cherubim, &c. Idem apparet ex S. Isidoro mox citando. Sed Præfatio videtur contracta. Nam in Liturgia sancti Jacobi fit mentio solis & lunæ, siderum & universæ creaturæ, quod etiam videre est Catech. citata S. Cyrilli: & testatur S. Isidorus lib. 1. de Off. Eccles. cap. 15. *In qua etiam*

ad

ad Dei laudem terrestrium creatura, virtutumque cælestium universitas provocatur,

Nota 21. SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS.

Antiquus est hujus hymni usus in sacrosanctis mysteriis, ut videre est can. 3. Concilii II. Vasensis provinciæ Viennensis, celebrati anno Domini 529. Homil. 12. S. Cæsarii Arelatensis: *Cum enim maxima pars populi, imo quod pejus est, pene omnes recitatis Lectionibus exeunt de Ecclesia, cui dicturus est Sacerdos Sursum corda? numquid respondere possunt, quando deorsum in plateis & corpore simul & corde discedunt? & qualiter cum timore simul & gaudio clamabunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus?* Oratione S. Gregorii Nysseni de non differendo baptismo: *Me tui pudet, quod cum senueris adhuc ejiciaris cum Catechumenis, &c. unire populo mystica, & arcanos disce sermones.* φθέγξαι μεθ' ἡμῶν ἐκεῖνα ἃ καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφὶμ μετὰ τῶν χριστιανῶν ὑμνοῦντα λέγει. id est, *Dic nobiscum ea quæ sex alas habentia Seraphim cum Christianis dicunt.* Catechesi quinta mystagogica S. Cyrilli Jerosolymitani, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος σαβαώθ. διὰ τοῦτο γὰρ τὴν παραδοθεῖσαν ἡμῖν ἐκ τῶν Σεραφὶν ταύτην θεολογίαν λέγομεν, ὅπως κοινωνοὶ τῆς ὑμνῳδίας ταῖς ὑπερκοσμίοις γενώμεθα στρατιαῖς. id est, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum. Propterea enim traditam nobis hanc Seraphicam theologiam dicimus, ut cum cælesti militia in hymnodia communicemus. Hic hymnus in liturgiis appellatur ἐπινίκιον, id est, victorialis. Quapropter hunc hymnum quidam male confundunt cum Trisagio, quod est hujusmodi, ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος. id est, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis. Siquidem in Liturgiis distinguuntur: caniturque Trisagium ut primum accedit Sacerdos ad altare, ut testatur Jobius lib. 5. cap. 6. apud Photium num. 222. *In Biblioth.* διὰ τοῦτο καὶ ἅμα τῷ πρὸς τὸ θυσιαστήριον εἰσιέναι τοὺς ἱερεῖς, ὁ ἱεροψάλτης ἄνωθεν ἀναβοᾷ· ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος. id est, quapropter simul atque Sacerdotes ingrediuntur ad altare, sacer Cantor de superiore loco clamat, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis: hoc est enim Trisagium. Id etiam videre est apud Codinum de officiis palatii Constantinop. ἤγουν τινὰς ἀνοίγουσι τὰς τῆς Ἐκκλησίας θύρας, καὶ μετὰ τὸν τρισάγιον ὕμνον, ἀναγινώσκεται ὁ Ἀπόστολος, καὶ καθεξῆς ἐπιτελεῖται ἡ θεία λειτουργία. id est, statim aperiunt portas Ecclesiæ, & post cantatum trisagium hymnum, legitur Apostolus, perficiturque ordine Liturgia. At hymnus Victorialis canitur post Præfationem, quæ omnia videre est in Liturgiis. Horum hymnorum differentia internoscitur ex S. Cæsario fratre S. Gregorii Nazianzeni, interrog. 29. *Dialogo 1.* οὔτε τὰ ἅγια Χερουβὶμ ἁγιασμὸν προστιθέασιν ἐν οὐρανῷ τῇ θείᾳ Τριάδι, τὸ ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος ἄπαυστα ἀναφωνοῦσι, οὔτε πάλιν ἡμεῖς ἐν τρισαγίῳ ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος ἐκβοῶντες, ἁγιασμὸν ἢ ἰσχὺν ἢ ἀθανασίαν ὁ Θεὸς δέχεται. id est, neque sancta Cherubim aliquid sanctitatis addunt sanctæ Trinitati, cum in cælo sine intermissione clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus: sic rursus nobis clamantibus in Trisagio, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, nihil sanctitatis, fortitudinis, & immortalitatis Deo adjicitur. Nec obest quod a S. Johan. Damasceno & aliis quibusdam, hymnus Victorialis appelletur Trisagios; quia loquuntur de ipso extra sacrificium Missæ, qui etsi possit dici Trisagios, vulgo tamen in sacris hanc denominationem non sortitur. Nec refert quod in Liturga Ambrosiana dicatur *Trisagium*; quia cum hæc Liturgia non sit pura Ambrosiana, propter nonnulla detracta atque addita, non constat an hæc appellatio a S. Ambrosio manaverit. Sed, ut aliquid amplius de Trisagio dicamus, non mihi arridet eorum opinio qui scribunt, tum primum institutum a Proclo Patriarcha Constantinopolitano, ut hic hymnus in Sacra Liturgia canaretur, cum regnante Theodosio juniore, multis a Deo plagis castigata Constantinopoli, atque insuper gravi terræ motu conquassata, ac propterea populo urbe secedere coacto, atque in campum recepto, exoranteque divinam clementiam, ut tantis malis eriperetur, puer quidam sub omnium conspectu in cælum raptus est, & Angelico ministerio hunc hymnum edoctus in terras demissus est: ac omni multitudine hunc hymnum concinente Deus placatus est: quemadmodum refertur a S. Johan. Damasceno lib. 3. de fide orthodoxa cap. 10. Georgio Cedreno in compendio Historiarum anno 30. Theodosii junioris, Theodoro Balsamone in can. 82. Conc. Trullensis, & Jobio, qui refert hunc hymnum tum ab Angelis cantatum fuisse. Sed institutio est antiquior, nam illius mentionem facit S. Cæsarius supra citatus, & Concilia Nicænum I. & Constantinopolitanum I. ut scribit Asclepiades Trallium Episcopus in epist. ad Petrum Knapheum. Neque in ea umquam fuit opinione S. Johan. Damascenus, ut quidam objiciunt: non enim scribit institutum fuisse a Proclo, ut Trisagium in Liturgia caneretur; sed tantum probat auctoritate hujus historiæ, & Concilii Chalcedonensis non debuisse Petrum Knapheum huic hymno hæc verba addere, *Qui crucifixus es pro nobis*. Hic enim Petrus Knapheus, id est fullo Pontifex Antiochenus adjecit huic hymno, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς; id est, qui crucifixus es pro nobis, ut referunt Theodorus Lector lib. 1. collectaneorum, S. Johan. Damasc. cap. citato, Asclepiades Trallium Episcopus epist. citata, Felix Papa epist. ad eumdem Petrum, & Theodorus Balsamon in canonem citatum: atque hoc additamento Trinitatem pro nobis crucifixam esse volebat, ut satis clarum est ex Ephræmio Theopolitano antistite in epist. ad Zenobium Scholasticum Emissenum, in Bibliotheca Photii num. 228. & in sacro Triadis mysterio inducebat quartam personam, ut vult S. Johan. Damasc. cap. citato. At Acacius Episcopus Constantinopolitanus in epist. ad eumdem Petrum dicebat eum inducere duos filios; cum post τὸ ἰσχυρὸς, adderet σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, eumque asserere Spiritum sanctum fuisse crucifixum juxta hæresim Manichæorum, cum ad τὸ ἀθάνατος adjiceret eadem verba. Porro Ephræmius supra laudatus ait hunc hymnum Christo ab Orientalibus attribui; ac proinde nihil eos peccare, si addant, *Qui crucifixus es*: at Constantinopolitanos & Occidentales hunc hymnum sanctæ Trinitati accommodantes hæc verba omnino repudiare: & in multis Europæ provinciis hæc quidem verba respui, sed adjici ἁγία Τριὰς ἐλέησον ἡμᾶς. Id est, Sancta Trinitas miserere nobis. Sed Calandio Episcopus Antiochenus addidit Trisagio, χριστὲ βασιλεῦ, propter eos qui addiderant, *Qui crucifixus es pro nobis*, ut refert Theodorus Lector collectaneorum lib. 2.

Nota 22. BENEDICTUS.

Non habetur in editis. Reperitur tamen in Liturgiis Græcis, & mentio fit a S. Cæsario Arelatensi homil. citata: *Et quali cum tremore simul & gaudio clamabunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Benedictus qui venis in nomine Domini.* In editis sequitur hæc oratio: *Facturus memoriam salutaris hostiæ totius mundi, &c.* quæ non extat in nostris cod. mss b.

Nota 23. OSANNA IN EXCELSIS.

Meminit S. Isidorus lib. 1. de Off. Ecclef. cap. 15. *Et Osanna in excelsis cantatur, quod Salvatore de genere David nascente salus mundo usque ad excelsa pervenerit.*

Nota 24. TE IGITUR, CLEMENTISSIME PATER, &c.

Hujus orationis meminit Haymo in 1. ad Tim. c. 2. Hæc oratio vulgo appellatur *Canon*, quæ denominatio habetur apud S. Gregorium lib. 7. Regesti, epist. 64. *Novel. l. 9. ep. 12.* *Quia orationem Dominicam post Canonem dici statuistis*, qui & ibidem appellat precem, aitque compositam esse a quodam Scholastico. Quisnam autem fuerit ille Scholasticus incertum est. Qui-

 dam

a Ex Græcis desumtum videtur quod legitur in vet. Sacramentario Gallicano: *agios dicitur post agios*: Tu summus Deus, agios, ipse sanctus &c.

b Abest quoque a mss. Reg. Sueciæ, a Gemet. &c. In primo Theoderic. tamen loco hujus orationis legitur: *oratio ante Missam. Petrus ante altare veniam sic dicat orationem hanc.* Placeat tibi sancta Trinitas Deus hoc obsequium servitutis meæ, & præsta, ut hoc sacrificium laudis quod oculis tuæ majestatis indignus offeram, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus pro quibus illud offeram sit te miserante propitiabile. Qui vivis & regnas, Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

dam attribuunt Voconio, Caſtellani Mauritaniæ oppidi Epiſcopo, nonnulli Muſæo Maſſilienſi presbytero, qui libros Sacramentorum compoſuerunt, de quibus Gennadius in Catalogo de viris illuſtribus; ſed neutri aſcribenda, quia illis antiquior eſt: ſiquidem ex illa multa refert S. Ambroſius, & nonnulla Optatus Milevitanus, ut infra videbitur, qui ante præfatos auctores vixerunt. Appellatur hæc oratio, ut diximus, Canon, atque etiam Actio. Utriuſque nominis rationem profert Vvalfridus Strabo cap. 22. de rebus eccleſiaſticis: *Actio dicitur ipſo Canon, quia in eo Sacramenta Dominica conficiuntur: Canon vero eadem Actio nominatur, quia in ea eſt legitima & regularis Sacramentorum confectio.*

Nota 25. SUPPLICES ROGAMUS, &c.

Hæc vocabula deſunt apud Haymonem in 1. ad Timoth. cap. 2. *Ubi incipit Sacerdos conſecrare myſteria corporis & ſanguinis Domini, inquiens: Te igitur, Clementiſſime pater, petimus.*

Nota 26. HÆC DONA, HÆC MUNERA, HÆC SANCTA SACRIFICIA.

Poteſt eſſe hic ſynonymia. Vetus expoſitio Canonis Miſſæ mſ. Bibl. Corb. ita hæc nomina diſtinguit: *Dona ſunt, quæ voluntarie donantur: munera ſunt, quæ pro aliqua munere vel mercede offeruntur, ſicut nos offerimur Deo, ut peccata noſtra dimittantur; ſacrificia ſunt, quæ cum orationibus conſecrantur.* Vetus tractatus ſuper Miſſam mſ. ejuſdem Bibliothecæ ita diſtinguit: *Donum dantis eſt, munus accipientis; quia illud a dando, hoc a muniendo dicitur: tamen proprie dona dicuntur, quæ Deo dantur; munera vero omnium ſunt, quia manibus dantur vel accipiuntur: in hoc tamen loco & dona & munera Deo offeruntur. Sacrificia, id eſt ſacra facta; quia prece myſtica conſecrantur.* Quæ fere ſumta ſunt ex S. Iſidoro lib. 6. Orig. cap. 19. ubi addit munera dici obſequia, quæ pauperes divitibus loco munerum offerunt. Ad hæc alludere videtur Fortunatus lib. 4. de vita S. Martini.

Immaculata Deo cum dona imponeret aræ,
Et pater attonitus ceremonia diva ſacraret.
Munera vel Chriſti benediceret ore Sacerdos.

Ubi ceremonia ſunt ſacrificia. Gloſſæ veteres mſs. *Ceremonia, Sacra Deorum vel templa.* Ibi ergo vides dona, munera & ſacrificia.

Nota 27. ILLIBATA. Id eſt, integra, non contaminata.

Nota 28. QUÆ TIBI OFFERIMUS, &c.

Horum canonis verborum mentionem facit Agobardus in Epiſtola ad Ludovicum Pium Imperatorem. *Denique beatus Pelagius Papa, cum quoſdam redargueret Epiſcopos, eo quod nomen ejus reticerent in Actione ſacri myſterii, in ſolemniis Miſſarum, in principio ſcilicet, ubi dicere ſolemus:* INPRIMIS QUAS (id eſt QUÆ) TIBI OFFERIMUS PRO ECCLESIA TUA SANCTA CATHOLICA, QUAM PACIFICARE, CUSTODIRE, ADUNARE, ET REGERE DIGNERIS TOTO ORBE TERRARUM, UNA CUM FAMULO TUO PAPA NOSTRO: *Ait ad eoſdem Epiſcopos: Diviſionem veſtram a generali Eccleſia, quam tolerabiliter ferre non poſſum, vehementer ſtupeo.*

Nota 29. PRO ECCLESIA TUA SANCTA CATHOLICA.

Afri in ſuo Canone addebant: *quæ eſt una*; ut planum eſt ex Optato Milevitano lib. 2. *Nam quis dubitet vos illud legitimum in Sacramentorum myſterio præterire non poſſe? Offerre vos dicitis pro Eccleſia, quæ eſt una: hoc ipſum mendacii eſt pars, unam te vocare, de qua feceris duas.*

Nota 30. PACIFICARE.

Ita in Liturgia S. Baſilii, *Memento, Domine, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, &c.* καὶ εἰρήνευσον αὐτήν. Huc ſpectant illa S. Cyrilli Catecheſi ſupra citata: παρακαλοῦμεν τὸν Θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης. id eſt, deprecamur Deum pro communi Eccleſiarum pace.

Nota 31. ADUNARE. Ut omnium credentium ſit cor unum, & anima una.

Nota 32. TOTO ORBE TERRARUM.

Huc ſpectant illa Optati Milevitani lib. 2. *Et offerre vota dicitis pro una Eccleſia, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa.*

Nota 33. PRO REGE NOSTRO.

Oratio pro regibus, imperatoribus & principibus extat in omnibus Liturgiis juxta antiquum morem, quem tangit S. Cyrillus Catecheſi ſupra citata. παρακαλοῦμεν, &c. ὑπὲρ τῶν βασιλέων. id eſt, precamur, &c. pro regibus. Tertullianus lib. ad Scapulam. *Itaque ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius.* Et S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & quibus ſermonibus? Jeſu Chriſti. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur. Oratione petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris.* Idque juxta doctrinam ſancti Pauli 1. ad Timotheum cap. 2.

Nota 34. ET OMNIBUS ORTHODOXIS, &c.

Hæc verba deſunt in mſ. Pontificali Rothomagenſi, in feria V. in Cœna Domini: & Micrologus in obſervationibus eccleſiaſticis cap. 13. ſcribit hæc verba in Canone eſſe ſuperflua: *Item poſt nomen Domini Papæ, ſive proprii Epiſcopi adjiciunt, & omnibus Orthodoxis atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus; ſed ſuperflua. Nam ordo ſtatim in ſequenti verſu, ubi dicitur, Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, nobis concedit, ut omnium vivorum commemoremus quoſcumque voluerimus.* & cap. 23. deſcribens Canonem, hæc verba miſſa facit, ſed immerito; nam habentur in noſtris codd. mſs. Rem. Rodradi, atque hujus S. Eligii, atque etiam verſione Græca Georgii Codini. Nec ratio Micrologi valet. His enim verbis, *& omnibus Orthodoxis, &c.* fit commemoratio generalis omnium fidelium viventium; at in ſequentibus, *Memento, &c.* ſpecialis eſt commemoratio offerentium & quorumdam particularium quorum nomina olim de diptychis legebantur.

Nota 35. CIRCUMADSTANTIUM.

Ita in editis, in cod. Tiliano, in Miſſa Illyrici, & in omnibus codicibus noſtris mſs. Ita in expoſitione vetuſtiſſima mſ. Canonis Miſſæ Bibliothecæ Corbeienſis, & in tractatu etiam mſ. vetuſtiſſimo ejuſdem Bibliothecæ ſuper Miſſam. Ita apud Burchardum l. 3. cap. 68. ex Concilio Nannetenſi: *Cui enim dicit, Dominus vobiſcum, aut Surſum corda, Gratias agamus Domino Deo noſtro, cum nullus ſit, qui reſpondeat? & in Canone; & omnium circumadſtantium, cum nemo ſit?* Ita in expoſitione Miſſæ Magiſtri Flori: *Deinde ſubjungitur, & omnium circumadſtantium.* Et in gloſſis mſs. de Ordine Romano ex Bibliotheca Thuana, *adjungens, & omnium circumadſtantium.* In vulgatis Miſſalibus legitur, *circumſtantium.*

Nota 36. QUI TIBI OFFERUNT.

Ita in omnibus codicibus noſtris mſs. ita in editis, & in utroque tractatu mſ. paulo ante citato ex Bibliotheca Corbeienſi. Ita apud Micrologum cap. 23. de obſervationibus eccleſiaſticis: *& nota devotio, qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis,* qui hanc lectionem confirmat cap. 13. repudians id quod vulgo habetur, *Pro quibus tibi offerimus.* Sic enim ait: *Item poſt pauca addunt, pro quibus tibi offerimus, cum in antiquioribus & veracioribus Sacramentariis, non niſi ſub tertia perſona offerentes ibi reperiantur.* Uſus tamen obtinuit, ut in Miſſalibus Romanis & aliis vulgatis, legatur: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*: ubi particula disjunctiva *vel*, uſurpatur pro copulativa *&*, quod ſæpe contingit, ut non ſemel obſervavimus in noſtris Notis ad Concordiam regularum.

Nota 37. VOTA SUA.

Quid votum hoc loco ſignificet, docet S. Auguſtinus epiſt. 59. ad Paulinum: *Porro ſi uſitatius, ut dixi, in Scripturis votum appellatur* εὐχὴ, *accepta nomine orationis, ea proprie intelligenda eſt oratio, quam facimus ad votum,* id eſt, πρὸς εὐχήν. *Voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maxime ſancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur noſtrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Chriſto eſſe manſuros, utique in compage corporis Chriſti:* Nunc 49.

sti. Et vota sunt sacræ preces etiam apud Ethnicos:

—— *cessas in vota precesque.*

Nota 38. COMMUNICANTES.

Memoriæ Sanctorum videlicet; quia militans Ecclesia cum triumphante communicat.

Nota 39. ET MEMORIAM VENERANTES.

In Liturgiis omnibus habetur commemoratio Sanctorum juxta antiquum morem. Hoc enim sacrificium non potest offerri, nisi in communione Sanctorum, quorum memoriæ communicamus tamquam filii Patrum, sectatores præcedentium, ut docet Alcuinus cap. 1. de Officiis ecclesiasticis. Hunc morem videre est Catechesi 5. mystagogica sancti Cyrilli Jerosolymitani: *καὶ τούτων προσφέρομεν σοι θυσίαν, ἵνα μνημονεύωμεν τῶν προκεκοιμημένων, πρῶτον Πατριαρχῶν, Προφητῶν, Ἀποστόλων, Μαρτύρων, ὅπως ὁ Θεὸς ταῖς εὐχαῖς αὐτῶν καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν τὴν δέησιν.* idest, & hoc sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos dormierunt; inprimis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum: ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras. Hinc capienda sunt illa Optati lib. 3. de Marculo & Donato interfectis a Macario, quos Donatistæ in Martyrum suorum album referebant: *Invitus cogor hoc loco, etiam illorum, quorum nolo, hominum mentionem facere, quos vos inter Martyres ponitis; per quos tamquam per unicam religionem vestræ communionis homines jurant: quos quidem vellem silentio præterire: sed ratio veritatis se sileri non patitur, & ex ipsis nominibus contra veritatem inconsiderate latrat invidia*. Sensus est: vellem ipsos pseudo-martyres missos facere: sed invidia vestra inconsiderate latrat adversus Ecclesiam Catholicam ex ipsis nominibus, recitando videlicet in vestris sacrificiis horum pseudo-martyrum nomina.

Nota 40. TADDÆI.

Ita in cod. Ratoldi, & Rodradi. In cod. Rem. *Tatdei*. In editis *Tatthæi*, male.

Nota 41. STATT. De hoc vocabulo infra dicetur.

Nota 42. HILARII, MARTINI, &c.

In cod. Rem. hæc nomina adduntur: *Dionysii, Rustici & Eleutherii, Hilarii, Martini, Remigii, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti*. In codice Ratoldi: *Nicasii, Hilarii, Martini, Benedicti, Gregorii, Amandi, Remigii*. a In Liturgiis S. Basilii, & sancti Johannis Chrysostomi additur nomen Sancti illius, cujus eo die memoria, seu festus dies celebratur: *ἁγίου τοῦδε, οὗ καὶ τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν*. id est, & Sancti illius cujus etiam memoriam agimus. Ita olim fuit aliquando in Ecclesia Latina usitatum, * ut videre est in tractato qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* agendæ sunt, in cod. Tiliano & apud Hittorpium: *Si fuerit natalis Sanctorum, hic dicat, sed & diem natalitii Beatorum illorum, aut Beati illius*. At Gregorius III. Papa hæc adjicienda præcepit: *Quorum solemnitas hodie in conspectu majestatis tuæ celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum*: ut refert Ordericus Vitalis libro secundo hist. Eccl.

* Vide notam a infra positam.

Nota 43. QUORUM MERITIS.

Ita in versione Codini: in Liturgia quæ S. Petro tribuitur: *ὧν ταῖς πρεσβείαις*. id est, quorum intercessione.

Nota 44. DIESQUE NOSTROS IN TUA PACE DISPONAS.

b Hæc verba ferunt fuisse a S. Gregorio Canoni inserta. In cod. Remensi legitur *dispone*.

Nota 45. ERIPI.

Ita vulgo habetur. Alcuinus legit *vos ereptos*. Codex Remensis, *eripe*.

Porro in Missa ab Illyrico edita Canon in multis a Canone communi multum discrepat, hoc modo:

Infra Actionem.

In primis una cum famulo tuo Papa nostro N. & pro omnibus Orthodoxis atque Apostolicæ fidei cultoribus, Pontificibus, Abbatibus, gubernatoribus & rectoribus Ecclesiæ sanctæ Dei, & pro omni populo sancto Dei.

Memento Domine, famulorum famularumque tuarum, cunctorum scilicet consanguinitate mihimet, vel familiaritate & amicitia conjunctorum, cunctorumque sua mihi peccata confitentium, meque in tuo nomine bonis reficientium, & omnium circumadstantium.

Hanc etiam oblationem humilitatis meæ & devotionis, quam tibi offero pro peccatis meis, & criminosis actionibus meis castigandis & dimittendis, pro cæca, & lapidea cordis mei duritia dissolvenda & illuminanda, quæso, Domine, ut placatus accipias, & sinum pietatis super me expandas, meque illumines, sensum aperias, Spiritum corrigendi tribuas, & ad te misero mihi redeundi aditum per lamenta pœnitentiæ concedas. Per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem, tu Deus, in omnibus quæsumus.

Hactenos Missa Illyrici, ubi tamen τὸ *infra Actionem*, deberet præfigi his verbis: *Hanc etiam oblationem, &c.* Ut in aliis Canonibus habetur.

Nota 46. BENEDICTAM.

Id est, *consecratam*. Benedicere est consecrare, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, &c.*

Nota 47. ASCRIPTAM.

Id est, in numerum beneplacitorum tuorum receptam, ut exponit Mag. Florus, quem sequitur supra citata expositio Præfationis & Canonis Missæ Biblioth. Corb. *Hoc est, adsignatam, ut tibi placeat*. Tractatus supra citatus mf. ita explicat: *Mensæ cælesti adsignatam*. Hoc autem vocabulum habetur in excusis, & in omnibus cod. nostris mss. sicut in Missalibus Romanis, atque etiam in versione Græca Georgii Codini, quemadmodum & apud S. Ambrosium lib. 4. de Sacramentis cap. 5. In Liturgia, quæ S. Petri esse creditur, non ita recte legitur, *ἀπερίγραπτον*, id est incircumscriptam, incomprehensibilem. Hesychius *ἀπερίγραπτον, ἀκατάληπτον*. id est, incomprehensibilem,

Nota 48. RATAM.

Id est, immobili firmitate perpetuam, ita Florus. In tractatu citato mf. super Missam, *Firmiter solidatam*, & in citata expositione mf. Præfationis & Canonis; *Hoc est, judicatam, ut illam dignam judicet in conspectu suo offerri*. Ita legitur in editis, & in nostris mss. codicibus, ut in Missali Romano, & apud Micrologum. c Non extat apud S. Ambrosium. Sic munera altaris appellavit *rata* Fortunatus lib. 4. de vita Sancti Martini:

Munera vel Christi benediceret ore Sacerdos,
Imposita altari rata corporis atque cruoris.

In versione Codini habetur, *βεβαίαν*. id est, firmam, ratam. In Liturgia, quæ vulgo dicitur S. Petri, est *ὡραιοτάτην*. id est, *gratam, amabilem*. Ex quo patet hujusmodi Liturgiæ interpretem vel auctorem usum fuisse codice mendoso, in quo legeretur *gratam*, pro *ratam*.

Nota 49. RATIONABILEM.

Ita in editis, Missali Rom. & in omnibus codicibus nostris. Ita apud S. Ambrosium cap. citato. In versione Codini, *λογικήν*, id est rationalem. In Liturgia quæ S. Petri nomine circumfertur, *ἀναπολόγητον*, id est excusabilem. Ita explicatur hoc vocabulum in Glossis veteribus Græco-Latinis *ἀναπολόγητος, excusabilis*. Sed quid sibi velit in hac Liturgia hoc vocabulum non satis capio. Quod spectat ad τὸ *rationalem*, tractatus supra citatus exponit *cum ratione actam*. Expositio præfationis & canonis supra citata explicat in hunc modum:

a In Gemet. *Cosmæ & Dam. Georgii, Benedicti, Martini, Gregorii, & omnium SS.* In primo Theod. *Cosmæ & Dam. & illorum quorum hodie solemnitatis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus*. In secundo Theod. *Cosmæ & Dam. Hilar. Mart. Bened. Gregorii, Amandi, Medardi, Eligii*.

b Id præsertim docet Beda lib. 2. hist. cap. 1.

c Nunc extat hæc vox, restituta videlicet a nostris in nova edit. ex plur. mss. Ad Canonis verba, lege notas in lib. 4. de Sacramentis apud Ambrosium tom. 2. col. 365. & seq.

dum: *Id est, justa ratione plenam facere dignetur.* Quidam interpretantur, *Cum ratione & discretione oblatam.* Florus exponit plenam videlicet rationis, plenam mysterii. Hæc autem omnia vocabula ita interpretatur Paschasius libro de corpore & sanguine Christi cap. 12. *Rogamus hanc oblationem*, inquit, *benedictam, per quam nos benedicamur; adscriptam, per quam nos omnes in cælo conscribamur; ratam, per quam in visceribus Christi censeamur; rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilemque facere dignetur: quatenus & nos per quod in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico filio simus.* Porro in hoc cod. S. Eligii, in his verbis & aliis hujus Canonis nullæ sunt cruces depingi solitæ. Nonnullas tamen reposui prout reperi in editis. Extant tamen in codicibus Remensi, & Rodradi, [a] atque etiam in aliis Canonibus hujus codicis S. Eligii, qui in quibusdam festis reperiuntur, in eisdem locis videlicet quibus in Missali Romano depictæ sunt & assignantur apud Micrologum, & nonnullos alios auctores, qui de Missa scripserunt: & recte quidem; nam vetus est Ecclesiæ consuetudo, ut oblata per signum crucis benedicantur, quemadmodum videre est apud Sanctum Augustinum serm. 19. de Sanctis: *Crucis charactere Basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris Sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum conficiuntur.* Et serm. 18. de tempore: *Hoc enim signo crucis consecratur Corpus Dominicum.* Tractatu 118. in Johannem: *Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium,* & paulo post, *sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Hinc capiendum illud Fortunati lib. 3. de vita sancti Martini:

Cum holocausta sacræ manibus benediceret aræ.

Id videre est in Epist. Episcoporum e synodo apud Carisiacum, missa ad Ludovicum Germaniæ regem cap. 15. *Manus enim Chrismate sacro peruncta, quæ de pane & vino aqua mixto per orationem & crucis signum conficit corpus, & Christi sanguinis Sacramentum, abominabile est (quidquid ante ordinationem fecerit) ut post ordinationem Episcopatus sæculare tangat ullo modo Sacramentum.* Et Ivo Carnotensis Epist. 233. meminit crucium post consecrationem: *Cum vero cum hostia jam consecrata intra vel supra calicem signum crucis imprimitur a latere calicis orientali usque ad occidentalem, & septentrionali usque ad australem, hoc significari intelligimus quod ante passionem Dominus discipulis suis prædixit in commendationem suæ passionis; cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hostia quoque quæ juxta calicem consignatur, sic debet esse posita, ut sua & calicis positione dextrum Christi latus repræsentet.* Qua ratione fiant ejusmodi cruces, docetur in antiqua Synodo, quæ vulgo tribuitur S. Uldarico Augustano Episcopo, inventa in codice ms. Monasterii Neresheimensis exarato, anno Christi MIX. can. 19. *Calicem & oblatam recta cruce signate. Id est, non in circulo & variatione digitorum, ut plurimi vestri faciunt: sed strictis duobus digitis, & pollice intus recluso, per quos Trinitas innuitur. Hoc signum recte facere studete, non enim aliter quidquam potestis benedicere.*

Nota 50. QUI PRIDIE QUAM PATERATUR. Ita S. Ambrosius cap. citato.

Nota 51. ACCEPIT PANEM IN SANCTAS AC VENERABILES MANUS SUAS.

S. Ambrosius cap. citato, *In sanctis manibus suis accepit panem.*

Nota 52. ELEVATIS OCULIS, &c.

S. Ambrosius cap. citato: *Respexit in cælum ad te, Pater omnipotens, æterne Deus.* In Missali Rom. in interpretatione Codini, & in codice Rodradi præmittitur conjunctio copulativa; sed in Missa quæ S. Petri nomine circumfertur, & in aliis codicibus nostris mss. minime. Hic autem ritus a Christo observatus habetur in Liturgiis SS. Petri, Jacobi, & Marci; recte quidem. Nam Christus gratias acturus Patri, oculos in cælum tollere solebat, ut videre est Matth. 14. Luc. 9. Marc. 6. & Johan. 11. Quare non est dubium, quin idem in hac sacratissima fecerit actione; etsi in novo Testamento id non reperiatur scriptum.

Nota 53. DEDIT.

Ita in editis & in aliis codicibus nostris mss. & in Missa S. Petri. At in Missali Rom. & Matth. 26. legitur, *deditque.* Et in versione Codini interseritur conjunctio copulativa.

Nota 54. EX HOC OMNES.

Ita apud S. Ambrosium. Non extant in Liturgia sancti Petri, neque in versione Codini, neque in novo Testamento.

Nota 55. [b] HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Hæc particula *enim*, extat apud sanctum Ambrosium cap. citato, & in Liturgia sancti Marci. Abest tamen ab aliis Liturgiis, sacra Scriptura & versione Codini.

Nota 56. HUNC.

Hoc vocabulum non extat in sacra Scriptura, nec apud sanctum Ambrosium, neque in Liturgiis: sed extat in versione Codini. Additur vero ad significandum Sacerdotem idem sacrificium facere quod fecit Christus, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 10. *De uno pane, & de uno calice participamus.* Est namque in Ecclesiis unum altare, & unum sacrificium.

Nota 57. PRÆCLARUM.

In versione Codini λαμπρότατον. Non extat apud sanctum Ambrosium, nec in Liturgiis, nec in novo Testamento. Sumtum tamen epitheton est ex Psalm. 22. *Calix meus inebrians, quam præclarus est.*

Nota 58. DEDIT.

Ita in editis & in aliis codicibus nostris mss. & in Missa sancti Petri. In Missali Rom. habetur, *deditque.* Matth. 26. *& dedit*, ut in versione Codini.

Nota 59. HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, &c.

Particula *enim* extat Matth. 26. Hæc autem verborum formula qua calix benedicitur, non est in Sacra Scriptura, nec in Liturgiis. Extat in versione Codini; estque optima; quia continet sensum aliarum formularum, quæ sunt apud Evangelistas & sanctum Paulum. Apud sanctum Ambrosium cap. citato hæc habetur forma consecrationis calicis; *Hic est enim sanguis meus*, ex Matth. 26. & Marci 14.

Nota 60. MYSTERIUM FIDEI.

Hæc verba non extant in Ordine Romano. Habentur in versione Codini, τὸ μυστήριον τῆς πίστεως.

Nota 61. UNDE ET MEMORES SUMUS.

Apud sanctum Ambrosium lib. 4. de Sacramentis cap. 6. deest particula *&*, cum verbo *sumus.* Quod tamen verbum extat in codicibus Remensi & Tiliano, & in tractatu super Missam Biblioth. Corb. & in expositione Magistri Flori: & illa verba, *gloriosæ Ascensionis*, puncto circumscribenda sunt. Hæc autem commemoratio Passionis, Resurrectionis Christi, &c. habetur in omnibus Liturgiis, eamque tangit S. Ambrosius cap. citato: *Et Sacerdos dicit: ergo memores gloriosissimæ ejus Passionis, & ab inferis Resurrectionis, & in cælos Ascensionis.*

Nota 62. DE TUIS DONIS AC DATIS.

In Liturgiis SS. Basilii & Chrysost. τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν, id est tua ex tuis tibi offerimus. Ad quod alludere videtur Justinianus Imperator in inscriptione mensæ quam fecit ex omnibus pretiosis, quæ in terra marique sunt: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν οἱ δοῦλοί σου, Χριστέ, Ἰουστινιανὸς καὶ Θεοδώρα, id est tua ex tuis tibi offerimus servi tui, Christe, Justinianus & Theodora; ut scribit Cedrenus.

Nota

[a] Adde & in Gemet. duobusque Theoderic. Desunt in codice Reginæ Sueciæ.

[b] Abs re forte non erit observare auctorem libri de Sacramentis, qui hic laudatur, Eucharistiæ consecrationem & panis ac vini conversionem in corpus & sanguinem Christi, clare adscribere his verbis, *Hoc est enim corpus meum*, & istis: *hic est enim sanguis meus.* Prævenerat Tertull. qui lib. 4. adversus Marcionem cap. 40. ait: *acceptum panem & distributum discipulis, corpus illum suum fecit, hoc est corpus meum, dicendo.*

Nota 63. HOSTIAM PURAM, &c.

In citato sancti Ambrosii capite sic habetur: *Hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ.*

Ibid. HOSTIAM PURAM.

S. Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 34. *& hanc oblationem Ecclesia sola puram offert.*

Nota 64. HOSTIAM IMMACULATAM.

Fortunatus lib. 4. de vita sancti Martini huc respicere videtur.

Immaculata Dei cum dona imponeret aræ.

Nota 65. SICUTI ACCEPTA HABERE DIGNATUS ES. S. Ambrosius cap. citato: *Sicut suscipere dignatus es.*

Nota 66. SUMMUS SACERDOS TUUS.

Apud sanctum Ambrosium cap. citato deest pronomen *tuus*.

Nota 67. JUBE HÆC PERFERRI.

Non ipsum Christi corpus, sed memoriam passionis; fidem, preces, & vota fidelium. Aliter Paschasius lib. de corpore & sanguine Christi cap. 12. *Ut quid perferenda illuc ea deposcit, nisi ut intelligatur, quod in ejus Sacerdotio ista fiant?*

Nota 68. IN SUBLIME ALTARE TUUM.

S. Ambrosius cap. citato sic habet, *Suscipias in sublime altare tuo*. Altare hoc loco sumitur metaphorice.

Nota 69. SUPER DIPTYCHA.

Hæc vocabula [a] quæ hic desiderabantur, reposui ex editis. Diptycha Glossæ veteres mss. Bibliothecæ Corbeiensis tabulas explicant: *Diptica* (leg. dypticha) *tabulæ*, proprie sunt tabulæ duas plicas habentes, Ausonio epigr. 137. *Bipatens pugillar*. Diptycha sacra tabellæ sunt, in quibus scripta erant nomina vivorum & defunctorum fidelium, quorum commemoratio in Missa fiebat. Vide observationes nostras ad Concordiam Regularum cap. 4. §. 4.

Nota 70. MEMENTO.

Neque hæc defunctorum commemoratio extat in hoc cod. sancti Eligii, sed reposui ex editis: extat tamen in hoc codice ms. sancti Eligii, in alio Canone, qui habetur feria quinta de Cœna Domini. Hæc autem defunctorum commemoratio habetur in omnibus Liturgiis, juxta antiquum morem Ecclesiæ, cui semper oratio pro fidelibus defunctis in hoc Liturgico sacrificio curæ fuit, ut videre est Catechesi S. Cyrilli toties citata: *εἶτα καὶ ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων ἁγίων Πατέρων καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων μέγιστον ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας, καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας.* id est, deinde pro defunctis SS. Patribus & Episcopis, deinde pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius ac tremendi, quod in altari propositum est, sacrificii. Et apud sanctum Augustinum libro de cura pro mortuis gerenda cap. 1. *In Macchabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ ad altare Domino Deo funduntur, locum suum habet & commendatio mortuorum;* & lib. 9. Confess. cap. 11. S. Monica dicit: *tantum illud rogo, ut ad altare Domini memineritis mei, ubi fueritis* [b].

Nota 71. ET DORMIUNT IN SOMNO PACIS.

Dicuntur animæ pro quibus hic oratur, dormire in somno pacis, non quia exemtæ sint cruciatu purgatorii: sed quia nulla jam animi perturbatione vexantur, nullis vitiorum stimulis lancinantur, vitam æternam omni cum securitate expectantes.

Nota 72. ET OMNIBUS IN CHRISTO QUIESCENTIBUS.

Superior memoria est eorum, quorum nomina de diptychis recitata sunt: hæc autem eorum est, quorum nulla est apud homines recordatio, parentum, aut amicorum defectu: de qua sanctus Augustinus lib. de cura pro mortuis habenda cap. 4. *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana Catholica societate defunctis; etiam tacitis nominibus quorumcumque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia: ut quibus ad ista desunt parentes aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur matre communi.*

Nota 73. JOHANNE.

Hic videtur intelligendus S. Johannes Baptista, cujus etiam mentio fit in Liturgiis SS. Basilii & Chrysostomi post consecrationem.

Nota 74. STEPHANO.

S. Stephanus præponitur hic S. Matthiæ, quia ante illum passus, qui etiam reputatur par Apostolis.

Nota 75. ALEXANDRO. Hic est Alexander primus, Papa & Martyr.

Nota 76. AGATHA, LUCIA. Huc spectat illud S. Aldelmi Schirburnensis Episc. cap. 25. lib. de Virginitate: *Mihi quoque operæpretium videtur, ut sanctæ Agathæ rumores, castissimæ Virginis Luciæ præconia subsequantur, quas præceptor & pædagogus noster Gregorius in Canone quotidiano, quando Missarum solemnia celebrantur, pariter copulasse cognoscitur, hoc modo in catalogo martyrum ponens, Felicitate, Anastasia, Agatha, Lucia, &c.* Noster autem codex dicendo [c] *Agathe*, sequitur flexionem Græcam.

Nota 77. AGNE. Ita in codice Remensi [d], de quo vocabulo infra dicetur.

Nota 78. ANASTASIA.

In cod. Tiliano additur, *Euphemia*. In Liturgia quam sancti Petri esse ferunt, adduntur, *Barbara, Juliana* [e].

Nota 79. MERITI.

Id est, demeriti, peccati. Nam statim sequitur, *Sed veniæ largitor*. Huic interpretationi astipulatur vetus expositio ms. Præfationis & Canonis Missæ Bibl. Corb. *Non retributionem peccatorum æstimet; sed ipse sit veniæ largitor.* Et quandoque meritum sumitur pro peccato. S. Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. *Quorum tam mala sunt merita.*

Nota 80. HÆC OMNIA BONA. Quæ his altaribus consecrantur, ait Florus.

Nota 81. SANCTIFICAS.

Ex terrena substantia sanctam facis. Sic Firmilianus Episcopus in Epist. ad Cyprianum dixit, *Sanctificare panem*, & ipse sanctus Cyprianus Epist. 63. dixit, *Sanctificare calicem.*

Nota 82. VIVIFICAS.

Id est, panem inanimatum convertis in corpus Christi vivum, inquit Odo Cameracensis in Canonem Missæ.

Nota 83. PRÆCEPTIS SALUTARIBUS MONITI, &c.

Hanc formulam ad Orationem Dominicam præambulam tangit sanctus Hieronymus l. 3. contra Pelagianos: *Sic docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis*

a Hæc desiderantur quoque in duobus Theod. In utroque, & in Gemet. ante, *Memento etiam &c.* legitur hæc oratio: *Memento mei, quæso, Domine, & miserere; licet hæc sancta indigne tibi, sancte Pater omnipotens, æterne Deus, meis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum, ac venerabile nomen tuum dignus sum: sed quoniam in honore laudis & memoria gloriosissimi dilectique filii tui Domini Dei nostri Jesu Christi offeruntur, sicut incensum in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis accendantur. Per Christum Dominum nostrum.*

b Addere liceat insignem hunc Cypriani locum Ep. 1. in edit. nova, olim 66. *Episcopi antecessores nostri ..... censuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari, in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit avocare.* &c. Vides morem Cypriano longe antiquiorem. Et sane illius meminit Tertull. lib. de Coron. mil. cap. 3. lib. de exhortat. castit. cap. 2. lib. de Monogamia cap. 10.

c In vet. Sacrament. Gallic legitur quoque *Agathe, Agne*, ordine tamen inverso, nam Agnes Agatham præcedit hic in cod. In antiquo Kalendario Carthag. edito ad calcem Act. Marc. a nostro Theod. Ruinart legitur, *Nonis Febr. S. Mart. Agathe.*

d In cod. Gemet. post *Anastasia* leguntur nomina *SS.Ætheldrytæ & Gertrudis*. Vet. Sacram. Gallic. post S. Luciam nominat solam Eugeniam.

vis illius ſacrificio credentes, audeant loqui, Pater noſter, &c.] Ex quo antiquitas hujus formolæ conſtat.

Nota 84. PATER NOSTER, &c.

Vetus & Apoſtolica eſt conſuetudo, ut Oratio Dominica ſuper Chriſti corpus recitetur; ut notum eſt ex omnibus Liturgiis, ſancto Gregorio a lib. 7. Regeſti, Epiſt. 63. ſancto Hieronymo paulo ante citato. Uſus etiam illius apparet ex ſancto Ambroſio lib. 5. de Sacramentis cap. 4. Ex ſancto Anaſtaſio Sinaita ſerm. de ſynaxi: *ποία χάρις τοιαύτης καταλύσεως ὅταν τις μὴ μόνον ψεύδηται τῷ χριστῷ κατ' ἐκείνην τὴν φοβερὰν ὥραν τῆς θείας συνάξεως. ἀλλὰ καὶ τοῖς ἑαυτοῦ ἀδελφοῖς μνησικακεῖ, καὶ ταῦτα λέγοντας ἐν προσευχῇ τό, καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν*, &c. id eſt, quanta eſt hæc deſtructio non ſolum Chriſto mentiri tremenda illa divinæ ſynaxeos hora, ſed adverſus fratres ſuos iram tenere? etſi dicant in oratione: *Dimitte nobis debita noſtra*, &c. S. Auguſtino Epiſt. 59. ad Paulinum: *Ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod eſt in Domini menſa incipiat benedici: orationes, cum benedicitur & ſanctificatur & ad diſtribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Eccleſia oratione Dominica concludit.* Optato Milevitano l. 2. contra Parmenianum: *Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis, & delicta donatis, mox ad altare converſi, Dominicam orationem prætermittere non poteſtis. & utique dicitis: Pater qui es in cælis, dimitte nobis debita & peccata noſtra.* Ex S. Cypriano lib. de oratione, cum ait illi orationi Dominicæ ob reverentiam præmitti præfationem, quæ ſane tantum in Miſſæ ſacrificio dicebatur. Et ex Tertulliano lib. de oratione, in quo poſt orationis Dominicæ expoſitionem cetera ad Miſſæ ſacrificium ſpectant: & ex S. Cæſario Arelatenſi homil. 12. ubi agens de ſacrificio Miſſæ hæc ait; *Aut quando oratio Dominica dicitur, quis eſt qui humiliter aut veraciter clamet, dimitte nobis debita noſtra?* Recte autem commemorationi defunctorum in his Sacramentariis hæc oratio poſtponitur, quia id vetus poſtulat conſuetudo, quam videre eſt apud S. Cyrillum Catecheſi 5. myſtagogica, *μετὰ ταῦτα τὴν εὐχὴν λέγομεν ἐκείνην, ἣν ὁ σωτὴρ παρέδωκε τοῖς οἰκείοις αὐτοῦ μαθηταῖς.* id eſt, poſt hæc (nempe commemorationem fidelium defunctorum) dicimus orationem illam, quam Salvator ſuis tradidit diſcipulis: ac proinde in omnibus Liturgiis Canoni ſubjungitur; quia, ut optime notat S. Auguſtinus loco citato, *totam petitionem fere omnis Eccleſia oratione Dominica concludit*. Huic orationi Sacerdos olim ſubjungebat hæc quæ non habentur in hoc Canone, ſed referuntur a S. Ambroſio lib. 6. de Sacramentis cap. 5. *Quæ ſequuntur, audi, audi quid dicat Sacerdos; Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in quo tibi eſt, cum quo tibi eſt honor, laus, gloria, magnificentia, poteſtas cum Spiritu ſancto a ſeculis, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum.* Ubi nota hanc formulam *& nunc & ſemper*, eſſe juxta ritum Græcorum, qui non præmittebant hæc verba, *ſicut erat in principio*, ut notavimus ad Concordiam regularum. In Liturgiis SS. Jacobi, Baſilii & Chryſoſtomi, hæc verba huic orationi ſubjiciuntur: *ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ δύναμις, κ. ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* id eſt, quoniam tuum eſt regnum & poteſtas & gloria Patris, & Filii, & Spiritus ſancti nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Hinc capiendus eſt S. Cæſarius Dial. 1. qu. 29. *τῷ δὲ Ἀγγέλῳ ἑπόμενοι, καὶ ἐπινίκιον ὑμνοῦμεν, ἐπινίκιον τὸν χριστὸν ἐν τῷ καιρῷ τῆς θείας τῆς μυστικῆς τελετῆς, βοῶντες ὅτι σοῦ τὸ κράτος, καὶ ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα.* id eſt, hunc Angelum imitantes, & nos quantum poſſumus victorioſe Chriſtum, in tempore myſtici ſacrificii clamantes, quia tua eſt fortitudo, & regnum, & poteſtas, & gloria.

Nota 85. ET BEATIS.

Ita in codicibus Rodr. & Rat. In Miſſ. Rom. *cum beatis*.

Nota 86. ATQUE ANDREA.

In cod. Tiliano additur, *necnon & beatis Martyribus tuis Gervaſio & Protaſio*. Qui ſunt Patroni illius Eccleſiæ, cujus olim erat hic codex Tilianus. nempe Salarienſis, ut in præfatione diximus. b

Nota 87. non extant in editis, Sed olim poſt hæc verba, *atque Andrea*, licebat addere quoslibet Sanctos, ut clarum eſt ex codice Tiliano. *Libera nos, uſque Petro & Paulo, hic nominatim quales voluerit, vel quantos commemorat.* Ubi *τὸ quantos*, eſt, *quot*; & Micrologo cap. 25. *atque Andrea. Hic nominat quotquot ſanctos voluerit.*

Nota 88. AGNUS DEI.

Hanc orationem Sergius Papa I. in Miſſa cantari juſſit, ut refert Anaſtaſius in ejus vita: *Hic ſtatuit, ut tempore confractionis Dominici corporis, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, a Clero & populo decantaretur.* Idem ſcribit Walfridus Strabo lib. de rebus Eccl. cap. 22. Hic autem deſinit ordo Miſſæ tam in noſtro cod. S. Eligii, quam in cod. Rodradi, & in excuſis c.

His ita expoſitis non abs re erit quædam ſubnectere ex codice Tiliano, quæ ad cæremonias antiquas in hujus Canonis recitatione pertinent, in hunc modum:

„ Te igitur, clementiſſime Pater, *uſque*. habeas
„ & benedicas hæc dona: *Hic ſignat oblatam & cali-*
„ *cem tribus vicibus, non tamen ſub una cruce, ſed ſe-*
„ *paratim ſingulis, ſingulas faciens cruces.* Hæc do-
„ na, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata,
„ *uſque* Memento, Domine. *Hic nomina vivorum*
„ *memorentur ſi voluerit, ſed non Dominica die, ſed*
„ *ceteris diebus.* Et omnium circumadſtantium, *uſ-*
„ *que*, Coſmæ & Damiani. *Si fuerit natalis Sancto-*
„ *rum, hic dicat*: ſed & diem natalitii Beatorum il-
„ lorum, aut Beati illius; & omnium Sanctorum,
„ *uſque*, per Chriſtum Dominum. *Hic inclinat ſe*
„ *uſque ad altare, dicens;* Hanc igitur oblationem,
„ *uſque* jubeas grege numerari: Per Chriſtum Do-
„ minum. *Hic erigit ſurſum. Oblatam ſolam hic be-*
„ *nedicit:* Quam oblationem, tu Deus, in omnibus,
„ quæſumus Benedictam, Adſcriptam, Ratam, Ra-
„ tionabilem, Acceptabilemque facere digneris. *Hic*
„ *ambo ſignat, id eſt, oblatam, & calicem*: ut no-
„ bis corpus & ſanguis, *uſque*, omnipotentem, ti-
„ bi gratias agens benedixit, fregit, dedit diſcipulis
„ ſuis dicens; *uſque*, item tibi gratias agens benedi-
„ xit. *Hic quatuor vicibus ſolam oblatam, * ſanctificet.* * Leg. ſignans.
„ *In quinta vice ſuper calicem ſolum crucem faciens;*
„ hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam imma-
„ culatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem
„ ſalutis perpetuæ, *uſque*, immaculatam hoſtiam.
„ *Hic inclinat ſe iterum juxta altare dicens:* ſupplices
„ te rogamus omnipotens Deus. *Hic orat apud ſe quod*
„ *voluerit. Deinde dicit*: jube hæc perferri per ma-
„ nus, *uſque* in conſpectum, *Hic ſe erigit hæc verba*
„ *dicens*; ut quotquot ex hac altaris participatione,
„ *uſque* per Chriſtum. *Hæ orationes duæ dicuntur,*
„ *una ſuper diptychos, altera poſt lectionem nominum;*
„ *& hoc quotidianis, vel in agendis tantummodo die-*
„ *bus*, Memento, Domine, & eorum nomina, qui
„ nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in
„ ſomno pacis. *Et recitantur nomina. Deinde poſt-*
„ *quam recitata fuerunt, dicat*: ipſis, Domine, &
„ omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii,
„ lucis, & pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eum-
„ dem. Nobis quoque peccatoribus, *uſque* ſed veniæ,
„ quæſumus, largitor, admitte. *Hic erigens ſe Archi-*
„ *diaconus veniet, & involvens calicem mappula, le-*
„ *vat illum contra domnum Papam.* Per quem hæc om-
„ nia, Domine, ſemper bona creas. *Hic ambo ſignat,*

in id

a Nunc lib. 9. ep. 12.

b In ſecundo Theod. poſt, *atque Andrea*, ſubjungitur, *necnon & ſanctis Martyr. tuis Stephano, Quintino, atque Nicaſio, ſed & beatis Confeſſor. tuis Gregorio, Medardo, atque Eligio, cum omnibus &c.*

c In cod. Reg. Suec. deeſt, *Agnus Dei &c.* In cod. Gemet. poſt *Agnus Dei, Explicit Canon Miſſæ.* In priori vero Theod. additur, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. . . . . Hæc ſacroſancta commixtio corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, fiat mihi & omnibus ſumentibus, ſalus mentis & corporis, & ad capeſſendam vitam æternam præparatio ſalutaris. Amen* . . . . Poſt pacem dicat in corde: *Pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda noſtra & intelligentias noſtras. Amen* . . . . Ad dandam pacem . . . . *Pax tecum* . . . Poſt pacem, *Pax & caritas Dei maneat ſemper in cordibus noſtris, Amen.*

Oratio.

Domine Jeſu Chriſte qui dixiſti Apoſtolis tuis &c. Ut in Miſſali. Sequuntur quatuor Orationes.

id est, oblatam & calicem tribus vicibus singulis singulas faciens cruces; sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis. *Hic levat domnus Papa oblatas duas usque ad oram calicis, & tangens eum de oblationibus, tenente illum Archidiacono, dicit,* per ipsum, & cum ipso, & in ipso tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria. *Tunc dicit in altum,* per omnia secula seculorum. *Tunc reponit in altari, & dicit in altum,* oremus. *Deinde dicit,* præceptis salutaribus moniti, & *usque,* sed libera nos. *Tunc dicit domnus Papa, interveniente aullo sono, hanc orationem,* libera nos, *usque* Petro & Paulo. *Hic nominatim quales voluerit Sanctos, vel, quantos commemorat. Deinde infert,* cum omnibus Sanctis, da propitius pacem, *usque* per omnia secula seculorum. Amen. *Deinde dicit;* pax Domini. *Deinde dat pacem altari vel patinæ, & sic sibi dat pacem. Cum vero domnus Papa dicit:* pax Domini sit semper vobiscum, *non mittit partem de Sancta in calicem, sicut ceteris Sacerdotibus mos est. Dum confringit,* Agnus Dei, *dicit. Et expleta confractione quando communicat domnus Apostolicus, partem sibi mordet, & reliquam in calicem mittit, faciens crucem de ea tribus vicibus super calicem nihil dicens, & sic confirmatur de calice, tenente calicem Archidiacono. Quando vero domnus Apostolicus descendit ab altari, incipit communicare populus, & dicitur Antiphona ad communionem. Expleta communione & Antiphona, tunc surgit domnus Papa, & veniens ad altare salutat, altius dicens,* Dominus vobiscum: & cum Spiritu tuo. *Deinde orationem dicit:* Quod ore sumsimus, Domine, mente capiamus: & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Hactenus codex Tilianus, quæ tamen habentur etiam apud Hittorpium.

Nota 89. Ad Nonam.

Ita in editis & in cod. Rem. In cod. Ratoldi legitur, *Hora nona.* Olim in semijejuniis Missæ tenebantur hora nona. Consule observationes nostras ad Concordiam Regularum.

Nota 90. Deus.

Pater videlicet, ad quem dirigenda est oratio in Missæ sacrificio, juxta decretum Concilii Carthag. 3. can. 23. & *cum altari adsistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.* Interdum tamen dirigitur ad filium.

Nota 91. Præsta ut Unigenitum tuum, &c.

Hæc citantur ab Alcuino lib. 7. contra Felicem Urgelitanum Episcopum: *In Missa namque humanæ Nativitatis ejusdem Domini nostri, ita cantare solemus; præsta ut Unigenitum tuum, quem Redemtorem læti suscipimus, &c.*

Nota 92. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Nota olim in conclusione orationum seu collectarum vocabulum, *Deus,* proxime secutum fuisse verbum *regnat,* quemadmodum videre est in Missa Ambrosiana, in cod. Tiliano, & in aliis codicibus nostris mss. & in expositione ms. Præfationis & Canonis, Bibl. Corbeiensis: *Cum dicit, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti, vult populum credere & intelligere, &c.* Quod confirmat Micrologus cap. 6. de observationibus Ecclesiasticis: *Sciendum autem in illa usitata conclusione per Dominum nostrum, quod Romanus Ordo & antiqua exemplaria nomen Dei interponunt, ubi dicitur, qui tecum vivit & regnat Deus. Quod tamen moderni post nomen Spiritus sancti subjungere solent. Et hæc utique consuetudo etiam apud Romanos adeo invaluit, ut antiquæ traditionis executio non sine scandalo locum habere possit.* Ubi vides seriem illam verborum quæ est in nostris codicibus mss. fuisse antiquum usum.

Nota 93. Per omnia secula seculorum.

Antiqua hæc orationis formula apud Christianos, ut videre est apud sanctum Irenæum lib. 1. adversus hæreses cap. 1. ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς ἐν τῇ εὐχαριστίᾳ λέγοντας εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. id est, atque adeo nos, cum in gratiarum actione dicimus, in secula seculorum; cui simile est illud quod refert Tertullianus lib. de spectaculis, εἰς αἰῶνας ἀπ' αἰῶνος. *alii omnino dicere nisi Deo & Christo.*

Nota 94. Super oblata.

Ita in codicibus Rem. Rodradi, & Ratoldi. In cod. Tiliano habetur, *Secreta,* ut in editis; sæpissime, *Super oblata.* In appendice Rodradi, [a] *Secreta.* Dicitur *Super oblata* hæc Oratio, quia super panem & vinum oblata in Missa recitatur.

Nota 95. Præfatio.

Est [b] Oratio seu gratiarum actio, quæ Canoni præmittitur, qua disponitur Sacerdos & populus ad tremendorum mysteriorum confectionem: cujus mentionem facit S. Cyprianus lib. de Oratione. *Ideo & Sacerdos ante Orationem, Præfatione præmissa parat Fratrum mentes; dicendo: Sursum corda;* & in Concilio Milevitano 2. can. 9. *Placuit etiam illud ut preces, vel Orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive Præfationes, sive commendationes, sive manuum impositiones, ab omnibus celebrentur.* A S. Johan. Chrysostom. homil. 3. in epist. ad Coloss. excusa tempore Clementis septimi Papæ, dicitur *προοίμιον.* In cod. Rem. dicitur *contestada,* multis in locis: unde in expositione Missæ mss. Biblioth. Thuanæ: *Vere dignum & justum est, &c. contestatur vero Sacerdos fixam ac veram professionem populi. Id est, gratias referre Deo esse dignum.*

Multæ autem hic ponuntur Præfationes, ut in editis, & in codicibus Remensi, Ratoldi, & in secunda parte codicis Rodradi: novem tamen fuerunt dumtaxat receptas a Pelagio Papa II. quibus nunc utitur Ecclesia Romana, ut videre est in ejus Epistola apud Burchardum lib. 3. cap. 69. Sed decretum non tenuisse satis notum est ex nostris codicibus, & ex editis; atque etiam ex his verbis Guitmundi lib. 2. de corpore & sanguine Christi: *Præfationem istam quæ per totum pene orbem Latinum inter Epiphaniam & Septuagesimam in quadam die Dominica habetur, hic supposui hæc continentem: Æterne Deus, & tibi hanc immolationis hostiam offerre, quæ est salutifera & ineffabile divinæ gratiæ Sacramentum, quæ offertur a plurimis, & unum corpus Christi sancti Spiritus infusione perficitur: singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est.* Et Algeri lib. 1. de veritate corporis & sanguinis Dominici cap. 15. *Item Ambrosius Dominica v. post Epiphaniam singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est: nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Quæ verba extant in Præfatione ejusdem Dominicæ quintæ post Epiphaniam in editis Sacramentariis, & in nostris cod. mss. nec est inter illas quæ excipiuntur a Pelagio Papa. Ex quo fit vix ante quadringentos annos Ecclesiam Romanam ab ejusmodi Præfationibus abstinuisse. Novem Pelagii Præfationibus additæ duæ.

Nota 96. Ad complendum.

Ita in codicibus Rod. & Ratol. Siquidem olim ita appellabatur ultima Oratio Missæ, ut testatur Walfridus cap.

a *Secreta* dici a secretione donorum & oblationum, quorumdam eruditorum est sententia: licet eadem oratio quæ in nonnullis cod. libri Sacramentorum dicitur, *super oblata,* in aliis est, *secreta,* quod videre est hic in cod. Pamel. & Vatic. Huic sententiæ obstare videtur, quod legimus in cod. vetustissimo lib. Sacr. Ecclesiæ Turon. ubi pro, *secreta,* habetur *arcana.* Et in appendice Ord. Rom. ex Amalarii Ecloga in eumdem Rom. Ordinem n. 24. de *secreta,* sic habetur: *secreta dicitur, eo quod secretam orationem dat Episcopus super oblationem* &c. Vide etiam n. 17. apud Mabill. Tom. 2. Musei Ital. pag. 558. & 559.

b In vet. Sacramentario Gallic. vocatur, *contestatio,* uti in Missali Gallic. & in Gothico a doctissimis Thomasio & Mabillonio vulgatis. In Gothico dicitur etiam aliquando, *immolatio.* Nomine *Præfationis* in veteribus illis Missalibus intelligitur prima Liturgiæ pars, quæ est quædam adhortatio ad populum, ut Deo exorando attentius incumbat, ut observat Mabill. lib. 1. de Liturg. Gallic. cap. 3. n. 27. In Missali Francorum extat integra Præfatio communis Missalis Romani. De Præfatione celebris est Canon 9. Concilii 2. Milevit. *Placuit etiam illud ut preces vel orationes seu Missæ quæ probatæ fuerint in Concilio, sive Præfationes .... ab omnibus celebrentur.*

cap. 22. de rebus Eccl. *Est autem legitimum tempus communicandi ante ultimam Orationem, quæ dicitur ad complendum.* Ita appellatur, quod sit complementum & conclusio tutius Missæ. S. Augustinus epist. 59. ad Paulinum appellat, *Gratiarum actionem: quibus peractis*, inquit, *& participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit*. In cod. Remensi appellatur, *Post communionem*. In Missali Romano, unico vocabulo, *Postcommunio*.

Nota 97. PER EUMDEM DOMINUM, &c.

Concluditur Oratio per Filium: quia Mediator est Dei & hominum, per quem accessum habemus ad Patrem, inquit Apostolus; idque juxta antiquum ritum, cujus meminit Optatus lib. 3. *Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium ante ejus aram rogaverit*. Haymo in cap. 7. ep. ad Hebr. *Unde & Sacerdotes Ecclesiæ altari assistentes dicunt: Suscipe, Domine sancte Pater, preces populi tui, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.*

Nota 98. IN VIGILIA DOMINI IN NOCTE.

Ita in editis, & in codice Remensi, *In vigilia natalis Domini in nocte*, quod perinde est. Ita dicitur propter vigiliam nocturnam. Nam superior vigilia ad nonam est, quod vulgo pervigilium dicitur, pridie videlicet ipsius festi. In cod. Rodradi, NATALIS *Domini ad Sanctam Mariam majorem*: In cod. Ratoldi, *Nocte ad Sanctam Mariam*. Apud Pamelium, *Media nocte ad Sanctam Mariam majorem*: [a] sed illud τὸ *media*, videtur additum a quodam correctore.

Nota 99. IN TRINO VOCABULO.

Ita in editis, & in codicibus Rodradi & Remensi, non exclusis tamen personis. Ita aliquando locuti sunt antiqui Patres, S. Cyprianus Ep. 75. *Quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum*, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Prudentius in Psychomachia.*

Unum namque Deum colimus de nomine trino.

Nota 100. BENEDICTIO [b].

Antiqua olim fuit consuetudo, ut Episcopus, antequam Eucharistiam perciperet, populum benediceret quibusdam conceptis precationibus, ut in toto hoc Sacramentorum libro videre est, necnon in codicibus Rodradi, Rem. Ratoldi & Tiliano, atque etiam in Ordine Romano, sicut & in veteri Pontificali Romano dedicato Leoni X. Pont. Maximo, in quibus plurimas benedictiones reperire est: constatque ex S. Augustino mox citando, & ex Haymone in cap. 2. Epist. 1. ad Timotheum: *Postulationes sunt benedictiones Episcopales, quas dicit Episcopus super populum, invocans nomen Domini super illum.* Idque juxta mentem sancti Augustini mox citandi. Præcise autem dabatur illa benedictio dicta clausula Orationis; *Libera nos quæsumus. Per omnia secula seculorum*, ut liquido constat ex Ordine Romano: *Cumque Episcopus Pater noster finierit, accipiens Archisubdiaconus patenam ab Acolytho, offerat eam Archidiacono. Ille autem, ut Episcopus dicit, Da propitius pacem, patenam illi accommodans, humerum ejus osculetur, statimque Episcopo dicente, Per omnia secula seculorum, accipiat benedictionalem librum, & conversus ad populum dicat, Humiliate vos ad benedictionem, & Clero respondente, Deo gratias, porrigat Episcopo librum. Expleta autem benedictione, veniens Presbyter accipiat benedictionem ab Episcopo.* Idem videre est in Missa Paschali codicis Ratoldi: *Post Dominicam Orationem dum finierint, libera nos a malo, annuente Episcopo dicat Diaconus, humiliate vos ad benedictionem, & populus resp. Deo gratias. Et Episcopus dicat hanc benedictionem; Benedicat vos, &c. Et inde accipiens partem corporis Domini, dicat, Pax Domini sit semper vobiscum.* Ubi hæc verba, *dum finierint, Libera nos a malo*, non ita sumenda sunt, quasi præcise his dictis benedicat Episcopus, sed quæ sequuntur subaudienda sunt, usque ad *Pax Domini sit semper vobiscum*. Ita etiam in Pontificali ms. Eccl. Rothomagensis Feriæ 5. in cœna Domini: *Libera nos, &c. Per omnia secula seculorum, Amen. Tunc dicat Diaconus, Humiliate vos ad benedictionem. Et Episcopus versus populum dicat: Benedicat vos omnipotens Dominus, &c.* Idem clarum est ex Missa ab Illyrico edita: *Non mittat Episcopus in calicem partem oblatæ, ut Presbyteri solent; sed expectet, donec finita benedictione Episcopus communicare debeat: & tunc accipiens partem, quam antea fregerat, tenensque super calicem immittens dicens: Sacri sanguinis commixtio, &c.*

[Margin note: In secundo ordine processione.]

At in Hispania dabatur hæc benedictio tantum post commixtionem corporis & sanguinis, ut planum est ex Missa Mozaraba: *Libera nos quæsumus Domine. Et tundendo pectus dicit: Pone, Domine, finem peccatis. Qua facta, acceptam particulam, quæ dicitur regnum, præmissa Oratione, ponit super calicem; non addita alia immittit in illum. Post hæc dicit: Humiliate vos benedictioni; & certis quibusdam formulis benedicit populo.* Quod statuitur in Concilio Toletano 4. can. 17. *Sed post Orationem Dominicam, & conjunctionem panis & calicis, benedictio in populum sequatur.*

Fiebat autem hæc benedictio per manuum impositionem, ut notum est ex sancto Augustino Epist. 59. ad Paulinum, qu. 5. *Interpellationes autem, sive, ut nostri codices habent, postulationes fiunt cum populus benedicitur. Tunc enim antistites velut advocati, susceptos suos per manuum impositionem misericordissimæ offerunt potestati: quibus peractis & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.* Et sane olim benedictio dabatur per manuum impositionem. Sanctus Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 7. *Cur ergo manus imponitis, & benedictionis opus creditis.* Hinc capiendus est sanctus Hieronymus epist. ad Eustochium: *Extenta manu, ut benedicere eos putes, si nescias, pretia accipiunt salutandi.* Etsi non inficior olim usitatum fuisse signum crucis ad benedicendum. Hinc fit, ut in Conc. Milevitano 2. can. 12. memoratarum benedictionum formulæ manuum impositiones appellentur: *Placuit etiam illud, ut preces, vel Orationes, vel Missæ, quæ probatæ fuerint in concilio, sive Præfationes, sive commendationes, sive manuum impositiones ab omnibus celebrentur.* Nec istæ impositiones ad pœnitentes spectant, quibus etiam imponebantur manus inter Missarum solemnia. Cum vero hic agatur de precationibus quæ ad Missam pertinent: de quarum numero sunt benedictiones, ejusmodi impositiones manuum potius explicandæ sunt de ejusmodi benedictionibus, quam de impositionibus quæ fiunt super pœnitentes, quæ non sunt Missæ partes, sed fiunt tantum pœnitentium gratia; qui si non essent, ejusmodi impositionibus manuum minime opus esset. Ejusmodi autem benedictiones tribus capitulis constant & conclusione, ut docet Honorius Augustodunensis in Gemma. Quod etiam clarum est ex ipsismet benedictionibus, quas videre est in hoc sancti Eligii codice, & in codicibus Rem. Rodr. & Ratol. atque etiam apud *Pamelium*. Nihilominus tamen in cod. Ratoldi quædam paucæ quatuor capitulorum reperiuntur.

Est etiam alia benedictio, quæ datur in fine Missæ, de qua Concilium Agathense can. 47. *Missas die Dominico a secularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis populus egredi non præsumat.* Nam si hæc benedictio non daretur in fine Missæ, sed ante Communionem, illa data, populus egrediens, non interesset integræ Missæ, quia ante Communionem discederet: & ita capienda sunt verba

a Non legitur in cod. Reg. Suec. nec in Gemet. Est in ed. Vatic. & Ottobon. quibus consentiunt duo Theod. In iisdem legitur ut in ed. Pamel. *Ad sanctam Mariam majorem*. In Kalendario Rom. a Johanne Frontone illustrato tantum habetur, *ad sanctam Mariam*.

b De benedictionibus quæ passim occurrunt in S. Eligii codice quem Menardus edidit, consule monitum quod Benedictionali infra edendo præmittemus. In Missali Gothico lib. 3. de Liturg. Gallic. Mabillonii cura edito, nullæ fere occurrunt Missæ in quibus non leguntur benedictiones, verum a nostris plane diversæ. In Missalis Gallicani vet. ibidem vulgato, aliquæ sunt etiam benedictiones, at aliis prorsus & breviores.

verba sancti Cæsarii Arelatensis, qui dicto Concilio præfuit, homil. 12. *Ideo qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, usquequo Oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde debet se in Ecclesia continere.* Valfridus Strabo cap. 22. lib. de rebus Ecclesiasticis locum concilii, quod Aurelianense nominat pro Agathensi, explicat de ultima Sacerdotis Oratione, quam supra diximus appellari Orationem ad complendum: *Statutum est Aurelianensi concilio, ut populus ante benedictionem Sacerdotis non egrediatur de Missa. Qua benedictio intelligitur illa ultima Sacerdotis Oratio;* de qua nimirum supra locutus est eodem cap. Amalarius lib. 3. de Officiis Eccl. cap. 36. agit de hac ultima benedictione, sed quibus verbis fiat, non declarat: *Hunc morem tenet Sacerdos, ut post omnia Sacramenta consummata benedicat populo, atque salutet. Deinde revertitur ad Orientem, ut se commendet Domini Ascensioni: dicitque Diaconus, Ite Missa est.* Rabanus lib. 1. de Institutione Clericorum cap. 33. *Post Communionem ergo, & post ejusdem nominis Canticum, data benedictione a Sacerdote ad plebem, Diaconus prædicat Missæ Officium esse peractum, dans licentiam abeundi.* Ex quibus verbis, si attentius expendantur, liquido constabit Rabanum esse in eadem mente cum Valfrido. Nam Canticum ejusdem nominis cum communione nihil aliud est, quam illa Antiphona, seu responsorium quod dicitur *Communio*. Cum autem Rabanus proxime subjiciat benedictionem huic Antiphonæ, non est dubium, quin per benedictionem intelligat ultimam Orationem ad complendum vocitatam, quæ & tempore illius in usu erat, & sequitur proxime Antiphonam, seu Responsorium quod *Communio* dicitur. Nihilominus tamen, etsi in antiquis nostris Missis, & codicibus nostris mss. nulla reperiatur in fine Missæ benedictio, existimo tamen Canonem Concilii Agathensis intelligendum esse de benedictione, quæ daretur in fine Missæ, distincta ab Oratione ad complendum. Nam cum in eodem Concilio prohibeatur Presbytero benedictionem impertire, non est rationi consentaneum, eum arcere ab ultimæ collectæ recitatione, quæ juxta S. Augustinum est gratiarum actio, quæ sane non est prætermittenda, sive a Presbytero, sive ab Episcopo. Sed existimo fuisse diversum Ecclesiæ usum circa hanc benedictionem in fine missæ, quæ, ut dixi, non habetur in antiquis missis a nobis productis, nec in nostris codicibus mss. neque in Ordinibus Missæ a Melchiore Hittorpio editis. Sed in illis omnibus post Orationem ad complendum, Diaconus dimittit populum dicendo, *Ite Missa est*, quemadmodum est in Ordine processionis, quando Episcopus Missam celebrare voluerit festivis diebus, quæ extat in codice Tiliano, ubi sic habetur: *Cumque Episcopus collectam finierit; & Diaconus, Ite Missa est; & Clerus, Deo gratias dixerit; duo Diaconi accipientes manum Episcopi, &c. Cum omni processione ad sacrarium reducant.* At apud Amalarium supra citatum videtur hæc benedictio ultima in fine Missæ, & in Ordine Missæ a sancto Petro instituto cum sua expositione, in codice Tiliano: *De mane orantes cantant Postcommunionem cantores, ut ostendat Christum in populo corpore & sanguine corroborato manere. Et hinc a Presbytero postulatur æterna benedictio, quia Christus coram discipulis manducans & bibens cum surrexisset a mortuis, reliquias eis dedit, elevatisque manibus ipsis benedixit.* Hæc citatus Ordo cod. Tiliani, in quo non habetur prior benedictio, quæ datur ante Communionem. Illa autem benedictio in fine Missæ dabatur, antequam Diaconus diceret, *Ite Missa est*, ut clarum est ex tractatu ms. super Missam, Bibliothecæ Corbeiensis: *Deinde Orationes a Sacerdote sacræ Communionis peraguntur: & benedictio super populum, ut a nobis digne percepta stabiles in fide & mundo corde maneamus, & nos salutem animarum & corporum habere credamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre vivit & regnat Deus una cum Spiritu sancto in secula seculorum. Amen. Deinde a Diacono populo pronuntiatur, dicendo: Ite Missa est.* Idem patet ex glossis mss. in

A Ordinem Romanum Bibliothecæ Thuanæ: *Episcopus data benedictione revertitur ad propria, postea annuntiat Diaconus, Ite Missa est.* Supradictæ autem benedictiones Episcopales quæ ante Communionem dabantur, sunt adhuc in usu in quibusdam Ecclesiis, & extant ex eis nonnullæ ad calcem Pontificalis Romani excusi tempore Leonis XI. quæ ex recentioribus Pontificalibus expunctæ sunt.

Nota 101. MISSA IN MANE PRIMA.

In cod. Ratoldi, & in editis legitur, *Missa primo mane ad sanctam Anastasiam*, quemadmodum apud Pamelium. In cod. Rodradi: *Nocte ad sanctam Anastasiam*. In codice Remensi post Missam de nocte sequitur altera Missa sub hoc titulo: *In natali sanctæ Anastasiæ*.

B *Nota* 102. DA QUÆSUMUS DEUS, &c.

In cod. Rodradi a Orationes de S. Anastasia præcedunt Orationes de natali Domini, quemadmodum & Præfatio de sancta Anastasia.

Nota 103. SICUT HOMO GENITUS IDEM REFULSIT DEUS. Ita Corippus lib. 4. de laudibus Justini minoris.

Natus homo est, verusque Deus non destitit esse.

Nota 104. PRÆFATIO.

Natalis Domini. In codicibus Rodr. & Rat. & in excusis additur, *Præfatio sanctæ Anastasiæ, quæ est de communi Virginum*.

Nota 105. EJUS.

Ita in editis, & in codice Rodradi. Apud Pamelium, & in codicibus Remensi & Ratoldi legitur *hujus*. Sed existimo τὸ *ejus* rectius esse, ut referatur ad Christum, quia sequitur, *cujus nati-*
C *vitas*.

Nota 106. SACRAMENTI.

Sacramentum hoc loco est solemne festum quo aliquod Christi mysterium, seu Nativitatis, seu Passionis, sive Ascensionis repræsentatur, ut docet sanctus Augustinus epist. 118. ad Januarium agens de Sacramentis non scriptis: *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta, retineri, sicuti quod Domini Passio & Resurrectio, & Ascensus in cælum, & Adventus de cælo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia.* Hinc capiendus est S. Hieronymi locus epist. 48. ad Sabinianum Diaconum: *Post*
D *Apostoli Petri Basilicam in qua Christi Flammeo consecrata est, post crucis, & Resurrectionis & Ascensionis Sacramenta, in quibus rursum se in Monasterio victuram spoponderat.*

Nota 107. NATALIS.

Ita in codicibus Remensi, & Rodradi. In editis, & in cod. Ratol. & apud Pamelium, legitur, *Novitas natalis*, aptius ad sensum, tum propter paronomasiam inter hæc vocabula, *Novitas*, & *Nativitas*. Sed arbitror, τὸ *natalis* redundare.

Nota 108. NATIVITAS. In codicibus Rodradi, & Remensi legitur, *nobilitas*, non ita recte.

Nota 109. CONCEDE QUÆSUMUS, OMNIPOTENS DEUS, UT NOS.

Hujus Orationis mentionem facit Alcuinus lib. 3. contra Felicem Urgelitanum Episcopum: *Et in die natalis Domini: concede quæsumus omnipotens*
E *Deus, ut nos unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet.*

Nota 110. INVISIBILIUM AMORE RAPIAMUR.

Ita in codicibus Rodradi, & Ratoldi, atque apud Pamelium, quam lectionem se in uno cod. ms. reperisse scribit Angelus Rocca. In Missali Romano legitur *in invisibilium amorem rapiamur*, quam etiam lectionem se in tribus cod. mss. vidisse auctor citatus ait.

Nota 111. QUIQUE EJUS INFANTIAM, &c. Est præclara antithesis.

a In cod. Reg. Suec. oratio, *super oblata*, pro S. Anastasia præceditque orationem de Natali Domini. Gemet. consentit cum cod. Rodradi.

Nota 112. PRÆSTA QUÆSUMUS OMNIPOTENS DEUS.

A Hanc Orationem in cod. Ratoldi ſequitur altera benedictio, hoc modo: *Deus, qui genus humanum vulneratum in protoplaſto, novo recuperaſti antidoto, &c.* Sed non eſt proprius illius locus: debet enim proxime ſequi priorem ejuſdem codicis.

Nota 113. QUI IN MENTIBUS, &c. Eſt elegans paronomaſia.

Nota 114. FIDEI ET SECURITATIS AUGMENTUM. Ita in cod. Remenſi & Rodradi: & hanc lectionem teſtatur Angelus Rocca ſe in uno codice reperiſſe. In cod. mſ. Ratoldi Abbatis, & apud Pamelium legitur *a Fidei, ſpei, & caritatis augmentum.* Quæ lectio videtur plauſibilior: nec tamen prior eſt contemnenda, cum ſit antiquorum codicum, nec ſuo ſenſu careat.

B *Nota* 115. PATERNIS. Id eſt, patris Adæ.

Nota 116. HUJUS CREATURÆ NOVITATE SUSCEPTA.

Id eſt, in novam creaturam transformati, juxta illud Pauli ad Gal. 6. *In Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.*

Nota 117. DEUS QUI HUMANÆ, &c.

Hac Oratione utitur modo Eccleſia Romana in commixtione vini & aquæ his vocabuli interpoſitis: *Per hujus aquæ & vini myſterium.*

Nota 118. IN VERITATE CORPORIS.

C Hæc ponuntur adverſus Manichæum, qui Chriſto corpus phantaſticum; & adverſas Valentinum, qui cæleſte tribuebant; alioſque ejuſdem farinæ hæreticos, qui Chriſto corpus humanum & carneum minime tribuebant.

Nota 119. UT SICUT ILLOS PASSIO GLORIOSOS, SIC, &c.

In cod. Rodradi: *Ut quia illos Paſſio glorioſos, nos devotio, &c.* In cod. Ratold. *Ut quod illos Paſſio glorioſos, nos devotio, &c.* In editis & apud Pamelium: *Ut quod illos Paſſio a fecit glorioſos, nos devotio, &c.* Sed lectio codicis ſancti Eligii videtur præſtabilior. In codice Remenſi non eſt hæc Oratio, ſed alia: *rata tibi ſint Domine, munera, quæſumus, devotionis hodiernæ, &c.*

D *Nota* 120. CUJUS GLORIÆ SEMPITERNÆ PRIMUS MARTYR OCCURRIT. Præclare Enodius Hymno 4. de S. Stephano.

Hic primus intravit viam.
Nullis ſabactam greſſibus.

Nota 121. PER QUEM.

Deeſt in editis, & apud Pamelium. Et in prima Oratione apparet eraſa in cod. S. Eligii.

Nota 122. ECCLESIAM TUAM, &c.

Ita in editis, & in codicibus Ratoldi, Rodradi, & Rem. Sed in hoc ultimo ponitur ſecunda. Nam prior eſt, *Deus qui per tos beati Apoſtoli tui* b *Johannis verbi tui nobis arcana reſeraſti, &c.* Porro in cod. Ratoldi ſunt duæ Miſſæ de S. Johanne Evangeliſta, quemadmodum apud Pamelium. Secunda inſcribitur, *Item in die.* Ita ut prima diceretur, *Primo mane*, juxta titulum qui ei præfigitur apud eumdem Pamelium, ſecunda vero in die.

E *Nota* 123. NOS CONFIDIMUS. in editis τὸ *nos* deſideratur. In cod. Remenſi legitur, *nos ſcimus.*

Nota 124. CARNALIA. leg. *Carnalis*, ut referatur ad τὸ *genitoris.*

Nota 125. VICARIUM SUÆ MATRI.

Simile eſt illud S. Ambroſii in Miſſa ſancti Johannis, etſi non ſit eadem Præfatio: *Vicarium pro ſe matri filium clementer attribuit.*

Nota 126. AD VESPEROS.

Ita in editis, apud Pamelium, & in cod. Ratoldi. In cod. Rodradi additur *ubi ſupra.*

Nota 127. ALIA. In cod. Rodradi, & apud Pamelium legitur, *Ad fontes* c.

Nota 128. ALIA. In eodem cod. & apud Pamelium legitur, *Ad ſanctum Andream.*

Nota 129. ET IN PRETIOSIS, &c.

Hæc Præfatio extat in Miſſa Ambroſiana, ſed in quibuſdam variat.

Nota 130. ET CLARA EST PRIUS CONFESSIO, &c.

S. Auguſt. ſerm. 9. de Sanctis: *Beata ætas, quæ necdum Criſtum poteſt loqui, & jam pro Chriſto meretur occidi.*

Nota 131. ANTE PASSIO, &c.

Ita ſanctus Auguſtinus ſerm. citato: *Nondum opportuna vulneri, & idonea Paſſioni.* Tom. 2.

Nota 132. VOTIVA DONA.

Votiva dona dicuntur Sacramenta corporis & ſanguinis Chriſti, *Quia voventur omnia quæ Deo offeruntur*, ut ſupra ex S. Auguſtino docuimus.

Nota 133. EODEM DIE S. FULGENTII EPISCOPI.

Hæc in aliis noſtris cod. mſſ. non extant, d neque in editis, neque apud Pamelium. Hic S. Fulgentius fuit ex Monacho Ruſpenſis Epiſcopus in Africa, cujus acta vide apud Sur. Kal. Januarii. Nulla autem hic eſt peculiaris Miſſa de S. Fulgentio, quia Miſſa de S. Sylveſtro ei eſt applicanda, cum utrique conveniat.

Nota 134. IN OCTAVIS DOMINI. Sic Corippus lib. 4.

Lux octava novo naſcentis lumine Chriſti.

Dies octavus ſolemnitatis a Græcis dicitur ἀπόλυσις, ut videre eſt apud ſanctum Baſilium Seleucienſem lib. de miraculis S. Theclæ cap. 18. ἦν ἡ τῆς μάρτυρος αὐτῆς ἑορτὴ, καὶ ἡ τελευταία τῆς ἑορτῆς ἡμέρα, ἣν δὴ καὶ ἀπόλυσιν καλεῖν ἡμῖν ἔθος, ὡς ἂν πέρας ἐχούσης τῆς ἑορτῆς. id eſt, feſtum erat martyris & poſtremus feſtivitatis dies, quam nobis appellare ἀπόλυσιν, id eſt, diſceſſionem, mos eſt, quod feſtum deinceps finem accipiat.

Hic autem uno eodemque die octava celebratur Natalis Domini ejuſdemque Circumciſion. Nativitatis octava apparet ex titulo feſti in omnibus codicibus noſtris mſſ. & in editis; e Circumciſionis dies ex Præfatione & benedictione, cujus celebritas eſt antiqua, nam illius mentio fit in Concilio Turonenſi 2. can. 17. *Et hora octava in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur.* Porro in cod. Remenſi eodem die ſequitur Miſſa ſic inſcripta: *Miſſa prohibendum ab idolis.* ſed deeſt particula, *ad*, & legendum, *Miſſa ad prohibendum ab idolis*, ad quod ſpectant ejuſdem Miſſæ collectæ.

Ratio Miſſæ hujus inſtituendæ eſt, quia olim Kalendis Januariis homines multis Paganorum ſuperſtitionibus erant obnoxii, de quibus conſule obſervationes noſtras ad Concordiam regularum cap. 50. §. 13. In has invehitur ſanctus Petrus Chryſologus ſerm. 155.

Nota 135. QUATENUS IN OCTAVO, &c.

Per octavum diem, ſeu octavam, deſignatur ſupremus Reſurrectionis dies, & ſempiternæ felicitatis ævum ultimum, evoluta hujuſce ſeculi Hebdomade. S. Anaſtaſius Sinaita expoſitione in Pſalm. 6. Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ περὶ ὀγδόης, ὀγδόην οἶδεν ἡ γραφὴ ὀνομάζειν τὴν μετὰ τὴν ἑβδόμην τοῦ παρόντος αἰῶνος ζωὴν, καὶ ἀναγωγὴν, ἣν προεμήνυσεν ἡ ὀκταήμερος ἡ περιτομή. id eſt, Pſalmus David pro octava. Octavam ſolet appellare Scriptura vitam illam, quæ poſt ſeptimam hujus ſeculi ſequitur, quam octavo die facta Cir-

a A cod. Reg. S. abeſt quoque, *fecit*. Et quidem Angelus Rocca, in Scholiis fatetur ſe addidiſſe verbum *fecit*, quod in cod. mſ. deſiderabatur. Gemetic. convenit cum cod. Rodradi; duo vero Theod. noſtram lectionem exhibent.

b In Miſſali Gothico hoc die celebratur feſtum Apoſtolorum Jacobi & Johannis ſimul. Vide notam Mabillonii ad hunc locum.

c Ita legitur in cod. Reg. Suec.

d Eadem de noſtris mſſ. ſunt dicenda.

e Circumciſionis feſtum notatur in veteri Lectionario apud Mabill. de liturgia Gallic. lib. 2. pag. 212. & ſequent. Ibid. legitur, *Dominica poſt circumciſionem*. Libro 3. habes in Miſſali Gothico Miſſam, *In circumciſione Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Circumcisio præsignavit. S. Gregorius Nyssenus expositione io Psalmam 6. διότι τῷ ἑβδοματικῷ χρόνῳ συμπεραιουμένου ἐπιστήσεται ἡ μετὰ τὴν ἑβδόμην ὀγδόη λεγομένη, ὅτι μετὰ τὴν ἑβδόμην γίνεται· οὐκέτι δὲ τὸ ἀριθμοῦ διάδοχον ἐφ' ἑαυτῆς δεχομένη, &c. id est, proptarea quod septenario tempore fiuito, post septimum instabit dies octavus: qui octavus quidem dicitur, quia post septimum existit: numeri vero vicissitudinem in sese oon amplius admittit. Unus enim in perpetoum nulla unquam caligne diremtus permanet. Alius enim eum efficit sol, qui veram suo fulgore lucem edit; qui postquam oobis semel illuxerit, ut inquit Apostolus, deinceps occasu non occultator. S. Basilius cap. 27. libri de Spiritu sancto ad Amphilochium: *Sed quod ie die videatur aliquo modo imago venturi seculi: eoque cum sit principium dierum, non primus a Mose, sed unas appellatus est: Et factum est vespere, & mane dies unus: tamquam qui sæpe recurrat*, καὶ μία τοίνυν ἡ αὐτὴ, καὶ ὀγδόη, ἵνα καὶ ὁ ψαλμῳδὸς ἐν τισιν ἐπιγραφαῖς τῶν ψαλμῶν ἐπιμνησθῇ, δι' ἑαυτοῦ B παραστήσας τὴν μετὰ τὸν χρόνον τοῦτον κατάστασιν, τὴν ἀπαύστον ἡμέραν, τὴν ἀνέσπερον, τὴν ἀδιάδοχον, τὸν ἀλήκτον ἐκεῖνον καὶ ἀγήρω αἰῶνα. id est, *Ut unus sit idem & octavus, unum illum singularem & verum octavum, cujus Psalmista alicubi in quibusdam Psalmorum titulis meminit, per se significans diem, unicam, post hunc temporum statum numquam finiendam, ac vesperæ nescium, nec successore cedentem, hoc est æternam, quæ nec finem habet, nec senium novit.*

Hujus rei notitiam aliquam habuisse videtur Plato rerum Hebraicarum haud plane ignarus, qui scripsit sanctos viros, emenso hujus vitæ curriculo, ubi septem dies in prato amœnissimo consititerint, iode octavo die migraturos ad cælum per septem planetarum orbes. ἡ δὲ μετὰ τοὺς πλανωμένους πορεία εὐθὺς ἐπ' οὐρανὸν ἄγει, τουτέστιν, τὴν ὀγδόην κίνησιν τε καὶ ἡμέραν. id est, quod autem post errantes illos orbes iter suscipitor, recta perducit ad cælum: is eoim octavus est motus C & dies, apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum. Hoc autem in hac Præfatione dicitur ratione Circuncisionis, quæ die octavo nativitatis cujusque Hebræis fieri lege Mosaica præcipitur, quæ juxta rationem allegoricam Resurrectionis diem significat, in quo perfecta erit omnium vitiorum & animi motuum ac perturbationum mortificatio, ut testatur S. Athanasius Sermone de Sabbato, & Circumcisione. διὰ τοῦτο καὶ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ περιτέμνεσθαι ἐκέλευσεν ὁ νόμος, καὶ ἀπαράβατον ἐφύλαξε, σημαίνουσα τὴν μετὰ τὴν ἑβδόμην ἀναγέννησιν πάντων. id est, ideo octavo die circumcidi imperatum fuit a Lege, neque id unquam violabatur mandatum, significans post septimum diem omnium regenerationem. Ita S. Anastasius Sinaita supra citatus. Notandum tamen hanc Præfationem diffidere quodammodo a patribus citatis, qui septimam diem universum hujuice seculi curriculum adpellaut, illa vero senarium numerum hoc omne seculum nominat, D septenarium requiem beatarum mentium, quæ positis corporis exuviis Resurrectiooem expectant.

Nota 136. AD GAUDIA SINE FINE MANSURA PERVENIATIS.

Cum videlicet Beati perfecta tum animi, tum corporis beatitudine perfruentur, quia ante resurrectionem sola animi felicitate potiebantor.

Nota 137. IN ILLIUS INVENIAMUR FORMA.
Nempe glorificata.

Nota 138. DOMINICA PRIMA POST NATALE DOMINI.

Io codicibus Ratoldi, & Rem. officium hujus Dominicæ [a] dissentit a cod. nostro hoc S. Eligii: sed Dominica primæ post octavas natalis officium in cod. Ratoldi convenit tom quoad Præfationem & Benedictionem, tom quo ad Orationes, cum hac Dominica, præter ultimam: *Propitiare misericore Deus*, &c. quæ non extat in eodem cod. Ratoldi. E

Nota 139. IN VIGILIA THEOPHANIÆ.

Theophania, ἡ τοῦ Θεοῦ φανέρωσις, id est Dei apparitio, inquit Suidas. Dicitur & Θεοφάνια io plurali neutraliter, & Theophaniorum sacri, quod celebre erat paganis, meminit Synesius in Calvitii encomio. Vul-A go Epiphania. Hæc autem vigilia jejunio caret; quia ob natalis Christi lætitiam duodecim illi dies, qui a natali Christi usque ad Epiphaniam intercidunt, olim jejunio vacabant; illudque dierum spatium Græci δωδεκαήμερον, id est, duodecim dies, appellant, excepto tridoo Kalend. Janoarii, quo in multis locis, & in Gallia maxime ad calcandam gentilium consuetudinem Litaniæ fiebaot, ot statuitur Concil. Turonensis 2. cao. 17. Hæc vigilia non extat in cod. Rodradi, neque in vetustissimo codice Coloniensi [b] ut notat Pamelius.

Nota 140. IN EPIPHANIA DOMINI.

Hoc festum celebratur mense Januario ex antiquo ritu, qui patet ex Ammiano Marcellino lib. 21. cum loquitur de Juliano Imperatore, tum in Galliis agente. *Et ut hæc interim celarentur feriarum die, quem celebrantes mense Januario Epiphaniam dictitant, progressus in Ecclesiam solemniter numine adorato discessit.* Epiphaoia autem, ἡ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐνανθρώπησις. B id est, Servatoris nostri Jesu Christi incarnatio, inquit Suidas. Hoc die a Græcis recitatur sequentia magnæ sanctificationis, omnibus ad fontes convenientibus cum lampadibus, & thure; ibique multis precibus aqua benedicitur tum ad baptismum; tum ad varios usus Christianorum. Sacerdos sanctam crucem rectam in aquam mergit, & ex eadem aqua templum & populum aspergit, ut fuse habetur in Euchologio. Hujus ritus meminit Theodorus lector in secunda Ecloga: καὶ τὴν ἐπὶ τῷ ὕδατι ἐν τοῖς Θεοφανίοις ἐπίκλησιν ἐν τῇ ἑσπέρᾳ γίνεσθαι. id est, & invocationem super aquam in die Theophaniorum vespere fieri jussit. Agit ibi de Petro Cnapheo Episcopo Antiocheno, quem ait hanc benedictionem vesperi fieri jussisse.

Nota 141. STELLA DUCE.

Diodorus Tharsensis Episcopus lib. 5. contra fatum cap. 53. scribit stellam illam, quæ nato Domino Magis visa est, non unam è multis in cælo fuisse, sed δύναμίν τινα θειοτέραν εἰς ἀστέρος σχῆμα μορφωθεῖσαν. C id est, potestatem quamdam divinorem in stellæ similitudinem efformatam. Sanctus Isidorus Pelusiota Epistolis 377. & 378. lib. 1. scribit fuisse quidem eam veram stellam, sed cursum præter ceterarum consuetudinem tenuisse, & eo perculsos sapientes illos Magos Dominum quæsivisse.

Nota 142. IN NOVAM NOS IMMORTALITATIS SUÆ LUCEM REPARAVIT.

Ita io Dominica prima post Epiphaniam, & in editis. Sensus bonus est. Io codicibus mss. Ratoldi Dominica 1. post Epiphaniam, Remeosi, & Rodradi. & apud Pamelium legitur: *In nova nos immortalitatis suæ luce reparavit*: ea quo tandem, sublata præpositione, exiit illud, quod est in Missali Romano, *Nova nos immortalitatis suæ luce reparavit.*

Nota 143. MAGORUM.

D Magos Suidas scripsit apud Persas esse homines φιλοσόφους καὶ φιλοθέους id est, Sapientiæ studiosos, & Dei amatores. Hesychius Magum ioterpretatur Theologum. Hos autem Magos qui Christum infantem adoraverunt, Sanctus Epiphanius in expositione fidei Catholicæ refert ortos fuisse ex filiis Cetturæ, quibus pater dedit munera, aurum, thus, & myrrham, quæ a Sodomorum & Gomorrhæ regibus acceperat: ac propterea cum habitarent in Magodia Arabiæ ragione, eadem munera Christo infanti obtulisse. Diodorus Tharsensis cap. citato scribit eos Persas fuisse, & a Chaldæis de stella Servatorem omnium in carne natum juxta vetus Balaam vaticinium nuntiatura edoctos fuisse.

Nota 144. PRIMITIIS. In editis legitur, *Primitiae*, male.

Nota 145. QUI CUM SAPIENTIA, &c.

Ita in codice Ratoldi. Commuois est Theologorum E sententia Christo statim ab ipso conceptionis suæ momento, datam fuisse omnem sapientiam, ac ceteras animi dotes, virtutesque sibi ratione unionis hypostaticæ debitas: cum io ipso conceptionis puncto comprehensor fuerit, & numquam viator, ut vocant, hoc est intuitivam Dei visionem habuerit. Cum ergo in hac benedictione precatur Pontifex, ut fidelibus spiritu-

a De nostris mss. idem intellige.

b Neque etiam in cod. Reg. Suec.

ſitalium incrementa virtutum largiatur Deus, quemadmodum Chriſtus ſapientia, ætate, & gratia profecit, hæc capienda ſunt juxta modulum & rationem perſonarum inter ſe collatarum: ut quemadmodum Chriſtus crevit ſapientia & gratia experimentali, ſic illi creſcant nova acquiſitione virtutum.

Nota 146. IN OCTAVIS THEOPHANIÆ.

In cod. Rodradi, & apud Pameliam hæc ſolemnitas vacat. [a] In cod. Ratoldi legitur, *Octavas Epiphaniæ, & depoſitio ſancti Hilaris*. Ubi ſecunda oratio eſt de ſancto Hilario; *Deus cujus miſeratione delinquentes mutantur ad veniam, &c.* Super oblata oratio prima eſt de ſancto Hilario: *Univerſitatis conditor, & humani generis reformator, &c.* Præfatio de ſancto Hilario, nulla de octava, hoc modo: *Qui beatum Hilarium Confeſſorem tuum præelegiſti tibi ſacratæ Confeſſionis tuæ antiſtitem, &c.* B Benedictio vero de octava, nulla de ſancto Hilario. *Deus qui præſentem diem dignatus es eligere; ut & eum eligeres, tot miraculis demonſtrares, &c.* Secunda oratio ad Complendum eſt de ſancto Hilario. *Deus fidelium remunerator animarum, &c.*

Nota 147. S. FELICIS.

Hic eſt S. Felix Nolæ Preſbyter, cujus acta eleganti verſu ſcripſit ſanctus Paulinus Nolæ Epiſcopus. In codicibus Rodradi, Rem. & Rat. atque apud Pamelium additur, *in Pincis*: Locus eſt Romæ, [b] in quo ſancti Felicis Eccleſia ædificata eſt.

Nota 148. CONFESSORIS.

Ita appellatur S. Felix in omnibus codicibus noſtris, non martyr. Ita appellatur in Martyrolo- C gio mſ. Bibliothecæ Corbeienſis. *XIX. Kalend. Februar. apud Nolam Campaniæ S. Felicis Preſbyteri, & confeſſoris*. Et a ſancto Auguſtino lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. *ut ſcilicet in beatiſſimi Felicis Confeſſoris Baſilica poneretur*, quemadmodum apud ipſum Uſuardum excuſum. Recte. Nam olim Confeſſores appellabantur ii qui multis pro Chriſti fide tormentis ſuperatis, tandem divina voluntate liberati, tot agonibus ſuperſtites tranquillam mortem obierunt, ut clarum eſt epiſt. 46. S. Cypriani, & alibi paſſim: inter quos hic S. Felix enituit. In Concilio Toletano 4. Sancta Leocadia, quæ non ferro, aut tormentis, ſed carceris ſquallore & fame obiit, Confeſſor appellatur.

Ita in editis, & in codicibus noſtris mſſ. Hæc vox improprie ſumitur [c] pro τὸ *ethnicis*. Et ſan- D ctus Fructuoſus c. 2. ſuæ Regulæ quoſdam pſeudomonachos proprio viventes arbitrio appellavi hæreticos. *Hos tales, ubi repereritis, non monachos, ſed hypocritas & hæreticos eſſe credatis.*

Nota 150. CELEBRAMUS.

In editis legitur, *colimus*. Porro XIV. Kalend. Februar. in cod. Rodradi ſequitur, *Natale Mariæ & Marthæ*: in cod. Rem. *Natale ſanctæ Mariæ & Marthæ*: in cod. Ratoldi, *Natale ſanctorum Mariæ & Marthæ*: ubi τὸ *Sanctorum*, ſumitur ſubſtantive in plurali, & ſæpe occurrit in noſtris mſſ. & in Miſſ. Rom. In noſtris codicibus citatis ſimiles extant orationes de eiſdem Sanctis in hunc modum: EXAUDI, Domine, populum tuum cum Sanctorum tuorum tibi patrocinio ſupplicantem; ut temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere, & æternæ reperire ſubſidium. Per Dominum. *Super oblata*: PRECES, Domine, tuorum reſpice oblationeſque fidelium; ut & tibi gratæ ſint pro tuorum feſtivitate Sanctorum, & nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Per Dominum. *Poſt Communionem*. SANCTORUM tuorum, Domine, interceſſione placatus præſta quæſumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua ſalvatione capiamus. In quibus orationibus τὸ *Sanctorum*, ſumendum eſt etiam ſubſtantive, ut ſupra dictum eſt. In Martyrologiis Romano, & Adonis, eodem die annotatur natale SS. Marii & Marthæ, conjugum, &c. Sed hæc noſtrorum Sacramentariorum Miſſa intelligenda eſt de ſanctis ſororibus Lazari, Maria, & Martha, primo quia in ea martyres non appellantur. Secundo id ſuadet Martyrologium mſ. ſancti Hieronymi, ubi eodem die hæc videre eſt: *Hieroſolyma, Martha & Mariæ ſororum Lazari*.

Idem habetur in Martyrol. m. Biblioth. Corb. *Hieroſolyma, Marthæ & Mariæ*. Cetera ſcalpta ſunt a quodam (ut credere par eſt) nugatore, ſed quodammodo apparet ſcriptum fuiſſe, *Sororum Lazari*. In parvulo Martyrologio mſ. quod aſſutum eſt Sacramentario Rem. ubi eodem die legitur, *Hieroſolyma, Marthæ & Mariæ ſorores Lazari*. In Kalendario codicis Ratoldi, in quo eodem die legitur, *Hieroſolymis, Martha & Maria*. In altero parvulo Martyrologio mſ. Biblioth. Corb. XIV. *Kalend. Febr. in Africa, Quinti Pauli, Geronti, Maria & Martha*. In Martyrologio Rabani eodem die, *Hieroſolyma, Natale Marthæ & Mariæ ſororum Lazari*, & in Martyrologio Notkeri XIV. Kalend. Febr. *Hieroſolymis, Nativitas Marthæ & Mariæ ſororum Lazari*. Poſtridie vero in eiſdem Martyrologiis ſancti Hieronymi, majoris Corbeienſis, Rabani & Notkeri, quemadmodum & in Martyrologio Uſuardi, annotatur dies SS. Martyrum Marii & Marthæ conjugum, &c. Ex quibus apparet, quam recte in dictis Sacramentariis aſſignetur Miſſa Mariæ & Marthæ XIV. Kalend. Febr. & quod hæc nomina ſint intelligenda de ſororibus Lazari [d].

Nota 151. FABIANI.

In cod. Ratoldi eſt unica Miſſa de SS. Fabiano & Sebaſtiano cum diverſis tamen Orationibus, præcedente ubique ſancti Sebaſtiani Oratione, cujus eſt ſola Præfatio, non diſcrepans a Præfatione codicum Rod. & Rem. Benedictio eſt utriuſque ſancti, *Deus qui triumphantibus pro te Martyribus regiam cæleſtis aulæ, potentiæ dextra pandis*. Ubi τὸ *regia*, januam ſignificat, ut in Regula Magiſtri cap. 83. *& exuti rebus Monaſterii dumtaxat ſine gravi injuria clauſa regia excludantur*. conſule obſervationes noſtras ad Concordiam Reg. cap. 67. §. 2.

Nota 152. ET QUOS PONDUS.

Optima lectio. In cod. Rodradi: *& quia non pondus*: & in fine repetitur τὸ *nos* in hunc modum *nos protegat*. In cod. Ratoldi & apud Pamelium legitur: *& quia pondus*, ut in Miſſali Romano.

Nota 153. SANCTÆ AGNETIS.

In cod. Rodradi, *S. Agnes*. Juxta formam Græcorum. ut videre eſt Ecloga 2. Theodori Lectoris ſub finem ἀποτέθειται τὰ λείψανα τῶν ἁγίων Στεφάνου, καὶ Λαυρεντίου καὶ Αγνῆς. id eſt, depoſitæ ſunt reliquiæ Sanctorum Stephani & Laurentii & Agnes. Ita loquitur S. Ambroſius libro primo de off. cap. 41. Ita Prudentius in Periſtephano,

E *Agnes ſepulcrum eſt Romulea in domo.*
Fortis puellæ martyris inclitæ.

Infra tamen ponit τὸ *Agnes*, in nominandi caſu.

Haud, inquit Agnes, immemor eſt ita
Chriſtus ſuorum.

Et ſæpe infra [e].

Nota

a Ita in Kalendar. Rom. & in cod. Colenſi. At in Gemet. et in utroque Theod. feſtum hoc notatur. In iiſdem codd. ſeorſim habetur feſtum S. Hilarii cum Orationibus & Præfatione hic aſſignatis. In primo Theod. alia plurima feſta præcedunt ſcilicet S. Baſilii Epiſcopi & Confeſſoris et Doctoris II. Kalend. Januarii, eodemque die S. Columbæ Virginis: S. Genovefæ III. nonas Januarii: S. Remigii Epiſcopi & Confeſſoris. Idibus Januar. quo die quoque annuntiatur feſtum S. Hilarii.

b Id optime probat Johan. Fronto in notis ad Kalend. Rom. hoc loco adverſus Baronium.

c Hæc interpretatio minime placet Doctiſſimo Tillemontio, reſciturque nota 3. in S. Felicis hiſtoriam, quam conſule. Lege quoque noſtrum Theod. Ruinart in actis Martyrum pag. 236. Ceterum non video quid illos torqueat in explicandis his Præfationis verbis: *qui nec hæreticis pravitatibus, nec ſeculi blandimentis a ſui ſtatus rectitudine potuit immutari*. Nam S. Felicis tempore nulli extiterunt hæretici, imo vero plurimos fuiſſe conſtat. *Sed, inquies, quis ſibi facile perſuadeat Felicem preſbyterum Nolanum, tam egregie adverſus hæreticos decertaſſe, idque a S. Paulino aut ignoratum, aut ſaltem omiſſum fuiſſe?* Verum de S. Felicis certaminibus adverſus hæreticos ne verbum quidem in hac de qua diſputatur Præfatione.

d In Gemet. ad diem 14. Kalend. Februar. legitur tantum, *Sanctorum Mariæ & Marthæ*. Prius autem notatur *natal. S. Mauri Abb.* 18. Kalend. Febr. & *Depoſitio Antonii*, 16. Kalend. ejuſdem menſis.

e In Gemet. legitur *S. Agnæ*. In utroque Theod. *S. Agnetis*.

Nota 154. ET DIEM B. AGNETIS MARTYRIO CONSECRATAM SOLEMNITER RECENSERE.

Codex Rem. habet: *Recensentes enim diem B. Agnetis Martyrio consecratum.*

Nota 155. SIMUL EST FACTA CONFORMIS, &c.

In Missa Ambrosiana legitur: *Simul est ejus facta conformis, ut sempiternitati ejus sociaretur & gloria.*

Nota 156. UT VINCERET.

In cod. Rodradi, & apud Pamelium, *quo vinceret*, cui debet affigi accentus gravis, ut sit, *quò*; & idem erit sensus. In editis & in cod. Ratoldi, *quod vinceret*, & bonus etiam sensus erit, si particulæ *quod* apponatur accentus. In cod. Ratoldi B reperitur hæc benedictio: *Benedicat vobis Dominus cælorum rector & conditor*, &c.

Porro habetur in cod. Rem. *x. Kalend. Febr. Natale Sanctorum Merentiani & Macarii Martyrum.* Sed lege *Emerentianæ*, quæ est virgo & martyr collactanea S. Agnetis. a In parvo Martyrologio assuto Remensi Sacramentario, eodem die fit horum mentio Martyrum: *x. Kalend. Sanctorum Emerentiani* (leg. *Emerentianæ*,) *& Machari, & Passio S. Aselæ.* In Kalendario quod præmittitur Sacramentario Ratuldi *x. Kalend. Natale sanctæ Emerentianæ virginis & sancti Macharii, & Passio Parmeaæ Diaconi.* Item in Martyrologio ms. sancti Hieronymi eodem die: *Et alio loco, Passio Sanctorum Eugenii, Emerentianæ & Macharii, Publii* C *Martyrum.* f. leg. *Publii*, Itaque Macharius, de quo est præsens Missa, cum eodem die conjungatur in dicto Martyrologio cum sancto Eugenio Martyre: is est Macarius qui a Juliano Apostata in Oasim Arabiæ oppidum relegatus, ibidem cum sancto Eugenio securi percussus est, ut scribit Metaphrastes in sancto Artemio. Eodem die Macarii & Eugenii meminit Rabanus in Martyrologio. Emerentianæ & Macarii missa est ejusmodi in cod. Rem. *Majestati tuæ nos, Domine, Martyrum supplicatio beata conciliet*, &c. *Martyrum tuorum nos, Domine, semper festa lætificent*, &c. Super oblata, *Accepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio*, &c. Postcomm. *Jugiter nos, Domine, Sanctorum tuorum* b *vota lætificent*, &c b.

Nota 157. DEUS QUI UNIVERSUM MUNDUM BEATI PAULI PRÆDICATIONE DOCUISTI, &c.

S. Paulus universum mundum sua prædicatione docuit, ut testatur S. Clemens in epist. 1. ad Corinthios διὰ ζῆλον ὁ Παῦλος ὑπομονῆς βραβεῖον ἀπέσχεν, ἑπτάκις δέσμα φορέσας, ῥαβδευθείς, λιθασθείς, κήρυξ γενόμενος ἔν τε τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἐν τῇ δύσει τὸ γενναῖον τῆς πίστεως κλέος ἔλαβεν, δικαιοσύνην διδάξας, ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ἐπὶ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθών. id est: Paulus propter zelum in vincula septies conjectus; verberibus cæsus, lapidatus, patientiæ præmium reportavit, in Oriente & in Occidente verbi præco factus, illustrem fidei gloriam sortitus est, justitiam per mundum universum docens, ad Occi- E dentis terminos veniens. Et sanctus Gregorius Nyssenus Orat. de occursu Domini: ἡ ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ, μᾶλλον δὲ μέχρι τῶν περάτων τῆς γῆς φανεῖσα ἀστραπὴ, ἡ τῆς θείας βροντῆς ἐν τῷ μυστικῷ τοῦ Εὐαγγελίου τῷ κατὰ πᾶσαν κυλισθέντι τῆς οἰκουμένης, ἡ διαπρυσία καὶ μεγαλόθροος φωνή. id est: fulgur illud ab Jerusalem, & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum, imo usque ad terminos terræ luxit; illa divini tonitrui in mystica Evangelii rota, quæ per orbem terræ volvebatur, clarissima, maximeque sonora vox. Agit enim hoc loco de sancto Paulo Apostolo. Et S. Johan. Chrisost. hom. 13. in epist. 1. ad Cor. agens de S. Paulo: *Contemplare ergo statuam auream*, &c. ἀλλ᾽ ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ τρέχοντα, καὶ εἰς F Σπανίαν ἀπιόντα, καὶ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης καθάπερ ὑπόπτερον φερόμενον. id est, ab Jerusalem usque ad Illyricum currentem, in Hispaniam abe- A untem, & tamquam alatam totum orbem pervagantem.

Nota 158. QUOD NON EJUS CONDIERIT DISCIPLINA.

In cod. Rem. legitur, *Quod ejus non convenerit disciplinis*. c Post quæ hæc sequuntur in eodem codice: *Quem hodie vas factum electionis, magistrum, & doctorem gentium vocandarum mutato nomine collocasti per Christum Dominum.* His prætermissis, quæ sunt in hoc codice sancti Eligii, & aliis codicibus nostris. Ubi nota quod dicitur mutatum fuisse nomen sancto Paulo die conversionis suæ.

Nota 159. EODEM DIE S. PROJECTI. d

In cod. Rem. legitur etiam *S. Projecti.* Vulgo, B *Præiecti*, ut in cod. Rodradi, nempe in collectione Præfationum, Gallice *S. Prix.* Fuit Episcopus Arvernæ, trucidatus cum Abbate Amarino a loci proceribus, anno 670. juxta Sigebertum. De eo agit Usuardus in Martyrologio hac die & ms. Martyrologium Biblioth. Corb. supra citatum. Ejus acta vide apud Surium eodem die.

Nota 160. REPATITA.

Ita in cod. Rodradi. In cod. Rem. præponitur præpositio *in*. Hæc autem verba, *repetita solemnitate*, arguunt duplicem festum sancti Projecti, qui adhuc in Gallia perseverat.

Nota 161. CONCEDASQUE NOBIS, &c.

Ita in cod. Rodradi, usque ad Præfationis fi- C nem; quæ desunt in cod. Rem. Sed illorum loco post illa verba, *tribuas jugiter suavitatem*, hæc sequuntur: *Quod nobis, Domine, petimus benignus impertias: ut amemus ejus meritum passionis; & indulgentiam nobis semper fidelis Patronus Martyr tuus Projectus obtineat. Per Christum Dominum nostrum.*

Nota 162. DE NATIVITATE.

Ita codex Remensis: quod deest in cod. Rodradi: pro quo in cod. Ratuldi, & apud Pamelium habetur, *secundo*.

Nota 163. PURIFICATIO S. MARIÆ VIRGINIS.

In codicibus Rodradi; & Ratoldi ΥΠΑΠΑΝΤΙ, e apud Pamelium, ΥΠΑΝΤΙ, quod perinde e D est, id est occursus. Causam reddit S. Hildephonsus serm. de Purificatione: *Quia cum Dominus hodierna die in templum a parentibus fuisset delatus, a Sanctis, quos plurimos Jerosolymis fuisse non dubium est, ei obviari credimus.* Denominatio a Græcis est derivata, qui hoc festum sic indigitarunt. Ita appellatur a Codino Curopalate lib. de Officiis Constantinopolis, κατὰ τὴν τῆς Ὑπαπαντῆς ἑορτήν. id est, in festo occursus, Cedreno in Justino, & in novella Emanuelis Comneni Imperatoris, quam profert Theodorus Balsamo in cap. 1. tit. 6. Nomocanonis Photii: ἡ β' τοῦ Φεβρουαρίου διὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος ὑπαπαντήν. id est, secunda Februarii ob Salvatoris occursum. Hoc festum a Theophylacto Simocatta lib. 8. hist. cap. 4. dicitur τεσσαρακοστὰ ἡμέρα τῆς γενεθλιακῆς πανηγύρεως τοῦ μεγάλου Θεοῦ E Ἰησοῦ. id est, quadragesima dies celebritatis natalium magni Dei Jesu. In cod. Rem. hoc festum appellatur *sancti Simeonis*.

In eo festo fiunt cum cereis ardentibus rogationes seu processiones, ex satis antiquo more, superstitione veteri, qua Romani hoc mense in honorem Februi Dei, id est Plutonis, cum cereis ardentibus lustrabant urbem, in piam ac sanctam mutata religionem: siquidem harum mentionem facit sanctus Hildephonsus qui floruit anno 644. serm. supra citato: *Agitur hæc festivitas mense Februario, quem Romani adhuc pagani a Februo, id est Plutone, sic vocaverunt*, &c. *quam lu-* F *strandi consuetudinem congrue & religiose Christiana mutavit consuetudo: cum eodem mense, hoc est hodierna die in honore sanctæ Dei genetricis, & perpetuæ Virginis Mariæ non solum Clerus, sed omnis plebs*

a In Priori Theod. legitur, *x. Kalend. Febr. SS. Emerentianæ & Macarii.* In Gemet. scribitur per abbreviationem *SS. Emerentianæ & Macarii.*

b Eadem assignatur Missa in jam laudatis codd.

c Ita quoque in priori Theod.

d In ms. Calend. nulla extat S. Projecti memoria.

e Et in Cal. necnon in duobus Theod.

plebs Eccleſiarum loca cum cereis & diverſis hymnis inſtantes circumeunt. Idem ſcribit ſanctus Eligius homil. 2. *Nunc igitur vanæ ſuperſtitionis errorem, pulchre Chriſtiana devotio ad veram convertit religionem, cum jam non poſt quinquennium, nec ut olim, circa finem menſis Februarii una luſtratur civitas Romana ob honorem Februi qui falſo luſtrationum, id eſt purgationum potens putabatur, & Deus infernorum, & ob dignitatem ejus, quæ jam ceſſavit, secreti Romanorum imperii: ſed per ſingulos annos circa initium ejuſdem menſis, univerſa Dei civitas, ſancta videlicet Eccleſia illuſtratur, fidei lumen, quod filiorum ſuorum fulget in cordibus, deſignans cereorum lumine, quod eorumdem geſtatur manibus*, &c. Apud Alcuinum, Amalarium, & VValfridum nulla extat cereorum benedictio; Sed Alcuinus tantum ait cereos dari a Pontifice. At in cod. Ratoldi extat unica benedictio ſub hoc titulo: *Benedictio ſuper candelas*, quæ habetur in Ordine & Miſſali Romano, ſed in quibuſdam variat, ſicque incipit: *Domine Jeſu Chriſte, Creator cæli & terræ, Rex regum & Dominus dominantium*, [a] &c. Purificationis ſolemnitatem ortum habuiſſe Conſtantinopoli anno 9. Juſtini magni, quo Antiochia gravi terræ motu corruit, refert Cedrenus. Theophanes lib. 16. hiſt. refert ad annum 15. Imperii Juſtiniani feſti hujus inſtitutionem; *Anno decimo quinto Imperii Juſtiniani, menſe Octobri, facta eſt mortalitas Byzantii, & eodem anno Hypapante Domini ſuſcepit initium, ut celebraretur apud Byzantium ſecunda die Februarii menſis.* Qui auctores intelligendi ſunt de tempore, quo primum ortum eſt ejuſdem feſtum Byzantii: eſt enim longe antiquior hujus in Eccleſia feſti inſtitutio; nam celebre erat tempore ſancti Gregorii Nyſſeni, ut planum eſt ex ſermone quem de occurſu Domini compoſuit. καὶ γὰρ ὅτε κατὰ τὸν ἀρχέτυπον καιρὸν, ὡς αὐτὸς εἴπω, τῆς παρούσης ἑορτῆς, &c. id eſt, *etenim quando circa tempus quod eſt archetypum (ut ſic dixerim) præſentis feſti; is qui forma divina præditus erat & formam ſervi ſumſerat, Mediator inter Deum & homines factus, legis præceptum exequens, quadraginta dies natus infans ſempiternum illud verbum, una cum genitrice convenientem atque præſcriptam hoſtiam portante ad templum pergebat*, &c. οὗτινος μυστηρίου τὴν ἀνάμνησιν ἑορτάζοντες σήμερον, &c. id eſt, *cujus nos hodie myſterii memoriam celebrantes*, &c. Quare hujus ſolemnitatis celebrandæ viam non aperuit Gelaſius Papa, cum Lupercalia ſuſtulit: tum etiam quia juxta citatos Patres Hildephonſum & Eligium non ex occaſione Lupercalium hoc feſtum natum eſt, ſed luſtrationis urbis quæ Romæ agebatur, in honorem deorum infernalium, maxime vero Februi, id eſt Plutonis, ſuperſtitione in veram mutata religionem. Etſi enim Lupercalia fierent menſe Februario, inferiæ tamen ſeu Plutonis ſacra eodem menſe celebrabantur, & hic menſis a deis inferis, ſeu Plutone eſt denominatus, non vero a Lupercalibus, ut videre eſt apud Varronem lib. 5. de lingua Latina, *A Deis inferis Februarius appellatus, quod bis parentetur.* Ovidium lib. 2. Faſtorum,

Aut quia placatis ſunt tempora pura ſepulcris,
Tunc cum ferales præteriere dies.

Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 13. *Secundum* (menſem) *dicavit Deo Februa, qui luſtrationum potens dicitur. Luſtrari enim eo menſe civitatem neceſſe erat, quo ſtatuit ut juſta diis Manibus ſolverentur*; & ſanctum Iſidorum lib. 5. Orig. c. 32. *Februarius nuncupatur a Februo, id eſt Plutone, cui eo menſe ſacrificabatur: nam Januarium Diis ſuperis, Februarium Diis Manibus conſecrarant.* Ex quibus omnibus locis luſtrationem urbis, & inferias menſe celebratas Februario, eumdemque menſem a Februo, id eſt Plutone appellatum fuiſſe facile cognoſcitur. His quadrant quæ ſcribit Cedrenus ad annum mundi VCIↃCCLXXXI. Ἀνώνιος ἐν τῷ περὶ μηνῶν, φεβρουὸν τὸν καταχθόνιον τῇ Θούσκων φωνῇ, λέγει. ὁ δὲ Λαβεών, ἀπὸ τοῦ πένθους λέγει κληθῆναι τὸν φεβρουάριον· φέβρουμ γὰρ παρὰ Ῥωμαίοις τὸ πένθος προσαγορεύεται· κατ' αὐτὸν δὲ τοὺς κατοιχομένους ἐτίμων, καὶ φεβρουάριον τὸ καθαίρειν. id eſt, Anyſius lib. de menſibus, Etruſca lingua Febtuum appellari ait, eum qui eſt apud inferos. Labeo Februarium a dolore dictum autumat, quia Februs Romanis dolor dicatur: eo menſe defunctos honorabant. Februare porro eſt purgare. Nihilominus tamen ſanctus Auguſtinus lib. 18. contra Fauſtum cap. 5. ſcribit Februarium nominari a ſacris Februis Lupercorum; a qua ſententia non multum abeſt Feſtus, qui ſcribit Februarium a Junone Februata, quam alii Febrialem, Romani Februlim vocant, dici; & ejus ferias eſſe Lupercalia, quo die mulieres februabantur a Lupercis amiculo Junonis, id eſt pelle caprina. Sed ſuperior opinio potior videtur.

Nota 164. AD COLLECTAM.

Per [b] Collectam hoc loco quidam arbitrantur ſignificari collectionem eleemoſynarum, & hanc Miſſam inſcribi, *Ad Collectam*; quia diebus ſolemnioribus fiebant eleemoſynæ. Quod etſi admiſerim, non opinor tamen hoc loco per collectam ſignificari eleemoſynam: ſed conventum & ſynaxim ad divinum officium peragendum, & communes preces fundendas, atque etiam ipſum divinum officium. Sanctus Hieronymus in Epitaphio Paulæ, *quo ſigno vocabantur ad collectam.* Sanctus Epiphanius epiſt. ad Johannem Epiſcopum Hieroſolymitanum: *Cum igitur celebraretur collecta in Eccleſia villæ, quæ eſt juxta monaſterium noſtrum.* Sanctus Pachomius in Regula ex interpretatione ſancti Hieronymi art. 107. *Sex orationes facient veſpertinas juxta exemplum majoris collectæ.* Art. 121. *Si quis tulerit rem non ſuam, ponetur ſuper humeros ejus, & aget pœnitentiam publice in collecta.* Hujus loci explicatio patet ex Ordine Romano. Nam ibi narratur, ut in hac celebritate clerus & populus colligitur, ſeu congregatur, ad ſanctum Adrianum expectans Pontificem: Pontifex ingreſſus ſacrarium induit ſe nigris veſtibus, & ſchola cantat *Exurge*: tunc ſequitur Oratio ad Collectam *Exaudi*, ſeu, *Erudi*, ut in quibuſdam ex noſtris Sacramentariis legitur; poſtea cerei benedicuntur. Benedictione expleta, proceditur ad ſanctam Mariam, ubi Miſſa celebratur. Id confirmatur ex Miſſa Nativitatis S. Mariæ in hoc codice, in qua orationem ipſius alia præcedit, cui præfigitur hic titulus, *Ad proceſſionem.* Ubi proceſſio ſumta ſaltem, pro ſuo termino, id eſt procedentium, cum ad Eccleſiam pervenerint, cœtu, nihil aliud eſt, quam id quod collecta in hac Purificationis celebritate appellatur.

Nota 165. ERUDI.

Ita in editis, & in cod. noſtris mſſ. & apud Pamelium. In Ordine & Miſſali Rom. legitur *Exaudi.* Et ſane, quamvis τὸ *exaudi*, non ſit rejiciendum, τὸ *erudi* huic orationi optimè congruit: quaſi populus per exteriorem cultum eruditus poſſit gratiam aſſequi interiorem, quæ exteriori illo cultu deſignatur.

Nota 166. MINISTRUM.

Servum, ſubditum, quia Chriſtus ſingulari humilitatis exemplo ſe Legi ſubjecit: & qui infinito ſanguinis ſui pretio mundum venerat redemturus, puſillis quinque ſiclis redimi voluit.

Nota 167. POENARUM.

In cod. Remenſi, *peccatorum.* id eſt, tortorum, carnificum, tyrannorum.

Nota 168. AGATHEM.

Ita in aliis codd. noſtris mſſ. juxta formam Græcam, ἀγαθήν.

Nota 169. SEMPER EXTITIT. In editis deeſt τὸ *ſemper.*

Nota 170. HÆC HOSTIA.

Non ſimplex panis & vinum, ſed Chriſtus, qui ſub ſpeciebus panis & vini eſt immolandus. Hæc enim vocabula non ſunt nude conſideranda, ſed prout ad Chriſtum referuntur.

Nota 171. PER FLOREM VIRGINALIS UTERI.

Id eſt Chriſtum, florem verum, qui fuſus eſt ex utero Virginis. Juxta illud Iſaiæ cap. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.*

Nota

a Hæc benedictio legitur in Gemet. ſed tres aliæ antecedunt.
b Varias Collectæ ſignificationes repete ex Scholiis Angeli Roccæ ad hunc locum, in edit. Vatic. & Guſſanvil.

Nota 172. Conservata justitia, &c.

Justum enim erat, ut Adami carne victa u Diabolo caro Christi Diabolum vinceret; ut elatus de carne prostrata a carne sterneretur.

Nota 173. Quæ est salutifera, et ineffabilis divinæ gratiæ Sacramentum.

Ita in cod. Ratoldi, & apud Guitmundum infra citandum. In Sacramentis Ambrosianis & cod. Rodradi: *quæ salutifero, & ineffabili divinæ gratiæ Sacramenta offertur.* In cod. Rem. *quæ est mira rursus, & ineffabilis divina gratia Sacramenti,* Sed legendum puto, *& ineffabile divinæ gratiæ Sacramentum.*

Nota 174. Et unum Christi corpus sancti Spiritûs infusione perficitur.

Recte. Siquidem Spiritui sancto veteres attribuunt productionem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, per quamdam appropriationem videlicet. Sanctus Cyrillus Hierol. Catech. 5. mystagogica *παρακαλοῦμεν τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν, τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα· ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα Χριστοῦ, τὸν δὲ οἶνον αἷμα Χριστοῦ. πάντως γὰρ οὗ ἂν ἐφάψαιτο τὸ ἅγιον πνεῦμα, τοῦτο ἡγίασται καὶ μεταβέβληται.* Id est, rogamus Deum benignum ut super ipsa proposita sanctum Spiritum emittat; ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Theophyl. in 5. cap. Johan. *μεταποιεῖται ἀπορρήτοις λόγοις ὁ ἄρτος οὗτος διὰ τῆς μυστικῆς εὐλογίας, καὶ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰς σάρκα τοῦ κυρίου.* Idest, transformatur arcanis verbis panis iste per mysticam benedictionem & infusionem sancti Spiritus in carnem Domini. Idem scribit sanctus Johannes Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 14. ubi docet panem & vinum transformari in corpus & sanguinem Christi, per illapsum Spiritus sancti, quemadmodum verbum Dei incarnatum est in utero Virginis per ejusdem Spiritus sancti infusionem: *Quomodo fiet istud, dicit sancta Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel Archangelus; Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. καὶ νῦν ἐρωτᾷς, πῶς ὁ ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ, καὶ ὁ οἶνος καὶ τὸ ὕδωρ αἷμα Χριστοῦ; λέγω σοι κἀγώ. Πνεῦμα ἅγιον ἐπιφοιτᾷ, καὶ ταῦτα ποιεῖ τὰ ὑπὲρ λόγον καὶ ἔννοιαν.* Id est, *& nunc interrogas, quomodo panis fit Corpus Christi, & aqua & vinum sanguis Christi? Ego quoque dico tibi: Spiritus sanctus supervenit, & hæc operatur supra quam dici & intelligi potest.* Ita etiam docet sanctus Germanus Patriarcha Costantinopolitanus in mystica Theoria: *Unde & sanctus Spiritus beneplacito Patris, & voluntate Filii invisibiliter præsens præmonstrat divinam confectionem, & manu Sacerdotis obsignat; καὶ μεταβάλλει, καὶ τελεῖ τὰ προκείμενα ἅγια δῶρα εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Id est, *& convertit, & conficit proposita sancta dona in corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi.* Id etiam apparet ex veteri inscriptione altaris lignei argento obducti, quondam ædificati munificentia Rogerii Episcopi Elloronensis:

Res superimpositas commutat Spiritus almus,
Fit de pane caro, sanguis substantia vini.

ut habetur lib. 5. hist. Bearnensis cap. 18. auctore clarissimo ac doctissimo viro Petro de Marca.

Quare olim quibusdam sanctissimis viris hæc sacro-sancta mysteria conficientibus, sancti Spiritus præsentia sub quodam visibili signo apparere solebat; ut quondam sancto Johanni Abbati cognomento Chozebitæ, qui postea fuit Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, ut refert Johannes Moschus in Limonario cap. 25. & cap. 27. idem scribit de quodam Presbytero cujusdam in Cilicia pagi nomine Mardardus, qui non prius Missam incipiebat, quam videret Spiritum sanctum altari obumbrantem; & cap. 150. scribit de quodam Rumelli prope Romam Episcopo, qui ad orationem oblationis solebat videre descensum Spiritus sancti, & celebrans coram Papa Agapeto, amoto quodam Diacono, qui ei erat impedimento, ipse cum Papa vidit adventum Spiritus sancti.

Nota 175. In singulis portionibus totus est.

Huic doctrinæ quadrat illud sancti Basilii epist. ad Cæsariam Patriciam *ταυτὸν τοίνυν ἐστὶ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξηταί τις, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ.* Id est, idem igitur est potestate, sive quis unam particulam accipiat, sive multas simul. Unde præclare dicit sanctus Cæsarius dial. 3. interr. 169. *τὸ ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης ἱερουργούμενον, καὶ τῷ θιάσῳ παντὶ ἀτμήτως διαιρούμενον καὶ ὁλοκλήρως μετεχόμενον.* Id est, quod in sacra mensa consecratur, & universo cœtui sacro indivise dividitur, & sine defectu participatur. Hujus autem Præfationis meminit Guitmundus lib. 1. de corporis & sanguinis Christi in Eucharistia veritate: *Ne autem me quis existimet hanc sententiam ex meo sensu commentatum, Præfationem istam, quæ per totum pene orbem Latinum inter Epiphaniam & Septuagesimam in quadam die Dominica habetur, hic supposui hæc continentem: Æterne Deus, & tibi hanc immolationis hostiam offerre, quæ est salutifera, & ineffabile divinæ gratiæ Sacramentum: quæ offertur a plurimis, & unum Christi Corpus sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis,* &c. Et Algerus lib. 1. de eodem Sacramento cap. 15. hæc ejusdem Præfationis quam sancto Ambrosio attribuit, verba citat: *Item Ambrosius Dominica quinta post Epiphaniam. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est; nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Quæ verba etiam habentur in Liturgia Ambrosiana.

Nota 176. Per singulos.

Ita in codicibus Rodradi, & Ratoldi, apud Guitmundum, & in Liturgia Ambrosiana. In cap. citato Algeri legitur, *Per singulas*, Non male; quia ad τὸ *portionibus*, potest referri.

Nota 177. Unum Christi Corpus efficimur.

Juxta doctrinam sancti Augustini tractatu 27. in Johannem: *Hoc ergo nos docuit & admonuit mysticis verbis, ut simus in ejus corpore sub ipso capite in membris ejus edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus.* Porro in codice Remensi sequitur. *iv. Idus Febr. Natale sanctorum Zotici, Hiacynthi, Herennii*, ubi legendum *Irenæi*, ut apud Usuardum, & in Martyr. mſ. Bibl. Corb. hac die. In Martyrol. S. Hier. mſ. *Romæ, Sotheris, Zotici, Jacinthi, Hirenei, Dionysii.* Pro quo ultimo apud Usuardum, & in Martyrol. mſ. citato habetur, *Amantii*. Missa est hujusmodi. Oratio: *Domine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam*, &c. Super oblata: *Suscipe, Domine, populi tui pro Martyrum festivitate Sanctorum*, &c. Sed videtur deesse τὸ *Hostias*, vel τὸ *sacrificium*, aut quid simile. Postcomm. *Sacramenti tui Domine, quæsumus, sumpta benedictio*, &c.

Nota 178. Natale S. Valentini [a] Martyris.

Ita in editis, apud Pamelium & in codicibus nostris mſſ. excepto Rem. in quo habetur: *Natale Sanctorum Valentini, Vitalis, Feliculæ, & Zenonis.* Qui sancti omnes ocurrunt eodem die in Martyrologio Usuardi. *Romæ Natalis B. Valentini Presbyteri*, &c. *Item Romæ, Sanctorum Vitalis, Feliculæ, & Zenonis.* Idem habetur in Martyrol. Notkeri & in Martyrol. mſ. Corb. Biblioth. in quo male legitur *Feniculæ*. Horum Missa est hujusmodi. Oratio. *Tuorum nos, Domine, quæsumus, precibus tuere Sanctorum*, &c. Super oblata. *Ad Martyrum tuorum, Valentini Vitalis, Feliculæ, & Zenonis, Domine, festa venientes*, &c. Postcommu. *Protege Domine plebem tuam*, &c.

a Abest *Martyris* in Calend. Ante hoc festum in Gemet. multa alia assignantur, scilicet S. Vedasti Conf. viii. idus Febr. S. Scholasticæ Virg. iv. id. Febr. & S. Sotheris Virg. eodem die. Denique S. Eormenhildæ Virg. idibus ejusdem mensis.

&c. In eodem cod. Rem. sequitur *non. Kalend. Mart. Nat. Sanctæ Julianæ*. Hæc est Juliana Virgo & Martyr, quæ Nicomediæ passa est, de qua Martyrologium sancti Hieronymi eodem die: *Nicomediæ, Passio sanctæ Julianæ Virginis & Martyris*. Apud Usuardum, & in Martyrol. toties citato: *Cumis S. Julianæ Virginis, quæ post varia tormenta*, &c. Sed locum nominant translationis, non passionis, ut ex Martyrologiis Notkeri & Rabani notum est his: *quæ passa est quidem in Nicomedia, sed post paucum tempus, Deo disponente, in Campaniam translata*. Missa autem est ejusmodi. Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui eligis infirma mundi, ut fortia quæque confundas, &c.* Super oblata: *In sanctæ Martyris tuæ Julianæ passione pretiosa*, &c. Postcomm. *Libantes, Domine*, &c.

Nota 179. [a] CATHEDRA S. PETRI.

Sine adjuncto, ut apud Pamelium, in cod. Rodradi, in 2. parte. & in cod. Rem. & in parvulo Martyrol. mss. qui est ad calcem ejusdem libri. In editis additur. *in Roma*. In cod. Ratoldi habetur, *in Antiochia Cathedra S. Petri*. Apud sanctum Augustinum inter sermones de Sanctis extat sermo 15. de cathedra sancti Petri, in quo in Paganorum superstitionem ita invehitur: *Cum solemnitatem hanc Ecclesiis merito religiosa observatio introduxerit; miror, cur apud quosdam infideles* (lege, fideles) *hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant*. Et in Concil. Turon. 2. can. 22. fit mentio ejusdem festivitatis & similium superstitionum: *Sunt etiam qui in festivitate Cathedræ domni Petri Apostoli, cibos mortuis offerunt. Redeuntes ad domos proprias ad Gentilium revertuntur errores, & post Corpus Domini sacratas dæmoni accipiunt escas. Contestamur illam sollicitudinem tam pastores, quam presbyteros gerere; ut quemcumque in hac fatuitate persistere viderint, vel ad nescio quas petras, aut arbores, aut ad fontes, designata loca Gentilium perpetrare, quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab Ecclesia, sancta auctoritate repellant*. In his locis de die festi, & mense tacetur; ex verbis tamen citatis satis conjicere datur agi de Cathedra S. Petri, quæ mense Februario celebratur. Primo enim mentio fit eorum qui paganorum ritu mortuis parentabant, eorumque sepulcris dapes inferebant, quod olim fiebat in Feralibus, quæ in prisco Kalendario Romano incipiunt die 20. Februarii, & durant fere usque ad finem ejusdem mensis, in quibus Manes placabantur, eorum tumulis, cibo quo vescerentur, apposito, ut constat ex Ovidio lib. 2. Fast. qui est de mense Februario,

Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulcris
Errant, nunc posito pascitur umbra cibo.
Non tamen hoc ultra, quam quot de mense supersunt
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc quia justa ferunt dixere Feralia lucem.

De hac superstitione scribit Varro lib. 5. de lingua Latina: *Feralia ab inferis & ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare*. Secundo in citato Concilio arguuntur ii qui ad nescio quas petras agunt ea quæ ad Ecclesiam non pertinent; quæ sane petræ nihil aliud sunt, quam termini agrorum quas olim sub Dei Termini nomine colebant: & festum appellabant terminalia Pagani, quod, ut Cathedra S. Petri Antiochiæ, incidit in 22. Februarii, ut clarum est ex antiquo Kalendario Romano, hoc modo: TER N'. de quo etiam canit Ovidius libro supra citato, eodem mense.

Nox ubi transierit solito celebretur honore,
Separat indicio qui Deus arva suo:
Termine sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

De eo etiam agit Varro libro citato. Quare cum in hoc Concilio, & in codicibus mss. supra citatis nominetur Cathedra S. Petri sine adjuncto, puto olim hoc 22. die Februarii solemnitatem utriusque Cathedræ celebratam fuisse, & decursu temporis Cathedræ soli Antiochenæ devolutum fuisse. Præterea notandum in nostris codicibus mss. nullum esse festum Cathedræ S. Petri Romæ, ut neque in editis, neque apud Pamelium.

Nota 180. PONTIFICIUM.

Pontificium hoc loco est potestas, auctoritas. Legis Burgundionum tit. 19. §. 6. *quod si intra tres menses soluto debito pignora sua non habebit*. & tit. 40. §. 1. *hujus vero actionis pontificium circa manumissores tantum de libertis suis præcipimus custodiri*. Ita apud Marculphum formula 23. *& alicubi ipsam alienare pontificium non habens*; & formula 27. *ea scilicet ratione, ut nihil exinde penitus de qualibet re alienandi aut minuendi pontificium non habeamus*; & apud Arnobium in Psalm. 68. *accipiunt Pontificium judicandi & corripiendi*.

Nota 181. IN PATRIARCHIS FUNDASTI.

Ita in omnibus codicibus nostris mss. & in edit. apud Pamelium, ac proinde hæc lectio *mundasti*, quam quidam adstruere volunt, est explodenda. Rectè enim dici potest Ecclesiam fundatam esse in Patriarchis, quia primis illis Christus revelatus est, & fides eorum est nostræ præambula. Deinde τὸ *mundasti*, nullum rectum sensum efficere potest, cum dici non possit Ecclesiam, quæ nondum erat, in Patriarchis fuisse mundatam.

Nota 182. UT QUÆ STATUISSET IN TERRIS.

Explicat id quod olim Christus Petro allegorice dixerat; *& dabo tibi claves regni cælorum*. &c.

Nota 183. S. MATTHIÆ. Hæc festivitas non extat in aliis codicibus nostris mss. [b].

Nota 184. NUMERUS SACRATUS.

Duodenarius videlicet Apostolici Collegii olim significatus per duodecim Patriarchas, per duodecim fontes aquarum & duodecim portas cælestis Jerusalem. Porro in cod. Rem. sequitur: *Non. Martii Natale sanctarum Perpetuæ & Felicitatis*: de quibus eodem die agit Martyrol. ms. Biblioth. Corbeiensis: *Mauritania civitate Tuburtanorum Passio sanctorum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, & cum eis Revocati, Saturnini & Secundoli*. In Martyrologio Usuardi: *In Mauritania civitate Tuburtanorum, Natalis sanctarum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis: & cum eis Rivocati, Saturnini & Secundoli; quorum ultimus in carcere quievit, reliqui omnes ad bestias sunt traditi sub Severo Principe*; & in Martyrologio ms. S. Hieronymi: *In Mauritania civitate Turbitanorum, Passio sanctarum Perpetuæ & Felicitatis*; & ibidem supra eodem die fit mentio *Saturnini, Revocati, Secundili* (leg. *Secundoli*) post alios Sanctos, qui assignantur Antiochiæ. Sed puto omissum esse τὸ *in Africa*, saltem ante τὸ *Saturnini*. Plura vide apud Baronium hoc die. Missa est ejusmodi. Oratio: *Da nobis, Domine Deus noster, sanctarum Martyrum palmas incessabili veneratione venerari*, &c. Super oblata: *Intende, Domine, munera, quæsumus altaribus tuis*, &c. Postcommunio: *Præsta nobis, Domine, quæsumus intercedentibus Sanctis, ut quæ ore contigimus*, &c [c].

Nota 185. PRÆSTENT NOBIS DOMINE, &c.

In

[a] Omittitur in cod. Cal. In Sacramentario Gallic. quod edidit D. Mabil. ex cod. ante mille ann. exarato musei Ital. Tom. 1. parte 2. extat quædam Missa *Romensis* dicta, cujus prima oratio eadem est ac festi Cathedræ S. Petri: *Deus qui B. Petr. Apost. collatis clavibus* &c. etsi in tota Missa nulla amplius S. Petri mentio fiat. In veteri Lectionario Luxov. præscribuntur legenda hoc in festo, & in Missali Gothico assignatur Missa in Cathedra S. Petri Apostoli. Festum hujus Cathedræ in Januario apud Gallos olim celebratum fuisse optime probat Mabil. lib. 2. de Liturgia Gal. ic. pag. 120.

[b] Neque in mss. Ang. Suec. & Calensi. Continetur in Gemet. ac Theoderic.

[c] Eadem Missa assignatur in Gemet. ac Theod. hoc ipso die, scilicet Nonis Martii.

In Rodr. & Rat. dictis codicibus: *Deus qui B. Gregorium*, &c. Porro in cod. Ratoldi sequitur festum *S. Cutberti Episcopi* [a]: is fuit Episcopus Lindisfarnensis, cujus vitam scripsit Beda, prosa, metroque: de quo etiam agit lib. 4. hist. Anglorum. Vita S. Cutberti, quæ a Beda versu scripta est, extat apud Henricum Canisium tomo 5. antiquæ lectionis. [b] Missa est hujusmodi: Oratio: *Sanctus & gloriosus Cutbertus Martyr*. Super oblata: *Hoc sacro Christi corpore, & omnium sanctorum Martyrum* &c. Præfatio: *In hac die migrationis ad Christum sanctissimi Sacerdotis Cutberti*, &c. Benedictio: *Domine Deus omnium gratiarum, respice omnem hunc populum tuum, qui in honore tuo divinis famulatur officiis: & quidquid sancto Martyri tuo Cutberto hodierna die profuit ad beatitudinem, prosit huic Ecclesiæ ad exemplum. Amen*. &c. Ad complendum. *Satiatis, Domine, munerum tuorum donis*, &c. In hac Missa cur S. Cutbertus Martyr appelletur rationem non video, cum nihil tale de eo scripserit Beda, nec Usuardus hoc die. Huic codici Ratoldi favet Martyrologium mſ. Bibliothecæ Corbeiensis, ubi eodem die sic habetur: *In Britanniis natale S. Cutberti Martyris*: In [c] eodem codice Ratoldi sequitur, XII. Kalend. April. *Natale S. Benedicti Abbatis*. Cujus Missa est hujusmodi: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosi Benedicti exempla* (leg. exemplar) *& humilitatis triumphale nobis ostendisti*, &c. Præfatio: *Honorandi Patris Benedicti gloriosum celebrantes diem*, &c. Benedictio, ut in Missa S. Cutberti. Ad complendum: *Perceptis, Domine noster, salutaribus Sacramentis*, &c. Super populum: *Plebem nominis tui subditam*, &c.

Nota 186. Annuntiatio Angeli ad Sanctam Mariam.

Ita in excusis ex Vaticano: sed in aliis codicibus nostris mſſ. legitur: [d] *Annuntiatio sanctæ Mariæ*. Hoc festum in Concilio Trullensi can. 52. appellatur ἡ ἁγία τοῦ εὐαγγελισμοῦ ἡμέρα. id est, Sancta Annuntiationis dies. In Novella Manuelis Comneni Imperatoris apud Theodorum Balsamonem in caput primum tituli septimi Nomocanonis Photii: τὸν θεομήτορος εὐαγγελισμόν. id est, Dei matris Annuntiatio. In Chronico Alexandrino, Olympiade CCCLI. ἡ ἡμέρα τοῦ εὐαγγελισμοῦ τῆς δεσποίνης ἡμῶν τῆς θεοτόκου. id est, dies Annuntiationis Dominæ nostræ Dei genetricis. A Codino Curopalate in libro de officiis absolute dicitur εὐαγγελισμός. id est, Annuntiatio.

Nota 187. In Beatæ Virginis utero.

Ita in codice Rodradi Presbyteri, & apud Pamelium. Recte. Nam Matthæi 1. 20. legitur, *de beatæ*, &c. Hæc autem Oratio videtur esse ad Processionem seu Collectam, &c. etenim alia notatur ad Missam.

Nota 188. In B. Virginis alvo.

Ita in codice Rodradi. Recte. In codice Ratoldi, in editis, & apud Pamelium deest præpositio, *in*.

Nota 189. Incarnari.

Ita in codice Rodradi. Optime. In codice Ratoldi, in editis, & apud Pamelium legitur, [e] *Coadunare*. Quam lectionem si quis probare velit, necesse est præpositionem *in*, quæ excidit ex prænominatis codicibus, restitui, legendo, [f] *In B. Virginis alvo coadunare*, ut sensus sit: Deus, qui in beatæ Virginis alvo Verbum tuum humanæ nostræ naturæ videlicet coadunare voluisti: alioqui sensus hic sequeretur Deum voluisse coadunare Verbum suum B. Virginis alvo, qui est absurdissimus.

Nota 190. Præsentem solemnitatem.

In codice Rodradi legitur [g] *præsentem celebritatem*. In editis & in codice Ratoldi legitur: *Fac nos ita peragere*. Malè.

Nota 191. Pace concessa. Non tam externa, quam interna.

Nota 192. Divinæ gratiæ. Quam Angelus Lucæ 1. appellat virtutem Altissimi.

Nota 193. In Septuagesima.

De Septuagesima consule notas & observationes nostras ad Concordiam Regularum S. Benedicti Abbatis Aoianæ cap. 56. §. 7.

Nota 194. Ut terrenis sustentationibus expediti.

Quia tunc olim Ecclesiasticorum hominum jejunia incipiebant.

Nota 195. Et per eum cibum, &c.

Quia juxta temporum diversitatem a Deo cibus terrenus & spiritalis datur: terrenus extra jejunium; spiritalis in jejunio; id est, cum jejunant homines, spiritali cibo magis abundant.

Nota 196. Perventione. Ad vitam æternam.

Nota 197. In Sexagesima.

Concilium Aurelianense 4. cap. 2. prohibet Presbyteris indicere Sexagesimam & Quinquagesimam: *Hoc etiam decernimus observandum, ut Quadragesima ob omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur; neque Quinquagesimam aut Sexagesimam ante Pascha quilibet Sacerdos præsumat indicere*. Sed Concilium non interdicit officio ejusmodi dierum, sed jejunio dumtaxat: quia ii qui in Sexagesima, & Quinquagesima jejunabant, jejunium Sabbati in Quadragesima minime servabant: & in supplementum dierum Sabbatinorum, & Dominicorum in Sexagesima, & Quinquagesima jejunabant. Unde Concilium subjungit: *Sed neque per Sabbata absque infirmitate quisquam solvat Quadragesimæ jejunium, nisi tantum die Dominico prandeat*. Quod quidem Sabbati jejunium in Quadragesima, in Concilio Agathensi olim præceptum fuerat can. 12. *Placuit etiam, ut omnes Ecclesiæ filii, exceptis Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbato, Sacerdotali ordinatione, & districtionis comminatione jejunent*. Sed cum hoc decretum nullo loco poneretur, in Conc. Aurelianensi 4. renovatum est, propter Gothos maxime, qui cum fidem ab Orientalibus accepissent, Sabbati jejunium ex eorum more minime servabant, & in hanc consuetudinem cohabitatores Gallos trahebant.

Nota 198. Ad ejus plenitudinem.

Plenitudo sacri muneris est gratia, quam Eucharistia plene & abundanter confert.

Nota 199. Quatenus triceni.

Juxta Evangelii verba Matth. 13. quæ ita exponit S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum circa principium: *Triginta referuntur ad nuptias. Nam & ipsa digitorum conjunctio quasi molli complexans osculo, & fœderans maritum pingit, & conjugem: Sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia & tribulatione sunt positæ; unde & superiori digito deprimuntur: quantoque major est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto majus est præmium. Porro centesimus numerus (diligenter, quæso, lector, attende) de sinistra transfertur ad dexteram, & eisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læva, nuptæ significantur, & viduæ, circulum faciens exprimit virginitatis coronam*. Et specialius a Beda libro de numerandi ratione exprimuntur. Tricesimus numerus de digitorum conjunctione ita explicatur: *Cum dicis triginta, ungues indicis & pollicis blando conjunges amplexu*. Sexagesimus in hunc modum: *Pollicem, ut supra curvatum indice circumflexo diligenter a fronte præcinges*. Centesimus ita: *centum vero in dextera, quomodo in læva decem, facies*. At decem ita fiunt auctore eodem Beda supra: *cum dicis decem, unguem indicis in medio figes artu pollicis*. Dicit autem S. Hieronymus centesimum de sinistra transferri ad dexteram: quia prima computatio fit in lævæ manus digitis, usque ad cente-

V iij

a Consentit cod. Gemet.

b Missa omnino est diversa in cod. Gemet. nec in orationibus aut in Præfatione vocatur umquam martyr.

c Ex Gemet. & Theod. hoc festum celebratur cum Vigilia solemni.

d Sic habet codex Calensis, consentiuntque Gemet. at Theod.

e Ita quoque legitur in Gemet.

f Particula *in* deest in cod. Gemet.

g Ita in priori Theod. At in Gemet. legitur: *fac nos ita hunc diem peragere*.

tesimum; quibus decursis fit transitus ad dexteram, in qua computatio incipit a centesimo. Unde Juvenalis Satyra decima de homine longævo dixit;

Felix nimirum, qui per tot secula mortem
Distulit, atque suos dextra jam computat annos.

Et cum ventum est ad decem millia, in læva denuo computatur, cum supina in medio pectoris apponitur, ait Beda. Unde jocus Nicarchi poetæ lib. 2. Anthologiæ in quamdam anum vivacem admodum;

——— εἰ χρεὶ λαὶρ
Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξάμενον.

Id est, quæ læva denuo manu senectutem incipit computare [a].

Nota 200. Adsit nobis. In codice Remensi legitur, *sit nobis*.

Nota 201. Et Sacrificium celebrandum.

Ita in codicibus Rodradi, & Ratoldi, & apud Pamelium. In editis & in Missali Romano legitur, *& ad sacrificium celebrandum*. [b] In codice Remensi est alia oratio: *Sacrificium, Domine, observantiæ Paschalis offerimus*, &c. Ubi observantia Paschalis est jejunium quadragesimale, quia illud est quædam ad Paschalis Festi celebritatem dispositio. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in epist. ms. Monasterii S. Remigii Remis siti, jejunium quadragesimale Paschale appellat: *& qui jejunia*, inquit, *Paschalia inchoastis, ante oculos habete, quod in Pascha, id est in transitu suo ex hoc mundo ad Patrem Dominus Jesus, tradendo corpus & sanguinem suum discipulis suis de reprobo discipulo dixit*. Sed hac de re infra.

Nota 202. Et Majestatem tuam cernua devotione adorare. Hæc verba desiderantur in codice Remensi.

Nota 203. Cernua.

Cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat, inquit Nonius Marcellus cap. 1.

Nota 204. Caput jejunii.

Hanc celebritatem seu Missam adjectam esse post obitum S. Gregorii certum est; cum illius tempore quatuor illos ante Quadragesimam dies nulla jejunii lex involveret, ut clarum est ex ipso S. Gregorio, Homil. 16. in Evangelia, cum scribit: *A præsenti enim die usque ad Paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt: ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta & sex dies remanent. Dum vero per trecentos & sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus*. Cum igitur hoc loco assignet S. Gregorius numerum dierum, quibus in Quadragesima jejunium servandum sit, nec quatuor hi dies Quadragesimam præcedentes hoc dierum intervallo circumscribantur, certum est illos nullis tum jejuniis fuisse obnoxios. Nec obest, quod paulo ante exemplo Christi, Mosis, Eliæ, de quadraginta diebus agat: nam etsi olim multi quadraginta completis diebus non jejunarent, sed paucioribus: tamen dicebantur quadraginta dies, & quadragesimam jejunare, ut notat Socrates lib. 5. hist. Eccl. cap. 21. Eamdem dierum decimationem observabant olim Orientales, & Ægyptii, ut docet Cassianus Collatione 21. capitibus 25. & 27. & S. Dorotheus, doctrina 15. Qui præfatæ decimationi adjungebant dimidiam noctem Dominicæ sanctæ Paschatis: jejunantibus enim illis Sabbato Sancto ante gallicinium Dominicæ jejunium solvere nefas erat. Quia vero diebus Dominicis & Sabbati, excepto Sancto, non jejunabant, septem hebdomadas observabant. Qui vero inter Græcos quadraginta dies integros jejunabant, per octo hebdomadas Quadragesimam protelabant, ut docet S. Dorotheus ibidem. Non enim una fuit olim jejunii Quadragesimalis observandi ratio, sive apud catholicos, sive apud hæreticos, ut palam est ex Socrate lib. 5. hist. Ecclesiasticæ cap. 21. Sozomeno lib. 7. hist. Eccl. cap. 19. Johanne Chrysostomo Homil. 16. ad populum Antiochenum, Bibliotheca Photii n. CVII. & S. Leone Papa serm. 4. in Quadragesima. Socrates capite citato scribit Romæ jejunium Quadragesimæ fuisse dumtaxat trium septimanarum continuarum ante Pascha, Sabbatis & Dominicis exceptis. Sed cum excipit Sabbata a jejunio, puto textum ejus fuisse corruptum, & legendum esse ἐν νέᾳ Ῥώμῃ. id est, in nova Roma, hoc est, Constantinopoli. Siquidem olim Constantinopoli tempore S. Johannis Chrysostomi, ut ipse scribit Homilia supra citata, ab omnibus integra Quadragesima non jejunabatur, aliis duas hebdomadas, aliis tres dumtaxat, aliis omnes jejunantibus: ita ut post obitum S. Johannis Chrysostomi, jejunii quadragesimalis ratio ad tres hebdomadas redacta fuerit, alioqui secum pugnaret Socrates, qui infra eodem capite scribit: ἐν Ῥώμῃ καὶ σάββατον νηστεύουσι. id est, Romæ omni Sabbato jejunant. Et sane Romani omni Sabbato jejunabant, Græci minime, excepto Sabbato Sancto.

Nota 205. Ad collectam.

Nempe ad S. Anastasiam, quo procedebatur. Hac autem feria olim cineres pœnitentibus imponebantur: sed hac de re infra.

Nota 206. Sacramenti.

Id est, observationis, celebritatis, quadragesimalis videlicet.

Nota 207. Subsidium.

In codicibus Rodradi, & Ratoldi legitur, *præsidium*. In codice Remensi neutrum eorum extat, sed utrumvis reponendum est.

Nota 208. De peccati poena. Id est, de pœnitentia.

Nota 209. Sacramenti.

Id est, gratiæ Sacramentalis, metonymia, caussa pro effectu.

Nota 210. Observantiæ Paschalis.

Hoc loco observantia Paschalis est jejunium Quadragesimæ, & ab Hincmaro in epistola ms. supra citata jejunium Quadragesimæ appellatur jejunium Paschale, & ita appellatur a Timotheo Episcopo Alexandrino in interrogationibus, ut recte ibi explicat Theodorus Balsamo, interr. 7. γυνὴ ἐὰν γεννήσῃ, τὸ Πάσχα ὀφείλει νηστεύειν; id est, mulier, si peperit, debetne jejunare Pascha? & interrog. 9. *si quis ægrotat, & ex vi morbi valde tabefactus*, καὶ ἔλθῃ τὸ ἅγιον Πάσχα. &c. id est, *& veniat sanctum Pascha, debetne jejunare?*

Nota 211. Inutilia sentiunt. Subaudi, esse agenda.

Nota 212. Censendum. Subaudi, rationabiliter.

Nota 213. Cibus ejus est totius bonæ voluntatis, &c.

His verbis quadrat illud Johan. 4. *cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*.

Nota 214. Sacramenti.

Id est, mysterii, arcani, sub cujus involucro aliquid mysticum latet, nempe ratio cur voluerit Christus hunc quadraginta dierum numerum suo jejunio consecrare.

Nota 215. Per totam Quadragesimam, &c.

Hæc verba desunt in editis & in aliis codicibus nostris mss. & apud Pamelium [c].

Nota 216. Stat operto capite.

Cum sit oratio, videlicet, juxta antiquum Christianorum morem, cujus meminit Tertullianus in Apologetico: *illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus imperatoribus*. At contra pagani oper-

a Quæ collegit hic eruditissimus Menardus egregie confirmant a nobis dicta in nota d. ad Hom. v. lib. 2. in Eccles. num. 12.

b Ita quoque in cod. Reg. Sueciæ.

c Minime quoque leguntur in mss. nostris.

operto & velato capite orabant. S. Cyprianus oratione de lapsis: *Ab impio sceleratoque velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiva, caput vestrum liberum mansit.*

Nota 217. REMADIO.

Pro, *ad remedium*: & sensus est, præsta ut votiva Sacramenta nobis proveniant ad remedium vitæ temporalis, recte peragendæ videlicet, & æternæ, adipiscendæ nimirum. Vulgo legitur, *remedia*.

Nota 218. SABBATO IN DUODECIM LECTIONIBUS.

Hoc primum quatuor temporum jejunium olim non semper occurrebat prima hebdomade Quadragesimæ; sed de hac re infra.

Nota 219. REMEDIA NOBIS ÆTERNA.

Remedia æterna sunt, quæ conducunt ad vitam æternam consequendam: est metonymia, ut pallida mors.

Nota 220. QUÆ SE AFFLIGENDO CARNE.

a ª Optima lectio, quam agnoscit codex Rodradi, id est se affligendo in carne. Vulgo legitur, *carnem*.

Nota 221. REDEMTIONIS ÆTERNÆ.

Id est, gratiæ, quæ nobis conciliat redemtionem æternam. Est metonymia, effectus pro causa.

Nota 222. EXTRANEIS.

Id est, alienis; est enim antitheton, & opponuntur peccata propria alienis.

Nota 223. IGNORANTES, id est peccatores.

Nota 224. ET QUÆ TERRENA DELECTATIONE.

Locus corruptus, sicque, ut arbitror, castigandus: *Et qui terrenæ delectationi carnales epulas abnegamus, humanæ voluntatis pravas intentiones amputemus.*

Nota 225. NOSTRÆ REDEMTIONIS AFFECTUS.

Id est, gratia quam Christus nobis acquisivit suo sanguine. Infra in Præf. CONTINUO; id est, statim, protinus.

Nota 226. SUPERNIS PROMISSIONIBUS REDDAT ACCEPTOS.

Id est, nos tibi reddat acceptos & gratos ad supernas promissiones obtinendas.

Nota 227. HYDRIAM.

Quid sit hydria, explicat auctor veteris etymologici, *ὑδρία κυρίως τὸ εἰς ὕδωρ ἐπιτήδειον ἀγγεῖον*. id est, hydria proprie vas est ad aquam aptum. S. Augustinus tractatu 15. in Johannem: *Vas erat unde aqua hauriebatur. Græco nomine appellatur hydria: quoniam Græce ὕδωρ aqua dicitur: tamquam si aquarium diceretur*, S. Isidorus lib. 20. Orig. cap. 6. *Hydria vasis genus aquatilis per derivationem vocata: ὕδωρ enim Græci aquam dicunt.* Non solum erat vas aquarium, sed etiam vinarium, ut testatur Julius Pollux lib. 10. Onomast. cap. 20. *ὥστε οὐ μόνον ὕδατος ἀλλὰ καὶ οἴνου ἀγγεῖον ἡ ὑδρία ἦν.* id est, quare non solum aquæ, sed etiam vini vas hydria erat; & recte quidem: quia illæ hydriæ quarum usus fuerat in nuptiis, in Cana Galilææ Johan. 2. plenæ erant vino, quibus exhaustis, Christus eas impleri aqua jussit, ut eam in vinum converteret. In hac autem Præfatione hydria metaphorice sumitur.

Nota 228. INDEMNES. id est, nulli reatui peccatorum obnoxii.

Nota 229. QUADRIFIDA PECCATORUM MOLE.

Alludit ad quatriduanam Lazari corruptionem. Quadrifida peccatorum moles sunt præcipua peccata, superbia, avaritia, luxuria, & gula.

Nota 230. ET AD REMEDIA PERDUCANT ÆTERNA.

Id est, perducant ad Paschale Sacramentum corporis & sanguinis Christi, quod recte dicitur æternum remedium, quia illius beneficio vitam æternam consequimur.

Nota 231. SACRAMENTI. id est, gratiæ Sacramentalis, ut supra notatum est.

A *Nota* 232. CUJUS NOS MISERICORDIA PRÆVENIT UT BENE AGAMUS, &c.

Ita S. Augustinus in Enchiridio cap. 28. *nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit.* Circa quod notandum est, etsi non raro a Theologis per gratiam prævenientem idem plane intelligatur quod per excitantem, & per subsequentem idem prorsus quod per adjuvantem: tamen sæpe per gratiam prævenientem intelligi omnes gratias; excitantem, adjuvantem, habitualem, prout per eas justi reddimur: per subsequentem vero omnes etiam intelligi; sed prout accepta justitia per eas roboratur, augetur, & ad finem usque conservatur. Unde S. Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 31. *Prævenit Deus, ut sanemur;* B *subsequitur, ut sanati vegetemur; Prævenit, ut vocemur; subsequitur, ut glorificemur; Prævenit, ut pie vivamus; subsequitur, ut cum illo semper vivamus.* S. Fulgentius lib. 1. ad Monymum cap. 11. *Prævenit impium, ut fiat justus; subsequitur, ne fiat impius. Prævenit cæcum, ut lumen donet; subsequitur videntem, ut lumen quod contulit, servet. Prævenit elisum, ut surgat; subsequitur elevatum, ne cadat.* Cassiodorus in psalmum XXII. *subsequitur utique ad justitiam, præcedit ad gratiam conferendam. Nam si solum sequeretur, nemo donata perciperet; si tantum præcederet, nemo posset collata servare. Graviores sunt enim insidiæ, quas a tergo diabolus parat: & nisi Domini misericordia subsequatur, facillime humana fragilitas decipitur.* C *Tunc enim quando se aliquis vitium transisse credit, incauta magis ignorantia decipitur. Unde nimis necessarium est, ut semper nos & gratia Domini præcedat, & misericordia subsequatur.* Et S. Gregorius lib. 9. Moralium cap. 29. *Dominus ea qua nos misericordia ad bene vivendum prævenit, & subsequenter custodit: nisi enim misericordiam subroget, servari non valet vita, quam præbet.* Et hæc doctrina fundatur in Scriptura Psal. 58. *misericordia ejus præveniet me.* Psal. 22. *misericordia tua subsequetur me.* Cum ergo hic dicitur, *prævenit, ut bene agamus; subsequitur, ne frustra agamus*, intelligitur gratiam prævenientem dari ad bene agendum, at subsequentem ad conservandum bonum concessum, & in eo per- D severandum. Et ita ille frustra non agit, qui in bono, quod incepit, perseverat: & sic gratia subsequens datur, ne frustra agatur.

Nota 233. DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

A Codino Curopalate in libro de Officiis dicitur: *ἑορτὴ τῶν βαΐων*. id est, Festum palmarum.

Nota 234. UT SICUT HI CUM RAMIS PALMARUM, &c.

Nota antiquitatem solemnitatis palmarum, in qua fit processio cum ramis arborum benedictis. Quæ sane antiquissima est: illius enim meminit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 10. *ὁ φοῖνιξ ὁ ἐπὶ τῆς φάραγγος, μαρτυρεῖ, τὰ βαΐα παρασχὼν τοῖς τότε εὐφημοῦσι.* id est, Palma quæ est in valle testatur, ramos exhibens his qui tunc benedicunt. E Ejusdem solemnitatis meminit S. Aldhelmus orientalium Saxonum Episcopus lib. de laudibus virginitatis cap. 15. agens de S. P. N. Benedicto: *Haud frustra vocabuli* (Benedicti) *privilegium participavit cum Advocato, & Redemtore nostro: de quo lactentes Evangelici consona vocis harmonia psallentes concorditer cecinerant: Benedictus qui venit in nomine Domini. Cujus rei regulam nostra quoque mediocritas (authentica veterum auctoritate subnixi) in sacrosancta Palmarum solemnitate, binis classibus, canora voce concrepans, & geminis concentibus, Osanna persultans cum jucundæ jubilationis melodia concelebrat.* In codice Ratoldi extat benedictio Palmarum. Alcuinus lib. de divinis Officiis cap. F 14. totam Processionis rationem describens sub finem ait: *Hac finita inchoantur a duobus Cantoribus quidem versus:*

Israel es tu Rex.

Respondet chorus aspiciens, seu inclinans se ad supra scriptum sanctum Evangelium:

Gloria laus & honor tibi sit.

Et

ª Hæc lectio confirmatur auctoritate codd. Pamel. Reg. Sueciæ Gemet. & utriusque Theoder.

Et ordine fequuntur alii verfus. Sanctum Evangelium, cujus hic mentio fit, illud eft, quod in quodam feretro pofitum geftabatur in illa proceffione, ut fcribit idem Alcuinus fupra eodem capite. In loco citato notandi funt ii verfus, *Ifrael et tu Rex*, &c. *Gloria laus*, &c. Quos vulgo dicunt a Theodulpho Epifcopo Aurelianenfi, Andegavis in carcere compofitos. Is enim, ut ferunt, cum infimulatus effet conjurationis, adverfus Ludovicum Pium Imperatorem cum Bernardo, Italiæ Rege, Andegavis dicti Imperatoris juffu in cuftodiam datus eft, ubi hos verfus compofuit, quos cum in die Palmarum in ipfo carcere decantaret, illac forte tranfiens Imperator carminum melodia captus Theodulphum carcere liberavit, & ad fedem remifit. Hoc fcripfere quidam auctores non adeo antiqui, quos erroris locus fupra citatus Alcuini, in quo horum verfuum fit mentio, convincit: cum Alcuinus obierit anno octingentefimo quarto, longe ante conjurationem Bernardi, ut teftatur Oderannus Monachus S. Petri Vivi in Chron. Anno DCCCIV. *obiit Alcuinus Philofophus Abbas S. Martini*. Sed apud antiquos fcriptores, qui de geftis Ludovici Pii Imperatoris fcripfere, mirum eft de ejufmodi hiftoria, feu potius fabella filentium, & quod ipfi fcribunt de Theodulpho, & aliis conjuratoribus huic commento prorfus adverfatur. Nam Imperator eodem anno DCCCXVIII. captis conjuratoribus, Aquifgranum reverfus eft, tranfactoque Quadragefimali jejunio paucis poft Pafcha diebus conjurationis auctores, & Bernardum regem judicio Francorum capitali fententia condemnatos luminibus tantum juffit orbari: Epifcopos Synodali fententia depofitos, monafteriis mancipari: ceteros prout quifque vel nocentior, vel innocentior apparebat, vel exilio profcribi, vel detonderi, atque in Monafteriis converfari, ut fcribit Eginhardus ad eumdem annum. Idem fcribit Theganus lib. de geftis Ludovici Pii Imperatoris num. 22. folius depofitionis Epifcoporum, nulla in Monafteriis detrufionis mentione facta. Idem teftatur quidam anonymus antiquus fcriptor in vita Ludovici Pii, ubi refert Theodulphum, & ceteros Epifcopos fuiffe depofitos, & Monafteriis obtrufos nempe in exilio. Siquidem fe in exilium actum fuiffe teftatur ipfe Theodulphus, epiftola ad Modoinum Epifcopum:

Hoc Modoine, tibi Theodulphus dirigit exul.
Summo Pontificum cernuus ecce melos.

Et in Epiftola ad Aigulphum Epifcopum:

Hoc, Aigulphe, tibi, præful fanctiffime, mitto
Theodulphus carmen exul, ab exilio.

Et in epiftola citata ad Modoinum conqueritur fe non faffum injufte fuiffe Epifcopatu abdicatum, idque fine auctoritate Romani Pontificis:

Non tibi ceffis inest, judex nec idoneus ullus:
Non aliquod crimen ipfe ego faffus eram.
Efto: forem faffus, cujus cenfura valeret
Dedere judicii congrua frena mihi?
Solius illud opus Romani præfulis extat,
Cujus ego accepi pallia fancta manu.

Quæ videre eft Henricum Canifium tomo 5. antiquæ lectionis, parte 2. Ex his patet, cum jam effet condemnatus paulo poft folemnitatem Pafchæ Theodulphus, eum non fuiffe vinculis folutum in ramis palmarum ab Imperatore, ejus melodia delectato, qui tum erat Aquifgrani: Ivit poftea Ludovicus Imperator in Britanniam minorem, hoc eft Armoricam, ut compefceret Mormanum, qui fibi in Britones regiam poteftatem arrogaverat, quo ad ordinem redacto rediens, Andegavos venit, ubi *Irmingardis Regina conjux ejus, quam proficifcens ibi ægrotantem dimiferat, duobus diebus, poftquam ipfe ad eam venit, morbo invalefcente v. nonas Octobris difceffit*, ut fcribit Eginhardus ad eumdem annum; id etiam teftantur Theganus & Anonymus fupra citati. Bis eo anno fuit Andegavis Imperator eundo in Armoricam, & redeundo; nec tamen potuit folvere Theodulphum, qui tantum poft Pafcha Andegavos, profectus eft & reverfus eft menfe Octobri, & paulo poft abiit. Tandem pius ille Imperator & mifericors, anno DCCCXXI. in conventu generali apud Theodonis Villam, cum celebrarentur nuptiæ Lotharii filii fui, & Irmingardis Hugonis Comitis filiæ, accerfitis conjuratoribus injuriam condonavit, eifque omnia bona facultatefque reftituit, ut teftatur Æginhardus ad præfatum annum: *Emicuit in hoc palatio piiffimi Imperatoris mifericordia fingularis, quam oftendit fuper eos, qui cum Bernardo nepote fuo in Italia contra caput ac regnum fuum conjuraverunt. Quibus fibi ad præfentiam venire juffis non folum vitam & membra conceffit, verum etiam poffeffiones judicio legis in fifcum redactas magna liberalitate reftituit.* Idem teftatur fupra fcriptus Anonymus in vita Ludovici Pii. Ex quibus patet non donatum fuiffe crimen ipfi Thodulpho Andegavis in carce exiftenti. Et certè valde erat infenfus ipfi Theodulpho Ludovicus, nec parcere volebat, nifi prius crimen fateretur, ut fcribit Modoinus Epifcopus ad ipfum Thodulphum:

Commiffum fcelus omne tibi dimittere mavult,
Si peccaffe tamen te memorare velis.
Nam prodeffe tibi confeffio pura valebit,
Si te voce probas criminis effe reum.

Et paulo poft:

Nullo alio fuperare modo puto principis iram
Poffe, probes nifi te criminis effe reum.

Hæc refert Henricus Canifius libro fupra citato. Sed pius Imperator poftea fententiam mutavit, ut paulo ante diximus, & omnibus conjuratoribus pro fua clementia fingulari pepercit.

Quidam Anonymus, qui vixit tempore Philippi Augufti Francorum regis cap. 3. libri de tranflatione Reliquiarum S. Mamantis in Gallias, hos verfus tribuit Reinaldo Epifcopo Lingonenfi, & fimilia ferme narrat iis quæ falfo de Theodulpho credita fuiffe fupra fcripfimus: *Procedente tempore affumtus ad regimen urbis Lingonicæ Reinaldus Epifcopus piæ recordationis, qui decimus fedit ante venerabilem Willelmum, qui nunc eft electus nofter. Vir ille quidem fpectabilis genere fuit; fed nobilitatem generis honeftas morum, & multiplex litterarum fcientia illuftrabat. Non folum liberalibus ftudiis eruditus fuit, fed utriufque teftamenti paginæ fufficienter inftructus. Ipfa enim ejus opera teftimonium perhibent veritati. Nam cum ipfe teneret comitatum Tornodorenfem, & comitatum Barri fuper Sequanam pro fuis nepotibus, qui erant adhuc parvuli, propter difcordias quafdam, ficut dicitur, Rex Francorum, qui tunc erat, ipfum tenuit in Noviomenfi civitate, in turri juxta portam: ubi non fractus adverfitate, fed gaudens, quia intelligebat quod filium quem diligit flagellat Deus, fecit hymnum, & modulatis vocibus decantavit cum pueris in ramis palmarum, fcilicet,* GLORIA LAUS. *Ipfe etiam vitam beati Martyris* (Mamantis) *tranftulit de Græco in Latinum.* Hæc ille, quem fequendum putarem, nifi mentio illorum verfuum apud Alcuinum obftaret.

Nota 235. DA QUÆSUMUS OMNIPOTENS DEUS, UT QUI IN TOT ADVERSIS, &c.

Alcuinus lib. 2. contra Elipandum Toletanum Epifcopum citat hanc orationem, fed eam adfcribit Miffæ ad palmas: *Ait enim in Miffa ad Palmas, in oratione quadam: Da, quæfumus, omnipotens Deus, ut qui in tot adverfis ex infirmitate noftra defecimus*, &c.

Nota 236. HUMILITAS ERIGIT.

Præclare S. Auguftinus lib. 1. de Symbolo ad Cathecumenos: *Exaltavit fe homo, & cecidit: humiliavit fe Deus, & erexit. Humilitas Chrifti quid eft? Manum Deus homini jacenti porrexit. Nos cecidimus, ille defcendit: nos jacebamus, ille fe inclinavit. Prendamus, & furgamus ut non in pœnam cadamus.*

Nota 237. SACRAMENTA. id eft, fefta.

Nota 238. QUÆ MEDICINALIBUS SUNT INSTITUTA JEJUNIIS.

id eft,

Id est, quæ sunt instituta in medicinalibus jejuniis celebranda.

Nota 239. ET DICIT ORATIONES SOLEMNES.

Ex more antiquo, quem videre est apud Alcuinum lib. de divinis Officiis cap. de feria quarta majoris Hebdomadæ: *Dicit orationes solemnes, sicut in sexta feria*. Et rationem subjungit, quia hac feria consilium inierunt Judæi de Jesu capiendo: & apud Amalarium lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 11. *intimat supra dictus libellus* (Romanus Ordo) *in Romana consuetudine debere eadem die ante publicum officium orationes, quas solemus in sexta feria agere, recitari*. Hoc videre est in Ordine Romano, in ordine de feria 4. Hebdomadæ majoris: *Et dicit orationes solemnes. Oremus, dilectissimi nobis, in primis pro Ecclesia Dei, & ceteras per ordinem; tantummodo pro se intermittit. Postea vero dicit orationem pro Rege Francorum, sive pro Imperatore. Ad ultimam pro Judæis non flectuntur genua*. Is mos etiam videtur in cod. Tiliano, qui olim fuit Ecclesiæ Salariensis, hoc est Sagiensis, ut in Præfatione notavimus. Ita enim in hoc codice scriptum est, in ordine feriæ 4. majoris Hebdomadæ: *Expectantes pontificem, qui semper (ipse) in Ecclesia majore orationes solemnes ipsa die, sicut in Sacramentorum libro continetur, hoc continet ordine*. Et paulo post: *Post* Amen *dicit orationes solemnes: oremus, dilectissimi nobis, in primis pro Ecclesia ill. & ceteras per ordinem: tantummodo pro se intermittit, post Imperatorem vero dicit pro Rege Francorum. Ad ultimum pro Judæis non flectuntur genua*. Hujusmodi orationes habentur etiam in editis hac eadem feria quarta, sed non extant in aliis codicibus nostris mss. a neque apud Pamelium. Sed nec modo dicuntur hac feria IV.

Nota 240. OREMUS.

Græci dicunt τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. Id est, Oremus Dominum, ut planum est ex Liturgia S. Johannis Chrysostomi, & ex Euchologio Græcorum passim. Diciturque a Diacono, non a Sacerdote, ut clarum est ex eadem S. Johan. Chrysost. Liturgia: ὁ Διάκονος, τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. id est, Diaconus, Oremus Dominum, & ex eodem Euchologio passim. Nota quod in hac feria, ut in sexta sequenti, in his orationibus non solum sacerdos annuntiat orationem dicendo dumtaxat, *Oremus*, pro more solito: sed insuper monet pro quibus, & quid orandum sit: quemadmodum olim institutum erat in omnibus aliarum Missarum orationibus, cum sacerdos populum de oratione moneret, ut manifestum est ex S. Augustini epist. 107. ad Vitalem: *Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem; & pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret; & pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt, ejus munere perseverent. Subsanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur*.

Nota 241. FLECTAMUS GENUA.

Vetus est consuetudo Ecclesiastica, ut Diaconus clamet, *Flectamus genua*: quam videre est hom. 34 S. Cæsarii Arelatensis: *Nam dum frequenter, sicut oportet, & diligenter attendo, clamante Diacono*, Flectamus genua, *maximam partem populi sicut columnas erectas stare conspicio, quod Christianis, dum in Ecclesia oratur, non licet, nec expedit*. Et in fine Homiliæ: *& quotiescumque Diaconus clamaverit, ut in oratione genua flectere, aut benedictioni inclinare capita debeatis, obedienter & fideliter cum vera humilitate faciatis*.

Nota 242. POSTQUAM ORAVERINT.

Olim postquam Diaconus clamaverat: *flectamus genua*, populum orabat. Jesse Ambianensis in epistola de baptismo: *Postmodum admoneantur a Diacono, Orate, Electi, flectite genua: & postquam oraverint, dicit: levate*. Orabaturque sub silentio.

Unde in cod. Rem. *Et nuntiat Diaconus: flectamus genua, & populus silet*.

Nota 243. DICIT LEVATE.

Diaconus oratione completa olim clamabat, *levate*: quod videre est loco citato Jesse Ambianensis: *Postquam oraverint, dicat, levate*. Et in cod. Rem. feria 6. majoris Hebdomadæ: *Et nuntiat Diaconus, flectamus genua, & populus silet. Dicit, levate; & dat orationem*. Quæ ultima verba, *& dat orationem*, intelligenda sunt de Pontific. & apud Alcuinum lib. de divinis Officiis cap. de feria sexta, quæ & parasceve dicitur: *Dicit. oremus; & Diaconus, flectamus genua: item Diaconus, levate: & Pontifex dat orationem*. Et in cod. Tiliano, ubi agitur de hac feria sexta: *Et dicat oremus, & Diaconus: flectamus genua; & oret diutissime; & Diaconus dicat: levate*. Hodie vero τὸ *levate*, dicitur a Subdiacono. Præterea notandum est in Ordine Romano, in ordine de feria sexta, in his solemnibus orationibus, *Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei*, &c. tantum dici a Diacono, *levate*, in fine cujusque orationis, quo dicto dicit Sacerdos *per Dominum*, in hunc modum: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam*, &c *Levate. Per eumdem. Omnipotens sempiterne Deus, cujus judicio*, &c. *Levate, Per Dominum*.

Nota 244. TANTUMMODO PRO SE INTERMITTIT, &c.

Ita Alcuinus cap. supra citato de feria 4. majoris Hebdomadæ: *Hoc scientes, ut quod Pontifex pro se intermittit, ibi illum commemoret*.

Nota 245. PRO JUDÆIS NON GENUFLECTANT.

In cod. Til. *Ad ultimum pro Judæis non flectantur genua*. Hanc rationem profert Alcuinus lib. de divinis Officiis cap. de feria sexta, quæ & parasceve: *Et per omnes alias orationes genuflectimus, ut per hunc habitum corporis, mentis humilitatem ostendamus; excepto quando pro perfidis Judæis oramus. Illi enim genu flectebant Domino, opus bonum male operantes, quia illudendo hæc faciebant*.

Nota 246. CONFESSORIBUS.

Confessores hoc loco sunt Cantores, & Psalmistæ, qui sunt in inferiori Clericorum gradu, can. 11. Concilii 4. Carthag. Id satis patet e Concilio Tolet. 1. can. 9 *Nulla professa vel vidua, absente Episcopo vel Presbytero, in domo sua Antiphonas cum Confessore vel servo suo faciat*. Et ita capiendus est canon sextus ejusdem Concilii: *Itemque puella Dei nec familiaritatem habeat cum confessore*. Ita dicti, quia confiteri passim in sacra Scriptura est, Dei laudes decantare. Cum igitur in hoc Sacramentarii loco mentio fiat omnium personarum Dei cultui mancipatarum, par est credere in eo per confessores intelligi Cantores seu Psalmistas.

Nota 247. VIRGINIBUS.

Intelliguntur Virgines devotæ, seu professæ, hoc est quæ Deo virginitatem devoverint, de quibus infra.

Nota 248. VIDUIS.

Similiter intelliguntur illæ Viduæ, quæ viduitatem solemni ritu professæ fuerint, de quibus etiam infra.

Nota 249. PRO CHRISTIANISSIMO REGE NOSTRO.

Ita in editis. In b codice Remensi legitur, *Pro Christianissimo Imperatore, vel rege nostro*. In codicibus Rodradi, & Ratoldi, & apud Pamelium: *Et pro Christianissimo Imperatore nostro*. In Ordine Romano hæc habentur: *Postea vero dicit pro Rege Francorum, sive pro Imperatore*. In codice Tiliano feria IV. sic habet: *Post Imperatorem vero dicit pro Rege Francorum*. Sed nullæ assignantur particulares orationes, nec in feria VI.

Nota 250. RESPICE AD ROMANORUM ATQUE FRANCORUM BENIGNUS IMPERIUM.

Ita in excusis. In codice Remensi legitur: *Respice* pro-

a In priori Theod. in officio Feriæ VI. hujusmodi orationibus titulus hic præmittitur: *Incipiunt orationes quæ dicendæ sunt quarta & sexta feria*.

b In Gemet. quoque legitur, *pro Christianissimo imperatore nostro*, licet infra scriptum sit: *respice ad Anglorum benignus regnum*.

propitius ad Romanorum, ſive Francorum benignus imperium. In codice Rodradi, & apud Pamelium: *Reſpice ad Romanorum benignus imperium*. [a]In codice Ratoldi: *Reſpice ad Romanorum, ſive Francorum benignus imperium.*

Nota 251. QUIBUS EXPLETIS, &c.

Nota hac die has orationes dici quidem olim ſolitas proxime ante Miſſam, ſed aliquo intervallo.

Nota 252. HORA OCTAVA.

Id eſt, ſecunda poſt meridiem juxta antiquam incipiendi diei & horarum numerandarum rationem.

Nota 253. SCHOLA.

Schola in Ordine Romano, & in libris Sacramentorum eſt collegium Cantorum. Siquidem olim Clerici omnes in Eccleſia non cantabant; ſed erant quidam Cantores a ceteris Clericorum gradibus diſtincti, huic muneri obeundo deputati, ut videre eſt in Concilio Carthag. 4 can. 10. quos tamen Theologi noſtri inter eos qui proprie ordinibus initiantur, non ſolent recenſere; & in Concil. Laodiceno can. 15. περὶ τοῦ μὴ δεῖν πλὴν τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, &c. id eſt, Quod non oportet præter canonicos Cantores, qui ſuggeſtum aſcendunt, & qui ea membrana pſallunt, aliquos alios canere in Eccleſia. Ubi canonici Cantores ſunt ii qui canonice, & legitime, ad hoc munus obeundum ſunt inſtituti. Apud S. Ignatium epiſt. Ad Antiochenos, in qua recenſens gradus Clericales, inter eos Pſaltes ſeu Cantores commemorat: & in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 8. in Miſſa S. Clementis, in qua oratur pro Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, & Viduis. Nec dicendum eſt hunc gradum priſcis illis temporibus non fuiſſe a ceteris gradibus minoribus diſtinctum, ſed ex eis, maxime ex Lectoribus, aſſumtos fuiſſe Cantores. Contrarium enim apparet ex locis ſupra citatis; & maxime ex Concilio Carthaginenſi 4. ubi Pſaltæ, ſeu Cantori aſſignatur poſt alios ſua peculiaris benedictio: quæ ſane eſt alicujus perſonæ diſtinctæ, quæ nondum ſit alicui ordini initiata; cum hic gradus ſit poſtremus omnium: nec videamus lege ordinaria eum qui ad ſuperiorem aliquem promotus ſit gradum, ad inferiorem ordinari. Præterea Canones Apoſtolorum diſtinguunt Lectores a Cantoribus; igitur ut plurimum Cantores non aſſumebantur ex Lectoribus. Etenim can. 26. datur libertas ducendi uxorem Lectoribus & Cantoribus. Canone 43. prohibetur Hypodiacono, Lectori, & Cantori aleis & ebrietati vacare: & can. 69. ſtatuitur, ut Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, vel Hypodiaconus, vel Lector, vel Cantor, qui ſanctam Quadrageſimam, aut feriam IV. vel paraſceven non jejunaverit, deponatur. Poſtea tamen Pſaltæ ſeu Cantores ex Subdiaconis, & aliis minoribus ordinibus aſſumti ſunt, qui Cantorum Scholam, cujus eſt hic mentio, componerent. Nam in Concilio Bracarenſi 1. can. 29. videmus Lectores Pſaltarum officio fungi: & in Concilio Romano ſub S. Gregorio primo ſtatuitur, ut deinceps Cantores aſſumantur ex Subdiaconis, vel aliis minoribus ordinibus, ut videre eſt epiſt. 44 lib. 4. Regeſti; [b] *Qua de re* (inquit Papa) *decreto conſtituo, ut in ſede hac ſacri altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumque lectionis Evangelicæ officium inter Miſſarum ſolemnia exolvant: Pſalmos vero & reliquas lectiones cenſeo per Subdiaconos, vel, (ſi neceſſitas fuerit) per minores ordines exhiberi*. His ita conſtitutis dicendum tamen quædam olim ab aliis Clericis, atque etiam a Laicis cantari ſolita, ut *Kyrie eleiſon, habemus ad Dominum, & cum Spiritu tuo, Amen*, & ſimilia:

Nota 254. PRÆSTA QUÆSUMUS, &c.

Alcuinus lib. 2. adverſus Elipantum Toletanum Epiſcopum citat hanc orationem: *Item IV. feria ejuſdem Hebdomadis; præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut qui noſtris exceſſibus inceſſanter affligimur*, &c. & lib. 7. contra Felicem Urgelitanum Epiſcopum: *Item IV. feria ante Paſcha; Quæſumus, omnipotens Deus, ut per Unigeniti tui paſſionem liberemur*. Iis quæ in medio orationis interjacent, prætermiſſis.

Nota 255. SEQUITUR ALTERA LECTIO, &c.

Hæc rubrica deſideratur in editis, in aliis codicibus noſtris mſſ. & apud Pamelium.

Nota 256. PASSIO DOMINI.

Ita in codice Tiliano, ut in ordine librorum &c. qui leguntur, & de feriis IV. V. VI. & VII. ante Paſcha codicis mſ. Bibliothecæ Corbeienſis. Et infra, feria VI. in paraſceve ſancta, præſcribitur legenda Paſſio ſecundum Johannem, nulla mentione facta Paſſionum ſecundum Matthæum, quæ Dominica in palmis, & ſecundum Marcum, quæ feria III. leguntur, quas prætermiſſas fuiſſe arbitror, quia in illis diebus ſcriptor hujus libri ſecutus eſt tantum communem rationem aliarum Miſſarum. Legendæ Paſſionis in Eccleſia uſus antiquus eſt, nam illius meminit S. Auguſtinus ſerm. 144 de tempore: *Paſſio autem quia uno die legitur, non ſolet legi, niſi ſecundum Matthæum. Volueram aliquando, ut per ſingulos annos ſecundum omnes Evangeliſtas etiam paſſio legeretur; factum eſt: non audierunt homines quod conſueverant, & perturbati ſunt*. Ubi nota 1. olim Paſſionem uno die tantum legi ſolitam, & quamquam diem non exprimat, credibile eſt eam fuiſſe ſanctam paraſceven: deinde a S. Auguſtino inſtitutum fuiſſe, ut quatuor Evangeliſtarum Paſſiones quotannis in Eccleſia legerentur: idque diverſis diebus, etſi hoc non exprimat, nam quatuor Paſſionum lectio tædioſa fuiſſet: & credere par eſt id ab eo fuiſſe ordinatum juxta rationem Hebdomades in octavis Paſchæ, in qua juxta eumdem ſermone citato, legitur per ſeptem dies reſurrectio Dominica ſecundum omnes Evangeliſtas.

Nota 257. LARGIRE SENSIBUS, &c.

Hæc oratio citatur ab Alcuino lib. 7. contra Felicem Urgelitanum Epiſcopum: *Et alia oratione: Largire, omnipotens Deus, ut per temporalem filii tui mortem, quam myſteria veneranda teſtantur*, prætermiſſo fine, & his vocabulis, *ſenſibus noſtris*.

Nota 258. HORA TERTIA INGRESSI SACRARIUM.

Agebantur olim Miſſarum ſolemnia hora tertia, hoc eſt nona matutina, feruntque ita inſtitutum eſſe a S. Teleſphoro Papa. Sed hanc inſtitutionem non ita antiquam eſſe puto. Illis enim primitivæ Eccleſiæ temporibus Miſſarum ſolemnia de nocte celebrabantur: ut liquet ex Tertulliano lib. de corona militis: *Eucharistiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præſidentium ſumimus*. Quod tane ſolum fiebat inter Miſſarum ſolemnia. Noti ſunt illi cœtus [Lib. 10. epiſt. 101.] antelucani ex Plinio oratore ad Trajanum apud eumdem Tertullianum in Apologetico. Inde calumniæ paganorum, infanticidia, & everſores luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inverecundiam procurantes apud eumdem Tertullianum eodem lib. infra. Hæc ſacra myſteria Chriſtiani de nocte peragebant, ut ſibi, & eorum majeſtati ac dignitati conſulerent adverſus invidiam & furorem paganorum, idquo etiam poſt tempora Teleſphori Papæ, qui floruit Antonio Pio Imperatore. Itaque hæc Miſſarum celebrandarum hora tertia inſtitutio longe poſterior fuit: quæ tamen celebrabantur hora octava, ſeu nona, aut veſpere tempore jejuniorum, ut ad Concordiam regularum docuimus. Hoc vero die Cœnæ Domini anticipatur hora propter benedictionem olei, & Chriſmatis, pœnitentium reconciliationem, & lotionem pedum; non vero propter jejunii relaxationem: ne deſit vel numerus ſex & triginta dierum juxta S. Gregorium, vel quadraginta, juxta poſteriorem inſtitutionem: quamvis olim multi non jejunarent in Cœna Domini ſecundum Eccleſiæ ſuæ ritum, ut videre eſt apud S. Auguſtinum epiſt. 118. Eadem hora tertia, hoc die incipiendum ſtatuitur officium in veteri Pontificali mſ. quod ſervatur in Sacriſtia Eccleſiæ Rothomagenſis, videturque olim fuiſſe Eccleſiæ Remenſis. In Concilio Rothoma-

a Ita in ſecundo Theoder. In altero, *ad Chriſtianiſſimum benignus imperium*.

b Nunc ad calcem Regiſtri leguntur Geſta & Canones hujus Rom. Synodi.

magensi celebrato, anno Domini 1072. apud Ordericum Vitalem lib. 4. hist. Eccl. statuitur can. 1. *ut Chrismatis, & olei baptismatis, & unctionis consecratio competenti hora, id est post nonam, secundum statuta Patrum fiat.* Quæ consecratio inter Missarum solemnia celebratur, ut ex nostris Sacramentariis planum est.

Nota 259. Dalmaticas.

Quid sit Dalmatica docet S. Isidorus lib. 19. Origin. cap. 22. *Dalmatica, vestis primum in Dalmatia provincia Græciæ texta, est tunica sacerdotalis cum clavis ex purpura.* Et Glossæ veteres: *Dalmata* (lege, Dalmatica) *veste sacerdotalis candida cum clavis purpureis.* Quid autem sit clavus, explicant Glossæ Cyrilli. πορφύρα ὑφασμένη. *clavus, plurale non habet.* Id est, purpura vesti assuta, seu intexta. Sed quod dicit non habere plurale, adversatur locis citatis. Sunt igitur clavi notæ, plagulæ quædam ex purpura togis olim Senatorum assutæ, Græcis σημεῖα: & ab ejusmodi latis clavis vestis Senatoria dicitur laticlavium, seu latus clavus, πλατύσημος, & πλατυσημία. Glossæ Cyrilli: πλατύσημον, *laticlavium.* Onomasticon vetus: *latus clavus*, πλατύσημον. Lexicon vetus: *latus clavus*, πλατύσημον. Et ab angustis clavis angusticlavia. Idem Lexicon: *angusti-clavii*, ἀκχωσημα Plura vide in commentariis doctissimi viri Johannis Savaronis ad epist. 9. lib. 1. Apollinaris. Dalmaticam aliter describit Alcuinus lib. de Offic. divinis, antiquo ritu mutato. Est inconsutilis, formam habet crucis, in sinistra parte fimbriæ sunt, largas habet manicas, seu brachia, ut ille loquitur. Amalarius lib. 2. de Officiis Eccl. cap. 21. addit duas lineas coccineas retro, similiterque in anteriori parte, atque etiam in utroque humero. Id videre est in oratione Sacerdotis Dalmaticam inducentis in Missa antiqua a Matthia Illyrico edita: *Indumento hoc typico priscorum Patrum ritu in modum crucis, tramitibus purpureis contento vestitus postulo*, &c. Ita hunc locum interpunxi; ut vestis sit in modum crucis juxta præfatos auctores, & tramitibus purpureis contexta, secundum Amalarium. Fuit indumentum Episcoporum & Diaconorum, ut scribit auctor quæstionum utriusque testamenti inter opera S. Augustini quæst. 46. *quasi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur, sicut Episcopi.* At Subdiaconi tunicis induebant iisque lineis, ut constat ex lib. 7. Registi a S. Gregorii epist. 63. *nunc habent ergo hodie, ut Subdiaconi lineis tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt?* Ubi nota distinctos olim habitus Diaconi & Subdiaconi. Siquidem Diaconus induebatur Dalmatica, Subdiaconus tunica. Quod etiam videre est in antiquo ritu celebrandæ Missæ Iohannis Abrincatensis Episcopi, in appendice hujus libri Sacramentorum.

Cap. quid significent vestimenta.

Nota 260. Ampullæ.

Quid sit ampulla docet S. Isidorus lib. 20. Orig. cap. 5. *Ampulla quasi ampla bulla. Similis est enim rotunditate bullis quæ ex spumis aquarum fiunt, atque ita inflantur vento.* Glossæ veteres: *Ampulla*, λήκυθος. Λήκυθος autem est ἀγγεῖον ἐλαιοδόχον, inquit auctor veteris etymologici, id est vas in quo oleum reconditur. Unde *Lecythus olei* 3. Regum cap. 17. Bene igitur in ampullis reconditur oleum, seu Chrisma juxta morem antiquum, quem videre est apud Optatum Milevitanum lib. 2. adversus Parmenianum: *ampullam quoque Chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt.* Porro olim liberum fuit Episcopis sacrum Chrisma omni die conficere, ut patet ex Concilio Toletano 1. can. 20. *Episcopo sane certum est, quod omni tempore licet Chrisma conficere.* Postea tamen mos invaluit, ut dumtaxat in Cœna Domini conficeretur, ut planum est ex omnibus nostris Sacramentariis, & Euchologio Græcorum. Idem videre est in Homilia 8. S. Eligii de Cœna Domini: *& quia in hac die sacratissima fiunt plurima in sancta Ecclesia, quæ necessario debet scire vestra industria, sicut pœnitentium reconciliatio, sacri olei benedictio, sancti Chrismatis confectio, fraterna pedum ablutio.* Et in Sermone de unctione Chrismatis inter opera S. Cypriani: *dies ista multiplicibus mysteriis honoratur. Hac die primum commendata est nobis fractio panis, Hodie in Ecclesia cum ceteris unctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum, in participationem dignitatis & nominis sacrum Chrisma conficitur.* Et statuitur in Concilio Meldensi can. 46. *ut nemo sacrum Crisma, nisi in quinta feria majoris Hebdomadæ, id est in Cœna quæ specialiter appellatur Dominica, conficere præsumat.*

Nota 261. Ut accepto balsamo, &c.

Chrisma non est simplex oleum; sed ei balsamum admiscetur, ut liquet ex supra citato Sermone de unctione Chrismatis: *Sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiæ & sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem;* Gregorio magno expositione in cap. 2. Cantici canticorum: *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona Spiritus sancti exprimuntur.* Et Concilio Cabillonensi cap. 9. apud Burchardum lib. 4. cap. 93. *quidam fratres dixerunt antiquæ consuetudinis fuisse, ut pro balsamo emendo ad Chrisma faciendum, sive pro luminaribus Ecclesiæ concinnandis, binos vel quaternos denarios Presbyteri darent.* Græci in Chrismatis confectione diversas fragrantis odoris materias admiscent, ut testatur S. Dionysius cap. 4. Eccl. Hierarchiæ: *ἡ τοῦ μύρου σύνθεσις συναγωγή τίς ἐστιν εὐόσμου ὕλης*, id est, Unguenti seu Chrismatis compositio quædam collectio est fragrantium materiarum. Admiscent autem præter vinum & oleum sufficiens, sex & triginta genera seu aromatum, seu herbarum, ut habetur in eorum Euchologio.

Nota 262. Cereostatis.

Cereostata sunt candelabra quorum usus est in altaribus. Hanc vocem sæpius videre licet apud Anastasium Bibliothecarium in vitis Pontificum Romanorum.

Nota 263. Pax vobis.

Formula est salutationis qua utitur Pontifex in sacris maxime. Pontifex enim in Ecclesia inter ipsa sacra sæpius populo dabat pacem: sive diceret, *Pax vobis*, seu, *pax vobiscum*, seu, *pax omnibus.* Optatus Milevitanus lib. 3. adversus Parmenianum: *Non enim unamquamque domum semel* (legendum, *simul*) *seducere potuistis: sed aut ivit uxor* (nempe ad Ecclesiam vestram) *aut resedit maritus: aut parentes seducti sunt, & filii sequi voluerunt: aut flevit frater sorore migrante: persuasionibus vestris divisa sunt corpora, & nomina pietatis. Et non potuistis prætermittere quod legitimum est: utique dixistis, Pax vobiscum;* nempe in conventibus & sacrificiis Ecclesiasticis. Dicit autem *legitimum*, id quod in ipsis sacris sancitum est faciendum: in lib. 2. adversus Parmenianum: *nam quis dubitet vos illud legitimum in Sacramentorum mysterio præterire non posse? offerre vos dicitis pro Ecclesia.* Quod frustra quidam interpretantur Canonem Missæ. Quod si ita esset, dicendum erat, *illud legitimi.* S. Johannes Chrysostomus Homil. 3. in Epistulam ad Colossenses: ἐν ταῖς ἐκκλησίαις εἰρήνην ἐν ταῖς εὐχαῖς, ἐν προσρήσεσιν, καὶ ἅπαξ, καὶ δὶς, καὶ τρὶς, καὶ πολλάκις αὐτὴν δίδωσιν ὁ τῆς Ἐκκλησίας προεστὼς, εἰρήνη ὑμῖν ὑπολέγων. Id est, in Ecclesiis pacem in precibus, in Præfationibus, & semel, & bis, & ter, & sæpe dat Ecclesiæ Præsul dicens, pax vobis. Ubi tamen non legendum est, ὑμῖν, sed πᾶσιν. Nam paulo post dicit: καὶ ὁ λέγων ὁ τῆς Ἐκκλησίας προεστὼς, εἰρήνη ὑμῖν ἁπλῶς, ἀλλ' εἰρήνη πᾶσιν, id est, & non dicit Ecclesiæ præpositus, pax vobis simpliciter, sed, pax omnibus. Causamque subjungit: quia non cum uno, aut altero pax habenda est; sed cum omnibus: ita ut etiam in mente nostra omnia tranquilla, & pacata sint. Quod confirmatur ex Homilia 16. in epist. primam ad Corinth. εἰρήνην καὶ νῦν πᾶσιν ὁ τῆς Ἐκκλησίας προεστὼς ἐπεύχεται, id est, & nunc pacem omnibus deprecatur Ecclesiæ Præsul. Et in Liturgiis Sanctorum Basilii & Chrysostomi Sacerdos dicit: εἰρήνη πᾶσιν id est, pax omnibus, ut in Liturgiis SS. Jacobi, & Marci, & in Liturgia Præsanctificatorum. Quod confirmatur ex Theoria mystica S. Germani Patriarchæ Constantinopolitani, in qua hæc verba enarrans dicit: εἰρήνη πᾶσιν. ὁμόνοιαν, καὶ ἀγάπην καὶ ταυτότητα σημαίνει, &c. id est, *Pax omnibus & concordiam &*

a Nunc. lib. 9.

& dilectionem & eumdem sensum inter nos invicem coaptantes Domini imitationem accipiamus, pacem suam relinquentis & dantis. Sed illud, *pax omnibus*, Græcorum est, ut citati loci testantur; at τὸ *pax vobis*, seu, *pax vobiscum*, est Latinorum, ut ex Optato Milevitano supra citato, libro nostro Sacramentorum, & codice Ratoldi mox citando manifestum est. Aliquando olim, in Occidente, & maxime in Hispania dictum fuit; *Dominus sit vobiscum*, ut videre est in Concilio Bracarensi 1. can. 21. secundæ constitutionis; *Item placuit, ut non aliter Episcopi, aliter Presbyteri, sed uno modo salutent, dicentes; Dominus sit vobiscum*. Ubi cum postea scribit, *omnis retinet Oriens*, legendum puto, *Occidens*. Quia in Ecclesia Orientali alium fuisse usum testimonia producta satis manifestant. Circa hanc salutationem, *Pax vobiscum*, hæc notanda veniunt ex codice Ratoldi Abbatis: *Postea, pax vobiscum; etiamsi non soleat dicere Episcopus, nisi tantum diebus festis*.

Porro ante Missam in codice Remensi habetur reconciliatio Pœnitentium, de qua infra commodius dicetur. Post Missam sequitur: *Item feria v. Missa Chrismalis*. Oratio: *Domine Deus, qui in regenerandis plebibus tuis*, &c. Secunda: *Da nobis, omnipotens Deus, remedia conditionis humanæ*, &c. Super Oblata; *Hujus sacrificii potentia, Domine, quæsumus*, &c. Præfatio: *Clementiam tuam suppliciter exorare, ut spiritalis lavacri baptismo renovandis, creaturam Chrismatis in Sacramentum*, &c. Infra Actionem: *communicantes*, &c. ut in codice S. Eligii. Item alia: *Hanc igitur oblationem famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerunt ob diem, in qua Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis corporis & sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus, Domine, placatus accipias, & pietate concedas, ut per multa curricula annorum salvi & incolumes munera sua tibi Domino mereantur offerre. Quam oblationem*, &c. Tandem sequitur: *Item in ultimo antequam dicatur: per quem hæc omnia, Domine, benedicis oleum pro infirmis, sive pro populo, his verbis*. &c. Benedictione completa olei, & Chrismatis, dictisque in Missa, quæ sequuntur. Post Communionem: *Concede, Domine, ut per ceptum* (lege, *perceptum*) *novi Sacramenti mysterium*, &c. Super populum: *Præsta, quæsumus, Domine, ut sicut de præteritis*, &c. Sequitur: *Item in oleo exorcizato confectio, Exorcizo te creatura olei*, &c. Deinde sequitur hæc Præfatio: *Qui mysteriorum secreta revelans*, &c. Tandem; *Ad Missam sero: Deus, Deus, a quo & Judas*, &c. ut in hoc codice S. Eligii. Hactenus codex Remensis; in quo tres Missæ notandæ sunt hac feria quinta. Prima Pœnitentium, secunda Chrismatis, tertia serotina. Olim in quibusdam Ecclesiis hac eadem feria duæ Missæ celebrabantur; altera mane propter eos qui hac feria non jejunabant, sed lavabant & & relaxabant; altera sero propter eos qui jejunabant, ut notat S. Augustinus epist. 118. ad Januarium agens de hac solemnitate, *& quia*, inquit, *nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes; quia jejunia simul & lavacra tolerare non possunt; ad vesperam vero propter jejunantes*.

Nota 264. HODIERNA TRADITIONE. Corporis & sanguinis sui videlicet.

Nota 265. DISTRAXIT.

Idest, vendidit. Distrahere enim interdum vendere significat: Nonius Marcellus cap. 4 *Distrahere est vendere*. Lucilius lib. 29. *dividant, differant, dissipent, distrahant*. Regula Magistri cap. 85. *cum unaquæque ars aliquid perfectum supervacaneum usibus monasterii habuerit, vel mittendarum Eulogiarum abundaverit, interrogata qualitate pretii, quantum a secularibus distrahi potest, tantum infra nummorum minori semper distrahatur pretio*. In Concordia Regularum cap. 64. §. 4.

Nota 266. QUAM NEC VACAVIT CIBI COLLATIO.

Cum ceteris Apostolis in ultima cœna corpus & sanguinem suum Dominus noster Jesus Christus a Judæ traditori porrexit. a Hoc multi Patres asserunt: S. Augustinus lib. 2. adversus litteras Petiliani cap. 106. *aut communicaverunt furto, & sceleri Judæ prædecessores ejus Apostoli: quia cum eo jam Domini venditore sacrosanctam cœnam communicarunt*. Auctor quæstionum mixtim ex utroque testamento inter opera S. Augustini, quæst. 102. *Judas ergo cum esset inter discipulos, contagione sua non eos maculavit, dissentientes utique a furtis ejus; & Eucharistiam inter eos accipiens non polluit innocentes, nec Dominus ei, quem latronem sciebat, corpus suum denegavit*. S. Leo Serm. 3 de passione Domini: *Expectasses consummationem criminis tui, & donec sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi suspendium distulisses: cumque conscientiam tuam tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa saltem te a præcipitio tuo Sacramenta revocassent, quæ in Paschali cœna jam de perfidia tua signo divinæ scientiæ detectus acceperas*. S. Eligius Homil. 8. *quam multi de altari accipiunt, & moriuntur! Unde & dicit Apostolus: judicium sibi manducat, & bibit. An non bucella Domini venenum fuit Judæ?* S. Johannes Chrysostomus Homil. 27. in Epistolam 1. ad Cor. *καὶ οὐδὲ τοῦτον ἐξέβαλεν, ἀλλ' αὐτῷ μετέδωκε, καὶ τῆς μυστικῆς κοινωνὸν ἐποίησε*. id est non illum (Judam) exegit, sed eum fecit mensæ participem, ac mysteriorum. S. Anastasius Sinaita Sermone de Synaxi; *οὐχ ὁρᾷς πῶς Ἰούδας ἀναξίως, καὶ δολίως τὸ σῶμα μεταλαβὼν τὸ δεσποτικὸν εὐθέως κατεκρίθη*; id est, nonne vides quomodo Judas, cum indigne ac fraudolenter corpus Christi sumsisset, statim condemnatus est? Hincmarus Archiepiscopus Remensis in epist. ms. Biblioth. Monasterii S. Remigii Remensis: *Ac deinde dictum est: post bucellam introivit in eum satanas: quia cum intravit sanctus panis in plenum de iniquitate ventrem, intravit hostis antiquus, qui dicitur diabolus, & satanas, in crudelem & impiam mentem*.

Nota 267. QUO D. N. J. C. PRO NOBIS TRADITUS EST.

Ita in editis, & in aliis codicibus nostris mss. ut apud Pamelium.

Nota 268. IN QUA D. N. J. C. TRADIDIT DISCIPULIS SUIS, &c. Ita in codicibus citatis.

Nota 269. TUNC OFFERTUR PONTIFICI OLEUM.

Incipit consecratio olei infirmorum, quæ proxime fit ante illa verba; *per quem hæc omnia semper bona creas*, ut videre est in hoc codice S. Eligii. Nec credendum est proxime post illa verba, *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, consecrari; quamvis hæc verba, *tunc offertur Pontifici oleum*, &c. sequantur. Quod ideo scriptor fecit, quia totum nolebat scribere Canonem.

Nota 270. CHRISMA.

Hoc vocabulum non ita stricte & proprie hoc loco usurpatur.

Nota 271. ET RESPICIENS AD ORIENTEM.

Antiquus & laudabilis mos Ecclesiæ fuit, atque a temporibus Apostolicis ad nos usque deductus, ut orantes Christiani obversam Orienti faciem habeant. S. Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 27. agens de traditionibus Apostolicis: *τὸ πρὸς ἀνατολὰς τετράφθαι κατὰ τὴν προσευχὴν ποῖον ἐδίδαξεν ἡμᾶς γράμμα*; id est, converti ad Orientem in oratione quæ Scriptura nos docuit? Auctor quæstionum ad Orthodoxos inter opera S. Justini Martyris quæst. 118. in responsione hac de re agens ita scribit: *τοῦτο δὲ παρὰ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων*. id est, hoc vero manat a sanctis Apostolis. S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria mystica, *τὸ κατ' ἀνατολὰς εὔχεσθαι παραδεδομένον ἐστὶν, ὡς καὶ τὰ λοιπὰ, ἐκ τῶν Ἀποστόλων*. id est, Orientem versus orare traditum est, ut & reliqua, ab Apostolis. Hujus consuetudinis meminit Tertullianus in Apologetico: *Denique inde suspicio quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari*; & lib. 1. ad Nationes: *alii plane humanius solem Christianorum Deum existimant, quod innotuerit ad Orientis partem facere nos precationem*. S. Augustinus lib.

a Paulo infra ubi legitur; *patitur mitis Dominus* &c. In ms. Vissunensi habet: *pascit igitur mitis Dominus*.

lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 9. *cujus rei significandæ gratia, cum ad orationes stamus, ad Orientem convertimur*. De hac re pluribus agunt S. Johannes Damascenus l. 4. de fide Orthodoxa c. 13. & auctor quæstionum ad Antiochum. Meminit etiam Gregentius Archiepiscopus in disputatione cum Herbano Judæo: κατ' ἀνατολὰς ἐδιδάχθημεν προσκυνεῖν. id est, Orientem versus orare didicimus. Duas subjungit causas: quia invenimus Deum illic Hominem creasse, & Paradisum fecisse. S. Basilius cap. citato aliam profert, quæ tamen a secunda non multum discrepat, quia veterem quærimus Patriam Paradisum, quem Deus plantavit in Eden ad Orientem. Cui suffragantur S. Johannes Damascenus cap. citato, auctor quæstionum ad Antiochum quæstione citata, & S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus libro citato: qui aliam etiam profert rationem; propterea quod spiritalis Sol justitiæ Christus Deus noster in terra apparuit, in Orientalis Solis sensibilis partibus. Aliam profert auctor quæstionum ad Orthodoxos quæst. citata, quia τιμιωτέρα ἐστὶν ἡ ἀνατολὴ τῶν ἄλλων μερῶν τῆς κτίσεως. id est, nobilior est Oriens aliis mundi partibus. Alias producit auctor quæstionum ad Antiochum quæst. citata: quia steterunt pedes Christi in monte olivarum, & quia Deus lumen verum est. Alias profert S. Johannes Damascenus cap. citato: quia Deus est lux intelligibilis Sol justitiæ, & Oriens in Scripturis nominatur Christus; quia antiquum Moysi tabernaculum ad Orientem habebat velum, & propitiatorium; & tribus Juda, ut honorabilissima, ad Orientem castra ponebat: & in famigerato Salomonis Templo porta Domini Orienti erat obversa. Quia Christus crucifixus est respiciens Occidentem: & sic illum adoramus ad eum aspirantes. Tandem quia Christus assumtus in cælum ad Orientem ferebatur, ut habetur Psal. 67. *Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem*: & sic eum Apostoli adoraverunt. Hinc factum est, ut sacræ ædes Orientem spectarent utplurimum, juxta S. Paulinum ep. 12. id videre est apud [a] Apollinarem lib. 2. ep. 10.

Inter opera S. Athanasii.

> *Ædes celsa nitet, nec in sinistrum*
> *Aut dextrum trahitur: sed arce frontis*
> *Ortum prospicit æquinoctialem.*

Sic olim Chalcedone sacrarium in quo sepulcrum S. Euphemiæ reconditum erat, Orientalem plagam respiciebat, ut testatur Evagrius lib. 2. hist. cap. 3. εἴσω δὲ τοῦ θόλου, πρὸς τὰ ἔσω ἀνατολὴν ἐστι σηκὸς, ἔνθα τὰ πανάγια τῆς μάρτυρος ἀπόκειται λείψανα. id est, intra testudinem ad Orientem est sacrarium, in quo sunt sanctissimæ Martyris reliquiæ.

Id patet etiam ex Socrate lib. 5. Hist. Eccl. cap. 21. ubi scribit Antiochiæ basilicam contrarium aliis habere situm; cum ejus altare non ad Orientem, sed ad Occidentem respiciat: & ex Stephano Tornacensi epist. 105. ubi agens de basilica S. Benedicti Parisiis sita: *Ecclesiæ illius* (inquit) *forma dissimilis est, & dissidens ab aliis Ecclesiis; a parte sanctuarii respicit Occidentem, ab introitu Orientem*. Si igitur ecclesia Antiochiæ, & basilica S. Benedicti Parisiis sita, olim ortum solis non respiciebant, contrario aliis sacris ædibus situ, sed occasum; signum est alias Ecclesias, aut saltem maximam partem earum Orienti obversas fuisse. Postea tamen ita composita est præfata S. Benedicti basilica, ut modo a parte Sanctuarii respiciat Orientem, ab introitu Occidentem, ut ab aliis situ non discreparet. Nunc vero mutatur antiquus usus; maxime Parisiis. Siquidem in tanta multitudine ædium sacrarum, quæ in illa civitate XL. ab hinc annis ædificatæ sunt, vix unam aut alteram, quæ Orienti sit obversa, repereris: cum etiam ibidem nonnullas veteres olim regionem spectantes Orientis, jam mutata facie Occidentem respicere videamus. Quod spectat ad Paganorum Templa (ut de illis aliquid dicamus) illa etiam ut plurimum erant Orienti obversa. Ita enim templa construenda docet Vitruvius lib. 4. de Architectura cap. 5. *Regiones autem*, inquit, *quas debent spectare ædes sacræ Deorum immortalium, sic erunt constituendæ uti, si nulla ratio impedierit, liberaque fuerit potestas ædis, signum quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cæli regionem: ut hi qui adierint aram immolantes aut sacrificia facientes spectent ad partem cæli Orientis, & simulacrum quod erit in æde: & ita vota concipientes contueantur ædem, & Orientem cælum: ipsaque simulacra videantur exorientia contueri supplicantes, & sacrificantes: quod aras omnes Deorum necesse esse videatur ad Orientem spectare*. Cui subscribit S. Isidorus l. 15. Orig. cap. 4. *Sed & locus designatus ad Orientem a contemplatione templum dicebatur: cujus partes quatuor erant, antica ad Ortum, postica ad Occasum, sinistra ad Septentrionem, dextra ad Meridiem spectans. Unde & quando templum construebant, Orientem spectabant æquinoctialem: ita ut lineæ ab Ortu ad Occidentem missæ, fierent partes cæli dextra sinistra æquales: ut qui consuleret ac deprecaretur, rectum aspiceret Orientem*. Sed hæc potissimum de sacris Romanorum ædibus sunt intelligenda: nam priscorum Græcorum Templa ut plurimum altaria ad Occidentem, januas ad Orientem habebant conversa, ut scribit Porphyrius in libro de antro Nympharum. Quod spectat ad Judæos, Templum Salomonis ad Occidentis regionem respiciebat, ut clarum est ex cap. 8. Ezechielis: *& introduxit me in atrium domus Domini interius: & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum solis*. Et sane Judæi ad Solis occidentalem conversi regionem Deum orabant, ut testatus Gregentius Archiepiscopus in disputatione supra citata, ita loquens Herbano Judæo: ἐπὶ τὴν δύσιν γὰρ ὑμεῖς προσκυνεῖτε. id est, vos enim versus Occidentem adoratis; quod ideo faciebant ne viderentur, quemadmodum gentiles, Solem adorare.

Nota 272. IN CONSECRATIONE CHRISMATIS.

Antiquus est Ecclesiæ mos sanctum Chrisma benedicere & consecrare. S. Cyprianus epist. 70. *Porro Eucharistia & unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatur*. Optatus Mileviranus lib. 7. adversus Parmenianum; *oleum nominans, illum scilicet liquorem qui ex nomine Christi conditur; quod Chrisma, postquam conditum est, nominatur*. Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 27. qui ritum ad tempora Apostolorum refert: εὐλογοῦμεν τό ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ ἔλαιον τῆς χρίσεως. id est, benedicimus aquam Baptismatis & oleum unctionis. Quod & confirmatur auctoritate Dionysii magni, qui de Chrismatis consecratione pluribus agit cap 4. l. de Hierarchia Ecclesiastica.

Nota 273. PER OLIVÆ RAMUM PACEM TERRIS REDDITAM NUNTIAVIT.

Ita Tertullianus lib. de Baptismo: *quemadmodum post aquas diluvii quibus iniquitas aliqua purgata est post baptismum (ut ita dixerim) mundi, pacem cælestis iræ præco columba terris adnuntiavit dimissa ex arca, & cum olea reversa; quod signum etiam apud nationes paci prætenditur: eadem dispositione spiritalis effectus terræ, id est carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta columba sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens emissa de cælis, ubi Ecclesia est arca figurata*. Cassiodorus in Psalmum 22. *Sed quid est, quod species ipsa benedictionis sanctæ frequenter adhibetur: unxit Prophetas, consecravit Reges. Non immerito: quia arbor ipsa pacis etiam præstabat judicium; quod ejus specialiter munus noscitur esse divinum, liquor arboreus, pinguedo lætificans, magnarum gratia dignitatum: cujus folia in viriditatis suæ pulchritudine perseverant. Hæc etiam Noe per columbam nuntiavit terris redditam sospitatem: ut merito tantæ benedictionis capax esse videatur, quæ fructus sui magno decore simul & utilitate perfruitur*. S. Johannes Damascenus l. 4. de fide Orthodoxa cap. 13. *Et misericordiam Dei nobis annuntians per Spiritum sanctum*. ἐπεὶ καὶ κάρφος ἐλαίας τοῖς ἐν τῷ κατακλυσμῷ περισωθεῖσιν ἡ περιστερὰ κεκόμικε. id est, *postquam & ramum olivæ servatis ex dilu-*

[a] Nimirum Sidonium Apollin.

vio columbu obtulit, Quare in Græcorum Euchologio hic ramus recte appellatur καταλλαγῆς σύμβολον, κατακλυσμοῦ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ χάριτος μυστήριον. id est, reconciliationis Smbolum, falutis & gratiæ post diluvium myfterium.

Nota 274. Unda unxisti sacerdotes.

Levitici 8. ubi Aaron a Mofe unctus eft in Sacerdotem; ritus hujus mentio fit Exodi cap. 29. *veftem autem fanctam qua utetur Aaron habebunt filii ejus poft eum, ut ungantur in ea, & confecrentur manus eorum.*

Nota 275. Reges,

Unctionis regum mentio fit lib. 1. Reg. cap. 9. *& unges eum ducem fuper populum meum Ifrael.* & cap. 10. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit fuper caput ejus, & deofculatus eft eum, & ait: Ecce unxit te Dominus fuper hereditatem fuam in principem.* Et alibi paffim in libris Regum.

Nota 276. Prophetas.

Unctionis Prophetarum mentio fit lib. 3. Reg. cap. 19 *Elifeum autem filium Saphat qui eft de Abelmeula, unges Prophetum pro te.*

Nota 277. Et martyres.

Percipiendo Confirmationis Sacramentum, cujus beneficio divinitus robur ad refiftendum Diabolo ejufque fatellitibus perceperunt.

Nota 278. Qua expleta benedicit ampullam olei.

Hoc oleum benedicitur ad ungundum Catechumenum accedentem ad fanctum regenerationis lavacrum: ut conftat ex fubjecta oratione, & codice Ratoldi: *Deinde recipiat Subdiaconus ab Acolytho oleum ad baptizandum.* Hoc autem oleum benedicitur juxta antiquum morem, cujus meminit S. Cyrillus Hierofolymitanus Catech. 2. myftag. οὕτω καὶ ἐπορκιστὸν ἔλαιον ἐπικλήσει Θεοῦ καὶ εὐχῇ δύναμιν τοιαύτην λαμβάνει. id eft, fic & exorcizatum oleum per invocationem Dei & orationem tantam virtutem accipit. De hac unctione agitur in quæftionibus ad Orthodoxos, quæ extant inter opera S. Juftini Martyris quæft. 137. Meminit Fortunatus carmine 4. lib. 5. de Judæis a S. Avito Arvernæ Epifcopo baptizatis:

Hinc oleari ovium perfunditur unguine vellus:
Afperfuque facro fit gregis alter odor.

Apud Latinos ungitur baptizandus in pectore, fcapulis, & inter fcapulas. Jeffe Ambianenfis in epiftola de baptifmo: *tangitur etiam de oleo fancto pectus; ut immundo Spiritui prohibeatur introitus. Scapulæ etiam fignantur oleo, ut undique munitione Crucis firmetur:* & paulo poft, *inter fcapulas tangitur; ut confecratus humerus cum fcapulis totum fe fubjiciat poteftati Dei.* Theodulphus Aurelianenfis Epifcopus lib. mf. Biblioth. Corbeienfis de ordine baptifmi cap. 10. meminit tantum unctionis fcapularum & pectoris: *unde etiam his, qui baptizandi funt: pectus de oleo, & fcapulæ tangantur.* Rationem fubjicit; ut homo fit retro & ante munitus. Ita etiam in codicibus Remenfi, & Ratoldi Abbatis. At Græci totum corpus ungunt: ut videre eft in eorum Euchologio, & apud Severum Patriarcham Alexandrinum libro de ritibus baptifmi: *& ponit facerdos oleum olivarum in vola manus fuæ, totum corpus ejus, qui baptizatur, ungit.* Apud S. Cyrillum Hierofolym. Catech. 2. myftag. εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ ἀπὸ ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω. id eft, deinde exuti veftibus oleo exorcizato uncti eftis a fummis verticis capillis ufque ad infimos pedes. Id etiam planum eft ex S. Dionyfio lib. de Hierarchia Eccl. cap. 2. *Dum vero miniftri eum penitus exuunt, facrum oleum offerunt facerdotes.* ὁ δὲ τῆς χρίσεως μὲν τε τρισὶ σφραγῖσι ἀπαρξάμενος, τὸ λοιπὸν τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα χρίεσθαι παντελῶς παραδούς. id eft, *Pontifex vero ut trino fignaculo inchoavit unctionem facerdotibus hominem tradit toto corpore ungendum.* Id etiam teftatur S. Johannes Chryfoftomus Hom. 6. in epift. ad Coloffenfes: *Ungitur, ficut athletæ ftudium ingreffus; fimul enim nafcitur: & non ficut primus ille, qui paulatim, fed ftatim: non ficut olim facer-*
A *dotes folo capite, imo vero amplius; nam illi quidem capite, aure, dextra manu, ut ad obedientiam, & bona opera excitaret eum:* οὗτος δὲ τὸ πᾶν, οὐ γὰρ διδαχθησόμενος ἔρχεται, ἀλλὰ ἀθλήσων, καὶ γυμνασθησόμενος. id eft, hic autem totus ungitur. Non enim folum venit, ut doceatur; fed etiam ut certet, & exerceatur. Eamdem rationem profert S. Dionyfius capite citato. De eadem unctione explicanda funt verba Johannis Mofchi cap. 3. prati fpiritalis, αὐτὸς ἔχριε καὶ ἐβάπτιζεν. id eft, ille ungebat & baptizabat. Et infra τῇ ἐπαύριον χρίσας ἐβάπτισε τὴν Περσίαν. id eft, in craftina cum unxiffet Perfiam puellam, eam baptizavit. Et hæc puella nuda inungenda erat, ut videmus in interpretatione Latina: *quadam vero die venit puella ex Perfide, quæ ita fpeciofa erat, ac tantæ pulchritudinis, ut non poffet Presbyter nudam eam oleo ungere.* In qua fane interpres agnovit vocabulum γυμνὴν, id eft, nudam, quod ex Græca editione
B excidit. Ibi enim agitur de quodam Conone Monacho Presbytero, cui Archiepifcopus baptizandi provinciam demandaverat; qui cum gravem tentationem pateretur in feminarum unctione, fæpius de monafterio deferendo cogitaverat, ex quo tandem cum abiiffet, rediit a S. Johanne Baptifta non fine miraculo hac tentatione carnis fanatus. At fi ejufmodi feminæ erant dumtaxat ungendæ in vertice, nulla fubeffe poterat tantæ occafio tentationis, quæ potius excitanda fuiffet in ipfa merfione, quam in unctione verticis. Præterea in verbis citatis videmus unctionem præmitti baptifmo; igitur de hac totius corporis unctione, Orientalium more, intelligenda funt potius, quam de verticis unctione, quæ baptifmo poftponitur. Si autem baptizaret Epifcopus, prius ab eo Catechumenus ungebatur trino fignaculo, poftea toto corpore a facerdotibus ungendus, ut notat S. Dionyfius loco fupra citato. Tandem notan-
C dum tria in Cœna Domini fanctificari ab Epifcopo, oleum infirmorum, fanctum Chrifma, & oleum baptizandorum, feu Catechumenorum, ut planum eft ex noftris Sacramentariis. Unde in Concilio Meldenfi apud Ivonem 1. parte decret. cap. 269. *ftatuit, ut Presbyter in cœna Domini ampullas tres fecum deferat, unam ad Chrifma, alteram ad Catechumenos ungendos, tertiam ad infirmos juxta fententiam Apoftolicam; ut quando quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclefiæ.*

Nota 279. Profectuum spiritualium.

In excufis & in codice Remenfi additur *tu remuneratur.* In codice Ratoldi Abbatis his omiffis legitur, *Deus qui virtute fancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas.*

Nota 280. Refugis virtutibus.

Id eft, Apoftatis Angelis, feu dæmonibus. Si-
D quidem refuga eft Apoftata, defertor. Prudentius Ode 1. Periftephani:

Ductor aulæ mundialis
Ire ad aram jufferat,
Idolis litare nigris,
Effe Chrifti refugas.

S. Pacianus in exhortatione ad pœnitentiam: *Dei refugæ aut extra Ecclefiam conftituti*, &c. S. Auguftinus l. 20. de civitate Dei cap. 19. *quoniam nifi venerit refuga primum, & revelatus fuerit homo peccati:* & paulo poft, *nulli dubium eft eum de Antichrifto ifta dixiffe, diemque judicii. Hunc enim diem Domini non effe venturum, nifi prior ille venerit, quem refugam vocat, utique a Domino Deo. Quod fi de omnibus impiis dici poteft, quanto magis de ifto?* Ubi nota interpretem loci citati a S. Auguftino ex 2. ep. ad Theff.
E cap. 2. legiffe ἀποστάτης. id eft, refuga, defertor, non ἀποστασία. id eft *difceffio*, ut vulgo in textu Græco habetur, & in verfione communi. S. Valerius Abbas de genere monachorum: *Et Domino, cujus fideliffimos fervos perfequuntur, odiunt inimici, refugæ odibiles, & exteri fiunt.* Confule obfervationes noftras ad Concordiam regularum cap. 6. §. 7.

Nota 281. Et communicat omnis populus ordine suo.

ka

Ita in editis. Hæc populi communio hac feria v. in Cœna Domini habetur etiam in codice Ratoldi. Olim populus in triduo Paschæ communicabat, ut videre est in Capitulari Theodulphi cap. 41. *Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt, & in Cœna Domini, & parasceve, & in vigilia Paschæ.* In hoc codice S. Eligii in magna parasceve jubentur omnes communicare; in Sabbato sancto sola fit mentio communionis eorum qui baptizantur. Ibi tamen non diffinitur, an hæc communio ad solos recens baptizatos spectet.

Nota 282. ET SERVANT DE IPSO SACRIFICIO IN CRASTINUM.

Ita in excusis, & in codicibus Remensi, & Ratoldi. Quia in parasceve majoris Hebdomadis non consecratur corpus Christi: Sed sacerdos in Missa utitur præsanctificatis, id est hostiis antea consecratis tum pro se, tum pro omni populo. Quod per totam Quadragesimam observant Græci, exceptis Dominicis, Sabbatis & festo Annuntiationis, in quibus peragunt corporis & sanguinis Dominici sacrificium ex antiquo more, quem reperire est in can. 52. sextæ Synodi: *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & sancto Annuntiationis die,* γίνεσθαι τὴν τῶν προηγιασμένων ἱερὰν λειτουργίαν. id est, *fiat sacra præsanctificatorum liturgia.* Idem reperire est in can. 49. Concilii Laodiceni, in quo tamen nulla fit mentio præsanctificatorum. ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν Σαββάτῳ καὶ Κυριακῇ. id est, quod non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi in Sabbato, & Dominica. Ad quos dies transferunt solemnitates Martyrum in Quadragesima occurrentes juxta canonem 51. ejusdem Concilii. ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ μαρτύρων γενέθλια ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων μνείαν ποιεῖν ἐν τοῖς Σαββάτοις καὶ Κυριακαῖς. id est, quod non oportet in Quadragesima natalium Martyrum celebrare, sed in Sabbatis, & Dominicis diebus eorum memoriam facere. Hæc autem ita apud Græcos instituta sunt; quia Sabbatis & Dominicis diebus non jejunant, ut notat Theodorus Balsamon in hunc Canonem. Inter Liturgias Græcorum extat Liturgia προηγιασμένων. id est, Præsanctificatorum. Liturgiæ Præsanctificatorum mentio fit in Chronico Alexandrino, seu, ut alii loquuntur in fastis Siculis, Olympiade 348. anno v. post consulatum Heraclii, cum scribitur, quod sub Sergio Patriarcha Constantinopolitano a prima Hebdomada Quadragesimæ, Indictione xv. post τὸ κατευθυνθήτω. id est, *dirigatur*; dum Præsanctificata dona e sacrario ad altare inferuntur, & Sacerdos dixit κατὰ τὴν δωρεὰν τοῦ Χριστοῦ σου. id est, *juxta donum Christi tui*, cœptum est psalli a populo νῦν αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σὺν ἡμῖν ἀοράτως λατρεύουσι. Ἰδοὺ γὰρ εἰσπορεύεται ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης. Ἰδοὺ θυσία μυστικὴ τετελειωμένη δορυφορεῖται. πίστει καὶ φόβῳ προσέλθωμεν, ἵνα μέτοχοι ζωῆς αἰωνίου γενώμεθα. ἀλληλούϊα. id est, *nunc virtutes cælorum nobiscum invisibiliter Deum adorant. Ecce enim ingreditur Rex gloriæ. Ecce sacrificium mysticum offertur. Cum fide & timore accedamus, ut vitæ simus participes æternæ. Alleluia.* Hæc quidem Chronicon Alexandrinum; sed in Liturgia Præsanctificatorum est aliqua diversitas. Siquidem in illa post τὸ κατευθυνθήτω. id est, *dirigatur*, non sequuntur proxime hæc verba Sacerdotis κατὰ τὴν δωρεὰν, &c. sed multa sunt interjecta. Secundo id quod psallitur a populo in eadem Liturgia non est integrum, sed post τῆς δόξης posito Alleluia, cetera desunt. Tertio in eadem Liturgia Sacerdos assumit sancta, & in altare transfert post decantata superiora illa verba a populo, & postquam Sacerdos dixit: *sicut prodigus filius*, &c. At in citato Chronico transferuntur sacra, cum populus præfatam Odem cantat. Ex quibus clarum est in ejusmodi Liturgia nonnulla fuisse addita, detracta, & immutata a recentioribus: In cod. Ratoldi Abbatis sequitur: *Pulsantur signa, vespertinæ cantantur. Et Cantor incipit* Antiph. *Calicem.* Ps. *Credidi.* Antiph. *Cum his, qui oderant,* Ps. *Ad Dominum cum tribularer.* Antiph. *Ab hominibus iniquis* Ps. *Eripe me.* Antiph. *Custodi me a labiis.* Ps. *Domine, clamavi.* Antiph. *Considerabam.* Ps. *Voce mea.* Antiph. *De manu filiorum.* Ps. *Benedictus Dominus.* ℣. *Christus factus est pro nobis,* IN EVANGELIO. *cœnantibus autem.* Antiph. *Accepto pane.* Antiph. *Si male locutus sum.* AD COMPLENDUM: *Refecti vitalibus alimentis*, &c. DICAT EPISCOPUS: *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ET DIACONUS: *Ite missa est.* ℟. *Deo gratias.* Hactenus codex Ratoldi. Ubi nota 1. * Vespertinam Synaxim includi in ipsa missa, ut in Sabbato sancto. 2. ipsas vesperas sex Antiphonis & totidem Psalmis comprehendi quot versiculus sequitur. 3. hæc verba, *in Evangelio*, significare, *ad magnificat*. 4. ad ipsum Canticum tres dici Antiphonas.

* *Infra in Pontificali Rothomagensi.*

In eodem codice Ratoldi hæc sequuntur: *Et fiat unusquisque ad mensam. Deinde post refectionem prandii lavantur pedes. Et dum hæc aguntur, canantur hæ Antiphonæ reciprocis Psalmis.* Mandatum novum. *Ps.* Beati immaculati. *Antiph.* In diebus illis. *Ps.* Magnus Dominus. *Antiph.* Postquam surrexis Dominus. *Ps.* Deus misereatur nostri. *Antiph.* Ante diem festum. *Antiph.* Vos vocatis me. *Antiph.* Si ego Dominus & Magister. *Ps.* Beati immaculati in via. *Antiph.* Diligamus nos invicem. *Ps.* Ecce quam bonum. *Antiph.* In hoc cognoscent omnes. *Ps.* Magnus Dominus. *Hymnus de passione Domini* (quem hic ponimus cum antiquis cantus notulis.)

Tellus ac æthra jubilant

In magni cœnæ principis,

Quæ protoplasti pectora

Vitæ purgavit ferculo.

Hac nocte factor omnium,

Potenti sat mysterio,
Carnem suam cum sanguine
In escam transfert animæ.

A celsis surgens dapibus,
Præbens formam mortalibus,
Humilitatis gratia,
Petri petens vestigia.

Pallet servus obsequio.
Cum Angelorum Dominum
Ferendo lympham linteo
Cernit cœno procumbere.

Permitte, Simon, ablui,
Acta figurant mystica,

Dum

Dum fummus ima bajulat,

Cinifque fervit cineri.

Læva tortoris accubat,

Verbique favos aggerat,

Quos inter, hoftem denotat,

Necis qui dolos ruminat.

Trux lupe Juda peffime,
Fers agno miti bafia,
Dans membra loris regia,
Quæ forde tergunt fecula.

Nexi folvuntur hodie
Carnis ac cordis carcere;
Unguen facratur Chrifmatis
Spes inde crefcit miferis.

Victori mortis inclytam
Pangamus laudis gloriam
Cum Patre Sancto Spiritu
Qui nos redemit obitu.

Hac expleta, ofculetur Epifcopus Evangelium, & omnes qui circum eum ftant. Deinde dicant Dominicam orationem tacite. Finita, dicat Epifcopus, & ne nos inducas in tentationem. Ecce quam bonum. Sufcepimus Deus. Tu mandafti. Tu lavafti pedes Difcipulorum, opera manuum tuarum. Adefto, quæfumus, Domine, officiis noftræ fervitutis, qui dignatus es lavare pedes tuis Difcipulis, &c.

Porro lotionis pedum quæ in cœna Domini fervator in Ecclefia, meminit S. Eligius Serm. 8. *Sancti Chrifmatis confectio, fraterna pedum ablutio;* E & Magifter in regula cap. 43. *In cœna Domini mittant manus pro benedictione ad lavandos pedes Abbatis, & poftea omnibus præpofitis cum folatio fratrum. Incboando tamen Abbas lavet fimul & oftiariis*, &c. Idem videre eft in Concilio Toletano 17. can. 3. ubi omnibus Gallæciarum Ecclefiis hoc fanctum opus lotionis pedum in Cœna Domini peragendum præcipitur, ob quafdam Ecclefias, quæ illud intermiferant. Meminit etiam S. Auguftinus epift. 119. ad Januarium ubi fcribit: multos illo die non lavaffe pedes, ne lotio pertinere videretur ad baptifmum. Conftantinopoli olim eadem feria Imperator duodecim pauperibus folebat lavare pedes. Ritum defcribit Codinus de F Officiis, &c. in hunc modum: *πρὸ τῆς λειτουργίας τῇ πέμπτῃ μεγάλῃ γίνεται ὁ νιπτὴρ οὕτω*, &c. „ id eft, ante Liturgiam die ejufdem magnæ Hebdomadis quinto, lotio pedum fit in hunc modum: Præparantur pauperes duodecim, & induuntur eis fubuculæ, five tunicæ, brevia tibialia, & foleæ; pofitoque in cella Imperatoris polubro, Protopapa foris illius ad januam agens

A „ canit, *Benedictum*; & dicit Trifagium. Deinde legente eodem Evangelium, quando dicit: *aquam mittit in pelvim*, infundit Imperator aquam in polubrum. Poftea pauperes illos præparatos adducunt figillatim quemque ferentem cereum accenfum. Protopapa, ut dictum eft, legente Evangelium & dicente: *cœpit Jefus lavare pedes Difcipulorum*, idque perfæpe videlicet ufque dum omnes loti fuerint. Lavat Imperator dextrum cujufque pedem; & ubi findone quæ pendet ante ipfum, abfterferit lotum pedem, ofculatur eum. Et hoc facto, confummantur ea quæ ad ritum lotionis pedum pertinent. Et dantur unicuique eorum aurea numifmata tria. Poft illud, Liturgia celebratur. Hæc Codinus.

B His fubjungere non pigebit antiquum ordinem feu ritum olim in Ecclefia Rothomagenfi, feu Remenfi fervatum in feria quinta Cœnæ Domini, quem ex veteri Pontificali mf. qui affervatur in facriftia Ecclefiæ Rothomagenfis mihi tranfmifit vir doctiffimus *Johannes le Prevoft* ejufdem Ecclefiæ Rothomagenfis Canonicus, & Bibliothecarius, quia multa notatu digna continet, quæ non funt hodierni ufus.

Incipit ordo in die cœnæ Domini, feria quinta Majoris Hebdomadæ; id eft in Cœna Domini.

Mane primo Manfionarii ordinent omnia quæ C „ funt neceffaria ad confecrationem Chrifmatis, ampullas tres de oleo mundiffimo plenas ponentes in facrario: unam ad oleum pro infirmis, alteram ad Chrifma, tertiam vero ad oleum ad Catechumenos ungendos. Chrifma debet * fieri de albo ferico, alias autem de alio ferico cooperias. Et Pontifex provideat de balfamo. Hora tertia fonet fignum, ut omnes veniant in Ecclefiam, in qua Chrifma debet confecrari. Ipfo die fonentur campanæ ad Miffam & ad ceteras horas, ficut mos eft diebus feftis, & fic fileant ufque in Sabbato fancto. Presbyteri vero & ceteri Clerici induant fe veftimentis folemnibus, & Diaconi Dalmaticis, & Subdiaconi * Albis fericis: & ftent in ordine fuo D „ finguli in Ecclefia, expectantes ufque dum veniat Pontifex cum proceffione plenaria ad Miffam, ficut diebus folemnibus folet cum feptem Diaconibus, thuribulis cum incenfo.

* Leg. cooperiri.

* Itaðu ordine Romano.

„ Stans autem Pontifex & Presbyteri cum ceteris in ordine ante altare, dicunt: *Confiteor Deo omnipotenti*, &c. Interim Cantor & Schola, ut juffum fuerit, imponant introitum ad Miffam: *Nos autem*, &c. *Deus mifereatur*, &c. & iterum: *Nos autem*, &c. *Gloria Patri*. iterum: *Nos autem. Kyrie eleifon*. III. *Chrifte eleifon*. III. *Kyrie eleifon*. III. Deinde incipiat Pontifex, *Gloria in excelfis* cum Presbyteris. Dum cantatur, *Gloria in excelfis* fonat totum Claffi- E cum, donec finiat. Quo finito dicat Pontifex cum Presbyteris: *Pax vobis. Oremus. Deus a quo & Judas*, &c. Alia oratio in confecratione Chrifmatis: *Deus qui regenerandis plebibus tuis minifterio uteris Sacerdotum: tribue nobis perfeverantem in tua voluntate famulatum; ut dono gratiæ tuæ in diebus noftris & merito & numero facratus tibi populus augeatur. per. Ad Corinthios, Fratres. Convenientibus vobis*, &c. ℟. *Chrifius*, &c. ℣ *Propter quod*, &c. Ante Evangelium afcendat pulpitum folus Diaconus qui lecturus eft Evangelium cum Subdiacono, præeunte Cruce & candelabro & thuribulo: *Sequentia S. Evangelii fecundum Johannem: In illo tempore, ante diem feftum Pafchæ*, &c. Perlecto Evangelio dicat Pontifex cum Presbyteris: *Cre-* F *do in unum Deum*, &c. Tunc dicat Pontifex cum Presbyteris: *Dominus vobifcum, & cum Spiritu tuo. Oremus. Off. Dextera Domini*, &c. Presbyteri & ceteri qui voluerint: Tunc * peracto calice cum vino & aqua & oblatis, de quibus communicent Presbyteri & Diaconi & ceteri: & de quibus fervetur ufque mane die parafceve, inclinati ante altare Pontifex & Pres-

* Id eft, 'ad. ducto.

„ byteri

byteri persequuntur secreta Missæ dicentes: *In Spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur a te, Domine, & sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie, & placeat tibi, Domine Deus meus. Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, passionis,* &c. *Jesu Christi, & in honore omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie festa celebrantur: & quorum hic nomina & reliquiæ habentur, ut illis,* &c. *ad salutem: ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris. Per eumdem Dominum nostrum. Orate, fratres, pro me ad Dominum, ut meum & vestrum in conspectu ejus fiat acceptum sacrificium.* Secreta: *Ipse tibi, Domine,* &c. Alia Secreta: *Oremus. Hujus sacrificii potentia, quæsumus, ut vetustatem nostram clementer abstergat, & novitatem nobis augeat & salutem. Per. Dominus vobiscum. Sursum corda,* &c. *Quem in hac nocte inter sacras epulas increpantem,* &c. *Te igitur,* &c. *Cum famulo tuo Papa nostro. Ill. & antistite nostro Ill.* * *Memento, Domine,* &c. *tibi reddunt vota sua æterno,* &c. *Simili modo, postquam cœnatum est, benedixit, dedit discipulis,* &c. *Unde & memores, Domine, nos servi tui,* &c. *Domini Dei nostri tam beatæ,* &c. *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum Ill. Ipsis & omnibus fidelibus defunctis,* &c. *largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.*

* Et rege nostro Ill.

Tunc offeratur Pontifici oleum ad ungendos tam infirmos, quam energumenos. Et benedicat illud tam * ipsi, quam omnes Presbyteri, qui adsunt. De auctoritate Apostolica, quam habemus de oleo infirmorum. De oleo quo unguntur infirmi auctoritatem habemus Apostolicam, dicente B. Jacobo Apostolo: *Infirmatur quis in vobis; inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Unde patet ab ipsis Apostolis hunc morem sanctæ Ecclesiæ esse traditum, ut energumeni vel alii quilibet ægroti ungantur oleo, pontificali benedictione consecrato. Consecratur enim in ipso officio consecrationis corporis & sanguinis Domini. Non enim habet proprium officium, Id est, non in capite verba salutationis, hoc est Dominus vobiscum, nec, Oremus. Nec in fine concluditur, ut ceteræ orationes, per Dominum nostrum Jesum Christum, sed tantum, in in nomine Domini nostri Jesu Christi. In eo vero loco ubi solemus uvas benedicere, consecratur oleum pro infirmis, concluditurque conclusione, *per quem hæc omnia semper, Domine, bona creas,* &c. Unde intelligimus * embolim esse supradicti Officii. De eodem oleo sic continetur in Sacramentario. Antequam dicatur: *per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas,* levantur de ampullis, quas offerunt populi, & benedicat tam Dominus Papa, quam omnes Presbyteri. * Mos est Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione corporis & sanguinis Domini adsint Presbyteri & simul cum Pontifice verbis & manibus conficiant, Oportet ut simili modo simul cum Pontifice oleum Presbyteri conficiant. *Exorcismus olei pro infirmis & pro populo.* Antequam dicatur: *per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas,* exorcizetur oleum, ut tantum possit a circumstantibus audiri, ita: *Exorcizo te, immundissime Spiritus,* &c. Item benedictio ejusdem: *Oremus. Emitte, Domine,* &c. Tunc oleum reportetur, & in loco suo honorifice reservetur. Pontifex autem & Presbyteri prosequantur: *Per quem hæc omnia, Domine,* &c. *Per omnia* &c. *Libera nos,* &c. *Per omnia secula seculorum, Amen.* Tunc dicat Diaconus, *humiliate vos ad benedictionem.* Et Episcopus versus ad populum, dicat: *Benedicat vos omnipotens Deus, qui per Unigeniti Filii sui passionem,* &c. Tunc versus ad altare more solito sancta tenens, dicat: *Et pax ejus sit semper vobiscum, & cum Spiritu tuo.* Schola cantet: *Agnus Dei.*

* Forte leg. ipse.

* Id est, id quod interjicitur seu interpositio [illegible]

* Nota.

Ill. Non datur pax. Oratio, quando Sancta mittit: *Hæc sacro-sancta commixtio corporis & sanguinis D. N. J. C. fiat nobis & omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam capessendam æternam præparatio salutaris. Per eumdem C. D. N.* Oratio ad Patrem: *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc corpus & sanguinem Christi,* &c. Oratio ad Filium: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi,* &c. Tunc communicet solus Pontifex, & non frangat oblatas; nisi eam solam, unde ille communicat. De sanguine autem reservet in calice ad communionem Presbyterorum, & reliqui Cleri. Oratio quando sumit: *Perceptio corporis & sanguinis,* &c. Alia: *Quod ore sumsi, Domine, mente capiam: ut de corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, fiat mihi remedium sempiternum. Per eumdem C. D. N. Amen.* Tunc cooperiatur calix cum sanguine, & oblatæ: & Dominus Episcopus adhibeat Presbyteros & Diaconos, qui sollicite custodiant.

Tunc Dominus Episcopus vadat ad sedem suam cum Diaconibus & expectet: expectante vero in sede sua Pontifice, veniant ad sacrarium duodecim Presbyteri, & ceteri Clerici, quantum opus sit, ad deferendum cum omni decore oleum Chrismale, & etiam oleum Catechumenorum, & Neophytorum usque in Ecclesiam, ante Episcopum. Sint enim parati iidem Presbyteri, & cum eis ceteri Clerici casulis & solemnibus vestimentis. Tunc duo Acolythi accipientes duas illas ampullas, quæ ad Chrisma & ad oleum Catechumenorum consecrari debent, * & procedant; & ordinent se illi Presbyteri & prædicti Clerici, rite, & ordinaliter, ita ut primum ambulent duo Acolythi cum candelabria, & ardentibus cereis. Deinde portentur duæ cruces, & inter illas medium Chrismale oleum. Post eas portentur duo thuribula cum incenso, & inter illa medium oleum Catechumenorum. Deinde portetur Evangelium, ut impleatur omne donum. Postea sequantur bini illi duodecim Presbyteri testes & cooperatores ejusdem sacro-sancti Chrismalis mysterii: Acolythi & Subdiaconi, &c. Stent in ordine suo secundum gradum eorum, ubi ascenditur ad altare, tantum ut Diaconus sit seatus in eminentiori loco, & juxta Archidiaconum, qui Evangelium legebat: & ita involutam ampullam suscipientes per ordinem ut ascendat: & cum pervenerit ad Archidiaconum, ille perferat eam ita involutam ante Pontificem. Interim autem unus Subdiaconus deferens vasculum cum balsamo alii Diacono offerat, & ille Pontifici.

* Ita in Ordine R. ...no.

Tunc ordinentur circa Episcopum hinc & hinc eadem candelabra, & cruces & thuribula, atque Evangelium: necnon & prædicti duodecim Presbyteri testes & adjutores ejusdem mysterii: ita ut Diaconi post dorsum Episcopi stent. Presbyteri vero a dextris & a sinistris; cruces vero & cetera utrinque inter illos media.

* Id m... [illegible] Concil. ... apud Ord. ... biſ. Eccl.

Hia ita statutis, convertat se Episcopus, aut cui ille præcepit, tam ad Clerum, quam ad populum, & faciat sermonem de consecratione Chrismatis congruentem. Tunc convertat se Episcopus, & intret in consecrationem principalis Chrismatis, & misceat balsamum cum oleo. Deinde halat ter super ipsam ampullam: & dicat lenta voce exorcismum Chrismalis olei. Exorcismus sacri olei: *Exorcizo te,* &c. Tunc dicat Episcopus cum Presbyteris alta voce: *Per omnia secula,* &c. *Vere dignum,* &c. *Qui in principio inter cetera,* &c. Finita autem benedictione Dominus Episcopus salutat Chrisma nudum, & qui juxta eum sunt dicendo: *Ave sanctum Chrisma.* Et iterum per ordinem descendit, sicut ascendit, & deferatur omnibus cooperta ad salutandum. Hoc facto summo honore procuretur, usque dum altera ampulla ascendat, & iterum descendat; ut ambæ honorifice ad locum suum redeant. De eo quod ampulla quibusdam nuda, quibusdam vero coo-

perta ad salutandum defertur, dicit libellus A Romani Ordinis in consecratione, Chrismatis. Continuo duo Acolythi involutas duas ampullas cum sindone albo de serico teneant in brachio sinistro, ita ut videri possint a medio. Ampulla antequam veniat ad Episcopum ad altare, media pars ejus est cooperta, & media nuda. Ampulla cum Chrismate * quomodo significat corpus Domini sumtum de Virgine, quod antequam transiret ad altare crucis, aliquo tempore erat coopertum, aliquo nudum. Primo tempore erat coopertum, quando ita fugit in Ægyptum, quasi non esset rex regum; & quando ita portatus est in templum, quasi non esset omnipotens, & quando ita erat subditus parentibus, quasi auctor non esset parentum. In his & similibus coopertum latebat. Nudum erat postquam miracula cœpit facere, simulque prædicare, & se Deum demonstrare, ut inquit: *& Pater unum sumus*. In his & aliis nudum erat. Ampulla vero postquam benedicta fuerit, ab altari B redit, quæ a Pontifice & ministris altaris visibilis & nuda salutatur. Hoc significat, quod Christus postquam ab altari crucis exivit, præsentiam corporalem eis præbuit, quos testes suæ resurrectionis esse voluit, Quod ceteris invisibilis & cooperta ad salutandum defertur, significat quod Christus rediens in cælum, invisibilis hominibus factus est, ut ipse testatur: *Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Nos vero quamvis præsentiam ejus corporalem non videamus; tamen venerando quotidie eum salutamus.

* L. quomodo.

Incipit Exorcismus olei, quo ungendi sunt Catechumeni. Descendente autem ampulla cum Chrismate, statim alia cum oleo Catechumeno- C rum ascendat, sicut prior, usque ante Episcopum; & halet in ipsam, sicut in priorem; & in primis faciat ei exorcismum, & benedicat eam quasi legens lectionem. Exorcismus Græce, Latine conjuratio seu sermo increpationis est adversus diabolum, ut discedat; & concluditur per D. N. J. C. F. tuum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. In illo oleo unguntur Catechumeni; ut si quæ maculæ adhæserunt corpori aut menti, postquam ad scrutinium accesserunt, recedant, * deinceps munimentum habeant per hanc unctionem: ut non possit diabolus repedare; ut hæc verba orationis demonstrant dicendo: *Ut si quæ illis adversantium spirituum inhæserint maculæ, ad tactum sancti olei hujus omnes abscedant*. Exorcismus ejusdem olei: *Exorcizo te, creatura olei*, &c. Tunc dicatur: *Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo: Oremus. Deus incrementorum*, &c. Tunc Dominus Pontifex, & qui juxta eum sunt, salutent prædictam ampullam, dicendo: *Ave sanctum oleum*. Et descendat per ordinem, sicut altera, & deferatur omnibus ad salutandum.

* Al. [illegible]

His ita peractis eodem ordine, & ductore, quo ascenderunt in Ecclesiam, redeant ambæ ad sacrarium. Tunc Pontifex lavet manus, & Diaconi vadant ad altare, & discooperiant sancta, & Pontifex veniens ad altare dividat oblatas ad frangendum: & sumat de ipsis oblatas integras ad reservandum mane die parasceves; de quibus communicent absque sanguine Domini. Sanguis vero eadem die penitus consummatur. Et Schola dicat communionem: *Dominus Jesus*, &c. Fractis oblatis communicent Presbyteri & Diaconi, & ceteri omnes, & ita perficiatur Missa in ordine E suo. Tunc dicantur Vesperæ. Antiph. *Calicem*, &c. Ps. *Credidi*, Antiph. *Cum his*, &c. Ps. *Ad Dominum*. Antiph. *Ab hominibus iniquis*, &c. Ps. *Eripe me*. Antiph. *Custodi*, &c. Ps. *Domine clamavi*, Antiph. *Considerabam ad dexteram*, &c. Ps. *Voce mea*. Antiph. *Cœnantibus*, &c. Ps. *Magnificat*. Tunc vertat se Pontifex & dicat: *Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus*. Postcommunionem: *Refecti vitalibus alimentis*, &c. Alia postcommun. *Oremus. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut perceptum novi Sacramenti mysterium & corpore sentiamus & mente. Per Dominum nostrum*. &c. *Dominus vobiscum*, &c. *Diaconus; Ite Missa est. Deo gratias*. Oratio post Missam ante altare: *Placeat tibi, Domine Deus sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ: & præsta, ut hoc sacrificium, quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile; mihique, & omnibus, pro quibus oblatum est, sit, te miserante, propitiabile. Per Dominum*. Tunc Pontifex depositis Pontificalibus indumentis, descendat in sacrarium mandans Presbyteris quod voluerit. Hactenus ritus feriæ v. in Cœna Domini ex Pontificali Rothomagensi ms.

Nota 283. Feria sexta.

Describitur solemnitas sanctæ parasceves; cujus cæremoniæ eædem ferme habentur apud Alcuinum lib. de divinis Officiis cap. de feria vi.

Nota 284. Hora tertia conveniant omnes Presbyteri.

Ita in editis. Sed nihil simile habetur in aliis codicibus nostris mss.

Nota 285. In Sacramentario.

Nota distinctionem inter Sacramentarium & librum Sacramentorum. Cum enim hic codex S. Eligii inscribatur liber Sacramentorum, citetque Sacramentarium, nemo est qui non videat Sacramentarium a libro Sacramentorum distingui.

Nota 286. Ascendit ad sedem.

Pontifex dicitur ad sedem ascendere: eo quod sedes sive sella Episcopi ceteris esse debeat eminentior in Ecclesia, ut fert mos antiquus Ecclesiæ, quem videre est apud Burchardum lib. 1. cap. 30. Ex Epistola Urbani Papæ, in qua moris hujus causa profertur: *Quod autem sedes Episcoporum in Ecclesia excelsæ constitutæ, & præparatæ esse inveniuntur, in throno speculationem & potestatem judicandi, solvendi, atque ligandi a Domino sibi datam materia docent*. Ita docet S. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali cap. 6. *Nam quid aliud interpretatur Episcopus, nisi super inspector? maxime cum in solio, in Ecclesia, editiore sedeat*. Et S. Augustinus in Psalmum 126. *Nam ideo altior locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant*. Ita statuitur in Concilio Carthag. iv. cap. 35. *Ut Episcopus in Ecclesia in consessu Presbyterorum sublimior sedeat*. Id videre est apud Eusebium lib. 10. hist. Eccl. cap. 4 in descriptione magnifici illius templi, quod Tyri a Paulino Episcopo ædificatum est: ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ τὸν νεὼν ἐπιτελέσας, θρόνοις τε τοῖς ἀνωτάτω εἰς τὴν τῶν προέδρων τιμὴν, &c. id est, porro templo hoc ita absoluto D atque perfecto, thronisque quibusdam in altissimo loco ad præsidum Ecclesiæ honorem collocatis, subselliis præterea ordine ceteræ Clericorum turbæ dispensatis decenter exornato. Et apud Prudentium in passione S. Hippolyti, ubi appellatur tribunal, quemadmodum apud S. Isidorum l. 15. Origin. cap. 4

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, antistes prædicat inde Deum.

Nec obstant hæc Sulpitii Severi verba Dialogo 2. *Sicut quemdam nuper (testor Dominum) non sine meo pudore vidi sublimi solio, quasi regio tribunali, celsa sede residentem*. Nam cujusdam Episcopi fastum ibi damnat, qui hac in re modum excedebat, nec tamquam Episcopus, sed tamquam Rex in Ecclesia sedebat: ut S. Martini humilitatem extollat, qui solebat in humili sella, in templo sedere. Idem dicendum est de excelso throno quem sibi in Ecclesia statuerat Paulus Samosatensis, ob quem in epistola Episcoporum reprehenditur; nam ille thronus excedebat modestiam Episcopalem, non ut Christi discipulum decet, sed ut mundi principem secretum habens, & nominans, ut loquitur Eusebius lib. 7. hist. Eccl. cap. a 24.

Nota 287. Sicut in quarta feria habentur.

Hæc

a In edit. Henrici Valesii est cap. 30.

Hæc addidi ex editis: quia in hoc S. Eligii codice omnes istæ orationes hic repetuntur.

Nota 288. IN ORATORIO.

Ita in excusis; lege tamen *inorario*, ut apud Alcuinum. Estque oblongus tapes instar orarii, qui substernitur Crucem adoraturis, pertinens a loco, ubi Crux posita est, usque ad medium chorum circiter: quod etiam hoc tempore fieri solet in quibusdam Ecclesiis.

Nota 289. ADORATAM DEOSCULETUR CRUCEM.

Mos antiquus fuit adorare Crucem die magnæ parasceves. Idque olim fiebat Hierosolymæ, cum eadem die Episcopus Crucem Christi veram populo adorandam exhiberet, ut testatur S. Paulinus ep. 11. *Experimento resurrectionis inventa & probata Crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur, condita in loco basilicæ, quæ, auratis coruscat laquearibus, arcano positam sacrario Crucem servat: quam Episcopus urbis ejus, quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit: neque præter hunc diem, qua Crucis ipsius mysterium celebratur, ipsaque Sacramentorum causa est, quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne profertur: nisi interdum religiosissimi postulent, qui ea tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio, quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur.* Ubi hæc verba, *neque præter hunc diem, qua ipsius Crucis mysterium celebratur*, satis indicant τὸ Pascha hoc S. Paulini loco pro solemnitate sanctæ parasceves usurpari.

Nota 290. ET ALTER.

Ita in editis. Apud Alcuinum cap. citato additur τὸ *Subdiaconus*.

Nota 291. CANITUR SEMPER.

Reposui τὸ *semper*, ex editis, cum in codice nostro male scriptum esset τὸ *super*.

Nota 292. PSAL. CXVIII.

Apud Alcuinum hæc adduntur: *Item Crucem tuam adoramus*, &c. Ps. *Deus misereatur*. Alia: *dum fabricator*. At in codice Ratoldi plura habentur, quæ quia notanda, & ab hodierna consuetudine non parum dissident, non pigebit hic subjicere: *Post has orationes pergant duo Diaconi in sacrarium aut retro altare. Cantant*: Popule meus. *Presbyteri vero duo stant ante Crucem, eam salutatione respondeant*: Agios o Theos. *Item chorus*: Sanctus Deus, sanctus Fortis. *Deportetur Crux paululum in antea, & iterum cantant Diaconi*: Ego quidem eduxi te per desertum. *Presbyteri vero*, Agios o Theos. *Et chorus iterum*, Sanctus Deus, sanctus Fortis. *Item deportatur paululum*: Quid ultra debui facere. Agios. *Item*. Sanctus Deus. *Iterum tertio deportetur Crux ante altare, & discooperietur linteo, quo erat præcincta, a duobus Presbyteris: & dicant ipsi, elevata cruce, Antiph.* Ecce lignum Crucis. *Ps.* Deus misereatur. *Tunc veniens Pontifex cum duobus Diaconibus, prosternens se ter, & adorantes Crucem more solito. Post hos sequuntur sacerdotes & Levitæ. Deinde omnis Clerus, exinde omnis populus, femineusque sexus. Interim cantant has Antiphonas*: Crucem tuum adoramus, Domine. *Ps.* Beati immaculati. *Antiph.* Adoramus Crucis. *Antiph.* Dum fabricator mundi. *Hymnus Fortunati*, Pange lingua gloriosi. Hactenus codex Ratoldi. Ubi ante hæc verba, *quid ultra debui facere*, supplenda sunt ista, *& iterum cantant Diaconi*; & ante, *Agios*, subaudi, *Presbyteri vero*; & ante, *Sanctus Deus*, subaudi, *& chorus iterum*. Hæc autem verba, *prosterneat se ter*, &c. corrupta sunt, & sic legenda, *prosternent se ter adorantes Crucem*.

Nota 293. DE SANCTA.

Ita in editis. Apud Alcuinum: *sumitur de sancta pane*. Cujus verba sequentia notanda, & explicanda sunt: *Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem*. Hæc enim non ita capienda sunt, quasi vinum non consecratum per ejusmodi admixtionem transeat in sanguinem Christi, sed quod sanctificationem quamdam exteriorem ex ejusmodi commixtione percipiat. Ex quo notanda est antiqua consuetudo, quæ adhuc viget, quod nimirum Celebrans in sancta parasceve sub unica dumtaxat panis specie communicaret.

Nota 294. NIHIL DICENS.

Apud Alcuinum legitur: *silendo*; qui hæc subjungit. *Pax Domini non dicit; quia non sequuntur oscula circumstantium.*

Nota 295. ET COMMUNICANT OMNES.

Tam Clerici quam laici, ut supra ex Theodulpho probatum est. Olim in monasterio cujusdam antiqui monachorum patris, qui in sua regula Magister appellatur, & floruit non multo post S. Gregorium I. Papam, Monachi eodem sanctæ parasceves die communicabant, ut clarum est ex cap. 43. regulæ ejus in Concordia regularum cap. 56. §. 4 *Sacramenta vero altaris in patena majore vitrea finiantur: ut cum feria sexta Judæi ad passionem Christum quæsierint, sit ipse die mentibus nostris reclusus; ut Sabbato nobis per resurrectionem in novo Sacramento appareat. Jam qui sexta feria refectari sunt, sine communione reficiant: ut agnoscatur jamque sexta feria injuste refici sine Christo.* At secus olim in Hispania. Siquidem illo die nec Missarum solemnia, nec communio peragebantur: ut manifestum est ex Concilio Toletano 4. can. 6. ubi de feria sexta Passionis Dominicæ hæc statuuntur: *Ideoque oportet eodem die mysterium Crucis, quod ipse Dominus cunctis annuntiandum voluit, prædicare: atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare; ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ resurrectionis remissis iniquitatibus suscipere mereamur, corporisque ejus & sanguinis Sacramentum mundi a peccato sumamus.* Ubi vides hoc die Passionis postulandam esse criminum indulgentiam; ut Dominicæ resurrectionis die corpus & sanguis Domini sumantur. Id etiam clarum est ex Concilio Toletano 16. can. 8. *Excepto Passionis Dominicæ die, quando altaria nudata persistunt, nec cuiquam in eodem die Missarum licet solemnia celebrare.*

Ne quis autem dicat non licere quidem eo die corpus & sanguinem Christi consecrare, sed posse cum præsanctificatis celebrari, obstant hæc verba, *quando altaria nudata persistunt*. Non potest enim celebrari, etiam cum præsanctificatis, nudato altari. Si autem illo die Missa non celebratur, nec communio: quæ olim in basilicis seu Ecclesiis extra Missarum solemnia non sumebatur.

Nota 296. ET EXPLETA SUNT UNIVERSA.

In editis hæc sequuntur: *Hoc facto dicit Pontifex: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; quæ in nullis codicibus nostris mss. reperiuntur.

Nota 297. NUDA SINT ALTARIA.

Nudatio altarium olim fiebat hac VI. feria, ut videre est in regula Magistri ms. cap. 43. in Concordia Regularum cap. 56. §. 4 *in qua feria sexta altaris velamen, vel diversus Oratorii ornatus subtrahatur; simul & lucernæ, & cicendeli totum intra monasterium negetur aspectus.* Ubi particula, *vel*, sumitur copulative. Sed fuit diversa consuetudo. Nam olim etiam in quibusdam locis nudabantur in Cœna Domini, ut nunc; quemadmodum videre est in Ordine Romano de hac feria: *statim duo acolythi parati cum nigris casulis incipiant nudare altaria*. Et ex Alcuino lib. de Offic. divinis, cap. de Cœna Domini: *his finitis nudantur altaria jam circa noctem*. Quod videtur etiam can. 8 Concilii Toletani 16. ubi agens de sancta parasceve dicit: *quando altaria denudata persistunt*; nam τὸ *persistunt*, indicat eo die non fuisse denudata, sed pridie juxta morem, qui etiam confirmatur ex Concilio Toletano 17. can. 2. *Ita ut nisi in Cœna Domini celebritate, quando more solito altaria debent devestiri, eadem debeant ostia reserari.* Id etiam probatur ex lotione altarium, quæ olim fiebat eodem die simul cum lotione parietum, ac pavimenti templi, & vasorum; de quibus hic breviter agemus.

Supra in eodem capite Regulæ Magistri cum agit

de feria seata majoris Hebdomadæ, hæc habentur: *Lotio vero rerum, vel apparatus Paschalis ipso die progaretur.* Quæ intelligenda sunt de lotione altarium, parietum, & pavimentorum templi, & sacrorum vasorum purificatione quæ etsi in patria ipsius Magistri, & fortasse alibi fierent in sancta parasceve, tamen Romæ fiebant feria 5. in Cœna Domini, ut constat ex Ordine Romano, ubi agit de hujus diei solemnitate: *Eodem die altaria templi & parietes, sive pavimenta Ecclesiæ laventur, & vasa Domino sacrata purificentur.* In Gallia, ut planum est ex octava S. Eligii Noviomensis Episcopi Homilia de Cœna Domini: *Et propter humilitatis formam commendandam, eo die pedes eorum lavit: & hinc est quod eodem die altaria templique parietes lavantur & vasa purificantur.* In Hispania, ut clarum est ex S. Isidoro lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 28. cum de eadem feria scribit: *Hinc est quod eodem die altaria, templique parietes, & pavimenta lavantur, vasaque purificantur, quæ sunt Domino consecrata.*

Porro in codice Ratoldi in fine hujus solemnitatis hæc notanda sunt: *Et expleta sunt universa. Et post paulalum vesperam dicit unusquisque privatim: & sic vaduat ad mensam.* Eadem habentur in Ordine Romano, cum agitur de hac feria sexta. Quod fit hodie in quibusdam Ecclesiis, Clericis sive Monachis in ipso choro genibus flexis sub silentio privatim vesperas recitantibus.

Nota 298. SABBATO. Describitur solemnitas Sabbathi Sancti.

Nota 299. HORA OCTAVA.

Id est, secunda postmeridiana. Aliter in Concilio Rothomagensi supra citato: *Item statutum est, ut in Sabbato Paschæ Officium ante nonam non incipiatur.*

Nota 300. NOTARII.

Notarii hoc loco sunt scribæ Episcopi, qui utplurimum, assumebantur ex Lectorum collegio. Ita in Bibliotheca Photii num. 256. in Politia SS. Metrophanis & Alexandri, videmus Paulum Lectorem & Notarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui postea fuit ejusdem Ecclesiæ Patriarcha: & apud Ennodium in vita S. Epiphanii Episcopi Ticinensis. Nam ubi scripsit eum allectum fuisse in Lectorum sodalitium, paulo post subjungit: *Notarum in scribendo compendia, & figuras varias verborum multitudinem comprehendentes brevi assecutus, in Exceptorum numero dedicatus emituit.* Ubi Exceptores sunt Notarii dicti ab illis Notarum compendiis, de quorum in scribendo velocitate Martialis lib. 14.

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Et Ausonius Epigrammate 137.

Puer Notarum præpetum
Sollers minister advola,
Bipatens pugillar expedi,
Cui multa fandi copia,
Punctis peracta singulis,
Ut una vox absolvitur, &c.

S. Hieronymus epist. ad Julianum tomo primo: *Et tamen ille apposito Notario cogebat loqui, quæ velociter edita consequeretur manus & linguæ celeritatem prenderent signa verborum.* Et epist. ad Principiam tom. 3. a *quem Notarium possumus intelligere, quodam signorum compendio breviatam Evangelii strictamque sermonem enarravit.* Unde in Glossis Philoxeni: *Notarius*, σημειογράφος, id est, Notarum scriptor, qui a Synesio epist. 61. ταχυγράφος. id est, velociter scribens: & a Philostrato l. 1. de vita Apollonii cap. 13. ὁι τάχει γράφων dicitur.

Ceterum in Ordine Romano, in codicibus Rem. & Ratoldi, & in quibusdam aliis Sacramentarijs hic ante Lectiones extat benedictio cerei Paschalis, cujus præludium est: *Exultet jam Angelica turba cælorum.* quod quidem extat in Ordine Missæ Ambrosianæ, sed reliqua benedictionis formula multum ab usitata discrepat. In codicibus Rodradi & Remensi formula benedictionis in duobus a vulgari differt: primo quia diffuse satis apum laudes persequitur in hunc modum: b *Apes ceteris quæ subjecta sunt homini, animantibus antecellit; cum sit minima corporis parvitate, ingentes animos angusto versat in pectore: viribus imbecillis, sed fortis ingenio. Hæc explorata temporum vice, cum canitiem pruinosa hiberna posuerant, & glaciale senium verni temporis moderata deterserint, statim prodeundi ad laborem cura succedit, dispersæque per agros libratis paululum pennis, cruribus suspensionis insidunt, partim ore legere flosculos, partim oneratæ victualibus suis ad castra remeant: ibique aliæ inæstimabili arte cellulas tenaci glutino instruunt, aliæ liquentia mella stipant, aliæ vertunt flores in ceram, aliæ ore natos fingunt, aliæ collectis e foliis nectar includunt. O vere beata, & amabilis apes, cujus nec sexum masculi violant, fœtus non quassant, nec filii destruunt castitatem: sicut sancta concepit virgo Maria, virgo peperit, virgo permansit.* Deinde sequitur; *O vere beata nox, quæ expoliavit Ægyptios,* &c. Secundo in fine benedictionis nominatur tantum Papa, nulla mentione facta Episcopi, Regis, aut Imperatoris.

b Virgil. 4. Georg.

Hujus benedictionis cerei mentio fit in Concilio Toletano 4. cap. 8. *Lucerna & cereus in privilegiis Paschæ apud quasdam Ecclesias non benedicuntur, & cur a nobis benedicantur, inquirunt, Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum solemniter hæc benedicimus: ut sacræ resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione sancti Luminis suscipiamus.* Ita in secunda editione Garsiæ; nam in prima τὸ *Paschæ* desideratur: sed parum refert; siquidem sequentia satis indicant Canonem esse de cerei Paschalis benedictione intelligendum.

Hanc institutionem Alcuinus lib. de Officiis divinis cap. de Sabbato sancto, & Amalarius lib. de Offic. Eccl. cap. 18. Papæ Zosimo tribuunt, quibusdam reclamantibus qui illam Zosimo antiquiorem esse contendunt: quod extet apud Prudentium, qui ante Zosimum floruit, Hymnus de cereo Paschali; sed immerito: nam ille Hymnus non est de cereo Paschali, sed Hymnus vespertinus est de lumine, quod olim vespere quotidie in Ecclesia solemni quodam ritu accendebatur, ut fuse docuimus ad §. 2. cap. 24. Concordiæ regularum. Sed quidquid sit, ritus sane antiquus est, siquidem apud Ennodium Ticinensem Episcopum, qui obiit anno post Christum natum DXXI. duæ cerei Paschalis extant benedictiones eleganti sane stilo conscriptæ in opusculis miscellaneis 9. & 10. quibus tamen non præmittitur supra memorata Præfatio, c *Exultet jam Angelica turba cælorum.* In Ordine Missæ Ambrosianæ habetur etiam cerei Paschalis benedictio, sed an ab ipso sancto doctore sit composita, non mihi compertum est. Præterea notandum est in codice Ratoldi ad hæc verba, *incensi hujus*, super τὸ *hujus*, Crucem esse depictam: similiter ad hæc verba, *in honorem nominis tui consecratus*, super etiam τὸ *consecratus* quæ in codice Rodradi depicta est super τὸ *nominis*.

De Mysticis cerei Paschalis significationibus consule Alcuinum, Amalarium, Bartholomæum Gavantum, & ceteros, qui de officiis seu ritibus Ecclesiasticis scripserunt.

Sed non sunt omittendi ritus benedicendi Paschalis

cc

a In edit. nova Tomo 2. col. 684. explicat S. Doctor Psalm. 44. & ad hunc versum: *lingua mea calamus scribæ*, &c. ait: *mea autem lingua in similitudinem scribæ velocis, quem notarium possumus intelligere, quodam* &c.

b Eadem leguntur tum in nostris codd. mss. tum in Missalibus Gothico & Gallicano editis a Mabill. lib. de Liturg. Gallic.

c Legitur eadem fere in Colcoti & in duobus Theod. At in Gemet. prolixior est ab his verbis, *apis:* sive, ut legitur in ms. *apes mater eduxit;* multaque attexuntur in apum laudem. In vet. Sacram. Gallic. de cujus antiquitate consule Mabill. Musæi Italici Tom. 1. parte 2. legitur: Benedictio cerei S. Augustini Episcopi cum adhuc Diaconus esset, cecinit dicens: *Exultet*, &c. ut in editis, nonnullis tamen additis.

cerei qui extant in codicibus Remensi, & Ratoldi. In illo quidem ita habetur: *Primitus enim octava hora diei mediante procedunt ad Ecclesiam & ingrediuntur in sacrarium, & induunt se vestimentis, sicut mos est: & incipit Clerus Letaniam, & procedit sacerdos de sacrario cum ordinibus sacris: veniunt ante altare, stant inclinato capite, usque dum dicant Agnus Dei. Deinde veniens sacerdos ab oratione, vadit retro altare: accipiens de lumine quod sexta feria absconsum fuit, faciens Crucem super cereum & illuminans eum, completur his orationibus.* In hoc vero sic: *Hora sexta ingrediatur Pontifex in sacrarium cum Levitis & ministris, & induant se sacris vestibus, & ordinent se sicut in crastina die Paschæ continetur: & jubeat adquiri novum ignem cum ampulla a sole illuminatum, sive a silice excussum. Deinde faciant crucem de incenso in cereo: & scribatur annus Domini, atque A & Ω, & tunc portetur cereus ante Episcopum cum processione, cum candelabris, & thuribulis, tamen sine lumine. Et sic stipatus incedat Episcopus in medio choro, & ibi ponatur cereus. Episcopus autem finita oratione pergit ad altare, & ibi hora sessionis sedeat. Non ascendat ad sedem usque ad tempus, dum dicunt:* Gloria in excelsis Deo. *Inde Levita postulans benedictionem ab Episcopo eat ad cereum, & consecret. Processio vero dividet se, pars in dextera, & pars in sinistra. Interim Episcopus sedendo benedicat ignem & incensum, ut audiant circumstantes. Cereus vero non illuminetur, usque dum pervenerit Diaconus,* Ignis accendit. Hactenus codex Ratoldi. Hæc autem verba in codice Remensi *completur his orationibus*, intelliguntur de orationibus quibus supradictum ritum concludit Episcopus, quas sequitur cerei benedictio, *Exultet*, &c. quæ tamen ibidem non extant. Ordo processionis ad altare qui hic præcipitur in codice Ratoldi, ut in crastina Paschæ, habetur supra ad finem libri Sacramentorum. Oratio cujus est hic mentio, est prima Missæ oratio. Processio quæ debet dividi est cœtus Presbyterorum, Diaconorum & Ministrorum, qui comitati sunt eumdem Episcopum e sacrario ad altare, debentque toto Missæ tempore illi assistere. His verbis, *ut audiant*, videtur præponenda particula *ita*.

In Ordine Romano sunt alii ritus, qui etiam ab hodiernis discrepant, inter quos ille est; nam ut primum Pontifex e sacrario processit, accenditur quidam cereus in loco mundo, & Pontifex, sive Presbyter faciens super eum crucem, benedicit eum humili voce, Schola interim cantante septem Psalmos pœnitentiæ, hoc modo incipiens: Dominus vobiscum, &c. Oremus, Deus mundi conditor, auctor luminis, &c. Quæ benedictio etiam habetur in veteri libro Sacramentorum ms. cujus mihi copiam fecit vir doctissimus Johan. Aubertus litterarum Græcarum Regius interpres, & succedit vulgari cerei Paschalis benedictioni, tamquam illius altera benedictio. Quam, quia prolixior est præfata benedictione Ordinis Romani, & in quibusdam variat, hic apponere placuit:

„ Deus mundi conditor, auctor luminis, siderum fabricator, Deus, qui jacentem mundum in tenebris luce perpetua retexisti, Deus per quem ineffabili potentia omnis claritas sumsit exordium, te in tuis operibus invocantes in hac sacratissima noctis vigilia de donis tuis cereum tuæ suppliciter offerimus majestati, non adipe carnis pollutum, nec profana unctione vitiatum, non sacrilego igne contactum, sed cera, oleo, atque [a] papyro constructum, in tui nominis honore succensum obsequio religiosæ devotionis offerimus. Magnum igitur mysterium, & noctis hujus mirabile Sacramentum dignis necesse est laudibus cumulare, in quo Dominicæ resurrectionis miraculo diem sibi introductum tenebræ inveteratæ senserunt; & mora quæ olim fuerat æterna nocte damnata, inserto veri fulgoris lumine, captivam se trahi Dominicis triumphis obstupuit. At quod prævaricanti primo plasto tenebrosa præsumtione fuerat in servitute damnatum, hujus noctis miraculum splendore libertatis irradiat. Ad hujus ergo festivitatis reverentiam fervore spiritus descendentes, quantum devotio humana exigit, tibi Deo fulgore flammarum placida luminaria exhibemus, ut dum hæc fide integra persolvuntur, creaturæ tuæ etiam præconia extollantur. Flammæ lux quippe dicenda est, per quam potestas deitatis Moysi apparere dignata est. Quæ de terra servitutis populo exeunti salutifero lumine ducatum exhibuit: quæ in tribus pueris in camino sententia tyranni depositis, vitam blandimentis mollioribus reservavit. Nam ut præcedente hujus luminis gratia tenebrarum horror excluditur: ita, Domine, lucescente majestatis tuæ imperio peccatorum sarcinæ diluuntur. Cum igitur hujus substantiæ miramur exordium, apum necesse est laudemus originem. Apes vero sunt frugales in sumtibus, in procreatione castissimæ, ædificant cellulas cereo liquore fundatas, quarum humanæ peritiæ ars magistra non exæquat. Legunt pedibus flores, & nullum damnum in floribus invenitur; partus non edunt, sed ore legentes concepti fœtus reddunt examina. Sicut exemplo mirabili Christus ore paterno processit. Fœcunda est sine partu virginitas, quam utique Dominus dignatus carnalem te Matrem habere virginitatis amore constituit. Talia igitur, Domine, digna sacris altaribus tuis munera offeruntur, quibus te lætari Christiana religio non ambigit. Veniat ergo omnipotens Deus, super hunc incensum larga tuæ benedictionis infusio, & hunc nocturnum splendorem invisibilis regnator intende: ut non solum sacrificium, quod hac nocte litatum est, arcana luminis tui admixtione refulgeat: sed quocumque loco ex hujus aliquid sanctificationis fuerit mysterio deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia virtus tuæ majestatis assistat. Per Dominum.

Hactenus Cerei benedictio: circa quam notandum est primo olim papyrum, hoc est juncum seu cannam, quæ in riparum marginibus crescit, adhibitam fuisse in cereorum, lucernarum, & lampadum usum. Ennodius in benedictione prima cerei Paschalis; *papyrum ad alimenta ignium lympha transmisit*. S. Gregorius Turonensis in vitis Patrum capite 8. *Lychni ea jugiter accenduntur. Unus igitur ex his per quadraginta dies totidemque noctes, ut ipse æditui asseruit, absque ullius fomenti adjutorio perduravit splendens, in quo nec papyrus addita, nec gutta olei est stillantis adjecta*. In his verbis, *quarum humanæ peritiæ*, deesse videtur, vò *industriam*, vel, quid simile; ut legatur, *quarum industriam*. De apum industria in fingendo melle, cellulis componendis, deque earum virginitate lege S. Ambrosium lib. 5. in Hexameron cap. 21. Aristotelem, Plinium, Ælianum, Virgilium & alios. Hæc autem verba, *sed quocumque loco ex hujus aliquid sanctificationis mysterio*, &c. intelligenda sunt de particulis cerei Paschalis, quas Christiani domi asservabant, ut earum beneficio adversus tempestates, & diabolicos incursus tuti essent, ut liquet ex Ennodio Benedictione prima: *Et si quis hinc sumserit adversus flabra ventorum, adversus spiritus procellarum tua jussa faciens, sit illi singulare profugium; sit murus ab hoste fidelibus*. Et benedictione secunda: *Tu resurrectionis tuæ tempore, quo vernat anni reviviscentis infantia, sumtam ex hoc contra procellas, & omnes incursus fac dimicare particulam*. Quam vim habebant agni cerei, qui olim in Sabbato sancto loco cerei Paschalis Romæ ab Archidiacono benedicebantur. Siquidem olim in Romana Ecclesia cereus Paschalis non benedicebatur: sed mane primo Sabbati sancti, Archidiaconus ingrediebatur Ecclesiam, ceramque in mundo vase liquefactam cum oleo miscebat, eamque benedicens in agnorum similitudinem efformabat: quos in octava Paschæ post communionem fidelibus distribuebat: qui eos pro quacumque necessitate in

a De papyro ad lucernas adhibita, consule notam B. in cap. 5. libri primi Dialog.

fuis ædibus ad fumigandum incendebant, ut docent Ordo Romanus in ordine de Sabbato fancto, Alcuinus, Amalarius capitibus citatis. Sed hic ritus tantum incœpit, cum defiit Romæ benedicendi cerei Pafchalis confuetudo: quæ videtur effe inftaurata a Theodoro Papa; quod forte anfam præbuit nonnullis dicendi eum fuiffe hujus ritus auctorem, quod quam falfum fit, benedictiones fupra ex Ennodio, qui multis annis ante hunc Papam vixit, prolatæ convincunt. Aut fi mavis dicere a Zozimo quidem inftitutum fuiffe, ut cereus Pafchalis benediceretur per parochias, ut teftatur Pontificale Damafi: at vero decretum fuiffe a Papa Theodoro ut infra Romanam civitatem feu Romæ benediceretur.

Nota 301. IN AMBONEM.

Græcis proprie ἄμβωνες λέγονται ὀρεινοὶ καὶ ὑψηλοὶ τόποι. id eft, ambones dicuntur montani, & excelfi loci. Et ἄμβων προσανάβασις, καὶ ὑπεροχὴ καὶ ὄρους λόφος. id eft, ambon, afcenfus, excellentia, & montis vertex, inquit auctor veteris etymologici: & Hefychio ἄμβωνες· αἱ προσαναβάσεις τῶν ὀρῶν. id eft, afcenfus montium; inde translatum nomen eft ad fignificandum Ecclefiæ pulpitum five fuggeftum, qui eft locus in Ecclefia excelfus, de quo Lectores divinas Scripturas legebant, & Pfaltæ canebant. Concilium Laodicenum can. 15. πλὴν τῶν κανονικῶν ψαλτῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, id eft, exceptis canonicis Pfaltis in ambonem afcendentibus. Sozomenus lib. 9. hift. Eccl. cap. 2. εἰκάζω αὐτὴν κεῖσθαι περὶ τὸν ἄμβωνα, βῆμα δὲ τοῦτο τῶν ἀναγνωστῶν. id eft, conjicio eam jacere circa ambonem, quod eft fuggeftum Lectorum. Cedrenus in Leone Bafilii filio: *Jamque et ingreffuro, & facris foribus fuccedenti*, ἄνθρωπός τις ἀναπηδήσας τοῦ ἄμβωνος, &c. id eft, homo quidam ex ambone profiliens, craffo & valido fufte ictum in caput ingerit: eoque ictu Imperatorem necaffet, nifi inter feriendum fufte in fufpenfum impacto candelabrum violentiam ictus nonnihil remififfet. Ubi vides ambonem effe locum editum & fublimem in Ecclefia. Latini pulpitum appellant. Gloffæ mff. Bibliothecæ Corbeienfis: *Ambo, pulpitum*. Id videre eft in epift. 34. S. Cypriani: *Hunc ad nos, fratres dilectiffimi, cum tanta Domini dignatione venientem teftimonio & miraculo ejus ipfius, qui fe perfecutus fuerat, illuftrem, quid aliud, quam fuper pulpitum, id eft fuper tribunal Ecclefiæ oportebat imponi, ut loci altioris dignitate fubnixus, & plebi univerfæ pro honoris fui claritate confpicuus, legat præcepta & Evangelium Domini, quæ fortiter, & fideliter fequitur.*

Nota 302. LECTIO ISAIÆ PROPHETÆ. HÆC
a HEREDITAS. [a] Hæc defiderantur in excufis.

Nota 303. VENIT.

Hoc verbum deeft in excufis: quod tamen non adeo neceffarium eft.

Nota 304. LITANIAM SEPTENAM.

Litania feptena eft, quæ fit a feptem choris,
b [b] ut videre eft apud S. Gregorium cap. 2. Regefti lib. 11. *Proinde, fratres cariffimi, contrito corde, & correctis operibus, craftina die, primo diluculo ad feptiformem litaniam juxta diftributionem inferius defignatam devota mente cum lacrymis veniamus*. Poftea enumerat feptem choros hujus Litaniæ, primam Clericorum, fecundam virorum, &c.

Nota 305. ET ILLA DUO CEREOSTATA.

Antiquus mos fuit Ecclefiæ, ut cerei ardentes præferantur Epifcopis. Theodoretus lib. 5. hift. Eccl. cap. 34. agens de reditu S. Johannis Chryfoftomi: ἅπαντες γὰρ ὑπήντων τὰς ἐκ κηροῦ λαμπάδας ἅψαντες. id eft, omnes enim cum cereis accenfis ei obviam fiunt. Et geftator lampadis ante Pontificem dicitur: λαμπαδάριος. Vide Lexicon Græco-Barbarum Johannis Meurfii.

Nota 306. ET STANS BENEDICIT FONTES.

Vetus Ecclefiæ eft confuetudo, ut aqua eorum qui baptizandi funt, folemni ritu ab Epifcopo benedicatur. S. Dionyfius lib. de Eccl. Hierar. cap. 2. οὗ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας. id eft, cujus aquam poftquam fanctis invocationibus fanctificavit. S. Bafilius lib. de Spiritu fancto ad Amphilochium cap. 27. εὐλογοῦμεν δὲ τό τε ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος. id eft, benedicimus aquam baptifmatis: & recenfet inter traditiones Apoftolicas. * Imo lib. 1. de Sacramentis cap. 5.
S. Ambrofius * lib. de iis qui initiantur cap. 5. *Quare prior Chriftus defcendit, poftea Spiritus fanctus? cum forma baptifmatis, & ufus hoc habeat, ut ante fons confecretur, & tunc defcendat qui baptizandus eft. Nam ubi primum ingreditur facerdos, exorcifmum facit, fecundo fuper [c] creationem aquæ, invocationem, poftea & precem defert, ut fanctificetur fons, & adfit præfentia Trinitatis æternæ.* c
S. Cyprianus epift. 70. ad Januarium: *Oportet ergo mundari & fanctificari aquam prius a facerdote, ut poffit baptifmo fuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* S. Cyrillus Hierofolymitanus Catech. 3. οὕτως ἐπικληθὲν τὸ λιτὸν ὕδωρ Πνεύματος ἁγίου, καὶ Χριστοῦ πρὸς τὴν ἐπίκλησιν λαβὸν δύναμιν, ἁγιότητος ἐπικτᾶται. id eft: fic aqua nuda ad invocationem Spiritus fancti & Chrifti virtutem accipiens, fanctitatem confequitur. S. Gregorius Nyffenus Oratione in baptifmum Chrifti: ἀντάκουε τοίνυν καὶ παρ' ἡμῶν πῶς ὕδωρ εὐλογούμενον καθαίρει καὶ φωτίζει τὸν ἄνθρωπον. id eft, contra igitur audi nos quomodo aqua benedicta purgat, & illuminat hominem. Victor Uticenfis lib. 2. de perfecutione Vandalica: *Et illa hora, qua benedicet fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, contingat oculos tuos & aperientur, & videbis lumen.* Et paulo poft: *Attendens quoque Eugenius inverecundam credulitatem, ut quia jam tempus urgebat, pergit cum eo comitante officio Clericorum ad fontem: ubi, fixis genibus cum ingenti gemitu pulfans fingultibus cælum, crifpantem benedixit alveum fontis.*

Porro aquæ benedictæ inftitutionem ad Alexandrum primum, nonnulli referunt; conftitutiones L. 8. c. 28.
Apoftolicæ, ad S. Matthæum Apoftolum. Et antiquus mos eft ftatuere in Ecclefiæ veftibulo vas aqua benedicta plenum ad populi ingredientis purificationem, ut videre eft apud Synefium epift. 121. ὡς ἔστι γε τὸ δημόσιον ξίφος οὐχ ἧττον, ἢ τὰ ἐν τοῖς προτεμενίσμασι χέρνιβα, τῆς πόλεως καθάρσιον. id eft, fiquidem publicus gladius non minus, quam luftralis aqua, quæ in templorum veftibulis, civitatis eft piaculum; ubi χέρνιβον proprie eft vas aquæ luftralis, quod hic fumitur metonymice pro ipfa aqua luftrali, alias χερνιβόξεστον. id eft, malluvium politum. χέρνιβον autem dicitur a χέρνιψ quod barytonum aquam luftralem fignificat apud Etnicos; cujus conficiendæ rationem & ufum ita defcribit Athenæus lib. 9. ἔστι δὲ ὕδωρ εἰς ὃ ἀπέβαπτον δαλὸν ἐκ τοῦ βωμοῦ λαμβάνοντες, ἐφ' οὗ τὴν θυσίαν ἐπετέλουν, καὶ τούτῳ περιρραίνοντες τοὺς παρόντας ἥγνιζον. Id eft, aqua in qua mergebant titionem ex ara raptum, in qua facrificium perfecerant, illaque adfiftentes afpergentes purificabant. Quod etiam clarum eft ex Euripide, in Hercule furente, Actu IV.

Μέλλων δὲ δαλὸν χειρὶ δεξιᾷ φέρειν,
Εἰς χέρνιβ' ὡς βάψειεν Ἀλκμήνης τόκος.

Id eft, cumque jam torrem laturus effet dextera, ut in aquam luftralem filium Alcmenæ mergeret: & ex Ariftophane in Pace: φέρε δαὶ τὸ δαδίον, τὸ δ' ἐμβάψω λαβών. id eft, affer torrem, illumque cum accepero, immergam. Meminit Sophocles in Oedipode Tyranno.

—— μήτε χέρνιβας νέμειν.

Neque luftralis aquæ participem effe, & Æfchylus in Eumenibus.

Ποία

[a] Leguntur in mf. Calenf.

[b] Hæc S. Gregorii oratio nunc habetur ad calcem tom. 2. poft Homilias in Evang.

[c] Hoc eft, *fuper creaturam aquæ*; fic enim in his benedictionibus & exorcifmis legitur: *Benedico te creatura aquæ. Exorcifo te creatura aquæ.* In noviffima quoque editione locus hic ita nunc legitur: *Exorcifmum facit fecundum* (hoc eft prope) *creaturam aquæ; invocationem poftea* &c. Vide notam in hunc locum.

Ποῖα δὲ χέρνιψ φρατόρων προσδέξεται;

Id est, qualis sodalium aqua lustralis suscipiet? χέρνιψ vero oxytonum malluvium significat apud eumdem Athenæum lib. citato. χέρνιψ etiam barytonum est τὸ κατὰ χειρὸς ὕδωρ. id est, aqua ad manus, ut notat ex Homero Julius Pollus lib. 2. Onomast. cap. 2.

Nota 307. CUJUS SPIRITUS SUPER AQUAS.

Ita S. Ambrosius lib. de iis, qui mysteriis initiantur cap. 3.

Nota 308. CONCIPERET. In editis legitur, *reciperet*, male.

Nota 309. QUI NOCENTIS MUNDI CRIMINA. B

Ita Ambrosius capite citato, & lib. 2. de Sacramentis cap. 1.

Nota 310. GENTIBUS INNOVANDIS.

Ita Lucianus, sive quis alius antiquior in Philopatri agens de baptismo: δι' ὕδατος ἡμᾶς ἀνεκαίνισεν. id est, per aquam nos innovavit.

Nota 311. IN MODUM CRUCIS.

Antiqua est Ecclesiæ consuetudo, ut aqua baptismalis per signum crucis benedicatur, ut constat ex Sermone S. Augustini 181. de tempore: *Hoc enim signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis.* Et tractatu 118. in Johan. *Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur*, &c.

Nota 312. SUBRIPIAT. Id est, subrepat a. C

Nota 313. IN MUNDI CREATIONE.

Hæc verba non extant in editis, nec in Ord. Romano.

Nota CUJUS SPIRITUS SUPER TE FEREBATUR.

Optatus Milevitanus lib. 7. contra Parmenianum. *O aqua, quæ dulcis a Deo creata es, super quam ante ipsius naturam mundi sanctus Spiritus ferebatur.*

Nota 315. QUI TE DE PARADISO MANARE, Hæc non habentur in editis.

Nota 316. QUI TE IN DESERTO AMARAM.

Optatus libro citato: *O aqua quæ sub Moysa, ut naturalem amaritudinem perderes, indulcata ligno, tot populorum pectora suavissimis haustibus satiasti.* S. D Ambrosius lib. de his, qui mysteriis initiantur cap. 31 & lib. 1. de Sacramentis cap. 4. & S. Gregorius Nyssenus Orat. de non differendo baptismo.

Nota 317. HIC MITTANTUR DUO CEREI INTUS IN BAPTISTERIO.

Hoc loco baptisterium est aqua baptismatis; nam in Ordine Romano dicitur: *Hic deponitur benedictus cereus in fontem*: & in cod. Rem. *Hic deponunt cereos in fontes.* Alias baptisterium est quoddam ædificium juxta Ecclesiam, in quo olim fideles baptizabantur, de quo infra.

Nota 318. SUFFLAT TRIBUS VICIBUS IN AQUAM.

Hanc sufflationem videre est in tractatu Severi E Alexandrini Patriarchæ de ritibus baptismi, per quam designatur adventus Spiritus sancti in aquas, quemadmodum Christus Johannis 20. dans suis Discipulis Spiritum sanctum insufflavit. Hic autem ritus in cod. Rem. sequitur hæc verba: *Plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti.* In cod. Ratoldi ista: *tu benignus aspiras.* In cod. Rodradi ista: *purificatis mentibus efficaces.*

Nota 319. FUNDITUR CHRISMA IN FONTE.

In fontem baptismalem infundi Chrisma mos est antiquus, ut constat ex S. Dionysio mox citando, S. Gregorio Turonensi lib. 1. de gloria Martyr. c. 24. *Tunc cum exorcismo sanctificatum, conspersum desuper Chrisma omnis populus cum devotione haurit.* Et lib. 1. hist. cap. 31. F *Baptisterium componitur, balsama diffunduntur.* Hincmaro in vita S. Remigii: *De quo Chrimate fundit venerandus Pontifex in fontem sacratum.* Porro in loco citato S. Gregorii Turonensis ex lib. 1. de miraculis discimus, populum haurire aquam benedictam, jam

A Chrismate sacro perfusam, quod postea tamen prohibitum est, ut palam est ex lib. 6. Capitul. Caroli & Ludovici Imperatorum tit. 77. *Quod in Sabbato sancto Paschæ vel in Sabbato Pentecostes, si qui velint aquam consecratam ad aspersionem ad domus suas recipere, ante Chrismatis infusionem accipiant.*

Nota 320 IN MODUM CRUCIS.

Chrisma infunditur in aquam baptismalem in modum crucis ex more antiquo, quem videre est apud Dionysium magnum cap. 2. & 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, ὅθεν ὡς οἶμαι ἐν τῇ καθαρτικῇ βαπτίσεως τὸ μύρον ἐν σταυροειδέσι βολαῖς ἐπιχέων ὁ ἱεράρχης. id est, unde, ut opinor, unguentum in expiatorium baptisterium immissionibus in formam crucis expressis fundens Pontifex: idque faciunt Græci & Orientales tribus vicibus, ut constat ex eodem Dionysio cap. 2. Eccl. Hierarchiæ: καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τρισὶ τὰ παναγιωτάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας αὐτό. id est, cujus aquas postquam sacris invocationibus sanctificavit, illasque tribus sacratissimi unguenti infusionibus perfecit. Idem apparet ex Euchologio Græcorum, in sequentia sancti Baptismi. ποιεῖ σταυροὺς τρεῖς μετὰ τοῦ ἐλαίου ἐν τῷ ὕδατι. id est, tres facit cum oleo cruces in aqua, ubi oleum sumitur pro unguento vel Chrismate. Ita enim aliquando a Patribus usurpatur, ut infra apparebit ex locis Prudentii & S. Augustini citandis. Idem ritus videtur in libro Severi Patriarchæ Alexandrini de C ritibus baptismi. Idem etiam facere consueverunt Æthiopes, ut ex ordine baptismi Ecclesiæ Æthiopicæ clarum est.

Nota 321. QUIS VOCARIS?

Ex hac interrogatione palam est, olim nomina non in ipso baptismo, sed ante illum fuisse infantibus, seu pueris imposita. Siquidem cum baptismus celebraretur tantum in diebus Paschæ & Pentecostes, & in multos annos sæpe rejiceretur, non est credibile tunc infantes nomine caruisse; nisi forsan id asserendum velimus de infantibus illis, qui octavo, vel ante octavum natalis sui diem baptizabantur, de quibus nobis infra dicendum erit. Credibile est enim tunc illis in ipso D baptismate nomina imposita fuisse. Quare cum videamus apud Gregorium Turonensem lib. 2. hist. infantes Ingomerem & Clodomerem filios Clodovæi Regis, & lib. 10. Clotharium secundum filium Chilperici Regis, in ipso baptismate nomina accepisse, id contigisse certum est, quia extra prædicta tempora, non multo post natalium suorum dies sacris tincti sunt aquis.

Olim apud Romanos nono ab ipso natali die maribus, & octavo fœminis nomina imponebantur, iique dies a lustrandis pueris Lustrici appellabantur. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 16. *Est etiam Nundina Romanorum Dea a nono die nascentium nuncupata, qui lustricus dicitur. Est autem lustricus dies, quo infantes lustrantur, & nomen* E *accipiunt; sed is maribus nonus, octavus est fœminis.* Festus: *Lustrici dies infantium appellantur: puellarum octavus, puerorum nonus; quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* Græci decimo die nomina infantibus imponebant, ut testatur Hesychius: δεκάτην θύομεν. τῇ δεκάτῃ ἡμέρᾳ τὰ ὀνόματα τοῖς βρέφεσιν ἐτίθεσαν. ὁ δὲ Ἀριστοτέλης τῇ ἑβδόμῃ φησί. id est, decima sacrificamus. Decima die nomina imponebant. Aristoteles autem dicit septima. Quod fiebat observatis quibusdam superstitionibus, quæ a quibusdam circa focum gyris ἀμφιδρόμια appellabantur, ut notant Hesychius, Harpocration, Suidas, & auctor veteris etymologici. Veteres Franci infantibus nono die nomen imponebant, ut colligere est ex lege Salica tit. 26. §. 5. *Si quis infan-* F *tem in ventre matris suæ, aut natum, antequam nomen habeat, infra novem noctes occiderit.* Itaque puto antiquos Christianos in imponendis nominibus sua consuetudine usos fuisse, posita omni superstitione paganica. Hodie Græci nomina infantibus imponunt octavo natalis eorum die, ipsis

ab

a In aliis S. Gregorii operibus, ut a mss. cod. repræsentantur, nihil frequentius occurrit quam, *surripere*, pro *subrepere*.

ab obftetricibus ante fores Ecclefiæ allatis, & a Presbytero fignatis in fronte, ore, & pectore, ut videre eft in eorum Euchologio.

Quidam nobis opponunt canonem 30. primi Nicæni Concilii, eorum videlicet, qui ex Arabica lingua converfi funt, in quo oppofitum noftræ fententiæ ftatuitur. Sed cum hic canon & hujus fimiles fint dubiæ fidei, nec vulgo recepti, noftram fententiam minime labefactare poffunt. Objiciunt etiam locum Dionyfii Alexandrini apud Eufebium lib. 7. hift. Ecclefiafticæ cap. 2. ubi fcribit infantes a parentibus accipere nomina Petri vel Pauli, vel Johannis; fed fruftra. nam eo loci nulla fit baptifmi mentio. Nec valet id quod producunt ex S. Dionyfio cap. 2. lib. de Eccl. Hierar. ubi dicit in baptifmo nomen dari. Sed numquam ita S. Dionyfius fcripfit, fed ifta. *καὶ τούτου ἱερέως ἐκ τῆς ἀπογραφῆς αὐτὸν καὶ τὸν ἀνάδοχον ἀνακηρύξαντος*. id eft, cum Sacerdos quidam e fcripto illum & fufceptorem proclamaverit; ad quæ verba optime S. Maximus fcribit: *σημείωσαι καὶ περὶ τῆς ἀπογραφῆς τοῦ βαπτιζομένου, καὶ τοῦ ἀναδόχου*. id eft, nota defcriptionem baptizati, & fufceptoris. Siquidem olim Competentes, id eft Catechumeni illi, qui diu fatis inter Audientes converfati baptifmum petebant, dies aliquot ante baptifmum nomina fua referenda in matriculam dabant. Id planum eft ex S. Auguftino lib. de cura pro mortuis habenda cap. 12. *Pafcha jam appropinquabat, dedit nomen inter alios Competentes*. Et lib. de fide & operibus cap. 6. *Hoc fit multo diligentius & inftantius iis diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum baptifmu nomina jam dederunt*. S. Cyrillo Hierof. in præfatione *ὀνοματογραφία ὑμῖν γέγονε*. id eft, jam nominum infcriptio facta eft. S. Gregorio Nyffeno Oratione de iis qui baptifmum differunt: *δότε μοι τὰ ὀνόματα, ἵνα ἐγὼ αὐτὰ ταῖς αἰσθηταῖς ἐγχαράξω βίβλοις, καὶ γράψω τῷ μέλανι, Θεὸς δὲ ἀφθάρτοις πλαξὶν ἐνσημαίνεται*. id eft, date mihi nomina, ut ego ea in fenfibilibus fcribam libris; Deus vero in tabulis figuet incorruptibilibus. Ita ftatuit Concil. Carthag. 4. can. 85. *Baptizandi nomen fuum dent*.

Scribebantur etiam nomina infantium, ut liquet ex codice Remenfi: *Ut autem venerint ad Ecclefiam, fcribuntur nomina infantium ab Acolytho; & vocantur in Ecclefia per nomina fua, ficut fcripti funt*, &c. & in codice Ratoldi: *Ut autem venerint ad Ecclefiam, fcribuntur nomina infantium ab Acolytho, & vocantur ante oftium Ecclefiæ per nomina, ficut fcripti funt*. Idem videre eft in epiftola Jeffe Ambianenfis Epifcopi de baptifmo: *Tertia Hebdomada in quadragefima, fecunda feria, hora tertia veniant ad Ecclefiam, & antequam in Ecclefiam introeant, fcribantur nomina infantium, & eorum, qui eos fufcepturi funt ab Acolytho: & tunc vocantur ipfi infantes ab Acolytho infra Ecclefiam*, &c. Ex his patet infantes ante baptifmum nomina olim habuiffe, ac proinde in ipfo baptifmo non accepiffe. Quare cum idem Jeffe infra in eadem epiftola dicit: *Ibi etiam nominatur infans ficut Johannes in Apocalypfi*. Hæc infantis nominatio nihil aliud eft, quam nominis prius impofiti repetitio, quæ certe non ubique vigebat: nam in codicibus Ratoldi, & Remenfi, in quibus baptifmi cæremoniæ enucleate defcribuntur, nihil fimile repereris. 2. Locus videtur intelligi de mutatione nominis, & novi impofitione, ut videntur innuere hæc verba: *Sicut Johannes in Apocalypfi*. Et olim fi quando nomen mutandum effet, mutabatur in baptifmo, ut de Eudocia Theodofii junioris conjuge refert Theophanes lib. 14. ad annum 1177. *Quam cum Imperator ducturus effet uxorem, Chriftianam Atticus fecit Epifcopus; & in baptifmate, cum prius vocaretur Athenais, Eudociæ nomen impofuit*.

Nota 322. Credis in Deum Patrem, &c.

Hæc & fimiles interrogationes funt juxta prifcum Ecclefiæ morem, quem tangit Dionyfius Alexandrinus epift. ad Xiftum Papam apud Eufebium lib. 7. hift. Eccl. cap. 8. agens de quodam, qui ab hæreticis baptizatus, & in Ecclefia receptus, *καὶ τῶν ἐπερωτήσεων, καὶ ἀποκρίσεων ἐπακηκοώς*. id eft, cum interrogationes & refponfiones audiffet, voluit iterum baptizari: & S. Cyrillus teftatur Catech. 2. myftag. *καὶ ἠρωτᾶτο ἕκαστος, εἰ πιστεύει εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρός*, &c. id eft, & interrogatus eft unufquifque, fi credit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus fancti, & confeffi eftis falutarem confeffionem & ter merfi eftis. S. Cyprianus epift. 70. *Sed & ipfa interrogatio quæ fit in baptifmo, teftis eft veritatis. Nam cum dicimus, credis in vitam æternam, & remiffionem peccatorum per Ecclefiam*, &c. & epift. 75. *Baptizaret quoque multos ufitata & legitima verba interrogationis ufurpans, ut nihil difcrepare ab Ecclefiaftica regula videretur .... maxime cui nec Symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima, & Ecclefiaftica deefuit*. Optatus Milevitanus lib. 5. adverfus Parmenianum: *Quoque enim interrogante qui credidit, Deo credidit: & poft unum illius Credo, tu exigis alterum Credo*. Ita loquitur: quia cum Donatiftæ refugas iterum baptizarent, eos ante baptifmum rurfus de Symbolo interrogabant, & ab eis alterum Credo exigebant, cum antea illud in Ecclefia Catholica refpondiffent. S. Ambrofius lib. 4. de Sacramentis cap. 7. infra citandus. S. Hieronymus Dialogo adverfus Luciferianos: *Præterea cum folemne fit, & in Lavacro poft Trinitatis confeffionem interrogare, credis fanctam Ecclefiam? credis remiffionem peccatorum?* S. Auguftinus l. 5. contra Donatiftas cap. 20. *Et ubique cum baptizatur etiam de fancta Ecclefia interrogatur*: lib. de anima & ejus origine cap. 10. *Et ideo cum baptizatur etiam de fancta Ecclefia, interrogatur*: lib. de anima & ejus origine cap. 10. *Et ideo cum baptizantur, etiam Symbolum reddunt, & ipfi pro fe ad interrogata refpondent*:

Si vero parvuli rationis ufum nondum adepti baptizarentur, pro illis fufceptores interrogati refpondebant. S. Auguftinus epift. 23. ad Bonifacium: *Interrogamus eos a quibus offeruntur, & dicimus, credit in Deum; de illa ætate, quæ utrum fit Deus, ignorat, refpondent, credit*. Tertullianus lib. de baptifmo, etfi morem vellicare videatur: *Itaque pro cujufque perfonæ conditione, ac difpofitione, etiam ætate cunctatio baptifmi utilis, præcipue tamen circa parvulos. Quid enim neceffe fponfores etiam periculo ingeri? quia & ipfi per mortalitatem deftituere promiffiones fuas poffunt, & proventu malæ indolis falli*. Auctor de dogmatibus Ecclefiæ inter opera S. Auguftini. *Si vero parvuli funt, vel hebetes, qui doctrinam non fapiunt, refpondeant pro illis, qui eos offerunt juxta morem baptizandi*.

Nota 323. Et ego baptizo te, &c.

Ita in editis, in Ordine Romano, cod. Ratoldi, & apud Pamelium. Particula *&*, additur propter emphafim: quæ defideratur in cod. Remenfi, ut fequens pronomen *ego*. Hic autem & in editis eft unica merfio. At in aliis codicibus noftris mff. Remenfi, & Ratoldi; in Ordine Romano tum editis, tum mf. Bibliothecæ Corbeienfis. & apud Pamelium, quemadmodum & apud Alcuinum lib. de divinis Officiis cap. de Sabbato fancto, Theodulphum Aurelianenfem cap. 13. libri de Ordine baptifmi, & Jeffe Ambianenfem Epifcopum epiftola fupra citata, eft a trina immerfio juxta prifcum Ecclefiæ morem, quem videre eft in can. 50. Apoftolorum, & apud antiquos Patres S. Dionyfium lib. de Hierarchia Eccl. cap. 2. Tertullianum lib. de corona militis, cap. 3. qui ritum refert inter veteres Ecclefiæ traditiones: *dein ter mergitamur, amplius aliquid refpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit*. S. Cyrillum Hierofolymitanum Catech. 2. myftag. *καὶ κατεδύετε τρίτον εἰς ὕδωρ, καὶ πάλιν ἀνεδύετε*. id eft, ter merfi eftis in aqua, & rurfus emerfiftis. S. Gregorium Nyffenum oratione catechetica, cap. 35. *ἡ δὲ εἰς ὕδωρ κάθοδος, καὶ τὸ τρὶς ἐν αὐτῷ γενέ-*

a Ita quoque in cod. Gemet. et Theod. In cod. Reg. Sueciæ nulla aut unicæ aut trinæ merfionis fit mentio. Mf. Colenfis cum editis convenit.

καταδὺς τὸν ἄνθρωπον ἐμπεριέχει μυούμενον. id est, descensus vero in aquam; & quod ter in eam sit homo demissus, habet mysterium. S. Basilium lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 27. qui hunc ritum inter traditiones Apostolicas recenset: τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον πόθεν; id est, jam ter immergi hominem unde? Et apud S. Leonem epist. 4. qui cum SS. Cyrillo & Gregorio Nysseno supra citatis scribit hac triduana immersione & ab aquis elevatione significari triduanam Christi sepulturam, & post triduum resurrectionem. Alia est etiam hujus ritus ratio, nempe Trinitatis personarum memoria, ut vult S. Gregorius Papa epist. 41. [a] lib. 1. Regesti. Unde Eunomium, quod sanctam Trinitatem non crederet, unicam immersionem invexisse ferunt.

Aliis tamen placet unicæ hujus mersionis auctores fuisse Theophronium Cappadocem & Eutychium prius Eunomii Sectatores, ut videre est apud Sozomenum lib. 6. hist. Eccles. cap. 26. Et Eunomianos unica mersione baptizatos jubet iterum baptizari Concil. Constantinopolitanum primum can. 7. quia falsa baptismi forma utebantur, quam videre est apud S. Epiphanium lib. 3. hæresi 56. Quare prædicti Concilii decretum non involvit Catholicos, qui recte de Trinitate sentientes, & recta baptismi forma utentes, unica mersione baptizati sunt. Quam in Hispanis Catholicis probavit S. Gregorius Papa epist. supra citata ad S. Leandrum: quamvis huic unicæ mersioni multum adversetur Alcuinus. Siquidem ille epist. 69. ad Lugdunenses, damnat Hispanos, quod unica dumtaxat mersione in baptismo uterentur. Et epist. seq. & 81. in eamdem unicam mersionem invehitur: & quia se urgeri videt epistola S. Gregorii, illam in dubium revocat. Sic enim ait epist. 10. *Epistolam vero quam a B. Gregorio de simpla mersione dicunt esse conscriptam, in epistolari suo libro, qui de Roma nobis allatus est, non invenimus: alias vero omnes perspeximus in eo libro, quem ad occidentalium partium Ecclesias, Pontifices, vel reges scripserat; ideo dubii sumus an illius sit, an ab aliquo hujus sectæ auctore sub illius nomine scripta sit.* Hæc ille; sed immerito. Nam hujus epistolæ stilus idem est cum aliis S. Gregorii epistolis. Et quamvis exemplar epistolarum S. Gregorii Romā ipsi Alcuino allatum hanc epistolam non habuerit, id efficere non potest ut de ea dubitemus. Nam Johannes Diaconus auctor vitæ S. Gregorii, qui Romæ hanc vitam scripsit tempore Caroli Calvi; ac proinde non adeo remotus ab Alcuini ætate, cap. 53. vitæ ejusdem, hanc eamdem epistolam agnoscit tamquam verum & germanum S. Gregorii fœtum: qui sane cum Romæ scriberet hanc vitam, non habebat exemplar ab Hispania avectum. Sed & Concilium Tolet. IV. can. 5. cui præfuit S. Isidorus Hispalensis Episcopus frater S. Leandri, cui missa fuit hæc epistola, idem testatur: *Beatæ ergo memoriæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui non solum partes Italiæ illustravit, sed et longe existentes Ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante sanctissimo Leandro Episcopo de hac Hispaniæ diversitate, quid potius esset sequendum, inter cetera rescribens sic ait: de trina vero mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quam ipsi sentitis*, &c.

Porro in trina mersione semel dumtaxat forma proferebatur: & Alcuinus epist. 81. redarguit eos, qui ter eam repetebant: sed ad singulas mersiones singulæ personæ nominabantur, ut patet ex codice Ratoldi Abbatis: *Deinde baptizat sacerdos sub trina mersione tantum sanctam Trinitatem semel invocans, et dicens: et ego baptizo te in nomine Patris (et mergat semel) et Filii (et mergat iterum) et Spiritus sancti. (mergat tertio.)* Ita etiam habetur in veteri Ordine ms. Biblioth. Corb. His astipulantur Ordo Romanus & Alcuinus lib. de divinis Officiis cap. de Sabbato sancto. Nec abhorret Euchologium Græcorum in sequentia sancti

A baptismatis: βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, ἀμήν. καὶ τοῦ Υἱοῦ, ἀμήν. καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἀμήν. Νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Ἐκάστῃ προσρήσει κατάγων, αὐτὸν, καὶ ἀνάγων. id est, baptizatur servus Dei *Ille* in nomine Patris. Amen. & Filii, Amen. & Spiritus sancti, Amen. Nunc & semper, & in secula seculorum, Amen; ad singulas appellationes, personarum videlicet, demergens eum & attollens. Hunc ritum clare satis videmus apud Tertullianum lib. adversus Praxeam: *Et novissime mandans ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non in unum, nam nec semel, sed ter ad singula nomina in singulas personas tinguimur*. Tamen fuit aliquando usitatum apud Græcos, ut ter ipsa forma repeteretur, quod videtur apud Cedrenum in compen-B dio historiæ sub M. Antonino, ἐκ τρίτου ἐπιχέων ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, τρίτον λέγων, βαπτίζεται Θεόδωρος, &c. id est, ter infundit super caput ter dicens, baptizatur Theodorus, &c. Apud S. Ambrosium lib. 4. de Sacramentis cap. 17. his mersionibus interponuntur interrogationes in hunc modum: *Interrogatus es, credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti, credo: mersisti. Interrogatus es, credis in Dominum nostrum Jesum Christum, & in Crucem ejus: dixisti, credo: & mersisti*, &c. *Tertio & interrogatus es, credis & in Spiritum sanctum? dixisti, credo: tertio mersisti.* Hæc ille; qui quamvis nullam formæ mentionem facit, eam tamen satis innuit lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. *Quomodo igitur non omnia habet, quæ Dei sunt, qui cum Patre & Filio a sacerdotibus in baptismo nominatur.*

C An vero hæc vocabula, *ego baptizo te*, spectent ad necessitatem formæ hujus Sacramenti, an invocatio sola personarum sanctissimæ Trinitatis ad validitatem hujus Sacramenti sufficiat, dicendo tantum, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, disputat Stephanus Tornacensis epist. 5. Cum enim quidam vir diœcesis Claromontanæ inopia Sacerdotis filium suum *undasset* (ut ipse loquitur (eumque immergendo his verbis omissis, *ego baptizo te*, dixisset tantum, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, hæc resciens Petrus Claromontanus Episcopus consuluit venerabilem Mauricium Parisiorum Episcopum; qui ut respondit, nullum esse ejusmodi baptismum, non contentus Petrus scripsit Stephano Tornacensi Episcopo, qui rescripsit ejusmodi formam esse sufficien-D tem, & ejusmodi verba, *ego baptizo te*, non spectare ad essentiam formæ baptismalis; ac proinde ejusmodi baptisma validum fuisse; hocque nervis omnibus probare nititur. Hæc tamen opinio Theologorum Scholæ adversatur.

Græci nominationi trium personarum sanctissimæ Triadis præmittunt hæc verba, βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ. id est. baptizatur servus Dei, & nomen illius qui baptizatur, ut citatum est ex eorum Euchologio supra citato, formaque est indicativa, ut liquet etiam [b] ex Severo Johan. Moscho cap. 176. Prati spiritalis: βαπτίζεται Θεόδωρος εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, id est, baptizatur Theodorus in nomine Patris, &c. Theodoro Lectore Ecloga 2. βαπτίζεται Βάρβας εἰς ὄνομα τοῦ Πατρὸς, &c. id est, baptizatur Barbas in nomine Patris, &c. E Cedreno loco supra citato, βαπτίζεται Θεόδωρος &c. & sub Anastasio Imperatore: βαπτίζεται Βάρβαρος, lege, Βάρβας.

Ex quibus locis nota consensum priscorum, & recentiorum Græcorum in hac forma baptismi indicativa. Unde miror, cur quidam Scholastici scripserint Græcos proferre solitos, *baptizetur*. Nota præterea ex locis citatis priscos Græcos non protulisse hæc vocabula in forma baptismi, ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ. id est, servus Dei, sed a recentioribus addita fuisse.

Notandus est etiam error Cedreni, cum historiam Theodori Judæi, qui primo arena baptizatus est, deinde aqua, ad tempus Marci Antonini Imperatoris refert, cum multis post annis contigerit.

a Nunc est 43.
b Forte legendum *Evereto* quo cognomine Johannes Moschus apud Græcos notus.

gerit. Nam Johannes Moschus qui eamdem historiam cap. citato refert, vixit circa annum Domini sexcentesimum, scribitque Patrem quemdam Andream huic baptismati interfuisse, & cum eo aliquando collocutum fuisse. Tandem observandum Græcos ad cujusque personæ S. Triadis appellationem respondere, Amen. Idque ex antiquo more, quem videre est apud Johannem Moschum cap. citato: ἡμῶν ἐπακουόντων τὸ ἀμὴν καθ' ἕκαστον ὄνομα τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τῆς προσκυνητῆς Τριάδος· id est, nobis respondentibus *Amen*, per singula nomina sanctæ & consubstantialis adorandæ Trinitatis. Ita etiam habetur in tractatu Severi Alexandrini Patriarchæ.

Nota 324. QUI FACIAT SIGNUM CRUCIS DE CHRISMATE CUM POLLICA IN VERTICE.

Ita in codicibus Remensi, Rodradi, & Ratoldi: & apud Pamelium. Fuitque vetus consuetudo, ut baptizati statim Chrismate in vertice ungerentur. Id testatur Jesse Ambianensis Episcopus in epist. ad Sacerdotes de baptismo: *Baptizato autem facit Presbyter signum Crucis de Chrismate in vertice*; & infra, *tunc Chrismate caput perungitur*. Theodulphus Episcopus Aurelianensis lib. ms. de ordine baptismi cap. 15. *Baptizatorum itaque capita Chrismate liniantur;* * *& in regno & Sacerdotio Ecclesiæ delibati, & Christiani nominis prærogativam accipiant, & ejus membra, qui eos redemit, & eorum caput est, effici valeant*. Id etiam liquet ex Fortunato lib. 5. carm. 4. ubi agit de Judæis a S. Avito Episcopo Arvernæ baptizatis:

P Leg. at.

Vincet Ambrosios suavi spiramine odores,
Vertice perfuso Chrismatis efflat odor.

S. Ambrosio lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Accepis autem mysterium, hoc est unguentum supra caput: quia sensus sapientis in capite ejus, Salomon ait*. Hac de re agunt S. Isidorus lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 25. & 26. S. Innocentius in epist. ad Decentium Episcopum, & alii nonnulli.

Nota 325. DEUS OMNIPOTENS PATER, &c.

Hæc eadem in unctione formula, saltem juxta sensum, extat apud S. Ambrosium lib. 2. de Sacramentis cap. 7. *Ergo mersisti, venisti ad sacerdotem, quid tibi dixit? Deus*, inquit, *Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam*.

Nota 326. CUM LINTEIS IN MANIBUS.

Ad involvendos baptizatos, ut primum e fonte pedem extulerint, juxta antiquam consuetudinem. Nudi enim e lavacro surgentes a susceptore linteo involvebantur, ut clarum est ex Victore Uticensi lib. 3. hist. Vandalicæ persecut. *Qui cum, Elpidoforo sedente & frementi, honorabilis senior cœpisset extendi, prisquam exureretur, clam furto nescientibus cunctis, illa quibus eum suscipiens de fonte dudum tenerat sabana bajulabat; quibus ventilatis, simulque in ostensione cunctorum extensis. in his verbis totam ad fletum & lacrymas commovisse dicitur civitatem. Hæc sunt linteamina, Elpidofore, minister erroris, qui te accusabunt, dum Majestas venerit, custodiente diligentia mea, ad testimonium tuæ perditionis ad demergendum te in abysso putei. Hæc te immaculatum cinxerunt de fonte surgentem*. Et Epist. 6. Pauli Papæ ad Pipinum regem: *sabanum videlicet in quo nostra dulcissima atque amantissima spiritalis filia sacratissimo lavacro abluta suscepta est*. Sabanum autem est lineum. Glossæ veteres mss. Bibliothecæ Corbeiensis: *Sabanum linteum villosum*. De hoc vocabulo consule observationes nostras ad Concordiam regularum cap. 41. §. 11.

Nota 327. UT CUM VESTITI FUERINT.

Albis videlicet. Nam educti e fonte baptismali induebantur albis vestimentis in signum candoris & puritatis mentis, de quibus agunt Dionysius magnus cap. 2. Eccl. Hierar. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. S. Ambrosius lib. de his qui mysteriis initiantur cap. 7. S. Paulinus epist. 12. ad Severum:

Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos,
Infantes niveos corpore, corde, habitu.

Fortunatus lib. 3. carm. 7. de Saxonibus a Felice Episcopo baptizatis:

Fulgentes animas vestis quoque candida signat;
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

Et lib. 5. carm. 4. de Judæis baptizatis ab Avito Arvernæ Episcopo:

Lacteus hinc vesti color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies.

Johannes Moschus cap. 207. οἱ οὖν γείτονες ἰδόντες αὐτὴν λευχειμονοῦσαν, εἶπον αὐτῇ· τίς σε ἐβάπτισεν, id est, vicini videntes eam albatam, dixerunt ei: quis te baptizavit? S. Gregorius Turonensis lib. 2. hist. cap. 29. *In ipsis sicut regeneratus fuerat, albis obiit*. Jobius lib. 3. de Verbo incarnato cap. 18. διὰ τοῦτο φωτιζόμενοι ἑπτὰ ἡμέρας λευχειμονοῦσι. id est, propterea ii qui baptizantur, septem dies candidas gerunt vestes. Et infra eodem capite: τὸ μέντοι λευχειμονεῖν τοὺς βαπτιζομένους τῆς Ἀγγελικῆς ἐστι σύμβολον λαμπρότητος, τὸ καθαρὸν ἐκείνοις τοῦ νοῦ καὶ ἀμιγὲς τῆς ὕλης καὶ τῶν παθῶν ἐπισημαίνουσα. id est, quod baptizati candidis vestibus utantur, signum est candoris Angelici, significantis eam, quæ in illis inest, puritatem mentis, & separationem a materia & passionibus. Theodulphus lib. ms. de ordine baptismi cap. 14. *Et nos albis post baptismum induimur vestibus, ut munditiem teneamus in opere, quam accepimus in regeneratione; servantes & nostram innovationem, & Angelici splendoris decorem*. Jesse Ambianensis epist. citata: *Tunc albis induitur vestimentis propter gaudium regenerationis, castitatem vitæ, & Angelici splendoris decorem*.

In Biblioth. Photii n. 222.

Nota citatorum auctorum rationes. Idem videre est apud Socratem lib. 7. hist. Eccl. cap. 17. in quo agitur de baptismo cujusdam Judæi: ἐνδῦσα δὲ αὐτῷ λαμπρὰν ἐσθῆτα. id est, cum emisset ei vestem candidam. Et in Chronico Alexandrino de S. Gelasino martyre, qui in Theatro per risum baptizatus, ad Christum conversus est: βαπτισθεὶς, καὶ ἀνελθὼν ἐκ βαπτιστηρίου φορέσας ἱμάτια λευκά. id est, baptizatus, & egressus e labro alba veste indutus, noluit deinceps mimum agere, dicens: Christianus sum.

Nota 328. QUI ETIAM PROHIBENTUR LACTARI ANTE SACRAM COMMUNIONEM.

Ita in excusis. Aliter præcipitur in cod. Remensi: *Illud tamen providentes, ut post quam baptizati fuerint, nec ablactentur, antequam communicent*. Quemadmodum in cod. Ratoldi: *Illud autem providendum est baptizatis, ut nullus cibum accipiat, nec ablactetur atque communicet, nisi post missas*. Non puto tamen pueros & infantes communicasse jejunos, cum officium Sabbati magni in his Sacramentorum libris incipiat tantum hora octava, id est secunda post meridiem: sed alicubi observatum fuisse, ut post susceptum baptismum nullum sumerent cibum vel lac ante Eucharistiæ sumtionem, reverentiæ causa. Olim autem Eucharistiæ Sacramentum cum ipso baptismo sumebatur, ut planum est ex S. Ambrosio libro de iis qui mysteriis initiantur cap. 8. S. Justino martyre Apologia 2. pro Christianis; cum scribit diebus Dominicis celebrato baptismo divina mysteria Corporis & Sanguinis confici, & adsistentes communicare; & Origene homil. 4. in cap. 43. Josue: *Si vero ad mysticum baptismi veneris fontem, & consistente sacerdotali & levitico ordine initiatus fueris venerandis illis magnificisque sacramentis, quæ norunt illi quibus nosse fas est, tunc etiam sacerdotum ministeriis, Jordane digresso, terram promissionis intrabis*.

Nec soli adulti, sed etiam ipsi infantes simul cum baptismo sumebant Eucharistiæ Sacramentum. Id testantur codices S. Eligii, Ratoldi, & Remensis. S. Dionysius cap. 7. de cælesti Hierarchia:

chia: ποιεῖ ἱδυοῖδε τῷ παιδὶ τῆς ἱερᾶς ἀναβάσεως ἱεραρχεῖ, &c. id eſt, *Porro pontifex puerum conſortem facit ſacrorum myſteriorum, ut in eis educetur, neque agat vitam aliam, quam eam, quæ divina ſemper ſpectet.* Ibi autem loquitur de puero, qui careat uſu rationis, nam paulo ante agit de illius ſuſceptore, qui ſpondere pro illo debeat, & ad ſingulas abrenuntiationes & interrogationes reſpondere. S. Paulinus epiſt. 12. ad Severum:

Inde parens ſacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveo corpore, corde, habitu.
Circumdanſque rudes ſacris altaribus agnos,
Cruda ſalutiferis imbuit ora cibis.

S. Auguſtinus epiſt. 102. ad Vitalem Pelagianum: *Unde & ipſi, ſicut dixi, ſi in illa parva ætate moriuntur, utique ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt, id eſt tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora geſtantium crediderunt, vel non crediderunt: quando baptizati, vel non baptizati: quando carnem Chriſti manducaverunt, vel non manducaverunt: quando & ſanguinem biberunt, vel non biberunt.* Auctor libri de Eccl. dogmatibus inter opera S. Auguſtini cap. 52. *Si vero parvuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt juxta morem baptizandi: & ſic manus impoſitione Chriſmate communiti, Euchariſtiæ myſteriis admittantur.* Jeſſe Ambianenſis epiſtola toties citata: *Noviſſime autem corpore, & ſanguine Chriſti confirmatur infans ut ejus poſſit eſſe membrum, qui pro eo paſſus eſt, & reſurrexit, ipſo Domino atteſtante, qui dixit: qui manducat meam carnem, in me manet.*

Nota 329. MAJORES VERO PEDEM PONUNT SUPER PEDEM PATRINI SUI.

Hujus ritus viſuntur adhuc quædam antiquæ imagines,

Nota 330. PATRINI SUI.

Patrini ſunt qui offerunt baptizandos, eoſque baptizatos de ſacro fonte ſuſcipiunt: Gallice *parreins*. Concilium ſextum Arelatenſe can. 9. *Et patrini eos, quos de lavacri fonte ſuſcipiunt*, &c. Capitulum Herardi Turonenſis Archiepiſcopi cap. 27. *ut patres & patrini filios ſuos & filiolos erudiant.* Qui & dicti ſunt ſuſceptores. Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus epiſt. citata: *Et ſignet ipſos infantes in frontibus eorum ſuſceptores viri vel feminæ, id eſt patrini, vel matrinæ.* Dicuntur & ſponſores. Tertullianus lib. de baptiſmo: *Quid enim neceſſe ſponſores etiam periculo ingeri.* S. Dionyſius cap. 2. & 7. Eccl. Hierar. appellat ἀναδόχους, id eſt ſuſceptores.

Nota 331. LEVATA MANU SUPER CAPITA OMNIUM.

Ita in excuſis. In Ordine Romano: *Elevata & impoſita manu ſuper capita omnium.* In codice Tiliano: *Elevata & compoſita manu ſuper capita omnium.* Apud Alcuinum cap. de Sabbato ſancto, *dat Pontifex ſuper eos orationem, impoſita ſcilicet manu ſuper capita eorum*, &c. In Pontificali Romano: *tunc extenſis verſus confirmandos manibus dicit.* Quæ verba ſunt prætermiſſa in Cæremoniali Epiſcoporum auctore Andrea Piſcara Caſtaldo lib. 2. ſect. 15. Sic enim *Tunc depoſita mitra ſurgit, & converſus ad confirmandos, junctis manibus ante pectus, dicit: Spiritus ſancti gratia*, &c. *Deinde ſignans ſe a fronte ad pectus, dicit verſ. Adjutorium, ſubdens poſtea verſus & orationem: Omnipotens*, &c. Quod miror, nam ad hanc impoſitionem ſeu extenſionem manuum per orationem Pontificis Spiritus ſanctus advocatus & invitatus accipitur, ut clarum erit ex auctoribus citandis: Tertulliano lib. de baptiſmo; *dehinc manus imponitur per benedictionem advocans Spiritum ſanctum*; & lib. de reſurrectione carnis: *caro manus impoſitione adumbratur; ut & anima Spiritu illuminetur.* S. Cypriano epiſt. 72. *eo quod parum ſit eis manus imponere ad accipiendum Spiritum ſanctum, niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum*; & epiſt. 73. ad Jubaianum: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſignentur.* S. Auguſtino lib. 15. de Trinitate cap. 26. *Neque aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant, quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* Quæ ſane verba notanda ſunt, & mirum in modum illuſtrant hunc veterum Sacramentariorum, Ordinis, & Pontificalis Romani locum, in quo clare videmus manus imponi & invocari Spiritum ſanctum a Pontifice, dicendo orationem ſubjectam: *Omnipotens ſempiterne Deus*, &c Unde præclare S. Iſidorus lib. 2. de Officiis divinis cap. 26. ſcribit: *Spiritum autem ſanctum accipere poſſumus, dare autem non poſſumus, ſed ut detur, Deum invocamus.* Id palam eſt ex cap. Act. 8. *Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu: Tunc imponebant manus ſuper illos & accipiebant Spiritum ſanctum.* Theodulphus tamen & multi alii dicunt Spiritum ſanctum dari a Pontifice: ſed id facit non ut cauſa principalis, ſed ut inſtrumentalis.

Nota 332. OMNIPOTENS SEMPITERNE DEUS, &c.

Habetur in Ordine & Pontificali Romano, in quibus ad ſingulas combinationes donorum Spiritus ſancti, interponitur, *Amen*. In cod. Rodradi præfigitur hic titulus: *Oratio ad infantes conſignandos.* Apud Amalarium Fortunatum lib. 1. de Officiis Eccl. cap. 27. hæc oratio incipit tantum a verbo, *emitte*. Illam videtur innuere S. Ambroſius lib. 2. de Sacramentis cap. 3. cum ait: *Sequitur ſpiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi. Quia poſt fontem ſupereſt ut perfectio fiat, quando ad invocationem ſacerdotis infunditur Spiritus ſapientiæ & intellectus; Spiritus conſilii atque virtutis; Spiritus cognitionis atque pietatis; Spiritus ſancti timoris.*

Nota 333. PONTIFEX TINCTO POLLICE IN CHRISMATE, &c.

Ita apud Alcuinum cap. de Sabbato ſancto, & in excuſis Sacramentariis. Unctionis Chriſmatis mentio fit apud S. Dionyſium cap. 2. & 4. Eccl. Hierar. S. Cyrillum Hieroſolymitanum Catech. 3. myſtag: quemdam anonymum in Sermone de Chriſmate inter opera S. Cypriani, Tertullianum lib. de baptiſmo, & de reſurrectione carnis, S. Auguſtinum lib. 15. de Trinitate cap. 26. & aliis locis infra citandis, Concilium Hiſpalenſe can. 7. infra citando, auctorem lib. de dogmatibus Eccleſiaſticis inter opera S. Auguſtini, Innocentium Papam epiſt. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, S. Iſidorum lib. 2. de divinis Officiis cap. 26. Jeſſe Ambianenſem Epiſcopum: *conſignet eum Epiſcopus in fronte de Chriſmate.* Theodulphum Epiſcopum Aurelianenſem lib. citati cap. 17. *nam Presbyteris ſive abſentibus, ſive præſentibus Epiſcopis baptizare, & baptizatos Chriſmate ungere licet; ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; nec tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum ſanctum.* S. Gregorium Papam lib. 3. Regeſti cap. 26. [a] S. Gregorium Turonenſem lib. 2. hiſt. cap. 3. & multos alios.

Vides ergo hic duplicem hujus Sacramenti ritum, primum manus impoſitionem, alterum unctionem Chriſmatis in fronte, qui comprehendit ſignationem, quia ungendo imprimitur ſignum crucis. Hos duos actus diſtinguit Alcuinus lib. de Officiis Eccleſiaſticis cap. de Sabbato ſancto toties citato, conformiter Ordini, & Pontificali Romano, & noſtris Sacramentariis: *Et poſtquam induti* fue-

a Nunc lib. 4. Ep. 26.

fuerint, dat Pontifex ſuper eos orationem, impoſita ſcilicet manu ſuper capita eorum cum invocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti. Oremus. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare. Hac finita facit crucem de Chriſmate cum pollice in frontibus eorum, dicens.* Guillelmus Pariſienſis lib. de Sacramentis: *præmiſſa enim oratione ſuper confirmandos pingitur ſignum crucis de Chriſmate in frontibus eorum: & impoſitis manibus ſuper capita eorum dicitur eis: Pax tecum. Siquidem ad impoſitionem manuum Apoſtolorum ſolebat dari Spiritus ſanctus, & datur modo ad impoſitionem manuum Epiſcoporum.* Concilium Hiſpalenſe II. can. 7. *Nec licet eis* (Preſbyteris) *per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi paracletum Spiritum tradere: nec Chriſma conficere, nec baptizatorum frontes ſignare.* S. Cyprianus epiſtol. 73. ad Jubaianum: *quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſignentur.* Tertullianus lib. de reſurrectione carnis: *ſcilicet caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.* Ubi & diverſos effectus unctioni, & manuum impoſitioni attribuit. Ex illo etiam textu obſervandum aliquando manus impoſitionem fuiſſe unctioni poſtpoſitam, quod videtur etiam in loco ſupra ex Guillelmo Pariſienſi citato.

Hæc autem Chriſmatis unctio fuit tempore Apoſtolorum, quemadmodum & manus impoſitio, quamvis Jacobus de Vitriaco cap. 37. hiſt. occidentalis contrarium aſſeruerit: *Hoc Sacramentum partim inſtitutum eſt ab Apoſtolis, quantum ad manus impoſitionem, partim ab Eccleſia, quantum ad unctionem Chriſmatis, quod non legimus Apoſtolos feciſſe.* Contrarium enim apparet ex S. Paciano antiquiſſimo ſcriptore. Siquidem ille epiſtola 1. ſcribit ad Epiſcopos ligandi & ſolvendi auctoritatem fluxiſſe ab Apoſtolis, ſicut baptiſmatis & Chriſmatis. *Hoc ergo* (inquit) *ſuperædificavimus, quod Apoſtolorum doctrina fundavit. Denique & Epiſcopi Apoſtoli nominantur: ſicut de Epaphrodito Paulus edſſerit: fratrem & commilitonem* (inquit) *meum, veſtrum autem Apoſtolum. Si ergo & lavacri & Chriſmatis poteſtas majorum & longe chariſmatum ad epiſcopos inde deſcendit, & ligandi quoque adfuit, atque ſolvendi.* Et paulo poſt: *Ergo nec Chriſma, nec baptiſma, nec criminum remiſſio, nec innovatio corporis ſanctæ poteſtati ejus indulta eſt: quia nihil proprio uſurpatione mandatum eſt, totumque, ut ex Apoſtolico jure, defluxit.* * Immo & praxim fuiſſe oſtenditur tempore Apoſtolorum, ut notum eſt ex hiſtoria, quam ex Clemente Alexandrino refert Euſebius lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 17. ubi de quodam Epiſcopo, qui baptizaverat quemdam juvenem ſibi a S. Johanne Apoſtolo commendatum, ſcribit: ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσει τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου. id eſt, ubi ſignaculo Domini tamquam perfecta animi cuſtodia ſignaſſet. Quod non poteſt aliter intelligi, quam de Chriſmatione, quæ eo quod fiat in modum crucis in ipſa fronte, ut poſtea dicetur, recte ſignaculum Domini appellatur: quemadmodum & in Ecloga vitæ S. Athanaſii in Bibliotheca Photii num. 258. τούτους ἐπιχρίσας ὡς τῇ ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐτελείωσεν. id eſt, qui cum eos unxiſſet, Chriſti ſignaculo conſummavit. Agitur enim ibi de pueris illis a puero Athanaſio baptizatis, quibus poſtea S. Alexander Pontifex Confirmationis Sacramentum contulit. Unde & dicuntur ſignari Chriſtiani apud S. Athanaſium epiſt. 1. ad Serapionem. εἰ δὲ κτίσματα ἐν τούτῳ χρίεται καὶ σφραγίζεται. id eſt, ſi creaturæ in illo (Spiritu ſancto) unguntur & ſignantur. Et apud Tertullianum lib. de reſurrectione carnis: *Caro ſignatur, ut & anima muniatur:* & lib. de præſcriptionibus hæreticorum; ubi probat diabolum ſimium eſſe divinorum myſteriorum: *& ſi adhuc memini, mithra ſignat illic in frontibus milites ſuos,* quod etiam ſatis indicat τὸ φυλακτήριον. id eſt, cuſtodia: ſignatio enim illa eſt robur & cuſtodia animæ; unde recte Tertullianus ſubjunxit: *ut & anima muniatur.* Et merito Clemens adjunxit epitheton τέλειον, id eſt perfectum, quia hujus unctionis & ſignationis eſt perficere & conſummare baptizatos: quocirca a S. Dionyſio dicitur τελεωτικὴ χρῖσις. cap. 4. Eccl. Hierar. id eſt conſummans & perfectiva unctio. Et in citata Ecloga vitæ S. Athanaſii dicitur, ἐπιχρίσας ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐτελείωσεν. id eſt, Chriſti ſignaculo conſummavit.

Accedit auctoritas S. Auguſtini, qui hunc chriſmationis ſive ſignationis ritum appellat Sacramentum; ergo ab Apoſtolis manavit, quia a Chriſto inſtitutum eſt. Siquidem ita nos docet lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. *Et in hoc unguento Sacramentum Chriſmatis interpretari vultis, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt ſicut ipſe baptiſmus.* & in Pſalmum 141. *Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam, ſicut noſtis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus, quædam fronte per ſignum crucis.*

Nota 334. FACIT CRUCEM IN FRONTE.

Unctio Chriſmatis fit in fronte in modum crucis ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine. S. Auguſtinus in Pſalmum 141. *inſultet illi Crucifixo; videam ego in frontibus regum crucem Crucifixi;* & paulo poſt: *multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus, quædam, ſicut noſtis, ore,* &c. S. Gregorius Papa lib. 3. Regeſti cap. 26.[a] Bachiarius epiſt. ad Januarium: *reſtruatur porta in Anatboth, quæ interpretatur reſpondens ſignum, quod ſuſpicamur eſſe frontis patibulum, ubi ſignum ſalutis noſtræ, & Dominicæ ſanctitatis accipimus; quod eſt aurea lamina ubi pontifex nomen Domini ſcriptum mandatur accipere tetragrammaton. Vis ſcire quia non incongrue portam Anatboth, quæ interpretatur reſpondens ſignum, pro patibulo frontis accipimus? Jungit Propheta huic portæ unguentariorum loca, quæ per tropologias nominum ab aliis virtutibus dicuntur eſſe reſtructa. Unguentariorum autem loca quæ ſunt, niſi illa quæ Chriſmatis ſanctificatione tanguntur?* Victor Uticenſis lib. 2. de perſecutione Vandalica: *Et frontem, in qua Chriſtus vexillum ſuæ fecerat crucis, rugatam deſcendentes atque rugientes oſtenderent aervi.* S. Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. cap. 3. *Igitur rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus baptizatus eſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, delibutuſque ſacro Chriſmate cum ſignaculo crucis Chriſti.* Prudentius in Pſychomachia:

Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Unguentum regale datum eſt, & Chriſma perenne.

In Cathemerino, hymno qui inſcribitur pro omni hora:

Dic trophæum Paſſionis,

Dic triumphalem Crucem,

Pange vexillum notatis

Quod refulget frontibus,

Et in Apotheoſi:

Ipſe quoque exanimis poſito diademate princeps
Pallet, & aſtantes circumſpicit; ecquis alumnus
Chriſmatis inſcripto ſignaret tempora ſigno,
Qui Zoroaſtræos turbaſſet frontis ſuſurros.

Agit

a Nunc lib. 4. Ep. 26.

Agit de Juliano apoſtata, qui cum ſacris magicis operam daret, ob præſentiam cujuſdam juvenis ſacerdotis baptizati turbati dæmones, nullo dato reſponſo, aufugerunt. Jeſſe Ambianenſis epiſtola ſupra citata: *Poſt hæc confirmet eum Epiſcopus de Chriſmate in fronte.* Hinc capiendus eſt Tertullianus lib. de præſcriptionibus hæreticorum: *tingit & ipſe quoſdam utique credentes & fideles ſuos, expoſitionem delictorum de lavacro repromittit: & ſi adhuc memini, mithra ſignat illic in frontibus milites ſuos.* Et hic quidem ritus Latinorum.

At Græci olim non ſolum frontem ungebant, ſed etiam aures, nares, & pectus, ut docet S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. myſtag. *καὶ πρῶτον ἐχρίσθητε ἐπὶ τὸ μέτωπον, ἵνα ἀπαλλαγῆτε τῆς αἰσχύνης, ἣν ὁ πρῶτος παραβάτης ἄνθρωπος πανταχοῦ περιέφερε,* &c. id eſt, *Et primo ungimini in fronte; ut amoveatur a vobis pudor, quem primus transgreſſor homo circumferebat: ſimulque ut poſſitis amoto velo a fronte gloriam Domini inſpicere. Deinde vero aures unguntur, ut aures ad divina myſteria percipiatis; de quibus Iſaias dixit: & addidit mihi Dominus ad audiendum: & Dominus in Evangelio, qui habet aures audiendi, audiat. Poſtea in naribus, ut divinum percipientes unguentum dicatis: Chriſti bonus odor ſumus, & in eis qui ſalvantur. Tum vero in pectore, ut induti thoracem juſtitiæ, fortes adverſus inſultus diaboli conſiſtatis.*

Cap. 6. Matth. 1. 2. Cor. 2.

In libro Severi Patriarchæ Alexandrini de baptiſmate ſignantur & unguntur Chriſmate omnia eorum membra, frons vero tribus vicibus. Apud Æthiopes vero omnia fere eorum membra unguntur, frons, oculi, nares, & labia; aures, dorſum, & granum pectoris, ſeu os ſtomachi; tibiæ, & ulnæ; genua, & omnes juncturæ; ſola pedum & ſpina, ut clarum eſt ex Ordine myſteriorum, quod vocant. Hodie apud Græcos unguntur frons, oculi, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes; ut videre eſt in eorum Euchologio. Et hæc de unctione, ſeu ſignatione.

Tandem notandum eſt in hoc noſtro codice S. Eligii nulla extare verba, ſeu formam, quæ inter ungendum proferantur, quemadmodum [a] nec in editis, nec in vetuſto Pontificali mſ. quod aſſervatur in Eccleſia Rothomagenſi, putaturque eſſe Anglicanum. Olim tamen invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis adhibitam fuiſſe videmus apud Alcuinum lib. de divinis Officiis cap. de Sabbato ſancto. Idque ex praxi Eccleſiæ Romanæ: *De hac re Apoſtolicus apud Romanos ita agit: Poſtquam Pontifex baptizaverit, vel quibus juſſerit ipſe, levant ipſos infantes in manibus,* &c. Infra: *Et poſtquam induti fuerint, dat Pontifex ſuper eos orationem, impoſita ſcilicet manu ſuper capita eorum cum invocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti.* Oremus: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare. Hac finita, facit crucem de Chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Pax tibi. Reſpondent omnes: Et cum Spiritu tuo.* Apud Amalarium lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 2. idem habetur: *Dicit Romanus libellus, de quo ſæpe commemoravimus. Oratione expleta facit crucem cum pollice ex Chriſmate in ſingulorum frontibus, ita dicendo: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Pax tibi, & cum Spiritu tuo.* In Ordine Romano præmittuntur hæc verba: *Confirmo te. Oratione expleta interrogantibus Diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex, tincto pollice in Chriſmate, faciat crucem in frontibus ſingulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* ℟. *Amen. Pax tecum.* ℟. *& cum Spiritu tuo.* In Ordinibus mſs. Tiliano, & S. Germani a pratis ſic habetur: *Confirmo te & ſigno in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Pax tecum, & cum Spiritu tuo.* Apud Guillelmum Pariſienſem lib. de Sacramentis hanc formulam reperire eſt: *Conſigno te, & cruce confirmo te. Quia autem (inquit) Pontifex dicit, pingendo characterem, conſigno te & cruce confirmo te, intelligenda eſt conſignatio.* Apud Albertum magnum mſ. Bibliothecæ S. Victoris in Suburbio Pariſienſi in 4. ſent. pag. 234. hæc forma confirmationis extat: *Confirmo te ſigno crucis, & Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti.* In alio Pontificali mſ. quod aſſervatur in Eccleſia Rothomagenſi hæc videre eſt: *tunc faciat crucem in fronte eorum Chriſmu* (lege, *Chriſmate*) *dicens: Conſigno te ſigno crucis & confirmo Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Pax vobiſcum, vel, tecum. Et cum ſpiritu tuo.* Tandem in Pontificali Romano ſic habetur: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; ut implearis Spiritu ſancto, & habeas vitam æternam.* ℟. *Amen.* Græci vero præmiſſa hac oratione, ut habetur in eorum Euchologio *αὐτὸς δέσποτα παμβασιλεῦ εὔσπλαγχνε χάρισαι αὐτῷ καὶ τὴν σφραγῖδα,* &c. id eſt, tu Domine, omnium Rex & miſericors, dona ei & ſignaculum largitionis ſancti, & omnipotentis adorandique tui Spiritus. Inter ungendum dicunt *σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου.* id eſt, ſignaculum doni Spiritus ſancti. Quæ quidem formula extat in can. 7. Concilii primi Conſtantinopolitani, in quo ſtatuit Concilium, ut Novatiani, Macedoniani, Appollinariſtæ, & quidam alii hæretici, qui abjurata hæreſi Eccleſiæ Catholicæ reconciliantur, Chriſmate unguntur in fronte, oculis, naribus, ore, & auribus, dicendo: *σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου.* Apud Severum Patriarcham Alexandrinum lib. de ritibus baptiſmi hanc formam videre licet: *Chriſmate ſancto ſuavitatis odoris Chriſti Dei, ſigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus ſancti obſignatur talis.* N. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ad vitam ſeculi ſeculorum, Amen.*

Hactenus de Sacramentis baptiſmi, & confirmationis. Sed quia multa quæ ad baptiſmi ritus ſpectare videntur, prætermiſimus, non abs re erit ſi his quæ ſcripſimus libellum Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis de ordine baptiſmi ſubjiciamus, quem mſ. ex Bibliotheca Corbeienſi habuimus. in quo omnia quæ ad Sacramentum baptiſmi ſpectant, enucleate ſatis cum myſtica interpretatione exponuntur: cui etiam elucidationis gratia quaſdam notationes adjungemus.

Theodulphi libellus de ordine baptiſmi.

REVERENTISSIMO ATQUE CARISSIMO FRATRI JOHANNI EPISCOPO, THEODULPHUS SALUTEM. Præceptum tuum, vir venerabilis JOHANNES, peregi; etſi non ſolerti efficacia, plena tamen obedientia. Præcepiſti enim mihi, immo per te caritas præcepit, ut quibuſdam quæſtionibus de ordine baptiſmi a Domino, & glorioſo Imperatore Carolo tibi tranſmiſſis breviter, & cito reſponderem. Coartantibus itaque me hinc brevitate, qua cogebar brevi ſermone res magnas expedire, illinc temporis anguſtia, qua cito quod juſſeras adimplere volebam quod juſſiſti. [a] Quod opus utinam eſſet tam efficaciter expletum, quam eſt libenter ſuſceptum. Quamquam ergo mihi ſpatioſe tractandi, & Patrum volumina revolvendi, quibuſdam occupationibus præpedientibus, facultas nulla ſuppeteret, & me ad juſſionem implendam caritas promoveret; de ſingulis, quæ mihi occurrere potuerunt, celeri curſu ſcripſi, & veſtræ fraternitati miſi; ut ſi non habuerint reſponſa emolumentum, ſaltim obedientia habeat fructum. Quæſtiones interea iſtæ, ut ego te noſſe certus ſum, a regali celſitudine non ſunt factæ neceſſitate diſcendi, ſed ſtudio docendi: nec, ut ipſe his abſolutis de neſcitis valeas imbui, ſed ut alii de ſomno deſidioſi corporis ad rerum abſolvendarum utilitatem valeant excitari; quippe cui hoc ſem-

a In edit. Vatic. & Guſſanvil. conſentientibus mſs. & Theoder. legitur: *ut autem ſurrexerit a fonte, ille qui eum ſuſcipit offerat eum uni Presbytero. Qui faciat ſignum crucis de Chriſmate cum pollice, in vertice ejus, dicens:* Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat Chriſmate ſalutis in vitam æternam. *Reſp.* Amen.

per familiare eſt, ut exerceat præſules ad ſanctarum ſcripturarum indagationem & ſanam ſobriamque doctrinam, omnem clerum ad diſciplinam, philoſophos ad rerum divinarum humanarumque cognitionem, monachos ad religionem, omnes generaliter ad ſanctitatem, primates ad conſilium, judices ad juſtitiam, milites ad armorum experientiam, prælatos ad humilitatem, ſubditos ad obedientiam, omnes generaliter ad prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, atque concordiam. His & ſimilibus rebus ille virorum optimus Deo ſibi propitio ſanctæ Eccleſiæ faſtigium adcumulare non ceſſat, & admirabili in rerum Eccleſiaſticarum ſive civilium adminiſtratione ſtrenuus, & ſapientiæ fonte redundat, & * virtus exhibitione triumphat.

* Leg. virtutis.

Incipiunt capitula.

I. Cur infans catecuminus efficitur. II. Quid ſit catecuminus. III. Cur exſufflatur. IV. Cur exorcizatur. V. Cur catecuminus accipit ſalem. VI. Quæ ſit interpretatio Symboli ſecundum Latinos. VII. De credulitate, quomodo credendum ſit in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum filium ejus natum & paſſum, & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, & cetera quæ ſequuntur in eo Symbolo. VIII. De ſcrutinio. IX. Cur tanguntur de ſputo nares & aures. X. Cur pectus de oleo ungitur, vel ſcapulæ ſignantur, vel liniuntur. XI. Quid ſit abrenuntiatio. XII. De abrenuntiatione Satanæ & omnibus operibus ejus, atque pompis, vel, quæ opera diaboli, & pompæ. XIII. De Sacramento baptiſmi. XIV. Cur albis induitur veſtibus. XV. Cur ſacro Chriſmate caput perungitur. XVI. Cur myſtico tegitur velamine. XVII. Cur ab Epiſcopo confirmetur * per manus impoſitionem accipiat ſeptiformis gratiæ Spiritum. XVIII. Cur Corpore & Sanguine Dominico confirmetur.

* Et per.

Quomodo infantes catecumini efficiuntur.

I. Antiquus mos ſervatur, quicumque enim ad Apoſtolos credentes baptizandi adveniebant, inſtruebantur & ducebantur ab eis, & inſtructi, & docti de Sacramento baptiſmatis & de ceteris regulis fidei, accipiebant ſacro ſanctum myſterium baptiſmatis. Unde ait Apoſtolus: *An ignoratis, Fratres, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus*. In quibus verbis oſtenditur non eos ignoraſſe Sacramenti baptiſmatis arcana, qui baptizabantur. Sed & Dominus non utcumque ait; Ite, baptizate; ſed, *ite & docete omnes gentes, baptizantes eos*, ut noſſe poſſimus primum inſtruere, & docere eum, qui baptizandus eſt, & poſtea baptizare. Infantes ergo, & audientes & catecumini fiunt, non quo in eadem ætate & inſtrui, & doceri poſſint; ſed ut antiquus mos ſervetur, quo Apoſtoli eos quos baptizaturi erant, primum docebant & inſtruebant, ſicut jam dictum eſt.

II. Catecuminus autem audiens, ſive inſtructus interpretatur. Genus enim humanum audit, & inſtruitur antequam ad baptiſmum veniat, & quod per Moyſen quondam audierit: *Audi, Iſrael, Dominus Deus unus eſt*. Et per Legem & Prophetas inſtruebatur ad unius veri Dei cultum: modo per Sacerdotum miniſterium & audiens * efficiatur, * & inſtrui valeat: ut relicto ritu, quo creaturæ deſerviebat, ſoli Creatori Deo deſerviat. Sic enim Catecumini in Chriſtum credunt, ut adhuc ſua peccata portent: de quibus puto in Evangelio dictum, qui dum crederent in Jeſum, ipſe Jeſus non ſe credebat eis. Quicumque ergo a Johanne docebantur, ſive inſtruebantur, quia baptiſmum ejus peccata delere non poterat, catecuminorum * ryphum prætuliſſe noſcendi ſunt.

* Leg. efficitur. * Leg. ut. * Leg. typum.

III. In quorum etiam facie a Sacerdote per exſufflationem ſignum crucis fit, ut & diabolus fugetur, & Chriſto via præparetur, ut qui illecebroſa perſuaſione ſua generis humani, quod in primordio ſui ſpiraculum vitæ acceperat, habitator erat, ejus virtute & ſacratiſſimo ſigno per miniſterium Sacerdotum, * ut exire cogatur: qui & in diſcipulos ſuos inſufflaſſe, & Spiritus immundos increpaſſe legitur.

IV. Unde & exorcizatur idem malignus Spiritus, ut exeat & recedat ab illo * plaſmato, quod jamdudum per peccatum primi hominis poſſidebat. Et quia *non eſt*, juxta Apoſtolum, *conventio Chriſti ad Belial, nec ſocietas luci ad tenebras*, egrediebantur tenebræ, & lux vera Chriſtus ingrediebatur. Qui & in Zacharia typice propter peccata noſtra, quæ in corpore ſuo portavit, ſordida veſtimenta habuiſſe legitur: & increpans * Satan Jeruſalem elegit ſanctam, videlicet Eccleſiam, quæ eſt viſio pacis, quam quotidie prole nova fecundat, cui per Prophetam dicitur: *Filii tui de longe venient, & filiæ tuæ in latere ſurgent*. Exorciſmus præterea eſt ſermo increpationis. Unde in Actibus Apoſtolorum Exorciſtæ fuiſſe leguntur, & ſancta Eccleſia inter gradus Eccleſiaſticos Exorciſtarum etiam miniſterium habet. Sciendum namque eſt, quia cum exorcizatio fit, ille proculdubio exorcizatur, qui & baptiſmo, & ſaluti fidelium, & omnibus virtutibus ejus contrarius eſt. Illo enim exorcizato ſive expulſo, divini verbi condimentum credentibus datur.

* Leg. plaſmato. * Leg. ſatanam.

V. Et idcirco hi qui baptizandi ſunt, ſalem in Sacramento accipiunt; ut ejus guſtu condimentum ſapientiæ percipiant, neque a ſapore Chriſti deſipiant, & ſint inſulſi & fatui. Qui enim dixit diſcipulis ſuis: *Vos eſtis ſal terræ*, ipſe dixit: *nemo mittens manum ſuam in aratro, & reſpiciens retro, regno cælorum aptus eſſe poteſt*. Ut autem qui baptizantur, regno cælorum apti ſint, & ne præterita peccata iterantes reſpiciant retro, & efficiantur ſtatua ſalis, & remanentes inſenſati exemplo pœnæ ſuæ alios condiant, debent accipere ſalem ſapientiæ, ut quidquid in eis fluxum & fluidum eſt verbi Dei ſale curetur, & juxta Apoſtolum memores eſſe uxoris Loth. Et ſicut Heliſæus ſalis immiſſione ſterilitatem aquæ curavit, ita nimirum verus Heliſæus Dominus noſter Jeſus Chriſtus verbi ſui ſapore fluidam generis humani ſterilitatem ad dulcem fidei & bonorum operum ſaporem perducit: cujus fidei firmitas tunc jam clare lucescit, cum is qui audierat ſolius Dei cultum eſſe tenendum, unde audiens vocatus eſt: & inſtrui cœperat de veræ religionis cultu, unde catecuminus vocatus eſt: & per exſufflationem, & exorcizationem, & maligno * Spiritu erutus eſt: & in datione ſalis jam habere cœpit guſtum divini verbi. * Traditur ei ſymbolum, id eſt veræ fidei integra & inconvulſa confeſſio; ut domus * priſco habitatore derelicta, fide ornetur; & de qua ſpinæ incredulitatis evulſæ ſunt, incipiant in ea veræ fidei documenta plantari. Prius enim evellendæ ſunt incredulitatis ſeu vitiorum ſpinæ, & poſtea plantanda ſunt fides & bonorum operum rudimenta. Unde & Dominus ante faciem filiorum Iſrael ſeptem gentes * a typhum vitiorum tenentes contrivit, in quarum loco in * typho virtutum Iſraeliticum populum collocavit. Et ad Jeremiam Prophetam dicit: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſſipes, & diſperdas, & ædifices, & plantes*. Prius enim dixit evulſionem, & deſtructionem, & diſſipationem, & diſperſionem; & poſtea ſubjecit ædificationem, & plantationem. Et per eumdem Prophetam ait: *Sicut vigilavi ſuper eum, ut evellerem, & demolirer, & diſſiparem & diſpergerem, ſic vigilabo ſuper eos, ut ædificem, & plantem*. Et hoc ideo, quia poſt exorcizationem & exſufflationem Symboli, ſequitur traditio.

* Leg. Spiritu. * Leg. traditur. * Leg. a priſco. * Leg. typum. * Leg. typo.

VI. Quod Symbolum Latine, indicium vel ſignum vel conlatio interpretatur. Indicium, quia per id indicatur fidei integritas; ſignum, quod ab eo bene retento, & intellecto fideles ab infidelibus diſcernuntur: conlatio, quia in eo Apoſtoli omnem fidei integritatem contulerunt. Quod autem omnes pari fidei ſinceritate corde retinebant, ore confeſſi ſunt, & ſinguli proprias ſententias conferentes Symbolum, id eſt totius fidei conlationem ediderunt. Diſceſſuri enim ab invicem normam futuræ prædicationis

a De uſurpatione vocis *typi*, pro *typho*, & vice verſa, lege quæ diximus lib. 23. Moral. num. 25.

nis in commune statuerunt: ne localiter ab invicem discedentes, diversum aliquid vel dissonum prædicarent. Decentissimum namque & utile erat, ut quibus erat una anima & cor unum in Domino, & quos sancti Spiritus afflatus vegetabat, unius etiam fidei confessio exornaret. Nec enim dirimi in aliquo vel poterant, vel debebant, qui unius fidei vinculo nectebantur. * Plerumque interea Verbum adbreviatum, per Isaiam prophetam, in Symbolo & Oratione Dominica intelligi volunt. In altero enim fidei, in altero precum continetur integritas; at & in duodecim verbis duodecim Apostolorum doctrina, & in septem petitionibus omne contineatur quidquid ad præsentis & futuræ vitæ pertinet dispensationem. Quamvis etiam totius doctrinæ verbum dici possit adbreviatum; quia quod prius Lex & Prophetæ continebant, in latitudine præceptorum veniens Dominus pronuntiavit, & dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & proximum tuum tamquam teipsum. In duobus mandatis tota Lex pendet & Prophetæ.* In quo evidenter Prophetas & Legem duobus his sermonibus breviavit. Hæc de Symbolo & nomine ejus dicta sunt.

* Leg. plerique.

VII. Ceterum fides quæ in hoc Symbolo continetur, ita ab his qui baptizandi sunt intelligi debet, ut credant in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem omnium visibilium & invisibilium, qui solus, quia non est de alio, ideo appellatur ingenitus: & Jesum Christum Filium ejus, per quem omnia facta sunt, verum Deum, Unigenitum, verumque Dei filium, non factum, aut adoptivum; sed genitum, & unius cum Patre substantiæ, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec potestate esse possit inferior, tantumque esse illum qui est genitus, quantus est ille qui genuit. Credant etiam eum natum de Spiritu sancto, & Maria semper Virgine, id est ut Spiritu sancto cooperante, verum sibi corpus ex Virgine, id est Dei filius adsumserit: ut qui erat in divinitate Dei Patris filius, ipse factus sit in humanitate hominis matris filius. Credant etiam eum descendisse ultimo tempore pro redemtione mundi a Patre, qui numquam desiit esse cum Patre; & hominem verum factum, ut humanum genus homo liberaret: & ipse qui ab initio æternitatem cum Patre & Spiritu sancto possidet, in fine seculorum perfectum naturæ nostræ hominem susceperit, & Verbum caro factum sit, assumendo humanitatem, non permutando divinitatem. Credant etiam eum pertulisse passionem & mortem non in virtute Divinitatis, sed in infirmitate humanitatis: mortuum vera carnis morte, resurrexisse vera carnis resurrectione, & resurrectione sua spem nobis resurrectionis contulisse: ita dumtaxat ut sicut ille tertia die resurrexit vivus a mortuis, ita & nos in fine seculorum resurgamus in eadem qua nunc vivimus carne. Credant etiam eum in eodem corpore quod de virgine assumsit & passionem sustinuit & resurrexit, ascendisse in cælum, & in eodem & nunc esse, & ad judicium venturum esse, & resuscitatis omnibus, dare aliis pro peccatis supplicii æterni sententiam, aliis pro justitiæ meritis æternæ beatitudinis præmium. Credant & in Spiritum sanctum Deum verum ex Patre Filioque procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio voluntate, potestate, æternitate, substantia: nec esse in hac sancta Trinitate ullos gradus, quibus aliquis inferior superiorve dici possit. Credant etiam sanctam Ecclesiam Catholicam, id est Universalem: non in sanctam Ecclesiam, ut credentes in Trinitatem. Credant ejusdem sanctæ Trinitatis domum esse sanctam Ecclesiam; a cujus communione discedentes Schismatici & hæretici vocantur, * æterna damnatione ponuntur. In ejus vero communione permanentes, & membra Christi esse, & remissionem peccatorum percipere, * ut ad vitam æternam pertinere. Quia ergo parvuli necdum ratione utentes hæc minime capere possunt, oportet, ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, doceantur, & fidei Sacramentis, & confessionis suæ mysteriis, ut ea & veraciter credant, & diligenti cura custodiant. Confessionem suam plane dicimus, quia quamvis illi necdum loqui possint, pro illis & confitentur & loquuntur, qui eos de lavacro fontis suscipiunt: nec immerito; dignum est, ut qui aliorum peccatis obnoxii sunt, aliorum etiam confessione per mysterium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.

* Leg. & in æterna.

* Leg. &

VIII. Qui vero illius sunt jam ætatis, ut rationem credulitatis suæ reddere possint, diligenti examine scrutandi sunt, utrum veraciter credant, an alicujus falsitatis in eis macula celetur, * necdum aut timore aut favore terrenarum potestatum, aut adquisitione quarumdam rerum ad baptismatis Sacramentum ignorantibus ministris Ecclesiæ perveniunt, tradatur sanctum canibus, & margaritæ mittantur inter porcos, & lupi ovina pelle vestiantur. Hinc enim morem Ecclesia servare consuevit, ut per aliquod dierum spatium hi qui in solemnitate Paschali baptizandi sunt, scrutentur: ut instructis, & doctis, & simplici corde ad fidem veram venientibus vitæ Sacramenta impertiantur; quibus ut aptiores inveniantur baptismatis Sacramento, & eorum fides probabilior sit, quædam fiunt corporaliter, quæ spiritali gustu degustata mysticum quid, & spiritale sapiant.

* Leg. nedum.

IX. Tanguntur itaque de sputo nares, & aures, & dicis, Effeta: nares, ut Christum in odore unguentorum sequantur, & dicant: *trahe me. post te curremus:* & cum Apostolo profiteantur dicentes: *Christi bonus odor sumus Deo:* & illius membra efficiuntur, cui dicitur: *& odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.* Quem odorem tunc bene habere * poterit, sicut Maria, quæ interpretatur domina, sive luminatrix, alabastrum unguenti, hoc est sacræ fidei puritatem, * & ungueant pedes Jesu, Apostolorum videlicet monita complentes, vel prædicatorum quorumlibet, per quos Christus inambulat; & domus, mundus videlicet, sive universitas sanctæ Ecclesiæ eorum bona opinione, quasi quodam dulci, & suavi odore repleatur: & quia plerumque odoris suavitas & diversa thymiamata dissolutis & amatoribus conveniunt: isti e contrario & continentes, & amatores effecti, illius solummodo salutiferum semper amplectantur odorem. Tanguntur & aures, ut audientes verba Dei, & facientes ea, similes sint secundum Evangelium *viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram*; & spiritali auditu semper spiritalia auscultent: ut cum David dicere possint: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; & cum Isaia: *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii:* ut quæ spiritaliter dicuntur audientes, ad spiritalium operum emolumenta perveniant. Cum itaque Dominus in Evangelio dicit: *qui habet aures audiendi, audiat*, & Johannes in Apocalypsi sua, *qui habet aures audiendi, audiat quid Dominus dicat Ecclesiis*; hic non aures carnales, sed spiritales quæruntur, & per aurium nomen interioris hominis auditus designatur. In sacro etenim eloquio plerumque per membra corporis spiritalis animæ virtutes intelliguntur. Quia ergo divinitas hominem assumens quoddam ea commistione duarum substantiarum in una Dei Filii persona collyrium fecit, unde genus humanum, quod cæcum a primis parentibus natum erat, illuminaret, * non ab sputo aures tanguntur, & nares, ut expuens linguam muti tetigerat, & sputo lutum fecerat, & oculos cæci nati aperuerat; nunc per ministerium Sacerdotum & auditum spiritalem his qui baptizati sunt, tribuat, & recte loquendi, id est fidem veram confitendi facultatem præbeat: & nares, quibus bonum Christi odorem capiant, aperiat. Pectus enim illius qui baptizatur, refertum semper esse debet, & divini odoris nectare, & spiritali unctione delibutum.

* Leg. Poterunt.

* Leg. ut ungant.

* Leg. nunc.

X. Unde etiam his qui baptizandi sunt, pectus de oleo, & scapulæ tanguntur, ut illius olei sancti videlicet Spiritus unctione liniti, de quo Apostolus ait, *sicut unctio ejus docet nos de omnibus*, ante & retro muniti, id est contra omnia prospera sive adversa sint circumspecti, & cælestium animalium imitatione ante & retro pleni sint oculis, id est præ-

præteritum & futurum respicientes, salutis suæ custodiam non omittant. Tungitur eis pectus, ut cum David dicere possint: *& misericordia eius prævenit me*. Tanguntur scapulæ, ut cum eodem dicant: *& misericordia ejus subsequatur me*. Id est, anteriora, ut bene velint: posteriora, ne frustra velint. Bene autem velle & perficere a Deo nobis datur, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Et quoniam in cordis nomine sæpe mens designatur, sicut est illud, *in toto corde meo exquisivi te*, & in olei nomine intelligitur unctio sancti Spiritus, sive opera luminis & misericordiæ, cordis locus unctione utrimque munitur, id est anterius & posterius, ut undique mens Christiani & pinguedine sancti Spiritus, & operibus luminis & misericordiæ exuberet.

XI. Quibus bene exuberat, si abrenuntiando diabolo, & operibus ejus, dominationem illius aspernetur: & jugum quod se premebat, illius olei unctione fatiscat: & impleatur illud propheticum: *computrescet jugum a facie olei*. Abrenuntiare etenim poni solet pro eo quod est spernere, rejicere, contradicere, sive aliud quidquid hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Quamvis enim illius verbi quod est, *nuntio*, sensus in promtu sit cum sine præpositione profertur, & accepta præpositione interdum a sua significatione non longe recedat, ut est illud, *narrabo & renuntiabo*: interdum vero in alium sensum vertatur, ut est illud: *sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: abrenuntiare tamen semper in eo sensu poni consuevit, quem superius diximus. Abrenuntiare etenim se fatetur Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Quam abrenuntiationem recte confessio sanctæ Trinitatis sequitur; ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia: & ubi computruit jugum diaboli a facie unctionis Spiritus sancti, adveniat illius jugum, qui dixit: *discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Satanas enim qui & diabolus nuncupatur, a fidelibus abrenuntiatur, ut Domino Salvatori liberius serviatur: quia juxta ejusdem Domini vocem, *nemo potest duobus Dominis servire*.

Esa. 10.

XII. Abrenuntiatur etiam operibus ejus: quia opera illius contraria sunt operibus Salvatoris: & quia ille armis suis, id est vitiis genus humanum sibi subjecit: Dominus armis suis, id est virtutibus illum debellavit. In illius enim militia, id est peccatis nostris servitus * permanens accepit mortem: in istius militia, id est virtutibus accipimus vitam æternam. Septem itaque principalia vitia, quibus diabolus genus humanum infestat, non incongrue opera Satanæ dicere possumus: quibus opponuntur septem principales virtutes, quæ opera sunt procul dubio salutaria. Nec minus interea pompis ejus abrenuntiatur, quæ utique opera sunt Satanæ. Sed eo quasi discerni videntur a ceteris operibus ejus: quia in ejus superbia, cujus ille auctor, & quæ eum dejecit, quodammodo designatur. Pompæ igitur ejus sunt ambitio, arrogantia, vana gloria, & cetera hujuscemodi, quæ de fonte superbiæ procedere dignoscuntur. Pompam enim ambitionem sive jactantiam & his similia intelligi debere propheticus sermo demonstrat, cum dicit: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel*. Sed & Clemens Prudentius disertissimus atque christianissimus Poeta in hac significatione pompam posuit in libro Psychomachia, ubi ait:

*leg. permanentes.

Pompa ostentatrix vani splendoris inani
Exuitur nudata peplo.

In prima lu- [illegible]

Quamvis ergo omne peccatum superbia dici possit: quia quando quis peccat, Deo qui peccare prohibuit contraire videtur: aliud tamen est desidiose, aliud malitiose, aliud scienter, aliud ignoranter, aliud negligenter, aliud arroganter peccare. Quolibet autem modo quis peccet, si pœnitere contemnit, in magnum se superbiæ baratrum immergit: de quo nonnisi per confessionem peccatorum suorum, & emendationem morum, & salutaris pœnitentiæ adminiculum egredi potest. Duobus enim modis homo Deo superbit; cum aut præceptis ejus inobediens existit, ea quæ prohibita sunt committit, aut commissa pœnitere negligit. Unde sive hi qui baptizandi sunt, sive nos qui baptismi Sacramentum jam percepimus, ante oculos ponere debemus pactum quod cum Deo in baptismate fit, ubi abrenuntiatur Satanæ, & operibus ejus, & pompis ejus: quod pactum tunc irritum fit, si aut in fide quis permanendo vitiis, aut a fide exorbitando, idolorum cultibus aut hæresum erroribus subdatur.

XIII. Quia igitur constat pactiones credentium esse duas, unam in qua abrenuntiatur diabolo, & pompis ejus, & omnibus operibus ejus: in altera qua se credere confitentur in Patrem, & Filium, & in Spiritum sanctum; oportet has inconvulsæ mentis intentione teneri, & ut * temerate custodiri possint, illius semper adjutorium quærere qui baptismi Sacramentum ad salutem generis humani contulit, cujus mysterium, & in veteri testamento per Moysen præfiguratum est: cum populus in nube, & in mari baptizatus est, & in novo per Mediatorem Dei & hominum apertissime demonstratum. Ipse enim ait, *quoniam nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum*. Et Johannes de eo ait: *Ego baptizo vos: veniet autem* &c. *ipse vos * baptizavit in Spiritu sancto, & igni*. Per hoc qui nascimur mundo, renascimur Deo, & qui per peccatum eramus filii iræ, per gratiam efficimur filii Dei. Hac enim tinctione & hoc lavacro Ecclesia vegetatur. Ex osse parentis protoplasti mulier ædificata est; ex latere Christi in cruce dormientis Ecclesia formata est. Profluxerunt enim ex ejus latere sanguis & aqua, duo sanctæ Ecclesiæ præcipua Sacramenta, ut in altero consecratio, in altero munditio eidem tribueretur Ecclesiæ. Regeneramur namque ex lavacro, ut consecramur & sanguine. Unde & populus mare rubrum transiit, quia baptismus Christi Sanguine consecratur. Quia ergo elementum aquæ in hoc mundo omnibus elementis purgandi, vivificandi, recreandi gratia aptius est, non immerito ei baptismi dignitas confertur: quia & regenerandorum hominum efficaciam cum Spiritus Dei in mundi primordio super id ferebatur, concipiebat, & purgandorum, cum ex latere Christi proflueret, dignitatem capiebat. Per hoc etenim visibile elementum res illa invisibilis signatur, ut sicut aqua purgatur exterius corpus, ita latenter ejus ministerio per Spiritum sanctum purificetur & animus. Invocato namque Deo, descendit Spiritus sanctus de cælis, & sanctificatis aquis, tribuit eis vim purgationis. Inde homo ad imaginem reparatus sanctæ Trinitatis, ad quam conditus fuerat, expellitur; & qui vetus in eas per peccatum primi hominis intraverat, novus ex eis per Christi gratiam egreditur, & Spiritu gratiæ in melius immutatus, longe aliud quam fuerat, efficitur. Fœdus enim erat deformitate peccatorum, ibi redditur pulcher dealbatione virtutum. Nullatenus itaque baptismi mysterium perfici potest, nisi sub invocatione sanctæ Trinitatis: quia & Dominus ad Apostolos dixit; *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Et idem Dominus hoc Sacramentum firmavit, cum in suo baptismate Pater declaratus est in voce, Filius in corpore, Spiritus sanctus in columbæ ostensione. O præclarum & admirabile Sacramentum, quod de filiis iræ facit filios Dei, de veteribus novos, de fœdis pulchros: in quo & regeneramur, & purgamur, & exemplum mortis Christi imitamur. Quomodo ergo hoc exemplum imitemur, dicit Apostolus: *An ignoratis*, inquit, *quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti ergo sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quemadmodum resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Morimur ergo peccato, quando abrenuntiamus diabolo, & omnibus, quæ ejus sunt. Consepelimur Christo, cum sub invocatione sanctæ Trinitatis sub trina mersione in fontem lavacri, quasi in quoddam sepulcrum descendimus. Consurgimus Christo cum exuti omnibus peccatis de fonte,

*leg. intemerate.

*id est, baptizabit.

fonte, quasi de sepulcro egredimur. Sed neque mysterium trium dierum ac noctium, quibus in sepulcro Jesus fuisse legitur, præteritur, cum * invoti sancta Trinitate, quæ utique vera lux est, in fontem descendimus. Lux est enim Pater, & in lumine ejus, qui est Filius, lumen videmus Spiritum sanctum. Facimus autem & tres noctes, cum tenebrarum & ignorantiæ * Patre, una * commendatio, quod ex eo natum est, quod mendax est, sicut & Pater ejus, contradicimus. Sed & tertio loco spiritum erroris destruimus, qui inspirat Pseudoprophetas, ut dicant: Hæc dicit Dominus, quos Dominus non misit. Destruimus enim hæc, & conculcamus, si consepulti sumus Christo, etiam secundum illud quod ipse dicit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici*. Quæ singula ita sunt contraria sanctæ Trinitati, ut nox diei, & tenebræ luci, ut mendacium veritati. Fons quoque baptismi similitudinem gerit sepulcri Christi, quod novum fuisse legitur. Quia quicumque in eo consepelitur Christo, & ei consurgit, secundum eumdem Apostolum, in novitate vitæ ambulare debet. Cujus fontis septem gradus, tres in descensu tres noctes, & tres in ascensu tres dies significare videntur, de quibus superius dictum est. Septimus vero, qui & quartus, ille est de quo quidam ait: *Et aspectus quarti similis filio Dei*, qui fornacem ignis extinguit, qui est stabilimentum pedum, fundamentum aquæ: in quo juxta Apostolum, inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Idcirco autem baptismus non iteratur, quia & Christus non amplius quam semel moritur. Peccata enim quæ post baptismum committuntur, pœnitentiæ lacrymis, eleemosynis, & ceteris bonorum operum exhibitionibus, non baptismatis iteratione delentur. Dominico interea corpori sepeliendo mundissima linteamina, & aromata adhibentur: quia & is qui Christo consepeliri desiderat, si jam ætas permittit, quamvis mortuus sit per originale peccatum, quod adhuc portat, debet tamen bonorum operum exhibitione flagrare, mundis indui vestibus, de quibus Propheta Sacerdotes indui orat cum dixit: *Sacerdotes tui induantur justitiam*. Si ergo antequam renascatur, & originali peccato purgetur, & Christo consepeliatur, debet flagrare, odorem præstare, & mundissimis vestibus indui; quanto magis renatus, purgatus, Christo convivificatus, in novitate vitæ ambulans, nova creatura effectus, & odoris flagrantia exuberare, & candidorum vestimentorum clarescere debet nitore?

* leg. invocata.
* leg. Patri.
* leg. cum mendacio.

XIV. Ut ergo nos, qui mundo morimur, Christo consurgimus, bonorum operum nitore induamur, & cælestium gaudiorum spe confirmemur, decentissima ratione Angelus, qui ejus resurrectionem nuntiat, in albis vestibus sedere describitur; & qui ejus reditum Apostolis nuntiant, in albis vestibus apparent, & nos albis post baptismum induimur vestibus, ut munditiam teneamus in opere, quam accepimus in regeneratione, servantes & nostram innovationem, & Angeli splendoris decorem: * dentur nobis singulæ stolæ albæ, spes videlicet immortalitatis, & æternæ felicitatis, ut cum Propheta dicere possimus: *Gaudens gaudebo in Domino; & exultavit Spiritus meus in Deo meo: quia induit me vestimentum salutis, & indumentum justitiæ circumdedit me*. Ille vestimenta ista nos custodire faciat, qui ea dedit: ut de nobis dici possit, quod in Apocalypsi scriptum est: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua*. Quia ergo omnia in baptismi ratione redolent mysteriis, & exuberant Sacramentis, opportunum erat, ut novus homo nova acciperet vestimenta, & purgatus veteris noxæ colluvione, candidarum vestium indueretur nitore. Moyses enim Aaron & filios ejus prius aquis lavit, & post lineis induit vestimentis: quia & noster verus Moyses, qui populum de Ægyptia servitute, de gentilitatis videlicet errore liberat, qui est Mediator Dei & hominum, sui nos inenarrabili Sacramenti unda purificat, & bonorum operum indumentis exornat. Cujus facies, manifestatio videlicet Divinitatis ejus, testimonio Legis & Prophetarum in monte Ecclesiæ, ut sol, resplendet, & vestimenta ejus, id est Sancti omnes efficiuntur, sicut * lana alba, vel sicut nix. Cui cum Apocalypsi gratias agamus, qui lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit * nostrum regnum * Sacerdotes Deo & Patri suo, cui est gloria in secula seculorum. Hoc etenim regnum, & sacerdotium, & visibili Chrismatis unguento per ministerium sacerdotum, & invisibili Spiritus sancti gratia a Domino linitur.

* leg. ut.
* leg. lana.
* leg. nos.
* leg. & sacerdotes.

XV. Cujus unguenti Sacramentum a Moyse primum, jubente Domino, in Exodo legitur compositum, & in novo Testamento a Domino veraciter declaratum, qui unctus est a Patre oleo lætitiæ præ consortibus * tuis, cui non ad mensuram dat Deus Spiritum; quoniam in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Ipsi enim Ecclesia dicit: *Oleum effusum est nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te*. Quid videlicet & a Chrismate Christi, & a Christo Christianorum nomen exortum est. Ante adventum etenim ejus Reges solummodo ungebantur & Sacerdotes, qui etiam Christi vocabantur: post adventum vero ejus non solum Reges & Sacerdotes, sed omnis hac unctione consecratur Ecclesia: quia constat eam esse regnum & Sacerdotium, & filios ejus reges, & Sacerdotes. Baptizatorum itaque capita Chrismate liniuntur, * & in regno & sacerdotio Ecclesiæ delibuti, & Christiani nominis prærogativam accipiant, & ejus membra qui eos redemit & eorum caput est, effici valeant.

* leg. suis.
* leg. ut.

XVI. Quia igitur idem Redemtor noster Rex est cui per Prophetam dicitur: *Regnum tuum, Domine, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione*, qui diabolum, mortem, & mundum mirifice triumphavit; & * Sacerdotes, cui per eumdem Prophetam dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, qui se Deo Patri in sacrificium obtulit: decentissimum est, ut sancta ejus Ecclesia, quæ utique corpus ejus est, & regnum sit & Sacerdotium, & nos in ea regenerati, qui ejus membra sumus, reges simus & Sacerdotes: reges, ut & contra diabolum viriliter dimicemus, & administrationem vitæ nostræ admirabili dispensatione gubernemus: & Sacerdotes, ut in templo Dei sancto, quod sumus nos, altare fidei ædificantes bonorum operum ei hostias pacificas usferamus, & cum Apostolo dicamus: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus, in Christo*. De quo altari fumus orationum nostrarum ei quotidie ascendat, juxta illud quod ait Propheta: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Capita itaque eorum, qui regenerantur ex aqua & Spiritu sancto, mystico velamine tegunt; ut eis per Petrum dicatur: *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis*. Ut hoc velamine, & diadema regium, & Sacerdotalis capitis velamentum significetur: & quia per caput mens plerumque in sacro eloquio accipi solet, juxta illud: *Respicite & levate capita vestra*, mens renatorum & regiæ dignitatis habeat ornamenta, & Sacerdotalis verticis habeat tegumentum: ut & contra vitia Sacerdotali velamine muniatur, & virtutum gemmis spiritaliter exornetur, & unctione sacro-sancti Chrismatis liniatur: quibus etiam septiformis gratiæ Spiritus, per Chrismatis unctionem conceditur, ut non solum sancti Spiritus, qui unius est cum Patre & Filio substantiæ, sed totius sanctæ Trinitatis habitaculum effici mereantur.

* leg. Sacerdos est.

XVII. Quod ergo Presbyteris baptizatos Chrismate ungere licet, Spiritum vero sanctum per manus impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis Ecclesiæ est traditus. Sic enim scribitur in Actibus Apostolorum: *Factum est autem cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & invenisset quosdam Discipulos; dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: in quo ergo baptizati estis? qui dixerunt: in Johannis baptismate. Dixit autem Paulus: Johannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens: in eum qui venturus est post ipsum, ut crederent, hoc est*

in *Jeſum*. *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu: & cum impoſuiſſet manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*. Item alio loco: *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Johannem: qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat; ſed baptizati tantum erant in nomine Domini. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*. Denique ſciendum eſt, quia ſicut cetera baptiſmatis Sacramenta per Sacerdotes viſibiliter fiunt, per Deum inviſibiliter conſecrantur: ita nimirum & Spiritus ſancti gratia per impoſitionem manuum, & miniſterium Epiſcoporum fidelibus traditur. Presbyteri vero, licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem ſolis Pontificibus deberi ut vel ſignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & ſuperior illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Johannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum. Nam Presbyteris, ſive abſentibus ſive præſentibus Epiſcopis, baptizare, & baptizatos Chriſmate ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum: nec tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum * tradant Spiritum Paraclitum. Qui Spiritus Paraclitus ſeptiformis etiam gratiæ dicitur, propter ſeptenarii numeri myſterium, in quo ſumma perfectio intelligitur. Eſt enim compoſitus ex toto primo pari, & toto primo impari: ex toto primo pari, qui dividi poteſt, & ex toto primo impari, qui dividi non poteſt. Habet enim in * ſeptenario myſterium Trinitatis, in quaternario Evangelii. Sive enim tres per quatuor, ſive quatuor per tres multiplicentur, ad duodenarium numerum ſurgit. Quia myſterium ſanctæ Trinitatis, & doctrina Evangelii per XII. Apoſtolos in quatuor mundi partes, orientem videlicet & occidentem, ſeptentrionem & meridiem derivata eſt. Hic enim numerus in ſacro eloquio pro perfectione poni conſuevit. Conſummatis enim Deus operibus ſuis, ſeptimo die requievit. Et Enoch, qui ſeptimus eſt ab Adam, cum Domino ambulavit, & ejus tranſlatio ſpem nobis æternæ requiei contulit. Unde & Jubilæus annus, in quo plenaria requies ſignatur, ſeptem hebdomadibus conficitur. Septies enim ſeptem fiunt XLIX. qui monade addito noſtræ adunationis impletur. Hujus numeri perfectionem Propheta commendat, cum dicit: *Septies in die laudem dixi tibi*. Quod in alio Pſalmo quaſi exponens aperit, cum dicit: *Semper laus ejus in ore meo*. Nam & Johannes in Apocalypſi ſua quod ſeptem ſcribit Eccleſiis, generaliter univerſæ Catholicæ ecclesiæ ſcripſiſſe Eccleſiæ. Unde ipſe ait: *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis*.

* leg. rogant.

* leg. ſeptenario.

De ſeptenario interea numero, qui in quibuſdam Scripturæ locis univerſitatem ſeu perfectionem, in quibuſdam vero ſeptiformis gratiæ ſpiritum ſignificat, multa & in veteri & in novo teſtamento habentur, quæ perſequi longum eſt. Nunc videamus, qualiter Iſaias Propheta ejuſdem Spiritus ſeptiformis dona enumeret. Cum enim de Chriſto, qui eſt virga virtutis Domini, prophetaret, ait: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus; Spiritus conſilii, & fortitudinis; Spiritus ſcientiæ, & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini*. Super hunc florem, qui de virga Jeſſe, id eſt beatæ Mariæ ſemper Virginis partu egreſſus eſt, requievit Spiritus Domini. Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter. Nequaquam per * parentes, ut in ceteris Sanctis, quibus alii datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii gratia virtutum, & cetera quibus unicuique datur ſecundum menſuram; ſed pleniſſime. Unde & Apoſtolus ait: *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum*. Et Propheta: *Ecce puer meus quem elegi, electus meus, in quo complacuit anima mea: ponam Spiritum meum ſuper eum, Judicium gentibus proferet*. Ut enim in eo perpetua habitatione requieſceret, ad eum venit juxta Johannis Baptiſtæ teſtimonium, qui ait: *Vidi Spiritum deſcendentem, quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum, & ego neſciebam illum: ſed qui miſit me baptizare, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*. Qui * Spiritus Domini a adimpleatur, & Spiritus ſapientiæ: quia de Chriſto, qui eſt ſapientia Dei, ſcriptum eſt: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*; & * Pſalmis canitur: *Quam magnificata ſunt opera tua, Domine, omnia in ſapientia feciſti*. Et in alio loco, ubi Trinitas aperte demonſtratur, ſcriptum eſt: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Quia per Chriſtum, qui eſt Verbum Domini, id eſt Patris, de quo ſcriptum eſt: *In principio erat verbum*, cæli videlicet, ſancti Prædicatores, qui enarrant gloriam Dei, facti ſunt, & Spiritu ſancto, qui eſt eorum conſubſtantialis, qui ab utroque procedit, omnis virtus eorum. Quia omnium Sanctorum ornatus Spiritus ſancti inſpiratione ſubſtat. Et Apoſtolus ſcribit: *Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia*. Et in Proverbiis legitur: *Deus in ſapientia ſua ſundavit terram, & paravit cælos in prudentia*. Et quomodo idem ſermo Domini vocatur lux & vita & reſurrectio; ſic Spiritus ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, & ſcientiæ & pietatis, ac timoris Domini nuncupatur. Non quod diverſus ſit juxta differentias nominum: ſed unus atque idem cunctarum virtutum fons ſit atque principium. Abſque Chriſto igitur nec ſapiens quis eſſe poteſt, nec intelligens, nec conſiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec plenus timore Domini. Et hoc ſciendum eſt quod Spiritus Domini, ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, ac timoris Domini, id eſt ſeptenarius numerus, qui ſeptem oculi in uno lapide dicuntur Zachariæ, requieſcat ſuper virgam ac florem, qui de Jeſſe, ac per * hoc ſtirpe David ſurrexit. Hunc enim Spiritum, qui a Patre Filioque procedit, idem Dominus Apoſtolis, & per Apoſtolorum & eorum ſucceſſorum miniſterium ſanctæ ſuæ tribuit Eccleſiæ: cujus dona, quamquam * eximius b Spiritus fonte procedant, videntur quodammodo quaſdam habere proprietates. Aliud enim eſt ſapere, aliud intelligere. Quia multi æterna quidem ſapiunt, ſed hæc intelligere minime poſſunt. Sapientia ergo mentem quam inſederit, de æternorum ſpe c æternitudine replet. Intellectus eo quod ſecreta penetrat, cor quod tetigerit, reficiendo, ejus tenebras illuſtrat. Conſilium dum eſſe aliquem præcipitem prohibet, ratione animum replet. Fortitudo vero cum adverſa non metuit, trepidanti menti fiduciam præbet. Scientia eum ignorantiam fugat, lumine ſuo eum quem repleverit, illuſtrat. Pietas miſericordiæ operibus eum quem repleverit, exuberare concedit. Timor dum premit mentem, ne de præſentibus ſuperbiat, de futuris illam ſpei refectione conſortat. Sic enim quodam adminiculo ſui invicem ſibi ſuccurrunt, ut dum alia aliæ ſuffragatur, vitæ ordo & ſtatus decentiſſime componatur. Minor quippe eſt ſapientia ſi intellectu careat, & valde inutilis intellectus eſt, ſi ex ſapientia non ſubſiſtat: quia cum altiora ſine ſapientiæ pondere penetrat, ſua illum levitas gravius ruituram levat. Vile eſt conſilium, cui robur fortitudinis deeſt: quia quod tractando invenit, carens viribus uſque ad perfectionem operis non perducit: & valde fortitudo deſtruitur, niſi per conſilium fulciatur, quia * quod plus ſe poſſe conſpicit, eo virtus ſine rationis moderatione deterius in præceps ruit. Nulla eſt ſcientia, ſi utilitatem pietatis non habet: quia dum bona cognita exequi negligit, ſe ad judicium arctius ſtringit. Et valde inutilis eſt pietas, ſi ſcientiæ diſcretione caret: quia dum nulla hanc ſcientia illuminat, quomodo miſereatur, ignorat. Timor quoque ipſe has etiam virtutes ſi non habuerit, ad nullum opus proculdubio bonæ actionis ſurgit:

qui

* leg. parentes.

* Forte leg. qui Spiritu ... Spiritu ſapientiæ.

* leg. in Pſ.

* leg. hunc.

* leg. eximii.

* leg. quo.

a Legendum, *appellatur*, ut in editione Sirmondi.

b Legendum, *ex uno ſpiritus fonte*.

c Lege, *& certitudine*.

qui dum ad cuncta trepidat', ipsa sui formidine bonis omnibus torpens vacat.

Summopere itaque observandum est, & ipsius sancti Spiritus adjutorium implorandum, ne sapientia elevet; ne intellectus, dum subtiliter currit, aberret; ne consilium, dum se multiplicat, confundat; ne fortitudo, dum fiduciam præbet, præcipitet; ne scientia, dum novit * ut non diligit, inflet; ne pietas, dum se extra rectitudinem inclinat, intorqueat; ne timor, dum plus justo trepidat, in desperationis foveam mergat.

* leg. &.

Sciendum sane, quod hæ donorum spiritalium distributiones in corpore Christi, quod est Ecclesia, his fulciantur adminiculis; in eo vero, qui est fons luminis & origo bonitatis, plene atque perfecte incomparabiliter, atque ineffabiliter regnent. Sapientia namque, quæ & in Virginis utero sibi corpus, & in mundo Ecclesiam ædificavit, habet Spiritum sapientiæ, quo omnia sapienter; intelligentiæ, quo cuncta arcana secretorum rimatur; consilii, quo cuncta cum magna dispensatione gerit, quia est magni consilii Angelus: fortitudinis, quia attingit omnia a fine usque ad finem fortiter, & a nullo vinci potest; scientiæ, quia nihil ignorat, exceptis his, quibus dicturus est, nescio vos; pietatis, quia hominem, a quem * bonitatem creavit, in justitia damnavit, pietate redemit; timoris, propter eos qui timore Domini indigent, quia parvuli sunt, quibus per Prophetam dicit: *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos*. Quia ergo ille ad infirma nostra descendens, exinanivit semetipsum; formam servi accipiens, humiliavit semetipsum usque ad mortem, & inclinavit semetipsum, ut nos jacentes ad se erigeret; non inconvenienter Spiritus Domini, qui super eum requiescit, a sapientia incipit, & per decentissimos gradus ad timorem usque descendit. Nos vero a timore quem foras caritas mittit, venientes ad timorem castum qui permanet in seculum seculi, b pervenimus, * ad pietatem, ut pietatis operibus exornati veniamus ad scientiam non quæ inflat, sed quam caritas ædificat, a scientia ad fortitudinem, ut scientiæ decore exornati fortiter contra vitia dimicemus; a fortitudine ad consilium, ut ea quæ fortiter agimus, consilii gravitate muniamus; ut actibus nostris consilio * obtemperatis, ad arcana intellectus intrantes ad eam veniamus sapientiam, quæ initium habet timorem Domini: ut sapienter omnia complentes, & intellectum bonum faciendo habentes, illi sapientiæ admitti valeamus, per quam facta sunt omnia, quæ & ante secula a Patre ineffabiliter genita est, & in fine seculorum carnem nostræ salutis causa, dignata est accipere: cum carnem fidelibus suis edendam tribuit, cum dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*.

*leg. per bonitatem. a

* leg. a pietate. b

*leg. attemperatis.

XVIII. Propter hanc vitam adipiscendam & baptizamur, & ejus carne pascimur, & ejus sanguine potamur. Quia nequaquam possumus in ejus corpus transire, nisi his Sacramentis imbuamur. Sic enim ipse ait: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: & qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*. In illo est enim sacrificium salutare. Quod & in veteri testamento Melchisedech Rex Salem in typo corporis & sanguinis Domini obtulit, & in novo idem Mediator Dei & hominum antequam traderetur, adimplevit, cum accipiens panem & calicem, & benedicens eis, & tradens Discipulis suis, hæc in sui commemorationem fieri præcepit. Hoc ergo mysterium offerre de * sacrificii relictis ac finitis veteribus hostiis Ecclesia celebrat, offerens panem propter panem vivum, qui de cælo descendit, vinum pro eo qui dixit: *Ego sum vitis vera*: * & per visibilem sacerdotum oblationem, & * visibilem Spiritus sancti consecrationem, panis & vinum in corporis & sanguinis Domini transeant dignitatem. Cui sanguini admiscetur aqua, sive quia de latere Domini cum sanguine fluxit; quia, ut majores intelligi volunt, sicut per vinum Christus, ita & per aquam populus significatur. Vinum enim & aqua inseparabiliter in calice miscentur: quia & Ecclesia capiti suo inseparabiliter injuncta cohæret. Morem ergo accipiendæ Eucharistiæ a Domino traditum Ecclesia tenet: ut cum ex aqua & Spiritu sancto quis renascitur, corpore Christi trajecto ille maneat, & Christus in eo: ut istius cibi fortitudine roboratus, exemplo Heliæ, veniat usque ad montem Dei, Christum videlicet, qui mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ejus dono ad æternæ beatitudinis gloriam peraccedat; ubi satietur in bonis desiderium ejus, & cum Propheta dicere possit: *Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo, satiabor cum manifestabitur gloria tua*. Hactenus Theodulphus de ordine baptismi, in quem paucula hæc notare libuit.

* leg. ut. *leg invisibilem.

In epistola dedicatoria auctor se Theodulphum nominat, qui sane non est alius quam Theodulphus Episcopus Aurelianensis, qui doctrina & pietate floruit, imperantibus Carolo Magno (cujus meminit in hac epistola,) & Ludovico Pio. Johannes ille cui libellum dedicat Theodulphus, fuit Episcopus Arelatensis ipsi Theodulpho æqualis sub iisdem Imperatoribus. Illius mentio fit in præfatione Concilii Arelatensis VI. sub Carolo Magno celebrati. Mittitur cum Theodulpho præfato a Ludovico Pio obviam Stephano IV. Papæ Remos appropinquanti, ut testatur auctor vitæ Ludovici Pii, quem nonnulli Ademarum esse putant. In eadem epistola hæc vocabula, c *quod jussisti*, redundare videntur. Primates sunt regni proceres, magnates, summates: legis Wisigothorum lib. 3. titul. 1. l. 5. *ut quicumque ex palatii nostri primatibus*.

Cap. 1. agitur de Catechumenis. Quid sit Catechumenus, docet S. Isidorus lib. 8. Orig. cap. 14. *Catechumenus dictus pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen baptismum percepit; nam Κατηχούμενος Græce auditor dicitur*. Quod etiam clarum est ex Luciano in Philopatri, ἀλλὰ κατηχούμενος πείθου παρ' ἐμοί, εἴπερ ζῆν χρῄζεις εἰς τὸν αἰῶνα, id est, & Catechumenus factus a me persuadearis, si in ævum vivere cupis. Quare a Latinis Patribus Catechumenus dicitur, *auditor*, & *audiens*. Ita loquitur Tertullianus lib. de pœnitentia: *nemo ergo sibi adulctur, quia inter Auditorum tyrocinia deputetur*. Et paulo post: *Hæc enim prima Audientis intinctio est, metus integer*. & paulo post: *Itaque Audientes optare intinctionem, non præsumere oportet*. Et S. Cyprianus epist. 13. *Audientibus etiam, si qui fuerint periculo præventi, & in exitu constituti, vigilantia vestra non desit*. Et epist. 24. *Optatum inter Lectores doctorem Audientium constituimus*. Erant & alii Audientes, sed pœnitentes, qui erant in secundo pœnitentium gradu, ut infra docebitur. Duplex fuit olim Catechumenorum gradus; primus est incipientium, rudium, & imperfectiorum; secundus est perfectiorum; qui competentes dicebantur, omnesque ii tum competentes tum incipientes in Ecclesia Scripturas audiebant. Incipientes & rudes erudiebantur summatim tantum de Dei operibus, de mundi atque hominis creatione, de iis præsertim quæ sunt in utroque Testamento admirabiliora, & de caritate pura, & minime ficta, ut planum est ex cap. 3. libri S. Augustini de catechizandis rudibus: *Narratio plena est, cum quisque primo catechizatur ab eo quod scriptum est, fecit Deus cælum & terram, usque ad præsentia tempora Ecclesiæ: non tamen propterea debemus totum Pentateuchum, totosque Judicum & Regnorum & Esdræ libros, totumque Evangelium & Actus Apostolorum, vel si ad verbum ea edidicimus, memoriter reddere, vel nostris verbis omnia quæ his continentur voluminibus, narrando volvere & explicare, sed nec* tem-

a In ed. Sirm. *quem bonitate creavit, justitia damnavit*.
b Lectio hæc mihi præferenda videtur; neque placet notata in margine animadversio.
c Quæ supra asterisco designantur.

tempus capit, nec ulla neceſſitas poſtulat, ſed cunƈta ſummatim generatimque complecti; itaut eligantur quæ mirabiliora, quæ ſuavius audiantur, &c. Hæc pateot etiam ea Luciano in Philopatri, ubi Triephon Chriſtianus ea quæ quondam a S. Paulo edoctus fuerat, quemdam Critiam, qui Chriſtianus fieri cupit, docet in hunc modum: ἐγὼ γάρ σε διδάξω τί τὸ πᾶν, καὶ τίς ὁ πρὸ πάντων, καὶ τί τὸ σύστημα τοῦ παντός. id eſt, docebo te quid ſit univerſum, & quis fuerit aute omnia, & quæ ſit univerſi conſtitutio, &c. & infra: TRIEPHON: *Legiſtine aliquando Ariſtophanis Comici fabulam, aves?* CRITIAS: *atque admodum*. TRIEPHON. *Scriptum ab eo tale quippiam ibi eſt*.

Χάος ἦν, νὺξ, ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον, καὶ τάρταρος εὐρύς·
Γῆ δ' οὐδ' ἀήρ, οὐδ' οὐρανὸς ἦν.

Id eſt, *a principio chaos erat, & nox & tenebræ nigræ erant, & tartarus altus: nulla autem terra, aer, aut cælum adhuc*. CRITIAS: *Recte dicis, quid autem poſtea?* TRIEPHON: ἦν φῶς ἄφθιτον, ἀόρατον, ἀκατάληπτον, ὃ λύει σκότος, &c. id eſt, *Erat lux incorruptibilis, incomprehenſibilis, quæ diſſolvit tenebras, & informitatem abegit, verbo ſolo dicto ab ipſa, quemadmodum tardilinguis iſte* (Moyſen intelligit) *deſcripſit. Terram firmavit ſuper aquas, cælum explanavit, ſtellas formavit fixas, curſum ordinavit, quas tu veneraris, ut Deos. Terram autem & floribus exornavit, hominem ex nihilo ad eſſentiam perduxit, eſtque in cælo aſpiciens juſtos pariter, & injuſtos: & in libris deſcribens cujuſque res & actiones*, &c. & infra; *bona verba, neque quidquam contemtum, & vile de Deo dextero loquaris, ſed Κατηχούμενος perſuadearis a me, ſi cupis in ævum vivere*; εἰ τὸν οὐρανὸν ὡς δέρριν ἐξέτεινε, γῆν δὲ ἐφ' ὕδατος ἔπηξεν, &c. id eſt, *nam ſi cælum explanavit ut pellem, terram autem firmavit ſuper aquas, ſtellas formavit, hominem ex nihilo produxit, quid mirum adeo, ſi res quoque omnium ita deſcribantur*: Audiebant quidem myſteria, ſed non iotelligebant: audiebant Scripturas, ſed ſenſum earum ignorabant, ut planum eſt ex S. Cyrillo in Præfatione Catecheſeon. Perfecti autem etant, qui primo gradu defuncti, dato nomine, tamquam Dei militiæ inſcripti, divina myſteria docebantur, ut clarum eſt ex eodem Cyrillo Præfatione citata. Eis ſymbolum tradebatur, hoc eſt omues illius articuli eoucleatius illis exponebantur, ut videre eſt quatuor libris S. Auguſtini de Symbolo ad Catechumenos: quod non fit in libro de catechizandis rudibus, cum prioris gradus Catechomenorum gratia dumtaxat ſcriptus ſit. Id etiam planum eſt ex S. Johanne Chryſoſtomo Catecheſi prima, io qua ſcribit perfectiores poſt annum catechumeoatus triginta dierum ſpatio μυσταγωγεῖσθαι, id eſt, myſteriis imbui religionis. Hujuſmodi Catechumeni dicebantur Competentes, eo quod baptiſmum peterent, ut ſcribit S. Iſidorus lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 27. & lib. 2. cap. 21. & lib. 7. Orig. cap. 14. *Competens vocatur, qui poſt inſtructionem fidei competit gratiam Chriſti, unde & a petendo competens vocatur*. Sed cum dicit: *poſt inſtructionem fidei*, intelligendus eſt de illa rudiorum Catechumeuorum inſtructione, quibus audire myſteria nefas erat. Et S. Auguſtious lib. de fide & operibus cap. 6. *Cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ab hoc Competentes etiam vocaremur*. Competentium meminit S. Ambroſius lib. 5. epiſt. 33. *Symbolum aliquibus competentibus in baptiſteriis tradebam baſilicæ*.

Fiebant autem Catechumeni per ſignum crucis quo in frontibus ſignabantur, ut palam eſt ex S. Auguſtino lib. 1. Confeſſionum cap. 11. infra citando & lib. 2. de Symbolo ad Catechum. *Non eo dem adhuc per ſacrum baptiſmum renati eſtis, ſed per crucis ſignum in utero ſanctæ matris Eccleſiæ jam concepti eſtis*. Et lib. 4. *Dum per ſacratiſſimum crucis ſignum vos ſuſcepit in utero ſancta mater Eccleſia, quæ, ſicut & fratres veſtros ſumma cum lætitia ſpiritaliter pariet*; Lib. de catechizandis rudibus cap. 20. *Cujus paſſionis & crucis ſigno in fronte tamquam in poſte ſignandus es, omneſque Chriſtiani ſignantur*; & cap. 26. ejuſdem lib. *quod ſi reſponderit ſolemniter, utique ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus*; & l. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 26. mox citaodo. In codice Ratoldi ſignatur Catechumenus in fronte & in pectore, ut habetur in his ejuſdem codicis formulis: SIGNUM SALVATORIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI IN FRONTE TUA PONO. SIGNUM SALVATORIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI IN PECTORE TUO PONO. Ita etiam io codice Remenſi, io formula faciendi Catechumeni ea geotilitate converſi, quæ uoica eſt in hunc modum: ACCIPE SIGNUM CRUCIS TAM IN FRONTE QUAM IN CORDE, &c.

Præter ſignum crucis manus impoſitio etiam adhibebatur, ut teſtatur S. Auguſtinus l. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 26. *Nam & Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum, per ſignum crucis & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari*. Idem patet ex codice Remenſi, in creatione Catechumeni ex gentilitate converſi, ubi & mentio fit ſufflationis: *Gentilem hominem cum ſuſcipere* (ſubaudi τὸ vis) *in primis catacizas eum divinis ſermonibus, & das ei monita, quemadmodum poſt cognitionem veritatis vivere debeat: & poſt hæc facis eum Caticuminum, & ſufflas in faciem ejus, & facis ei crucem, & ponis manum ſuper caput ejus in his verbis: Accipe ſignum*, &c. ſupra. Hæc manus impoſitio non extat in codice Ratoldi.

Sal etiam in os Catechumeni immittebatur; ſed de hac re infra. Cap. 2. Hierarch. Eccl. Dionyſii mentio fit ſigni crucis, & manus impoſitionis, quæ tameo ibi non adhibentur ineunte catechumenatu, ſeu fidei tyrocinio, cum tyro Chriſtianus primis religionis imbuitur elementis, ſed cum accedit ad baptiſmum, ut ibidem videre eſt.

In cap. 3. fit ſignum crucis per eaſufflationem. Inſufflationis ſeu exſufflationis memioere Dionyſius cap. citato, Cyrillus Catecheſi 2. myſtag. S. Auguſtinus l. 4. de ſymbolo ad Catechumenos, & multi alii. Ter inſufflatur Satanas converſo Catechumeno ad plagam occidentalem, ut ſcribit S. Dionyſius cap. citato. Hac inſufflatione ſignificatur Chriſtianum execrari & abominari Satanam. Sed duplex hujus exſufflationis apparet modus; nam apud Dionyſium cap. citato Catechumenus a Pontifice juſſus ipſum Satanam exſufflat: ἐμφυσῆσαι μὲν αὐτῷ τρὶς ἀφοσιώσασθαι τῷ Σατανᾷ. id eſt, ter Satanam inſufflare jubet. At apud Alcuinum cap. de Sabbato ſancto lib. de Offic. divinis & in epiſt. ad Carolum Magnum, Theodulphum hoc loco, & in codice Remenſi, exſufflatio fit a Sacerdote, ſeu Clericis. Quod etiam teſtatur auctor libri de Eccleſiaſticis dogmatibus inter opera S. Aug. cap. 31. *Illud etiam quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu, cum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorciſmis & exſufflationibus Clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur*. Quod ſatis innuere videtur S. Cyrillus, cum ait citata Catech. ὥσπερ γὰρ τὰ ἐμφυσήματα τῶν ἁγίων, &c. id eſt, *nam ut inſufflationes Sanctorum & nominis Dei invocatio tamquam vehementiſſima quædam flamma urit dæmonas, & in fugam convertit*. Utrumque modum nunc obſervant Græci, ut manifeſtum eſt ex eorum Euchologio: ubi primo Sacerdos ter io Catechumeni faciem inſufflat, & poſt tertium exorciſmum idem Sacerdos inſufflat io os, frontem, & pectus Catechumeni, & poſt abrenuntiationem jubetur Catechumenus inſufflare & conſpuere Satanam. In Concilio Conſtantinopolitano primo, can. 7. mentio fit inſufflationis, & inſufflatur Catechumenus in faciem & in aures. In eodem capite Theodulphi, in his verbis, *ut exire*, τὸ *ut*, redundat. His verbis, *qui & diſcipulos ſuos*, &c. hæc ſunt præponenda vocabula, *exemplo Chriſti*, aut his ſimilia.

Cap. 4. agitur de exorciſmo, quem ipſe Theodulphus ſcribit eſſe ſermonem increpationis, juxta S. Iſidorum l. 2. de Offic. divinis cap. 20. quia exorciſtæ diabolum multis increpationibus laceſſunt. Exorciſmorum ante baptiſmum memioere S. Cyrillus io Præfatione Catecheſeon, S. Gregorius Theologus

logus Orat. in sacrum lavacrum: μὴ διαπτύσῃς ἐξορκισμοῦ θεραπείαν. id est, ne rejicias exorcismi medicinam. S. Augustinus lib. de fide & operibus, lib. 4. de symbolo ad Catechumenos, & nonnullis aliis libris. S. Johannes Chrysost. Catech. 1. S. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. *Nam ubi primum Sacerdos ingreditur, exorcismum facit*. Et multi alii. Nulla tamen habetur mentio explicita cap. 2. Hierar. Eccl. Dionysii. Quidam tamen putant orationem illam quam dicit a Pontifice una cum tota Ecclesia absolvi, esse exorcismum: cum videamus in Euchologio Græcorum tertium exorcismum esse in modum orationis. Qui exorcizabantur, velata facie audiebant exorcismos, ut scribit S. Cyrillus in præfatione Catecheseon ἐσκέπασταί σου τὸ πρόσωπον. Id est, tua velatur facies; & rationem reddit, ne vagis oculis mens etiam vagetur: stabant discincti, ablata veste, cum sola tunicella, & nudis pedibus, ut videre est Catechesi supra citata S. Johannis Chrysostomi; ὑπολύσαντες ὑμᾶς, καὶ ἀποδύσαντες γυμνοὺς καὶ ἀνυποδέτους μετὰ τοῦ χιτωνίσκου μόνου πρὸς τὰς τῶν ἐξορκιζόντων παραπέμπουσι φωνάς. id est, discingentes vos, & exuentes, & sine calceis cum sola tunicella mittunt ad exorcizantium voces. Cap. 2. Eccl. Hierar. S. Dion. ἀποζώννυσιν αὐτόν, καὶ ἀπαμφιέννυσι διὰ τῶν λειτουργῶν. id est, discingit eum, & exuit per ministros, & infra in Theoria, γυμνὸν καὶ ἀνυπόδετον ἵστησι πρὸς δυσμὰς ἀφορῶντα. id est, nudum & discalceatum statuit respicientem ad Occidentem.

Hanc pedum nuditatem S. Augustinus infra citandus appellat humilitatem pedum. Quod etiam hodie observant Græci, ut ex eorum Euchologio manifestum est. In pedes erigebantur, ut colligitur ex S. Basilio in exhortatione ad baptismum: οὐκ ἐπὶ πόδας ἐγείρεσθαι. id est, non in pedes erigi; ibi loquitur de Clinicis, qui morbi gravitate coacti baptismum accipiebant; nec, ut statutum erat, poterant pedibus stare, qui & in oratione genu flectebant, ut ibidem videre est, οὐ κλίνας γόνυ ἐν τῇ προσκυνήσει. id est, nec genu flectere in adoratione. Quid simile videtur in epistola Jessa Ambianensis, & in codicibus Remensi & Ratoldi: *Et admonentur a Diacono: Orate Electi, Flectite genua. Postquam oraverint, iterum dicit: Levate.*

Capite 5. agitur de sale, quod ibi Sacramentum Catechumenorum appellatur. Hæc verba, *ut ejus gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque a sapore Christi desipiant*, sumta sunt ex S. Isidoro lib. 2. de Offic. Ecclesiasticis cap. 20. ex quo reposui verbum *desipiant*, cum in cod. ms. nostro legatur corrupte *decipiantur*, & subaudiendum est τὸ *alieni*, vel quid simile. Hujus ritus meminit Isidorus cap. citato, & S. Augustinus lib. 1. Confess. cap. 11. *Audieram enim ego adhuc puer de vita æterna nobis promissa per humilitatem filii tui Domini Dei nostri descendentis ad superbiam, & signabar jam signo crucis, & condiebar ejus sale*. Etsi nonnulli hæc ultima vocabula de sale divinæ gratiæ interpretentur, qua nimirum ille conditus erat, quod non ita facile admiserim; etenim si adhibito maturo judicio res pensitetur, ibi de suo catechumenatu agit S. Augustinus, qui consistit in his tribus, quæ hic recensentur, auditu, signo crucis, & salis susceptione, quo divinæ sapientiæ sal, quo debet condiri Catechumenus, significatur, abstinendo a vitiis per Dei gratiam, & virtutes amplectendo, a qua vitæ ratione multum aberrabat ipse Augustinus, ob ejus pueritiam multis vitiis conspurcatam, ut videre est antecedentibus & consequentibus ejusdem libri capitibus, quisquidem sal materiale susceperat, & ab eo quod per illud significatur, toto cælo recesserat, sale mundi jam infatuatus. Mentio etiam extat in Concilio Carth. 3. can. 5. *Item placuit, ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Cathechumenis non detur, nisi solitum sal: quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari*. Hinc capiendus est S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 26. *Et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum est*. Et cap. 26. libri de catechizandis rudibus: *de Sacramento sane quod accepit, cum ei bene commendatum fuerit signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari*. Nec credendum est duobus his sancti Augustini locis intelligi Eulogias, hoc est panem benedictum, nam ex Concilio supra citato unicum erat Catechumenorum Sacramentum nempe sal, quod numquam mutari debet, neque per solemnissimos Paschales dies, quia fideles, hoc est baptizati per dies illos non mutant Sacramentum. Neque hoc concilio panis benedictus prohibitus est Catechumenis, sed ne mutetur eorum Sacramentum etiam per dies Paschales, quia his diebus baptizati non mutant. Cum igitur S. Augustinus his duobus locis non explicet quid sit Sacramentum Catechumenorum, rite per citatum concilii locum explicatur quid sit Catechumenorum Sacramentum apud S. Augustinum. Nec dicendum est morem hunc fuisse tempore S. Augustini dari Catechumenis panem benedictum Sacramenti loco, quia id manifeste repugnat concilio, cui S. Augustinus interfuit, in quo sal solitum dicitur esse Catechumenorum Sacramentum; sed abusus qui sensim introducebatur, ab eo tollitur. Sacramentum autem his locis citatis non sumitur pro Sacramento proprie dicto; sed pro eo quod mysticum est. Græci hoc ritu carent; qui non invenitur apud antiquos eorum Patres, nec in libro Severi Alexandrini Patriarchæ, neque in eorum Euchologio in sequentia de baptismo.

Cap. 6. agit Theodulphus de symboli significatione, illiusque institutione juxta Rufini lib. de expositione symboli, & S. Isidori lib. 2. Eccl. Offic. cap. 1. doctrinam. Hoc symbolum dabatur Competentibus, hoc est illis Catechumenis quibus fidei mysteria explicare fas erat, ut testatur S. Isidorus cap. citato. Traditionis symboli meminit S. Augustinus lib. 2. de symbolo ad Catechumenos: *Purgata itaque familia Redemtoris, postquam cantavit canticum salutis, accepit symboli remedium contra antiqui serpentis venenum; ut si quando voluerit adversarius diabolus denuo insidiari, noverit redemptus cum symboli Sacramento & crucis vexillo ei debere occurri*; & S. Ambrosius lib. 5. epist. 33. *sequenti die (erat autem Dominica) post lectiones atque tractatum dimissis catechumenis symbolum aliquibus Competentibus in baptisterii tradebam basilicæ*. Tradebatur symbolum Competentibus in Dominica Palmarum, ut refert S. Isidorus lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 27. additque rationem: *Hoc die Competentibus traditur propter confinem Dominicæ Paschæ solemnitatem; ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confiteantur agnoscant*. In Gallia idem fere mos olim servabatur; nam ante octo dies Paschæ Competentibus symbolum tradebatur, ut statuitur in Concilio Agathensi, can. 12. *Symbolum etiam placuit in omnibus Ecclesiis una die, id est ante octo dies Dominicæ resurrectionis publice in Ecclesia Competentibus tradi*. Hæc autem traditio symboli nihil aliud est, quam mysteriorum, quæ in eo continentur, expositio. Dicit Theodulphus fidei nostræ symbolum ab Apostolis fuisse compositum, quod præter Rufinum, & Isidorum supra citatos confirmat S. Hieronymus epist. ad Pammachium adversus errores Johannis Hierosolymitani: *In symbolo fidei, & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento*, &c.

Cap. 7. exponit fidem Theodulphus, quæ in symbolo continetur. Sed cum ait Christum non esse filium Dei adoptivum, ostendit se esse orthodoxum, nec consentire hæresi suo tempore in Hispania natæ, quam Elipantus Toletanus, & Felix Urgelitanus Pontifices defendebant, asserentes Christum esse filium Dei adoptivum, quos multis libris refutavit Alcuinus Dicit Theodulphus Christum natum esse de Spiritu sancto; quia olim in quibusdam exemplaribus symboli ita scriptum fuit, ut videre est apud S. Augustinum lib. 1. & 2. de symbolo, & apud Rufinum in expositione symboli. Sed statim mentem suam aperit Theodulphus, *id est ut Spiritu sancto cooperante verum*

fibi corpus ex virgine Dei filius adſumſerit. Hæc verba, *id eſt Dei filius*, corrupta ſunt, & legendum eſt, *qui eſt Dei filius*. Notandum etiam illud eſt quod infra ſcribit Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere: in quo etiam ſe oſtendit orthodoxum; maxime cum illius ætate mota quæſtio eſſet de proceſſione Spiritus ſancti a Johanne monacho Hieroſolymitano, qui negabat Spiritum ſanctum a Patre Filioque procedere; cujus rei cauſa Carolus Magnus anno Domini DCCCIX. concilium Epiſcoporum Aquiſgrani coegit, miſitque Bernharium Epiſcopum, & Adalardum Abbatem Corbeienſem ad Leonem III. Papam, hujus quæſtionis definiendæ gratia, ut ſcribunt Eginhardus in geſtis Caroli Magni, quidam monachus Egoliſmenſis in vita Caroli Magni, Anonymus in vita ejuſdem Imperatoris, & Annales Fuldenſes ad præfatum annum.

Cap. 8. agitur de ſcrutinio, hoc eſt de examine, ut vocat S. Auguſtinus, baptizandorum: non temere olim dabatur baptiſmus, ſed baptizandorum vita & intentio diligentius examinabantur, ut teſtatur Tertullianus lib. de baptiſmo: *Ceterum baptiſmum non temere credendum eſſe ſciant, quorum officium eſt. Omni petenti te dato, ſuum habet titulum, proinde ad eleemoſynam pertinentem. Immo illud potius perſpiciendum, nolite ſanctum dare canibus, & porcis projicere margarita veſtra*. S. Auguſtinus lib. de fide & operibus, ſcrutinii meminit, cum ait: *Quales ſint ipſis diebus, quibus catechizantur, ſcrutantur, exorcizantur, ſcrutantur*. Vide eumdem lib. de catechizandis rudibus. Subjungit Theodulphus: *Hunc enim morem Eccleſia conſervare conſuevit, ut per aliquod dierum ſpatium*, &c. His verbis agit de Competentibus qui Dominica Palmarum nomen ſuum dabant, & ſcrutinium ſubire tenebantur, ut ſupra docuimus. Hi ſe conferebant in Eccleſiam, humiliata cervice proſtrato cilicio nudis pedibus, inſufflabantur, exorcizabantur, Satanæ renuntiabant ejuſque pompis & operibus, ſymbolum eis tradebatur, id eſt exponebatur, jejunia eis indicebantur, quæ uſque ad baptiſmi diem ſervare deberent cum abſtinentia ab uxoribus, quæ omnia plana fient ex ſubjectis S. Auguſtini locis, & primo quidem ex lib. 2. de ſymbolo ad Catechumenos cap. 1. *Quid eſt, dilectiſſimi, quod in vobis celebratum eſt? quid eſt quod hac nocte circa vos actum eſt? quod præteritis noctibus actum non eſt, ut ex locis ſecretis ſinguli produceremini in conſpectu totius Eccleſiæ, ibique cervice humiliata, quæ male antea fuerat exaltata, in humilitate pedum cilicio ſubſtrato in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur diabolus ſuperbus, dum ſuper vos invocatus eſt humilis altiſſimus Chriſtus. Omnes itaque humiles eratis, humiliterque petebatis, orando, pſallendo, atque dicendo, Proba me, Deus, & ſcito cor meum; probavit, examinavit corda ſervorum ſuorum*. Et cap. 2. lib. 4 *Omnia Sacramenta quæ acta ſunt & aguntur in vobis per miniſterium ſervorum Dei, exorciſmis, orationibus, canticis ſpiritalibus, inſufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor iſte omni ſecuritate appetendus*, &c. & lib. de fide & operibus cap. 6. *quo ſine dubio non admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, jejuniis, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis & veris uxoribus ſe concubituros profiterentur, paucis ipſis ſolemnibus diebus nullam continentiam ſervaturos*. Traditionis nominis hoc loco fit mentio, traditionis ſymboli lib. 2. de ſymbolo cap. 1. *purgata itaque familia Redemtoris, accepit ſymboli remedium contra antiqui ſerpentis venenum*; & lib. 4. cap. 5. *accepiſtis & ſymbolum protectionem parturientis contra venena ſerpentis*. Renuntiationis diabolo meminit lib. 1. de ſymbolo ad Catechumenos cap. 1. *Si adjutorium veſtrum in nomine ejus eſt, renuntiemus diabolo & pompis & Angelis ejus. Hoc audiſtis, hoc & vos profeſſi eſtis renuntiare vos diabolo, & pompis & Angelis ejus*. Pœnitentiæ ante baptiſmum meminit etiam Tertullianus lib. de baptiſmo ſub finem: *Ingreſſuros baptiſmum orationibus crebris & jejuniis geniculationibus & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum*; & Concilium Carthaginenſe 4 can. 85. *baptizandi nomen ſuum dent, & diu ſub abſtinentia vini, & carnium* &c. ubi legendum puto, [a] *aliquandiu*, pro, *diu*. Nam. S. Auguſtinus cap. 6. libri de fide & operibus dixit: *Paucis ipſis ſolemnibus diebus*; cui ſubſcribit S. Iſidorus lib. 1. de Offic. cap. 27. cum ait Competentes creari Dominica palmarum, ii enim erant qui exorciſmis & ejuſmodi pœnitentiæ ſubjiciebantur, ut videre eſt apud S. Auguſtinum eodem capite: ac proinde liquido conſtat hanc pœnitentiam non fuiſſe diuturnam; quod ſatis innuit Tertullianus loco citato, cum dixit *to ingreſſuros*.

Apud Orientales ſeu Græcos fuit hæc quadraginta dierum pœnitentia, ut planum eſt ex præfatione S. Cyrilli ad eos Catechumenos, qui nomen dederant, ut baptiſmum ſuſciperent: *πολλή σοι ἡ προθεσμία, τεσσαράκοντα ἡμερῶν μετάνοιαν ἔχεις*. id eſt, tempus præſcriptum tibi multum eſt, quadraginta dierum pœnitentiam habes. Ibi S. Cyrillus loquitur ad eos Catechumenos, qui dato nomine baptiſmum petebant, admonens eos quanta cum puritate cordis hoc Sacramentum ſuſcipere debeant; quod ſi forte peccandi voluntatem non omnino exuerint hortatur, ut dum quadraginta dierum tempus pœnitentiæ præſtitutum habent, omnem prorſus peccati affectum a ſe procul amendent. Nec dicendum eſt ejuſmodi hominum baptiſmum in Pentecoſten uſque perendinari, quo ſapere diſcant, ac proinde hos quadraginta dies eſſe de illis quadraginta diebus qui ſunt ante Pentecoſten intelligendos: eo quod hæc præfatio paucis ante Paſcha diebus a S. Cyrillo recitata ſit. Sed prior ſententia potior eſt: 1 quia probari non poteſt ejuſmodi præfationem fuiſſe paulo ante Paſcha a S. Cyrillo recitatam. 2. ſi paucos dies ſaltem hebdomaden ſumamus ante Paſcha, ab initio illius hebdomades ſeptem & quinquaginta dies intercedent uſque ad Pentecoſten. 3. vocabulum *προθεσμία*, quod tempus præſcriptum ſeu præſtitutum ſignificat, contrariæ ſententiæ adverſatur. Si enim tempus quadraginta dierum præſcriptum eſt Catechumenis baptiſma petentibus ad eos inſtruendos & agendam pœnitentiam, ſignum eſt omnes huic præſcripto obnoxios fuiſſe. Sed hoc XL. dierum ſpatium amplius probatur ex ipſo Cyrillo: ſiquidem Catech. 1. adhortans baptiſmum petentes ad ea, quæ mundi ſunt, ableganda, ſic ait: *mundana hæc omnino poſtpone, parva enim ſunt quæ relinquis, maxima vero quæ dantur a Domino. Relinque præſentia, & crede futura. Tot annorum circulos tranſegiſti, mundo fruſtra operam navans*: *καὶ τεσσαράκοντα ἡμέρας οὐ σχολάσεις τῇ προσευχῇ* &c. id eſt, *& quadraginta diebus non vacabis orationi propter animam tuam*. Catech. 4 ſectione 1. ad eoſdem: *ante vero fidei traditionem præclare mecum actum videtur, ſi nunc ſummatim dogmatum neceſſariorum capita repetam, ne dicendorum multitudo*, *καὶ τὸ μεταξὺ διάστημα τῶν ἡμερῶν τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς ἁπάσης*. id eſt, *& intercedentium dierum ſanctæ Quadrageſimæ totius intervallum oblivionem induat noſtrarum rerum earum quæ ad cogitandum ſunt ſolidiores*. Quod confirmatur ex Catecheſi 18. quæ eſt ultima illarum Catecheſeon, ubi ſic ſcribit: *De tradita namque vobis ad profitendam ſancta & Apoſtolica fide, quantum Catecheſis capere potuit, per Dei gratiam diximus*, *ἐν ταῖς διελθούσαις ταύταις τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέραις*. id eſt, *præteritis hiſce Quadrageſimæ diebus*. & paulo poſt ſubjungit, *ἐνεστώσης τὸ λοιπὸν τῆς ἁγίας τοῦ Πάσχα ἡμέρας*, &c. id eſt, inſtante autem deinceps ſancto Paſchate, & veſtra in Chriſto regeneratione. Itaque cum prædicta præfatio ad ſupra memoratas Catecheſes pertineat, ſignum eſt eam initio quadraginta illorum dierum, qui inſtitutionis plenioris & pœnitentiæ cauſa baptiſmum petentibus concedebantur, recitatum fuiſſe. Hi autem dies videntur initium duxiſſe paulo ante jejunium quadrageſimale.

Verum etſi quadraginta dies Competentibus Græcis præſtitutas fuiſſe ex S. Cyrillo conſtet, tamen apud S. Johannem Chryſoſtomum triginta tantum Cate-

a In noviſſima Conciliorum recenſione & editione, ſervatum eſt, *diu*, quamvis *aliquandiu* præferendum videatur.

Catechesi prima videre licet: ἀλλ' ἔτι τριάκοντα ἡμέραι. id est, *Sed supersunt adhuc triginta dies, & revocabit nos non Pharao, sed cælorum Rex ad supernam patriam*. Et infra loquens de eorumdem annorum spatio: *quare igitur Patres præterito toto anno*, ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ μυστηριωδέστερα τὰ τέκνα τῆς Ἐκκλησίας ἐμυσταγώγησαν; id est, *hoc tempore (triginta dierum) secretioribus mysteriis Ecclesiæ filios imbui voluerunt?* Sed non fuit una ubique consuetudo. Per hos dies ejusmodi Competentes omnia retroactæ vitæ peccata confitebantur, ut patet ex S. Cyrillo Catechesi 1. ἐξομολογοῦ τὰ πεπραγμένα τὰ ἐν λόγῳ, τὰ ἐν ἔργῳ, τὰ ἐν νυκτί, τὰ ἐν ἡμέρᾳ. id est, confitere actus tuos sive in verbo, sive in opere, sive noctu, sive interdiu.

Id etiam supra de Latinis notavimus ex Tertulliano. Sed hæc confessio quemadmodum & pœnitentia, non erat Sacramentalis; quia nullum Sacramentum ante baptismum confertur, ut vulgo docent Theologi. Siquidem tum confessio tum pœnitentia erant tantum quædam dispositio ad baptimum rite, & ut par est, suscipiendum. Alia erat Catechumenorum sive perfectorum, seu imperfectorum pœnitentia, si forte in ipso Catechumenatus curriculo capitale crimen aliquod admisissent, de qua agitur in Conciliis Niceno 1. can. 14 & Neocæsariensi can. 5.

Cap. 9. declaratur qualiter fiat scrutinium, nempe cum tanguntur saliva nares & aures, quod fit juxta usum Ecclesiæ Romanæ, ut videre est apud Alcuinum lib. de Offic. capite de Sabbato sancto, cum ritum Romanæ Ecclesiæ in dando baptismo explicat: *Inde vero tangit ei nares, & aures de sputo, & dicit ad aurem dextram*: EPHATA, *quod est, adaperire; ad nares: in odorem suavitatis*. Juxta alium usum apud eumdem Alcuinum capite citato tanguntur tantum aures & nares sine sputo, quemadmodum apud S. Ambrosium cap. 1. libri de his qui mysteriis initiantur: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite; quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes mysterium diceremus*, EPHETA, *id est adaperire*. Et rationem subjungit: *ut venturus unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur, cognosceret; quid responderet, meminisse deberet*. Et l. 1. de Sacramentis cap. 1. *Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ & ad eloquium sacerdotis*. Et infra: *ideo propter gratiam operis & muneris non tangit os Episcopus, sed nares. Quare nares? ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, ut dicas: Christi enim bonus odor sumus Deo, quemadmodum dixit Apostolus sanctus, & sit in te fidei devotionisque plena fragrantia*. Hoc ritu Græci carent, non enim extat in eorum Euchologio, nec Patres Græci meminere. Theodulphus tantum meminit tactus narium & aurium, agens de scrutinio, quasi solus ille adhiberetur: sed insufflatio, exorcizatio, abrenuntiatio, & unctio scapularum & pectoris, sunt etiam scrutinii ritus.

Erant autem septem scrutinia; primum incipiebat tertia Dominica Quadragesimæ juxta Ordinem Romanum & codicem Ratoldi, vel quarta Dominica Quadragesimæ juxta codicem Remensem, ultimum Sabbato sancto fiebat; eaque inter Missarum solemnia, sed post lectiones dimittebantur baptizandi cum ceteris Cathecumenis. Olim in Hispania hoc scrutinium fiebat viginti diebus ante baptismum, ut statuitur in Concilio Bracarensi 2. can. 2. *Sin autem minime, docere debent ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, sicut antiqui canones jubent, ut ante dies viginti baptismi ad purgationem exorcismi concurrant Catechumeni, in quibus viginti diebus omnes Catechumeni symbolum, quod est, Credo in Deum Patrem omnipotentem, specialiter doceantur*. Cum enim præcipit Concilium Catechumenis, ut accedant ad Ecclesiam ad purgationem exorcismi, haud dubie loquitur de scrutinio, cum exorcismus inter præcipua scrutinia censendus sit. Sed temporibus S. Augustini, & S. Isidori incipiebat scrutinium Dominica palmarum, ut supra docuimus. Apud Græcos fiebant per quadraginta, aut triginta dies, ut supra notavimus. In ipsis scrutiniis separabantur mares a feminis, ut habetur in præfatis codicibus, & apud S. Cyrillum Hierosolymitanum in præfatione: ἄνδρες μετὰ ἀνδρῶν, καὶ γυναῖκες μετὰ γυναικῶν. id est, masculi cum masculis, feminæ cum feminis. Mares in parte dextra, feminæ in sinistra collocabantur, ut testantur citati codices. Cum autem essent juxta fontes, statim baptizandi stabant trementes, demisso vultu, se mutuo manibus tenentes: ut habetur in synodo Constantinopolitana sub Mena, actione 5. in formata adversus Petrum Apameæ Episcopum, ἑστῶτας τὸ σχῆμα τοῦ ἀγῶνος ἀποπληροῦντας, κάτω νεύοντας καὶ τὰς χεῖρας συμπλέκοντας, καὶ τρέμοντας ἄγχειν, &c. id est, stant speciem certaminis explicantes, innuentes, diabolique invidæ astutiæ resistentes. In versione Latina legitur, *non resistens*, sed negatio abest a Græco. In eodem capite Theodulphi notanda sunt hæc verba, *Per membra corporis spiritales animæ virtutes intelliguntur*. Sic Vincentius Victor, qui optime sentiebat Deum non esse corporeum, cum nomina membrorum, quæ passim in Scripturis Deo tribuuntur, ei objicerentur, recte dicebat per hæc incorporeas intelligendas esse virtutes. At cum ille diceret animam hominis esse corpoream, suamque opinionem stabiliret ex quibusdam membrorum nominibus, quæ in Scripturis animæ hominis tribuuntur, S. Augustinus l. 4. de anima & ejus origine adversus eum agens retorquendo solutionem sic infit: *Quia Deum rectissime defendis non esse corporeum, quid igitur causæ est, cur nomina ista membrorum in Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? An vero quando de creatura hæc dicuntur, proprie accipienda sunt: quando autem de Creatore, tropice atque translate*.

In eodem capite notanda sunt hæc verba, *quia ergo Divinitas hominem adsumens*. Ita supra locutus est cap. 7. *perfectum naturæ nostræ hominem susceperit*, juxta communem loquendi usum sanctorum Patrum, qui dicunt filium Dei assumsisse hominem, nec ideo astruunt duas Christo personas, sed nihil aliud intelligunt per τὸ hominem, quam naturam humanam. Unde statim subjungit Theodulphus eodem cap. 7. *Et verbum caro factum sit adsumendo humanitatem*, id est, naturam humanam. Cum autem dicit, *perfectum hominem*, id propter Apollinarem facit, qui, ut scribit Vincentius Lirinensis cap. 17. libri pro Catholicæ fidei antiquitate & universitate, dixit: *In ipsa Salvatoris nostri carne, aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse, cui mens & ratio non esset*: vel, ut scribit S. Paulinus epist. 25. *hominem a Deo assumtum animam mentis humanæ vacuam, qualis est pecorum & jumentorum habuisse*. Quod si ita esset, Christus homo perfectus non esset.

Tandem in hoc capite 9. notandum est, cum Theodulphus dicit, ex commistione duarum substantiarum in una filii Dei persona factum esse collyrium, eum non intelligere duas substantias in Christo divinam & humanam inter se permixtas in tertiam coaluisse, ut in mixtis usu venire solet, quod blasphemum est: sed usum fuisse vocabulo commixtionis improprie ratione allegoriæ ex collyrio sumtæ. Nam supra capite 7. dixit Filium Dei verum hominem factum fuisse, eumque perfectum naturæ nostræ hominem suscepisse, juxta superiorem interpretationem, & Verbum carnem factum fuisse assumendo humanitatem, non permutando divinitatem, quæ omnia commixtioni duarum substantiarum adversantur, & a Monophysitarum hæresi longe abalienata sunt. Admittunt quidem Theologi in Christi persona compositionem, at commixtionem negant. Vide D. Thomam 3. p. quæst. 2. art. 4. Adversus hanc commixtionem fuse disputat Boetius lib. de duabus naturis, & de una persona Christi.

Cap. 10. agit Theodulphus de unctione pectoris & scapularum, de qua fuse satis a nobis actum est supra.

Cap. 11. agit de abrenuntiatione, per quam Catechumenus abrenuntiat diabolo, operibus ejus, & pompis. Hujus abrenuntiationis meminit Optatus Milevitanus lib. 5. adversus Parmenianum, Tertullianus lib. de spectaculis: *Cum aquam ingressi*

gressi Christianam fidem in Legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo, & pompæ, & Angelis ejus ore nostro contestamur. Et libro de corona militis: *Aquam adituri ibidem & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus.* S. Augustinus lib. 2. de symbolo ad Catechumenos: *Hoc audistis, hoc professi estis renuntiare vos diabolo ..... & Angelis ejus.* S. Cyprianus epist. 7. & alibi passim dixit seculo renuntiare, brevitatis gratia: *seculo*, inquit, *renuntiaveramus, cum baptizati fuimus.* Apud Theodulphum renuntiatur diabolo, pompis, & operibus ejus, quemadmodum & in codicibus Remensi, & Ratoldi. Apud Salvianum lib. 6. de providentia Dei, renuntiatur diabolo, pompis, spectaculis, & operibus ejus: *Quæ est enim* (inquit) *in baptismo salutari Christianorum prima confessio? quæ scilicet, nisi ut renuntiare se diabolo ac pompis ejus atque spectaculis, & operibus protestentur*; & paulo post: *Abrenuntio* (inquis) *diabolo, pompis, spectaculis, & operibus ejus.* Et hic pompas, & spectacula pro uno eodemque sumit S. Augustinus, & Tertullianus supra citati, & S. Cyrillus mox citandus pompas diaboli interpretatur spectacula, hoc est theatri lasciviam, amphitheatri crudelitatem, clamores, & insaniam circi.

Vulgo terna fit abrenuntiatio, ut habetur capite 2. Hierar. Eccl. S. Dionysii, in Græcorum Euchologio, in codicibus Remensi, & Ratoldi. S. Cyrillus Catechesi 1. myst. addit renuntiationem quartam, nimirum cultui diaboli: *Verumtamen*, inquit, *audi quod manu extensa tamquam ad præsentem dicitur*, ἀποτάσσομαί σοι σατανᾶ. id est, renuntio tibi Satanæ; & infra: *doceris mox alteram renuntiationis partem addere*, καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις σου. id est, & omnibus operibus tuis, infra: *deinde dicis*: καὶ πάσῃ τῇ πομπῇ αὐτοῦ (lege σου) & omni pompæ tuæ; & infra: *dicis præterea*: καὶ πάσῃ σου λατρείᾳ, id est, & omni cultui tuo. Ubi per cultum diaboli intelligit omnem qui idolis exhibetur, honorem, auguria, aruspicia, artes magicas, & scelerata sacrificia. Apud S. Ambrosium lib. 1. de Sacramentis cap. 2. duplex dumtaxat habetur abrenuntiatio: *Quando te interrogavit, abrenuntias diabolo, & operibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias seculo & operibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto cautionis tuæ, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis.* Quæ ultima verba confirmant duplicem hanc renuntiationem, quæ tunc erat in Ecclesia Ambrosiana. Renuntians convertebatur ad Occidentem, ut scribit S. Dionysius cap. supra citato, S. Hieronymus mox citandus, & S. Cyrillus Catech. 1. mystagogica: *Primum ingressi estis in porticum domus baptisterii*, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες, &c. id est, *& stantes versus Occidentem*, &c. Ita habetur in Euchologio Græcorum. Apud Dionysium, renuntians Satanæ manus obtrudit; apud Cyrillum & in Euchologio, extendit. Abrenuntiatione facta vertebatur ad Orientem, ut patet ex eodem Dionysio cap. citato, S. Hieronymo in cap. 6 Amos Prophetæ: *Unde & in mysteriis primum renuntiamus ei qui in Occidente est, nobisque moritur cum peccatis: & sic versi ad Orientem pactum inimus cum sole justitiæ, & ei servituros nos esse promittimus.* Et S. Cyrillo Catechesi citata, qui hanc hujusce ritus causam profert. Cum enim baptizandus renuntiavit Sathanæ principi tenebrarum rescissis pactis antiquis, convertitur ad Orientem ubi est paradisus, quem Deus in Oriente plantavit. Sic conversus manus tollebat sursum, ut docet S. Dionysius cap. citato, & S. Basilius in exhortatione ad baptismum, qui dixit: χεῖρας αἴρειν εἰς οὐρανόν. id est, tollere manus in cælum, & sic profitebatur se Christo serviturum, & adhæsurum, quod vocant Græci συντάσσεσθαι S. Dionysius, Euchologium, & S. Gregorius theologus, qui oratione de baptismo dixit: ὅλῃ θεότητι συντασσόμενος. id est, toti divinitati adjunctus, adhærens. S. Basilius Oratione citata dixit: θεῷ συνθέσθαι. id est, pacisci cum Deo: nisi legendum sit συντάσσεσθαι, cui contrarium est ἀποτάσσεσθαι. id est, renuntiare, abrenuntiare apud præfatos auctores, & Palladium in Lausiaca.

His ita rite peractis baptizandus recitat symbolum, ut habetur in Euchologio Græcorum, idque ex antiqua consuetudine, quam videre est apud S. Cyrillum Catech. 1. mystag. *Tunc admonebaris, ut diceres*: πιστεύω εἰς τὸν πατέρα, καὶ εἰς τὸν υἱὸν, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα ἅγιον, καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας. id est, credo in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & in baptisma pœnitentiæ. Et cum subjungit: *De quibus in superioribus Catechesibus, quantum divina concessit gratia, latius disseruimus*, satis innuit totum reddendum esse symbolum: quia supra Catechesi 4. totum illud exposuit. Id etiam notum est ex Salviano lib. 5. de providentia Dei: *Abrenuntio enim* (*inquis*) *diabolo, pompis, spectaculis, & operibus ejus, & quid postea? Credo* (*inquis*) *in Deum Patrem omnipotentem & in Jesum Christum Filium ejus. Ergo primum renuntiatur diabolo, ut credatur.* Et ex S. Augustino lib. de anima & ejus origine cap. 10. *Ideo cum baptizatur, symbolum reddunt, & ad interrogata respondent.* Hinc capiendus est Optatus lib. 5. adversus Parmenianum: *Contra nos peccatores* (*ut vultis*) *interrogemus alterum gentilem, an renuntiet diabolo, & credat, &c. & dicat, renuntio & credo.* Et Rufinus in libro de expositione symboli: *Et mos ibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publice, id est fidelium populo audiente, symbolum reddere.* Quod symbolum Theodulphus appellat professionem sanctæ Trinitatis.

In Euchologio Græcorum post abrenuntiationes, & responsa ad aliquot interrogationes, baptizandus recitat symbolum. Apud S. Dionysium cap. 2. Eccl. Hierar. trinam facit professionem, quæ nihil aliud est, quam symboli recitatio. In codice Remensi sacerdos ipse recitat symbolum: *Postea vero tangis ei pectus, ut inter scapulas de oleo exorcizato, & vocato nomine ejus, singulis dicens*: ABRENUNTIAS SATANÆ? R. ABRENUNTIO. ET OMNIBUS OPERIBUS EJUS? R. ABRENUNTIO. ET OMNIBUS POMPIS EJUS? R. ABRENUNTIO. ET EGO LINIO TE OLEO SALUTIS IN CHRISTO JESU DOMINO NOSTRO. *Inde vero dicis symbolum imposita manu super capita eorum.* Hæc autem manus impositio habetur apud Dionysium capite citato post trinam illam professionem: *Et cum ter professus est*, ἐπευξάμενος εὐλογεῖ, καὶ χειροτονεῖ. id est: oratione facta benedicit, & manum imponit.

Cap. 12. explicat Theodulphus quid sint pompæ, & opera diaboli, dicitque per ea septem intelligi capitalia peccata.

Cap. 13. cum dicit per sanguinem & aquam quæ de Christi latere fluxerunt, significari duo præcipua Ecclesiæ Sacramenta; per sanguinem quo consecramur, intelligit Eucharistiam quæ olim una cum baptismo dabatur. Quidam intelligunt per aquam & sanguinem omnia Sacramenta, quidam Ecclesiam. Vide Cyrillum Catech. 13. In eodem capite sequuntur hæc verba, *Invocato namque Deo descendit Spiritus sanctus de cælis*, &c. Tertullianus lib. de baptismo: *Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de cælis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso: & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Ubi isti duo auctores dicunt per Dei invocationem, id est formam, aquam sanctificari, & per eam vim sanctificationis consequi.

Id eodem capite fit mentio trinæ mersionis de qua supra. Qui vero baptizabantur, ita in fontem olim demergebantur, ut etiam totum caput mergeretur. S. Hieronymus dial. adversus Luciferianos: *Nam & multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ Legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare.* Quod satis innuit S. Cyrillus Cath. 17. cum ait: ὥσπερ γὰρ ὁ ἐνδύνων ἐν τοῖς ὕδασι καὶ βαπτιζόμενος πανταχόθεν ὑπὸ τῶν ὑδάτων περιβάλλεται. id est, ut enim is qui subit aquas, & baptizatur, undique ab aquis circumdatur.

Tandem notandum est quod dicit de fonte baptismi, seu baptisterio, cui simile est illud S. Isidori

dori lib. 15. Orig. cap. 4. *Frons autem in delubris locus regeneratorum est, in quo septem gradus in Spiritus sancti mysterio formantur; tres in descensu, tres in ascensu: septimus vero is est, qui & quartus, id est similis filio hominis, extinguens fornacem ignis stabilimentum pedum, fundamentum aquæ; in quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter.*

Ex his Isidori & Theodulphi locis notandum est olim fuisse in baptisteriis septem gradus, tres per quos ascensus ad illud erat, tres per quos in illud descensus; septimam vero fuisse in medio baptisterii, in quo fons ipse fundatus erat, in quo stabant ii quorum opera baptismo erat necessaria: unde appellatur fundamentum aquæ & stabilimentum pedum. Super ipsum fontem erat appensa columba aurea vel argentea Spiritum sanctum repræsentans, ut videre licet in Synodo Constantinopolitana sub Mena, actione 5. in supplicatione Clericorum & Monachorum Antiochiæ ad Johannem Patriarcham, &c. *Præsumtum est autem ab ipso & hoc: nam columbas aureas & argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra & altaria appensas, una cum aliis sibi appropriavit.*

Cap. 14. agit Theodulphus de vestibus albis, quibus post sanctum lavacrum Neophyti induebantur, & de quibus supra fuse satis a nobis actum est.

Cap. 15. agit de unctione Chrismatis quæ fit a Presbyteris in recens baptizatorum vertice, de qua etiam supra scripsimus. Sed quia multi Patres agunt de unctione Chrismatis confuse satis, non distinguendo inter unctionem Chrismatis, quæ fit in vertice a Presbytero, & inter eam quæ fit in fronte ab Episcopo, quam quidem ferunt, ut habetur in Pontificali Damasi, institutam fuisse a S. Sylvestro Papa, ut Presbyter liniat Chrismate levatum de aqua,

Dico Patres omnes, qui ante S. Sylvestrum locuti sunt de unctione Chrismatis, esse intelligendos de ea unctione quæ fit in fronte ab Episcopo, & spectat ad Sacramentum Confirmationis, etsi aliquando utuntur olei nomine; nam illis locis oleum sive a Græcis Patribus sive a Latinis pro unguento seu Chrismate usurpatur.

Secundo notandum est, quoniam Græci ea unctione quæ fit a Presbytero in vertice carent, omnes eorum antiquos Patres, cum de unctione Chrismatis agunt, de illa unctione quæ fit ab Episcopo in fronte esse intelligendos,

Tertio, quia rara est apud sanctos Patres mentio unctionis Chrismatis quæ fit a Presbytero in vertice, dico cum simpliciter & sine adjuncto de Chrismate seu illius unctione agunt, esse de illo Chrismate seu unctione quæ ad Confirmationis Sacramentum spectant, intelligendos: maxime si ex nulla circumstantia deprehendi possit, eos fuisse locutos aut de Chrismatis unctione qua utuntur Presbyteri, aut de ea, qua nonnulli hæretici ad Ecclesiam redeuntes reconciliantur. Nec obstant variæ interpretationes mysticæ, nam una eidem unctioni non semper attribuitur, sed non raro indifferenter, quemadmodum & unctioni quæ baptismum præcedit,

Et ut omnis ambiguitas tollatur, notandum est olim quando baptizabat Episcopus, quod sæpe sæpius contingebat (rarius enim baptizabant Presbyteri & Diaconi) statim conferebat Sacramentum Confirmationis, in fronte ungendo Chrismate neophytum; ut videre est apud S. Ambrosium, Cyrillum, Dionysium, Severum, auctorem quæstionum inter opera S. Justini, quæst. 137. ad orthodoxos, & alios; nec ungebatur neophytus in vertice a Presbytero, cum ejusmodi unctio instituta sit ob defectum Episcopi; etsi postea adhibita fuerit neophyto a fonte levato quam mox subsecutura esset unctio Chrismatis in fronte ab Episcopo, ut videre est in nostris Sacramentariis mss. & in Ordine Romano. Quod ideo notavi quia hic a nonnullis recentioribus unctionem verticis, cum unctione frontis confundi animadverto in locis Patrum qui vulgo citantur a tractatoribus.

Cap. 16. agit Theodulphus de mystico velamine, quo recens baptizati caput post unctionem verticis tegitur, de quo agunt Jesse Ambianensis in epistola de baptismo, & Alcuinus lib. de Officiis divinis cap. de Sabbato sancto: *Tunc sacro Chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, ut intelligat se diadema regni & sacerdotii dignitatem portare juxta Apostolum: vos estis genus electum, regale, sacerdotale, offerentes vosmetipsos Deo vivo hostiam sanctam & Deo placentem.* Sed cum Theodulpho dicitur significari hoc velamine sacerdotalis capitis operimentum, ad antiquæ Legis sacerdotes respicere videtur: siquidem illius ætate novæ Legis antistites nondum in sacris velamento capitis utebantur.

Cap. 17. de manus impositione, de dignitate chrismationis, & septenarii numeri, & maxime de septem Spiritus sancti donis tractat. Hæc verba, *nec tamen frontem ex eodem oleo signare*, &c. satis indicant chrismationem ab impositione manuum distingui, ut supra probavimus, satisque declarat Optatus Milevitanus lib. 4. adversus Parmenianum: *Loto cum in Johannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, & complevit Pater quod rogaverat filius, & quod nuntiaverat Spiritus sanctus. Apertum est cælum Deo Patre ungente, spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti ejus, unde cœpit dici Christus, quando unctus est a Deo Patre: cui ne manus impositio deesse videretur, vox addita est Dei de nube dicentis: Hic est filius meus, de quo bene sensi, hunc audite.* Quæ autem hic dicuntur de numero septenario, sumta videntur ex S. Gregorio cap. 6. expositionis lib. 1. in Job & homil. 7. in Ezechielem. Quod dicitur de Jubilæo ob quinquagenarium numerum, qui ex monade & numero septenario septies revoluto constat, id etiam dicunt S. Augustinus epist. CXIX. ad Januarium, & S. Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 27. de Pentecoste, id est de illo numero quinquagenario, qui inter Christi resurrectionem & adventum Spiritus sancti interjacet.

Tandem multa eaque præclara de donis Spiritus sancti subjungit Theodulphus: & merito sane; quia Sacramenti Confirmationis hoc proprium est, peculiari & excellenti quodam modo, Spiritus sancti dona animæ fideli conferre, quorum beneficio in statu Christiani illa maxime perficitur. Est enim Confirmationis Sacramentum hominis Christiani perfectivum, ut supra ex sanctis Patribus docuimus. Illud enim Confirmationi tribuitur, quod baptismi gratiam perficit; qui enim per baptismum Christiani effecti sunt quasi infantes modo geniti teneritatem adhuc & mollitiem quamdam habent, ac deinde Chrismatis Sacramento adversus omnes carnis, mundi, & diaboli impetus robustiores fiunt, & eorum animus fide omnino confirmatur ad confitendum & glorificandum nomen Domini Jesu Christi. Et huic Sacramento nomen impositum est, quod hujus Sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod baptismo operari cœpit, nosque ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit. Nec vero confirmat solum, sed etiam auget, de quo Melchiades ita testatur: Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Deinde non auget modo, sed admirabili quadam ratione auget. Hæc omnia ostendunt quanta sit hujus Sacramenti dignitas, utilitas, & necessitas.

Quare ii graviter peccant qui hoc Sacramentum cum id commode fieri potest, suscipere negligunt: & gravius Episcopi, qui omnem diligentiam non adhibent, ut sibi commissi Sacramentum hoc percipiant.

Sed ii non mediocriter hallucinantur, qui scribunt ejusdem esse virtutis chrismari seu ungi in vertice a Presbytero, ac chrismari in fronte ab Episcopo. Hæc enim chrismatio verticis non est Sacramentum, nec gratiam ex opere operato conferre, nec Spiritum sanctum donare valet; sed datur, ut intelligat baptizatus se ab eo die Christo capiti tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, & ea re Christianum a Christo, Chri-

Part. 2. c. 8. sect. 72. stum vero a Chrismate appellari, ut habetur in catechismo Romano, & docet Theodulphus cap. 25. *Baptizatorum itaque capita Chrismate liniuntur, ut in regno & sacerdotio Ecclesiæ delibuti, & Christiani nominis prærogativam accipiant, & ejus membra, qui eos redemit & eorum caput est, effici valeant.* Sed de his satis: plura vide in defensione Ecclesiasticæ Hierarchiæ doctissimi viri Francisci Hallier cap. 2.

Cap. ultimo agit Theodulphus de corpore & sanguine Christi, quæ olim cum baptismo sumebantur, etiam ab infantibus, ut supra fuse docuimus, & constat etiam ex Theodori Antiocheni opere contra asserentes peccare homines natura, non voluntate, in Biblioth. Photii, num. 177. & de aqua in calice miscenda. Hæc autem verba, *Hoc ergo sacrificium offerre de sacrificii relictis*, &c. corrupta sunt, & expuncto verbo *offerre* quod redundat, legendum est: *Hoc ergo mysterium derelictis ac finitis veteribus sacrificiis & hostiis Ecclesia celebrat*, &c.

Sequitur de miscenda aqua vino in calice sanctificando, qua de re agit S. Cyprianus epist. 63. adversus eos, qui sola aqua sine vino mysterium sanguinis Christi peragebant, qui postea sunt appellati Hydroparastatæ, in can. 32. Synodi sextæ. Fuerunt, alii, Armeni videlicet, qui solo vino in sanguinis Christi mysteriis usi sunt, quos damnat eadem Synodus canone eodem. Sed his sic ad Theodulphum notatis redeamus ad propositum.

Nota 335. GLORIA IN EXCELSIS.

Ita statuitur in Concilio Rothomagensi apud Ordericum Vitalem lib. 4. hist. Eccl. cum agitur de Missa hujus Sabbati sancti: *Ob cujus reverentiam*, a *Gloria in excelsis Deo & Alleluia cantatur*.

Nota 336. ET CUM SPIRITU TUO.

Vox est populi ex antiquo ritu Ecclesiæ, cum Pontifici sibi bene precanti respondens vicissim illi bene precatur; ut videre est in Concilio Bracarensi I. can. 21. *Et ut respondeatur a populo: Et cum spiritu tuo*. Et apud S. Johannem Chrysostomum Homilia 18. in epistolam 2. ad Corinthios: *ἐπ' αὐτῶν πάλιν φρικωδεστάτων μυστηρίων ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς τῷ λαῷ, καὶ ἐπεύχεται ὁ λαὸς τῷ ἱερεῖ, τὸ γὰρ, μετὰ πνεύματός σου, οὐδὲν ἐστιν, ἢ τοῦτο*. id est, in ipsis tremendis mysteriis bene precatur Pontifex populo, & populus bene precatur Pontifici: illud enim, *cum spiritu tuo*, nihil aliud est, quam hoc. In Liturgiis SS. Jacobi, Marci, & Petri interdum hæc responsio populi effertur in dandi casu: Καὶ τῷ πνεύματί σου. id est, Et spiritui tuo. Quam etiam agnoscit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria Mystica, cum eam sic exponit: *καὶ τῷ πνεύματί σου, τουτέστι τὴν πρὸς σε ἀδιάσπαστον ἕνωσιν δὸς ἡμῖν, ἵνα τῷ πνεύματι ἡρμοσθέντες, ἀχώριστοι τυγχάνωμεν*. id est, & spiritui tuo, id est tecum unionem individuam da nobis, ut spiritu pacem agitantes, inseparabiles simus. Et S. Johan. Chrysost. Hom. 33. in Matth. *Et cum dixero: Pax vobis, εἶτα εἴπωσι, καὶ τῷ πνεύματί σου*, id est, *deinde dixeritis: & spiritui tuo*.

Nota 337. DEUS QUI HANC SACRATISSIMAM NOCTEM.

Ita apud Alcuinum: quia Sabbati sancti Officium, *Ad noctem Dominicæ resurrectionis respicit*, ut habetur in Concilio Rothomagensi apud Ordericum Vitalem lib. 4. hist. Eccl. Siquidem parasceve & Sabbato Hebdomadæ sanctæ non celebratur corporis & sanguinis Christi Sacramentum, ut docetur in eodem Concilio ex libro Officialis: *Narrat liber Officialis, quod in hoc biduo non fit Sacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum sextam feriam & Sabbatum, in quo recolitur luctus & mæstitia Apostolorum.* Liber Officialis est Antiphonarius, ut docet Agobardus epist. ad Cantores Lugdun.

Nota 338. NON CANTENT OFFERTORIUM.

Alcuinus rationem reddit cap. citato: *Quod autem post Evangelium non cantatur Offerenda, & Cantores tempore sacrificii silent, ad memoriam reducitur sacrificium, seu silentium mulierum.*

Porro in cod. Ratoldi extat benedictio lactis & mellis in hunc modum: *Benedic, Domine, hanc creaturam lactis & mellis*, &c. ut in Ord. Rom. Deinde sequitur: *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas.* Id autem fiebat propter recens baptizatos, qui post sanctum lavacrum lac & mel gustare jubebantur quasi modo geniti infantes; quo ritu significabatur Christianis, omni exuta malitia, simplicitatem infantis esse amplectendam. Id videre est in ordine mysteriorum Æthiopum, ut vocant, in quo, baptizatis sacro perunctis Chrismate, hæc legere est: *Diaconus deinde dat illis lac & mel: & dicit lac & mel immaculatum in regenerationem, Amen. Sacerdos autem dicit: lac & mel immaculatum in regenerationem per Jesum Christum, Amen.* Apud S. Hieronymum Dialogo adversus Luciferianos: *Velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem.* Et apud Tertullianum lib. de Corona militis: *Inde suscepti lactis & mellis concordiam degustamus.* Hinc capienda sunt illa Concilii Carthaginiensis Græci can. 40. *ἀπαρχαὶ δὲ εἴτε μέλι, εἴτε γάλα, ὡς εἴωθεν, προσφερέσθω ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἰδίᾳ εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον.* id est, primitiæ sive lac offerantur uno die consueto ad infantium mysterium. Agitur enim hic de mellis & lactis benedictione in Altari. Hæc autem verba, *Ad mysterium infantium*, significant ideo a baptizatis degustandum esse lac & mel, quod per baptisma omni deposita malitia debeant semper infantium simplicitatem servare. Alia ratio profertur in ipsa benedictione; quia baptizati, relicto Ægypto, id est seculo, ingrediuntur in Ecclesiam, terram melle & lacte manantem, id est omnibus deliciis spiritalibus affluentem.

Nota 339. NEQUE AGNUS DEI.

Ita apud Alcuinum. Nota vero nullas hic esse vesperas, quemadmodum nec in codicibus Rodradi & Remensi juxta antiquum morem de quo Alcuinus cap. de Sabbato sancto: *In hac nocte de vespertinali synaxi apud Romanos nil agitur neque ante Missam, neque post Missam, quia secundum Augustinum & alios doctores istud Sabbatum non habet vesperam.* Reperire est tamen in codice Ratoldi Abbatis, in quo post benedictionem Episcopalem sic habetur: *Interim dum communicat populus, incipiat Cantor Alleluia*. Psalm. *Laudate Dominum omnes gentes*. Antiph. ad Evangelium: *Vespere autem*. Psal. *Magnificat*. *Post hac surgat Episcopus de sede sua, pergat ad Altare, & dicat Collectam: Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde: ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum. Et post hæc dicit Diaconus: Ite, Missa est.*

Nota 340. IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Appellatur sanctum Pascha ob diei reverentiam; qua de re consule observationes nostras ad concordiam Regularum cap. 56. §. 1. In cod. Ratoldi hic habetur Missa integra Paschalis cum suis ritibus & cæremoniis, quam rejecimus in appendicem.

Nota 341. QUI [b] MORTEM NOSTRAM MORIENDO DESTRUXIT, &c.

Morte Christi mors nostra destructa est, & resurrectione vita reparata est. Corippus lib. 4. de laudibus Justini minoris:

Cal-

a Hymnus hic angelicus, ut modo cantur, legitur integer in Sacramentario Gallicano Musei Italici D. J. Mabill. Tom. 1. parte 2. col. 281.

b Hæc Præfatio longe prolixior est in duobus Theod. & omnino discrepat a Præfatione Sabbati sancti, cujus initium tantum repetitur in vulgatis. Contestatio seu Præfatio quæ pro die S. Paschæ in Sacramentario Gallic. tam sæpe laudato assignatur, est etiam omnino diversa ab editis. Pro Sabbato S. vero præscripta eadem ipsa est quæ modo legitur: *Te quidem, Domine, omni temp. sed in hac potiss. nocte gl. præd. cum Pascha nostrum &c.*

Calcavit mortem moriens, vitamque resurgens

Vita dedit cunctis in se credentibus ipse.

Et præclare Ennodius Hymno 7.

Necavit ante funera,

Lethum sepultus expulit.

Mors mortis impulsu ruit,

Cantate factum secula.

Funus subegit tartarum,

Facit peremtus exitum:

Mors inde luget pallida,

Præsumsit unde gaudium.

Nota 342. OMITIT.
Id est, dimisit, ut infra in Apologia ultima: *Si quam vitio tepiditatis meæ, vel incuria contraxerunt, vel contrahunt labem, omitte.*

Nota 343. SACRAMENTUM VIVENDO TENEANT.
Id est, gratiam Sacramentalem recte vivendo conservent. Est metonymia, causa pro effectu. Nam Sacramentum est causa gratiæ Sacramentalis.

Nota 344. SEIPSUM TIBI SACRAM HOSTIAM, &c.
Præclare S. Paulinus epist. 5. ad Severum: *Ipse enim pro nobis & animam & carnem suam posuit, & recepit; qui & sacerdos & hostia, & agnus & pastor est; qui pro ovibus suis pastor, & pro pastoribus suis agnus occisus est. Ipse enim Dominus hostia omnium sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima sacerdotii sui, & sacerdos suæ victimæ fuit.*

Nota 345. CONTINUA IN NOSTRIS MENTIBUS PERSEVERET. Per suum effectum, & pium affectum.

Nota 346. NASCITUR.
Quia qui sumit corpus Christi, vitam habet in semetipso, juxta illud Johan. 6. *Nisi manducaveritis, &c. non habebitis vitam in vobis*; in Miss. Rom. legitur, *pascitur*.

Nota 347. ET QUI VOBIS.
Ibi incipit tertium membrum hujus benedictionis; ac proinde his verbis præponendum τὸ *Amen*.

Nota 348. QUOD IRASCERIS.
Id est quo, vel ob quod irasceris. Est Hellenismus.

Nota 349. SOLUS OMNIUM SACERDOTUM PECCATI REMISSIONE NON EGUIT.
Ut ad Hebr. cap. 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, &c.*

Nota 350. POTIUS. Ita in codice Remensi, lege, *totius*.

Nota 351. PERFICIAT. Id est, faciat. Sæpe apud Tullium.

Nota 352. DOMINICA OCTAVAS PASCHÆ.
Id est, Dominica octavæ Paschæ, seu in octava Paschæ. Et τὸ *octavas* est indeclinabile juxta usum illorum temporum. Sic in vetustis codicibus passim legitur, *vitas Patrum*, id est, vitæ Patrum. In cod. Rem. legitur, *octabas*, *b*, pro *u*, secundum usum antiquum scribendi, ut notavimus ad Concordiam Regularum. In codicibus Rodradi & Ratoldi hic titulus ita habetur: *Die Dominico post albas*. Recte in Missa Ambrosiana scribitur, *Dominica in albis depositis*. Quia pridie a baptizatis albæ seu alba vestimenta deponebantur. Alcuinus lib. de Offic. Eccl. cap. de Sabbato in albis: *Hodie albati, qui in Sabbato sancto baptizati fuerant, vestibus albis exuuntur*. Quare cum in Missali & Breviario Romano scribitur, *Dominica in albis*, subaudi τὸ *depositis*.

Nota 353. ALIÆ ORATIONES PASCHALES.
Hic codices variant; in aliis plures, in aliis pauciores sunt orationes.

Nota 354. NOS PER ID QUOD NOSTRI EST SIMILIS, &c.
Id est, humanitate sua nos reconciliet, divinitate absolvat. Illud autem, *quod*, id est *quo*, phrasis Græca est, ut illud Virgilii:

Os humerosque Deo similis, &c.

Sumtum ex Homero Iliad. B.

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ.

Porro in codicibus Ratoldi, Rodradi in appendice, & Remensis sequitur; *Idus Aprilis Natale sanctæ Euphemiæ* [a]. Hæc est illa Euphemia celebris Virgo & Martyr Chalchedonensis, cujus natalis eodem die annotatur in Martyrol. mss. Biblioth. Corb. *Idus Aprilis in Calcedonia, Natale sanctæ Euphemiæ Virginis & Martyris*. Idem habetur in Kalendario præfixo codici Ratoldi, & in Martyrologio mss. S. Hieronymi: *Idus Aprilis in Calcedone Natale sanctæ Euphemiæ*. In parvulo Martyrolog. mss. ad calcem codicis Rem. *Idus Aprilis in Calcedonia Natale sanctæ Euphemiæ*. In Martyrologio Rabani: *Idibus Aprilis in civitate Chalcedonia Natalis Euphemiæ*. Et in Martyrolog. Notkeri eodem die: *In Calcedone sanctæ Euphemiæ*. In Novella Emmanuelis Imperatoris ejus solemnitas annotatur 11. Junii, quo die passa est, ut videre est in Menologio Græcorum In Martyrol. Roman. annotatur 16. Septembris. Missam sanctæ Euphemiæ excipit in eodem codice Ratoldi *Missa in Pascha annotinum*. Quæ extat etiam in codice Rodradi, in appendice, & in codice Remensi.

Quid sit Pascha annotinum ita explicat Micrologus lib. de Ecclesiasticis observationibus cap. 56. *Romani annotinum Pascha quasi anniversarium Pascha dicunt: quia antiquitus apud illos, qui in priori Pascha baptizati erant, in sequenti anno eodem die ad Ecclesiam convenere, suæque regenerationis anniversarium diem cum oblationibus solemniter celebraverunt*. Hæc ille. Non puto tamen hoc Pascha annotinum celebrari solitum in Sabbato, quo die illi baptizabantur; quia unica duntaxat Missa eodem die, & nocte quidem celebrabatur. Sed existimo ejusmodi Pascha fuisse post Dominicam in albis celebratum, maxime cum in codicibus nostris mss. ejus Missa assignetur tantum post prædictam diem. In [b] codice Remensi extat: *Tertio Idus Aprilis Natale S. Leonis Papæ*. Hic est S. Leo primus, de quo tamen nihil extat in codicibus S. Eligii, Rodradi, & Ratoldi, & apud Pamelium.

Nota 355. HÆC NOBIS DONA BEATA SANCTIFICET.
Est hypallage, id est nos his donis beatis sanctificet.

Nota 356. DONA.
Ita in editis, & in codicibus Rodradi & Ratoldi, & apud Pamelium. In Missali Romano legitur, *dono*.

Nota 357. VII. KALEND. MAII NAT. S. MARCI.

 Ita

a Consentiunt Gemet. & duo Theodericenses.
b Eodem die in priori Theod. & in Gemet. notatur festum S. Leonis. In utroque vero Theod. ac in Gemet. habetur Missa de S. Georgio Martyre. Codex Calens. hæc omnia festa, imo etiam S. Marci diem Natal. omittit. Idem dic de Gallicano Sacrament. Mabillonii, in quo paucissimæ sunt Missæ de Sanctis, quas suo loco indicabimus.

a Ita in editis, in qoibus nulla a est etiam Litaniæ mentio: sed in aliis codicibus nostris mss. ut apud Pamelium hoc die annotatur Litania major, cujus Officium vide in Rogationibus.

In codicibus Remensi & Ratoldi sequuntur Missæ pro secunda & tertia die. In cod. Rem. adduntur tres orationes pro quarta die. In iisdem vero codicibus Rodradi, Remensi, & Ratoldi nulla habetur Missa de S. Marco, quemadmodum nec Rogationes ante Ascensionem.

Nota 358. PERVENIRET AD MARTYRIS PALMAM.

Ex hoc loco discimus S. Marcum Martyrem fuisse. Ita docet Gelasius Papa in Synodo Romana; & S. Gregorius Turonensis lib. 1. hist. cap. 24. *Tunc & Jacobus frater Domini, & Marcus Evangelista pro Christi nomine glorioso Martyrio coronati sunt*. Idem patet ex Missa Ambrosiana: *Deus qui hunc diem S. Marci Evangelistæ & Martyris tui sanguinis roseo consecrasti cruore perfusum*; & ex Liturgia Æthiopica: *Ac S. Marci Evangelistæ & Martyris, & S. Stephani Archidiaconi protomartyris*. Consentiunt Rabanus & Notkerus in suis Martyrologiis, qui etiam ejus Martyrium describunt.

Nota 359. VITALIS.

b In Missa Ambrosiana additur b sancta Valeria, & Missa est de pluribus Martyribus.

Nota B. R.

Id est, benedictionem require, nempe in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Nota 361. SS. ALEXANDRI.

In codice Remensi eodem die Missa de S. Juvenale habetur, quæ horum Sanctorum Missam præcedit. Extat etiam in appendice codicis Rodradi.

c *Nota* 362. c INVENTIO SANCTÆ CRUCIS.

Hoc festo Græci carent; nulla enim illius mentio fit in eorum Menologiis, nec in sanctione Emmanuelis Comneni Imperatoris de festis apud Theodorum Balsamonem in Nomocanonem Photii tit. 7. cap. 1.

Nota 363. PASSIONIS TUÆ MIRACULA SUSCITASTI.

Quia in crucis inventione, ut crux Domini ab aliis internosci posset, mortuus homo Dominicæ cruci admotus revixit quamadmodum in Christi passione multa corpora Sanctorum multis in sancta civitate visa sunt, ut testatur S. Paulinus epist. 11. *Postremo Dominicam crucem prodit resurrectio: & ad salutaris ligni tactum, morte refuga, funus excussum & corpus erectum est*. Idem scribit Severus Sulpitius lib. 2. hist. *Duabus prius frustra crucibus admotis, ubi Christi patibulo attactum est, dictu mirabile, trepidantibus cunctis funus excussum, & inter spectatores astitit*; & Sozomenus lib. 2. hist. Eccl. cap. 1.

Nota 364. QUI PER PASSIONEM CRUCIS, &c.

In codicibus Rodradi, & Remensi est alia Præfatio longe prolixior: *Præcipue in ista die, in qua Filii tui Unigeniti a Judæis abditus gloriosus inventus est triumphus*, &c. Ubi τὸ *triumphus* crucem Christi significat. Ita capit S. Ambrosius in obitu Theodosii: *Tria patibula confusa reperit quæ ruina contexerat, inimicus absconderat; sed non potuit obliterari Christi triumphus*.

Nota 365. QUÆ SIT EJUSDEM CRUCIS LATITUDO, &c.

Ex 3. cap. ad Ephesios; quem locum ita de cruce explicat S. August. tract. 118. in Johan. *Lata quippe est in transverso ligno quo extenduntur pendentis manus: & significat opera bona in latitudine caritatis. Longa est a transverso ligno usque ad terram, ubi dorsum pedesque figuntur: & significat perseverantiam in longitudine temporis usque ad finem. Alta est in cacumine, quod transversum lignum sursum versus excedit: & significat supernum finem, quo cuncta opera referuntur. Quoniam cuncta, quæ latitudine & longitudine bene ac perseveranter fiunt, propter altitudinem divinorum facienda sunt præmiorum. Profunda est in ea parte, qua in terram figitur; ibi quippe & occulta est, nec videri potest; sed cuncta apparentia, & eminentia inde consurgunt, sicut bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi & dijudicari non potest, universa procedunt.*

Nota 366. DIGNATUS ES REDIMERE.

In codicibus Remensi & Rodradi hæc sequuntur: *Tu qui es lignum vitæ, paradisi reparator*.

Nota 367. NATALIS S. JOHANNIS, &c. Hoc festum d non extat in excusis. d

Nota 368. SS. GORDIANI ET EPIMACHI.

In codice Ratoldi legitur, *Gordiani, Cyrilli, atque Epimachi*. Sed in Missa nulla fit Cyrilli mentio. De illo agit Martyrologium S. Hieronymi eodem die: *Item Cyrilli, Dionysii*. In codice Remensi legitur: *Natalis S. Gordiani*, nulla facta mentione S. Epimachi; & Missa est de solo S. Gordiano.

Nota 369. S. PANCRATII.

In codicibus Remensi & Ratoldi, & apud Pamelium adduntur Achilleus & Nereus, quibus in Missali Rom. adjicitur Domitilla. Sed in codice Ratoldi duæ sunt Missæ, prior de S Pancratio, altera de sanctis Achilleo & Nereo. At apud Pamelium prior Missa est de SS. Achilleo & Nereo, secunda de S. Pancratio.

Nota 370. R. B.

Id est, require benedictionem, infra videlicet in communi de uno Martyre.

Nota 371. SALUTATIONS. Lege, *salvatione* e. e

Nota 372. NAT. SANCTÆ MARIÆ AD MARTYRES.

Hæc festivitas non extat in excusis. f Habetur in omnibus aliis nostris mss. codicibus. In codice Remensi est sub hoc titulo: *Dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ ad Martyres*. Hoc festum olim instituit Bonifacius IV. Papa, converso Romano Pantheo in Ecclesiam S. Mariæ, & omnium Martyrum. Qua de re agit Paulus Diaconus lib. 4. hist. Longob. cap. 37. & lib. 5. cap. 11. Hoc Pantheon ædificatum est a Marco Vipsanio Agrippa: quod ita appellatum est, vel quod in simulacris Martis & Veneris multas Deorum imagines acciperet, vel quod forma convexa fastigiatum cæli similitudinem ostenderet, inquit Dio Cassius lib. 53. hist. In eo templo fuisse Veneris simulacrum constat etiam ex Macrobio lib. 3. Saturnal. cap. 17. *Dissectusque est, & factæ ex una margarita duæ, impositæque simulacro Veneris, ut monstruosæ magnitudinis in templo, quod Pantheon dicitur.*

Olim in pago Bethelia dicto prope Gazam Palæsti-

a In nostris mss. si Calensem excipias, litaniarum fit mentio. In Sacram. Gallic. occurrit, *Missa in Letanias dicenda*, & prius *in letanias legenda*; sed immediate ante Ascensionem. Pamelio qui meminit Litaniæ majoris concinit codex Reg. Sueciæ. At ubi legitur apud Pamel. *ad Pontem Olbi*, legitur in codice *molbi*, quo nomine intelligendus forte Pons Milvius. In Theod. legitur quoque *molvo*.

b In nostris codd. nulla nisi S. Vitalis fit memoria.

c Sacrament. Gallic. exhibet Missam, *in inventione S. Crucis*, sed a vulgata prorsus diversam.

d Habetur in utroque Theod. & in Gemet. Iidem codices meminerunt SS. Gordiani & Epimachi, minime autem S. Cyrilli & S. Domitillæ, ubi infra Missa de SS. Nereo, Achilleo & Pancratio exhibetur.

e Sic legitur apud Pamel. & in ed. Vatic. ad quam excusa est Goff.

f Ita quoque in nostris; in Gemet. legitur *Dedicatio S. Mariæ*.

læſtinæ civitatem fuit etiam templum in arce manufacta collocatum, quod Pantheon appellatum [a] eſt, ut refert Sozomenus lib. 5. hiſt. Eccl. cap. ª 14. Fuit olim Athenis Θεοῖς τοῖς πᾶσιν ἱερὸν κοινόν. id eſt, diis omnibus commune templum, quod ædificavit Adriaous Imperator, ut ſcribit Pauſanias in Atticis.

[b] *Nota* 373. S. URBANE. Hoc feſtum ᵇ non extat in codice Remenſi.

Nota 374. SACRIFICIUM. In Miſſali Romano legitur: *Ad ſacrificium.*

Nota 375. ET TUI MUNERIS MISERICORDIAM POSTULARE.

In codice Remenſi legitur; *de tuo munere poſtulantes.*

Nota 376. IPSO OPITULANTE. In codice Remenſi hæc vocabula deſiderantur.

Nota 377. BENEDICTIO. Superioris Domioicæ videlicet.

Nota 378. ET MAJESTATEM TUAM INDEFESSIS PRECIBUS EXORARE. Hæc verba deſunt in codice Remenſi.

Nota 379. PASCHALE MYSTERIUM STUDEAMUS HABERE PERPETUUM.

Id eſt, ſempiternam in cœlis ſtudeamus habere felicitatem.

Nota 380. FERIA SECUNDA IN LETANIA MAJORE.

[c] Hæc ᶜ Litania major eſt Rogationum, quæ in triduo ante Dominicam Aſcenſionem celebrundæ inſtitutæ ſuot a S. Mamerto Viennenſi Pontifice, ut ſcribit S. Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. cap. 34. *Referens* (Avitus) *in quadam homilia, quam de Rogationibus ſcribit, has ipſas Rogationes, quas ante Aſcenſionis Dominicæ triumphum celebramus, a S. Mamerto ipſius Viennenſis urbis Epiſcopo qui & hic eo tempore præerat, inſtitutas fuiſſe, dum urbs illa multis terreretur prodigiis.*

Sed ipſa verba S. Aviti, Sermone de Rogationibus audiamus. Qui poſtquam deſcripſit varias urbis ſuæ calamitates, tandem ſic ait: *Tracta ſunt hæc inter rumores publicos & rumores privatos uſque ad imminentem ſolemnium noctem vigiliarum, qua celebrari feſtum Dominicæ reſurrectionis annua conſuetudo poſcebat. Siquidem hanc horam laborum opem, malorum finem, metuentium ſecuritatem communibus animis operiebantur. Adfuit igitur nox illa venerabilis, quæ ad ſpem publicæ abſolutionis votivum ſolemne patefecerat. Sed mox illic multo vehementior ſtrepitus, tellus flagelli gravius ſeveritatis inſonuit; utpote quem jam emenſis gradibus ſuperlativum nihil ſequi aliud, quam cæios intelligeretur. Ædes namque publica, quam præcelſo civitatis vertice ſublimitas immenſites faſtigiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepuſculo cœpit. Interpellatur nuntio diſcriminis jocunditas ſolemnitatis; pleno timoribus populo Eccleſia vacuatur. Omnes namque ſimilem facultatibus, vel domibus propriis caſum de præeminentis incendii arce metuebant. Perſtitit tamen coram feſtivis altaribus invictus antiſtes; & calore fidei ſuæ accedens, flumine lacrymarum, permiſſam ignibus poteſtatem, igne abſcedente, compeſcuit. Deſperatione depoſita reditur ad Eccleſiam, reſtincta flammarum luce, clareſcit luminum pulchritudo. Nec ſane ulterius trahitur de arripiendo compunctionis medicamine mora. Prædeceſſor namque meus, & ſpiritalis mihi a baptiſmo pater* [* alias Mamercus.] *Mamertus ſacerdos cui ante non paucos annos pater carnis meæ accepto, ſicut Deo viſum eſt, ſacerdotii tempore ſucceſſit,* [* Leg. iſta.] * *totas in ea, quam ſupra diximus vigiliarum nocte concepit animo Rogationes, atque ibi cum Deo tacitus defini-vit, quidquid hodie Pſalmis, ac precibus mundus inclamat. Evoluta ſolemnitate Paſchali, non jam quid, ſed quomodo, aut quando fieri debeat, ſecreta primum collatione tractatur. Putabatur a quibuſdam Viennenſis Senatus, cujus tunc numeroſis illuſtribus Curia florebat, inventis non poſſe* ᵈ *adici, cum vix adquieſceret legitimis incluſis.* [d] *Sed pius ac ſollicitus paſtor ſapientiæ ſalibus largus manſuefaciendarum ovium prius oraado animum, quam perorando mollivit auditum. Pandit igitur diſpoſitionem, indicit ordinem, exponit ſalubritatem. Et* [* Leg. ut e.] * *verum tam religioſi, quam ſolertis ingenii parum fuit, ſi obedientibus propoſitum tantummodo inſtitutionis promeret: niſi inter initia etiam vinculum conſuetudinis aſſignaret. Inſpirante igitur compunctorum cordibus Deo, auditur a cunctis, confirmatur, adtollitur. Eligitur pro tempore triduum præſens, quod inter Aſcenſionis ſacræ cultum diemque Dominicum, quaſi quodam opportunitatis propriæ limbo, circumpoſitis ſolemnitatibus marginaretur.* Et paulo poſt: *Secutæ ſunt ſuccidua tempore quædam Eccleſiæ Gallicarum rem tam probabilis exempli: ſic tamen quod hoc ipſum non apud omnes iiſdem diebus quibus penes nos inſtitutum fuerat,* [* Leg. celebraretur.] * *celebretur. Nec porro magni intererat quod triduum, dummodo Pſalmorum officia lacrymarumque functionibus annuis perſolverentur. Tamen cum dilectione Rogationum etiam ſacerdotum creſcente concordia, ad unum tempus, id eſt ad præſentes dies univerſalis obſervantiæ cura conceſſit.* Hæc Avitus; quæ tranſcripſi ex codice mſ. Bibliothecæ Floriacenſis, quamvis hic ſermo jam pridem a Johanne Gagneio editus fuerit.

Idem teſtatur Apollinaris Sidonius lib. 1. epiſt. 7. ad S. Mamercum: *Sola tamen invectarum te auctore Rogationum palpatum auxilio,* &c. & epiſt. 14. lib. 7. *quidquid illud eſt, quod otio vel negotio vacas, in urbem tamen (niſi fallimur) Rogationum contemplatione revocabere; quarum nobis ſolemnitatem primus Mamercus pater & Pontifex reverentiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento invenit, inſtituit, invexit.* Quibus verbis nihil clarius dici poteſt.

Ita docet Aimoinus lib. 1. de geſtis Francorum. Similia referuntur a Barchardo lib. 13. cap. 7. ex Conc. Aurelianenſi. Ita docent alii veteres, qui conſtanter aſſerunt hirum triduanarum ante Aſcenſionem Domini Rogationum auctorem fuiſſe ſanctum Mamertum: non vero inſtauratorem, ut nonnullis recentioribus placet ob ſequentia Sidonii verba: *Quippe prius (quod ſalva fidei pace ſit dictum) vagæ infrequenteſque, utque ſic dixerim, oſcitabundæ ſupplicationes.* Quæ tamen aſſertioni noſtræ minime nocent. Etſi enim ante S. Mamertum fuerint Rogationes, hoc eſt ſupplicationes, ſeu proceſſiones, aut Litaniæ, ut vocant, erant tamen vagæ, id eſt non ſtatæ, nec certo die ſtabiles, ſed indictæ, quas ob varias calamitates deſcriptas a SS. Avito & Gregorio Turooenſi, & aliis, pridie ante Aſcenſionem Domini inſtituit celebrandas. Itaque τὸ *vagæ*, non ita capiendum eſt, quaſi olim populus in Rogationibus circa templa vagaretur equitando.

Neque huic explicatiooi favent ea quæ habentur apud Burchardom cap. citato: *Nemo ibi equitare præſumat, ſed diſcalceatis pedibus omnes incedant.* Et in Concilio Moguntioo cap. 33. *Placuit, ut Litania major obſervanda ſit a cunctis Chriſtianis diebus tribus, ſicut legendo reperimus, & ſicut ſancti Patres noſtri inſtituerunt, non equitando, nec pretioſis veſtibus induti.* Nam aliud eſt vagari circa templa, aliud eſt in ipſa proceſſione equi-

a In editione ab Henrico Valeſio adornata nunc iſta leguntur cap. 15. in hunc modum: *Pantheon colli cuidam manu facto velut arci impoſitum.*

b Abeſt a duobus Thead. non autem a Gemet. ubi prius notatur *Natale S. Dunſtani*, ac 7. Kalend. Junii *S. Auguſtini Epiſcopi*, ſc. Cantuarienſis.

c Hæc Litania dicitur etiam major in noſtris codd. In Miſſali Gothico Thomaſii tres ſunt Miſſæ de Rogationibus pro triduo ante Aſcenſionem Domini. Miſſale vet. Gallicanum unicam habet. De Rogationibus plurima ſcitu digna legeſis apud Mabill. De Liturgia Gallic. maxime lib. 2. pag. 152. & ſeq.

d Id eſt, *adjici*; ſic enim in mſſ. legitur.

equitare; præterea ejuſmodi Concilia ſunt poſteriora ætate S. Mamerti. Nec valet quod dicunt S. Auguſtinum ſerm. 173. meminiſſe hujuſmodi Rogationum, ſiquidem hic ſermo non eſt Auguſtini, qui etiam in quibuſdam ejus codicibus non extat, nec illius ſtilum ſapit: ſed eſt S. Cæſarii Arelatenſis: habeturque inter ejus Sermones trigeſimus ſeptimus. Imo Rogationes hujuſmodi S. Auguſtini doctrinæ adverſantur; quod patet ex illius epiſt. 119. ad Januarium, ibi enim abunde ac diſerte agit de vacatione a jejunio, quæ contingit inter Paſcha & Pentecoſten, rationemque dierum illorum quinquaginta enucleatius explicat, quam triduanum illud jejunium intercidens prorſus labefactaret. Sic enim ait: *Qui dies quinquageſimus habet aliud Sacramentum, quod ſepties ſeptem quadraginta novem fiant; & cum reditur ad initium, quod eſt octavus, qui & primus dies, quinquaginta complentur poſt Domini reſurrectionem jam in figura non laboris, ſed quietis: propter quod & jejunia relaxantur, & ſtantes oramus, quod eſt ſignum reſurrectionis.* Quare Amalarius Fortunatus in lectione S. Auguſtini apprime verſatus lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 37. præclare dicit: *Sequitur una varietas inter octavas Paſchæ & vigilias Pentecoſtes, hoc eſt jejunium triduanum in vigilia Aſcenſionis Domini. Miror quomodo inolevit conſuetudo præſentis jejunii in noſtra Eccleſia, quæ tamen non tenetur per omnes Orientales Eccleſias; cum ſancti Patres, quos memoravimus, Ambroſius, Hieronymus & Auguſtinus dicant relaxanda jejunia tempore Pentecoſtes, necnon etiam venerabilis Presbyter Beda.* Poſtea refert inſtitutionem ad S. Mamertum, quemadmodum & Ordo Romanus, cui inſuper addit eam a Gallis ad Romanos fluxiſſe.

Quoniam autem hic agitur de Litania majore, non erit abſurdum his ſubjicere veterem Litaniæ formulam, quæ extat in codice mſ. Bibliothecæ Corbejenſis octingentis abhinc annis circiter ſcripto, cujus titulus eſt: *Incipit ordo orationum.*

Incipit Litania.

Kyrie eleiſon. *tribus.*
Chriſte eleiſon. *tribus.*
Chriſte audi nos. *tribus.*
Chriſte miſerere nobis.
Sancte Sanctorum Deus, miſerere nobis.
Sancta Virgo Virginum, intercede pro nobis.
Sancta Dei genitrix, intercede pro nobis.
Sancta Maria ora.
Sancte Petre ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Andrea ora.
Sancte Jacobe ora.
Sancte Johannes ora.
Sancte Thoma ora.
Sancte Jacobe ora.
Sancte Philippe ora.
Sancte Bartholamæe ora.
Sancte Matthæe ora.
Sancte Simon ora.
Sancte Taddæe ora.
Sancte Mathia ora.
Sancte Barnaba ora.
Sancte Luca ora.
Sancte Marce ora.
Sancte Stephane ora.
Sancte Clemens ora.
Sancte Sixte ora.
Sancte Laurenti ora.
Sancte Dionyſi ora.
Sancte Ruſtice ora.
Sancte Eleutheri ora.
Sancte Quintine ora.
Sancte Luciane ora.
Sancte Firmine ora.
Sancte Criſpine ora.
Sancte Criſpiniane ora.
Sancte Maurici cum ſociis tuis ora.
Sancte Silveſter ora.
Sancte * Elari ora.
Sancte Martine ora.
Sancte Caſſiane ora.
Sancte Remegi ora.
Sancte Medarde ora.
Sancte Vedaſte ora.
Sancte Germane ora.
Sancte Gaurice ora.
Sancte Amande ora.
Sancte Eligi ora.
Sancte Benedicte ora.
Sancta Felicitas ora.
Sancta Perpetua ora.
Sancta Agatha ora.
Sancta Lucia ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Cecilia ora.
Sancta Anaſtaſia ora.
Sancta Euſemia ora.
Sancta Columba ora.
Sancta Genofeva ora.
Sancta Aldegundis ora.
Sancta Gertrudis ora.
Omnes Sancti, orate pro nobis.
Propitius eſto, parce nobis, Domine.
Propitius eſto, libera nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni tentatione diabolica, libera nos Domine.
Ab omni cogitatione mala, libera nos Domine.
Ab omni iniquitate, libera.
Ab omni immunditia, libera.
Per Crucem tuam, libera.
Peccatores, te rogamus audi.

Ut pacem nobis donare digneris, Domine Jeſu, te rogamus.

Ut tranquillitatem pacis Eccleſiæ tuæ largiri digneris, Domine, te rogamus.

Ut iram tuam a populo Chriſtiano amovere digneris, te rogamus.

Ut ab hoſtium periculis nos defendere digneris, te rogamus.

Ut indulgentiam delictorum noſtrorum nobis donare digneris, te rogamus.

Ut remiſſionem peccatorum noſtrorum nobis donare digneris, Domine Jeſu, te rogamus.

Ut gratiam ſancti Spiritus cordibus noſtris clementer infundere digneris, Domine Jeſu, te rogamus.

Ut interceſſionem Sanctorum tuorum nobis donare digneris, Domine Jeſu, te rogamus.

Ut fidem rectam nobis donare digneris, Domine Jeſu, te rogamus.

Ut ſpem firmam in tua bonitate nobis donare digneris, Domine Jeſu, te rogamus.

Ut vitam æternam nobis donare digneris, Domine Jeſu, te rogamus.

Ut lumen perpetuum nobis donare digneris, Domine Jeſu, te rogamus.

Ut nobis laudem Sanctorum nomini tuo donare, Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere.
Chriſte audi nos. III.
Kyrie eleiſon. III.
Chriſte eleiſon. III.
Kyrie eleiſon. III.
Pater noſter.

Oratio poſt Litaniam.

Deus exercituum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum, Deus omnium Sanctorum, quem trinum in perſonis, unum in ſubſtantia confitemur, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, &c.

Circa hanc Litaniam obſervandum eſt ad τὸ *tribus*, ſubaudiendum eſſe τὸ *vicibus*, & ad τὸ *miſerere*, ſupplendum eſſe, τὸ *nobis*, & ad τὸ *ora*, τὸ *pro nobis*; & in precibus, ubi non eſt τὸ *Domine Jeſu*, illud eſſe ſubintelligendum.

* Leg. Ilari.

Tan-

Tandem ex his notandum est olim non dici solitum *audi nos*, ad illud *te rogamus*, nisi in his duabus supplicationibus, *Fili Dei*, &, *Peccatores*, Quod videre est etiam in Litania Ratperti, etsi versibus scripta, apud Canisium tom. 5. antiq. lect. p. 2.

Nos peccatores audi, te, Christe, rogamus.
Ut pacem nobis dones, te, Christe, rogamus,
Crimen ut omne tuis solvas, te, Christe, rogamus,
Auræ temperiem dones, te, Christe, rogamus.
Ut fruges terræ dones, te, Christe, rogamus.
Ut populam cunctum salves, te, Christe, rogamus.
Ecclesiamque tuam firmes, te, Christe, rogamus.
Fili celsithroni, nos audi, te rogamus.

Ubi vides ad illas precationes, *Peccatores*, &, *Fili Dei*, tantum interseri verbum, *audi*, quod poterat fieri etiam in aliis precationibus, sublatis quibusdam vocabulis, salva sensus & carminum integritate, verbi gratia:

Ut pacem dones, audi, te, Christe, rogamus.
Ut crimen solvas, audi, te, Christe, rogamus,

Et sic de ceteris. Et sane clarior sensus est, cum ab his precibus abest *τὸ audi nos*. Apud Arnoldum Vvionem lib. 4. ligni vitæ cap. 12. habetur Litania, quam testatur ille esse S. Gregorii Magni, seque in codice ms. Casinensis monasterii reperisse. Sed nemo est vel leviter antiquitatis Ecclesiasticæ studiis imbutus, qui ejusmodi Litaniam illius esse arbitretur; ut omittam de invocatione ejusdem S. Gregorii, & quorumdam Sanctorum adhuc cum habita est, viventium, quæ in illa continetur.

Nota 381. Mentem familiæ tuæ, &c.

Hæc & similes orationes ante Missam dicuntur ad collectam seu processionem, id est in loco ad quem Clerus & populus pervenere.

Nota 382. Fatigare.

Id est, percuti. Nunius Marcellus cap. 4. *Fatigare, percutere. Vergilius lib. 9.*

——Versaque juvencum
Terga fatigamus hasta.——

Et ita non semel usurpatur in hoc Sacramentorum libro, ut infra feria 3. *Nostris fatigamur offensis*. Id est, ob nostra delicta percutimur.

Nota 383. Præsta quæsumus omnipotens Deus, &c.

In excusis sequuntur orationes in campo, quæ non extant in codicibus nostris mss. nec apud Pamelium.

Nota 384. Jejunii vestri et precum vota.

Id est, devotas oblationes jejunii vestri & precum.

Nota 385. Nostris fatigamur offensis.

Id est, ob delicta nostra corripimur, & percutimur.

Nota 386. Veræ credulitatis instrumentis.

Id est, veræ fidei scripturis, libris, id est doctrinis. Estque metonymia continens pro contento. Instrumentum autem aliquando pro libro usurpatur. Tertullianus lib. 5. adversus Marcionem: *Quantas autem foveas in ista vel maxime epistola Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de nostri instrumenti integritate patebit*. In Apologetico: *Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas indicat*. Et infra: *sed quoniam edidimus antiquissimis Judæorum instrumentis sectam istam esse suffultam.*

Nota 387. In ascensa Domini.

Ascensa, id est ascensio. Magister in regula ms. cap. 28. *Quia ascensa Domini ipso die omni tempore occurrit*. Hæc autem lectio habetur in codicibus Rem. & Rudradi.

Nota 388. Concede quæsumus, &c.

Alcuinus lib. 2. adversus Elipantum Archiepiscopum Toletanum hanc orationem citat, ut probet Jesum Christum esse verum Dei filium, non adoptivum: *Item in Ascensione Domini. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum ad cœlos ascendisse credimus.*

Nota 389. Dona. Id est, Spiritum sanctum.

Nota 390. Suis participibus. Id est, Apostolis.

Nota 391. Ante descensum fontis.

Id est, ante descensum in fontem, baptismi celebrandi gratia videlicet, juxta vetus Ecclesiæ institutum, quo in solemnitatibus Pentecostes & Paschæ baptismus conferebatur, ut docet Tertullianus lib. de baptismo: *Diem baptismo solemniorem Pascha præstat*. Et paulo post: *Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est*. Id etiam notum est ex epist. 4. & 8. S. Leonis, historia Socratis, & Conciliis mox citandis. De baptismo Paschali luculentum habemus testimonium apud Fortunatum lib. 3. carm. 7. ubi agens de solemnitate Paschali hæc sub carminis finem scribit:

Rex sacer ecce tui cadit pars magna triumphi,
Cum puras animas sacra lavacra beant,
Candidus egreditur nitidis exercitus undis.
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

De baptismo Pentecostes hæc habet idem Fortunatus lib. 5. carm. 4. agens de Judæis a S. Avito Arvernæ Episcopo ipso die baptizatis:

Ecce dies aderat, quo Spiritus almus ab alto,
Missus Apostolicis fluxit in ora viris.
Res sacra ruricolas, urbanos excitat omnes,
Certatimque aditus ad pia festa ferunt.
Abluitur Judæus odor baptismate divo,
Et nova progenies reddita fertur aquis.

Idem videre est apud S. Hieronymum epist. ad Pammachium adversus errores Johannis Hierosolymitani: *Nos scindimus Ecclesiam, qui ante paucos menses circa dies Pentecostes, cum obscurato sole, omnis mundus jamjamque venturum judicem formidaret, quadraginta diversæ ætatis & sexus Presbyteris tuis obtulimus baptizandos*. Et paulo post mentionem facit baptismi Paschalis. Constantinus Magnus Imperator ipse Pentecostes baptizatus est die, ut testatur Eusebius in ejus vita cap. 64. Quia vero in ipso solis occubitu solemnitas Paschatis incipiebat olim, hoc est vespere Sabbati, & ipsa nocte baptisma celebrabatur, ut constat ex Officio Sabbati sancti, & epistola Paschasini Lilybetani ad S. Leonem Papam; hinc fit, ut juxta vulgarem loquendi modum dicatur baptisma in ipso Sabbato Paschæ celebrari: & ita loquitur S. Gregorius lib. 4. dial. cap. 32. *Quidam Cæcialis sacratissimo Paschali Sabbato juvenculam cujusdam filiam in baptismate suscepit*. Idemque de Sabbato Pentecostes dicendum est.

Postea vero quidam baptizaverunt in solemnitatibus Martyrum; quod tandem prohibitum est a S. Leone Papa ep. 80. & a Concilio Matisconensi 2. can. 3. Quidam etiam baptizaverunt in solemnitate Epiphaniæ; quem morem, cum in Sicilia inolevisset, sustulit S. Leo Papa ep. 4. Qui etiam cum in Gallia obrepsisset, saltem in Neustria, seu Normania, sublatus est in Concilio Rothomagensi celebrato, Anno Domini 1072. *Vigilia, vel die Epiphaniæ, ut nullus, nisi infirmitatis necessitate baptizetur, omnino interdicimus.*

Hæc tamen consuetudo post S. Leonem Papam perseveravit in Africa, ut notum est ex Victore Uticensi, lib. 2. de persecutione Vandalica, tempore S. Eugenii Episcopi Carthaginiensis, qui non multo post S. Leonem floruit: *Fuit (inquit) in eadem civitate, id est Carthagine quidam cæcus ci-*

vibus

vibus civitatique notissimus, nomine Felix. Hic visitatur a Domino, prædiciturque ei nocte per visum: (*dies enim Epiphaniorum illucescebat*) *Surge, vade ad servum meum Eugenium Episcopum, & dices ei, quia ego te ad illum direxi; & illa hora, qua benedicit fontem, ut baptizentur accedentes, continget oculos tuos & aperientur.* Olim etiam in Lycia baptismus celebratus est in die Epiphaniæ, ut ex his Johannis Moschi cap. 214. Prati spiritualis videre licet: *Sorubu vicus quidam est ad radices montis, in quo situ est Cannensium civitas: in eo baptisterium est, quod in sanctis Epiphaniis sudat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post baptisma peractum decrescere incipit, & tribus aliis horis sensim deficit.* Quod autem præfatus vicus sit in Lycia idem Moschus testatur capite sequenti.

Tom 1. Conc. Galliæ Sirmondi.

In quibusdam vero Galliæ partibus baptismi celebritas videtur usitata in natali Domini. Siquidem Clodovæus, primus Francorum Rex Christianus, eodem die baptizatus est, ut testatur Avitus Episcopus Viennensis ep. ad eumdem regem: *Si quidem & occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat; cujus splendorem congrue Redemptoris nostri nativitas inchoavit: ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pateat, quo natum redemptioni suæ cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber est natalis Domini, sit & vestri, quo vos scilicet Christo, quo Christus ortus est mundo: in quo vos animam Deo, vitam præsentibus, famam posteris consecrastis.* Hæc ille; etsi Fredegarius cap. 11. hist. Francorum, & Hincmarus in vita S. Remigii citata ab Herivæo Archiepiscopo Remensi in ep. ad Vitonem Archiepiscopum Rothomagensem, scribant eum in die Paschæ fuisse baptizatum; tamen potior est Aviti, quippe Clodovæo æqualis, auctoritas. Sententiam hanc confirmat miraculum, quod Ebreduni olim in natali Domini, & in cœna Dominica quotannis contingebat circa baptisterium ædificatum a S. Marcellino quondam illius urbis Episcopo. Illis namque diebus quotannis in illo lavacro seu baptisterio aqua divinitus oriebatur, de quo etiam ad aliud lavacrum, baptismi gratia, aqua deferebatur, ut scribit S. Gregorius Turonensis cap. 69. libri de gloria Confessorum. Quod sane miraculum in natali Domini non contigisset, si baptisma illo die conferri non debuisset. Sic olim in Sicilia in possessione, quæ Meltinas dicitur, fons baptisterii quotannis in die Paschæ divinitus implebatur, ut refert Paschasinus Episcopus Lilybetanus in ep. ad S. Leonem Papam.

Si tamen intercidisset mortis periculum, citra prædictas solemnitates baptizabantur ægroti, ut planum ex epistolis SS. Cornelii & Cypriani mox citandis, ex Concilio Matisconensi supra citato, ex epistola Gregorii II. ad Clerum & plebem Turingorum, & ex Concilio Autissiodorensi can. 8. *Non licet absque Paschæ solemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt.* Ubi nota grabatorios esse eos, qui in lecto seu grabato per aspersionem aut perfusionem aquæ ob mortis periculum baptizabantur, quos aliter clinicos, a κλίνη, id est lectus, vocant, ut manifestum est ex ep. 73. S. Cypriani, qui hanc baptizandi rationem merito defendit, etsi de ea Cornelius Papa dubitare videatur in ep. ad Fabium Episcopum Antiochenum apud Eusebium lib. 6. hist. Eccl. cap. 35. Erant tamen ejusmodi baptizati irregulares, ut loquuntur, nec ad Clerum adscisci poterant, ut testatur Cornelius Papa epistola citata.

Sed Thessalorum severior, quam par erat, disciplina fuit, qui extra solemnitatem Paschalem neminem prorsus baptizabant, ita ut paucis exceptis omnes sine baptismate e vivis excederent, ut scribit Socrates lib. 5. hist. Eccl. cap. 21. Si vero de infantibus sermo sit, usitatum fuit aliquando priscis illis temporibus, ut citra solemnitatem Paschæ & Pentecostes baptismum susciperent, ut discimus ex S. Cypriano ep. 59. ubi disputat in quemdam, qui asseverabat infantes non esse tertio aut altero natalis sui die baptizandos, sed quemadmodum in circumcisione, octavum diem esse expectandum. Si enim tum moris fuisset in parvulis illis Paschæ & Pentecostes protelare diem, frustra S. Cyprianus eos ante octavum natalitiorum diem posse baptizari contenderet.

Nota 392. QUI SACRAMENTUM.

In aliis codicibus nostris mss. habetur Præfatio: *Qui ascendens super omnes cælos,* &c. ut in Missali Romano.

Nota 393. ET DIEM SACRATISSIMUM PENTECOSTES PRÆVENIENTES.

Ita in editis & in codicibus Ratoldi & Rem. & apud Pamelium. In codice Rodradi legitur: *Et diem Sacratissimum Pentecostes celebrantes.* Optime, quia cum in ipsa nocte, quæ lucescit in Dominica hæc Missa olim celebraretur; post Vesperam videlicet Sabbati, jam ipse Pentecostes dies inceptus erat juxta morem Ecclesiæ, ut supra de Paschate dictum est, non vero juxta seculi consuetudinem.

Nota 394. QUI ASCENDENS SUPER OMNES COELOS, &c.

In codice Rem. est alia [a] Præfatio: *Qui hodie sancti Spiritus celebramus adventum,* &c. ut in Missa Ambrosiana, in qua rectius legitur, *ad quos,* his in ejus fine additis, *quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat;* quæ desiderantur in cod. Rem. In eadem Ambrosiana Missa legitur: *Distributor idem & fidei unius effector,* cum in dicto cod. Rem. scriptum sit, *distributor idem, & unus effector.*

Nota 395. IN ZONA IS.

Optime. In editis, & aliis codicibus nostris mss. & apud Pamelium legitur, [b] *innumeris.*

Nota 396. A SPE AD SPECIEM PERVENIRE.

Est paronomasia, id est a spe ad fruitionem æternorum bonorum pervenire, ad contemplationem faciei Dei: nam species faciem significat. Nonius Marcellus cap. 4. *Species dicitur effigies, facies. Livius Ægisto: Jamne oculis specie læta visi opinabili.* Unde cap. 1. ait: *Ut ab aspectu species, & a fingendo figura, ita a factura corporis facies.* Species ergo hoc loco est clara Dei visio, ita apud Tertullianum lib. de resurrectione carnis: *Itaque confisi semper & scientes, quod cum immoramur in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim incedimus, non per speciem.*

Nota 397. FERIA V.

Hæc feria non est in codicibus Rodradi & Remensi, de qua ita monent Ordo Romanus, & Alcuinus. *V. feria deest officium & Missa; & ideo debes cantare de Dominica Pentecostes.* In cod. Ratoldi Abbatis Missa hujus feriæ quintæ est ut in feria VI. hujus codicis S. Eligii.

Nota 398. DA QUÆSUMUS ECCLESIÆ TUÆ, &c.

In codice Ratoldi Abbatis est hic alia Missa, Præfatione excepta.

Nota 399. SI IN JEJUNIO FUERIT.

Hæc verba desiderantur in editis & in aliis codicibus nostris mss. & apud Pamelium. Notanda tamen; quia olim jejunium quarti mensis non semper cadebat in hebdomadem Pentecostes; qua de re infra.

Nota 400. UT NOS SPIRITUS TUI LUMEN INFUNDAT.

Id est, ut nobis Spiritus tui lumen infundatur. Est hypallage.

Nota 401. DOMINICA OCTAVAS PENTECOSTES.

In editis legitur, *Dominica in octava Pentecostes.* Sed quid hæc sibi velint non satis capio. In cod. Rodradi ita habetur; *Die Dominico vacat.* Assidi,

[a] Est etiam omnino diversa in vet. Sacram. Gallic. ubi festum hoc appellatur, *in quinquagesima;* at eadem in codice Reg. Suecia & in aliis mss. nostris.

[b] In cod. Reg. Suec. legitur: *Apostolos plebemque credentium præsentia suæ majestatis implevit.*

gnantur tamen tres orationes in hunc modum: *Deprecationem nostram, Domine, quæsumus, exaudi*, &c. Super Oblata; *Munera, Domine, oblata sanctifica*, &c. Ad completa: *Hæc nos communio, Domine, purget a crimine*. Verum in appendice ejusdem codicis habetur: *Dominica in octavis Pentecostes*; cujus orationes sunt ut in codicibus Ratoldi & Remensi, in quibus nulla est mentio sanctissimæ Trinitatis: sed in serie præfationum ejusdem codicis Rodradi in octavis Pentecostes extat præfatio de sancta Trinitate eadem cum Missali Romano & hoc S. Eligii codice, quam etiam reperire est in codicibus Ratoldi & Remensi. In benedictione codicis Ratoldi primus versiculus meminit sanctissimæ Trinitatis in hunc modum: *Benedicat vos Trinitatis divina majestas, & una Deitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: talesque inveniat dies examinationis, quales emisit fons regenerationis. Amen.* At in benedictione codicis Remensis, ne verbum quidem de Sacratissima Trinitate videre est.

Hæc diversitas Officii inde manavit, quod quidam affirmarent octavam Pentecostes esse celebrandam, aliis negantibus: quam controversiam in Gallia diversatus Berno Abbas Augiensis, ut ipse testatur cap. 3. libri de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, agitari vidit: & in fine capitis tandem concludit celebrandam esse octavam Pentecostes.

Micrologus cap. 16. libri de Eccl. observationibus negat plane celebrandum esse festum sanctissimæ Trinitatis, quia Dominici dies ejus honori deputati sunt, scribitque officium de sancta Trinitate fuisse compositum a Stephano Leodiensi, illudque repudiatum fuisse a sede Apostolica; & Alexandrum Papam requisitum de die sanctæ Trinitatis, respondisse, juxta Ordinem Romanum nullum diem specialiter adscribi debere solemnitati Sanctæ Trinitatis, sicut nec sanctæ Unitatis, præcipue cum in omni Dominica, imo quotidie, utriusque memoria celebretur. Tamen, cum hoc festum habeatur in nostro codice S. Eligii, & in Sacramentariis editis ex Vaticano, non est dubium quin fuerit olim celebratum, sed postea intermissum, tandemque a Romanis Pontificibus instauratum. Et miror sane id quod scribitur ab eodem Micrologo de Præfatione sanctæ Trinitatis a Pelagio Papa instituta, cum ait illam diebus Dominicis frequentari: nam in omnibus nostris Sacramentariis mss. & in editis ex Vaticano, ejusmodi Præfatio in nulla Dominica (si octavam Pentecostes exceperis) reperitur; sed singulis Dominicis propria sua tribuitur Præfatio: qui sane codices mss. ipso Micrologo sunt antiquiores, qui proinde solam suæ tempestatis usus in quibusdam itaque locis rationem habuisse videtur, non satis explorato usu antiquiore. Quare ex his quæ supra notata sunt, ejusmodi a Præfatio videtur a Pelagio instituta ob festum sanctæ Trinitatis.

Nota 402. QUI CUM UNIGENITO FILIO, &c.

Recte Corippus lib. de laudibus Justini minoris:

—— Illic pia cernitur esse.

Indivisa manens Patris, Genitique potestas,

Spiritus & sanctus substantia creditur una.

Tres sunt personæ, subsistunt, nomina fulgent,

Utque Pater Deus est, Genitus Deus æquus honore,

Spiritus & sanctus pariter Deus.

Nota 403. DEDICATIO BASILICÆ S. NICOMEDIS.

Hæc Missa non habetur in editis, extat tamen in omnibus aliis codicibus nostris mss. & apud Pameljum, b in quo deest τὸ *Basilicæ*. In codice Remensi obrepsit error in titulo; legitur enim, *Nicodimi*, qui tamen abest ab orationibus ejusdem codicis, in quibus legitur τὸ *Nicomedius*, & *Nicomede*.

Hæc dedicatio eodem die extat in Martyrologiis Bedæ, Usuardi, & Adonis: & in Martyrologio ms. Biblioth. Corb. *Romæ dedicatio S. Nicomedis Martyris, cujus Martyrium* XVII. *Kalend. Octobris ibidem celebratur*. In Martyrologio Rabani: *Kalend. Junii S. Nicomedis Martyris Ecclesiæ Dedicatio*, & in Martyrologio Notkeri eodem die: *Romæ dedicatio S. Nicomedis Presbyteri & Martyris, cujus Martyrium* XVII *Kalend. Octobris celebratur*. In Martyrol. ms. S. Hieronymi fit quidem eodem die mentio S. Nicomedis, sed non Dedicationis Ecclesiæ: *Romæ Juvenci, Nicomedis Martyris, Exuperantii, Eracliæ*. In parvulo Martyrologio ms. cod. Rem. assuitur: *Kalend. Junii Dedicatio S. Nicomedis in Thessalonica*. Ubi hæc verba, *in Thessalonica*, non spectant ad hanc dedicationem: sed quia hujus Martyrologii dies singuli unica linea comprehenduntur, cum ad finem lineæ perventum est, cetera a scriptore sunt omissa, quæ ad hæc vocabula spectant: quod planum est ex Martyrologio Rabani, in quo proxime post Dedicationem S. Nicomedis sequitur: *In Thessalonica natale Octavii*, & ex Martyrologio S. Hieronymi, in quo statim post nominatos S. Nicomedem & ceteros subjungitur: *in Thessalonica Luciæ Virginis*, &c. cum priorem nominasset in limine istarum Kalendarum S. Octavium, *in Thessalonica S. Octavii*. Hujus Ecclesiæ S. Nicomedis mentio fit in Concilio Romano 5. sub Symmacho Papa. Porro in codice Ratoldi Abbatis habetur, VI. *Idus Junii Natale B. Medardi Confessoris*.

Nota 404. NATALE SANCTORUM PRIMI ET FELICIANI.

Hic dies festus non extat in cod. Rodradi, quemadmodum nec sequens.

Nota 405. ET QUOD ILLIS CONTULIT EXCELLENTIA SEMPITERNA.

Legitur in cod. Remensi, *Et quod illis contulit excellentiam sempiternam*, id est, meritum passionis illorum, quod eis gloriam contulit sempiternam, fructibus nostræ devotionis applicetur.

Porro in codicibus Ratoldi & Remensi habetur XVII. Kalend. Julii Natale S. Viti, cui in Missali Romano adjunguntur Modestus & Crescentia.

Nota 406. PER QUAM.

Lege ut in cod. Ratoldi, *per quem*, ut referatur ad τὸ *Domine*; vel *per quæ*, ut in cod. Remensi, ut referatur ad τὸ *mirabilia*.

Nota 407. DENUNTIATIO JEJUNIORUM.

Denuntiatio illa jejuniorum olim fiebat in Missa post illa verba: *Pax Domini sit semper vobiscum, & cum Spiritu tuo*; ut videre est in codice Remensi in orationibus quotidianis ad Missam: *Pax Domini sit semper vobiscum, & cum spiritu tuo. Post hæc commonenda est plebs pro jejunio I. IV. VII. & X. mensis temporibus.*

Nota 408. DIE VERO SABBATI, &c.

Juxta S. Leonem Papam serm. 9. de jejunio 7. mensis: *Sabbato vero apud B. Petrum Apostolum vigilias celebremus.*

a Nulli e mss. nostris habent Præfationem hanc Dominica seu Hebdomada secunda post Pentecosten.

b In cod. Colensi legitur: *Natale S. Nicomedis Mart.* consentiente secunda Thead. In Gemet: *Dedicatio S. Nicomedis Mart.* In priori Thead. *Dedicatio Eccl. S. Nicom.* In cod. Reg. Suec. *Dedicatio basilicæ S. Nicomedis*.

Nota 409. MENSIS IV. FERIA IV.

In editis male legitur: *Feria* IV. *menſis ſeptimi, hoc eſt Septembris.*

Nota 410. SI POST HEBDOMADAM PENTECOSTES ADVENERIT.

Hæc non reperiuntur in editis, nec in aliis codicibus noſtris mſſ. Quæ tamen ſcripta ſunt juxta morem illorum temporum, in quibus celebrabatur jejunium menſis quarti Hebdomade ſecunda Junii, ex quo ſæpe contingebat hoc jejunium peragi poſt Hebdomaden Pentecoſtes, ut videre eſt in Concilio Moguntino ſub Carolo Magno, in quo 30. Epiſcopi, & 25. Abbates convenerunt, can. 34. *Similiter in menſe Junio Hebdomada, ſecunda feria* IV, *&* VI. *& Sabbato jejunetur uſque ad horam nonam.* Quod citatur a Burchardo lib. 2. cap. 14. ſed contractius: & a Micrologo cap. 24. & 25. de obſervationibus Eccl. Sed videtur intelligere aliud Concil. Moguntinum, cum ait illud fuiſſe ſub Henrico ſecundo celebratum, eique interfuiſſe duodecim Epiſcopos. Idem ſtatuitur in Concilio Rothomag. celebrato anno 1072. *Item quatuor temporum obſervatio competenti tempore ſecundum divinam inſtitutionem communi obſervantia a nobis ſervetur, id eſt prima Hebdomada Martii, ſecunda Junii,* &c. ut refert Ordericus lib. 4. hiſt. Eccl. Hæc pro ratione temporum illorum. Fuit ſane antiquior uſus jejunii hujus celebrandi in ipſa Pentecoſtes Hebdomade, ut clarum eſt ex S. Iſidoro lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 37. & S. Leone Papa, Serm. 1. 2. 3. & 4 de jejunio Pentecoſtes: qui tandem in Eccleſia revixit auctoritate Gregorii VII. ut docet Micrologus cap. 25. & Urbani II. in Concilio Claromontano, in quo ſic ſtatuitur: *Jejunium ſecundum ſemper in Hebdomade Pentecoſtes celebretur,* ut refert Ordericus Vitalis lib. 9. hiſt. Eccl. Sic olim jejunium primum quatuor temporum peragebatur in Hebdomade prima menſis Martii, ut videre eſt eodem can. Concilii Moguntini ſupracitati: *Conſtitutum eſt ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio obſerventur, id eſt in menſe primo, Hebdomadu prima,* &c. & Concilio Rothomagenſi ſupra citato: *Communi obſervantia obſervetur a nobis, id eſt prima Hebdomada Martii.* Sed poſtea idem Gregorius VII. tranſtulit illud in Hebdomaden primam Quadrageſimæ, ut docet Micrologus cap. 24 & ita ſtatutum eſt in Concilio citato Claromontano: *Omni tempore primum jejunium quatuor temporum prima Hebdomada Quadrageſimæ celebretur;* ut refert Ordericus Vitalis libro citato.

Nota 411. POST BENEDICTIONES.

Id eſt, poſt recitatum hymnum trium puerorum: *Benedicite omnia opera Domini Domino,* &c.

Nota 412. NATALE SS. GERVASII ET PROTASII.

In codicibus Remenſi & Ratoldi, pridie hujus feſti, eſt vigilia eorumdem Sanctorum cum eodem officio in utroque codice, cujus prima oratio & ſuper Oblata ſunt ut in Miſſa Ambroſiana, in vigilia eorumdem Sanctorum.

Nota 413. SANCTORUM MARTYRUM, &c. In codicibus Rodradi & Ratoldi eſt alia Miſſa a.

Nota 414. INTERCESSIONE BEATORUM, &c.

In Miſſa Ambroſiana legitur: *Protaſio & Gervaſio Martyribus.* Ubi nota *Protaſium* priorem Gervaſio nominari, quod ſemper fit in utraque Miſſa Liturgiæ Ambroſianæ, & in codice Rodradi, etſi vulgo S. Gervaſius præponatur. In cod. Remenſi hæc verba, *& interceſſione,* deſiderantur.

Nota 415. FULCIATUR.

In Miſſa Ambroſiana, & in codice Remenſi legitur, *firmetur.*

Nota 416. VIGILIA b S. JOHANNIS BAPTISTÆ.

In cod. Remenſi legitur, *In jejunio ſancti Johannis Baptiſtæ.*

Nota 417. EXHIBENTES SOLEMNE JEJUNIUM, &c.

In codice Remenſi habetur quidem eadem Præfatio, ſed paulo fuſior, multiſque verbis immutatis.

Nota 418. IN PRIMA MISSA DE NOCTE.

Ita in cod. Rem. In cod. Rodr. & Rat. legitur, *in prima mane;* apud Pamelium, *in mane primo.* Miſſa non extat in editis nec in Liturgia Ambroſiana. Alcuinus lib. de Offic. Eccl. cap. de ſancto Johanne ait tres Miſſas in feſto S. Johannis Baptiſtæ celebrari, inter quas recenſet Miſſam de Vigilia, quæ proinde, & quia jejunium celebre erat, dicebatur poſt ſolis occubitum, in quo pro more Eccleſiaſtico dies feſti tunc incipiebant; rationemque reddit in hunc modum: *Ideo tres Miſſæ celebrantur in feſtivitate ſancti Johannis, quia tribus inſignibus triumphis excellenter refulſit: ad hoc enim venit, ut viam Domino præpararet exemplo ſuæ converſationis: qui triumphus celebratur in Vigilia ejuſdem. Per miniſterium baptiſmi claruit inſignis: hujus miniſterii triumphus in prima Miſſa recolitur. Nazaræus permanſit in utero matris: hoc donum recolitur in die.* Idem videtur in Ordine Romano: *Ideo tres Miſſæ celebrantur:* id eſt, *una in Vigilia ejuſdem, duæ in die nativitatis ejus: quia tribus triumphis refulſit inſignis;* id eſt, *officio Præcurſoris, Baptiſtæ miniſterio, & quia Nazaræus in utero matris remanſit.*

Nota 419. ET ADHUC CLAUSUS IN UTERO, &c.

Ita præclare Ennodius in Dictione Maximo Epiſcopo miſſa: *Cujus ſenior gratia, quam natura: dum ante lucis ingreſſum pii vatis impleſſet officium, lumen vitæ hujus virtute ſignavit.* Et Prudentius in Apotheoſi:

Primus & infantem non natus nuntiat infans.

Jam noſtrum vagire ſibi cum puſio mundum

Norat, & ora Deo reſerabat garrula Chriſto.

Nota 420. QUI ET OBSTETRICIS &c.

Præclare Ennodius Dictione ſupra citata: *Nam uno eodemque tempore & matrem fœcunditate nobilem fecit, & inofficioſa genitoris labia in loquelam priſtinam uſu remeante commovit.* In cod. Rem. ſequitur Vigilia SS. Johannis & Pauli, quæ in aliis codicibus noſtris mſſ. deſideratur.

Nota 421. NATALE S. LEONIS PAPÆ.

Hoc feſtum a cod. Remenſi.

Nota 422. UT ANIMÆ FAMULI TUI LEONIS HÆC PROSIT OBLATIO.

Ita in editis, in codice Ratoldi, & apud Pamelium. Subaudi *Ad gloriam,* vel, *Ad honorem;* ut explicat Innocentius III. de celebratione Miſſarum cap. 6. § 3. In codice Rodradi legitur, *Ut intercedente B. Leone hæc nobis proſit oblatio.* In Miſſali Romano, *ut interceſſione B. Leonis,* &c.

Nota 423. VIGILIA S. PETRI.

In codicibus Rodradi, Ratoldi, & Remenſi duplex

a Et in cod. Reg. Suec. In cod. Farnel hæc legitur, ſed intra uncinos contenta.

b Ante hanc vigiliam legitur in vet. Sacramentario Romano, ſeculo nono ſaltem exarato, nunc in Bibliotheca Vallicellana PP. Oratorii Romæ aſſervato: *Menſe Junio die* XXII. *Sanctorum Martyrum* MCCCCLXXX. *quorum Vigilia cum ſilentio & jejunio eſt celebranda: & conceſſum eſt eis pro illo uno die annum dimittere in pœnitentia.* Quod obſervo ob antiquum indulgentiæ conceſſæ exemplum.

plex extat Vigilia. Secunda est *in nocte*. Geminas hujus festi Vigilias notat Amalarius lib. de Ordine Antiphonarii cap. 69. *Ex Romano Antiphonario posui duas Vigilias in nostro Antiphonario. Primam solet Apostolicus facere in initio noctis, quæ fit sine Invitatorio: quoniam ea hora non invitatur populus ad Vigilias. Populus enim invitatur ad Vigilias ea hora noctis, de qua dicebat David Propheta, præveni in maturitate, & clamavi*. Ubi maturitas accipitur pro media nocte, ut idem explicat Amalarius ex S. Augustino.

Nota 424. QUANDO APOSTOLICUS, &c.

Hæc verba desiderantur in excusis, & in aliis codicibus nostris mss. Hæc autem verba huic diei conveniunt, in quo est duplex Missa, tum S. Leonis, tum vigiliæ Apostolorum; & Pontifex aliquando duas Missas, aliquando unam pro devotione faciebat. Olim enim uni sacerdoti plures Missas canere licebat. Sic Papa olim, ut infra videbitur in solemnitate Apostolorum Petri & Pauli duas Missas faciebat, alteram apud S. Petrum, alteram apud S. Paulum. Nec obstat quod S. Leo Epist. 80. Missarum celebrationem eodem die iterari prohibeat, nisi ob angustias Ecclesiæ omnis populus sacrificio interesse non potuerit; nam ejusmodi decretum videtur esse de una & eadem Ecclesia, quod etiam non erat amplius in usu tempore quo hic liber Sacramentorum scriptus est.

Nota 425. NON LAVATOS.

Non tam propter periculum, ne pauxillum aquæ casu interfluat, quam quia id minime necessarium est. Si enim propterea a sancta communione esset abstinendum, hoc sæpe Sathanæ malitia contingeret, ut scribit Timotheus Patriarcha Alexandrinus in canone, interrogatione 15.

Nota 426. APOSTOLI TUI PETRI FIDE ET NOMINE CONSECRASTI.

Cum videlicet Christum Dei vivi filium esse confessus est, & Petri nomen a Christo accepit, Matth. 16. ubi in textu Græco πέτρος est petra: nam apud Græcos πέτρος petram significat, ut elatum est ex Hesychio, & videtur apud Sophoclem in Oedipode Colonæo circa initium:

Οὗ λᾶα καμψαι τοῦ δ' ἐπ' ἀξέστου πέτρου·

Id est, ibi sede super hac aspera petra. Et τὸ Petrus Latinum recte a Græco deflexum est.

Nota 427. NATALE EJUSDEM PETRI ET PAULI.

In cod. Rodradi legitur, *Natale S. Petri*. In cod. Rem. *Natale S. Petri proprie*.

Nota 428. PONTIFICIUM.

Pontificium est potestas. Vide superius observata.

Nota 420. NATALE S. PAULI.

Ita in editis & in aliis codicibus nostris mss. quemadmodum & in Ordine Romano. At in Missali Romano est *Commemoratio S. Pauli Apostoli*. Micrologus cap. 42. hujus festi translationem attribuit S. Gregorio; id est cum olim utraque solemnitas in die S. Petri ageretur. Etenim Papa eo die bis olim sacris operabatur, primo in basilica S. Petri, secundo in basilica S. Pauli, ut liquet ex Prudentio in Peristephano, carm. 12.

Transtyberina prius solvit sacra pervigil sacerdos,

Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Erat etiam frequens ad utramque basilicam populi concursus, ut apparet ex eodem Prudentio ibidem:

Aspice, per bifidas urbs Romula funditur plateas.

Lux in duabus fervet una festis.

A Quare in hymno S. Ambrosii, ubi scriptum est:

Trinis celebratur viis

Festum tantorum Martyrum.

Haud dubie legendum est τὸ *binis*.

Nota 430. PRÆFATIO ET BENEDICTIO QUÆ SUPRA.

Ita in excusis, in quibus nulla est hic benedictio, sicut nec in toto volumine [a].

Nota 532. OCTAVA APOSTOLORUM, &c.

Hæc Octava non extat in codice Rodradi. Porro in codice Ratoldi Abbatis, IV. Nonas Julii B sequitur: [b] *Translatio sancti Martini*, quo die celebratur etiam ejusdem sancti ordinatio, & Ecclesiæ ejusdem dedicatio, ut videre est in Kalendario affixo huic Ratoldi Sacramentario: IV. *Nonas, translatio S. Martini, & ordinatio & Dedicatio basilicæ ipsius*; & in Martyrologio Rabani eodem die: IV. *Nonas in Gallia Turonis civitate, ordinatio Episcopatus; & translatio corporis S. Martini Episcopi & Confessoris, & dedicatio basilicæ ipsius*. Idque ex doctrina S. Gregorii Turonensis, qui lib. 2. hist. Franc. cap. 14. scribit triplicem hanc solemnitatem hoc die celebrari: *Solemnitas enim ipsius basilicæ triplici virtute pollet, id est dedicatione templi, translatione corporis sancti, ordinatione ejus Episcopatus. Hanc enim IV. Nonas Julias observabis, depositionem vero ejus tertio Idus* C *Novembris esse cognosces*. Qui idem scribit lib. 4. de miraculis S. Martini cap. 6. Ita in Martyrologio Adonis; sed in Martyrologio Usuardi nulla fit mentio dedicationis Ecclesiæ.

Hæc autem Ecclesia S. Martini est, quam ædificavit S. Perpetuus Turonensis Episcopus super sepulcrum S. Martini, deturbata priori Ecclesia, quod angustior esset, ut docet idem S. Gregor. Turonensis cap. citato & lib. 10. cap. 31. & Sidonius lib. 4. epist. 18. qui ad preces ejusdem sancti Perpetui composuit epigramma hujus templi parietibus incidendum, cujus clausula est ejusmodi:

Dumque venit Christus populos qui suscitat omnes,

D *Perpetuo durent culmina Perpetui.*

Translatio vero corporis est, cum ex illius sepulcro in absidem majoris Ecclesiæ ab eodem S. Perpetuo translatum est, ut scribit S. Gregor. Turon. lib. 10. hist. Franc. c. 31. *Hic* (Perpetuus) (*submota basilica, quam prius Briccius Episcopus ædificaverat super S. Martinum, ædificavit aliam ampliorem miro opere: in cujus absida beatum corpus ipsius venerabilis Sancti transtulit*. Missa autem sic habetur in cod. Ratoldi: *Oratio*: Deus, qui nobis diei hujus solemnitatem in honore S. Martini Confessoris tui atque Pontificis consecrasti, adesto familiæ tuæ precibus, ut cujus festa colimus, ejus meritis auxilio sublevemur. *Super Oblata*: Respice, Domine, populum tuum ad * viam Sacramen- E ta currentem in præsenti festivitate Confessoris tui atque Pontificis Martini, * quod in honore nominis tui detulerunt, cunctis prosit ad veniam. *Præfatio*: V. ET JUSTUM EST. Qui B. Martinum Confessorem tuum atque Pontificem lætificas in regeneratione, in beatitudine sempiterno fine: ut omnia possit videre in tua claritate cum omnibus Sanctis, ubi temperantia spiritalis, & suavitas mirabilis, ubi refrigerium mirabile, & lætitia inenarrabilis, ubi præsentia salutaris filii tui Domini nostri, in quo semper lætantes * proficere desiderant Angeli, adorant. *Ad complendum*: Gratias agimus tibi,

* Leg. viam.
* Leg. ut quod
* Leg. prospicere.

a Cum hæc etiam legantur in edit. Vatic. & in Gussanv. in quibus tamen nullæ reperiuntur Benedictiones, inde necessario colligitur codicem, ex quo prius prodiit liber Sacramentorum accurante Angelo Rocca, mutilum fuisse; aut ejus jussu a Typographis omissas fuisse Benedictiones, quas noster codex habet.

b In cod. Gemet. idem legitur; sed officium est diversum. In utroque Theod. hoc festum notatur, at in secundo dicitur: *Natale S. Martini*. In illo Missa eadem est ac in Gemet. in priori vero, utraque, scilicet tam quæ habetur in cod. Ratoldi, quam quæ in Gemet. continetur.

tibi, Domine ſancte, Pater omnipotens, qui nos cæleſti medela reparare dignatus es; da peccatis noſtris veniam, ſicut B. Martino Confeſſori tuo dediſti ſedem Pontificatus. Per.

Nota 432. SEPTEM FRATRUM.

Filiorum S. Felicitatis videlicet. In Miſſali Romano adduntur ſanctæ Rufina & Secunda ſorores; quæ non habentur in excuſis, neque apud Pamelium, neque in aliis codicibus noſtris mſs.

In codice Ratoldi eodem die ſequitur: *Vigilia S. Benedicti Abbatis*. Oratio: *Concede, quæſumus, Domine, alacribus animis, B. Benedicti Confeſſoris tui ſolemnia celebrare*, &c. Super Oblata. *Oblatio Confeſſoris tui Benedicti honore*, &c. Ad complendum: *Quos cæleſtibus, Domine, recreas alimentis*, &c. In eodem codice die ſequenti ita habetur: *v. Idus Julii Natale S. Benedicti*; quemadmodum in codicibus Remenſi & Rodradi, in quibus Miſſa eſt de communi unius Abbatis, *interceſſio*, &c. cum reliquis, ut in Miſſali Romano. At in codice Ratoldi hæc habetur Miſſa: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna luce carnis eductum ergaſtulo ſanctiſſimum Confeſſorem tuum Benedictum ſublevaſti ad cælum*, &c. Super oblata: *Oblatis, Domine, ad honorem B. Benedicti Confeſſoris tui placare muneribus*, &c. Præfatio: *& gloriam tuam profuſis precibus exorare*, &c. Ad complendum: *Fidelium tuorum, quæſumus, Domine, vota ſerenus intende; & interventu B. Benedicti, cujus depoſitionis diem celebramus*, &c. Non tamen propterea exiſtimandum eſt natala S. Benedicti in hanc diem fuiſſe translatum propter Quadrageſimam: quia in eodem codice Ratoldi extat ejuſdem S. Benedicti natale XII. Kalend. Aprilis ſub hoc titulo XII. *Kalend. Aprilis Natale ſancti Benedicti Abbatis*. [a] In Præfatione Miſſæ fit commemoratio obitus illius: *Honorandi Patris Benedicti glorioſum celebrantes diem, in quo hoc ſeculum triſte deſerens ad cæleſtis patriæ gaudia migravit æterna* &c. Quemadmodum & in oratione poſt communionem: *Perceptis, Domine Deus noſter, ſalutaribus Sacramentis, humiliter deprecamur, ut intercedente beato Confeſſore tuo Benedicto atque Abbate, quæ pro illius veneranda agimus obitu nobis proficiant ad ſalutem*.

Quare ſciendum eſt olim in die translationis reliquiarum diem depoſitionis celebratum fuiſſe, nulla translationis facta mentione, ut infra videbitur in translationibus ſanctorum Remigii & Vedaſti: ac proinde orationes ſive Miſſa ſuperius productæ opinionem de translatione corporis S. Benedicti in Floriacenſe monaſterium labefactare non poſſunt, de qua fuſe egimus in noſtris obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum. In eodem codice Ratoldi Dominicam quartam poſt Pentecoſten excipit Octava S. Benedicti, cujus Miſſa eſt de communi unius Abbatis, ut in Miſſali Romano. In eodem codice ſequitur: XII. [b] *Kalend. Auguſti natale ſanctæ Praxedis*, quæ in prima Miſſæ oratione Martyr appellatur: *Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Praxedis Martyris tuæ natalitia colimus*, &c. Aliter tamen volgo exiſtimatur. In eodem cod. ſequitur *x. Kalend. Auguſt. Nat. S. Apollinaris*.

Nota 433. S. JACOBI APOSTOLI.

In Miſſali Rom. hic habetur commemoratio S. Chriſtophori Martyris, cujus nulla mentio fit in noſtris codicibus tam editis, quam mſs.

In cod. Ratoldi hæc ſequuntur: *Eodem die Natalis S. Cucuphatis Martyris*. Martyrium paſſus eſt Barcinone in Hiſpania. Unde Prudentius in Periſtephano:

Barcinon claro Cucuphate freta

Surget.

Primo Miſſæ oratio: *Deus per quem fides ignem non ſentit, & infidelitas ſine igne exuritur, qui B. Cucuphati Martyri tuo flamma tui Spiritus ſuccenſo ſuperare tribuiſti incendia tormentorum*, &c. Super oblata: *Sacrificium laudis*, &c. Hæc oratio prolixior eſt ſolito. Poſt communionem: *Sit nobis, Domine, intercedente B. Cucuphate*, &c. Ex prima oratione diſcimus hunc ſanctum Martyrem flammarum incendio excruciatum fuiſſe, quod teſtatur Notkerus in Martyrologio: *In Hiſpania, civitate Scyllitana oriundus fuit, Barcinone ſub Galerio proconſule & Maximiano & Rufino paſſus; primo graviſſime tortus & cæſus, deinde catenis adſtrictus; in craticula ſuperextenſus, aceto & ſinapi perfuſus aſſari juſſus eſt. Cumque ab igne & flammarum globis illæſus apparuiſſet, ex præcepto impii judicis extra civitatem ductus, in ignem compoſitum iterum projectus eſt: quo, divino nutu, extincto, iterum ferro vinctus in cuſtodiam detruſus eſt. Ubi divino ſplendore conſolatus, iterum cardis ferreis & taureis crudeliſſime cæſus, in ultimo, gladio perimente, conſummatus eſt*. Hæc ille. Ubi tamen hæc verba: *Sub Galerio proconſule, & Maximiano, & Rufino paſſus*, tranſpoſita ſunt, & legendum: *Sub Rufino proconſule, & Galerio Maximiano paſſus*.

Ejus corpus poſtea translatum eſt in monaſterium S. Dionyſii ſecundo a Lutetia Pariſiorum lapide, ubi adhuc videtur in capſa, in apſide ejuſdem Eccleſiæ conditum, ejuſque paſſio extat in breviario, & veteribus lectionariis ejuſdem cœnobii. De hac translatione agit Notkerus ibidem: *Cujus corpus a Chriſtianis ibidem tunc temporis ſepultum, ſed poſtmodum inde translatum non longe a civitate Pariſiaca in Eccleſia beatorum Martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii translatum, & uſque ad hæc Normanorum tempora omni cum honore cultum eſt*. Hujus Martyris mentio fit in Martyrologio mſ. S. Hieronymi: *In Hiſpania Barcilona civitate paſſio S. Cucufatis Martyris*.

Nota 434. S. FELICIS.

Ita in excuſis. In cod. Rodradi: [c] *S. Felicis, & Simplicii, Fauſtini, & Beatricis*. Miſſa tamen eſt tantum de S. Felice, eadem cum codice S. Eligii. In cod. Rem. habetur: *v. Kalendas Auguſti Natale SS. Simplicii, Fauſtini*. In eorum orationibus reperitur etiam nomen ſanctæ Beatricis. Poſtea ſequitur in eodem codice IV. *Kalend. Auguſti Natale S. Felicis*, cum ſua Miſſa, cujus prima oratio eſt: *S. Felicis, Domine, Martyris tui Confeſſio recenſita conferat nobis piæ devotionis augmentum*, &c. Super Oblata: *Hoſtias pro commemoratione S. Felicis*, &c. Ubi legendum eſt: *Hoſtias tibi, Domine, pro commemoratione*, &c. Poſt communionem: *Repleti cibo potuque cæleſti*, &c. At in cod. Ratoldi habetur, IV *Kalend. Auguſt. Natale SS. Felicis, Simplicis* (lege, *Simplicii*) *Fauſtini, & Beatricis*, cum iiſdem orationibus, quæ ſunt in cod. Rem. Poſtea ſequitur in eodem codice Ratoldi: *Item propria Miſſa ſancti Felicis*, cujus oratio ſuper Oblata eſt ejuſmodi: *Accepta ſit conſpectu tuo, Domine, noſtra devotio*, &c. Reliqua, ut in cod. S. Eligii.

Hic autem Felix [d] eſt S. Felix II. ſubrogatus Liberio exulanti, Papa, qui a Conſtantio Conſtantini Magni filio Ariano ob fidem Catholicam a ſua ſede dejectus Martyrio coronatus eſt, ut videre eſt in Martyrologiis Romano, Uſuardi, Rabani, & Notkeri, qui duo ultimi ſcribunt eum fuiſſe capite truncatum. De eo hæc habet Martyrologium mſ. Bibliothecæ Corbeienſis: *Romæ via Aurelia S. Felicis Epiſcopi & Martyris, ſub Conſtantino* (lege, *Conſtantio*) *filio Conſtantini*. In Martyrologio S. Hieronymi nulla fit illius mentio hac die, ſed tantum cujuſdam in Africa Felicis. Sed his contraria leguntur in ex-

cer-

[a] In noſtris quoque mſſ. duplex S. Bened. feſtum aſſignatur: ejus ſc. Depoſitio, XII. Kal. Aprilis; & v. idus Julii Natale ſeu tranſlatio.

[b] Noſtri codices exhibent hoc feſtum. In Theod. aſſignatur aliâ Miſſa.

[c] Ita quoque in Colenſi & in cod. Reg. Suec. In Gemet. poſt feſtum S. Felicis, legitur: *eodem die Nat. SS. Simplicii, Fauſtini et Beatricis*. Ita ſe habet edit. Pamel. Jungitur S. Felix, cum ceteris in Kalend. Rom.

[d] In Kalend. Rom. dicitur, *S. Felicis Papæ*.

cerptis ex vita S. Athanasii in Bibliotheca Photii n. CCLVIII. *καὶ αὐτοχειροτονεῖται Φῆλιξ, ὁ παραχρῆμα μὲν τινὶ θεηλάτῳ τῇ τῶν ὀφθαλμῶν πηρώσει ὑποβάλλεται. ὕστερον δὲ καὶ λοιμικῇ νόσῳ καταχυθεὶς ἀποθνήσκει.* id est, pro illo (Liberio) ordinatur Felix, qui statim divinitus immissa oculorum cæcitate plectitur, & postea peste consumtus interiit. Sed hæc falsitatis suspicione non carent: quia veteres historiæ Ecclesiasticæ scriptores Socrates, Theodoretus, & Sozomenus nihil simile scripserunt. Vide Baronium tom. 3. Annal. ad ann. 357.

Nota 435. ET QUOS.

Optime. Et sic construendum, *Et nos quos propriæ actionis pondus*, &c. In Missali Romano legitur, *& quia*.

Nota 436. SENNES.

In nominandi casu recte satis. Siquidem in Martyrologiis S. Hieronymi, Rabani, & Notkeri, in genitivo legitur, *Sennis*. Itaut hoc nomen sit pro cujusque arbitrio aut declinabile, aut indeclinabile. [a] Porro in cod. Ratoldi sequitur, 3. *Kalend. Augusti Nat. S. Germani*. Quod de S. Germano antistite Antisiodorensi est intelligendum.

Nota 437. AD S. PETRUM AD VINCULA.

In cod. Rem. additur, *Et catenæ ejus osculantur ipso die*. In appendice Rodradi, *Et catenas ejus osculando*. (leg. *osculantur*.) *Item ipso die natale Maccabæorum*. In Martyrologiis Rom. Bedæ, & Usuardi: *Dedicatio S. Petri ad vincula*. In Martyrologiis S. Hieronymi & Rabani: *Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ a B. Petro Apostolo constructæ & consecratæ*. In Martyrologio Notkeri: *Romæ statio ad S. Petrum ad vincula, quam Ecclesiam ipse primus in Europa primam construxit, & consecravit*. Hinc capienda sunt illa S. Leonis Papæ serm. de Maccabæis: *Duplex enim causa lætitiæ est, in qua & natalem Ecclesiæ colimus, & Martyrum passione gaudemus*.

In cod. Ratoldi hic habetur Missa duplex: prior S. Petri, altera SS. Maccabæorum, ut in cod. Rodr. Sed Missa Maccabæorum est in appendice. In cod. Remensi una habetur Missa Maccabæorum, nulla S. Petri, etsi titulus solemnitatis S. Petri in eo præcedat titulum celebritatis Maccabæorum [b].

Nota 438. S. SIXTI.

Ita legitur in codicibus Remensi, Rodradi, & Ratoldi; & ita legit S. Hieronymus lib. 1. adversus Pelagianos: *Quod librum Xysti Pythagorici hominis absque Christo atque Ethnici, immutato nomine Sixti Martyris & Romanæ Ecclesiæ Episcopi, prænotavit*. Ita etiam scribitur in Martyrol. ms. S. Hieronymi. Ita etiam in Martyrol. ms. Biblioth. Corb. & in Martyrologiis Rabani, & Notkeri; vulgo tamen dicitur [c] Xystus, ut in parvulo Martyrol. ms. Biblioth. Corb. & apud Eusebium lib. 7. hist. Eccl. cap. 8. *Ξύστος*.

Nota 439. PRÆFATIO UVÆ.

Id est, Præfatio ad uvam benedicendam: quæ tamen Præfatio hic desideratur, quemadmodum etiam in cod. Rodradi Presbyteri, [d] quamvis hæc eadem verba in eo reperiantur; quæ desiderantur in codicibus Ratoldi, & Remensi.

Nota 440. BENEDICTIO UVÆ.

Hæc desunt in codice Remensi. In cod. Ratoldi additur, *sive fabæ*. Eodem die in Græcorum Euchologii fine extat uvæ benedictio sub eadem fere verborum formula.

Consuetudo sane vetus fuit Ecclesiæ uvam maturam & fabas benedicere in altari ex Institutione Eutychiani Papæ, ut patet ex Pontificali Damasi: *Hic instituit fruges fabæ & uvæ in altari benedici*, & ex Martyrologiis Rabani & Notkeri. In Concilio Carthag. 3. c. 3. frumenti & uvæ mentio fit, quæ in altari benedicantur, juxta versionem Græcam & veteres codices, quemadmodum in Concilio Trullensi can. 28. *Primitiæ uvæ & frumenti offerantur in altari benedicendæ sua peculiari benedictione*. Et in can. 3. Apostolorum juxta veterem interpretationem: *Offerre non liceat aliquid ad altare, præter novas spicas vel uvas*. Constantinopoli offeruntur uvæ in altari templi Blachernarum a Patriarcha in die dormitionis S. Mariæ, ut refert Theodorus Balsamo in citatum Canonem. Porro in cod. Rem. 7. Idus August. habetur Missa de S. Donato Episcopo.

Nota 441. CYRIACI MARTYRIS.

Ita in excusis & in aliis codicibus nostris mss. In Missali Rom. adduntur Largus & Smaragdus.

Nota 442. IN PRIMA MISSA DE NOCTE.

Hæc Missa non extat in excusis. Habetur tamen in aliis codicibus nostris mss. & apud Pamelium. In cod. Ratoldi legitur, *in prima*, tantum. In codicibus Rodradi & Rem. *In prima Missa*. Apud Pamelium, *In primo mane*. Itaque illud, *de nocte*, non ita stricte accipiendum est.

Nota 443. REPLENTE.

Recte. Ita in aliis codicibus nostris mss. vulgo habetur, *Repleti*.

Nota 444. IN DIE SOLEMNITATIS HODIERNÆ.

In cod. Rem. *In die solemnitatis hodiernæ, qua B. Laurentii hostiam tibi placitam, & castum corporis*, &c. leg. *& holocaustum corporis* [e].

Nota 445. OBLATUS EST.

Ita in codice Ratoldi Abbatis. In excusis legitur, *Oblata est*, non ita recte.

Nota 446. VOTIVA.

Id est, devota, Deo oblata, & consecrata.

Nota 447. S. TIBURTII. In Miss. Rom. additur Susanna.

Nota 448. AUXILIUM NOBIS TUÆ PROPITIATIONIS ADFORE PRECAMUR.

In cod. Rem. legitur, *Auxilium nobis tuæ propitiationis adquirimus*.

Nota 449. QUONIAM CREDIMUS, &c.

In eodem cod. legitur: *Nec desperamus de venitate, quam per eos, qui tibi placuere, deposcimus*. Ubi eo *venitate*, id est, venia, aut certe legendum est, *veniam, quam a te per eos qui tibi placuere, deposcimus*: itaut hæc ab amanuensi confusa fuerint.

Nota 450. VITÆ PRÆSENTIS AUXILIUM ET FUTURÆ.

Id est, auxilium ad præsentem vitam recte ducendam, & ad futuram capessendam.

Nota 451. S. HIPPOLYTI.

In Missali [f] Romano et S. Cassianus Martyr Fori Sempronii adjungitur, de quo Prudentius in Peristephano.

Nota 452. ET TUAM CLEMENTIAM, &c.

In cod. Rem. est alia Præfatio: *Quia non solum malis nostris bona retribuis, sed & miseris uberiora dona concedis, qui digne pro nobis possint intercedere, contulisti; ut quod nostra scientia non habebit, intercessio supplicaret gratia justorum*. Sed hæc corrupta sunt, & primo legendum est: *Sed ut miseris uberiora dona concedas, Sanctos tuos, qui digne*, &c. Secundo pro, *scientia*, legendum est, *sufficientia*.

Nota 453. EUSEBII CONFESSORIS.

Quia multis tormentis pro fide orthodoxa toleratis superstes fuit, eadem ratione Confessor appellatur, qua supra S. Felix Nolanus.

a In Kalend. Rom. legitur, *Nat. SS. Abdon & Sennes*.

b In cod. Reg. Suec. nulla est Machab. memoria, nec in Kal. Rom. In Gemet. & altero Theod. legitur: *VII. Fratrum Martyrum more*, dissimulato Maccabæorum nomine.

c Sic legitur in cod. Reg. Suec. & apud Pamelium, necnon in vet. Missali Gothico, ubi extat, *Missa in natale S. Sixti Papæ urbis Romæ*.

d In duobus Theod. legitur etiam *Præfatio uvæ*; nec tamen habetur. Eodem modo legitur apud Pamel. & in cod. Reg. Suec. ubi tamen præfatio deest. Benedictionem autem uvæ continent laudati codices.

e In priori Theod. legitur eadem Præfatio, ubi nihil mutandum mihi videtur, optimo enim sensu legitur: *hostiam tibi placitam & castam corporis ... suscepisti*. At male codex Remensis habet, *castum*. Ex his discimus non facile mutandos correctionis gratia veteres libros.

f Non ita nostris in codicibus.

Nota 454. VIGILIA ASSUMPTIONIS, &c. Hæc Vigilia in codice Remensi desideratur.

Nota 455. FACIAT.

Ita in editis & in codicibus Rodradi, & Ratoldi, & apud Pamelium. In Missali Romano legitur, *facias*.

Nota 456. ASSUMPTIO S. MARIÆ.

Hoc festum [a] a Codino lib. de Officiis palatii, & a Theodoro Balsamone in canonem tertium Apostolorum dicitur: κοίμησις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου. id est, dormitio sanctissimæ Deiparæ: in novella Emmanuelis Comneni Imperatoris appellatur ὑπερένδοξος τῆς ἁγίας Θεοτόκου μετάστασις. id est, gloriosissima sanctæ Dei matris emigratio, & in Euchologio Græcorum ἡ σεβασμία μετάστασις τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. id est, emigratio veneranda sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ.

Nota 457. VENERANDA NOBIS, &c.

Hæc oratio est ad processionem seu Collectam; cum postea sequatur oratio ad Missam.

Nota 458. INTER QUAS INTEMERATA, &c. Hæc contractius habentur in codice Remensi.

Nota 459. DEUS QUI PER, &c.

Ita in cod. Ratoldi in quo tamen quarta pars adjicitur ante conclusionem præter consuetudinem harum benedictionum Episcopalium; quod & alibi non semel in eodem codice occurrit.

Porro in codice Remensi sequitur Octava S. Laurentii. Orationes ut apud Pamelium. Præfatio: *B. Laurentii natalia repetentes, cui fidem confessionemque non abstulit ignis ingestus*, &c. ut in Liturgia Ambrosiana. Habetur etiam hæc Octava in cod. Ratoldi cujus prima oratio: *Iterata festivitate B. Laurentii*, &c. aliæ orationes, & Præfatio ut in codice Rem.

Nota 460. S. MARTYRIS TUI AGAPITI, &c.

In codicibus Rodradi & Ratoldi habetur hæc oratio: *Lætetur Ecclesia*, &c. ut in Missali Romano.

Porro in codicibus Remensi & Ratoldi sequitur XIV. *Kalend. Septemb. Natale S. Magni*. [b] Eodem die in Martyrologio Romano: *Anagniæ S. Magni Episcopi & Martyris, qui in persecutione Decii necatus est*. Fuit & alius Magnus tantum Martyr, non Episcopus, de quo eodem die agit Petrus in catalogo lib. 7. cap. 76. & Martyrologium ms. S. Hieronymi: *Et Natale S. Magni Martyris*. Hic & Andreas appellatur, cumque multis aliis passus est, ut videre est in Martyrologio Usuardi: *Natale S. Magni seu S. Andreæ Martyris cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta septem*. Et in Martyrol. ms. Biblioth. Corb. *Natale S. Magni, seu Andreæ Martyrum* (lege, *Martyris*) *cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta septem*. In Kalendario libri Sacramentorum Ratoldi Abbatis mentio fit etiam ejusdem S. Magni Martyris, sed Andreæ nomine suppresso, *S. Magni cum sociis suis duorum mille* D. *&* XCVII. Qui quamvis hic Martyr non appelletur, id tamen internosci potest ex circumstantiis. In parvulo Martyrologio codici Remensi assuto mentio fit S. Magni sine adjuncto, in hunc modum: *Et natale S. Magni*. De hoc autem ultimo puto nostra Sacramentaria esse capienda, cum in eorum Collectis Martyr dumtaxat appelletur, Episcopus neutiquam. Collectæ utriusque codicis similes sunt & communes.

Nota 461. S. TIMOTHEI MARTYRIS.

Ita in excusis & in codicibus Rodr. & Rem. Sed in cod. Rat. hic duæ sunt Missæ, prior S. Timothei; altera S. Symphoriani, nulla facta mentione S. Hippolyti, de quo in Missali Romano conjunctim cum aliis.

Nota 462. IX. KALEND. SEPTEMB. S. BARTHOLOMÆI.

Hoc festum hoc die annotatur in omnibus antiquis Martyrologiis, & in codicibus nostris mss. Rodradi & Rem. Sed in cod. Rat. assignatur VIII. Kalend. Sept. quo Romæ celebratur, quod eo die corpus ejus sit translatum in insulam Tyberinam; qua de re vide Baronium. Puto tamen codici Ratoldi mendum obrepsisse unius notæ defectu: quia in ejus Kalendario hoc festum notatur IX. Kalend. Septemb.

Nota 463. NON DESERIS.

Ita in codice Ratoldi. At in cod. Rem. legitur, *Non deserens*. Porro in codicibus Rem. & Ratoldi sequitur: VI. *Kalend. Septemb. Natalis S. Rufi*. [c] Idem officium est in utroque codice, & orationes sunt vulgares. In oratione super oblata utriusque codicis hic S. Rufus Martyr appellatur: *Oblatis, quæsumus, Domine, placare muneribus, & intercedente B. Rufo Martyre tuo*, &c.

Hic Martyr fuit Capuæ, discipulus S. Apollinaris primi Ravennatis Episcopi. De eo Martyrologium Usuardi hoc die: *Apud Capuam Natale S. Rufi Martyris, quem docuit B. Apollinaris Petri Apostoli discipulus, cum esset Patriciæ dignitatis*. Martyrologium Adonis addit, *& baptizavit*. Martyrologium Notkeri: *Apud Capuam Nativitas S. Rufi Martyris docti & baptizati a sancto Apollinare*. Martyrolog. ms. Biblioth. Corb. *Apud Capuam Natale S. Rufi Martyris*. Martyrologium ms. S. Hieronymi: *In Capua sanctorum Rufi, Magni*. Kalendarium ms. Sacramentarii Ratoldi Abbatis: *In Capua Natale S. Rufini*, (lege *Rufi*) *Martyris*. Quæ omnia non dissident a memorati hujus S. Rufi Missa, in qua dumtaxat Martyr (ut antea monui) appellatur, non Episcopus: etsi in Martyrologio Romano Episcopus & Martyr appelletur: *Capuæ in Campania S. Rufi Episcopi & Martyris*, &c. In quo statim subjungitur: *Ibidem, sanctorum Martyrum Rufi, & Carpophori, qui sub Diocletiano & Maximiano passi sunt*. Sed alibi non legitur hunc Rufum Episcopum fuisse nec in vita S. Apollinaris apud Surium; nec duos Rufos illius civitatis Martyres fuisse.

Nota 464. B. AUGUSTINUM, &c.

In codice Remensi est alia Præfatio in hunc modum: *Et omni loco & tempore omnipotentiæ tuæ gloriam celebrare: per quod pietatis officium in commemoratione B. Augustini Confessoris tui atque Pontificis sacrificium tibi laudis offerimus, & magnificentiam tuam in mortificatione ipsius adoramus, tua in omnibus operante virtute, ut, nullis inlecebris corporis, nulla promissa blandimentorum fallacium virtute, tuo igneus Spiritu vinceretur amore*, &c. ut in nostro codice S. Eligii. Hæc autem ultima verba corrupta sic castiganda sunt: *Ut nullo promissorum blandimentorum fallacium, virtute tui igneus Spiritus, vinceretur amore*.

Nota 465. INTERCESSIO, DOMINE, &c.

In codicibus Rodradi & Ratoldi alia extat oratio: [d] *Deus, qui B. Hermetem Martyrem tuum virtute constantiæ*, &c. ut in Missali Romano. Hujus meminit Agobardus epist. ad Imper. Ludovicum: *Pensate, pensate, fratres, quam longe est mens vestra ab illa petitione, qua in celebrationibus Missarum soletis dicere Deo, non voluntate sed voce: da nobis pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare*.

Nota 466. QUAS S. HERMETIS, &c.

In codice Remensi legitur: *Quas S. Hermetis Confessoris tui confessione præsenti confidimus adjuvandas. Per Christum*.

Nota 467. EXAUDI NOS DEUS, &c.

In

[a] Hoc festum olim celebratum esse 15. Kal. Febr. hoc est 18. Januarii optime probat Mabillonius lib. 2. de Liturgia Gallic. pag. 118. In Lectionario Luxov. notatur post Dominicam secundam ab Epiphania, & in Missali Gothico inter Epiphaniam & S. Agnetis natale. Consule notas & observationes Mabillonii.

[b] In priori Theod. habetur festum seu orat. S. Magni Mart. at XI. Kalend. Septembris. In Grimol. vero XIV. Kalend. ejusdem mensis.

[c] Codices nostri meminerunt quoque S. Rufi.

[d] Habetur in utroque Theod.

In codicibus Rodradi, & Ratoldi sunt aliæ in hac Missa orationes, eæque vulgares.

Nota 468. AB IPSO IN SPIRITU BAPTIZATUS.

Nota S. Johannem Baptistam ab ipso Christo fuisse baptizatum.

Nota 469. FRUERETUR. In codice Remeosi legitur, *servaretur*.

Nota 470. DEINDE CAPITALEM SENTENTIAM SUBIIT, &c.

In eodem cod. hæc aliter leguntur: *Exinde capite plectitur qui plus erat quam Propheta. Quia Judæi Christum, qui Dominus & caput Prophetarum est, amiserunt. Johannes autem & fidelis pronuntiatus implevit officium præcursoris; ut Redemtorem mundi, quem superius digito demonstraverat, etiam ad inferos pretiosa morte præcederet.*

In eodem codice, & in cod. Ratoldi sequitur: *Kalend. Septemb. Natale S. Prisci.* [a] Hic S. Priscus Martyr est, ut constat ex collectis utriusque codicis. Fuit unus ex Septuaginta duobus Christi discipulis, qui passus est Capuæ, via Aquaria. De quo hac die in Martyrologiis Romano, Usuardi, & Notkeri: & in Martyrolog. mſ. sæpius citato Bibliothecæ Corb. & in parvulo Martyrologio mſ. codici Remensi affixo, & in Martyrologio mſ. S. Hieronymi, in quo sic legitur: *In Capua aquaria Natale S. Prisci Martyris.*

Nota 471. AD PROCESSIONEM.

Id est, ad Collectam, synaxim, cœtum. Nam processio hic nihil aliud est, quam id quod supra in Purificatione sanctæ Mariæ Virginis Collecta dicitur. Hoc satis indicat oratio ad processionem, quæ non dicitur in ipso incessu, seu deambulatione, sed in ipso templo, populo jam in eo collecto & congregato.

Quod etiam palam est ex Concilio Laodicensi can. 17. *In processionibus Psalmos non connectere.* Nam ibi processiones non sunt solemnes illæ deambulationes, seu lustrationes, quæ modo fiunt festi alicujus gratia, sive publicæ necessitatis causa, quas vulgo vocant supplicationes, rogationes, processiones; sed conventus, cætus populi in Ecclesia, ut ex Græco textu ejusdem Concilii perspicuum est: *περὶ τοῦ μὴ δεῖν συνάπτειν ἐν ταῖς συνάξεσι τοὺς ψαλμούς.* id est, quod non oportet connectere Psalmos in conventibus. Ubi vides in illa veteri interpretatione Concilii, processiones esse synaxes, id est cœtus seu conventus. Quod etiam ex sequentibus liquet: *ἀλλὰ διὰ μέσου καθ' ἕκαστον ψαλμὸν γίνεσθαι ἀνάγνωσιν.* id est, sed ad unumquemque Psalmum interjecto spatio lectionum fieri: nam in ipsa Ecclesia, non vero inter eundum lectiones fiunt.

Quare optime Theodorus Balsamon totum hunc canonem explicat de conventu Ecclesiastico, in quo divina officia peraguntur. Et ita capiendus est locus epist. 81. S. Leonis Papæ ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum: *Quapropter quod remeanti filio Possidonio Presbytero hanc ad fraternitatem tuam Epistolam dedimus perferendam, qui nostris processionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties admissus, quid in omnibus Apostolicæ auctoritatis teneremus, agnovit.* In hac enim epistola agitur de Missarum celebratione, & Clericorum ordinatione. Et verbum procedere est ad Ecclesiam convenire juxta antiquam loquendi formulam. S. Augustinus lib. 22. de civitate Dei cap. 8. *Inde ad me curritur, ubi sedebam, jam processurus*, nempe in Ecclesiam. Unde paulo post subjungit: *Procedimus ad populum, plena erat Ecclesia.*

Ennodius in vita S. Epiphanii Ticinensis Episcopi: *Procedendum censuit omnibus in quolibet aerit errore maturius; itaut vigiliarum formam Lectoribus antecedens ad Ecclesiam præberet Episcopus.* Ubi vides procedere, esse ad Ecclesiam ire. S. Hieronymus epist. 22. tom. 1. ad Eustochium: *Rarus sit egressus in publicum, Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo: numquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis.* Redarguit Virginem, quod sæpius quam par esset, ad templa Martyrum se conferret. In ea enim desiderabat raros excursus: cum procedendi ad Ecclesiam videlicet, causa deesse non posset, si quando necesse esset, nempe verbi Dei audiendi, aut Eucharistiæ sumendæ gratia, id faceret.

Quare id quod opponitur ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem: *Si procedendum est, numquam magis familiæ occupatio obvenit*, infirmum est. Etenim ibi sermo non est de circuitionibus, & rogationibus illis, quæ vulgo processiones appellantur, quæ sane tempore Tertulliani nondum erant in usu, cum tum Christiani in latibulis, cryptis, & locis occultis sacra peragerent Paganorum metu, qui sane Christianos per plateas canentes trucidassent; quod si factum fuisset, nullæ umquam Martyrum historiæ conticuissent: sed prædicti loci explicatio est emendicanda ex altero loco Tertulliani, libro de cultu feminarum, (qui sane omnino adversatur ejusmodi publicis lustrationibus) ubi agens de tribus causis ob quas debeant procedere Christiani, sic ait: *Nam nec templa circumitis, nec spectacula postulatis, nec festos gentilium nostis. Propter enim ipsos conventus, & mutuum videre & videri, omnes pompæ in publicum proferuntur: aut ut luxuria negotietur, aut gloria insolescat. Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica, aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur.* Quæ tria postrema cum olim fierent a Christianis clanculum & sine pompa, non indigebant in his mulieres ornatu ad ostentationem. Itaque hæc verba Tertulliani lib. 2. ad uxorem; *si procedendum est*, referenda sunt ad tres illas processionis causas: aut cum visitandus erat infirmus frater, aut sacrificium offerendum, aut verbum Dei audiendum: quæ Christiana mulier pagano nupta ob crebra familiæ impedimenta vix obire poterat.

Nec ad rem facit id quod objicitur ex ep. 63. S. Basilii, in qua scribit tempore S. Gregorii Neocæsariensis Episcopi Litanias in Ecclesia fuisse usitatas. Quod admitto quidem: sed hoc loco Litaniæ sunt quædam preces, nempe Kyrie eleison, &c. quales habentur in Regula S. Benedicti cap. 9. *Post hos lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda: & versus & supplicatio Litaniæ*, id est *Kyrie eleison. Et sic finiantur vigiliæ nocturnæ.* Et cap. 17. non vero lustrationes aut obambulationes, quarum nullus erat tempore præfati Gregorii in Ecclesia usus, ob supra dictam causam: qui sane primo cœpit Constantinopoli sub S. Johan. Chrysostomo ad frangendum Arianorum fastum, qui diluculo portis civitatis egressi hymnos quosdam hæresi suæ aptos decantando contendebant ad loca, ubi conventus agebant, ut refert Sozomenus lib. 6. hist. cap. 8.

Notandum tamen a S. Avito, sermone de rogationibus, processiones usurpari pro his solemnibus & supplicationibus.

Nota 472. S. ADRIANI.

Ita in editis, Sed in aliis codicibus nostris mſs. nulla hic S. Adriani nec Missa nec mentio [b] est. Porro in editis & in codice Ratoldi habetur Natale S. Gorgonii Martyris v. Idus Septembris, quod abest a codicibus S. Eligii, & Rodradi.

Nota

a Ita in Gemet. & Theod.
b In Kalend. Rom. notatur hoc festum, & in utroque Theod. necnon in Gemet. Abest ab ed. Pamel. licet in cod. Reg. Suec. contineatur.

Nota 473. BEATI PROTI, &c.

Ita in omnibus aliis codicibus nostris mss. Vulgo, *Beatorum Proti*, &c.

Nota 474. EXALTATIO S. CRUCIS.

Ita appellatur a Græcis ὕψωσις. id est, exaltatio, ut palam est ex Novella Emmanuelis Comneni Imperatoris, apud Theodorum Balsamonem in Photii Nomocanonem tit. 7. cap. 1. ὕψωσις τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ. id est, exaltatio vivificæ crucis: & apud Codinum lib. de Officiis Constantinopolis, dicitur & σταυροφάνεια. id est, crucis manifestatio, ut clarum est ex Chronico Alexandrino: τούτων ὑπάτων ἐγένετο τὰ ἐγκαίνια τῆς ἐκκλησίας τοῦ ἁγίου σταυροῦ τῆς οἰκοδομηθείσης ὑπὸ Κωνσταντίνου ἐπὶ Μακαρίου ἐπισκόπου μηνὶ Σεπτεμβρίῳ ιζʹ. ἔκτοτε ἤρξατο σταυροφάνεια. id est, his Consulibus (Dalmatio, & Anicio Paulino) facta sunt encænia Ecclesiæ S. crucis ædificatæ a Constantino, sub Macario Episcopo Septemb. 17. Inde incœpit festum manifestationis S. crucis. Sed puto errorem esse in notis arithmeticis, & legendum ιδʹ. id est, 14. Ubi nota festum exaltationis S. crucis initium sumsisse imperatore Constantino Magno post illius inventionem. Quod etiam clarum est ex Menologio Græcorum apud Henricum Canisium tom. 2. antiq. lect. *Exaltatio pretiosæ & vivificæ crucis, sub Imperatore Constantino Magno.*

Nota 475. DEUS QUI UNIGENITI TUI, &c.

In codice Remensi, *Deus qui nos hodierna die exaltationis*, a &c. ut in Missali Romano.

Nota 476. DEVOTAS, DOMINE, &c.

In codice Ratoldi nulla hic habetur oratio super Oblata, quæ sane omissa fuit ab amanuense aliud forsitan agente. In eodem codice extat hæc benedictio: *Deus, qui redemisti genus humanum per beatæ crucis patibulum*, &c.

Nota 477. JESU CHRISTI, &c.

In codice Remensi sequitur, *Ad crucem salutandam, Deus, qui Unigeniti tui*, &c. ut supra. Apud Pamelium orationem super populum multæ excipiunt orationes, quarum ultima est ejusmodi: *Deus, qui Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi vivificæ Crucis vexillum sanctificare voluisti*, &c. Quam citat Alcuinus lib. 2. adversus Elipandum: *Item ad elevationem sanctæ Crucis: Deus, qui Unigeniti tui pretioso sanguine vivificatæ crucis vexillum sanctificare voluisti*, Ubi legendum est, *vivificæ*, ut apud Pamelium.

Olim eo die sub finem Missæ a Pontifice Crux extollebatur, ut a populo adoraretur: & hæc vel similis collecta recitabatur, quod ex codice Remensi colligere est, ubi sub finem Missæ extat oratio ad crucem salutandam; constatque ex loco citato Alcuini.

Nota 478. EODEM DIE NATALE SANCTORUM CORNELII, &c.

In excusis, & in omnibus aliis codicibus nostris mss. & apud Pamelium, horum festum Martyrum eodem die exaltationis sanctæ crucis solemnitas peragitur; qui est passionis illorum dies. Sed postea translatum est in diem XVI. Kalend. Octobris, ut videre est in Missali Romano.

Nota 479. BEATORUM MARTYRUM, &c.

In codicibus Rodradi, & Ratoldi: b *Infirmitatem nostram, quæsumus, Domine, propitius respice, & mala omnia, quæ juste meremur, Sanctorum tuorum intercessione averte. Per.*

Nota 480. TUAMQUE IN SANCTORUM TUORUM, &c.

In codice Ratoldi hanc Præfationem excipit altera propria S. Cypriani: *Beati Cypriani natalicia recensentes: ut qui in conspectu tuo clarus extitit dignitate sacerdotii, & palma Martyrii: & in præsenti seculo sua nos intercessione foveat, & ad misericordiam sempiternam pius interventor perducat. Per Christum.*

At in appendice Rodradi extat Missa propria S. Cypriani in hunc modum: Oratio: *Salutarem nobis edidit hodierna festivitas B. Cypriani sacerdotis & Martyris in tua, Domine, virtute lætitiam*, &c. Secreta: *Sacrificium nostrum, Domine, quæsumus, ipsa tibi sit actione placabile.* Post communionem: *Satiati Domine, muneribus sacris, tuum nobis quæsumus adesse præsidium*, &c.

Nota 481. SUSCIPIENS. id est, colens, venerans.

Nota 482. APOSTOLICI REVERENTIA CULMINIS OFFERENTES TIBI SACRA MYSTERIA.

In codicibus Remensi & Ratoldi aliter legitur: *Apostolicæ reverentiæ culmen offerimus sacris mysteriis imbuendum, præsta, Domine, quæsumus*, &c. Sed existimo lectionem codicis nostri S. Eligii, quæ cum editis conspirat, longe præstare. In codice Rodradi aliud est hujus orationis initium, nempe, *Præsta, quæsumus, ut B. Matthæi*, &c.

Nota 483. HIC. Hoc vocabulum deest in codice Rodradi.

Nota 484. REGNI CÆLESTIS.

Id est, honoris & cultus Dei, per quem Deus in anima fideli regnat.

Nota 485. PRÆSTA QUÆSUMUS OMNIPOTENS DEUS, &c.

In cod. Rem. *Sit, Domine, B. Matthæus Evangelista nostræ fragilitatis adjutor*, &c. quam excipit altera: *Præsta, quæsumus*, &c. Ut in hoc codice S. Eligii.

In cod. Ratoldi sequitur: *x. Kalend. Octob.* c *natale Sanctorum* (lege, *sancti*) Mauricii *cum sociis*. Missa est ejusmodi: Oratio: *Annue, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos sanctorum Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentis, & Vitalis, & sociorum eorumdem lætificet festiva solemnitas*, &c. Super Oblata: *Respice, quæsumus, munera quæ in SS. Martyrum tuorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentis, & Vitalis, & sociorum eorumdem commemoratione deferimus*, &c. Præfatio: *Quoniam cognovimus, quantum apud te sit præclara vita Sanctorum*, &c. Ad complendum: *Cælestibus repleti Sacramentis & gaudiis*, &c. In eodem codice sequitur altera Missa eorumdem Martyrum: *Omnipotens & misericors Deus, qui sanctis Martyribus tuis Mauricio, Exuperio, Candido, & Victori cum sociis eorum coronam Martyrii præstitisti*, &c. Super oblata: *Hostias quæsumus, Domine, solemniter immolandas*, &c. Ad complendum: *Sumtis, Domine, cælestibus Sacramentis, & præmiorum gaudiis*; in prima autem Missa pro, d *Innocentis*, legendum est, *Innocentii*, ut in Martyrologio ms. S. Hieronymi, Romano, & aliis nonnullis. S. Vitalis meminit Ordericus Vitalis lib. 13. hist. Eccl. sub finem, scribitque unum esse ex S. Mauricii sociis: *Nomenque Vitalis pro angelico vocamine, quod Normannis absonum censebatur, mihi impositum est; quod ab uno sodalium S. Mauricii Martyris, cujus tunc Martyrium celebratur, mutuatum est.*

Nota

a In Gemet. ac utroque Theod. leguntur duæ orat. hic assignatæ. In cod. Reg. Suec. extat tantum prior.

b In Gemet. eadem legitur. Ipsam exhibent Theod. ac secundo loco. Prior Missa differt ab ea quam habent libri vulgati; scilicet *salutarem*, &c. ut infra ex appendice Rod.

c In Gemet. quoque, *Sanctorum Mauricii cum sociis*.

d Sic nihilominus legitur in Gemet.

Nota 486. DEUS QUI TRIBUS PUERIS, &c.

In codice Remensi: *Deus, cujus adorandæ potentia majestatis, flammæ sævientis incendium sanctis tribus pueris in splendorem mutatum est*, &c. Cui orationi in eodem codice præfigitur *τὸ post benedictiones*, id est, post Canticum *Benedicite omnia opera Domini*, &c.

Nota 487. RESTRICTIS. In codice Remensi legitur, *strictis*.

Nota 488. CUSTODIAT CUSTODIA, *τὸ custodia* redundat.

Nota 489. ADESTO PLEBI TUÆ, &c.

In codicibus Remensi & Ratoldi subjungitur: *Perpetuum nobis, Domine, tuæ miserationis præsta* B *subsidium*, &c. ut apud Pamelium. Quam in codice Ratoldi sequitur alia: *Da nobis, omn. DS. B Michaelis Archangeli*, &c.

Porro in excusis, & in codice Ratoldi sequitur: 11. *Kalend. Octob.* [a] *Natale S. Hieronymi*: sed diversæ sunt orationes, quæ in codice Ratoldi sunt ejusmodi: *Sancti tui Hieronymi nos, Domine, quæsumus, interventio gloriosa commendet*. Super oblata: *Suscipe, Domine, propitius orationem nostram*, &c. Præfatio: *Et tuam misericordiam deprecari: ut mentibus nostris B. Hieronymi Presbyteri repetita solemnitate spiritalis lætitiæ tribuat jugiter suavitatem*, &c. Ubi hæc verba, *repetita solemnitate*, subindicant olim in Ecclesia fuisse duplicem [b] S. Hieronymi solemnitatem: etsi in hoc Ratoldi codice sit unica dumtaxat. Ad complendum: *Votiva, Domine, B. Hieronymi dona percepimus*, &c. C

In eodem codice Remensi sequitur: *Pridie Kalend. Octob.* [c] *Vigilia S. Remigii*. Oratio: *Hæc nobis solemnitas beatissimi Remegii Confessoris tui atque Pontificis meritis inchoata*, &c. Super oblata: *Descendat, quæsumus, Domine, super hoc sacrificium misericordia tua*, &c. Contestada. V. D. *quo igitur interveniente B. Remegio Confessore tuo supplices pietatis tuæ misericordiam postulamus*, &c. Post communionem: *Credimus magnum istum pietatis mysterium*. Ubi notandum est in multis mss. codicibus scribi, *Remegii*, pro *Remigii*, ut in hoc codice. Unde & in multis codicibus mss. & antiquis excusis mutato *g*. in *d*, scribitur *Remedii*: ita ut hic Pontifex *Remigius* & quidem usitatius, interdum *Remegius*, aliquando *Remedius*, dicatur.

Præterea notandum est hoc vocabulum [d] *Contestada*, quod non memini me in alio codice legisse, hic pro Præfatione usurpari, ut supra notatum est. D

In eodem codice Remensi sequitur, *Kalend. Octob. Natale S. Remegii Episcopi & Confessoris*. Oratio: *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente B. Remegio Confessore tuo*, &c. Super oblata: *Ut hæc oblatio accepta sit, Domine*, &c. Præfatio: *Semper gratias agere, atque in laudibus tuis cum lætitia & exultatione, S. Remegii Confessoris tui præconia dicere, laudes attollere, atque jugiter exultare, cujus hodie annua solemnitate depositionis festa celebramus*, &c. Post communionem: *Præsta, quæsumus, ut intercedente sancto antistite tuo cujus hodierna die in conspectu majestatis tuæ beatitudinis gloriam dignis laudibus celebramus*, &c. Super plebem: *Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, meritis sancti Antistitis & Confessoris tui Remegii hanc* E *plebem tua solita miseratione custodi*, &c.

Quamvis autem huic Missæ præfigatur, *Natale S. Remegii*, & in Præfatione hæc verba habeantur: *Depositionis festa celebramus*, & in oratione post communionem: *Beatitudinis gloriam dignis laudibus celebramus*, non tamen est hic dies natalis, seu obitus S. Remigii, qui Idibus Januarii obiit, ut testatur Flodoardus lib. 1. hist. Eccl. Remensis cap. 17. & omnia Martyrologia, sed est dies translationis sacri illius corporis, quo bis Kalend. Octobris, non eodem anno translatum est. Prima translatio facta est Angelorum ministerio in novam cryptam post altare, ut testatur Flodoardus ejusdem lib. 1. cap. 20. Secunda ab Hincmaro Archiepiscopo Remensi tempore Caroli Calvi Imperatoris; quod testatur Hincmarus his versibus apud Flodoardum ejusdem libri cap. 21.

Tertius & Carolus regni componeret actus,

October primam cum daret atque diem.

Ex quo confirmatur quod supra dictum est, olim in die translationis Sanctorum non ipsam translationem celebratam fuisse, sed eorum natale, seu depositionis diem.

In eodem codice Ratoldi habetur, *Kalend. Octobris Natale S. Vedasti*. Et in Martyrologio Notkeri eodem die, *Atrebatis civitate B. Vedasti Episcopi*, qui est dies translationis reliquiarum illius, ut videre est in Martyrologio ms. codicis Biblioth. Corb. Kalendis Octobris: *Eodem die translatio corporum sanctorum Confessorum Remigii Remensis Episcopi, & Vedasti Atrebatensis*. Et in Kalendario Sacramentarii Ratoldi eodem die: *Nobiliaco Monasterio translatio S. Vedasti*. Consule notas doctissimi viri Georgii Colvenerii ad caput 19. libri 1. Chronici Cameracensis mox citandum.

In eodem codice Ratoldi habetur altera Missa de S. Vedasto VIII. Idus Februarii. Hæc autem translatio facta est ex æde sanctæ Mariæ ad Nobiliacum monasterium vere nobile, quod nunc de nomine hujus sancti Antistitis appellatur, a S. Autberto Cameracensi Episcopo, & S. Audomaro Tarvannensi Pontifice, ut scribunt Alcuinus in vita S. Vedasti, & Baldricus lib. 1. Chronici Cameracensis capitibus 9. & 19. Missa autem est ejusmodi: Oratio: *Deus, qui nos devota B. Vedasti Confessoris tui atque Pontificis instantia ad agnitionem nominis tui vocare dignatus es*, &c. Super oblata: *Hostias, Domine, laudis tuis altaribus adhibemus*, &c. Præfatio: *Diemque natalitium B. Vedasti summa cum devotione venerari suppliciter obsecrantes, ut ipsum apud tuam misericordiam*, &c. Ad complendum: *B. Vedasti Confessoris tui atque Pontificis, Domine, precibus confidentes*, &c. Alia: *Deus, qui nos Sanctorum tuorum temporali tribuis commemoratione gaudere*, &c. In qua Missa (ut in superiori de S. Remigio notatum est) vides in Sanctorum translatione non ipsam translationem, sed natalitium diem celebrari juxta temporum illorum consuetudinem, de qua supra ad mensem Julium egimus.

Nota 490. MARCI PAPÆ.

In Missali Romano adduntur Sergius, Bacchus, Marcellus, & Apuleius Martyres. In codice Remensi sequitur, [e] *Eodem die natale Sanctorum Marcelli, & Apulei*. Quod desideratur in aliis codicibus nostris mss. ut in excusis & apud Pamelium.

a Festum hoc notatur in mss. nostris.

b In priori Theod. legitur, *nonis Octob. octava S. Hieronymi*, quæ potest appellari *repetita solemnitas*.

c Consentiunt Theod. In Gemet. nulla assignatur Vigilia festi S. Remigii, cui junguntur alii tres sancti Confessores, sc. Germanus, Vedastus, & Bavo. In Theod. quoque post officium de S. Remigio sequitur alia Missa de quatuor illis Sanctis.

d *Contestada*, idem est ac *Contestatio*, quod in veteri Sacram. Gallic. semper legitur pro *Præfatio*.

e Consentiunt mss. Theod. & Gemet. in quo ante S. Marci Missam habetur, *vj. non. Octobr. S. Leodegarii Ep.*

In eodem codice, & in codice Ratoldi habetur, a VII. *Idus Octobris Vigilia Sanctorum Dionysii, Rustici, & Eleutherii*: & ſequenti die Natale eorumdem Sanctorum. Miſſæ diverſæ ſunt in utroque codice. *Et* VIII. *Kalend. Novembris* in eodem Ratoldi codice habetur Octava eorumdem Sanctorum.

Nota 491. ASSUMTO SCUTO FIDEI, &c.

In codice Remenſi hæc aliter leguntur: *Qui adſumens ſcutum fidei quo inimici jacula ignea extingueret, & galeam ſpem ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum tuum, fortiter oppugnantibus paſſionibus vitiorum reſiſtit. Ideoque precamur, exercituum Domine, qui eum poſt mortificationem corporis, ſtigmata perſerentem remuneraſti, ejus triumphalibus & informemur exemplis, & meritis adjuvemur. Per Chriſtum.*

Nota 492. MANAVIT. Mano hoc loco ſumitur tranſitive.

Nota 493. NOS EORUM EXEMPLIS INFORMEMUR, &c.

In codice Remenſi hæc aliter leguntur: *Ita nos etiam quæ exercuere ſectantes convenientius eorum natalitia celebremus. Et ideo cum Angelis*, &c.

Nota 494. QUÆ TUA POSSIMUS, &c.

In codice Remenſi aliter; *Quæ audere poſſis pro nobis. Per Chriſtum.*

Nota 495. NATALE S. CÆSARII.

Hoc feſtum extat in excuſis, & in codicibus noſtris mſs Remenſi & Ratoldi.

Hujus S. Cæſarii acta b extant apud Surium eodem die. Ubi dicitur paſſus *tempore illo, quo Claudius necavit matrem*. Quæ verba, ſi ſana ſunt, de nullo alio Imperatore, quam de Claudio Nerone intelligi poſſunt. Fuit natione Afer, dignitate Diaconus; paſſus eſt Tarracinæ cum Juliano Presbytero, ut eadem acta teſtantur. Martyrologia Uſuardi, Rabani, Adonis, & illud quod nomine Bedæ circumfertur, dicunt illum ſub Claudio Imperatore paſſum eſſe.

Difficultas eſt tamen non mediocris in actis SS. Nerei, Achillei. & Domitillæ, in quibus Cæſarius Diaconus dicitur ſepeliſſe Tarracinæ corpora ſanctæ Domitillæ, & ſociarum ejus, quæ ſub Trajano paſſæ ſunt. Ex quo quidam efficiunt S. Cæſarium non fuiſſe paſſum ſub Claudio Imperatore, ſive intelligas Claudium Neronem matricidam, ſeu intelligas Claudium illum Imperatorem, quem mirum in modum laudat Trebellius, qui ejus vitam ſcripſit; eo quod vixerit S. Cæſarius ſub Trajano Imperatore. Quod ſane mihi vix ac ne vix quidem perſuadere poſſum. Quia auctoritas vitæ S. Cæſarii & aliorum auctorum citatorum, ſi me non fallit animus, non videtur poſtponenda ſolis actis SS. Nerei & Achillei, quæ ſi non ſunt hac in parte mendoſa, duos olim Cæſarios Tarracinæ floruiſſe diverſo tempore dicendum eſt.

Quare cum apud Surium dicitur S. Cæſarius paſſus *tempore illo quo Claudius necavit matrem*, credendum eſt hunc locum ab ignaro quodam homine fuiſſe corruptum.

Nota 496. DEUS QUI NOS, &c.

Huic orationi in codicibus Remenſi & Ratoldi hic titulus præfigitur: *Ad Miſſam*. In quibus huic orationi præponitur altera cujus titulus eſt in codice Remenſi: *Ad Collectam, ad ſanctum Coſmam & Damianum*. In codice Ratoldi, c *Collecta ad ſanctum Coſmam & Damianum*. Rectius: *Ad Collectam*, &c. Oratio autem eſt ejuſmodi: *Adeſto, Domine. Martyrum deprecationi ſanctorum: & quos pati pro tuo nomine tribuiſti, fac tuis fidelibus ſuffragari. Per.* Ubi per ſanctos Martyres intelligendi ſunt Coſma & Damianus, in quorum Eccleſia recitabatur hæc oratio ad Collectam ſeu proceſſionem, juxta rationem a nobis ſupra explicatam.

Nota 497. NATALE OMNIUM SANCTORUM.

De hac ſolemnitate nihil d extat in codicibus Rodradi & Remenſi. Hoc feſtum inſtituit Gregorius tertius Pontifex maximus, ut ſcribit Uſuardus in Martyrologio; *Tertius vero Gregorius Pontifex poſtmodum decrevit eamdem in honore omnium Sanctorum ſolemniter obſervari perpetuo ab omni Eccleſia*. Quod in Gallia celebratum eſt ſub Ludovico Pio, ut teſtatur Ado in Martyrologio mſ. *Monente ſanctæ recordationis Gregorio Pontifice piiſſimo, Ludovicus Imperator omnibus regni & imperii ſui Epiſcopis conſentientibus, ſtatuit ut ſolemniter feſtivitas omnium Sanctorum in præfata die annuatim perpetuo ageretur.*

Hic autem Gregorius quartus eſt hujus nominis, ut teſtatur Sigebertus ad annum Chriſti 854. Quod tamen decretum non ſtatim ubique tenuit. Etenim in codice Rodradi, qui ſcriptus fuit tempore Caroli Calvi Imperatoris, nullum extat hujus ſolemnitatis officium.

Dicendum eſt tamen ante Ludovicum Pium Imperatorem hoc feſtum in nonnullis Galliæ locis fuiſſe celebratum. Siquidem illius officium aſſignatur ab Alcuino in libro de divinis Officiis, qui tempore Caroli Magni floruit in Gallia; quamvis ſub Carolo Magno nullum eſſet de hujus ſolemnitatis obſervatione decretum. Nam in Concilio Moguntino, quod eodem Carolo imperante, celebratum eſt, can. 36. in quo de feſtorum obſervatione agitur, nulla eſt feſti Sanctorum omnium mentio.

Nota 498. QUATUOR CORONATORUM NOMINA HÆC SUNT, &c.

Ita in editis. In aliis codicibus noſtris mſs. & apud Pamelium hic titulus deſideratur e.

Nota 499. QUORUM DIES NATALIS PER INCURIAM NEGLECTUS, &c.

Ita in editis. Aliter in Ordine Romano: *Quatuor Coronatorum nomina per incuriam neglecta, Deo revelante hæc ſunt: Severus, Severianus, Victorinus, & Carpophorus; ſolemnitas tamen eorum ut ſtatuta fuerat, in aliorum Sanctorum nomine celebris permanſit*; nempe quinque Martyrum, qui in hac Miſſa nominantur. Ita fere Uſuardus in Martyrologio hac die: *Horum nomina cum minime potuiſſent reperiri (quæ Domino revelante interjectis annis poſtea oſtenſa ſunt) ſtatutum eſt, ut anniverſaria dies ipſorum ſub nominibus ſupra dictorum quinque Martyrum recoleretur.*

His ſuffragatur Martyrologium Romanum: *Horum autem nomina (quæ poſtmodum, interjectis annis Domino revelante, oſtenſa ſunt) cum minime reperiri tunc potuiſſent*, &c. Ita etiam Addo in Martyrologio apud Surium: *Cum autem nomina minime reperirentur, ſtatuit B. Melchiades Epiſcopus, ut anniverſaria quatuor Coronatorum dies ſub nominibus ſanctorum quinque Martyrum recoleretur.*

Sed qui fieri poteſt, ut horum quatuor Coronatorum nomina oblivioni mandarentur tempore Melchiadis Papæ, cum tum illorum recens eſſet Romæ memoria? Illi enim paſſi ſunt ſub Diocletiano, quo imperante B. Melchiades ſedebat, eorum actis extantibus ſalvis & integris: multis præterea ſuperſtitibus Chriſtianis, qui eos noverant.

Alcuinus cap. 35. de divinis Officiis aliter, qui nec ſolum mentionem oblivionis nominum, ſed etiam diei paſſionis facit: *Quatuor Coronatorum nomina hæc ſunt, Severus, Severianus, Victorinus, & Carpophorus: quorum nomina & dies natalis per incuriam neglectus minime reperiri poterat; ideo ſtatutum eſt, ut in eorum Eccleſia quinque*

a Hæc vigilia in duobus Theod. & Calenſi notatur 8. idus Octobris. In Gemet. nulla aſſignata Vigilia legitur, 7. *Idus Octobris Nat. SS. Martyrum Dionyſii* &c.

b De his actis male ſenſit doctiſſimus Tillemontius tomo 2. Commentariorum ad hiſt. Eccleſiaſt. pertinentium pag. 614. nota 4. *de S. Cæſario*. Sanior non judicat alia acta SS. Nerei, Achillei, &c. unde in illis conciliandis fruſtra laborari cenſet.

c Ita in edit. Pamel. conſentiente cod. Reg. Suec.

d Habetur in Calenſi, Gemet. & Theod.

e Legitur hic titulus in utroque Theod. In omnibus vero tam excuſis quam manu exaratis libris Miſſa SS. 4. Coronatorum extat.

quo ceterorum Martyrum, qui in Missa recitantur, id est Claudii, Nicostrati, Sympboriani, Castoris, atque Simplicii: at cum istis eorum quoque memoria pariter fieret. Quæ sane descripta videntur ad verbum ex libro Sacramentorum. Unde illa vocabula, *nomina*, &, videntur ab aliquo oscitante interposita; quæ si amputentur, locus solœco carebit: qui etiam ad calcem hujus capituli dubio procul hæc adjecit: *Postea vero eorum nomina revelata sunt: solemnitas tamen, ut statuta fuerat, in aliorum Sanctorum nomine celebris permansit.* Quorum membrum ultimum exscriptum est ex Ordine Romano.

At in veteri Martyrologio mſ. Biblioth. Corb. quod videtur esse Adonis, nihil de ejusmodi nominum, & diei natalis oblivione reperitur: *Ipso die natale sanctorum quatuor Coronatorum, id est Severi, Severiani, Carpophori, & Victorini. Hi cum impellerentur ad sacrificandum reluctantes, nec omnino consensum impiis præbentes, persisterunt in fide. Nuntiatum est Diocletiano Imperatori: quos illico jussit, ut ante simulacrum Asclepii ictibus plumbatarum cæsi deficerent. Quorum corpora jussit in platea canibus jactari, quæ jacuerunt ibi diebus quinque. Tunc pii Christiani venerunt, & collecta corpora sanctorum Martyrum sepelierunt in via Lavicana, miliario ab urbe tertio, in arenario juncta corpora sanctorum Martyrum Claudii, Nicostrati, Semproniani, Castoris & Simplicii.* Nihil etiam tale repereris in Martyrologio mſ. ejusdem Bibliothecæ toties a nobis citato: *Ipso die sanctorum quatuor Coronatorum, id est Severi, Severiani, Carpophori, & Victorini.* Quemadmodum nec in Martyrologio mſ. S. Hieronymi: *Et quatuor Coronatorum Severi, Severiani, Carpophori, & Victorini.*

Ex quibus omnibus planum est lectionem codicis nostri S. Eligii, & Sacramentarii ex Vaticano editi non esse omnino rejiciendam.

Circa hos Martyres exurgit altera difficultas ex Anastasio Bibliothecario, qui in Leone IV. distinguere videtur *quatuor Coronatos* a sanctis Severo, Severiano, Carpophoro, & Victorino. *Nam* (inquit) *& corpora sanctorum Martyrum quatuor Coronatorum solerti cura inquirens reperit; pro quorum desiderabili amore basilicam quæ Sanctorum nomini fuerat consecrata, quam ipse, dum ad Pontificii deductus est apicem, prudentissimo moderamine rexit: quæ per olitana curricula temporum quassata vetustatis defectu, & pene ruinis confracta diu antiquitus videbatur & convulsa, supernæ virtutis annuente clementia splendidiorem pulchrioremque statum a fundamentis construxit: & ad laudem Dei eorum sacratissima corpora cum Claudio, Nicostrato, Semproniano, & Castorio, & Simplicio: necnon Severo, Severiano, Carpophoro, & Victorino*, &c. *collocavit.* Sed cum hic liber mendis scateat, de hujus loci depravatione nihil dubitandum est, his quatuor ultimis nominibus a nescio quo perperam additis.

Nota 500. Claudium, Nicostratum, &c.

Ita in editis & in omnibus codicibus nostris mſs. juxta hujus festi rubricam: *Ideo statutum est ut in eorum Ecclesia horum quinque sanctorum, qui in Missa recitantur, natalis celebretur.*

Nota 501. Symphonianum.

In codice Remensi legitur, *Simphronianum*. In codicibus Rodradi & Ratoldi, [a] *Simphorianum*. In Martyrologio S. Hieronymi appellatur Symphronius. Apud Anastasium, & in Martyrologiis mſs. Usuardi Bibliothecæ S. Germ. & Adonis Biblioth. Corb. dicitur *Sympronianus*.

Nota 502. Cujus munere beatus Martinus, &c.

In codice Remensi extat alia Præfatio in hunc modum: *Te in B. Martini Pontificis atque Confessoris tui laudibus adorare: qui sancti Spiritus tui dono succensus, ita in ipso tyrocinio fidei perfectus inventus est ut Christum tegeret in paupere, & vestem quam egenus acceperat, mundi Dominus indueret. Digne ei Arianorum subjacuit feritas, digne tanto amore Martyrii persecutoris tormenta non timuit. Quanta putamus erit gloriatio Passionis, quando pars chlamydis sic extitit gloriosa? Quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quantitate vestis exiguæ, & vestire Dominum meruit & videre.*

Porro his verbis: *Et vestem, quam egenus acceperat*, &c. simile est illud Ennodii Hymno 20. de S. Martino:

Qua veste nudum texerat,

Hac Rex nitebat ætheris.

Per hæc verba, *Digne ei Arianorum subjacuit feritas*; significatur ab eo fuisse Arianorum tormenta superata, a quibus flagellatus est. Unde Ennodius Hymno citato:

Flagella passus est libens,

Quibus coronam nexuit.

Nota 503. III. Kalendas decembris Nat. S. Saturnini.

In cod. Rem. additur, [b] *& Chrysanthi*; & communes sunt utriusque Martyris collectæ: & recte quidem. Nam ita habetur in Martyr. mſ. Biblioth. Corb. ad tertium Kalend. Decembris: *Ipso die Romæ Natale sanctorum Chrysanthi & Dariæ Virginis.* In Martyrolog. mſ. S. Hieronymi: III. *Kalendas Decembris Romæ Arosonis, Saturnini, Chrysanthi, Dariæ, Mauri, & aliorum* LXXII. In Adonis Martyrol. ad eumdem diem: *Ipso die, Romæ Natale S. Chrysanthi, & Dariæ Virginis.* In Kalendario codicis Ratoldi Abbatis ad eumdem diem: *Romæ passio S. Saturnini, Crisanti, Dariæ Virginis.* In parvulo Martyrol. mſ. ad calcem codicis Remensis: III. *Kalendas Decembris Namnetis civitate Natale sanctorum Saturnini, Crisanti, Eulaliæ, Dariæ.* Ubi miror scriptum esse, *Namnetis civitate.* Quod extat etiam in Martyrologio Rabani: *Namnetis Saturnini Episcopi & Martyris.* Ubi continuo narratur passio S. Saturnini Tolosani Episcopi, quæ eodem die contingit, ut planum est ex omnibus Martyrologiis. Sed puto utrobique mendum esse, & post τὸ *Namnetis* interserendum esse nomen alicujus sancti, qui ad hanc Aremoricæ regionis civitatem pertineat.

Præterea notandum in omnibus his Martyrologiis nominatis, Rabani excepto, nihil de SS. Chrysantho & Daria annotari VIII. Kalendas Novembris; qui est vulgaris eorum dies.

Quod autem spectat ad officium hujus festi, diversæ sunt in codice Remensi orationes a codicibus S. Eligii, Rodradi, & Ratoldi. Sed in codice Ratoldi habetur hæc Præfatio: *Cujus gratia B. Saturninum elegit in sacerdotium, doctrina ad prædicandum erudiit, potentia ad perseverandum confirmavit: ut per sacerdotalem infulam perveniret ad Martyrii palmam, docensque subditos prædicando, instruens vivendi exemplo, confirmans patiendo: ut ad te coronandus perveniret, qui persecutorum minas intrepidus superasset: cujus interventu, nos quæsumus, a nostris mundet delictis, qui tibi placuit tot donorum prærogativis. Per quem*, &c. Quæ Præfatio extat etiam inter Præfationes codicis Rodradi. Ex qua sole clarius est Missam quæ est in his codicibus Rodradi & Ratoldi spectare ad S. Saturninum Tolosatium Anti-

[a] Sic enim legitur in mſſ. nostris, præsertim in cod. Reg. Suec. cui concinit editio Pamel.

[b] In Theod. post Natale S. Saturnini legitur: *eodem die Nat. SS. Saturnini & Chrysanti.*

tiſtitem & Apoſtolum Martyrii laurea etiam coronatum, cum neutiquam convenire poſſit S. Saturnino Romæ paſſo, cum Siſinnio Diacono ſub Maximiano; qui numquam fuerit Presbyter, nec Epiſcopus. Quamvis non inficias ierim Miſſas codicum S. Eligii & Remenſis, ſpectare ad hunc S. Saturninum Romæ paſſum.

Nota 504. SACRANDUM.

a In codice Ratoldi Abbatis legitur, *ſacrificandum*.

Nota 505. ET MAJESTATEM TUAM SUPPLICITER EXORARE, &c.

In cod. Remenſi eſt alia Præfatio: *Reverentiæ tuæ dicato jejunio gratulantes, quod Apoſtolica B. Andreæ merita deſiderantibus prævenimus officiis: ut ad eadem celebranda ſolemniter præparemur;* quæ tamen corrupta & tranſpoſita ita ſunt caſtiganda: *Ut qui Apoſtolica B. Andreæ merita deſiderantibus prævenimus officiis, ad eadem*, &c.

Nota 506. QUONIAM ADEST NOBIS, &c.

Initium hujus Præfationis corruptum eſt in codice Remenſi.

Nota 507. NEC PENDENS TACEBET IN CRUCE.

Quia in ipſa cruce biduo fidem Chriſti prædicavit, ut in ejus actis ſcriptum eſt.

Nota 508. IN NATALE.

Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.

Nota 509. PER QUOS. Apoſtolos videlicet.

Nota 510. INCIPIT ORDO AD ECCLESIAM DEDICANDAM.

Habetur Eccleſiæ dedicatio in codicibus Remenſi & Ratoldi Abbatis. Non extat in codice Rodradi, in editis, & apud Pamelium.

Nota 511. ILLUMINENTUR DUODECIM CANDELÆ.

Ita in codicibus Remenſi & Ratoldi, in Ordine & Pontif. Rom. & in cod Tiliano. Ita docet Petrus Damiani Serm. 1. de Dedicatione Eccleſiæ, & Ivo Carnotenſis Serm. de Dedicatione: *Cum Eccleſia dedicatur, duodecim candelæ ſunt accenſæ intrinſecus*.

Per ejuſmodi candelas duodecim intelliguntur Apoſtoli, qui ſunt Eccleſiæ luminaria, & juxta Chriſti effatum lux mundi. Codex autem Ratoldi, qui, ut recentior, plures addit cæremonias, ſic incipit: *Primitus enim decet ut Epiſcopus cum cæteris miniſtris eat ad Eccleſiam antiquam, & ibi recondant veſpertino tempore Reliquias: & jubeat exercere ibi Vigilias per totam noctem. In craſtina autem eat Pontifex ad Eccleſiam, quæ ſacranda eſt, & ordinet in ea quæ ordinanda ſunt: & illuminentur juſſu ſuo duodecim candelæ; & expellantur omnes foras, ubi ſolus Archidiaconus clauſo oſtio ibi maneat. Tunc Pontifex cum ſacro ordine redeat ad antiquam Eccleſiam, & induant ſe ſacris veſtibus, & faciant Letaniam prout bene dictaverit: qua expleta dicat hanc orationem*: Oremus: Actiones noſtras, quæſumus, Domine, aſpirando præveni, &c. *Et tunc incipiens Reſponſorium*: Domine, ſi converſus fuerit populus tuus. *Item aliud*: Exaudiſti, Domine, orationem ſervi tui. *Item aliud*: Tu Domine univerſorum, qui nullam habes indigentiam.

Ex his notandum eſt primo Epiſcopum cum Clericis agere Vigilias in baſilica aliqua veteri coram Reliquiis in baſilica nova collocandis, deinde ſe ad baſilicam novam conferre, qua conſecrata, reverti ad veterem baſilicam & inde Reliquias ſublatas ſolemni proceſſione in novam Eccleſiam transferre; quod videre eſt cap. 20. lib. de gloria Confeſſorum S. Gregorii Turonenſis: *Qua diligenter compoſita, & altari ex more locato, ad baſilicam ſanctam vigiliis noctem unam ducentes, mane vero venientes ad cellulam, altare quod ereximus ſanctificavimus, regreſſique ad baſilicam, ſanctas ejus reliquias cum Saturnini Julianique Martyrum, vel etiam B. Illidii, exinde ſolemniter radiantibus cereis crucibuſque admovemus*.

Nota 512. DE CAMBUTTA SUA.

Cambutta, ſeu cambuta eſt virga paſtoralis Epiſcoporum. Gloſſæ veteres mſ. Bibliothecæ Corbejenſis: *Cambuta, baculus Epiſcoporum*. Eſt etiam Abbatum. Acta S. Galli Abbatis apud Surium: *Qui & baculum ipſius, quem vulgo cambotam vocant*, &c. Ordericus Vitalis lib. 6. hiſt. Eccleſiaſticæ agens de tranſlatione S. Ebrulphi Abbatis Uticenſis in diœceſi Lexovienſi: *Herluinus quidem, qui Sacerdos erat, & Abbas Canonicorum S. Petri, & capellæ Ducis capellanorum maximus, caput & majorem partem oſſium S. Ebrulphi, librum quoque & arculam argento coopertam, & cambutam atque cinctorium, chartaſque donationum ſibi retinuit*.

Eſt enim cambuta baculus flexus, & ſuſtentamen. Papias in vocabulario mſ. *Cambuta ſuſtentamen, vel baculus flexus, pedum, vel crocia*, Gallice, *croce*. Et baculus quo ſuſtentantur claudi & debiles. Petrus Diaconus in ſupplemento Chron. Caſin. cap. 76. *Ob ejus facti memoriam cambutæ claudi ante fores Eccleſiæ ſancti Benedicti ſuſpenſæ ſunt*.

Baculi autem Epiſcoporum mentio fit in Concilio Toletano. 4. can. 27. *Si Epiſcopus eſt, orarium, annulum, & baculum*.

Nota 513. TOLLITE PORTAS, &c.

In codice Ratoldi ſequitur: *Pſalmus*, Domini eſt terra. *Deintus autem miniſter reſpondens dicat*: Quis eſt iſte rex gloriæ? *Et ſic pergat omnis legio in circuitu Eccleſiæ, ter cantando hanc Antiphonam cum Pſalmo & cum gloria. Tertio autem percuſſo oſtio ab Epiſcopo, & dicto*, Tollite portas, *& reſponſo ter a miniſtro*: Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Reſpondeat Pontifex*: Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. *Et aperto oſtio intrans dicat ter*: Pax huic domui, Crux pellit hoſtem, Crux Chriſti triumphat.

Hic autem fit mentio circuitus Eccleſiæ, quem fuiſſe tertium cum aquæ benedictæ aſperſione ſcribit Ivo Carnotenſis in ſermone de Dedicatione. Hic vero ritus aperiendæ Eccleſiæ eſt etiam a Græcis uſitatus, appellaturque ἄνοιξις, & ἀνοίξια. id eſt, apertio, ut videre eſt apud Theodorum Balſamonem in can. 31. ſextæ Synodi, & in can. 7. Synodi ſeptimæ.

Nota 514. ET APERTO OSTIO INTRANTES DICANT: PAX, &c.

In cod. Rat. *Et aperto oſtio intrans dicat ter*: pax, &c. In Ordine Rom. *Tunc ſtatim oſtio aperto intrans Eccleſiam cum miniſtris duobus, vel tribus; & cum Manſionario & Acolytho dicat*: *pax huic domui*.

Nota 515. VEL LEVITÆ. In codice Remenſi legitur, *vel lente*; male.

Nota 516. STRAMENTA.

Sunt tapetes qui ſubſternuntur, a ſternendo, Et S. Benedictus cap. 51. Regulæ dixit ſtramenta lectorum, ea quæ in lecto ſternuntur. *Stramenta lectorum*, inquit, *ſufficiant matta, ſagum, læna, & capitale*.

Nota 517. DEINDE INCIPIAT PONTIFEX DE SINISTRO ANGULO, &c.

In cod. Ratoldi hæc ita habentur: *Deinde incipiat Pontifex de ſiniſtro angulo ab Oriente ſcribens per pavimentum cum cambuta ſua hæc elementa A, B, C, & dicat hanc Antiphonam*: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis a templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem, Alleluia. *Pſalmus*: Exurgat Deus, *cum gloria*. *Tum vadens ad dextrum angulum Occidentalem incipiens iterum a dextro angulo Orientali A, B, C, ſcribens uſque in ſiniſtrum Occidentalem angulum, canendo Antiphonam aliam*: Emitte ſpiritum tuum, &

a In cod. Reg. Suec. eſt Præfatio ab his duabus diſcrepans. In editione autem Pamel. nulla.

& creabuntur, & renovabis faciem terræ, Alleluia, alleluia. *Psalmus:* Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus.

Nota 518. A, B, C.

Ita in codice Ratoldi. In codice Remensi habetur, ARCTURIUM, quod perinde est; ex quibus notandum has tres literas dumtaxat in dedicatione basilicæ depingi olim solitas. Nunc describuntur duo alphabeta, alterum Græcum, alterum Latinum; id est, omnia elementa, tum Græca, tum Latina; ut in Ordine & Pontificali Romano, & in codice ms. Tiliano.

Quidam olim Episcopi adjiciebant alphabetum Hebraicum, ut planum est ex Sermone ms. cujusdam anonymi supra citato de Ecclesiæ Dedicatione, in quo etiam causa redditur: *Veruntamen quia Ecclesiastica doctrina Hebraico, Græco, Latinoque sermone utitur, maxime ideo a quibusdam Episcopis tria hæc alphabeta conscribuntur.* Petrus Damiani B Sermone citato generatim hæc scribit: *Alphabetum ex transverso quadrangula ratione describit.* Quæ intelligenda sunt secundum hodiernum usum de alphabetis Græco & Latino, nam in eo Sermone remittit lectorem ad Ivonem Carnotensem, ut infra probabitur, qui in opere suo de Ecclesiæ Dedicatione hæc duo alphabeta tantum agnoscit.

Nota 519 DEINDE VENIENS ANTE ALTARE.

τὸ *Altare* aberat ab hoc codice S. Eligii, sed illud supplevi ex codicibus Remensi & Ratoldi.

Nota 520. ABSQUE ALLELUIA.

Ita in Ord. Rom. & in codicibus Remensi, & Ratoldi, & in Serm. ms. supra citato, in quo causa additur: *Quia nondum est domus Domini.*

Nota 521. DEINDE SEQUITUR EXORCISMUS AQUÆ.

In cod. Rem. legitur: *Benedictio salis & aquæ.* C In cod. Ratoldi: *Deinde benedicens salem & aquam cum cinere: & dicat hanc orationem: Deus qui ad salutem humani generis,* &c. ut in benedictione aquæ diebus Dominicis, extatque in codice Remensi.

Nota 522. DISCEDE, IMMUNDE SPIRITUS.

Formula est dæmonis exorcizandi, cujus similis hæc est apud Optatum Milevitanum lib. 4 adversus Parmenianum: *Vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem; & dicitis Deo habitanti, Maledicte, exi foras.* In codicibus præfatis Rem. & Rat. ad exorcismum aquæ habentur hæc verba: *Exorcizo te creatura aquæ,* &c. Quæ quodammodo conveniunt cum illis exorcismis, quibus utitur Ecclesia diebus Dominicis in aquæ benedictione.

Hic autem aqua benedicitur, quæ Ecclesiæ Dedicationi inserviat. Est enim antiqua consuetudo, ut Ecclesia aquæ exorcizatæ seu benedictæ aspersione sanctificetur; quam videre est apud S. Gregorium [a] lib. 9. epist. 71. *Aqua benedicta fiat, & in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur.* Mentio fit in epist. 2. Vigilii Papæ, ubi tamen ait id minime esse necessarium.

Nota 523. SACRAMENTIS.

Olim vocabantur Sacramenta non solum septem illa a Christo Domino instituta, quæ sunt vasa gratiæ sanctificantis; sed etiam quivis ritus qui ad aliqualem sanctificationem spectant, quæ vulgo Sacramentalia dicuntur. Consule S. Augustinum epist. 118. ad Januarium.

Nota 524. SANCTIFICARE, &c.

Hæc oratio non extat in codicibus Remensi & Ratoldi.

Nota 525. IN MOLEM DURATA.

Ita S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 4. *Ut tamquam congelascentibus fluctibus in medio* A *maris aquarum quidam murus insurgeret ad transitum Judæorum.*

Nota 526. PER TE ARIDIS.

Hæc verba usque ad illa, *at tu Domine*, sumta sunt ex S. Ambrosio cap. 22. lib. 10. in Lucam: sed ibi fusius, hic vero contractius.

Nota 527. DOMINE, DEUS PATER, &c.

Hæc Præfatio non extat in præfatis codicibus, & in Ordine Romano.

Nota 528. EXORCIZO TE CREATURA SALIS, &c.

Hic exorcismus desideratur in codicibus præfatis & in Ordine Romano.

Nota 529. DIVINA ORIS VOCE, &c. Ita in Ordine Romano.

Nota 530. ET PER APOSTOLUM SUUM, &c. Ita etiam in Ordine Romano.

Nota 531. GRAVEDINES.

Gravedo est dolor, tristitia, molestia. Glossæ veteres: *Gravedo, ἀχθηδὼν.* id est, molestia, tristitia, dolor.

Nota 532. ET MISCEATUR SAL ET CINIS, &c.

Ita in Ordine Romano, & in codicibus Remensi, & Ratoldi. Sed in cod. Rem. τὸ *ter* desideratur. Infra autem mentio fit vini. Petrus Damiani Serm. citato addit hyssopum: *Tunc benedicit aquam sale, cinere, vino, hyssopoque conspersam.*

Nota 533. ÆTERNE OMNIPOTENS DEUS, &c.

In cod. Ratoldi alia extat oratio: *Deus invictæ virtutis auctor,* &c. ut in aquæ benedictione die Dominica, quæ habetur etiam in Ordine Romano. In codice Rem. nulla extat oratio.

Nota 534. TRADUCI.

Id est, quæ a protoparente ad posteros tradu- C cta est, & manavit.

Nota 535. CREATOR.

In cod. Rat. legitur: *Deus Creator.* In Ordine & Pontific. Romano: *Omnipotens sempiterne Deus Creator.*

Nota 536. PERMITTE.

Ita legitur in codicibus Rem. & Ratoldi; in Ordine Romano, *mitte*. In Pontificali, *emitte*. Itaque *permitte*, hoc loco idem est quod, *emitte*; de quo vocabulo infra.

Nota 537. ARMATA.

Ita in cod. Rem. In codice Ratoldi legitur *arma*, corrupte.

Nota 538. INDE FACIT CRUCEM DIGITO SUO, D &c.

Ita in cod. Remensi. In codice Ratoldi hæc præmittuntur: *Et mittat in eam Chrisma: & condat ex ipsa aqua calcem, & faciat maldam, unde recludere debet ipsas Reliquias.* Ubi lege τὸ *maltham*.

Maltha autem est calx aqua subacta cum pice liquida & axungia, Gallice *ciment*, ad parietes, tecturas, vel similia resarcienda; de qua agit Palladius lib. 1. de re rustica cap. 17. Est etiam pix cum cera mixta, ut scribit Festus. Unde in Glossis Philoxeni, *maltuma* (lege, *maltha*) κηρόπισσον id est, resina ceræ commixta. Dicitur etiam apud Julium Pollucem lib. 10. Onomast. cap. 14 τὸν τῷ πινακιδίῳ κηρὸν, ἡ μάλθα. id est, cera tabulæ adhærens, maltha. Et apud Hesychium μάλθα μεμαλαγμένος κηρός. id est, cera subacta, macerata. Ibidem μάλθη, ψυχρὸς ξηρός. id est, maltha, cera sic- E ca. Hic autem est calx aqua subacta.

Porro in Ordine & Pontificali Rom. antequam fiant cruces in cornubus altaris, fit crux de eadem aqua in medio altaris.

Nota 539. PER QUATUOR CORNUA ALTARIS.

a Nunc lib. 11. ep. 76.

Ita in cod. Rem. In codice Ratoldi additur, *Canendo Antiphonam*: *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor*.

Nota 540. CUM HYSSOPO ASPERGIT IPSUM ALTARE SEPTEM VICIBUS.

Ita Petrus Damiani Sermone citato: *Altare ſepties ex eadem aqua reſpergit*. Is autem Auctor in eo Sermone ſæpius citato, poſtquam ritos quoſdam dedicationis attigit, tandam ſubjungit: *Quis abyſſi caliginem ſermonis claritate poſſit illuminare? Attigiſſemus tamen quantumcumque, niſi noſtris temporibus quidam, qui Carnotenſi præſidet Eccleſiæ, vivaciſſimo mentis igne lucidius omnia declaraſſet*.

Hic autem Epiſcopus Carnotenſis, de loquitur, eſt Ivo Carnotenſis, qoi ſcripſit Sermonem de Sactamentis dedicationis, quem videre eſt cum aliis auctoribus, qui de divinis Officiis ſcripſerunt, Coloniæ editis anno Dom. MDLXVIII. cura Melchioris Hittorpii; quique æqualis eſt ipſi Petro Damiani. Uterque enim floruit ſub Hentico IV. Imperatore & Gregorio VII. Non vero Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis, qui claruit Roberto Francorum Rege, anno MXXXIII. ut ſcribit Glaber lib. 4. hiſt. c. 4. qui nihil ſcripſit de Eccleſiæ Dedicatione: nequidem in Epiſtola ad Deodatum, quamvis nonnulli conttarium teneant.

Nota 541. CUM IPSO PSALMO.

Nempe. *Miſerere mei Deus*, ut habetur in cod. Rem. In cod. Ratoldi deſideratur, τὸ *ipſo*.

Nota 542. USQUE DUM VENIENS ITERUM ANTE ALTARE, &c.

Ita in cod. Rem. In cod. Ratoldi aliter in hunc modum: *Et tunc ſparget aquam per pavimentum in modum crucis, in longitudine & in latitudine, canendo Antiphonam*: Fundamenta templi hujus ſapientia ſua fundavit Deus, &c. & *Pſalm.* Fundamenta. *Deinde per parietes intrinſecus Eccleſiæ, canendo Antiphonam*: Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum, &c. *Pſalm.* Magnus Dominus. *Antiph.* In dedicatione hujus templi, &c. *Pſalm.* Laudate Dominum de cælis. *Antiph.* Lapides pretioſi, &c. *Pſalm.* Lauda Hieruſalem Dominum. *Antiph.* Erit mihi Dominus in Deum, &c. *Pſalm.* Deus noſter. *Antiph.* Hæc eſt domus Domini, &c. D *Pſalm.* Ecce quam bonum.

Porro ex his & ſequentibus patet multos Pſalmos in baſilicæ Dedicatione cantari, atque ex antiqua conſuetudine, qoam videre eſt etiam in epiſt. 16. S. Paulini, qui quoſdam profert, qui tamen non extant in codicibus noſtris mſſ. nec in Ordine Rom. *Fatemur*, inquit, *venerandæ pietati tuæ*; & paulo poſt: *Ita exultaſſe Spiritum noſtrum in Deo ſalutari noſtro, ut tamquam in præſentis dedicationum cœtibus intereſſemus, & illa de Pſalmis prophetici gaudii verba cantaremus: Exultate Deo adjutori noſtro, ſumite Pſalmum, & date tympanum. Tollite hoſtias, & introite in atria Domini, adorate Dominum in aula ſancta ejus: vel illud ejuſdem Prophetæ: Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induant ſalutarem, & Sancti tui exultent*.

Nota 543. VEL ECCLESIÆ.

Particula *vel* hic ſumitur copulative.

Nota 544 CANENDO ANTIPHONAM, SANCTIFICAVIT.

In cod. Rem. legitur, *Canendo Antiphonam*: Qui habitat in adjutorio altiſſimi, *cum ipſo Pſalmo*.

Nota 545. QUI EXTRINSECUS ECCLESIÆ PARIETES UNA VOCE PSALLANT,

Locus corruptus; lege ut in codice Remenſi: *Qui extrinſecus Eccleſiæ parietes una voce pſallentes ſpargunt*. In cod. Ratoldi habetur in huoc modum: *Deinde pergat extra Eccleſiam cum omni Schola, ſpargendo ter parietes in circuitu, & deſuper canendo Antiphonam*: Benedic, Domine, domum iſtam, & *Pſalm.* Deus miſereatur noſtri. *Antiph.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. *Pſalm.* Beati immaculati in via. *Antiph.* Benedic, Domine, domum iſtam, &c. *Finito hoc, ingrediatur Pontifex in Eccleſiam cum omni Schola*, A *& incipiat Antiphonam*: O quam metuendus eſt locus iſte, &c. *Pſalm.* Verba mea. *Antiph.* Qui habitat in adjutorio Altiſſimi. *Pſalm. idipſum. Antiph.* Beati qi habitant in domo tua, Domine. *Pſalm.* Quam dilecta. *Et tunc ponat incenſum in acerra, & dicat hanc orationem*, &c. Hactenus Ratoldi codex.

Quid ſit acerra docet Feſtus: *Acerra, ara quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur. Aliqui dicunt arculam eſſe thurariam, ſcilicet, ubi thus reponebant*. Hic ſumitur pro thuribulo.

Nota 546. FACIENDO CRUCEM SUPER PAVIMENTO.

Olim baſilicas ſigno crucis adhibito dedicari cer-B tum eſt: ut videmus Serm. 19. inter opera D. Auguſtini: *Cum ejuſdem crucis charactere baſilicæ dedicantur*. In quibuſdam editionibus hic Sermo eſt 75. de diverſis.

Nota 547. DEUS QUI LOCA NOMINI TUO, &c.

Poſt hanc orationem in cod. Ratoldi hæc ſequuntur: *Et tunc cu incenſo boni odoris infumat totam Eccleſiam, & ſtans in medio dicat Antiphonam*: Domus mea domus orationis. *Verſus*: Narrabo nomen tuum, *cum Gloria*.

Nota 548. ET SEQUITUR ORATIO.

In cod Remenſi legitur; *Et ſequitur oratio con-C ſecrationis Eccleſiæ*. In cod. Ratoldi poſt hanc orationem ſequitur: *Præfatio in medio Eccleſiæ*. Surſum corda, &c. Adeſto precibus noſtris, adeſto Sacramentis, &c. ut in Ordine Romano.

Nota 549. IPSA EXPLETA INCIPIT ANTIPHONAM, &c.

Eccleſiæ Dedicationem excipit altaris conſecratio. In codice Ratoldi antequam altare conſecretur, extenditur velum pſallendo Antiphonam: *Introibo ad altare Dei*.

De conſecratione autem altaris inſignis hic locus S. Gregorii Nyſſeni oratione in Chriſti baptiſmum notandus venit: *ἐπεὶ καὶ τὸ θυσιαστήριον τοῦτο ᾧ παρεστήκαμεν, λίθος ἐστὶ κατὰ φύσιν κοινὸς, οὐδὲν διαφέρων τῶν ἄλλων πλακῶν αἳ τοὺς τοίχους ἡμῶν οἰκοδομοῦσι, καὶ καλλωπίζουσι τὰ ἐδάφη. ἐπειδὴ καθιερώθη τῇ τοῦ Θεοῦ θεραπείᾳ καὶ τὴν εὐλογίαν ἐδέξατο, ἐστὶ τράπεζα ἁγία, θυσιαστήριον ἄχραντον*. id eſt, & hoc altare ſanctum, cui aſſiſtimus, lapis eſt ſua natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis, ex quibus noſtri extruuntur parietes, & pavimenta ornantur. Sed quoniam Dei cultui conſecratum eſt, & benedictionem accepit, menſa ſancta eſt, altare immaculatum.

Nota 550. ET FUNDIT QUOD REMANSIT DE IPSA AQUA, &c.

Ita in cod. Rem. & in Ord. Rom. In cod. Ratoldi, legitur: *Et fundat aquam ſuper altaria, & abſtergat linteo, & benedicat tabulam ex aqua ſancta*. Sequunturque ibi hæ duæ orationes: *Sin-E gulare illud propitiatorium*, &c. Item alia: *Deus omnipotens univerſarum rerum rationabilis artifex*, &c. ut in Ordine Romano.

Nota 551. POSTEA OFFERT INCENSUM.

Thurificationis uſus in Eccleſia antiquus eſt; illius meminit S. Dionyſius cap. 3. Hierarchiæ: *ὁ μὲν Ἱεράρχης εὐχὴν ἱερὰν ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου τελέσας, ἐξ αὐτοῦ τοῦ θυμιᾶν ἀρξάμενος ἐπὶ πάντα ἔρχεται τὸν τοῦ ἱεροῦ χώρου περίοχον*. id eſt, Sacerdos ſacra precatione in ipſo altari perfecta, & ab eo thurificationis initio ducto, univerſum circuit ſacri loci ambitum. S. Johannes Chryſoſtomus in Liturgia: *ὁ δὲ διάκονος θυμιᾷ κύκλωθεν τὴν ἁγίαν τράπεζαν, καὶ δίπτυχα*. id eſt, Diaconus per circuitum incenſat ſacram menſam & diptycha. Canon 3. Apoſtolorum: *ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad lucernam, καὶ θυμίαμα ἐν καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς*. id eſt, & incenſum tempore ſanctæ oblationis.

Concilium Chalcedonenſe actione 3. in libello Iſchyrionis Diaconi Alexandrinæ Eccleſiæ, ubi conqueritur de Dioſcuro Patriarcha Alexandrino, qui

qui pecunias a clarissima femina Peristeria legatas in pauperum subsidium, scortis & mimis distribueras, *Ut neque incensum ex oblatione illius clarissimæ memoriæ Peristeriæ (quantum ad eum pertinuit) Deo offeretur*. Gregorius Turonensis in vitis Patrum, in vita S. Lupicini: *Dispositis utinere psallentium turmis cum crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis*; & Coryppus lib. 2. de laudibus Justini minoris:

Ilicet angelici pergens ad limina templi,

Imposuit pia thura focis, cerasque micantes

Obtulit.

Unde Cosroes Persarum Rex, inter alia donaria Ecclesiæ S. Sergii Martyris, thuribulum aureum misit, ob prolem ejus intercessione susceptam, ut scribit Theophylactus Simocatta libro 5. hist. cap. 14.

Nota 552. In medio crucem faciens, et super quatuor angulos.

Antiquus ritus est, quem olim observavit S. Germanus Autisiodorensis Episcopus, cum Encolismæ in Aquitania altare de nomine Apostolorum principis dedicaret, ut refert Ericus in supplemento mss. miraculorum ejusdem Pontificis, cap. 3. *Ubicumque & quoties per altaris coronam mediumque crucis effigiem sanctissimi unguinis liquore signavit, ita marmor impressione pollicis liquefactum subterfugit, ut ad impulsum digiti niveam putares cessisse mollitiem.*

Quod autem olim altaria cum signo crucis solerent consecrari, clarum est tum ex citato loco, tum ex Sermone supra citato S. Augustini: *Cum ejus crucis caractere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur*.

Nota 553. Fundamenta.

In cod. Ratoldi, *quam dilecta*. In cod. Rem. *quam amabilia*; quod perinde est.

Nota 554. Et unguit cum manu sua ipsum lapidem.

Unctionis altarium usus antiquus est. Illius mentio est in Epistola S. Damasi Papæ ad Numidiæ Episcopos: *Nec altare erigere, nec ungere, nec sacrare*; & in epist. 88. quæ vulgo S. Leoni tribuitur: *Sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel unctio*.

Idem videre est in decreto Felicis IV. apud Burchardum libro 4. capite 58. *Et mensis Domini sacratis, & sacra unctione a Pontificibus delibatis*; & in epistola Isidori junioris ad Luitfridum: *Ad Episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris*. Et in supplemento supra citato, & aliis auctoribus infra de Chrismatis unctione laudandis.

Nota 555. Expleto Psalmo mittit iterum oleum, &c.

Ita in codice Remensi, quæ tamen desunt in codice Ratoldi.

Nota 556 Mane surgens Jacob; cum Psalmo: Bonum est, &c.

Aliter in codice Remensi: *Sanctificavit Dominus tabernaculum suum; cum Psalmo: Deus noster refugium*.

Nota 557. Mittit chrisma.

Ita in codice Remensi & in Ordine Romano. In cod. Ratoldi sic habetur: *Post hæc ponat incensum & Chrisma, dicat:* Ecce odor filii mei, sicut odor agri, cui benedixit Dominus. *Psalm.* Ecce quam bonum. *Antiph.* Erit mihi Dominus in Deum, &c. *Psalm.* Deus noster. *Antiphona.* Vidit Jacob scalam. *Psalm.* Fundamenta.

Hic autem altare Chrismate perungitur juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, quæ clara est ex Concilio Agathensi can. 14. *Altaria placuit non solum unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari*. Ex Concil. Epaonensi can. 26. *Altaria non lapidea Chrismatis unctione non sacrentur*. Ex S. Dionysio cap. 4. Eccl. Hierar. *Hæc etiam sancte observa, ut sacratissimorum illa lex mysteriorum altaris consecrationem ταῖς τοῦ ἱερωτάτου μύρου τελεσιουργοῖς ἐπιχύσεσιν*, id est, *sacratissimi unguenti sanctissimis perficit infusionibus*. Petrus vero Damiani Sermone supra citato de Ecclesiæ Dedicatione ita scribit: *Altare vero mixtura Chrismatis oleique perungit*. Sic enim loquitur: quia altare prius oleo, deinde Chrismate perungitur, ut ex nostris Sacramentariis liquet, & ex Ivone Serm. de Sacramentis Dedicationis.

Nota 558. Dextro in dextro.

Hic desideratur particula, *de*, quæ extat in cod. Rem. Sed legendum est, *De dextro usque in dextrum*. In codice Rat. sic legitur: *Deinde faciens cruces per parietes in circuitu de ipso Chrismate cum pollice dicat Antiphonam:* Sanctificavit. *Alia Antiph.* Lapides pretiosi. *Psalm.* Lauda Hierusalem. *Antiph.* Mane surgens Jacob. *Et tunc in circuitu intrinsecus mittat incensum boni odoris, & dicat:* Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, effunde super hunc locum gratiam tuam, &c. *Item alia:* Deus qui de vivis & electis lapidibus, &c. In Ord. Romano aliter habetur: *Deinde in circuitu Ecclesiæ vadat Pontifex, & faciat crucem per parietes cum pollice suo de ipso Chrismate in duodecim locis, tres in Oriente, tres in Australi, tres in Occidente, tres in Septentrione: primo in dextra parte, & sic in circuitu dicens per singulas cruces, sanctificetur hoc templum*, &c. Hæc Ordo Romanus.

Sed notandum est ex Petro Damiani Sermone primo de Ecclesiæ Dedicatione impressas fuisse in interioribus templi parietibus cruces duodecim, quæ a Pontifice Chrismate ungerentur: *Cruces duodecim*, inquit ille, *in interiori circuitu Ecclesiæ imprimuntur*: Et paulo post: *Cruces Chrismate, altare vero mixtura Chrismatis oleique perungit*. Ita etiam Ivo Carnotensis in Sermone de Sacramentis Dedicationis: *Hinc est quod consecrato altari chrismantur in parietibus illæ duodecim cruces, quæ typum gerunt Apostolicum, qui & primitias Spiritus acceperunt, & crucis mysterium populis & gentibus manifestare studuerunt*. Quod paulo ante eorum ætatem videtur esse institutum: cum Ordo Romanus aliter scribat: nisi forte ipse Ordo hac in parte mutationem aliquam subierit.

Græci etiam ipsum templum Chrismate perungunt, quod clarum est ex Theodoro Balsamono in canon. 7. Synodi septimæ: *καὶ πᾶσα αὐτοῦ ἀπαρτισμὸς ὑπ' ἁγίου μύρου χρισθείς*, id est, & omnis illius (templi) perfectio sacro Chrismate inuncti.

Nota 559. Inde faciens crucem incensi super altare.

In codice Remensi deest particula, *inde*. In Ordine Romano sic habetur: *Tunc iterum redeat ad altare, & offerat ibidem crucem incensi super illud, & dicat Antiphonam: Ecce odor filii mei*, &c. In codice Ratoldi nulla crucis mentione facta hæc reperire est: *Tunc eat ad altare, & ponet incensum. & dicat: Oremus Dei Patris omnipotentis misericordiam*, &c. *Alia: Deus omnipotens, in cujus honore altare hoc*, &c. *Præfatio super altare*, ut in Ordine Romano. Deinde sequitur: *Majestatem tuam, Domine, imploramus humiliter*, &c. ut in Ordine Romano.

Nota 560. Sub invocatione nominis tui.

Altaria per invocationem nominis Dei consecrantur, & sanctificantur. Optatus Milevitanus lib. 6. contra Parmenianum: *Nam si sit invocatio nominis Dei, ipsa invocatio sanctificat & quod pollutum esse videbatur*. Ibi enim agit de altaribus aut rasis, aut remotis, aut fractis a Schismaticis.

Nota 561. Dando tenentibus, &c.

In codice Ratoldi Abbatis additur: *Cum aqua sancta & incenso*.

Nota 562. Linteamina.

Altaris videlicet, quorum antiquus est in Ecclesia usus, qui videtur apud Optatum Milevitanum lib.

lib. 6. adversus Parmenianum: *Quis fidelium ue scit in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri?* Ubi ligna sunt ipsa altaria lignea, quæ tum in Africa erant usitata, ut clarum est ex eodem Optato supra eodem libro: *Sed, ut custodimo, alia loco copia lignorum frangi jussit; alio, ut raderent, lignorum inopia imperavit; ut removeremur, ex parte verecundia jussit.* Nam refert causas cur Schismatici alibi altaria fregerint, alibi raserint, alibi removerint. Cur in quibusdam locis fregerint, in causa fuit lignorum copia: quare alibi raserint, lignorum inopia, ne forsitan novis altaribus erigendis ligna deessent; cur demum in quibusdam locis tantum removerint, id fecit verecundia. Et paulo post: *Quid perditorum conductam referam multitudinem, & vinum in mercedem sceleris datam? quod ut immundo ore a sacrilegis hostibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est.* id est, calefecerunt aquam de fragmentis altarium; & infra, *inter Sacramenta.* (id est, inter Missarium solemnia) *velamen potuit tangi, non lignum: aut si tactu potuit penetrari velamen, ergo penetrantur & ligna*, &c. Ibi refert causam, cur non debuerint radere altaria: quia tacta non sunt a Sacerdotibus Catholicis, sed tantum velamen inter offerendum. Quod si tactu potuit penetrari velamen, ergo lignum; quod si lignum, ergo & terra: ac proinde concludit quod debuerint Schismatici terram ipsam, in qua fundata sunt altaria, radere, seu effodere.

Hinc capiendus est S. Augustinus lib. 5. de bapt. contra Donatistas cap. 20. *Cur ergo ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare, & in altari quod hæretici posuerunt, non possit? nescio: nisi forte quem cor hominis fallaciter conversum intus non impedit, lignum fallaciter positum impedit foris, quominus Sacramentis suis adesse dignetur, nullis hominum falsitatibus impeditus?* Ubi τὸ *lignum* sumitur metonymice pro altari ligneo.

Olim etiam in Gallia quibusdam in locis fuit usus altarium lignearum: nam in Concilio Epaonensi, can. 26. cautum est, *Ut altaria, nisi lapidea, Chrismatis unctione sacrarentur.* Fuerunt etiam olim in Oriente, tempore S. Athanasii Magni, altaria lignea, ut ex ejus Epistola ad Solitarios perspicuum est: ἁρπάσαντες τὰ συμψέλλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς Ἐκκλησίας. id est, cum rapuisset subsellia, & cathedram, & mensam (erat enim lignea) & vela Ecclesiæ.

Nota 563. OMNIPOTENS ET MISERICORS DEUS, &c.

Hæc oratio desideratur in codice Remensi, & in Ordine Romano.

Nota 564. PURIFICARE, SANCTIFICARE, BENEDICERE.

In codice Ratoldi Abbatis ad singula verba hæc singulæ cruces apponuntur.

Nota 565. OMNIPOTENS SEMPITERNE DEUS, A QUO OMNIA, &c.

Hæc oratio non extat in codicibus Ratoldi, & Rem. Sed loco illius hæc habetur: *Domine Deus omnipotens, sicut ab initio hominibus utilia*, &c. ut in Ordine Romano: in qua hæc verba sequentia notanda veniunt: *Hæc linteamina in usum altaris tui, ad tegendum involvendumque corpus & sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi*; quibus intelliguntur pallæ corporales, quæ Corporalia vulgo dicuntur: quæ ita olim amplæ erant, ut involverent ipsum Christi corpus & calicem; de quibus consule observationes nostras ad concordiam regularum, in can. 66. §. 1.

Porro in codice Ratoldi sequitur: *Benedictio ad omnia ornamenta Ecclesiæ: Dignare, Domine Deus omnipotens, Rex regum*, &c. In codice Remensi sequitur ordo inferendarum Reliquiarum in basilicam.

Nota 566. BENEDICTIO SUPER MUNUS QUODVIS.

Munus hoc loco intelligitur de his omnibus, A quæ a fidelibus offeruntur ad Ecclesiæ ornatum, ut videre est in ipsa benedictionis formula, quæ abest a codicibus Ratoldi, & Remensi, & ab Ordine Romano. Siquidem olim in ipsa templi dedicatione omnia ejus donaria, seu munera in usum templi a fidelibus oblata, ab Episcopis consecrabantur, ut factum est in dedicatione templi, quod Constantinus Imperator Hierosolymæ ædificavit, quemadmodum testatur Sozomenus lib. 2. hist. cap. 25.

Nota 567. AD CONSECRANDAM PATENAM.

In codice Ratoldi legitur: *Consecratio patenæ, fac crucem de oleo.*

Nota 568. CONSECRAMUS, &c.

Hæc formula consecrationis patenæ non extat B in Ordine Romano.

Nota 569. INDE FACIENS SIGNUM CRUCIS DE SANCTO OLEO, &c.

Ita in codice Rodradi & Remensi. Sed in codice Ratoldi aliter: *Item benedictio patenæ. Et fac crucem de Chrismate.* Consecrare, &c. Et nota in hoc codice adhiberi oleum & Chrisma, at in Ordine Romano Chrisma tantum.

Nota 570. BENEDICTIO PATENÆ. DOMINE DEUS OMNIPOTENS, &c.

Hæc non extant in codicibus Ratoldi & Remensi, neque in Ordine Romano.

Nota 571. AD CALICEM BENEDICENDUM.

In Ordine Romano legitur: *Præfatio calicis.* C Consecrationis seu benedictionis Vasorum altaris habetur mentio apud Burchardum lib. 3. cap. 58. ex epist. Felicis IV. *Eaque divinis precibus, & sanctis unctionibus cum altaribus & vasis; vestibus quoque & reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devote & solemniter sacrare.* Hic tamen notandum nullam in benedictione calicis adhiberi unctionem, ut in codicibus Remensi, Rodradi, & Ratoldi: cum tamen in Ordine Romano unctio Chrismatis adhibeatur.

Nota 572. PIA FAMULI TUI ILL. DEVOTIONE.

In cod. Ratoldi hæc vocabula, *pia famuli tui ill.* non extant. Post hanc orationem in Ordine D Romano hæc habentur: *Et faciat crucem de Chrismate super ipsum calicem per latera:* quæ non extant in codicibus nostris mss. Eligii, Rodradi, Remensi, & Ratoldi.

Nota 573. DEUS, QUI MOYSI FAMULO TUO, &c.

Non extat in codicibus Remensi, & Ratoldi: sed in cod. Rem. sequitur: *Præfatio chrismalis: Oremus, Fratres carissimi, ut Deus omnipotens hoc ministerium corporis Filii sui Domini nostri Jesu Christi gerulum benedictionis, sanctificationis tutamine, defensionis donatione implere dignetur orantibus nobis. Per.* Ubi Chrismalis, seu Chrismal, sive E Chrismale sumitur pro vase, in quo Christi corpus servatur. Quod clarum est ex Ordine Romano, ubi hic titulus præfigitur: *Præfatio vasculi in quo Eucharistia reconditur.* Ibi vasculum haud dubie pro Chrismali usurpatur. Id etiam patet ex lib. 6. Halitgarii mss. Biblioth. Corb. *Qui autem perdiderit suum Chrismal, aut solum sacrificium in regione qualibet*, &c.

Sumitur etiam pro Corporali, seu palla corporali, ut notum est ex Glabro lib. 5. hist. cap. 1. *De Chrismale etiam, quod a quibusdam Corporale appellatur, plurimum expertum est præstare remedia.* Et paulo post: *Apud Monasterium Reomense, tempore venerabilis Vuillelmi Abbatis contigit, ut incendium circumjacentia Monasterii popularetur:* F *arripientes autem ejusdem loci fratres Chrismale conto impositum elevarunt illud contra incendii flammas dire flagrantes; statim vero idem ignis in sese retorquens, minime amplius quam invaserat, arripere valuit: pannus tamen ille Dominicus, aura flante a contulo elapsus plus minus duabus milliariis avolavit*, &c.

In eadem Præfatione codicis Chrismale dicitur ministerium, recte. Nam ministerium pro vase sumitur: & vasa

aurea

aurea vel argentea Ecclesiæ dicuntur ministerium. In A Concilio Remensi can. 22. apud Flodoardum lib. 2. hist. Eccl. Remensis cap. 5. *Si Episcopus (excepto si evenerit ardua necessitas pro redemtione captivorum) ministeria sancta frangere pro qualicumque conditione præsumserit, ab officio cessabit Ecclesiæ.* In epistola a 20. S. Gregorii lib. 2. Registri: *Ut tam ministeria Ecclesiarum, quam usuale argentum, & quidquid aliud, idem Brevis a vobis conscriptus, veraciter rerum facta inspectione, contineat.* Et lib. b 3. epist. 15. *Pervenit ad nos diversos Italiæ Sacerdotes in Siciliam confugientes plurima secum Ecclesiarum suarum ministeria detulisse.* Concilii Arvernensis can. 8. *Ne ad nuptiarum ornatum ministeria divina præstentur.* Concil. Aurelianensis 3. can. 23. *De rebus Ecclesiasticis, vel de sacro ministerio alienare.* Apud S. Gregorium Turonensem lib. de B gloria Confessorum cap. 21. *Ac ipse sacerdos pelago operitur, habens ad collum cum Evangeliorum libro ministerium quotidianum, id est patenulam parvam cum calice.* Apud Fortunatum lib. 1. carm. 15.

Muneribusque piis dotasti altaria Christi,

Cum tua vasa ferant munera sancta Dei.

Nam cruor & corpus Domini libamina summi

Rite ministerio, te tribuente, venit.

Id est, corpus & sanguis Domini in ministerio collo- C cantur, te largiente. Unde a S. Paulino epist. 12. *Sacri pompa ministerii* pro vasis omnibus altaris sive aureis sive argenteis, quæ in Ecclesiæ Secretario servantur, sumitur:

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua

Ponitur alma sacri pompa ministerii.

Ita capiendus est hic locus, non pro Eucharistia, quæ in altari, non in Secretario, servatur: vasa autem altaris servari solita esse in Secretario seu sacrario, lippis & tonsoribus notum est. Et in libris ethnicorum sumitur ministerium pro vasis aureis seu argenteis, quæ D sternendo triclinio sunt necessaria, ut videre est apud Lampridium in Alexandro Severo: *Ducentarum librarum argenti pondus ministerium ejus numquam transiit.* Hujus vocabuli mentio fit in Glossis veteribus, sed metonymice sumitur pro abaco seu mensa, quæ ipsa vasa continet. *Abaci* (lege, *abacus*) *delfica* μονοσιγμοι, ὡς Ἰουβενάλιος. id est, ministerium, ut Juvenalis. Locus illius extat Satyra xiij.

Lectus erat Codro Procula minor: urceoli tres

Ornamentum abaci; necnon & parvulus infra

Cantharus, & recubans sub eodem marmore E

Chiron.

Unde in Glossis veteribus mss. Biblioth. Corb. abacus sumitur pro mensa marmorea calices continente. *Abacus vel abax pars capitelli, vel tabula lusoria, vel mensa marmorea, in qua antiqui mittebant calices.* Quæ verba illustrant locum Juvenalis, qui abacum marmor appellavit, id est mensam marmoream.

Usurpatur etiam ministerium pro tapetibus, palliis, & similibus Ecclesiæ ornamentis, ut videre est in Concilio Arvernensi can. 3. *Observandum ne palliis vel ministeriis divinis defunctorum corpora obvolvantur.* Tandem in eodem codice Remensi sequitur: *Item alia, Omnipotens Deus, Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde: ut per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, & corporis Christi novum sepulcrum Spiritus sancti gratia perficiatur. Per Dominum nostrum.*

Nota 574. DEINDE VADUNT AD LOCUM IN QUO RELIQUIÆ, &c.

Describit ritum inferendarum Reliquiarum in templum. Antiquum est Ecclesiæ institutum, basilicas Reliquiarum sanctarum illatione & appositione dedicare, quarum præsentia Ecclesia sanctificatur. S. Ambrosius lib. 10. epist. 85. ad Marcellinam sororem: *Nam cum basilicam dedicassem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes: si in Romana basilica dedices? respondi: faciam, si Martyrum Reliquias invenero.* S. Paulinus epist. 11. ad Severum: *Testis est autem Dominus, quod si vel scrupulum sacri cineris habuissemus supra quam nobis ad basilicam, quæ proxime in nomine Domini consummabitur, dedicandam necessarium erat, misissemus unitati vestræ.* Et paulo post: *Invenimus quod digne & ad basilicæ sanctificationem vobis & ad cinerum cumulandam benedictionem mitteremus, particulam de ligno divinæ crucis.* Et Epist. sequenti: *Verum hanc quoque basiliculam de benedictis Apostolorum & Martyrum Reliquiis sacris cineribus in nomine Christi Sanctorum Sancti, Martyrum Martyris, & dominorum Domini consecrabant.* S. Gregorius c lib. 5. epist. 145. *Basilicam beati Stephani Martyris quam fraternitas vestra incendio asserit concrematam, quam etiam nuper esse instauratam commemorat, facultatem etiam tribuimus dedicandi, in quam etiam Reliquiarum sanctuaria ejusdem beati Stephani Martyris volumus collocari.* S. Gregorius Turonensis lib. de gloria Confessorum c. 20. *Regressique ad basilicam, sanctas ejus Reliquias cum Saturnini, Julianique Martyrum, vel etiam B. Illidii exinde solemniter radiantibus cereis crucibusque admovimus.* Ibi enim agitur de Oratorii dedicatione. Teophanes in Justiniano Imperatore lib. 16. *Post, Junio mense, facta sunt encænia Apostolorum apud Constantinopolim, & recondita sunt λείψανα Andreæ & Lucæ Apostolorum. Et transiit Menas Episcopus cum sanctis λειψάνοις sedens in carruca aurea Imperatoria lapidibus insignita, tenens tres thecas sanctorum Apostolorum ingenibus suis; & ita encænia celebravit.*

Ita S. Gaudentius Episcopus Brixiensis cum haberet multas Reliquias Sanctorum, & maxime SS. Quadraginta Martyrum Cæsarea Cappadociæ advectas, Ecclesiam dedicavit, quam ideo Concilium Sanctorum appellari jussit, ut clarum est ex tractatu ejusdem de Ecclesiæ Dedicatione. Et ita statuitur Synodi septimæ can. 7. ὅσοι οὖν ναοὶ καθιερώθησαν ἐκτὸς ἁγίων λειψάνων μαρτύρων, ὁρίζομεν ἐν αὐτοῖς κατάθεσιν γίνεσθαι λειψάνων μετὰ καὶ τῆς συνήθους εὐχῆς. ὁ δὲ ἄνευ ἁγίων λειψάνων καθιερῶν ναὸν καθαιρείσθω, ὡς παραβεβηκὼς τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις. id est, quæcumque ergo templa consecrata sunt absque Reliquiis Martyrum, in eis fieri statuimus Reliquiarum depositionem cum solitis orationibus. Qui vero templum sine sanctis Reliquiis consecraverit, deponatur tamquam traditionum Ecclesiasticarum transgressor. Hæ autem Reliquiæ solemni pompa transferebantur in basilicam, ut ex loco Theophanis supra citato clarum est, & ex actibus S. Virgilii Episcopi Arelatensis, in chron. sanctorum Lirinensium.

Nota 575. AUFER A NOBIS, &c.

Non extat in codice Remensi, nec in Ordine Romano. Habetur in codice Rodradi, atque etiam codice Ratoldi, in quo præmittitur Litania.

Nota 576. AMBULATE, &c.

Ita in cod. Ratoldi, quæ non extant in codice Remensi. Plura in Ordine Romano reperire est.

Nota 577. CUM CRUCIBUS ET THURIBULIS, ET CANDELABRIS, MULTISQUE LUMINARIBUS, &c.

Ita in codice Remensi. In codice Ratoldi nulla mentio luminarium est; in Ordine Romano nihil de thuribulis. Similem pompam in inferendis in basilicam recens consecratam Sanctorum Reliquiis videmus apud S. Gregorium Turonensem

a Nunc ep. 25. olim erat 19.
b Est modo 16. lib. 4. ind. 12. ep. 16.
c Nunc lib. 6. ep. 45.

ſem lib. de gloria Confeſſorum cap. an. *Regreſſique ad baſilicam, ſanctas ejus Reliquias cum Saturnini Julianique Martyrum, vel etiam B. Illidii, exinde ſollemniter, radiantibus cereis crucibuſque, admovimus.* Ibi enim agitur de oratorii dedicatione.

Notandum hic quod non ſolum cerei, ſed etiam cruces radiantes appellantur. Nam olim in publicis proceſſionibus ipſis crucibus cerei accenſi imponebantur, ut clarum eſt ex eodem S. Gregorio lib. de gloria Confeſſorum cap. 79. *Accenſiſque ſuper cruces cereis atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis.* Idque ex inſtitutione S. Johannis Chryſoſtomi, ut teſtatur Socrates lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 8. ἐπινοήθησαν γὰρ παρ' αὐτοῦ σταυροὶ ἀργυροῖ φέροντες φῶτα ἐκ τῶν κηρίνων λαμπάδων. id eſt, cruces enim argenteæ excogitatæ ſunt ab eo, quibus lucernæ cereæ imponebantur: & ita capiendus eſt Sozomenus lib. 8. hiſt. Eccl. cap. 8. καὶ γὰρ δὴ καὶ σταυρῶν ἀργυρᾶ σημεῖα ὑπὸ κηροῖς ἡμμένοις προηγοῦντο αὐτῶν. id eſt, ſiquidem crucium argentea ſigna ſub cereis ardentibus eos præcedebant. Quare non ſatis bene expreſſit interpres cum dixit dumtaxat, *facibus ardentibus*; & Sozomenus qui eamdem profert hiſtoriam, nihil aliud, quam Socrates, intelligit.

Nota 578. DOMUM TUAM DEUS, &c.

In Ordine Romano & in codice Remenſi hæc deeſt oratio. In codice Ratoldi ad oſtium novæ Eccleſiæ hæc præmittuntur: *Deus, qui in omni loco dominationis tuæ dedicator adſiſtis, exaudi nos, quæſumus, ut inviolabilis hujus Eccleſiæ permaneat conſecratio, ut beneficia tui muneris, quæ ſupplicat, mereatur.* Item alia cum Antiphona: *Benedic Deus domum, tabernaculum hoc ingredere, quæſumus, omnipotens Deus ſempiterne,* &c. *Hac expleta ſuſcipiat Epiſcopus Reliquias a Presbytero, & ponat eas in altario novo, extenſo velo,* &c.

Nota 579. ET EXTENSO VELO INTER EOS ET POPULUM.

Olim ad cancellos ſacrarii ſeu chori, in quo ſtabant Clerici, erat appenſum velum, cujus meminit S. Dionyſius in epiſtola ad Demophilum: καὶ προϊόντες ἀγαθοειδῶς ἐπὶ τὰ ἔξω τῶν θείων παραπετασμάτων. id eſt, procedenteſque benevole ad ea loca quæ ſunt extra vela divina. Ejuſmodi veli meminit etiam S. Johannes Chryſoſtomus ſerm. 3. in epiſt. ad Epheſios: ὅταν ἀκούσῃς, δεηθῶμεν πάντες κοινῇ, ὅταν ἴδῃς ἑλκόμενα τὰ ἀμφίθυρα, &c. Cum audieris, oremus, communiter, & vela trahi videris, tunc diduci cælum exiſtimas. Quamvis haud ignorem ἀμφίθυρα aliquando valvas biſores, ut Ovidius loquitur ſignificare, tamen pronomen ἑλκόμενα, ita interpretari vetat.

Confirmatur interpretatio noſtra ex Evagrio lib. 6. cap. 20. & Theophylacto Simocatta lib. 5. cap. 14. in epiſtola Coſroæ Perſarum regis ad S. Sergium Martyrem, in qua recenſentur dona quæ Rex ille S. Sergio mittit, nempe crux & thuribulum aurea, καὶ ἀμφίθυρον οὐννικὸν κεκοσμημένον χρυσίῳ. id eſt, & Hunnicum velum ornatum auro; non eſt enim ſimile vero, fores ad claudendum ſacrarium ab ipſo rege fuiſſe miſſas, ſed potius magni pretii aliquod velum.

Nota 580. IN LOCO ALTARIS.

Reliquias Sanctorum in ipſo altari recondere mos eſt antiquus, de quo S. Paulinus epiſt. 12. ad Severum de baſilicæ dedicatione: *Quorum venerandus cinis ſi ſine crucis conſortio ſubjiciatur altaribus, hic apertos titulus indicabit:*

Pignora Sanctorum divinæ gloria menſæ
Velat Apoſtolicis edita corporibus.

Et infra de baſilicæ Fundanæ dedicatione:

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa priorum

Regia purpureo marmore cruſta tegit.

In codice Ratoldi legitur, *In confeſſione altaris.* Ubi Confeſſio locus eſt altaris cavatus in quo ab Epiſcopo Reliquiæ Sanctorum reconduntur. Alias quid ſit Confeſſio, vide in obſervationibus noſtris ad Concordiam regularum cap. 66. §. 31.

In eodem Ratoldi codice hæc ſequuntur: *Et faciat crucem intus ex Chriſmate in quatuor angulis ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Pax tibi.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo*; ut in Ordine Romano. At Græci Reliquias Sanctorum recondentes, eas ſacro perfundunt Chriſmate, ut videre eſt in eorum Euchologio: ἐπιχέει τούτοις (λειψάνοις) ὁ ἱερεὺς μύρον. id eſt, infundit ipſis (Reliquiis) unguentum Sacerdos. Præterea ſequitur in eodem codice: *Et ponat tres portiones corporis Domini intus, & tres de incenſo. Recludantur tunc Reliquiæ, canentes Antiph.* Exultabunt Sancti in gloria. *Pſalm.* Laudate Dominum de cælis. *Antiph.* Sub altari Domini ſedes accepiſtis. *Pſalm.* Beati immaculati in via. Quod autem dicitur hic de tribus portionibus corporis Domini & incenſi, in Confeſſione ſimul cum Reliquiis Sanctorum reponendis, idem habetur in utraque dedicatione Ordinis Romani.

Tandem in eodem codice Ratoldi hæc ſequuntur: *Et tunc ponatur tabula, ſuper quam faciet cruces quatuor ex oleo & ſancto Chriſmate: & deſignatur per quatuor angulos cum cultro, & dicat Pontifex orationem hanc: Deus, qui ex omni coaptatione Sanctorum,* &c. Aliter in Ordine Rom. ſic habetur: *Tunc ponat tabulam ſuper Reliquias, & det orationem hanc: Oremus. Deus, qui ex omni coaptatione Sanctorum,* &c. *Deinde liniat eam cum calce, quæ antea fuerat præparata: & poſtquam linita fuerit, faciat crucem deſuper cum Chriſmate dicendo ſicut prius: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Et mittat Chriſma per quatuor cornua altaris, ipſa ſupraſcripta verba dicendo & crucem faciendo; & cantet Antiphonam: Corpora Sanctorum in pace ſepulta ſunt, & vivent nomina eorum in æternum, cum Gloria.* Hæc in prima quidem dedicationis deſcriptione: ſed in ſecunda paulo aliter in hunc modum: *Et accipiens tabulam, quæ ſuper Reliquias poni debet, antea confirmet eam ſubtus cum Chriſmate, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et ponat tabulam ſuper Reliquias, & dicat hanc orationem: Oremus. Deus qui ex omni coaptatione Sanctorum. Deinde liniat eam cum calce, quæ ante fuerat præparata. Et poſtquam fuerit linita, faciat crucem deſuper cum Chriſmate dicendo, ut ſupra: & faciat crucem ſimiliter cum Chriſmate per quatuor angulos altaris deſuper, dicendo ut ſupra.*

Nota 581. CUM PSALMO, LAUDATE DOMINUM DE CÆLIS, &c.

In codice Remenſi hæc deſunt uſque ad illa verba; *Inde revertatur Pontifex in ſacrarium.*

Nota 582. POST HÆC VESTIATUR ALTARE.

In cod. Ratoldi additur, *Cum aqua benedicta & incenſo.* Veſtitur autem altare pallis linoſtimis, atque etiam palliis ſericis, ut factum eſt in dedicatione templi Hieroſolymitani ſub Conſtantino Magno, ut ſcribit Theodoretus lib. 1 hiſt. cap. 31. Et apud Syneſium epiſt. 67. inter ea quæ ad baſilicam neceſſaria ſunt dedicandam, recenſetur καταπέτασμα μυστικόν. id eſt velum myſticum.

Nota 583. CUM ANTIPHONA.

Pro his in cod. Ratoldi habetur: *Dicat Epiſcopus Antiphonam*: Ornaverunt templum coronis aureis, &c. *Antiph.* Zachæe feſtinans deſcende, &c. *Dum ornantur altaria, cantantur hæc, Pontifex dicat orationem*: Deſcendat, quæſumus, Domine Deus noſter, Spiritus ſanctus tuus ſuper hoc altare, &c.

Nota 584. REVERTATUR PONTIFEX IN SACRARIUM.

Horum loco hæc in codice Ratoldi reperire eſt: *Deinde incipiat Cantor Antiphonam*: Terribilis eſt locus iſte. *Deinde*: Gloria in excelſis Deo. *Collecta ad Miſſam*: Deus qui ſacrandorum tibi auctores munerum, &c. *Lectio libri Apocalypſis Johannis Apoſtoli*: In diebus illis, vidi civitatem ſanctam Hieruſalem. ℟. Locus iſte a Deo factus eſt.

est. ℣. Deus cui adstat Angelorum chorus. *Allel.* Adorabo ad templum. a *S. Lucam.* In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis, non est arbor bona. *Offert.* Domine Deus in simplicitate. ℣. Majestas. ℣. Fecit Salomon. *Super Oblata:* Omnipotens sempiterne Deus, altare nomini tuo dicatum. *Præfatio:* Per quem te suppliciter deprecamur ut altare hoc. *Benedictio:* Benedicat & custodiat vos omnipotens Deus, dumumque hanc sui * numinis præsentia illustrare, &c. *Communio:* Domus mea, domus orationis vocabitur. *Ad complendum:* Quæsumus, omnipotens Deus, ut in hoc loco, &c. *Inde procedens ad fontes & consecret:* Omnipotens sempiterne Deus, hoc baptisterium cælesti visitatione dedicatum, Spiritus sancti tui illustratione sanctifica; ut quoscumque fons iste lavaturus est, trina ablutione purgati indulgentiam omnium delictorum tuo munere consequantur. Per. *Item alia:* Multiplica, Domine, benedictionem tuam, & Spiritus tui munere fidem nostram corrobora; ut qui in hæc fluenta descenderint, in libro vitæ adscribi mereantur. Per.

*In ms. muneris.

Hæc consecratio baptisterii seu fontium baptismalium est breviuscula, fusiorem in Ordine Romano require. Consecrationis baptisterii meminit Sidonius lib. 4. epist. 15. *Nam baptisterium quod olim fabricabamini, scribitis posse jam consecrari.* Baptisterium autem est ædificium prope Ecclesiam in quo erat piscina seu fons, sive naturalis sive artificiosus, baptizandis Christianis idoneus. Prudentius in Peristephano baptisterium describens, in loco ubi quondam Martyres passi fuerant:

Electus Christo locus est, ubi corda probata
Provehat ad cælum sanguine, purget aqua.

Fortunatus lib. 2. carm. 12. de baptisterio Moguntiæ ædificato;

Ardua sacrati baptismatis aula coruscat,
Qua delicta Adæ Christus in amne lavat.

Paulinus epist. 12. ad Severum de ejus baptisterio:

Dives opum Christi, pauper sibi pulchra Severus
Culmina sacratis fontibus instituit.

Ennodius Epigrammate CXLIX. *De fonte baptisterii S. Stephani, & aqua quæ per columnas venit:*

En sine nube pluit sub tectis imbre sereno,
Et cæli facies pura ministrat aquas.
Profua marmoribus decurrunt marmora sacris,
Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
Et rursus natis unda superna venit.
Sancta per æthereos emanat lympha recessus,
Eustorgi vatis ducta ministerio.

Id etiam patet Concil. Toletano 18. can. 3. *Licet initio Quadragesimæ baptizandi generaliter claudatur mysterium; tamen, ut Ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, necesse est ut ostia baptisterii eodem die die Pontificali manu & annulo signata claudantur.*

Nota 585. CELEBRETUR IBI SOLEMNITER MISSA.

Juxta decretum Evaristi Papæ apud Ivonem 3. p. c. 32. *Omnes basilicæ cum Missa semper debent dedicari.* Sic in consecratione templi Hierosolymitani sub Constantino Magno, quidam Episcopi θυσίαις ἀναίμοις καὶ μυστικαῖς ἱερουργίαις τὸ θεῖον ἱλάσκοντο id est, sacrificiis incruentis, & mysticis consecrationibus numen divinum placabant, ut scribit Eusebius lib. 4. de vita Constantini cap. 45. Consule epistolam secundam Vigilii Papæ.

Nota 586. TOTA VERO HEBDOMADE MISSÆ PUBLICÆ IN EA FIANT.

Ita in codice Ratoldi in quo hæc sequuntur: *Et in ipsis octo diebus ibi luminaria ante altare,*

a Id est, secundum Lucam.

A *aut de cera, aut de oleo debent esse, absque luminaribus & officiis nocturnis diurnisque, in prædictis octo diebus ullo modo reperiatur, usque dum octo dies compleantur.* Ubi lege: *Nullo modo reperiatur;* suppl. *basilica.*

Ex quibus notare oportet ad celebriorem dedicationis solemnitatem, olim per octo integros dies dedicationis festum tum sacris concionibus, tum sacrificiis incruentis, aliisque divinis officiis fuisse celebratum. Quod satis innuunt hæc Apollinaris verba lib. 9. epist. 3. *Cum in Lugdunensis Ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus collegarum sacrosanctorum rogatu exoraveris, ut perorares.* Nam festa hebdomadalia dedicatæ Ecclesiæ nihil aliud sunt, quam quod illa per integram hebdomadem fuere
B celebrata.

Nota 587. IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS BASILICÆ.

Anniversarius Dedicationis basilicæ dies ex veteri consuetudine celebratur in Ecclesia: de qua Felix Papa IV. in epist. apud Burchardum lib. 3. cap. 58. *Solemnitates vero Dedicationum Ecclesiarum & sacerdotum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ, ipso Domino exempla dante, qui ad festum Dedicationis templi, omnibus faciendum dans formam, cum reliquis populis celebraturus venit.* Quod etiam patet ex Sozomeno lib. 2. hist. Eccl. cap. 25. ubi scribit dedicationis templi Hierosolymitani, conditi olim a Constantino Magno,
C diem Anniversarium, per octo dies quotannis celebrari solitum ἐξ ἐκείνου δ' εἰσέτι ταύτην ἑορτὴν λαμπρῶς μάλα ἄγει ἡ τῶν Ἱεροσολύμων Ἐκκλησία, &c. id est, quo tempore Ecclesia Hierosolymitana hoc festum quotannis spendide admodum celebrat: adeo ut eo initiationes sacrorum peragantur, & dies octo deinceps conventus fiat.

Porro his ita de basilicæ Dedicatione notatis, subjungendus est ordo in benedictione signi, hoc est nolæ, seu campanæ, qui extat in codicibus Remensi & Ratoldi Abbatis. In codice igitur Remensi ita habetur: *Ad signum Ecclesiæ benedicendum:* Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cælesti, &c. In cod. Ratoldi: *Ad signum Ecclesiæ benedicendum. In primis intingue ter in aqua, &*
D *laves in ea quæ benedicenda est his verbis:* Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cælesti, &c. ut in Ordine Romano: *Post hæc cantabis Psalmos sex, id est: Lauda, anima mea, Dominum; usque ad finem Psalterii. Interim laves eum de aqua* (benedicta videlicet, ut præcipitur in cod. Remensi,) *cum oleo, & sale; & dic:* Deus, qui per Moysen legiferum tubas argenteas fieri præcepisti, &c. ut in Ord. Rom. *Tunc extergis eum linteo, & dicas vers.* Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas, *usque in finem Psalmi. Post hæc tangis eum de Chrismate septem vicibus foris, intus quaternis. Oratio:* Omnipotens sempiterne Deus,
E qui ante arcam fœderis, &c. ut in Ordine Rom. (In codice Remensi legitur in hunc modum: *Et dicis Antiphonam cum capite,* vox Domini, &c.) *Tunc pones incensum in acerna* (lege, *acerra.* id est, thuribulo,) *& myrrham; & faciat fumum intus, & extra; & cantes:* ℣. Viderunt te aquæ. Deus, viderunt te aquæ, *usque ad finem Psalmi.* Omnipotens Dominator Christe, cui (lege, *quo*) secundum assumtionem carnis dormiente in navi, &c. ut in Ordine Romano. In codice Remensi sic habetur: *Tunc imponis incensario, & thymiamata, & myrrham, & erigis Cloccam, & dicis Antiphonam,* Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster. ℣. Viderunt te aquæ Deus, *usque ad finem Psalmi, & dicis collectam:*
F Omnipotens Dominator Christe, &c. Et hæc de signi benedictione.

Clocca autem cujus est in codice Remensi mentio, signum est, nola, campana, Gallice *Cloche.* Ita docet Otholonus lib. 2. de vita S. Bonifacii Episcopi Moguntini: *Interea signum Ecclesiæ quod vulgo appellari so-*

 let

let Glocca (lege, *Clocca*) *absque humano motu sonare cœpit*. Mentio fit in Epistola Gutberti ad S. Lullium, quæ LXXXIX. est inter Epistolas ejusdem S. Bonifacii: *Cloccam, qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curavimus*.

Nota 588. IN VIGILIA APOSTOLORUM.

Sequitur Commune Sanctorum, ut vocant, in cujus initio hæc reperire est in codice Remensi; *Denuntiatio Natalis unius Martyris. Noverit vestra devotio, sanctissimi fratres, quod B. Martyris illius Anniversarius dies intrat: quod diaboli tentationis exuberant* (lege, *quo diaboli tentationes exuperans*) *universitatis Creatori gloriosa passione conjunctus est. Per pluralitatem* (id est, si solemnitas plurimorum sit denuntianda) *quod* (lege, *quo*) *diaboli tentamenta vincentes universitatis Creatori gloriosa passione conjuncti sunt. Idoque Dominum conlaudemus, qui est mirabilis in Sanctis suis, ut qui illis victoriæ coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In illo igitur loco, vel in illa villa, illa feria hanc eamdem festivitatem sollicita devotione celebremus*.

Hæc est antiqua formula festi alicujus annuntiandi antequam Martyrologia publice in Ecclesia legerentur; cujus lectionis mentio fit in additione prima Capitularis Ludovici Imperatoris tit. 69. *Ut ad capitulum primitus Martyrologium legatur: & dicatur versus, deinde regula, aut homilia quælibet legatur: deinde, Tu autem Domine, dicatur*. Sed vix ante hujus Ludovici Pii ætatem, lectionem Martyrologii in usu fuisse crediderim; ut patet ex his, quæ ex codice Remensi, qui tempore Caroli Magni scriptus est, produxi; in quo, ut obiter id notem, [a] nihil extat de Communi Apostolorum.

Nota 589. MARTYRIS ANTECEDIT.

In codice Remensi legitur: *Martyris Confessor antecedit*. Sed τὸ *Confessor* redundat.

Nota 590. RESTAURANTUR. In eodem codice corrupte legitur, *restaurentur*.

Nota 591. PRETIOSA PASSIONE QUAM PRÆMUS.

In eodem codice male legitur: *Pretiosa passione, & solemnia*. Sed legendum est, ut in codice Rodradi, *Pretiosa passione & solemnitate*.

Nota 592. VOTIVOS.

Id est, devotos, Papias: *Votivus, devotus*, id est, promtus & alacris ad Dei cultum.

Nota 593. ITEM ALIA PRÆFATIO. Hæc tertia Præfatio est pro Martyre Pontifice.

Nota 594. IN VIGILIA PLURIMORUM MARTYRUM.

Hæc Vigilia deest in codice Remensi. Sed & alia Missa est in Natali plurimorum Martyrum.

Nota 595. IONIANTUR. Id est, inflammentur.

Nota 596. CONFESSORES.

Confessores illos vocat Ecclesia, qui pietate insignes, virtutibus & miraculis illustres, sine Martyrio tranquilla & placida morte in Christo quieverunt. Sidonius lib. 4. epist. 18. *Basilicam sancti Pontificis Confessorisque Martini, Perpetuus Episcopus dignissimus tanto prædecessore successor, multum priori, quæ fuit hactenus, capaciorem novavit*. Et infra:

Quæ Confessori non erat æqua suo.

Nota 597. UT POSTQUAM VIRGO DE VIRGINE PRODIIT, &c.

Id est, postquam Christus Virgo de Maria Virgine prodiit, tum Virginis partu victa est libido, ut præclare canit Prudentius in Psychomachia:

Numquid & intacta post partum Virginis ullum

Fas tibi jam superest.

Et infra:

Nec mea post Mariam potis es confringere jura.

Nota 598. ET IN QUO FUIT PECCANDI FACILITAS, &c. Elegans est paronomasia.

Nota 599. ALIA MISSA.

Deest in codice Remensi. In cod. Rodradi legitur: *Missa in Natali Virginis Confessæ*. Ubi nota Confessam appellari sanctam Virginem, quæ non sit Martyr, quemadmodum appellantur Confessores viri sancti non Martyres. Quod tamen vocabulum aliquando sanctis mulieribus attributum fuisse videmus: nam in Concilio Toletano quarto editionis Garsiæ, sancta Leocadia Confessor appellatur.

Nota 600. VEL VIDUÆ.

Hæc verba non extant in editis. De viduæ professione, & vestis impositione ab Episcopo, hæc habet Concilium Arausicanum primum can. 27. *Viduitatis servandæ professionem coram Episcopo in secretario habitam, imposita ab Episcopo veste viduali indicandam*, &c.

Nota 601. BENEDICTIO VIRGINIS.

Virgines Deo sacrare antiquus mos est Christianorum, quem etiam tangit Ammianus Marcellinus, licet paganus, lib. 18. sub finem: *Invenitas tamen alias Virgines Christiano ritu cultui divino sacratas custodire intactas, & religioni servire, solito more, nullo vetante, præcepit*.

Nota 602. AB EPISCOPO DICENDA.

Episcopi est Virgines consecrare. S. Hieronymus epist. ad Demetriadem lib. 1. *Scio quod ad imprecationem Pontificis flammeum Virginale sanctum operuerit caput*. Et epist. 83. ad Oceanum lib. 2. *Heri Catechumenus, hodie Pontifex; vespere in circo, mane in altario; dudum fautor histrionum, nunc Virginum consecrator*. Id etiam patet ex Concil. Carthagin. 2. can. 3. *Ab universis Episcopis dictum est, ut Chrismatis confectio, & puellarum consecratio a Presbyteris non fiant*. Quod si aliquando faciant Presbyteri, id inconsulto Episcopo facere non debent, ut habetur in Concil. Carthag. 3. can. 36. *Ut Presbyter, inconsulto Episcopo, Virgines non consecret*.

Nota 603. QUÆ FIT IN EPIPHANIA.

Ita in editis, in codice Remensi, & in Ordine Romano. Ita etiam statuitur in Epistola Gelasii Papæ ad Episcopos Lucaniæ: *Devotis quoque Deo Virginibus nisi aut in Epiphaniarum die, aut in albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis, sacrum minime velamen imponant*.

Nota 604. VEL SECUNDA FERIA PASCHÆ.

In Ord. Romano, *Vel in albis Paschalibus*. Ita in Præfata Gelasii Epistola. Apud S. Ambrosium ipsa Resurrectionis Dominicæ solemnitate. Lib. ad Virginem lapsam cap. 5. *Non es recordata diei sanctæ Dominicæ Resurrectionis, in quo divino altari te obtulisti velandam*.

Nota 605. AUT QUANDO APOSTOLORUM NATALITIA CELEBRANTUR.

Juxta decretum Gelasii Papæ Epistola super citata.

Nota 606. ET VESTIMENTA NIGRA FORINSECUS GESTANT.

Hæc desunt in Ordine Romano, & in codice Remensi. Olim Virgines Deo sacræ pulla veste induebantur. S. Hieronymus epist. 15. lib. 1. de laudibus Asellæ: *Et tunicam fusciorem quam a matre impetrare non poterat, induta*. Et Epistola ad Gaudentium lib. 2. *Solent quidam cum futuram Virginem spoponderint, pulla tunica eam & furvo operire pallio*; ut videlicet a teneris unguiculis assuescat hujus generis vestimento.

Nota.

[a] In utroque Theod. Gemet. & Cal. sunt Missæ, *in Natali unius Apostoli*. Item *in Nat. plurimorum Apostolorum*. ideo de communi. In Theod. sunt Missæ tum de Vigilia, tum de Natali unius Evangelistæ, quas sequitur Missa in Nat. SS. Doctorum.

Nota 607. QUORUNDAM BONORUM.

Nempe castimoniæ, cujus excellentia in cælo magis perfecta erit; ut sequentia satis indicant.

Nota 608. IN NOVO.

Ita io codice Remensi, & io Ordine Romano. In editis legitur, *in hoc*, male.

Nota 609. QUÆ TIBI DEVOTIONEM SUAM OFFERT.

Id est, quæ tibi propositum & firmam tibi perpetoo serviendi voluntatem offert.

Nota 610. VOTUM. Id est, desiderium & voluntatem.

Nota 611. IN JEJUNIO CIBUS.

Spiritalis videlicet, quo mens pascatur, dum caro jejunat. Nam devotis virgioibus olim fuere:

Et raræ tenuesque epulæ, & mens sobria semper.

Inquit Prudentius de illis scribens lib. 2. contra Symmachum,

Nota 612. QUATENUS CENTESIMI FRUCTUS, &c.

Ita Prodentius lib. citato, de Virginibus agens:

Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus.

Vide superius annotata.

Nota 613. AD ANCILLAS DEI VELANDAS.

Olim Virgines Deo sacræ solemni ritu velabantur. Præter locus supra citatos, id etiam videre est apud S. Hieronymom lib. 1. epist. 48. ad Sabinianum: *Post Apostoli Petri basilicam, in qua Christo flammeolo consecrata es*. Et Prudentium lib. citato:

Sunt & Virginibus pulcherrima præmia nostris,

Et pudor, & sancto tectus velamine vultus.

Id autem fiebat post diuturnam Virginitatis probationem, eo quod in ejusmodi velatione propria quædam sit Virginis consecratio, & strictissima cum Christo Sponso conjunctio. Quocirca olim Virgines ante annum ætatis suæ quadragesimum non velabantur, ut statuitur in Concilio Agathensi can. 19. *Sanctimoniales, quamlibet vita earum & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur*; & in Concilio Cesar-Augustano can. 8. *Item lectum est non velandas esse Virgines, quæ se Deo voverint, nisi XL. annorum probata ætate*; & in Novella Majoriaoi: *Sancimus filias quas pater materve a seculari permixtione translatas, Christianæ fidei servare præcepta continuata Virginitate censuerint, non ante suscepto honorato velamine consecrare, quam quadraginta annos ætatis emensæ, talibus infulis inoffensa meruerint observatione decorari*,

Nec obstat id qood statuit S. Basilius epist. 1. ad Amphilochium can. 18. ut Virginum ὁμολογία id est, professio excipiatur anno ætatis 16. vel 17. Siquidem susceptio veli a professione seu voto Virginitatis distincta est; nec semper eodem tempore ista agebantur, sed aliquando diversis temporibus, ut clarum est ex Concilio Cæsaraugustano supra citato, in quo votom Virginitatis, & susceptio veli distinguuntor. Et ex epist. 1. S. Innocentii Papæ ad Victricium Rothomagensem Episcopum cap. 12. & 13. *Item quæ Christo spiritualiter nupserunt, & velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint: non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi iis, cui se conjunxerant, de seculo decesserit*, &c. *Hæ vero quæ nondum sacro velamine tectæ, tamen in proposito Virginitatis semper manere promiserint, licet velatæ non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est*, &c.

Præter velum solebant mitra seu mitrella Virgines ornare caput, quæ erat ex lana, auro, purpuraque contexta, ut videre est apud Optatum Milevitanum lib. 2. adversos Parmeoianum: *Interea supra memoratus Felix inter crimina sua & facinora nefanda, ab eo comprehensam puellam, cui mitram ipse imposuerat, a qua paulo ante Pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit*. Et lib. 6. *Idem illud quam stultum, quam vanum, quod ad voluntatem, & quasi ad dignitatem vestram vocare voluisti: ut Virgines Dei agerent pœnitentiam discentes; ut jamdudum professæ signa voluntatis capitibus postea, vobis jubentibus, immutarent: ut mitrellas aureas projicerent, alias acciperent*. Et paulo post: *Nec ulla sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitrella fieret, aut de qua purpura pingeretur; non enim in panno hoc potest Virginitas adjuvari*. Idque faciebant ad sponsarum imitationem; ut repudiatis seculi viris se Christo nupsisse indicarent, ut constat ex eodem Optato ibidem: *Et tamen Virginitas si illæsa sit, sine mitrella tuta esse potest. Spiritale nubendi hoc genus est; in nuptias Sponsi jam venerant voluntate & professione sua, & ut secularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent*.

Aliam causam profert S. Isidorus lib. 2. de Offic. Eccl. cap. cap. 16. ubi & velum a mitra distinguit; *Quæritur cur feminæ Virgines in benedictione velentur, quarum hæc causa est. In gradibus enim vel Officiis Ecclesiasticis feminæ nullatenus præscribuntur. Nam neque permittitur eis loqui in Ecclesia, vel docere; sed neque tingere, vel offerre aliquid virilis muneris, aut sacerdotalis officii sortem sibi vindicare. Ideoque hoc tantum, quia Virgo est, & carnem suam sanctificare proposuit, idcirco venia fit illi, ut in Ecclesia notabilis vel insignis introeat, & honorem sanctificati corporis in libertate capitis ostendat, atque mitram quasi coronam Virginalis gloriæ præferat in vertice*. Quæ omnia fere sumta sunt ex Tertulliano lib. de velandis Virginibus, & male apud S. Isidorum legitur: *Contingere*, pro, *tingere*.

De Virginum mitra illud ejusdem Isidori lib. 19. Originum cap. 31. intelligendum est: *Mitra est pileum phrygium caput protegens, quale est ornamentum capitis devotarum*. Ubi devotæ sunt Virgines Deo dicatæ & consecratæ, quemadmodum in Concilio Toletano 1. can. 16. *Devotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit*. Et can. 19. *Episcopi, sive Presbyteri, sive Diaconi filia, si devota fuerit, & peccaverit, & maritum duxerit*, &c. Unde Virgo devota, & Virginitas devota Ausonio dicitur in Parentalibus epig. 7.

Æmilia Hilaria matertera Virgo devota:
Feminei sexus odium tibi semper, & inde
Crevit devotæ Virginitatis amor.

Quia vero mitra appellatur *pileum phrygium*, inde factum est, ut mitra, seu tiara Romani Pontificis appellata sit *frigium*, vel potius *phrygium*, juxta correctiorem orthographiam. Sugerius Abbas S. Dionysii in vita Ludovici Grossi Francorum Regis agens de Alexandro Papa secundo: *Cumque Turonis apud S. Martinum, ut mos est Romanis, Frigium ferent, Lætare Hierusalem celebravit*. Ubi male legitur, *Friguum*. Et infra agens de Calixto II. Papa, ubi describitur ejusmodi phrygium: *Ibique more Romano seipsos præparantes multo & mirabili ornatu, circumdantes capiti ejus Fugium* (leg. *Frigium*) *ornamentum imperiale instar galeæ circulo aureo circumcinctum imponunt*.

Tandem Virginum crines sparsi & soluti erant instar sponsarum, ut manifestum est ex eodem Optato lib. 6. *Spiritali Sponso solverant crinem, jam cælestes celebraverant nuptias*; & infra: *Invenistis igitur hujusmodi Virgines quæ jam spiritaliter nupserant: quasi secundas coegistis ad nuptias; ut crines iterum solverent, imperastis*. Nam Schismatici Catholicas Virgines ad suas partes raptas vel allectas, pœnitentia prius imposita, iterum consecrabant. Ex hoc Optati loco manifestum est olim Virgines non fuisse tonsas, quod etiam confirmatur ex S. Ambrosio cap. 8. lib. ad Virginem lapsam: *Amputentur crines qui per vanam gloriam occa-*

occafionem luxuriæ præftiterunt. Ibi enim injungit Virgini lapfæ pœnitentiam acturæ de peccato crinium tonfionem, juxta prifcum morem, quem etiam obfervare eft ex lib. 6. Optati, quod fignum eft eam ante lapfum intonfam fuiffe; & ex S. Hieronymo epift. ad Sabinianum, ubi refert de quadam Virgine Romæ profeffa, quæ cum Bethlehem veniffet ut morem gentis fervaret, tonfa eft, crinemque amatori Sabiniano dedit. Et ex Concilio Gangrenfi can. 17. *εἴ τις γυναικῶν διὰ τὴν νομιζομένην ἄσκησιν ἀποκείροιτο τὰς κόμας*, &c. *ἀνάθεμα ἔστω*. id eft, fi qua mulier propter eam quæ exiftimatur exercitatio, id eft ob vitam monachicam tondeat comam, &c. excommunicetur.

At contrarius ufus fuit in partibus Ægypti & Syriæ: fiquidem illic olim fanctimoniales feu virgines feu viduæ tondebantur, ut docet S. Hieronymus epift. citata: *Moris eft Ægypti & Syriæ monafteriis, ut tam Virgo, quam vidua, quæ fe Deo voverint, & feculo renuntiantes omnes delicias feculi conculcarint, crinem monafteriorum matri offerant defecandum*. Refertque caufam, ne a pediculis opprimantur, quia balnea non adeont, nec oleo unguntur. Quod hodie apud nos obfervatur, etiam apud Græcos, ut fcribit Theodorus Balfamon in canonem citatum.

Nota 614. ORATIO AD AEBATXM FACIXNDUM.

Ritum ordinandi tum Abbatis, tum Abbatiffæ, quære in Ordine Romano.

Nota 615. HEBDOMADA SACUNDA.

Sequitur Ordo Hebdomadarum per annum a Pentecofte ufque ad Adventum Domini. In editis legitur: *Dominica II. III. IV.* & fic deinceps.

Nota 616. POST TEMPORA FELICITER DILATATA.

Id eft, poft vitam longam feliciter ductam.

Nota 617. ET SOLUM SINE PECCATI MACULA SACERDOTEM.

Juxta illud Apoftoli ad Hebræos. 7. *Talis enim decebat ut nobis effet Pontifex fanctus, innocens, impollutus, fegregatus a peccatoribus*, &c.

Nota 618. CUJUS EST TOTUM, QUOD EST OPTIMUM.

Tò *optimum* hoc loco bonom fignificat, eftque phrafis Græca, fuperlativum pro pofitivo. Etenim omne bonum, in quocumque gradu & differentia confideretur, Dei eft, & a Deo eft. Unde Jacobi cap. 1. juxta textum Græcum, omno datum bonum, & omne donom perfectum defurfum eft: *Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι*. id eft in verfione communi, omne datum optimum, pro pofitivo, ut habetur in textu Græco. Et optime S. Jacobus datum bonum, & datum perfectum, id eft optimum, Deo attribuit. Quia omne bonum, qualecumque fit, Dei eft, & a Deo eft. Unde Marcus Philofophus Imperator dicere folebat *πάντα ἄνωθεν*. id eft, omnia defurfum, ut refert Dio Prufæus.

Nota 619. TIBI LITARE.

Litare eft facrificare hoc loco a *λιτή*, id eft, oratio, ut docet Feftus.

Nota 620. SANXISTI.

Hoc eft, fanctificafti. Sancire aliquando eft fanctificare. Tertullianus libro de refurrectione carnis: *Anima non lavatione, fed refponfione fancitur*. Et lib. de jejunio, ex Joele: *Joel exclamavit: fancite jejunium*. Nam facrificia veteris Legis fuam dignitatem & fanctitatem emendicant ab Euchariftico novæ Legis facrificio, ut figura a fuo prototypo.

Nota 621. UT QUOD SINGULI OBTULERUNT.

Ita loquitur, quia fideles in Miffarum folemniis communicaturi, finguli panem & vinum in fuam communionem offerebant; qua de re infra.

Nota 622. SPIRITUM COGITANDI QUÆ RECTA SUNT.

Recte Spiritom cogitandi quæ recta funt petit Ecclefia, quia nulla eft fine Dei auxilio in homine bona cogitatio, juxta illud Pauli 2. ad Cor. cap. 3. *Non quod fufficientes fimus cogitare aliquid a nobis, quafi ex nobis: fed fufficientia noftra ex Deo eft*. Ubi in his verbis, *ne quod*, eft anaftrophe, pro, *quod non*. Nam reddit caufam cur fiduciam debeamus habere per Chriftum ad Deum, eo quod non fimus fufficientes cogitare aliquid recti vel fancti, videlicet a nobis, quafi ex nobis. Ita diffinitur in Concilio AraufICANO 2. can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad falutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, five falutari, id eft Evangelicæ prædicationi confentire poffe affirmat, abfque illuftratione & infpiratione Spiritus fancti, qui dat omnibus fuavitatem in confentiendo, & credendo veritati, hæretico fpiritu fallitur*.

Nota 623. PERTINERE. Id eft, pertingere.

Nota 624. SUBRIPIENTIUM.

Pro *τὸ fubrepentium*, quod paffim occurrit in veteribus codicibus manufcriptis.

Nota 625. OPUS NOSTRÆ REDEMTIONIS EXERCETUR.

Tum quoad repræfentationem, quia facrificiom altaris incruentum, eft rememorativum facrificii cruenti, quod in ara crucis confummatum eft: tum quoad applicationem, quia per altaris facrificium, nobis applicatur paffiunis Chrifti meritum.

Nota 626. ET TERRORE COGAS.

Non quod Deus per terrorem inferat vim voluntati, tollatque liberi ufum arbitrii: fed juxta vulgarem loquendi modum hæc dicuntur, ot cum minitando alicui dicimus: nifi id fponte feceris, invitus facies.

Nota 627. ET FACTUM EST VISIBILE QUOD LATEBAT.

Nempe mundus, qui cum in divinis Ideis lateret, a Deo creatus, vifibilis factus eft.

Nota 628. ECCLESIAM TUAM INTER ADVERSA CRESCERE TRIBUISTI.

Id tot Martyriorum experientis patet, teftaturque S. Juftinus Martyr, in dialugo cum Tryphone Judæo, ubi Ecclefiam puchre viti comparat, ex qua fi quis excidat fruticantes furculos, ut alios virides & fructiferos palmites proferat, efficiet. Tertullianos ad Scapulam: *Nec tamen deficiet hæc fecta; quam tu magis ædificari fcias, cum cædi videtur*. Et S. Nilus homil. 2. de Chrifti Afcenfione: *τὰ τῆς Ἐκκλησίας κατατεμνόμενα κλήματα, καὶ τὸν τῆς πίστεως μᾶλλον ἐπεδίδου καρπὸν, καὶ αὐτὸν ἀμάραντον ἔφερε*. id eft, Ecclefiæ palmites fuccidebantur, & froctus fidei magis progreffus eft, & florem immarceffibilem ferebat.

Nota 629. ET QUI VOBIS TRIBUIT SUPPLICANDI AFFECTUM.

Supplicandi affectus a Deo tribuitur, quia fine Dei gratia Deo fupplicare poteft nemo. Quo fpectat illud Concilii AraufICANI II. can. 3. *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei poffe conferri, non autem ipfam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Ifaiæ Prophetæ, vel Apoftolo idem dicenti: inventus fum a non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant*.

Nota 630. MUNERE. Id eft, gratia.

Nota 631. NOSTRIS SENSIBUS.

Id eft, noftris opinionibus pleromque fallacibus & erroneis.

Nota 632. UT NON NOSTER SENSUS IN NOBIS, &c.

Id eft, ut non ducamur noftris cupiditatibus, fed cæleftis gratiæ operatione. *In nobis*, id eft *nos*: phrafis Hebraica.

Nota 633. UT QUOD IMMERITIS CONTULISTI, &c.

Id eft, ot bonam voluntatem tibi ferviendi, quam nobis contulifti per tuam gratiam, ad effectum redigas.

Nota 634. MERITORUM. Id eft, peccatorum. Vide fupra in Canonis Miffæ expofitione.

Nota

Nota 635. GARIMUS. Id est, administramus, operamur.

Nota 636. INDAMNES.

Id est, nulli damnationi ob aliquod crimen aut reatum obnoxii, hujusce mundi adversis patienter propter Deum toleratis.

Nota 637. PER HUJUS SACRIFICII VENERANDA COMMERCIA.

Hæc metaphorice dicta sunt. Et sensus est per sacrificia, vel pro sacrificiis quæ Deo offerimus, veluti mutuo quodam commercio, ille nos summæ suæ divinitatis participes facit.

Nota 638. ET PRÆSENTIÆ CORPORALIS MYSTERIIS NON DESERAT, &c.

Hæc duo verba *deserat* & *relinquat*, videntur hoc loco sumi pro destituat, privet.

Nota 639. REQ. BEN.

Id est, require benedictionem, nempe in Hebdomade præcedente.

Nota 540. HEBDOMADA V. ANTE NATALE DOMINI.

Ita in excusis. In codice Remensi habentur etiam quinque Dominicæ seu Hebdomadæ de adventu Domini eodem numerandi ordine, de quibus hæc habet Amalarius lib. 3. de Offic. Ecclesiast. cap. 40. de Adventu: *In antiquis libris Missalium, & Lectionariorum, reperitur scriptum: Hebdomada quinta ante Natalem Domini. Totidem enim lectiones habentur in Lectionario, & totidem Evangelia a tempore memorato per dies Dominicos usque ad Nativitatem Domini*. In codicibus Rodradi & Ratoldi, & apud Pamelium sunt [a] quatuor dumtaxat Hebdomadæ & Dominicæ de eodem Adventu Domini, converso numerandi ordine: itaut ea quæ remotior est a Natali Domini prima Dominica, seu Hebdomada appelletur; quæ vero proxima est, dicatur quarta. Et Berno Augiensis cap. 4. libri de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, scribit hanc esse Dominici Adventus rationem in Gregorianis codicibus: quod tamen vix mihi persuadere possum, cum editi ex Vaticano, Remensis, & S. Eligii codices, qui Gregoriani sunt, reclament. In Missis Ambrosianis apud Pamelium sex videre est Dominicas de Adventu Domini: quia ibi Dominica prima Adventus proxime sequitur festum S. Martini. Quod etiam testatur Radulphus Tungrensis propositione XVI. *Ambrosianus Adventus habet sex Septimanas, & incipit Dominica post Martini*. Hoc officium institutum est pro reverentia Natalis Domini, quemadmodum & jejunium, quod varium fuit pro diversitate temporum & locorum. S. Perpetuus Turonensis Episcopus, inter cetera jejunia per anni curriculum instituit: *A depositione domni Martini usque Natale Domini terna in septimana jejunia*, ut refert S. Gregorius Turonensis lib. 9. hist. In Concilio Matisconensi I. celebrato sub Gunthramno Rege, anno 581. can. 9. *Statuitur, ut a feria S. Martini ad Natale Domini secunda, quarta, & sexta sabbati jejunetur*. Lib. 6. Capitul. Regum Caroli & Ludovici tit. 183. statuitur jejunium quadraginta dierum ante Natale Domini: *Quare admoneant sacerdotes ut jejunia tria legitima in anno agantur, id est quadraginta dies ante Nativitatem Domini, & quadraginta ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, & post Pentecosten quadraginta dies*. De eodem jejunio agit Rabanus lib. 2. de institutione Clericorum cap. 22. *Hac ergo auctoritate divinæ Scripturæ Ecclesia morem obtinuit, & universale jejunium hac observatione celebrat. Quod tamen jejunium incipiens a nono mense in decimum extenditur, id est usque ad Natalem. Congrua itaque dispositione a magistris Ecclesiæ hoc loco jejunium quadragesimale constitutum est, ut ante diem Natalis Domini jejunio & abstinentia nos castigemus*.

In Kalendario quod præfigitur Sacramentario Ratoldi Abbatis XVIII. Kalendas Novembris notatur Quadragesima ante Natale Domini. S. Cutbertus Lindisfarnensis Episcopus quadraginta ante Natale Domini dies jejunare solebat, ut scribit Beda in ejus vita cap. 42.

Eamdem etiam jejunii consuetudinem observant Græci, ut manifestum est ex Georgio Codino, libro de Officiis palatii Constantinopolitani, ubi agens de cæremoniis mensæ Imperatoriæ in Natali Domini sic scribit: καὶ ποιῶν εὐχὴν ἐπὶ τῆς τραπέζης διὰ τὸ τὴν τεσσαρακοστὴν παρελθεῖν, ἀρχὴν δὲ κρεωφαγίου λαβεῖν, λαμβάνει ἄρτον καὶ ἔμβρωτον. id est, & facta oratione ad mensam; quia præterita Quadragesima, principium temporis quo eduntur carnes advenit, accipit panem & missum. Ad cujus distinctionem ab eodem Codino infra Quadragesima Paschalis appellatur ἁγία καὶ μεγάλη τεσσαρακοστή. id est, sancta & magna Quadragesima. Quod tamen jejunium Quadragesimale ante Natalem Domini non est apud Græcos adeo antiquum. Non erat enim tempore Concilii Trullensis, imo nec Theodori Balsamonis ætate, qui floruit anno Domini 1191. Ita enim scribit ad can. 52. præfati Concilii: σημειώσαι οὖν καὶ ἀπὸ τοῦ παρόντος κανόνος, ὅτι κυρίως μία ἐστὶ τεσσαρακονθήμερος, &c. id est, *Nota autem ex hoc canone, quod proprie est una Quadragesima. Si enim alia esset, cautum fuisset ne in illa fieret sacrum mysterium per perfectum sacrificium, sed per præsanctificata; quemadmodum quoque cautum est ne fiat in magni Paschæ Quadragesima*. Hæc ille, quæ sane non scripsisset, si tum Natalis Domini Quadragesima apud Græcos in usu fuisset.

Alter olim monachi in Gallia. Siquidem in Concilio Turonensi celebrato anno 567. sub Chariberto Rege, decernitur ut monachi, juxta antiqua statuta, *de Decembri usque ad Natale Domini omni die jejunent*. Romani olim exordium Adventus a Dominica post festum sanctæ Catharinæ Virginis ducebant, ut testatur Radulphus Tungrensis propositione 16. *Adventus Domini apud Romanos incipit Dominica prima post crastinum Catharinæ*. Quod etiam de jejunio intelligendum est. Nam paulo post subjungit: *Apud Romanos etiam in Adventu Domini jejunium agitur*. Sed hoc Adventus spatium non adeo antiquum est apud Romanos, cum festum S. Catharinæ non reperiatur in antiquis Sacramentariis: ut nec hodiernum, quod constat tribus Hebdomadibus integris & aliquot diebus sequentis: quodque proinde frustra quidam putant ita fuisse institutum a S. Petro. Huic enim sententiæ adversantur antiquiora Sacramentaria supra citata, in quibus Adventus Domini est quinque Dominicarum.

Nec audiendus est quidam recentior, qui, ut probet antiquitatem Adventus Domini, hunc producit locum S. Johannis Chrysostomi ex homil. 3. in epist. ad Ephesios: *Si ingrueret, inquit, solemnis Epiphaniæ dies: addo etiam si tempus Adventus Domini sacri, nedum Epiphaniæ, & Quadragesimæ*. Sed ista nihil efficiunt, nec sensum auctoris assequuntur, ut constabit ex textu Græco: ἂν ἐπιστῇ, φησίν, ὁ τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς καιρὸς, οἷος ἂν ᾖ τις, μετέχει τῶν μυστηρίων· ἂν ἐπιστῇ τῶν Ἐπιφανίων ἡμέρα, καίτοι καιρὸς οὐ τοῦτο προσόδου. οὐ Ἐπιφάνεια, οὐ τεσσαρακοστὴ ποιεῖ ἀξίους τοῦ προσιέναι, ἀλλὰ ψυχῆς εἰλικρίνεια καὶ καθαρότης. id est, si advenerit, inquit, tempus Quadragesimæ, qualiscumque quispiam fuerit, mysteriorum fit particeps. Si advenerit dies Epiphaniæ. Atqui hoc in tempore accedendi minime situm est. Non Epiphania, non Quadragesima dignos faciunt, qui accedant. Hoc in loco invehitur in illos, qui raro Eucharistiam sumebant, dicebantque se eam in Epiphania & Quadragesima sumturos: quibus respondet hoc in tempore quo acceditur ad sacram mensam, situm non esse; cum ejusmodi homines quales fuerint sive in Epiphania sive in Quadragesima, ad communionem accedere soleant: & Epiphaniam, & Quadragesimam non facere dignos, sed sinceritatem & puritatem animæ. Est ergo hic dialogismus inter desidem qui moram trahit in sumenda Eucharistia, & S. Johannem Chrysostomum. Piger enim ait, si venerit tempus Quadragesimæ, ad sacram mensam accedam videlicet; respondet S. Doctor, qualis

a In vet. Sacram. Gallic. sunt tantummodo tres.

qualis quiſque tum fuerit, fit myſteriorum particeps. Dicit piger, in Epiphania; ſubaudi, accedam ad communionem. Reſpondet S. Doctor, hoc in tempore accedendi minime poſitum eſt: nam Epiphania & Quadrageſima non dignos faciunt, &c.

Nota 641. EXCITA, DOMINE, POTENTIAM TUAM, &c.

In codice Remenſi adjicitur altera. *Conſcientias noſtras, quæſumus, omnipotens Deus, quotidie purifica*, &c. ut in Miſſali Romano.

Nota 642. PRIMI ADVENTUS MYSTERIUM, &c.

In codice Remenſi eſt alia Præfatio: *Qui nos tamquam nutrimentis inſtruet parvulorum, diſpenſatis mentis & corporis alimentis*, &c.

Nota CUI PROPRIUM AC SINGULARE QUOD BONUS ES.

Per eſſentiam videlicet. In codice Ratoldi Abbatis eſt Præfatio ſuperioris Miſſæ.

Nota 644. CONSTET ESSE PERFECTUM.

In eodem codice pro his verbis legitur, *proficiatur*, Corrupte. Sed legendum eſt, *perficiatur*.

Nota 645. QUOD VATUM ORACULIS FUIT ANTE PROMISSUM.

In codice Remenſi legitur, *Quod per verbi Dei Evangelium promiſiſti*.

Nota 646. PERCIPIANT DIGNITATEM ADOPTIONIS. &c.

In eodem codice aliter legitur, in hunc modum: *Et habeat plenitudo adoptionis quod pertulit teſtificatio veritatis*. Et in eodem codice ſequuntur aliæ tres Miſſæ, quæ deſunt in excuſis, & in codicibus noſtris mſſ.

Nota 647. QUI TUO INENARRABILI MUNERE PRÆSTITISTI, &c.

In cod. Ratoldi eſt alia Præfatio: *Cui proprium eſt, & ſingulare, quod bonus es*, &c. ut ſupra. Item in codice Remenſi: *Cui proprium eſt veniam delictis impendere*, &c. ut in Ordine Miſſæ Ambroſianæ, Dominica IV. Adventus.

Nota 648. ANTIQUÆ VIRGINIS.

Id eſt, Evæ; quia Paradiſus terrenus omni libidinis contagione caruit, ut vulgo theologi docent.

Nota 649. DEUS CUJUS ADVENTUS, &c.

Id codice Ratoldi deeſt vocabulum, *Deus*.

Nota 650. ALIA AD MISSAM.

In codice Remenſi legitur, *Poſt benedictionem*, id eſt poſt Canticum, *Benedicite omnia opera Domini*.

Nota 651. DOMINICA PRIMA ANTE NAT. DOM.

In codicibus Remenſi, Rodradi, & Ratoldi legitur, [a] *Dominica vacat*.

Nota 552 ORATIONES DE ADVENTU.

In cod. Rem. pauciores quam hic, reperiuntur. Non [b] extant in codicibus Rod. & Ratoldi.

Nota 653. ORATIONES PRO PECCATIS.

Plures ſunt in codice Rodradi Presbyteri: ſed in codicibus Remenſi & Ratoldi Abbatis nullas reperire eſt.

Nota 654. ORATIONES QUOTIDIANÆ.

Non extant in codicibus Remenſi & Ratoldi. Plures ſunt in codice Rodradi. Exiſtimo has orationes olim dictas fuiſſe in feriis communibus.

Nota 655. ORATIONES VESPERTINALES.

In codice Rodradi legitur: *Orationes matutinas, ſeu veſperinales*. In quo, etſi multo plures ſint quam hic, nulla tamen harum quatuor extat: & quæ ibi habentur, a ſuo titulo diſſident. In codicibus Remenſi & Ratoldi nullæ ſunt.

Nota 656. ORATIONES AD CRUCEM.

Deſiderantur in aliis codicibus noſtris mſſ.

Nota 657. ORATIONES AD COMPLETORIUM.

Neque iſtæ reperiuntur in aliis codicibus noſtris mſſ.

Nota 658. ORATIONES MATUTINALES.

Pauciores ſunt in codice Rodradi, nullæ in codicibus Remenſi & Ratoldi Abbatis.

Nota 659. AD MATUTINOS LUCESCENTE DIE.

Iſtæ orationes deſiderantur in aliis codicibus noſtris mſſ. ut & ſequens oratio ad primam.

Nota 660. AD CLERICUM FACIENDUM.

Mos eſt vetuſtus Eccleſiæ Romanæ, ut clericalis dignitas per comæ tonſuram tribuatur. Unde Arator Epiſt. ad Parthenium:

Namque ego Romanæ caulis permixtus amœnis
Eccleſiæ, tonſo vertice, factus ovis.

Idque ante ullam ordinum ſuſceptionem, ut clarum eſt ex vita S. Germani Autiſiodorenſis Epiſcopi, auctore Conſtantio Presbytero: *Glomerata ſecum turba Clericorum atque nobilium, injiciens manus apprehendit Germanum, et invocato nomine Domini cæſariem ejus capiti detrahens, habitu Religionis, rejectis ſecularibus ornamentis, cum promotionis honore induit*. Et S. Patrocli Abbatis, auctore S. Gregorio Turonenſi: *Abiit ad Arcadium Biturigæ urbis Epiſcopum, petiitque ſibi comam capitis tonderi acciique in Ordinem Clericorum; quod Epiſcopus, Domino volente, ſine mora complevit; nec multo poſt primus Diaconatus officium ſumens*. Unde in teſtamento S. Remigii dicitur: *Et ſi quis in Ordine Clericali a Presbytero uſque ad tonſum*, &c. Aliter Græci; nam apud eos in Lectoris ordinatione, qui gradus modo ex minoribus ſolus ordinibus apud eoſdem confertur, tonſura clericalis datur, ut videre eſt in eorum Euchologio in Lectoris ordinatione: *προσαγόμενος τῷ Ἀρχιερεῖ ὁ τοιοῦτος, εἰ μὲν κοσμικός ἐστι μετὰ ἱματίου εἰ δὲ μοναχὸς, μετὰ μανδύου καὶ σφραγίζεται τρίτον τὴν κεφαλὴν παρὰ τοῦ Ἀρχιερέως, καὶ κείρεται παρ' αὐτοῦ σταυροειδῶς, λέγοντος*, &c. id eſt, talis adducitur ad Pontificem, ſi quidem ſecularis eſt, cum veſtimento ſuo; ſi vero monachus, cum pallio monachico: & ter ſignatur in capite a Pontifice, & tondetur ab eo in modum crucis, dicente, &c. Id patet etiam ex vita S. Euthymii Abbatis: *Cum eum baptizaſſet, & pilos, qui ex Lege tondentur pueris, totondiſſet, in gradum Lectorum eum cooptat*. *Apud Sur. 20. Januar.*

Mos tamen ille non videtur univerſalis, quia in ſeptima Synodo can. 14. videmus pueros per tonſuram in Clerum allectos fuiſſe, qui tamen Lectores non erant per manuum impoſitionem ab Epiſcopo ordinati, etſi de ſuggeſtu publice in Eccleſia legerent, quod vetat Synodus, ſtatuens ne deinceps ejuſmodi Clerici in Eccleſia legere præſumant, niſi prius Lectores ab Epiſcopo fuerint inſtituti.

Tonſuræ Eccleſiaſticæ auctor fuit S. Petrus Apoſtolorum Princeps, ut teſtatur S. Gregor. Turonenſis lib. 1. de miraculis cap. 28. *Petrus Apoſtolus ad humilitatem docendam caput deſuper tonderi inſtituit*: idque ad inſtar coronæ ſpineæ Domini noſtri, ut docet Beda lib. 5. hiſt. Angl. cap. 22. quam coronæ formam improbans quidam recentior, & locum Bedæ miſero diſtorquens, eo devenit ut ſcriberet tempore S. Iſidori: *Duas clericos habuiſſe tonſuras, alteram in ſummo vertice, alteram inferius circum tempora: illaque tiaram ſacerdotalem, hæc vero regum diadema*,

a In noſtris mſſ. ita legitur.

b In Theod. & Gemet. multæ ſunt orationes de Adventu a vulgatis plerumque diſcrepantes. Verum ab iſtis Manuſcriptorum codicum differentiis annotandis abſtinendum duximus.

dema ſignificari, idque auctoritate ipſius S. Iſidori, & apertiſſime quidem, ut loquitur. Sed illius hallucinationem ipſa S. Iſidori verba lib. 2. de Officiis Ec. cap. 2. apertiſſime demonſtrant: *Quod vero detonſo capite ſuperius, inferius circuli corona relinquitur, ſacerdotium regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo ſignari. Tiara enim apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotis, hæc ex byſſo confecta rotunda erat, quaſi ſphæra media; & hoc ſignificatur in parte capitis tonſa. Corona autem latitudo eſt aurei circuli, quæ regum capita cingit.* Ubi, amabo, hic tonſura duplex? Unica ſane eſt, capitis ſuperius videlicet detonſi quo tiara exprimitur, non ſummi apicis, ut hodie fit, at vero inferior circulus capillorum coronam ſignificat.

Hæc eſt ſane antiqua corona S. Petri & priſcorum Clericorum referens coronam Chriſti ſpineam, quam etiam videre eſt in Concilio Toletano 4. can. 40. *Omnes Clerici vel Lectores ſicut Levitæ & Sacerdotes detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant. Non ſicut huc uſque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent*, &c. Quæ verba nihil aliud ſonant quam S. Iſidori dicta, quæ ſane clara ſunt ac manifeſta, neque a Bedæ ſententia diſſident, qui unicam agnoſcit in Clericis tonſuram, non duplicem. Conſule obſervationes noſtras ad Concordiam Regularum cap. 62. §. 10.

Nota 661. ORATIONES ET PRECES, SUPER POENITENTUM CONFITENTEM, &c.

Hæ orationes non ſunt in loco ſibi debito, qui eſt feria quarta Quinquageſimæ, in capite jejunii, ut in cod. Rod. & Rat. & in Ord. Rom. Unde in cod. Rod. recte additur, *Feria IV. in Quinquageſima*. In qua dicebantur hujuſmodi orationes ſuper eum qui peccata ſua confeſſus eſſet, ut videre eſt in Ord. Rom. & in codice Ratoldi ex quo hanc aſſumendæ pœnitentiæ rationem proferam: *Feria IV. capite jejunii. Incipit ordo ad dandam pœnitentiam. Pſal.* Domine, ne in furore tuo. *II. Per totum.* Exaudi, Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, &c. *Inde dicit alium Pſalmum*: Benedic anima mea Domino, *uſque*, renovabitur ut aquilæ juventus tua. *Oratio*: Adſit, quæſumus, Domine, huic famulo tuo inſpiratio gratiæ ſalutaris. *Pſalm.* Miſerere mei, Deus, *uſque*, redde mihi lætitiam. *Oratio*: Præveniat hunc famulum tuum, &c. *Pſalm.* Quid gloriaris in malitia, *uſque*: videbunt Juſti. *Oremus*: Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris; nec ſit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miſeratio, &c. *Pſalm.* Deus in nomine tuo, *totum*. *Oremus*: Domine, Deus noſter, &c. *Deinde Oratio*: Pater noſter, & *Verſ.* Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum. Et anima mea turbata eſt valde. Convertere, Domine, & eripe animam meam. Domine, vide humilitatem meam & laborem. Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. Domine, exaudi. *Oremus*. Da quæſumus, Domine, huic famulo tuo continuam purgationis ſuæ obſervantiam, &c. *Alia oratio*: Deus cujus indulgentia nemo non indiget, &c. *Modo ſurgendi ſunt. Benedictio cineris*: Deus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſime reſpice, &c. *Alia*: Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare ſupplicibus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cælis, qui ✠ benedicat & ✠ ſanctificet cineres iſtos, &c. *Hic mittit cineres ſuper capita eorum cum aqua benedicta: & expellantur extra Eccleſiam. Incip. Reſp.* In ſudore. Et proſternent ſe ante oſtium, *Pſalm.* Inclina, Domine. *Oratio*: Precor, Domine, clementiæ & miſericordiæ tuæ majeſtatem, &c. *Et poſtmodum eant in circuitu Eccleſiæ cantando Antiphonam.*

In codice Remenſi hæc habentur eadem feria: *De agentibus publicam pœnitentiam feria IV. mane in capite Quadrageſimæ. Et cooperis eum cilicio, oras*

A *pro eo, & includis uſque ad cœnam Domini. Qui eodem die in gremio præſentatus Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terram; & dat orationem Pontifex ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria, Cœna Domini. Orationes & preces ſuper pœnitentem*, ſubaudi confitentem peccata ſua. De hac pœnitentiæ aſſumtione feria IV. in capite jejunii agitur in Concilio Meldenſi cap. 76. ubi præſcribitur, ut nemo Comitum, aut quiſquam ex judiciaria poteſtate, placitum aut mallum tenere præſumat: *Poſt quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes pœnitentes manuum impoſitionem, ad vacandum ſolum pœnitentiæ & divinis Officiis, accipiunt.* Idem videre eſt apud Burchardum lib. 19. cap. 2.
B *Preſbyteri admonere debent plebem ſubiectam, ut omnis qui ſe ſentit mortifero peccati vulnere ſauciatum, feria IV. ante Quadrageſimam cum omni feſtinatione recurrat ad vivificatricem matrem Eccleſiam: ubi quod male commiſit, cum omni humilitate & contritione cordis ſimpliciter confeſſus, ſuſcipiat remedia pœnitentiæ ſecundum modum canonicis auctoritatibus præfixum.* Quæ quidem citantur ex divo Auguſtino, ſed falſo. Nam iſta nihil minus, quam Auguſtinum ſapiunt, tum propter ſtilum, tum quia tempore S. Auguſtini non expectata hac feria IV. omni tempore pœnitentia offerebatur. In Ordine Romano eadem feria IV. habetur etiam ordo ad dandam pœnitentiam. In codice mſ. Monaſterii S. Remigii extat: *Ordo ad pœnitentiam dandam, ſicut ſancti Patres conſtituerunt*. Incipitque ab interrogationibus circa fidem: *Credis in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum*, &c. ut apud Burchardum lib. 19. cap. 4.
C

Quod autem ſupra in codice Ratoldi ſcriptum eſt, cineres immitti in capita pœnitentium, eoſque aqua benedicta luſtrari, id fit ex antiquo more qui habetur in Concilio Agathenſi apud Burchardum lib. 19. cap. 26. & Ivonem par. 15. decreti cap. 45. *Tunc ſacerdos ab oratione, juxta quod Canones jubent, manus eis imponat; aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat.* Et videtur apud Optatum Milevitanum lib. 6. adverſus Parmenianum, ubi agens de Schiſmaticis, qui Virgines Catholicas pœnitentiam ſuſ-
D cipere cogebant: *Cum conſecratas Deo aſperſiſtis immundis cineribus, crines juſſiſtis etiam aqua ſalſa perfundi*. Etſi enim Schiſmatici eſſent, tamen quoad ritus ſacros ab Eccleſia non diſſidebant. Idem patet de cinere ex Tertulliano lib. de pœnitentia: *In aſperitudine ſacci & horrore cineris*. S. Iſidoro lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 16. *Cinere autem aſperguntur, ut ſint memores, quia cinis & pulvis ſunt*. Et codice Tiliano: *Deinde mittendus eſt cinis ſuper caput pœnitentis, dicendo: memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Ex quo manavit ritus imponendi cineres capitibus Chriſtianorum in feria IV. in capite jejunii, dicendo: *memento homo*, &c. qui utinam cum vera cordis contritione ſuſciperentur.

E In cod. Rem. ſupra laudato pœnitentes cilicio induuntur, quod eſt pœnitentium veſtis. Idem videre eſt in loco citato Concilii Agathenſis: *Deinde cilicio capita eorum cooperiat*. Et apud S. Eligium ſerm. 8. *Cur ego in ſiniſtra parte Eccleſiæ poſiti eſtis? Non ſine cauſa aſus Eccleſiæ hoc obtinuit: Verum quia Dominus in judicio oves, hoc eſt juſtos a dextris, hædos vero, id eſt peccatores a ſiniſtris ponet. Hædi enim ſignificant peccatores. Unde & cilicia quæ ſunt indumenta pœnitentium, e pilis hædorum & caprarum ſunt.*

Tandem pœnitentes capillos & barbam promittebant, ut liquet ex capite ſupra citato S. Iſidori: *Hi vero qui pœnitentiam agunt, proinde capillos &*
F *barbam nutriant*. Ex Orderico Vitali lib. 8. hiſt. Eccl. *Olim pœnitentes, & capti, & peregrini intonſi erant*. Hinc capienda ſunt hæc verba Pœnitentialis mſ. S. Columbani Abbatis Luxovienſis: *Pœnitentes fratres, quamvis opera difficilia & ſordida efficiant, non lavent capita niſi in die Dominico, id eſt octavo. Sin autem, niſi in quintodecimo, aut certe propter ſluentium capillorum incrementum.*

Id autem fiebat juxta conſuetudinem priſcorum

Romanorum, qui in luctu crines & barbam promittebant. Aliam caufam profert S. Ifidorus capite fupra citato: quia hoc figno peccatorum multitudo notatur. Contrarium tamen ritum videmus in Concilio Agathenfi fub Alarico Rege, can. 55. *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impofitionem manuum & cilicium fuper caput a Sacerdote, ficut ubique conftitutum eft, confequantur. Si autem comas non depofuerint, aut veftimenta non mutaverint, abjiciantur*. Sed hæc facile conciliari poffunt. Nam quæ fcripta funt ab Ifidoro, Columbano, & Orderico, juxta communem Ecclefiæ confuetudinem fcripta funt: at quæ in Concilio Agathenfi decreta funt, ea Gotthorum gratia, in quorum regione celebratum eft, conftituta fuere. Siquidem illi ex more gentis, ad decorem & majeftatem promiffis gaudebant crinibus, & in prolixa cæfarie triumphabant, & exultabant, ut clarum eft ex Sidonio lib. 1. epift. 2. cum Theodorici Gotthorum in Gallia Regis formam & habitum defcribit: *Sicut mos gentis eft, crinium fuperjacentium flagellis operiuntur*. Ex Claudiano lib. de bello Getico:

Crinigeri federe patres, pellita Getarum

Curia ——

Et Jornande libro de rebus Gotthicis: *Reliquam vero gentem capillatos dicere. Quod nomen Gotthi pro magno fufcipienter, adhuc in fuis cautionibus reminifcuntur*. Cum igitur effet e re pœnitentium, ut omni cultu & decore corporis pofito, in fordibus jacerent, ftatutum eft a Concilio, ut comam & omnem crinium ornatum a fe amandarent.

Tandem in eodem codice Ratoldi eliminantur Ecclefia pœnitentes, canentibus Clericis Refponforium, *In fudore vultus tui*, juxta confuetudinem antiquam, quæ appararet in Concilio citato apud præfatos auctores Burchardum & Ivonem: *Et cum gemitu & crebris fufpiriis eis denuntiet, quod ficut Adam projectus eft de Paradifo: ita & ipfi ab Ecclefia pro peccatis abjiciuntur. Poft hæc jubeat miniftris, ut reos extra januas Ecclefiæ expellant. Clerici vero profequantur eos cum Refponforio: In fudore vultus tui vefceris pane tuo*. Arcentur impii & fcelerati Ecclefia, templo, facris, & communi hominum focietate, juxta prifcum Ecclefiæ morem, qui etiam fuit antiquorum Gentilium multis in nationibus communis, ut Græcorum, quemadmodum videtur apud Euripidem in Hercule furente, actu 5.

—— οὔτι ἐμαῖς φίλαις

Θήβαις ἐνοικεῖν ὅσιον, ἢν δ' ἄρα μένω,

Εἰς ποῖον ἱερόν, ἢ πανήγυριν φίλων

Εἶμι —— id eft,

——*Nec adamatis mihi*

Thebis habitare fas eft: & fi autem manfero

In quod templum, aut conventus eam amicorum.

Ibi enim deflet Hercules cædem liberorum a fe patratam, ob quam, fi revertatur Thebas, dicit fibi nullum fore ad templa, & amicorum conventum aditum. Et apud Theonem Sophiftam: ὡς τὸν χερνίβων εἴργεσθαι (homicida) σπονδῶν, κρατήρων, ἀγορᾶς, ἱερῶν. id eft, propterea aqua luftrali arceatur (homicida) fœderibus, conviviis, foro, templis. Et apud Sophoclem in Oedipode Tyranno: *Prohibeo, ne quis hujus terræ in qua impero, ejufmodi hominem, quifquis fit:*

Μήτ' εἰσδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινά,

Μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι, μήτε θύμασι

Κοινὸν ποιεῖσθαι, &c. —— id eft,

Sufcipiat, nec alloquatur, neque participem faciat

Precum divinarum, & facrificiorum.

Hic mos etiam apud Gallos ex Druidum inftitutione in ufu fuit, ut teftatur Julius Cæfar, feu Celfus lib. 6. de bello Gallico: *Siquis aut privatus, aut populus eorum* (Druidum) *decreto non fteterit, facrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eft graviffima. Quibus ita eft interdictum, ii numero impiorum ac fceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum fermonemque defugiunt: ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur*. Atque etiam in Germania, ut fcribit Cornelius Tacitus libro de moribus Germanorum: *Nec facris adeffe, nec Concilium inire ignominiofo fas eft*.

Notæ 661. SECUNDA PARS: POENITENTEM CONFITENTEM PECCATA SUA.

Confeffio ejufmodi pœnitentium erat ampla admodum, varia, & multa peccata complectens, quæ vix in uno homine reperiri queant. Quam videre eft in Ordine Romano in hunc modum: *confiteor tibi, Domine cæli & terræ, tibique bone & benigniffime Jefu, una cum fancto Spiritu coram fanctis Angelis tuis, & coram Sanctis tuis, coram hoc altari, & Sacerdote tuo; quia in peccatis conceptus, & in peccatis natus, & in peccatis nutritus, & in peccatis poft baptifma ufque ad hanc horam fum converfatus. Confiteor etiam, quia peccavi nimis in fuperbia, inanigloria, in extollentia tam oculorum quam veftium, & omnium actuum meorum, in invidia, in odio, in avaritia tam honoris, quam pecuniæ, in ira, in triftitia, in acedia, in ventris ingluvie, in luxuria fodomitica, in facrilegiis*, &c. Similem reperire eft prifcorum Germanorum apud Goldaftum libro de rebus Germanicis.

Extat etiam confeffio S. Ifidori Hifpalenfis Epifcopi, litteris configuata a Redemto ejus Clerico, cum impendente morte, palam confeffus eft in æde S. Vincentii generatim dumtaxat, nihil particulatim exprimens.

Extat etiam confeffio Rotberti Cenomanenfis Epifcopi, edita a doctiffimo viro Jacobo Sirmondo S. J. tom. 3. Conciliorum Galliæ, quam morti proximus mifit per Epiftolam, ad Epifcopos qui erant in obfidione urbis Andegavenfis cum Carolo Calvo Imperatore; in qua etiam nullum fpeciale crimen confitetur: fed tantum fe abominabilem, & execrandum peccatorem effe profitetur.

In vetuftiffimo codice mf. Bibliothecæ Corbeienfis, cui titulus eft, ORDO ORATIONUM, habetur confeffio S. Fulgentii, quam hic fubjicere non pigebit.

Incipit [a] *Confeffio S. Fulgentii Epifcopi ad pœnitentiam dandam.*

EGo confiteor tibi, Domine, Pater cæli & terræ coram hoc altari tuo fancto, & iftius loci reliquiis, & coram hoc Sacerdote tuo, omnia peccata mea, & omnia quæcumque Dei pietas ad memoriam reducit de cogitationibus turpibus, five fermonibus otiofis, & immundis, & quod ego contra præceptum Dei feci. Confiteor etiam omnia cordis & corporis mei vitia, * facrilegium, invidias, detractiones, perjuria, furta, maledicta, convitia, turpiloquia, fcurrilitates, mendacia, irrifiones, infultationes, fimulationes, murmurationes, adulationes, triftitias, vigilias inutiles & Deo defpicabiles, carnales concupifcentias peffimas: & propter corporis mei fuavitatem & delectationem, Dei præcepta poftpofui, & tranfgreffus fui per fuperbiam & elationem, & defidiam & pigritiam. * Voluntates immundas perpetravi, fornicationes, pollutiones, luxurias, ebrietates, comef-

* *Leg. facrilegia.*

* *Leg. voluptates,*

a Ad hanc Confeffionis formulam multas obfervationes a nobis olim factas in tractatu Gallico de Confeffione, adverfus Dallæum 1. parte cap. 12. confulere poteft pius & eruditus lector.

comessationes; homicidia manifeste & occulte in corpore & animo peregi. Patri meo, & matri meæ, fratribus, & sororibus, patruis & amitis, & consobrinis, sive omnibus propinquis, & parentibus meis secundum Dei præceptum & Dei voluntatem honoris obsequium non exhibui. Seniorem carnalem, & amicos plus in malo, quam in bono auscultavi, & obediens fui. Omnes Christianos, sicut Deus præcepit, non dilexi. Semper aliis malum, non bonum exemplum & documentum præbui & ostendi: Dominicos dies & solemnitates Sanctorum non digne, nec Deo acceptabiliter duxi, nec custodivi: & nescientibus non annuntiavi, sed ebriose & luxuriose in ipsis me pollui, & alios ad hoc incitavi. Latrocinium & * fructum abscondi & comedi, & abscondentibus consensi. Infirmos & in carcere positos non visitavi, nudos non operui. Hospites propter Deum non suscepi, nec eorum pedes lavi: esurientes non refeci: dolentes, & flentes non consolatus sum: inter se discordantes, sive parentes, sive omnes Christianos rixantes plus ad iram, quam ad pacem provocavi. Ego confiteor, quia multum peccavi in visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu: & multa mala cogitavi & perpetravi. Ego confiteor, quia in sancta Ecclesia multa mala cogitavi, & locutus fui inordinate & superbe: in sancta Ecclesia steti, sedi, osculatus sum, aspexi, perrexi, jacui, consensi. Vasa sancta, & omne ministerium sanctum pollutus tetigi. Osculo nefando pollutus sum. Et super sanctum altare, & in consecrata Ecclesia, & in benedicta cruce, & super sanctas Reliquias juravi, & verba * perjuria, & mendacia protuli, & perjuravi. Confiteor etiam, quia tibi omnipotenti Deo, & omnibus Sanctis, & omnibus bonis hominibus inobediens fui, & interius exteriusque infidelis & molestus fui, contentiosus, odiosus, invidus, iracundus, avarus, cupidus, rapax, incredulus, immitis. Et meam orationem negligenter in conspectu Dei effudi propter cogitationes inanes, & duro corde. Ego corpus Domini, & sanguinem ejus polluto corde & corpore sine confessione & pœnitentia sciens indignus accepi: Episcopos, & * probos Abbates, Monachos, Canonicos, & omnem Clerum Ecclesiæ Dei non amavi, non dilexi, nec eis obsequium honoris præbui, sicut Deus præcepit. Meipsum per carnalia desideria, & per malas cogitationes, & per malam voluntatem, & per mala opera contaminavi, dehonestavi, perdidi, & voluntate diabolo consensi. De his omnibus & aliis innumerabilibus, quæ propter multitudinem peccatorum, criminum, & scelerum meorum recordari non sufficio: & quod ego contra Dei voluntatem, & omnium Sanctorum, & Legem Christianam feci, & duro corde perpetravi, sive ignoranter, sive scienter, sive in cogitatione mala, sive id verbo, seu in opere, vel etiam assiduitate vel delectatione peccati, sive in die, sive in nocte, horis atque momentis, sive vigilans, sive dormiens, seu qualicumque causa cogitassem aut facere voluissem, & opere perpetrassem contra Dei voluntatem. Sic ergo hodie omnia tibi Deo, ac Domino cœli & terræ confiteor coram sancto altari tuo in pura & vera confessione, & voluntate ad emendandum, & hæc peccata deinceps dimittenda; ut tu Deus omnipotens, qui dixisti: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, miserearis, & parcas, & remittas, & deleas omnia peccata, crimina, atque facinora, & delicta mea præterita, præsentia, & futura, & perducas me ad vitam æternam. Amen. Supplico te, Dei Sacerdos, ut de his omnibus sis mihi testis in die judicii: ne gaudeat de me inimicus meus; & dignare pro me Dei misericordiam deprecari: ut donet mihi veniam indulgentiæ, & omnium peccatorum meorum remissionem.

* Leg. furtum.

* Leg. perjura.

* Leg. Presbyteros.

Responsio Sacerdotis.

Misereatur tui omnipotens Deus, & donet tibi veram indulgentiam de peccatis tuis, & ulciscatur te de omnibus inimicis tuis invisibilibus, donet tibi Deus consilium in isto seculo, & perducat te feliciter ad vitam æternam.

Hactenus Confessio S. Fulgentii Episcopi. Sed ex duobus celebribus Fulgentiis, cujus sit hæc Confessio, an S. Fulgentii Episcopi Ruspensis in Africa, an S. Fulgentii Astigitani Episcopi in Hispania, fratris sanctorum Leandri & Isidori, non in promtu est dicere. In supra citato codice ms. Monasterii S. Remigii, Remis siti, est alia [a] Confessio huic similis; sed quia eadem habetur in Ordine Romano, a qua tantum paucissimis verbis discrepat, non mihi visum est illam hic exscribere. Hanc in eodem codice ms. excipit hæc unica Responsio sacerdotis.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni opere malo, conservet te in omni opere bono, & perducat te per intercessionem omnium Sanctorum ad gloriam sempiternam. Amen.

In eodem codice ms. S. Remigii hæc sequuntur. Item cum venerit pœnitens ad Sacerdotem, projiciat se ad pedes ejus humiliter veniam postulans. Cumque hoc facto eum surgere sacerdos præceperit, dicat ei ut expectet modicum donec intret in cubiculum suum ad orationem. Si autem locus cubiculi defuerit, tunc Sacerdos in corde suo dicat hanc orationem:

Oratio.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, &c. ut infra in Pœnitentiali Romano.

Tandem in eodem codice ms. Monasterii S. Remigii hæc sequuntur:

Interim itaque dum Sacerdos intrat in cubiculum ad orationem, dicat pœnitens qui venerat ad confessionem, hanc orationem:

Conditor & Redemtor meus Christe, omnipotens Domine Deus, propitius esto mihi peccatori, qui me redemisti tuo sanguine pretioso: & da mihi tua inæstimabili misericordia peccata mea pleniter cognoscere, digne deflere, pariter confiteri, veraciter pœnitere, dignos pœnitentiæ fructus agere, omniumque peccatorum plenissimam indulgentiam mihi digneris, quæso, tua pietate tribuere, atque a malis omnibus liberatum Sanctorum consortio sociare. Omnibus quoque mihi familiaritate, & consanguinitate conjunctis ex quorum eleemosynis sustentor, vel quandocumque suscepi, & pro quibus orare jussus sum, vel ipse disposuit, cunctisque fidelibus tuis dimitte omnia peccata sua. Libera eos ab omni malo, conserva in omni bono, & perduc ad gaudia sempiterna. Illis vero qui me quocumque modo inquinati sunt, perfectam remissionem delictorum suorum concede: & ut eos secundum mandatum tuum diligere, illisque ex animo possim remittere, cor meum, peto, digneris tua benignitate solita modificare. Cunctis etiam familiaribus & consanguineis meis, & quorum eleemosynis sustentor, & quandocumque suscepi, & pro quibus orare jussus sum, vel ipse disposui, quorum tu, Domine, nosti nomina, qui in libro vitæ Sanctorum tuorum scribis vocabula: omnibusque in nomine tuo defunctis humillime deprecor * perpetuam misericordiam vitam largiaris æternam.

* Leg. per suam.

Item alia Confessio.

Confiteor Domino, & tibi, Pater, in toto corde meo: quia ego miser peccator & infelix, peccavi nimium coram Deo & sanctis Angelis ejus, in superbia, inobedientia, & contentione, in gula, in crapula, & ebrietate ante horam & post horam sine licentia & benedictione: in

[a] Similes Confessiones collegit noster D. Edm. Martene, de antiquis Ecclesiæ ritibus in Sacramentorum administratione, parte 2. cap. 6. art. 7.

in fornicatione, & adulterio, & in peccatis ſodomiticis, & in omnibus modis quibuſcum potui, meipſum coinquinavi infelix per cogitationem immundam, per viſum, per tactum, per oſculum, per amplexum. Propriis manibus etiam frequenter memetipſum jejunus, & ebrius pollui. Ipſo die quo accepi Euchariſtiam cecidi in fornicationem. Diebus Dominicis & feſtis, & præcipuis quadrageſimis oblationem obtuli immundam, & communicavi ante confeſſionem & pœnitentiam per innumeros dies, & annos. In avaritia, in furto, in invidia, in ira, in mendacio, & perjurio, in triſtitia, in rancore animi & deſperatione, in tædio cordis, & ſomnolentia, & pigritia boni operis, in vana gloria, in hypocriſi, in diſcordia & detractione, in dando & accipiendo contra præceptum Regulæ, & in cunctis vitiorum generibus, viſu, auditu, guſtu, odoratu, & tactu; cogitatione, ſive locutione atque actione perditus ſum infelix. Multa quidem & innumerabilia ſunt peccata mea, quæ recordari nequeo, in factis, in dictis, in cogitationibus: pro quibus omnibus miſera mens mea compungitur, & acri interdum pœnitentia cruciatur. Ideoque conſilium, immo judicium tuum, qui ſequeſter, ac medius inter Deum & peccatorem hominem ordinatus es, ſupplex deprecor, & ut pro eiſdem peccatis meis interceſſor exiſtas humiliter imploro.

Reſponſio Sacerdotis.

MISEREATUR tui omnipotens Deus, & donet tibi veram indulgentiam, & emendationem, & veniam de peccatis tuis, & remiſſionem, & ulciſcatur te de omnibus inimicis tuis viſibilibus, & inviſibilibus; donetque tibi Deus verum conſilium in iſto ſeculo, & perducat te feliciter ad vitam æternam. Amen.

Hactenus codex mſ. Monaſterii S. Remigii. Hæc autem Confeſſio eſt Monachorum; quod patet primo ex his verbis: *Ante horam, & poſt horam* (refectionis videlicet) *ſine licentia & benedictione*. Quia non licet Monachis extra horam refectionis comedere, vel bibere, ut liquet ex cap. 43. Regulæ S. Benedicti: *Nec quiſquam præſumat ante ſtatutam horam vel poſtea quidquam cibi, aut potus præſumere*. Vide cap. 52. Concordiæ Regularum. Secundo hæc verba, *In dando & accipiendo contra præceptum Regulæ*, id etiam teſtantur: nefas eſt enim monacho dare aut accipere aliquid, niſi permiſſus fuerit a Abbate, ut cautum eſt cap. 33. Regulæ S. Benedicti: *Ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine juſſione Abbatis*. Vide cap. 42. Concordiæ Regularum.

Poſſem his addere nonnullas alias confeſſionis formulas, ſed quia nihil aut parum a ſupra memoratis diſcrepant, & brevitati ſtudendum eſt, ab earum relatione ſuperſedeo. Notandum tamen eſt has & ſimiles confeſſionis formulas ſuggillari ab auctore operis de viſitatione infirmorum, lib 2. cap. 5. tom. 9. operum S. Auguſtini: *Ne quidem*, inquit, *ſicut quidam faciunt, cum quadam calliditate alloquaris Preſbyterum: quoniam talis allocutio tui ipſius foret deceptio. Accedunt ſiquidem deceptioſi ad Sacerdotes, ita eis præſentibus confitentes: Ego peccator, Domine Sacerdos, peccavi perjurando, adulterando, fornicando, hominem occidendo, mentiendo, ſacrilegium committendo, furando, rapiendo. Hæc omnia commiſi mea culpa, vel opere vel voluntate*. Hæc ille. Quamvis ſuperiores formulæ confitendi non eſſent deceptioſæ, quia fuerunt ab Eccleſia inſtitutæ, ſane non mihi multum probarentur, niſi alia confeſſio præcedere conſueviſſet, in qua numerus peccatorum cum neceſſariis circumſtantiis declaratur: quam videre eſt in Ordine Romano, cum ait: *Deinde jubeat eum ſedere Sacerdos contra ſe, & colloqui cum eo de ſupraſcriptis vitiis, ſive exhortationibus: ne forte præ verecundia, aut ignavia, ſive oblivione aliquid putridum in corde remaneat, per quod iterum diabolus ad peccati vomitum reducat*, &c. Et paulo poſt: *De qualitate etiam peccatorum, & hominum, inter continentem, & non continentem, utrum voluntate, vel caſu, vel in abſcondito, quali compunctione emendet, neceſſitate vel voluntate, loca vel tempora diſcernat*. &c.

Tandem in eodem Ordine Romano Sacerdos interrogat pœnitentem de articulis fidei, an libenter inimicis ſuis parcat, & de quibuſdam aliis, ut ibidem videre eſt. Quibus ita peractis pœnitens recitat ſupra memoratam formulam confeſſionis: *Confiteor tibi, Domine, Pater cœli & terræ*, &c. Quod etiam liquet ex Burchardo, apud quem non eſt illa Confeſſionis formula, ſed Sacerdos pœnitentem ſua jam peccata confeſſum interrogat de multis aliis criminibus enucleate ſatis; quas omnes interrogationes videre eſt apud eumdem lib. 19. decretorum cap. 5. ubi ſic ait: *Videns autem Sacerdos eum verecundantem, rurſus proſequetur. Fortaſſis, Cariſſime, non omnia quæ geſſiſti, ad memoriam modo veniunt. Ego te interrogabo: Tu cave ne, diabolo ſuadente, aliquid celare præſumas. Et tunc eum ita per ordinem interroget. Feciſti homicidium voluntarie ſine neceſſitate, non in hoſte, ſed per tuam cupiditatem*, &c. ubi τὸ *hoſtis*, ſive *oſtis*, Gallice, *oſt*, ſignificat exercitum, ut infra in eodem capite. Conſule Gloſſarium Friderici Lindembrogii.

Sane viguit olim in Eccleſia conſuetudo confitendi peccata ſua particulatim, & non confuſe, quam videre eſt apud Socratem lib. 5. hiſt. cap. 19. ubi agens de nobili quadam muliere Conſtantinopolitana ſic ſcribit: καὶ κατὰ μέρος ἐξομολογεῖται τὰς ἁμαρτίας, &c. id eſt, *Et peccata, quæ poſt baptiſma commiſerat, particulatim confitetur*.

Nota 662. EXAUDI DOMINE PRECES NOSTRAS, &c.

Ita in codicibus Remenſi & Rodradi, & in Ordine Romano. In editis hæc & ſequentes orationes deſiderantur.

Nota 663. PRÆVENIAT HUNC FAMULUM TUUM, &c. Ita in Ordine Romano.

Nota 664. ADESTO DOMINE, &c.

Ita in codicibus Remenſi & Rodradi, & in Ordine Romano.

Nota 665. DOMINE DEUS NOSTER, &c.

Ita in eiſdem codicibus.

Nota 666. OFFENSIONE NOSTRA NON VINCERIS, &c.

Ita in codicibus Remenſi, & Rodradi. In Ordine Romano legitur: *Peccatis noſtris offenderis*.

Nota 667. SED. Hæc particula deeſt in Ordine Romano.

Nota 668. UT VIAS POENITENTIÆ EXCUBIAS.

In Ordine Romano legitur: *Ut famulus tuus Pœnitentiæ tibi excubias*.

Nota 669. PRECOR, DOMINE, &c.

Hæc oratio etiam extat apud Burchardum lib. 19. cap. 7. nec apud Henricum Caniſium tom. 5. antiquæ Lectionis nec lib. 6. Halitgarii Epiſcopi mſ. Bibliothecæ Corbeienſis, & in codice Ratoldi.

Nota 670. CLEMENTIAM TUÆ MAJESTATIS AC NOMINIS.

Apud Caniſium & Burchardum locis citatis. In codice Ratoldi, & in lib. 6. Halitgarii mſ. legitur: *Clementiæ & miſericordiæ tuæ majeſtatem*.

Nota 671. AD CAULAS. In citatis libris hæc vocabula deſunt.

Nota 672. QUI PUBLICANI PRECIBUS VEL CONFESSIONE PLACATUS ES.

Ita in codice Remenſi. In libro 6. Halitgarii legitur: *Qui publicani precibus* (lege, *preces*) *confeſſione placatus exaudiſti*. Apud Henricum Caniſium: *Publicani preces confeſſione placatus exaudiſti*. In codice Ratoldi hæc deſiderantur.

Nota 673. ADSISTE.

In codice Remenſi & Ratoldi, quemadmodum & apud auctores citatos legitur, *Aſpira*.

Nota 674. PERMANENS CLEMENTIAM TUAM CELERITER EXORET.

Ita

Ita in codice Remensi. In codice Ratoldi, & apud auctores citatos legitur, *permaneat fletus ejus, & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret.*

Nota 675. SANCTIS ALTARIBUS.

In codice Remensi legitur: *Sanctis & sacris altaribus.* In codice Ratoldi: *Sanctis altaribus, & sacris.* Lib. 6. Halitgarii, *Sanctisque altaribus, & sacrificiis.* Apud Canisium: *Sanctisque altaribus & sacrariis.*

Nota 676. REFORMEMUR.

Ita in codice Remen. In codice Ratoldi, & in auctoribus citatis legitur: *Mancipetur.* Reformare est restituere; de quo verbo consule observationes nostras ad Concordiam Regularum cap. 38. §. 3.

Nota 677. ORATIONES AD RECONCILIANDUM POENITENTEM.

In excusis codicibus orationes ad reconciliandum pœnitentem reperire est in quinta feria, in Cœna Domini. Estque ille proprius earum locus. Nam vetus olim fuit Ecclesiæ Romanæ consuetudo, feria V. in Cœna Domini absolvere, & reconciliare pœnitentes. Idque videtur in Ordine Romano, & in codicibus Remensi & Ratoldi, in quibus ea quæ ad pœnitentium reconciliationem spectant, eadem feria describuntur. Et notum est ex Epistola Innocentii I. Papæ ad Decentium Eugubinum Episcopum: *De pœnitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, (si nulla intervenit ægritudo) quinta feria ante Pascha eis remittendam Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.* Id etiam videre est in Canone 35. Isaac Lingonensis Episcopi tom. 3. Conciliorum Galliæ: *Statutum est, & in sanctis Canonibus prohibitum, ut nullus Presbyter pœnitentiam publice, inconsulto Episcopo, reconciliare præsumat: sed omnes publice pœnitentes quinta feria ante Pascha, quæ est Cœna Domini, ad civitatem in cinere & cilicio in præsentiam Episcopi prostrato vultu conveniant, & ibi ab Episcopo canonice & ordinabiliter, sicut in Sacramentario & Romano Ordine continetur, reconcilientur,* &c. Apud Alcuinum lib. de Divinis Officiis cap. de Cœna Domini, & in Homilia 4. S. Eligii de Cœna Domini, qui hac in re morem Romanum secuti sunt, videmus pœnitentes eadem feria reconciliari: *Ut igitur audivit vestra dilectio, hæc omnis pedum lotio, nostrorum peccatorum est purgatio. Unde non incongrue hoc ipso die, sicut Ecclesiæ tenet consuetudo, pœnitentium fit reconciliatio.*

Hoc etiam constat ex sermone de unctione Chrismatis inter opera S. Cypriani: *Hac die primum commendata est nobis fractio panis,* &c. Et paulo post: *Hodie reconciliantur Ecclesiæ peccatores, & ejecti foras ad matris ubera reducuntur, & exclusi a cœtu Sanctorum ad communionem, qua caruerant, revertuntur.* Et ex cap. 71. libri 5. Capitularis Caroli & Ludovici Imperatorum: *Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre: sed populo tantummodo in oratione socientur, ut perfectionem septimo, in Cœna Domini, consequantur anno, id est per Episcopi, vel ejus jussu, si ipse abest, aliorum sacerdotum manus impositionem, absolutione sacerdotalium precum communionis Catholicæ gratiam recepturi.* Idem testatur Guillelmus Parisiensis lib. de Sacramento pœnitentiæ cap. 5. Hactenus de die absolutionis, & reconciliationis; cujus totam rationem & modum huc ex Ratoldi codice proferre non erit inutile.

Lecto Evangelio, Ante diem festum Paschæ, &c. *Postea sedeat Episcopus in sede juxta altare, & non dicat: Dominus vobiscum: sed Archidiaconus legat coram eo & populo rotulum, in quo continentur quædam indita de pœnitentium reconciliatione. Post hoc oret Episcopus ante sanctum altare. Hoc expleto pergat ad ambonem & ascendat ad eum, faciatque sermonem tam populis, quam pœnitentibus, sicut Ordo præcipit Romanus. Tunc redeat ante altare, & prosternens se tam ille, quam omnis populus, etiam pœnitentes, tam illi qui intus sunt, quam extra; & cantent septem Psalmos. Finitis his Psalmis surgat solus, & dicat has orationes tam pro se, quam pro populo: Adesto, Domine, supplicationibus nostris,* &c. ut in Ordine & Pontificali Romano.

ALIA: *Præsta, quæsumus, Domine,* &c. ut in Ord. & Pontif. Rom.

ABSOLUTIO: *Sicut principali sententia constat,* &c. ut in Ordine Romano.

ALIA: *Deus humani generis benignissime Conditor,* &c. ut in Pontificali Romano, & in libro VI. Halitgarii.

ITEM ALIA: *Precor, Domine, clementiam tuam,* &c. ut in Pontificali Romano, sed in quibusdam variat.

ITEM ALIA: *Deus, qui justitia tuæ legis, misericordiæ semper multiplicationem moderaris, dum delinquentibus pœnitentiam, dum ab his etiam providentiæ tuæ dona non subtrahis, & vindictam miserando suspendis. Per.*

ALIA: *Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum,* &c. ut in Pontificali Romano. In Ordine quidem habetur; sed in fine variat.

ALIA: *Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur,* &c. Ut in Pontificali Romano. In Ordine quidem habetur; sed in medio, & in fine variat.

ITEM ALIA: *Absolvimus vos vice B. Petri Apostolorum Principis, cui Dominus ligandi atque solvendi potestatem dedit, & quantum ad vos pertinet accusatio, & ad nos remissio. Sit vobis Deus omnipotens vita & salus, & omnium peccatorum vestrorum indultor: & qui vobis compunctionem cordis dedit, det veniam peccatorum, longævumque vobis atque felicem vitam in hoc seculo largiatur, & in futuro cum Christo, & omnibus Sanctis ejus sine fine manentem. Per eumdem Dominum nostrum.* Hactenus codex Ratoldi de pœnitentium absolutione. Circa hæc quædam notanda sunt.

Primo hanc absolutionem fieri in Missa proxime post Evangelii lectionem. Quod etiam videtur in codice Remensi, in quo, perfecta pœnitentium reconciliatione, subsequitur oratio super Oblata. Priscis temporibus absolvebantur etiam inter Missarum solemnia pœnitentes, sed proxime ante orationem Dominicam, ut constat ex Optato Milevitano lib. 2. adversus Parmenianum: *Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis, & delicta donatis, mox ad altare conversi Dominicam orationem prætermittere non potestis: Pater noster qui es in cœlis, dimitte nobis debita & peccata nostra.*

Secundo, septem hic esse orationes ad reconciliandum pœnitentem, si duabus orationibus prioribus omissis quæ dicantur pro Episcopo, & populo, numeraveris ab illa oratione, cui titulus est, *Absolutio*; quod videtur esse secundum antiquum ritum, qui etiam tempore Ludovici Pii in Gallia vigebat, ut clarum est ex vita ejusdem Ludovici: *Et inter Missarum celebrationem, septem Archiepiscopi septem reconciliationis Ecclesiasticæ orationes super eum cecinerunt.*

Tertio notandum est id quod scriptum est: *Archidiaconus legat coram populo rotulum,* &c. Et quæ in eadem rotula continentur, nempe: *Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ,* &c. ut in Ordine Romano.

Quarto notanda sunt hæc verba: *Sicut Ordo præcipit Romanus,* & quæ ibi scripta sunt, cum agitur de sermone, quem habet Episcopus ad pœnitentes: quia in Ordine Romano, qui nunc extat, nulla fit sermonis hujus mentio. Ex quo patet etsi hic Ordo Romanus, qui nunc extat, sit antiquus, in eo tamen quædam fuisse partim detracta, partim immutata, partim addita, ut in Præfatione observavimus. In codice Remensi fit etiam mentio sermonis hujus, seu exhortationis in hunc modum: *Post hæc admonetur ab Episcopo, sive ab alio Sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet.* Quemadmodum & in Pontificali

ficali Romano: *His dictis Pontifex furgens accedit cum miniftris ad oftium Ecclefiæ, Choro non fe movente, & ftans in medio oftii facit brevem exhortationem.*

Quinto notanda eft hæc forma abfolutionis: *Abfolvimus vos vice B. Petri*, &c. quæ non extat in hoc codice S. Eligii, nec in codicibus Remenfi, & Rodradi, neque in lib. 6. Halitgarii mf. toties citato, neque apud Henricum Canifium libro fupra citato. In his enim omnibus pœnitentium reconciliationi orationes tantum adhibentur. Quod etiam videre eft apud Alcuinum cap. de Cœna Domini. Sed in Ordine Romano, & in codice Tiliano mf. hæc formula Abfolutionis feu reconciliationis extat, quæ cum formula codicis Ratoldi fatis convenit: *Nos etiam fecundum auctoritatem nobis indignis a Deo commiffam abfolvimus vos ab omni vinculo delictorum veftrorum: ut mereamini habere vitam æternam. Per eum qui ven.* Non extat in Pontificali Romano.

Hic fubjiciam aliam abfolutionis formulam notatu dignam, nuper inventam Petrachoricis in quodam fepulcro Abbatiæ S. Frontonis, quam profert R. P. Johannes *du Puy* Francifcanus Recollectus in libro de ftatu Ecclefiæ Petrachoricenfis, in Guillelmo de Montebrulpho Epifcopo. Effoffis in dicta Abbatia quibufdam veteribus fepulcris plumbea crux inventa eft, in cujus altera parte hæc funt fculpta reperta:

SACRO FONTE BAPTISMATIS ILLIANTE DONATUR, ELIE VOCATUR. OBIIT AUTEM KALENDAS MAII, ANNO DOMINI MILLESIMO SEPTUAGESIMO PRIMO, REGNANTE PHILIPPO FRANCORUM REGE.

In ejus medio hæc duo elementa: O. N. incifa funt; in altera parte hæc funt exarata.

DOMINUS DEUS OMNIPOTENS, QUI POTESTATEM DEDIT SANCTIS APOSTOLIS SUIS LIGANDI ATQUE SOLVENDI, IPSE TE DIGNETUR ABSOLVERE F. ELIA A CUNCTIS PECCATIS TUIS, ET QUANTUM MEÆ FRAGILITATI PERMITTITUR SIS ABSOLUTUS ANTE FACIEM ILLIUS, QUI VIVIT ET REGNAT IN SECULA SECULORUM.

Hæc non poffunt intelligi de abfolutione ab excommunicatione: quia ibi nulla eft talis abfolutionis mentio, fed de abfolutione a peccatis. Neque huc referri poteft canon 39. Concilii primi Araufícani: *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit fine reconciliatoria manu eos communicare*, &c. Nam in ejufmodi abfolutione nihil fimile repereris. Deinde hic canon, regnante Philippo Francorum Rege, primo videlicet, de quo præfata verba intelligenda funt, jam obfoleverat. Puto ergo hunc monachum pio quodam devotionis motu voluiffe baptifmatis fui, & abfolutionis exemplar in hac cruce exaratum fecum in fepulcro recondi. Hæc autem verba, *fis abfolutus*, æquipollent noftræ formæ, *ego te abfolvo*.

Interceffit olim controverfia inter S. Thomam & quemdam doctorem de abfolutionis forma: hoc afferente eam effe deprecatoriam: *Et quod vix triginta anni effent, quod omnes hac fola forma utebantur: Abfolutionem & remiffionem tribuat tibi omnipotens Deus*: illo contra contendente formam abfolutionis effe enuntiativam feu indicativam per hæc verba, *ego te abfolvo*, &c. quæ judiciariam Sacerdotis poteftatem indicant. Quem vide opufculo XXII.

Alexander de Ales quæft. 60. art. 3. membro 2. fcribit fuiffe indicativam vel deprecatoriam: *Sed contra. fi objiciatur quod abfolutio Sacerdotis, quæ fit expreffione talium verborum, ego abfolvo te, vel Dominus abfolvat te, magis exprimit abfolutionem a peccato, quam confeffio pœnitentis.*

Fuit etiam aliquando hæc forma ufitata, *Ego dimitto tibi peccata tua*, ut clarum eft ex Radulpho Ardente, concione in Litania majore: *Confeffio vero venialium alterutrum, & cuilibet, etiam minori poteft fieri, quoniam propter venialia non feparatur homo a Deo, nifi ultra modum per incuriam excedat; ficut nec per fcabiem vel impetiginem aliquis in Lege feparabatur a caftris. Fit autem hæc confeffio, non quod poffit a peccatis abfolvere, fed quia propter propriam humiliationem, & peccatorum noftrorum accufationem, & fratris orationem mundamur a peccatis. Unde & non dicimus,* EGO DIMITTO TIBI PECCATA TUA, *fed dicimus orando, mifereatur tui omnipotens Deus*, &c. Ubi vides, cum ait in mundatione venialium non proferri, *dimitto tibi peccata tua*, fed orando, *mifereatur tui omnipotens Deus*, fignum eft hanc fuiffe formam abfolutionis a mortalibus, *dimitto tibi peccata tua*, quæ nihil aliud fonat, quam forma noftra vulgaris, *ego te abfolvo*, &c.

Græci in abfolutione a peccatis utuntur multis formulis deprecatoriis, quas videre eft in eorum Euchologio; cum tamen prius faciant mentionem poteftatis abfolvendi fibi divinitus conceffæ: *σὺ ὁ δέσποτα*, &c. id eft, *Tu, Domine, per fanctos Apoftolos tuos donafti iis, qui in fancta Ecclefia fucceffive per tempora facerdotali funguntur officio, facultatem in terris dimittendi peccata, ligandi atque folvendi omne vinculum injuftitiæ: obfecramus itaque pro Fratre noftro N. qui coram te aftat, tribue ei tuam mifericordiam, difrumpens vinculum peccatorum*. Et paulo poft: *Omnia voluntaria, & involuntaria peccata condona*. Et paulo poft: *Hunc fervum tuum a ligaminis libera peccatorum*, &c. In quibufdam exemplaribus, quæ continent Canones ex quorum rigore injunguntur pœnitentibus fatisfactiones, reperitur hujufmodi forma: *Dominus nofter Jefus Chriftus, qui dedit Apoftolis fuis poteftatem, quæ per illos tranfiit ad nos, συγχωρήσοι σοι*, id eft, *abfolvat te*. Tamen præter formulas illas deprecatorias dicunt, *ἔχω σε συγκεχωρημένον*. id eft, habeo te venia donatum. Et Petrus Arcudius lib. 4. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 3. exiftimat in his verbis fitam effe formam abfolutionis a peccatis apud Græcos, probatque nihil aliud fignificari, quam *Ego te abfolvo a peccatis tuis*. Chriftus abfolvens paralyticum, & peccatricem mulierem, dixit Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. & 7. *Dimittuntur tibi peccata tua*, &, *remittuntur tibi peccata tua*.

Tandem notandum eft olim non dari folitam abfolutionem non modo ab excommunicatione, fed etiam a peccatis ante peractam integram pœnitentiam feu fatisfactionem (nifi in mortis articulo: aut ad preces Martyrum feu Confefforum aliquid de ea Epifcopi remitterent, & indulgerent) ut manifeftum eft ex Ordine Romano, codice Tiliano, codicibus Remenfi, Ratoldi, lib. 6. Halitgarii mf. epift. S. Innocentii fupra citata ad Decentium Epifcopum, epift. 91. S. Leonis: *Mediator enim Dei, & hominum, homo Chriftus Jefus, hanc præpofitis Ecclefiæ tradidit poteftatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eofdem falubri fatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Ex Sozomeno lib. 7. hift. Eccl. cap. 16. *Stant autem in eo mæfti & veluti lugentes: finitoque demum Dei facrificio, participes non facti, quorum participes fieri puros Dei cultores fas erat, cum planctu & lamentatione femetipfos in terram pronos abjiciunt. Tum ex adverfo lamentabundus Epifcopus accurrens, confimiliter humi cum ejulatu collabitur: ac tota denique Ecclefiæ multitudo lacrymis fuffunditur. Poft Epifcopus primus exurgit, & jacentes erigit, & quantum fatis eft, pro peccatoribus pœnitentiam agentibus precatus, eos dimittit. Privatim deinde fponte fua quifque vel jejuniis, vel lotionum ciborumque abftinentia, vel aliis, quibus juffus eft, feipfum affligens, tempus expectat, in quantum Epifcopus præftituit. Elapfo demum præfinito die, pœna jam quafi debito quopiam exfoluta, τῆς ἁμαρτίας λύεται, καὶ μετὰ τοῦ λαοῦ ἐκκλησιάζει*. id eft, *a peccatis abfolvitur, & populo in Ecclefia conjungitur*. Hæc ille: idque juxta ufum Ecclefiæ Romanæ, & Occidentalium, ut fupra docet.

Id etiam conftat ex edicto illo Romani Pontificis, quod fuggillat temere Tertullianus lib. de pudicitia: *Audio etiam edictum effe propofitum, & qui-*

quidem peremtorium. Pontifex scilicet Maximus, quod est, Episcopus Episcoporum edicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.

Com essent autem quinque gradus Pœnitentiæ, ut videre est in epistola Canonica S. Gregorii Neocæsariensis Episcopi can. ultimo, 1. προσκλαυσις. id est, fletus, eorum qui extra portam Ecclesiæ stantes in luctu pœnitentiæ flebant, & exeuntium fidelium genibus obvoluti eos, ut pro se orarent, enixius deprecabantur. 2. ἀκρόασις. id est, auditio, eorum qui intra portam in narthece stabant, & divinas Scripturas audiebant, & cum Catechumenis exibant. 3. ὑπόπτωσις. id est, substratio, eorum qui substernebant se, & capita supponebant Episcoporum manibus, & cum Catechumenis templo excedebant. 4 σύστασις, id est, eorum qui cum fidelibus orabant, nec cum Catechumenis exibant, non tamen Eucharistiæ participes erant, qui quoad precum participationem non erant excommunicati, sed tantum quoad Eucharistiæ perceptionem. 5. μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων. id est, eorum qui expleta pœnitentia Eucharistiæ participes erant, qui non tam pœnitentes, quam Ecclesiæ Sacramentis restituti dicendi sunt: quæritur in quo gradu, an in tertio, qui est substratio, an in quarto qui est consistentia, peccatorum remissionem & omnimodam ab excommunicatione absolotionem consequerentur.

Ego, salvo meliori judicio, existimo pœnitentes ejusmodi absolutionem consecutos fuisse in fine quarti gradus, hoc est, συστάσει. Nam apud Sozomenum capite supra citato, illi pœnitentes, qui Missæ intererant, nec tamen Eucharistiæ participes erant, & finitis Missarum solemniis cum plancto & fletu in terram corruebant, quibus occurrens Pontifex similiter cum lacrymis collabebatur, & eos erigens pro illis orabat, quique deinde privatim jejuniis vel similibus pœnis se affligebant, quibus completis peccati veniam consequebantur, non erant in quarto gradu, hoc est substrati, siquidem illi cum Catechumenis e templo exibant. 2. substrati, etsi se substernerent impositioni manuum Pontificis, illis, de quibus hic loqoitur Sozomenus, manus a Pontifice non imponebantur; ergo restat ut locus intelligatur de consistentibus, qui non exibant cum Catechumenis, sed erant participes precum cum fidelibus, sine tamen sumtione Eucharistiæ: non secus ac ii, de quibus hoc capite Sozomenus scribit, qui in fine consistentiæ, ut diximus, absolvebantur. Quamvis autem substrati impositionem manuum acciperent a Pontifice, non tamen hæc erat absolutio, sed tantum quædam precatio & benedictio, qua accepta cum Catechumenis discedebant, & ita capiendus est Canon 80. Concilii 4. Carthag. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a Sacerdotibus imponantur.* Et illud Canonis 19. Synodi Laudicenæ, καὶ τούτων προσελθόντων ὑπὸ χεῖρα, καὶ ὑποχωρησάντων &c. id est, *& cum ii sub manum accesserint, & discesserint* (e templo videlicet) *fidelium preces fieri.*

Nota 678 Adesto Domine, &c.

Hæc & sequentes orationes habentur in codicibus Rodradi, & Remensi.

Nota 679. Præsta quæsumus huic famulo tuo, &c.

In cod. Remensi hæ tres orationes adduntur: *Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo,* &c. *Omnipotens & misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti,* &c. Ubi celer confessio est promta, parata, devota; non invita & coacta. *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, respice super hunc famulum,* &c. Quarum duæ priores extant apud Henricum Canisium, & Halitgarium ms. lib. 6. qui Pœnitentialis dicitur, qui nondum editus est. Nam Canisius tom. 5. antiquæ Lectionis quinque dumtaxat Halitgarii libros in lucem edidit. Hujus sexti libri mentio fit in ejusdem operis ms. Præfatione; quæ sub finem mutila est apud Canisium: *Sextus quoque* (inquit Halitgarius) *ponetur libellus ad pœnitentiam, qui non est ex labore nostræ excerptionis, sed assumtus de scrinio Romanæ Ecclesiæ, in quo multa & diversa continentur, quæ in Canonibus non habentur: tamen simplicioribus, qui majora non valent capere, oportet prodesse.* Hujus autem Præfatio sexti libri sic incipit: *Addimus & huic operi excerptionis nostræ Pœnitentialem Romanum alterum, quem de scrinio Romanæ Ecclesiæ adsumsimus.* In hoc libello inprimis reperiuntur ea quæ ad pœnitentiam dandam, & ad reconciliandum pœnitentem spectant; quæ omnia, exceptis tribus capitulis, videre est apud Henr. Canisium in fine 5. libri, quæ vir doctus optime conjecit esse Halitgarii. Hanc priorem partem excipit altera, cui hujusmodi titulus præfixus est: *Incipit judicium pœnitentiæ*, quæ decem capitibus absolvitur. His adstipulatur Flodoardus lib. 2. hist. Eccl. Remensis cap. 19. *Hujus præsulis* (Ebbonis Archiepiscopi Remensis) *hortatu, Alitgarius Cameracensis Episcopus sex libellos de remediis peccatorum, & ordine, & judiciis Pœnitentiæ conscripsit, ad quem talis ejus extat epistola.* Deinde subjungit epistolam Ebbonis, postea responsionem Halitgarii ad Ebbonem. Subscribit Baldricus lib. 1. Chron. Cameracensis cap. 38. *Hildowardo vero Halitcharius* (ita enim ubique scribit hoc nomen) *successit vir doctrina Apostolicus, & fide Catholicus. Hic precibus Ebbonis Remensis Archiepiscopi sex libellos de remediis peccatorum, & ordine & judiciis pœnitentiæ conscripsit: ad quem Ebbonis talis extat epistola.* Deinde addit Ebbonis epistolam, cui subnectit responsionem Halitgarii, prout extant apud Canisium & in nostro codice ms. Biblioth. Corbeiensis.

Hic Halitgarius fuit Episcopus Cameracensis, ut docet Baldricus supra citato capite. Vixit temporibus Ludovici Pii, & Caroli Calvi, a quo ultimo missus est Constantinopolim ad Michaelem Imperatorem: unde multas reliquias Sanctorum attulit, quibus suam Ecclesiam ditavit, ut scribit Baldricus cap. 40. libri citati. Hunc autem sextum librum hic communicamus in gratiam studiosorum cum quibusdam castigationibus & notis, ob nonnullos errores qui obrepserunt. Burchardus in suo decretorum opere citat quædam ex Romano Pœnitentiali quæ partim hic reperiuntur, partim minime. Ex quo conjicere quis possit, aut duos olim fuisse Pœnitentiales Romanos, aut eum, quem excripsit Halitgarius, non esse integrum: nisi forte dicamus eum fuisse mutilatum. Sane illius, quem damus, finis desiderari videtur. Erant & alii libri Pœnitentiales, ut Theodori Anglorum Episcopi, & Bedæ, quos sæpe citat Burchardus. Quia vero multi non erant authentici, in Concilio Turonensi 3. can. 22. statuitur ut, *Cum omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis doceatur, cujus antiquorum liber Pœnitentialis potissimum sit sequendus.* Et in Concilio Cabillonensi 2. can. 38. & Parisiensi 3. can. 32. libelli pœnitentiales sine certo auctore pervulgati, quique potius pœnitentes palpabant, quam curabant, interdicuntur. At secus se habet is, quem modo evulgamus.

Præfatio Halithgarii.

Addimus etiam huic operi exceptionis nostræ Pœnitentialem Romanum alterum, quem de scrinio Romanæ Ecclesiæ adsumsimus: attamen a quo sit editus ignoramus. Idcirco adnectendum præscriptis Canonum sententiis decrevimus: ut si forte hæ prolatæ sententiæ alicui superfluæ sunt visæ: aut penitus, quæ desiderat, ibi de singulorum criminibus nequiverit invenire; in hac saltem brevitate novissima omnium scelera forsitan inveniet explicata. *Pœnitentialis Romanus, seu liber VI. Halitgarii.*

Incipit qualiter suscipere debeant pœnitentem Episcopi, vel Presbyteri.

Quotiescumque Christiani ad Pœnitentiam accedunt, jejunia damus, & nos communicare

care cum eis debemus jejunio unam aut duas ſeptimanas, aut quantum poſſumus; ut non dicatur nobis quod Judæorum Sacerdotibus dictum eſt a Domino Salvatore: *Væ vobis, Legiſperiti, qui adgravatis homines, & imponitis ſuper humeros eorum onera gravia; ipſi autem uno digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſas.* Nemo autem poteſt ſublevare cadentem ſub pondere niſi inclinaverit ſe, ut porrigat manum: neque ullus medicorum vulnera infirmantium poteſt curare, niſi fœtoribus particeps fuerit: ita quoque nullus ſacerdotum vel Pontifex, peccatorum vulnera curare poteſt, aut animabus peccata auferre niſi præſtante ſollicitudine, & oratione lacrymarum. Neceſſe eſt ergo nobis, fratres cariſſimi, ſollicitos eſſe pro peccantibus, quia ſumus alterutrum membra: & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur alia membra. Ideoque & nos, ſi viderimus aliquem in peccatis jacentem, feſtinemus eum ad pœnitentiam per noſtram doctrinam vocare: & quotieſcumque dederis conſilium peccanti, ſimulque da illi pœnitentiam ſtatim, quantum debeat jejunare & redimere peccata ſua: ne forte obliviſcaris, quantum eum oporteat pro ſuis peccatis jejunare: tibique neceſſe ſit, ut iterum exquiras ab eo peccata. Ille autem forſitan erubeſcens iterum peccata ſua confiteri, & invenietur jam amplius judicari. Non enim omnes Clerici hanc ſcripturam uſurpare, aut legere debent, qui inveniunt eam, niſi ſoli illi, quibus neceſſe eſt, hoc eſt Presbyteri. Sicut enim ſacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi, & Presbyteri, quibus claves regni cælorum traditæ ſunt, ſic nec judicia iſta alii uſurpare debent. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, ſuſcipiat Diaconus pœnitentem ad ſanctam Communionem. Sicut ergo ſuperius diximus, humiliare ſe debent Epiſcopi, ſive Presbyteri, & cum triſtitia, gemitu, lacrymiſque orare, non ſolum pro ſuis delictis, ſed etiam pro Chriſtianorum omnium, ut poſſint cum B. dicere Paulo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Cum ergo venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata ſua, mandet ei Sacerdos ut expectet modicum, donec intret in cubiculum ſuum ad orationem. Si autem cubiculum non habuerit, tamen tunc Sacerdos in corde ſuo dicat hanc orationem:

ORATIO.

Domine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut condigne poſſim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti officii Sacerdotalis, & me exiguum humilemque Mediatorem conſtituiſti ad adorandum & intercedendum ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro peccantibus, & ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque, Dominator Domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant, ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ, pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Videns autem ille, qui ad pœnitentiam venit, Sacerdotem triſtem & lacrymantem pro ſuis facinoribus, magis ipſe timore Dei perculſus, amplius triſtatur, & exhorreſcet peccata ſua. Et unumquemque hominem accedentem ad pœnitentiam ſi videris acriter & aſſidue ſtare in pœnitentia, ſtatim ſuſcipe eum. Qui vero poteſt jejunare quod impoſitum eſt ei, noli prohibere, ſed permitte. Magis enim laudandi ſunt hi qui celeriter debitum pondus perſolvere feſtinant, quia jejunium debitum eſt. Et ſic date mandatum his qui pœnitentiam agunt. Quia ſi jejunaverit, & compleverit quod illi mandatum eſt a Sacerdote, purificabitur a peccatis. Quod ſi iterum ad priſtinam conſuetudinem (vel) peccati reverſus fuerit, ſic eſt quomodo canis qui revertitur ad proprium vomitum. Omnis itaque pœnitens non ſolum debet jejunare quod illi mandatum eſt a Sacerdote, verumetiam poſtquam compleverit ea quæ illi juſſa ſunt, debet, quantum ipſi viſum fuerit, jejunare ſive tetradas, ſive * paraſceve. Si enim egerit ea quæ illi Sacerdos præceperit, peccata ejus remittentur: ſi vero poſtea ex ſua voluntate jejunaverit, mercedem ſibi acquiret & regnum cælorum. Qui ergo tota ſeptimana jejunaverit pro peccatis, Sabbato & Dominica die manducet, & bibat quidquid aptum fuerit. Cuſtodiat tamen ſe a crapula, vel ebrietate: quia omnis luxuria de ebrietate naſcitur. Ideo B. Paulus prohibuit dicens: *Noli inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Non quia in vino eſt luxuria, ſed in ebrietate. EXPLICIT PROLOGUS.

* Leg. paraſceves.

Si quis forte non potuerit jejunare, & habet unde dare ad redimendum, ſi dives fuerit, pro ſeptem Hebdomadibus det ſolidos xx. Si autem non habuerit tantum unde dare, det ſolidos x. Si autem multum pauper fuerit, det ſolidos iij. Neminem vero conturbet, quia juſſimus viginti ſolidos dare, aut minus: quia ſi dives fuerit, facilius eſt illi dare ſolidos xx. quam pauperi ſolidos iij. Sed unuſquiſque attendat, cui dare debet, ſive pro redemtione captivorum, ſive ſuper ſancto altari, ſive pauperibus Chriſtianis erogandum. Et hoc ſcitote, fratres, ut dum venerint ad vos ſervi vel ancillæ, quærentes pœnitentiam, non eos gravetis, neque cogatis tantum jejunare, quantum divites; quia non ſunt in ſua poteſtate; ideoque medietatem pœnitentiæ eis imponite.

Incipit ratio ad dandam Pœnitentiam.

IN primis dicit Pſalmum trigeſimum ſeptimum totum: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Et poſtea dicit: *Oremus.* Et dicit Pſalmum centeſimum ſecundum: *Benedic, anima mea, Domino,* uſque, *renovabitur ſicut aquilæ juventus tua.* Et dicit Pſalmum quinquageſimum: *Miſerere mei, Deus,* uſque, *iniquitates meas dele.* Poſt hæc dicit Pſalmum LIII. *Deus in nomine tuo.* Et dicit: *Oremus.* Et dicit Pſalmum LI. *Quid gloriaris,* uſque, *videbunt juſti & timebunt;* & dicit:

ORATIO.

Deus, cujus indulgentia nemo non indiget, memento, Domine, famulo tuo illo, & qui lubrica terræque corporis fragilitate nudatur, quæſumus, ut des veniam confitenti; parce ſupplici, ut qui noſtris meritis accuſamur, tua miſeratione ſalvemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Alia.

Deus ſub cujus oculis omne cor trepidat, omneſque conſcientiæ contremiſcunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus; & ſicut nemo noſtrum liber eſt a culpa, ita nemo ſit alienus a venia. Per Dominum.

Alia.

Deus infinitæ miſericordiæ, veritatiſque immenſæ, propitiare iniquitatibus noſtris, & omnibus animarum noſtrarum medere languoribus; ut miſerationum tuarum remiſſione percepta, in tua ſemper benedictione lætemur. Per Dominum.

Alia.

Precor, Domine, clementiæ & miſericordiæ tuæ Majeſtatem: ut famulo tuo illi peccata & facinora ſua confitenti veniam relaxare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, qui Publicani precibus confeſſione placatus exaudiſti. Tu etiam huic famulo tuo placare, Domine, tu ejus precibus benignus aſpira, ut in confeſſione placabilis permaneat. Fletus ejus & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ſanctiſque altaribus & ſacrificiis reſtitutus, ſpei rurſum æternæ cæleſtis gloriæ mancipetur. Per Dominum.

Item oratio manus impoſitionis.

DOMINE Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum vulnera noſtra curare dignatus es,

es, te supplices rogamus, & petimus nos humiles tui Sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, remittasque omnia crimina, & peccata universa condones, desque huic famulo tuo pro * supplicibus veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam. Ipse cælestis apicis devolutus est, & de tua misericordia confidens ad bonam pacem præmiis tui atque cælestia pervenire mereatur ad vitam æternam. Per Dominum.

* Lex. supplicis.
* Lege præmiis.

Incipit reconciliatio Pœnitentis Feria V. in cœna Domini.

IN primis dicit Psalm L. cum Antiphona: *Cor mundum.*

Deus, humani generis benignissime Conditor, & misericordissime reformator, qui in reconciliatione lapsorum etiam me, qui misericordia tua primus indigeo, servire effectibus gratiæ tuæ per ministerium Sacerdotale voluisti, ut cessante merito supplicis, mirabilior fieret clementia Redemtoris. Per Dominum nostrum.

Omnipotens sampiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum,

Alia.

Omnipotens, & misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti: succurre lapsis, miserere confessis; ut quod delictorum catena constringit, magnitudo tuæ pietatis absolvat. Per Dominum.

Oratio super infirmum.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti: & famulum tuum a lecto ægritudinis tua magnitudo erigat ad salutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

I. *Incipit judicium Pœnitentis.*

SI quis Episcopus aut aliquis ordinatus, homicidium fecerit, si quis Clericus homicidium fecerit, decem annos pœniteat, tres ex his in pana & aqua. Si laicus, tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua. Subdiaconus, sex. Diaconus, septem. Presbyter, decem. Episcopus, duodecim. Si quis ad homicidium consenserit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua. Si quis voluit, & non potuit facere, tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua. Si quis laicus homicidium fecerit voluntarie, septem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua. Si quis infantem oppresserit, tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua: similiter & Clericus observet.

II. *De fornicatione.*

Si quis fornicaverit sicut Sodomitæ, decem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua. Si quis Clericus adulterium commiserit: idem cum uxore vel sponsa alterius, si filium genuerit, septem annos pœniteat: si vero filium non genuerit, & in notitia hominum non venerit, si Clericus est, tres annos pœniteat; unum ex his in pane & aqua. Si Diaconus aut monachus, septem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua. Episcopus duodecim, quinque in pane & aqua. a Si quis Clericus, id est cujus superior gradus est, qui uxorem habet, & post conversionem, vel honorem, iterum eam cognoverit, sciat se adulterium commisisse: idcirco, ut superius constitutum est, pœniteat. Si qui fornicaverit cum sanctimoniale, vel Deo dicata, cognoscat se adulterium commisisse; secundum superiorem sententiam unusquisque juxta ordinem suum pœniteat. Si quis per semetipsum fornicaverit, aut cum jumento, aut cum qualibet quadrupede, tres annos pœniteat. Si gradum aut votum, tres annos pœniteat. Si quis concupiscit mulierem, & non potuerit peccare, id est quia non suscepit eum mulier, dimidium annum pœniteat in pane & aqua, & toto abstineat se anno a vino & carne. Si quis Clericus postquam se Deo voverit, ad habitum secularem redierit, sicut canis ad proprium vomitum, vel uxorem duxerit, sex annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua, & postea in conjugio non copuletur. Quod si noluerit, sancta synodus, vel Sedes Apostolica separabit eos a communione Catholicorum. Similiter & mulier postquam se Deo voverit, si tale scelus commiserit, pari sententiæ subjacebit. Si quis Laicus fornicaverit, sicut Sodomitæ, septem annos pœniteat. Si quis de alterius uxore filium genuerit, id est adulterium commiserit, ac torum proximi sui violaverit, tres annos pœniteat, & abstineat a cibis luculentioribus, & a propria uxore, dans insuper pretium pudicitiæ marito uxoris violatæ. Si quis adulterare voluerit, & non potuerit, id est non fuerit susceptus, quadraginta dies pœniteat. Si quis fornicaverit cum mulieribus, id est viduis, vel puellis: si cum viduis, annum unum pœniteat: si cum puellis, duos annos pœniteat. Si quis virgini conjunctus fuerit, si voluerint parentes, sit uxor ejus; tamen unum annum pœniteat, & sint conjugales. Si quis cum jumento fornicaverit, annum unum pœniteat. Si uxorem non habuerit, dimidium annum pœniteat. Si quis virginem, vel viduam rapuerit, tribus annis pœniteat. Si quis sponsam habens, sorori ejus forsitan vitium intulerit, & cohæserit tamquam suæ, hanc autem uxorem duxerit, id est desponsatam, illa vero quæ vitium passa est, si forte necem sibi intulerit, omnes hi qui in hujus facti consensu sunt, decem annos in pane & aqua redigantur, secundum statuta canonum. Si qua de mulieribus, quæ fornicatæ sunt, interfecerit quæ nascuntur, aut festinat avortivos facere, primum constitutum usque ad exitum vetat, * id quod verum definitum humanius aliquid consequantur, constituimus eos decennii tempore secundum gradus quæ sunt constituta pœniteat.

III. *De Perjurio.*

Si quis Clericus perjuraverit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua. Laicus tres. Subdiaconus sex. Diaconus septem. Presbyter decem. Episcopus duodecim. Si quis vero coactus pro qualibet necessitate, aut nesciens perjuraverit, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua: & animam pro se reddat, id est servum, vel ancillam de servitute absolvat, & eleemosynas multas faciat. Si quis perjuraverit per cupiditatem, totas res suas vendat, & donet in pauperibus, & tondeatur, & intret in monasterium, & ibi deserviat usque ad mortem.

IV. *De furto.*

Si quis Clericus furtum fecerit capitale, id est quadrupedum: vel casam ruperit, vel fregerit, vel * qualibet meliorum præsidium furaverit, septem annos pœniteat. Laicus quinque. Subdiaconus sex. Diaconus septem. Presbyter decem. Episcopus duodecim annos pœniteat. Si quis vero de minoribus semel, aut bis furtum fecerit, reddat proximo suo, & anno uno pœniteat in pane & aqua; & si reddere non potuerit, tres annos pœniteat. Si quis sepulcrum violaverit, septem annos pœniteat, tres in pane & aqua. Si quis Laicus furtum fecerit, reddat proximo suo quod furaverit, tres quadragenas in pane & aqua: si reddere non potuerit, anno uno, & tres quadragenas in pane & aqua pœniteat; & eleemosynam de suo labore in pauperibus. & Sacerdotis judicio jungatur altari.

V. *De Maleficio.*

Si quis maleficio aliquem perdiderit, septem annos pœniteat, tres in pane & aqua. Si quis pro amore maleficus sit & neminem perdiderit, si Laicus est, dimidium annum pœniteat; si Clericus, annum unum pœniteat in pane & aqua: si Diaconus, tres annos, unum in pane & aqua: si Sacerdos, quinque annos, duos in pane & aqua. Si autem per hoc mulieris partus quis deceperit, sex quadragenas unusquisque insuper augeat: ne homicidii reus sit.

a Eadem pene leguntur in judicio Pœnitentiali veteris Sac[...]a ver tatii Galliæ, ex quo multa hic videntur depromta.

Si quis immissor tempestatum fuerit, septem annos pœniteat, tres in pane, & aqua.

VI. *De Sacrilegio.*

St quia sacrilegium fecerit, id est * qaos aruspices vocant, qui auguria colunt, superauguriaverit, aut qaocumque malo ingenio, tres annos in pane & aqua. Si quis ariolas fuerit, quod divinos vocant, aliquas divinationes fecerit: quia hoc dæmoniacum est, quinque annos pœniteat, tres in pane & aqua. Si quis in Kalendis Januarii, quod multi faciunt, & in cervulo * ducunt, aut in vetula vadit, tres annus pœniteat. Si quis fortes habuerit, quas Sanctorum * contrarationem vocant, vel aliquas fortes habuerit, vel qualecumque malo ingenio fortitus fuerit, vel divinaverit, tres annos pœniteat, anum in pane & aqua. Si quis ad arbores, vel ad fontes, vel ad cancellum, vel abicumque excepto in Ecclesia, votum voverit, aut easolverit, tres annos cum pane & aqua pœniteat: & hoc sacrilegium est, vel dæmoniacum. Qui vero ibidem ederit, aut biberit, unum annum pœniteat in pane & aqua. Si quis Mathematicus, id est per invocationem dæmonum hominis mentem tulerit, quinque annos pœniteat, unum in pane & aqua. Si quis ligaturas fecerit, quod detestabile est, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua. Si qui simul edunt festivitatem in locis abominandis gentilium, & fuam escam deferentes, comederint, placuit eos biennio subjacere, & sic sulcipi, * quæ obedire oportet: & post oblationem unanquemque spiritum probare, & vitam singulorum cognoscere. Si quis manducaverit, aut biberit juxta fanum; si per ignorantiam, promittat deinceps, quod numquam reiteret, & quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat: si vero per contemtum hoc fecerit, id est postquam Sacerdos ei prædicavit quod sacrilegium hoc erat, mensæ dæmoniorum communicaverit, * singult tantum vitium hoc fecerit, tres quadragenas in pane & aqua pœniteat. Si vero pro cultu dæmonum, & honore simulacri hoc fecerit, tres annos pœniteat. Si quis secundo & tertio * immolatus per vim, tres annus subjaceat, & duobus sine oblatione communicet, tertio ad perfectum suscipiatur. Si quis manducaverit sanguinem, aut morticinam, aut idolis immolatum, & non fuit ei necessitas, jejunet hebdomadas duodecim.

Margin notes: * Leg. quod. * Leg. ducit. * Leg. im molaverit.

VII. *De quibusdam Capitulis.*

Si quis * quoquolibet membrum sibi voluntarie truncaverit, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua. Si quis avorsum fecerit voluntarie, tres annos pœniteae, unum in pane & aqua. Si quis usuras undecumque eaegerit, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua. Si quis per potestatem, aut quolibet ingenio res alienas malo ordine invaserit, vel tulerit, super * jure sententia similiter pœniteat, & eleemosynas multas faciat. Si quis servam, aut quemcumque hominem quolibet ingenio in captivitatem duxerit, vel transmiserit, sicut supra pœniteat. Si quis aream, vel domum voluntarie igne cremaverit, sicut supra pœniteat. Si quis per iram alium percusserit, & sanguinem fuderit, aut debilitaverit, solvat ei primo mercedem, & medicum quæsat: si Laicus est, quadraginta diebus: Clericus duas quadragenas: Diaconas, septem mensibus: Presbyter annum unum. Si quis venationes eaercuerit, Clericus annum unum pœniteat, Diaconus duos, Presbyter tres annos pœniteat. Si quis de ministerio sanctæ Ecclesiæ * qualecumque opus uuidlibet fraudaverit, vel neglexerit, septem annos pœniteat, tres in pane & aqua. Si quis cum animabus peccaverit, qui amplius quam triginta annorum fuerit, quindecim annos subjaceat, * communionem meteatur. * Requiratur autem qualis sit eorum vita, si mereatur bumanius aliquid, * incessanter ad peccandum. Si perseveraverit, longam habeat pœnitentiam. Qui autem superiore ætate, & uxores habentes, introierunt in hoc peccatum, viginti quinque annis subjaceant: itaut post quinque, communionem cum oblatione mereantur. Si autem aliqui & uxores habentes, & amplias quinquaginta annorum, hoc peccatum fecerint, in exitu vitæ mereantar viaticum accipere.

Margin note: * Leg. quod libet.

VIII. *De ebrietate.*

Inebriatur igitur qais a vino sive cervisia contra indictum Salvatoris, ac Apostolorum ejus; quod si votum sanctitatia habuerit, quadraginta diebus in pane & aqua culpam diluat: laicus vero septem diebus pœniteat. Episcopus faciens fornicationem degradetur, & sexdecim annos pœniteat. Presbyter autem & Diaconus fornicationem naturalem faciens * prælato ante monachi votum tres annos pœniteat. Veniam omni hora roget, superpositionem unaquaque hebdomada, exceptis quinquagesimis diebus faciat.

IX. *De minutis causis.*

Se causa negligens qais sacrificium perdat, relinquens foris, & ab aliquo devoratur, quadraginta diebus pœniteat: sin vero, annum unum pœniteat. Si communicaverit ignorans excommunicatis ab Ecclesia, diebus quadraginta pœniteat. Si sacrificium terra tenus negligendo ceciderit, saperpositio fi. Pro bonis rebus offerre debemus, pro malis nequaquam. Presbyteri vero pro fals Episcopis non probentur offerre. Qui præbet ducatum barbaris, tres annos pœniteat. Qui monasteria expoliat falso se * dicere captivos redimere, tres annos pœoiteat: & omnia quæ abstraxit pauperibus donet. Qui manducat carnem animalium, quorum mortem oescit, tertiam partem anni pœniteat. Priorum instituta patrum nostrurum * pro manus? pueri soli sermocinantes & transgredientes instituta seniorum tribus superpositionibus emendentur. Osculum simpliciter facientes, * septem superpositiones. Illecebrosum osculum sine inquinamento viij. superpositiones: eum inquinamento, autem; * sive ampleau, * xv. superpositionibus corrigantur.

Margin notes: * leg. dicens: * leg. pro manus. * In Pœnit. Rom. quinque * leg. sine. * In Pœnit. Rom. decem.

X. * *De dissensibus sacrificium.*

Qui non bene custodit sacrificium, & mus comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit suum chrismal, aut solum sacrificium in regione qualibet, ut non inveniatur, tres quadragenas vel annum pœniteat. Perfundens aliquis calicem super altare, quando auferuntur linteamina, septem diebus pœniteat. Si ceciderit sacrificium intra mensam, septem diebus pœniteat. Ut samens gravatus sacrificium saturitate ventris, viginti diebus pœniteat Diaconus obliviscens oblationem offerre sine linteamine, donec offeruntur, similiter pœniteat. Si autem in farina, aut in aliquo siccato cibo, sive in melle, sive in lacte inveniantur istæ bestiolæ, quod circa illorum corpora est, foras projiciatur. Qui negligentiam, circa sacrificium fecerit, ut sit a vermibus consumtum, quod ad nihilum deveniat, tres quadragenas pœniteat. Si integrum sit inventum, & in eo fuerit vermis, comburatur; & sic cinis ejus sub altare abscondatur; & qui negligens quadraginta diebus pœniteat. Si ceciderit sacrificiam de manu offerentis terra tenas, & inveniatur aliqid, omne quodcumque inventum fuerit in loco in quo ceciderit, comburatur; & cinis sub altare abscondatur: & sacerdos medium annum pœniteat: & si inventum fuerit, at supra mundetur; & quadraginta diebus pœniteat. Si usque ad altare tantum fuerit lapsum, superponat. Si de calice per negligentiam stillaverit aliquid in terram, lingua lambatur, & tabula radatur, & in igne comburatur, & quadraginta diebus pœniteat. Si supra altare stillaverit calia, sorbeat minister: & linteamen quod tetigit stillam, abluatur * vicibus, & tribus diebus pœniteat. Si ritubaverit sacerdos super orationem Dominicam, quæ dicitur periculosa, una vice quinquaginta Psalmos, secunda vice, centum plagis. Si autem duxerit viduam patris, vel fratris sui, isti tales non possunt judicari, nisi prius separentur ab invicem. Si aliquis expeditione publica occidit hominem sine causa, jejunet hebdomadas viginti unam: si autem forsitan se defendendo, aut parentes suos, aut familias suas, occidisset aliquem, ille non erit reus: si voluerit jejunare, in illius potestate est qui coactus hoc fecit. Si homicidium in pace fecerit, & non fuerit turbata * pro potestatem ane inimicitiæ causam, ut res ejus capiat, jejunet hebdomadas xxviij. & res ejus

Margin note: * leg. per.

quem

quem occidit, reddat uxori vel filiis. Si quis autem ad pœnitentiam veoit, & ægritudo evenerit, & non potuerit adimplere quod illi mandatum est a Sacerdote, suscipiatur ad sanctam communionem: & si voluerit eum Deus salvare, jejunet postea. Si quis pœnitet, & forsitan ceciderit in ægritudinem, & quæsierit communicare, non prohibeatur, sed date ei sanctam communionem, & mandate ei, ut si placuerit Dei misericordiæ, & evaserit de ipsa ægritudine, postea omnia sit confessus, & sic pœniteat. Si autem aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus; & non occurrit, sed occupavit eum mors, sive in via, sive in domo: si est aliquis ex pareotibus ejus, pro eo aliquid offerat ad sanctum altare, aut ad redemtionem captivorum, aut ad commemorationem animæ ejus. Si quis accepit filiam uaoris * hic non potestis judicare, nisi prius separentur. [* Leg. hos] Postquam separati fuerint, unicuique eorum imponas hebdomadas quatuordecim, & iterum numquam se jungant. Si autem voluerint nubere, sive vir, sive mulier, potestatem habeat, sed non * illa qui dimisit. Si quis acceperit cognatam, aut novercam, aut avunculi viduam; & hic qui oaorem patris sui, ant sororem suæ uxoris, grande judicium canonice damnetur. Si qui (aliquis) dum infans est, per ignorantiam gustaverit de iis quæ fuerint immolata idolis, aut morticinum, aut aliquid abominabile, idem jejunet hebdomadas tres. Propter fornicationem autem multi nesciunt numerum mulierum cum quibus fornicati sunt: illi jejunent hebdomadas quinquaginta. Si autem nesciens manducavit idolis immolatum, aut morticinum, dabitur illi venia, quoniam nesciens hoc fecit: tamen jejunet hebdomadas tres. Si quis nolendo parentibus occidit hominem, jejunet hebdomadas octu. Si quis per necessitatem furaverit cibaria, vel vestem, sive quadrupedem, per famem aut per nuditatem, illi venia datur. Jejunet hebdomadas quatuor. Si reddiderit, non cogatis jejunare. Si quis caballum, aut bovem aut jumentum, vel vaccam furaverit, sive cibaria, aut pecora, quæ totam familiam nutriunt, jejunet ut supra. Si qua mulier deceperit matris suæ maritum, illa non potest judicari, donec relinquat eum. Cum separati fuerint, jejunent hebdomadas quatuordecim. Si quis legitimam uaorem habens dimiserit illam, & aliam duxit, illa quam duait non est illius. Non manducet neque bibat, neque omnino in sermone sit com illa, quam male accepit; neque cum parentibus illius. Ipsi tamen si consenserint, sint excommunicati. Si mulier suaserit alteri mulieri maritum, sit excommunicata a Christianis. Si quis Christianorum Christianum viderit ambulantem, vel oberrantem parentem suum vendiderit, ille non est dignus inter Christianos requiem habere, donec redimat eum. Si autem noo potuerit iuvenire locum ubi sit, pretium quod accepit, det pro eo, & alium redimat de servitute, & jejunet hebdomadas vigiuti octu. Si cujuslibet hominis mortua fuerit uxor, habet potestatem accipere alteram, similiter & mulier. Si tertium acceperit, jejunet hebdomadas tres; si quartum aut quintum acceperit, jejunet hebdomadas viginti & unam. Si quis comas incidit, aut faciem suam laniaverit cum gladio, aut * ungulas post mortem parentum, jejunet hebdomadas quatuor: & postquam jejunaverit, sic communicet. [* Leg. ungulis.] Si qua mulier prægnans voluerit jejunare, potestatem habet. Herbarius vir aut mulier interfectores infaotum, in extremum vitæ cum venerint, si quæsierint pœnitentiam cum luctu ac fletu lacrymarum. * Si cessaverit suscipere eum, jejunet hebdomadas quinquaginta. Si quis canis aut vulpis, sive acceptor mortificaverint: sive de fuste, sive de lapide, sive sagitta, quæ non habet ferrum, mortuum fuerit, hæc omnia suffocata sunt, non manducentur: & qui manducaverit, jejunet hebdomadas sea. Si quis sagitta percusserit cervum, sive aliud animal, & post tertium diem inventum fuerit, & forsitan ea eo lupus, ursus, canis, aut vulpis gustaverit, nemo manducet, & qui manducaverit, jejunet hebdomadas quatuor. Si gallina in puteo mortua fuerit, puteus evacuetur: si sciens ex eo biberit, jejunet hebdomada una. Si quis mus aut gallina, aut aliquid ceciderit in vino, aot in * aliqua, de hoc nullus bibat. [* Leg. aqua.] Si in oleom ant mel ceciderit, oleum expendatur in lucernam, mel veru in medicinam, vel in aliam necessitatem. Si piscis mortuus fuerit in piscina, uoo manducetur; qui manducaverit, jejunet hebdomadas quatuor. Si porcus vel galliua manducaverit de corpore hominum, non manducetur, neque servetur ad semen; sed occidatur, & caoibus tradatur. Si quis lupus plagaverit animal, & mortuum fuerit, nemo manducet: & si viaerit, & postea eum homo occiderit, manducetur. Sive cum capra, sive com pecore, aut cum alio animali si peccaverit homo cum * ea, nemn manducet carnem ejus: sed occidatur, & canibus tradatur. [* Leg. eo.] Si voluerit pro anima sua dare eleemosynam de bis pecuniis, * quod fuit de præda suam egit pœnitentiam, potestatem habet. *Explicit.*

HACTANUS Pœnitentialis Rnmanus, circa quem nonnulla notanda & observanda veniunt.

Iu Præfatione hæc vox, *alterum*, notanda. Hunc Pœnitentialem Romanum alterum dicit, quia antea libro 4. posuit Pœnitentialem ex antiquorum Conciliorum canonibus excerptum.

Primum caput citat Burchardus lib. 19. cap. 31. usque ad hæc verba: *Non enim omnes Clerici*, ex Pœoitentiali Theodori Anglorum Episcopi paulo contractius. Hæc verba, *Consilium dederis pœnitenti*, sic eaponenda sunt, id est monueris pœnitentem, qua ratione deinceps sit in peccatis vitandis cautior. Postea dicit iojungendam esse pœnitentiam a Sacerdote, dum confessorum peccatorum recordatur: ne si nolit pœnitens peccata retexere, severius judicetur a Sacerdote. Hæc verba, *Suscipiat Diaconus pœnitentem ad communionem*, sic explicanda sunt; quod urgente necessitate, præsertim periculo mortis, debeat Diacouus pœnitenti, quem ex profusione lacrymarum, vel similibus signis non ficte pœnitere novit, porrigere sanctam Eucharistiam, quamvis defectu Sacerdotis non fuerit absolutus. Hunc locum profert Burchardus lib. 19. cap. 154. ex Pœnitentiali Rnmano. Idem prursus statuitur in Ordine Rnmann iisdem plane verbis in Ordine feriæ IV. in capite jejunii; & quid simile factum legimus apud Eusebium lib. 6. hist. Eccl. cap. 36. quamvis non Diaconi ministerio, in persona cujusdam Serapionis, qui vi tormentorum victus cum idolis immolasset, ab Ecclesia ejectus est, & facti pœnitens frustra ad communionem fidelium admitti efflagitavit. Qui tandem gravi morbo conflictatus, triduo deinceps omni sensuum & vocis usu caruit, & ad se reversus, vocisque compos factus, nocte nepotem suum ad Presbyterum misit, rogans eum, ut quantocyus ad se veniret: sed Presbyter morbo præpeditus cum ad senem ægrotum accedere non posset, ejus nepoti particulam Eucharistiæ dedit, præcipiens ut eam madefactam in os senis infunderet; quod cum ille a Presbytero reversus fecisset, illicn senex in pace quievit. Tria hæc verba: *Humiliare se debent Episcopi, vel Presbyteri*, &c. reperire est etiam apud Burchardum lib. 19. cap. 2. Idem præstabat S. Ambrosius, ut testatur Paulinus Presbyter in ejus vita: *Si quidem quotiescumque illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur etiam sibi cum tacente jacere.* Ita olim cum Missarum solemniis expletis Pœnitentes lacrymis perfusi ad Pontificis pedes corruerent, sic Pontifex lacrymis madefactus, Pœnitentium etiam pedibus provolvebatur, ut testatur Sozomenus lib. 7. hist. Eccl. cap. 16. Quarto, is ritus, *mandet ei Sacerdos*, &c. extat etiam cap. supra citato, & in Ordine mss. Biblioth. S. Remigii Rem. ad pœnitentiam dandam, cum oratione subsequente; in qua, ut in præfato Ordine S. Remigii, male legitur, *ad adorandum*; sed legendum est, *ad orandum*, ut apud Burchardum.

Sequens capitulum extat apud Burchardum, cap. 32. citatum ex Pœoiteotiali Romann, alicubi mutilam, non est in citato Ordine mss. S. Remigii. Vocabulum, *Tetradas*, est a recto, *Tetras* id est, quarta feria cujusque septimanæ, ut parasceve sexta, in quibus jejunant Christiani, præsertim Orientales ex antiquo more, ut fuse docuimus in notis & observationibus ad Concordiam regula-

rum. Infra in eodem capite dicitur, *Sabbato & Dominica die manducet*. Ita apud Burchardum; sed τὸ *Sabbato*, additum videtur ab iis qui morem Græcorum fecuti, Sabbatis non jejunabant: maxime cum hic libellus Pœnitentialis fit Ecclefiæ Romanæ, ot clarum eft Burchardo, qui fæpe illum fub hoc nomine citat. Tandem in fine hujus capituli hæc verba extant, *explicit prologus*, fed puto effe ad finem capitis fequentis rejicienda, quod videtur membrum effe fuperioris. Hæc verba, *Si quis non potuerit jejunare*, ufque ad ifta, *& hoc fcitote*, citantur a Burchardo cap. 22. ex Pœnitentiali Theodori. Solidus apud veteres Romanos eft nummus aureus; cujus valorem notat Caffiodorus lib. 1. Var. epift. 10. *Sex millia denariorum folidum effe voluerunt*. Solidus Francicus olim quadraginta denariorum numero computabatur, ut docet Hincmarus in lib. de vita S. Remigii, patetque ex Synodo Remenfi 2. can. 41. Tandem ad duodecim denariurum valorem redactus eft.

Sequuntur quidam Pfalmi ad dandam pœnitentiam, qui etiam extant apud Burchardum lib. 19. cap. 7. fed ibi integri dicendi. Orationes totidem funt, fed fecunda & tertia diverfæ funt. Apud Canifium non habetur τὸ *Oremus*, fed, *dic orationem*.

Sequitur oratio impofitionis manus, quæ apud Burchardum fecunda eft inter orationes prælatas. Hæc oratio dicitur *impofitionis manus*, quia olim Sacerdos dando pœnitentiam, manum capiti pœnitentis imponebat, orationem hanc vel aliam fimilem recitando. Concilium Agathenfe, can. 15. *Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impofitionem manuum, & cilicium fuper caput a Sacerdote, ficut ubique conftitutum eft, confequantur*. Oratio fequens non eft integra apud Henr. Canifium: integram habes in Ordine Romano, in Ordine feriæ v. in cœna Domini. Refpofui, *etiam me*; in noftro cod. mf. quemadmodum apud Canifium male legitur, *etiam ego*. In oratione tertia legitur, *ut quod*, quemadmodum & apud Canifium; at apud Burchardum, in Ordine Romano legitur, *ut quos*.

In primo capite fecundæ partis, hæc verba, *Si Clericus homicidium fecerit*, videntur effe fuperflua. Ad hæc verba, *Si laicus*, fubaudi, *non voluntarie*; quia paulo poft agit de homicidio voluntario laici.

In fecundo capite Clericus, *Cujus gradus eft altior*, eft Epifcopus, aut Presbyter, aut Diaconus. Ad illa verba, *Si gradum, aut votum*, fubaudi τὸ *habuerit*. Finis capitis corruptus eft, & ita, ut arbitror, caftigandus: *Si qua de mulieribus, quæ fornicatæ funt, interfecerit quæ nafcuntur, prius mum conftitutum ufque ad exitum vetat*, (fupple) *communicare. Verum, ut juxta id quod definitum eft, humanius aliquid confequatur, conftituimus ut cum decennii tempore. fecundum gradus qui conftituti funt, pœniteat*. Et hæc nihil aliud funt, quam canon 21. Concilii Ancyrani.

Cap. 3. de perjurio, 1. hæc verba, *Si quis vero coactus pro neceffitate*, &c. a Buchardo lib. 12. cap. 6. citantur ex Pœnitentiali Romano: *Tamen Pœnitentialis Romanus præcipit*, &c. *Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet caufa vel neceffitate fe pejerat, quia plus corpus, quam animam dilexerat, tres Quadragefimas, alii judicant tres annos, unum ex his in pane & aqua pœniteat*. 2. Hæc etiam verba, *Si quis perjuravit per cupiditatem*, &c. citantur a Burchardo lib. 19. cap. 7. ex Pœnitentiali Romano in hunc modum: *Tamen Pœnitentialis Romanus præcepit, fi quis per cupiditatem fe perjuraverit, omnes res fuas vendat, & pauperibus diftribuat, & monafterium ingreffus jugi pœnitentiæ fe fubdat*.

Cap. 4. τὸ *quadrupedem*, legendum, *furaverit*, vel quid fimile. Hæc verba *vel qualibet meliorem præfidium*, corrupta funt, & legendum arbitror, A *Vel quamlibet meliorem pecudum, fi præfidium*. Hoc autem caput 4. citatur a Burchardo lib. 11. cap. 58. ex Pœnitentiali Theodori, fed contractius, ex quo, fi cui prior emendatio forte non placuerit, illud corrigemus; legendum itaque: *Si quis Clericus furtum fecerit capitale, id eft quadrupedia tulerit, vel cafam ruperit, vel fregerit, vel præfidium furaverit*. Ubi præfidium eft fubftantia, quam quis in bonis mobilibus poffidet. Concilium Aurelianenfe 1. can. 14. *Præfidiis de omni commoditate in Epifcoporum poteftate durantibus*. Concilium Parifienfe 4. can. 8. *Comperimus, deficiente Abbate, Presbytero, vel his qui per titulos defervient, præfidium quodcumque in mortis periculo dereliquerint, ab Epifcopo vel Archidiacono diripi*. Gregor. Tur. B lib. 6. hift. cap. 4. *Irruerunt in domos Lupi, & direpto omni præfidio fingentes fe illud in thefauro regis recondere, fuis cum domibus intulerunt*. Marculphus formula 67. de hereditatis inter parentes divifione: *Accepit itaque ill. villas nuncupatas ill. fitas ibi cum mancipiis tantis ill. De præfidio vero drappos, fabricataras, vel omne fupellectile domus quidquid dici vel nominari poteft æquivalentia inter fe vifi funt divififfe*. Et formula 69. dixit: *Præfidium utriufque fexus*. Per quæ verba intelligere videtur fervos & ancillas. Sequitur pœna in fepulcrorum violatores, qui, ut eruerent thefauros mortuis pro more temporum illorum confepultos, fepulcra violabant, ut videre eft apud Caffiodorum lib. 4. epift. 18. de quodam Laurentio Pre- C sbytero, qui fepulcrum, ut inde aurum raperet, violaverat. In quod fcelus olim multis ac diverfis pœnis a legibus fuit animadverfum. Edicto Theodorici regis cap. 110. *Qui fepulcrum deftruxerit, occidatur*. L. Salicæ tit. 17. lib. 2. *Si quis hominem mortuum effoderit, & expoliaverit octo denariis, qui faciunt folidos ducentos, culpabilis judicetur*. Legis Longobardorum lib. 1. tit. 12. l. 2. *Si quis fepulturam hominis mortui ruperit, & corpus expoliaverit, componat parentibus mortui folidos octoginta*. Hæ leges & multæ aliæ fimiles latæ funt ob thefauros, qui in fepulcris recondebantur, & pretiofas mortuorum veftes, de quibus infra.

Cap. 5. per hæc verba, *Si quis pro amore male-* D *ficus fit*, intelligitur is qui philtris feu incantationibus amatoriis ad fe trahit amorem mulierum aut puerorum, ut videmus in pharmaceutriis Theocriti, & Virgilii, & in Pfeudomante Luciani, qui eas vocat τὰς χάριτας εἰς τοὺς ἔρωτας. id eft, veneres, feu gratias ad amorem conciliandum. Maxima autem pars hujus capitis profertur ab Ivono Carnotenfi p. 15. cap. 116. ex Pœnitentiali Theodori; fed in quibufdam variat. In fine capitis adverfus immifforem tempeftatum pœnæ ftatuitur, quemadmodum apud Burchardum lib. 10. cap. 28. ex Romano Pœnitentiali. Sed ejufdem libri cap. 8. ex eodem Pœnitentiali Romano ftatuitur pœna in eum, qui credit effe aliquos tempeftatum immiffores, quæ fecum pugnare videntur. Ago- E bardus Lugdunenfis Epifcopus libellum edidit, in quo damnat eos qui credunt effe aliquos tempeftatum immiffores; & auctor quæftionum inter opera S. Juftini Martiris, quæft. 41. fcribit non hæc poffe fieri magorum induftria: atque ejufmodi homines appellari νεφοδιώκτας: Latini vocant *tempeftarios*, ut fcribunt Agobardus ibidem, & Benedictus Levita lib. 1. Capit. tit. 64. & hæc tempeftas dicitur, *aura levatitia*, ut fcribit Agobardus.

Cap. 6. notanda funt hæc verba, [a] *Si quis in Kalendis Januariis, quod multi faciunt, & in cervulo ducit, aut in vetula vadit*, quæ fumta funt ex Concilio Autifiodorenfi can. 1. *Non licet Kalendis Januarii vetula aut cervolo facere*. Meminit Burchardus lib. 19. cap. 5. *Fecifti aliquid tale, quod* F *pagani fecerunt, & adhuc faciunt in Kalendis Januarii in cervolo & vegula. Si fecifti, triginta dies in pane & aqua pœniteas*. Et S. Pacianus Epifcopus Barcinonenfis Parænefi ad pœnitentiam: *Hoc etiam*

a In Jud. Pœnit. habet art. 61. *Si quis Kalendas Januarias in cervolo vel vitula vadit, tres annos pœniteat*. Conjicit eruditiff. Mabill. legendum, *vitula*, pro *vetula*. Aliam ejufdem conjecturam vide ibidem Mufei Italici pag. 394.

etiam puto proxime cervulus ille profecit, ut eo diligentior fieres, quo impressius notabatur: & tota illa reprehensio expressa, ac sæpe repetita non compressisse videatur, sed erudisse luxuriam; me miserum! quid ego facinoris admisi? Puto, nescierant cervulum facere, nisi illis reprehendendo monstrassem. Hæc erat superstitio, ut Kalendis Januarii homines, ferarum & pecudum formis assumtis, huc & illuc petulantius discursarent, ut docuimus in notis & observationibus ad Concordiam regularum cap. 50. §. 4. In eodem capite nostri Pœnitentialis hæc sequuntur: a *Si quis fortes habuerit quas Sanctorum contrarationem vocant.* His similia refert Burchardus lib. 10. cap. 9. ex Pœnitentiali Romano in hunc modum: *Auguria vel fortes quæ dicuntur falsæ Sanctorum, vel divinationes, qui eas observaverint, vel quarumcumque scripturarum: vel votum voverint, vel persolverint ad arborem, vel ad lapidem, vel ad quamlibet rem, excepto ad Ecclesiam, omnes excommunicentur.* Sequitur, *Si quis ad arbores vel fontes*, &c. Hæc b sunt ex Conciliis Agathensi, can. 42. Turonensi 2. can. 22. & Autisiodorensi, can. 3. & 4. Sequitur, *Si quis mathematicus*, &c. Ibi τὸ *mathematicus* est magus. Proprie tamen is est, qui hora nativitatis inspecta, quæ cuique ventura sunt, perscrutatur. S. Augustinus l. 2. de doctrina Christiana c. 21. *Qui genethliaci propter natalium dierum inspectiones, nunc autem vulgo mathematici vocantur.* Spartianus in Severo: *Tunc in quadam civitate Africana sollicitus mathematicum consuluisset, postque hora ingentia vidisset astrologus.* Lampridius in Antonio Diadumeno: *His diebus, quibus ille natus est, mathematici, accepta genitura ejus, exclamaverunt, & ipsum filium Imperatoris esse, & ipsum Imperatorem.* Et eorum ars dicitur mathesis. Spartianus in Ælio Vero, & in Severo: *Genituras sponsarum inquirebat, ipse quoque matheseos peritissimus.* Mentem hominis tollere, est vim imaginativam ejus ita turbare, ut se existimet jumentum esse aut aliquod brutum, ut mulier illa apud Palladium, quæ se jumentum esse credebat, quam B. Macarius Ægyptius sanavit, & quondam Prœti filiæ, & ii quos Circe dementaverat, quemadmodum olim Poetæ fabulati sunt. Lib. 6. Legis Vvisigothorum tit. 2. l. 3. dicitur: *Et hi qui per invocationem dæmonum mentes hominum conturbant.* Sequitur ligaturarum prohibitio, de quibus agit S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 20. *Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam suspendendis, atque illigandis.* Et cap. 29. *Aliud est enim dicere tritam istam herbam si biberis, venter non dolebit; & aliud est dicere istam herbam collo si suspenderis, venter non dolebit.* Meminit Ammianus Marcellinus lib. 15. *Si quis remedia quartanæ vel doloris alterius collo gestaret*, &c. & S. Bonifacius epist. ad Zachariam Papam: *Dicunt quoque se ibi vidisse mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas in brachiis & cruribus habere.* Consule quæ de phylacteriis & amuletis scripsimus ad Concordiam regularum cap. 3. §. 6. Id quod sequitur, *Si qui simul edunt festivitatem*, &c. nihil aliud est quam Canon. 7. Synodi Ancyranæ, ubi *biennio subjacere*, significat esse in tertio gradu Pœnitentium qui ὑπόπτωσιν. id est, substratio dicitur; quia Pœnitentes hujus gradus substernunt se Episcopis, cum eis Episcopi manus imponunt, ut supra notatum est. Hæc autem verba, *Et sic suscipi*, sic explicanda sunt, ut ille post gradum substractionis suscipiatur in gradu consistentium, ut oret in Missa cum fidelibus, ut supra dictum est. Ista autem, *Quæ obedire oportet, & post oblationem*, &c. corrupta sunt, & ita ex eadem Synodo castiganda: *Et postea an cum oblatione sint admittendi, oportet uniuscujusque spiritum probare, & vitam singulorum cognoscere.* Hæc verba, *Singuli tantum vitium hoc fecerit*, corrupta sunt, & legendum est, *Si gula tantum vitio hoc fecerit.* Hæc verba, *Sine oblatione communicet*, capienda sunt de communione in oratione & precibus, assistendo Missæ integræ cum fidelibus, sine tamen oblatione, hoc est sine Eucharistiæ sumtione. Sequitur tandem, *Si quis manducaverit sanguinem*, &c. Ferunt Act. 15. cap. sanguinis comestionem prohibitam fuisse, ut etiam postea in 6. Synodo, can. 67. ubi prohibetur comestio sanguinis cujuscumque animalis, non solum quamvis arte conditi, sed etiam quocumque modo comedatur; & hæc pro more Ecclesiæ Orientalis. Quod etiam aliquando in Ecclesia Occidentali fuit observatum, ut liquet ex epist. Ecclesiarum Lugdunensis & Viennensis ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ apud Eusebium lib. 5. hist. Eccl. cap. 1. in qua Biblis Martyr respondens calumniæ paganorum dicit: πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδ' ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν; id est, quomodo illi infantes comederent, quibus ratione carentium animalium sanguinem edere non licet? Sed ubique usitatum in Occidentali Ecclesia non fuit. Nam quidam Actorum locum interpretantur de homicidio, & sanguinis humani effusione, ut S. Pacianus Episcopus Barcinonensis in Parænesi ad Pœnitentiam.

Cap. 7. statutum adversus membrorum sui ipsius mutilationem sumtum est ex canone 23. Apostolorum, in quo statuitur, ut laicus seipsum mutilans excommunicationi subjaceat tribus annis. Quod spectat ad avorsum voluntarie factum, hoc facinus capitali pœna plectitur lib. 39. ff. de pœnis, & can. 92. Synodi Trullensis. Usurarum prohibitio sumta est ex canone 17. Synodi 1. Nicænæ, in quo usuræ prohibentur. Servi, alieni videlicet, & ingenui venundatio interdicitur lib. 5. legis Vvisigothorum tit. 4. l. 11. & 17. In Pœnitentiali Theodori apud Burchardum lib. 19. cap. 85. tribus annis pœnitentiæ hoc facinus animadvertitur. Hæc verba, *Si quis aream*, &c. ita citantur a Burchardo lib. 19. cap. 86. ex Pœnitentiali Romano: *Si quis domum vel aream cujuscumque voluntarie igne cremaverit, sublata vel incensa omnia restituat, & tribus annis pœnitentiam agat.* Et apud eumdem l. 5. ejusdem libri in examine pœnitentis hæc habentur: *Concremasti domum vel aream alterius odii meditatione? si fecisti, redde damnum, & unum annum per legitimas ferias pœniteas.* Hoc decretum, *Si quis per iram*, &c. in hunc modum ex Pœnitentiali Romano a Burchardo refertur lib. 19 cap. 101. *Qui per rixam ictu debilem vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medici, & medium annum pœniteat. Si laicus per dolum sanguinem effuderit, reddat illi tantum quantum nocuit: & si non habet unde reddat, solvat in opera proximi sui, quamdiu ille infirmus est; & postea, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat.* Sequitur, *Si quis de ministerio Ecclesiæ*, &c. Ubi ministerium sanctæ Ecclesiæ sunt vasa sacra seu argentea. Deinde post τὸ *Ecclesiæ*, videtur deesse præpositio *ad*; legendum igitur, c *Si quis de ministerio Ecclesiæ, ad qualecumque opus*, &c. Tandem sequitur, *Si quis cum animalibus peccaverit*, &c. Quod nihil est aliud quam canon XVI. Synodi Ancyranæ, ubi legitur εἰκοσαετίας, id est, viginti annorum, hic vero *triginta annorum*. Cetera mutila sunt. In his verbis *communionem mereatur*, deest τὸ *orationum*. Postea adde, *Cum in communione quinque annos perseveraverit, oblationis sit particeps.* Pro, *eorum*, lege, *ejus*. Hæc verba, *Incessanter ad peccandum*, redundant. His verbis, *Subjaceant*, adde, *& communionem precum consequantur.* Ad hæc verba, *quinque*, subaudi, *annos*.

Cap. 8. hæc constitutio, *Episcopus faciens fornicationem*, &c. habetur can. 25. Apostolorum, & apud Burchardum lib. 17. cap. 39. ex Pœnitentiali Theodori. Sed hic locus, *Prælata ante monachi votum*, corruptus est, & sic legendum est ex eodem Pœnitentiali Theodori, *Presbyter autem prælata* mona-

a In judicio Pœnit. Sacramentarii Gallic. art. 26. *Si quis fortes Sanctorum contra rationem invocat.* &c. ubi observat noster Mabillonius ejusmodi fortes fieri per sacros codices. Quæ hic sequuntur id non obscure innuunt.

b Idem fere habetur in laudato Judicio Pœnit. art. 27. *Si quis ad arbores, vel ad fontes, aut cancellos... votum voverit... tres annos pœniteat* &c.

c In Jud. Pœnit. legitur art. 28 *Si quis aliquid de ministerio sancta Ecclesiæ fraudaverit vel neglexerit, septem annos pœniteat.* &c.

monachi vero, id eft, qui nulli voto monachatus obnoxius eft. Superpofitio autem hoc loco abftinentia eft a cibo die folido; & fuperponere, eft integro die a cibo abftinere, eft & jejunii fuperadditio, dilatatio; fuperponere, eft dilatare jejunium, Græce, *ὑπέρθεσις*. id eft, fuperpofitio, quo vocabulo utitur S. Cyrillus Hierofolymitanus Catech. 18. *Propter labores autem provenientes. ἐκ τῆς ὑπερθέσεως τῆς νηστείας τῆς παρασκευῆς καὶ τῆς ἀγρυπνίας*. id eft, ex fuperpofitione, dilatatione, fuperadjectione jejunii parafceves, & vigiliæ: & *ὑπερτιθέναι*, id eft fuperponere, dilatare jejunium, fuperaddere; quo vocabulo utuntur Dionyfius Alexandrinus in epiftola ad Bafilidem, & S. Epiphanius in expofitione fidei. Tandem hoc vocabulum, *Quinquagefimis*, corruptum eft, & legendum, *Quinquagefimæ*, intelligiturque Quinquagefima Pafchalis, id eft dies illi quinquaginta, qui intercedunt inter utramque folemnitatem Pafchatis & Pentecoftes, qui ex more antiquo jejunio vacant.

Cap. 9. *Si caufa negligens*, lege, *fi caufa negligentiæ*. In his verbis, *pro bonis rebus offerre*, *τὸ rebus*, redundare videtur. Sed de hoc loco infra. Sequitur, *Si quis præbet ducatum barbaris*. Aliter apud Burchardum, & fufius hæc proferuntur lib. 19. cap. 103. ex Pœnitentiali Romano: *Si quis præbet ducatum fuper Chriftianos, ut deprædentur, & non acciderit ftrages Chriftianorum; tres annos pœniteat: fin vero, exactis armis, ufque ad mortem mundo mortuus vivat*. Poftea prohibetur manducare carnem animalium, quorum mors ignoratur: ne forte morticinium, aut fuffocatum comedatur. Hæc verba, *Pueri fermocinantes*, &c. ufque ad finem capitis citantur ex Pœnitentiali Romano a Burchardo lib. 17. cap. 56. ubi legitur, *Pueri foli fermocinantes*, nempe de fornicatione cinædica, *intra femetipfos*, ut paulo ante dixit: Poft *τὸ ofculum*, in loco citato ponitur particula, *non*, quod peccatum ibidem quinque fuperpofitionibus animadvertitur.

Caput 10. fequitur, cujus titulus corruptus eft, & legendum, *De defectibus circa facrificium*. Quædam ex his peccatis circa facrificium Miffæ extant in Pœnitentiali mf. S. Columbani Abbatis Luxovienfis in Burgundia. Hoc autem caput prolixum eft. Sed puto unico plura titulo comprehendi, & exfcriptorem hujus Pœnitentialis ufum fuiffe corrupto codice, aut certe ipfi defuiffe diligentiam exfcribendi. Quæ vero in hoc capitulo fpectant ad facrificium Miffæ, extant apud Burchardum lib. 5. capitibus 51. & 52. ex Pœnitentiali Romano; fed in quibufdam variant. Quid fit Chrifmal fupra dictum eft agendo de bafilicæ dedicatione. Hæc verba, *Ut fi mens gravatus*, &c. corrupta funt, & legendum, *ut fument facrificium gravatus faturitate ventris*, &c. Sequentia, *Diaconus oblivifcens oblationem offerre*, &c. corrupta funt. Apud Burchardum cap. 51. libri citati legitur: *Diaconus oblivifcens oblationem offerre, donec offeratur linteamen, quando recitantur nomina paufantium, fimiliter pœniteat*. Sequitur, *Si autem in farina*, &c. videntur ante hæc verba quædam deeffe, Pro *quadragenas*, apud Burchardum legitur, *quadragefimas*. Poft *τὸ negligens*, adde, *fuerit*. Apud Burchardum legitur: *Et qui neglexerit, quaternis diebus fuam negligentiam folvat*. Loco [a] iftorum verborum, *Et inveniatur aliquid*, apud Burchardum legitur, *Ut non inveniatur*. Prior lectio potior eft, quia declaratur quid faciendum fit, cum aliquid de facrificio invenitur. At hæc verba, *Et fi inventum fuerit*, aliter leguntur apud Burchardum: *Si vero facrificium inventum fuerit, locus fcopis mundetur, & ftramen, ut fupra, igne-tur, & cinis, & fupra, recondatur, & Sacerdos viginti dies pœniteat*; ubi legendum, *igni detur*. Quod fequitur, *Si de calice per negligentiam*, &c. extat apud Burchardum lib. 5. cap. 47. ex decre-

A tis Pii Papæ cap. 3. ubi corrupte legitur, *linguabitur*, fed fcribendum, *lingua lambatur*. In fequenti articulo, ubi *τὸ vicibus*, fcribitur, deeft vocabulum numerum exprimens. In capite citato Burchardi deeft *τὸ vicibus*. Appellatur hic oratio Dominica *periculofa*, quia olim illam in Miffa cum tanta reverentia & cautela recitabant Sacerdotes, ut grande piaculum fe admififfe crederent, fi inter recitandum vel leviter [b] titubaffent. Hæc verba, *Si quis non pœnitet*, intelliguntur de his qui, dum fani funt, ad pœnitentiam non veniunt, fed eam in infirmitate petunt. Hi autem tres articuli de pœnitentia fumti funt ex Conc. Carthagin. 4. Canonibus 76. 77. 78. & 79. Hæc verba, *Sed non illa, qui dimifit*, corrupta funt, & legendum, *Sed non illi, quam dimifit*. id eft, a qua feparatus eft. Hæc verba, *Si quis nolendo parentibus occidit hominem*, ita exponenda funt: fi quis præter voluntatem fuam, cognatorum, aut propinquorum fuorum fervum occiderit. B Nam hoc loco parentes funt propinqui & cognati, & homo is eft, qui fervilis eft conditionis, de quo vocabulo confule Cujacium feud. lib. 1. & Fredericum Lindenbrogium in Gloffario, & in notatis ad Paulum Warnefridum l. 4. de geftis Longobardorum c. 3. Hæc verba, *Si qua mulier fuaferit alteri mulieri maritum*, mutila funt, fed addendum eft *τὸ dimittere*, vel *relinquere*, vel quid fimile. Hæc, *fi quis Chriftianorum Chriftianum viderit ambulantem, vel oberrantem, & non monftraverit ei viam, fit excommunicatus*, vel quid fimile reponendum eft; quemadmodum fequentibus verbis, *parentem fuam vendiderit*, hæc funt præponenda, *fiquis*, ut legatur *fi quis parentem fuam vendiderit*.

Hæc conftitutio, *Si tertiam acceperit*, &c. C notanda: quamvis enim bigamos, trigamos, &c. permittat Ecclefia, quia tamen hæc polygamia feu nuptiarum repetitio aliquid incontinentiæ in homine notat, ejufmodi homines præter irregularitatis notam quibufdam aliis pœnis olim fubjacere voluit. S. Bafilius epift. 1. canonica ad Amphilochium, digamos duobus annis, trigamos quinque a fidelium focietate fegregavit. Conftitutio Conftantini Porphyrogennetæ Imperatoris facta anno mundi VICIƆIVCXXIX. quadrigamos, dum in hoc ftatu permanferint, ab omni cœtu Ecclefiaftico feparari, & templi ingreffu arceri jubet, ut refert Theodorus Balfamo ad epift. citatam. Quid fane ftatuiffet ille Imperator de illo homine qui Romæ tempore S. Hieronymi viginti uxoribus fuperftes fuerat, & de illa muliere, quæ jam duo & viginti maritos compofuerat? qui tandem fimul D matrimonio conjuncti funt, expectantibus fummo ftudio Romanis quis e duobus alterum efferret; quod cum viro contigiffet, coronatus ille & palmam ferens uxoris feretrum præceffit, ut fcribit S. Hieronymus epift. ad Ageruchiam. Leo Philofophus Imperator Ecclefia ejectus eft, quod quadrigamus effet, ut fcribit Cedrenus.

Quod fequitur, *Si quis comas incidit*, &c. Propter fuperftitionem paganicam ftatuitur. Nam pagani dum mortuos efferebant, & fepeliebant, mercede conducebant mulieres, quæ mortuum flerent, laudarent, aliofque ad hoc excitarent, fibique crines inciderent, ac genas laniarent, quæ Præficæ dicebantur. Nonius Marcellus cap. 1. *Præficæ dicebantur apud veteres, quæ adhiberi folent funeri, ut flerent, & fortia facta laudarent*. Gloffæ veteres: *Præfica ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη, θρηνωδὸς ἐν ἐκφοραῖς*. id E eft, quæ lectum præcedens in elatione mortui laniatur, quæ in elatione mortui lugubre carmen canit. Gloffæ veteres mfs. Biblioth. Corbeienfis harum meminere: *Præficæ principes planctus*. Hunc morem nobis declarat Servius in XII. Æneidos: *Moris fuit apud veteres, ut ante rogos humanus fanguis effunderetur vel captivorum, vel gladiatorum, quorum fi forte copia non fuiffet, la-*

nian-

a Judic. Pœnitential. art. 46. ita habet: *Sacerdos qui offert, & ceciderit de manibus ejus Eucharistia in terra, & non invenerit eam, fcopa munda fcopet, & comburat igne*, &c.

b Jud. Pœnit. *fi tornaverit facerdos fuper oratione Domin. dies uno in pane & aqua*. Vide notam Mabillon. ad hunc locum. *Tornaverit*, hic idem eft ac *titubaverit*.

niantes genas suam effundebant. Idque videtur in Lege XII. tabularum apud Ciceronem lib. 2. de legibus, ubi ejusmodi insania prohibetur: *mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento*. Ubi lessus est carmen funebre quod alias nænia dicitur. Ejusmodi mulieres etiam capillos scindebant, ut hic prohibetur; hoc palam est ex Lucilio XXII. apud Nonium loco citato, *Mercede qua conductæ flent alieno in funere multæ, & capillos scindunt*. Tonsuræ & rasura capillorum in funeribus etiam Græcis usitata fuit luctus causa. Euripides in Alcestide actu 1.

—— ἢ τεμῶ τρίχα
ἢ μέλανα στολμὸν πέπλων
ἀμφιβαλώμεθ' ἤδη;

Id est, num comam secem, aut pullo cultu vestium jam indui oportet? Et actu 2.

Πένθος γυναικὸς τῆς δὲ κοινοῦσθαι λέγω
Κουρᾷ ξυρηκεῖ, καὶ μελαμπέπλῳ στολῇ.

Id est, hujus mulieris luctus jubeo esse participes comæ rasura, & pullis amiculis. Sic olim apud Ægyptios in quacumque domo canis mortuus fuerat, omnes domestici universo corpore raso magno luctu afficiebantur, ut scribit Eusebius lib. 2. de præparatione Evangelica cap. 1. Ungulæ, quarum in hoc capitis loco fit mentio, sunt instrumenta ferrea præcurva, & acuta in modum unguis lacerandæ carni idonea, quibus carnifices olim in Martyrum suppliciis utebantur, quæ & fidiculæ dicuntur, ut clarum est ex S. Isidoro lib. 5, Originum cap. 27. *Ungulæ dictæ quod effodiant: hæ & fidiculæ; quia his rei in eculeo torquentur, ut fides inveniatur*. Idem patet ex Glossis Cyrilli: ὄνυχες οἱ εἰς τὰ βασανιστήρια. *fidiculæ*. id est, ungues seu ungulæ, quarum est usus in torturis, seu quæstionibus. Idem facile colligitur ex Prudentii Peristephano de S. Romano Martyre:

——*Cum furens interserit*
Asclepiades, vertat illum carnifex
In os loquentis, inque maxillas manum
Sulcosque acutos, & fidiculas transferat.

Et paulo post:

Implet jubentis dicta lictor improbus
Charaxat ambas ungulis scribentibus
Genas ——

Ubi vides, cum imperavit præses genas Martyris lacerari fidiculis; postea a Poeta subjungi genas Martyris a ministris ungulis charaxari scribentibus: ex quo liquido constat hæc vocabula ejusdem esse significationis. Isidorus a fide nomen deducit; sed verbale est a præterito *fidi*, verbi *findo*. Hujusmodi ungulæ erant bisulcæ, seu bifidæ, id est duos mucrones habebant incurvos, ut clarum est ex eodem Hymno:

—— *Sponte nodas offerens*
Costas bisulcis exsecandas ungulis.

Unde infra appellatur ungula hiulcus mucro.

Scindunt utrumque milites teterrimi
Mucrone hiulco pensilis latus viri.

Et hæc de ungulis. τὸ *Herbarius*, quod sequitur, est veneficus, ob herbas maleficas & herbarum venena, quibus veneficus utitur. Unde vocabulum

A Gallicum *enherber*, id est veneno aliquem necare. Vetus Poeta:

Soubs gist le frais Serpent en herbe,
Fuyez, enfans, car il enherbe,

Ante hæc verba: *Si cessaverit suscipere eum*, desunt nonnulla: non enim cohærent ista superioribus. Vocabulum, *acceptor*, correptum est; lege, *accipiter*. Hic pœnitentia datur ob morticini, & suffocati esum, qui etiam prohibetur can. 63. Apostolorum, & can. 67. sextæ Synodi. Huc spectat illud Burchardi cap. 5. libri 19. *Comedisti morticina, id est animalia, quæ a lupis, seu a canibus*
B *dilacerabantur, & sic mortua inventa sunt: si fecisti, decem dies in pane & aqua pœnitere debes. Comedisti aves quas oppresserat accipiter, & non prius occidisti eas ferro aliquo? si fecisti, quinque dies in pane & aqua pœniteas*. Sequitur, *Si gallina in puteo mortua fuerit*, &c. His fere similia referuntur a Burchardo lib. 19. cap. 106. ex Pœnitentiali Romano: *Si quis dederit alicui liquorem in quo mus, vel mustela mortua inventa sunt; si laicus est, septem dies pœniteat: si in cœnobiis contigerit, trecentos Psalmos cantet. Qui postea noverit quod talem potum biberit, sexaginta Psalmos cantet*. Sequitur. *Si quis mas, aut gallina*, &c. haud absimile est id quod refertur a Burchardo,
C ex eodem Pœnitentiali Romano: *Qui comedit, vel bibit intinctum a familiari bestia, id est cane, vel cato, & scit, centum Psalmos cantet: si nescit, duos dies jejunet: vel si redimere voluerit, quinquaginta Psalmos cantet*. Sequitur, *Si piscis mortuus fuerit in piscina*, &c. Huic simile est illud Burchardi lib. 19. cap. 5. *Comedisti piscem, qui mortuus est in flumine inventus? si fecisti, tres dies in pane & aqua pœniteas*. In his verbis, *Nemo manducet carnem ejus*, τὸ *ejus* refertur ad τὸ *animalis*, cum quo homo coierit. Sequentia, *Si voluerit pro anima sua dare*, &c. hæc corrupta sunt, nec satis superioribus cohærent, & sic legenda arbitror: *Si voluerit pro anima sua dare eleemosynam de his pecuniis quæ fuerant de præda, & suam*
D *egit pœnitentiam, potestatem habet*.

Huc usque codex Corbeiensis, in quo, ut arbitror, finis hujus Pœnitentialis desideratur. Hæc autem breviter perstrinximus, ut aliquam lucem huic Pœnitentiali afferre possemus. Nec plura de antiquorum pœnitentia Christianorum scribimus, cum ante nos multi docti viri in hoc campo decurrerint, ac præsertim Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis lib. 2 observationum, Johannes d'Artis Juris in Universitate Parisiensi Antecessor & Professor regius, in libro de Canonica Ecclesiæ disciplina circa Sacramenta, &c. & Dionysius Petavius Societatis Jesu in animadversionibus in sanctum Epiphanium ad hæresim LIX.
E quæ est Novatianorum: nec est nostræ consuetudinis omnia doctorum scripta congerere, ut faciunt hodie nonnulli immanium voluminum consarcinatores, qui librorum mole non tam musas ornant, quam Bibliothecas, & Bibliopolarum officinas onerant. Sed redeamus ad propositum.

Nota 680. MISSA PRO EPISCOPO DEFUNCTO.

Sequuntur Missæ [a] pro defunctis, quarum mentio est in Concilio Bracarensi. 1. can. quarum causa aliquid de exequiis defunctorum dicemus duobus hic descriptis exequiarum officiis, uno ex codice ms. Remensi, altero ex codice ms. Ratoldi Abbatis. Sic igitur Remensis codex: x

Incipit officium pro defunctis. In primis cantatur Psalmus, In exitu Israel, *cum Antiphona, vel*
F Alleluia: *Deinde has orationes cantat Presbyter*:

Piæ recordationis affectu, fratres carissimi, commemorationem faciamus cari nostri *ill.* quem Dominus de tentationibus seculi adsumsit, obsecrantes

[a] De defunctorum memoria, & pro eorum quiete orationibus, vide apud Epiphanium, de expositione fidei n. 23. *Jam vero quod ad mortuos spectat, nominatim illorum fit mentio; ac preces & sacrificia, ministeriaque frequentantur*. Consule animadversiones doctiss. Petavii Tom. 2. p. 367. Plura de hoc argumento lege in notis ad lib. 4. Dialog. Cap. 55. De eleemosynis ad mortuorum refrigerium lege Paulinum Ep. 33. ad Alethium: *Benedictæ conjugis tuæ animam refecisti, in illam transfundente Christi manu, quæ tuo pauperibus erogabantur*. Et in fine ejusdem epistolæ: *Jam pascitur tuis panibus, et affluit tuis opibus*.

tes miſericordiam Dei noſtri, ut ipſi retribuere dignerut placiram, quietam manſionem: remittat omnes lubricæ temeritatis offenſas; ut conceſſa plenæ indulgentiæ venia, quidquid in hoc ſeculo proprius error attulit, totum ineffabili pietate ac benignitate ſua compenſet. Per Dom. *Collecta ſequitur*: Diri vulneris novitate perculſi & quodammodo cordibus ſauciati miſericordiam tuam, mundi Redemtor, fidelibus vocibus imploramus: ut cari noſtri animam, &c. *Collecta ſequitur:* Tu nobis, Domine, auxilium præſtare digneris, tu opem, tu miſericordiam largiaris, Spiritum etiam famuli tui *ill.* ac cari noſtri, &c. *Item alia:* Suſcipe, Domine, animam ſervi tui revertentem ad te de Ægypti partibus, proficiſcentem ad te. Emitte Angelos tuos ſanctos in obviam illi, & vias juſtitiæ demonſtra ei, &c. *Item Præfatio defunctorum*: Antiqui memores chirographi, fratres dilectiſſimi, quo primi hominis peccato, & corruptioni addicta eſt humana conditio, ſub cujus leges ibi unuſquiſque formidat, quod alii accidiſſe videat, Omnipotentis Dei miſericordiam deprecemur pro Spiritu cari noſtri, cujus hodie depoſitio celebratur; ut eum in æterna requie ſuſcipiat, & beata reſurrectione repræſentet. Per. *Collecta nunc ſequitur:* Deus, qui juſtis ſupplicationibus præſto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo N. cujus diem depoſitionis hodie officia pia præſtamus, cum ſanctis atque electis tuis beati muneris portionem. *Dicuntur capitula. In memoria. & rel. Ne tradas beſtiis. & rel. Exultent juſti. & rel. Pretioſa eſt. & rel. Exultabunt ſancti. & rel. Item Oratio antequam ad ſepulcrum deferatur. Præfatio.* Deum judicem univerſitatis, Deum cæleſtium & terreſtrium & infernorum Dominum deprecemur pro Spiritu cari noſtri *ill.* ut eum Deus in requiem collocare dignetur, & in parte primæ reſurrectionis reſuſcitet. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Collecta ſequitur:* Te, Domine ſancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur pro ſpiritu famuli tui illius, quem ab originibus hujus ſeculi ad te arceſſire præcepiſti, &c. *Item nunc Præfatio*: Omnipotentis miſericordiam deprecemur, cujus judicio aut naſcimur aut finimur, ut ſpiritum fratris noſtri *ill.* quem Domini pietas de incolatu mundi hujus tranſire præcepit, requies æterna ſuſcipiat, & eum beata reſurrectione præſentet, & in ſinibus Abrahæ, Iſaac, Jacob collocare dignetur. Per Dominum noſtrum. *Collecta ſequitur*: Deus qui univerſorum Creator & Conditor es, qui cum ſis tuorum beatitudo Sanctorum, præſta nobis petentibus, &c. *Item Oratio ad ſepulcrum priuſquam ſepeliatur*: Oremus, fratres cariſſimi, pro ſpiritu cari noſtri *ill.* quem Dominus de laqueo hujus ſeculi liberare dignatus eſt, cujus corpuſculum hodie ſepulturæ traditur: ut eum Domini pietas inter Sanctos & Electos ſuos, id eſt in ſinu Abrahæ. & Iſaac, & Jacob collocare dignetur. & partem habeat in prima reſurrectione ad quam factus eſt, orantibus nobis per Dominum. *Collecta ejuſdem ſequitur*: Opus miſericordiæ tuæ eſt, Pater omnipotens, æterne Deus, rogare pro aliis, qui nobis non ſufficimus. Suſcipe, Domine, animam ſervi tui *ill.* &c. *Præfatio poſt ſepulturam:* Debitum humani corporis ſepeliendi officium fidelium more complentes, Deum cui omnia vivunt fideliter deprecemur, ut hoc corpus a nobis in infirmitate ſeptum, in virtute & ordine Sanctorum reſuſcitet: ut ejus ſpiritum & fidelibus jubeat adgregari, cuique in judicio miſericordiam tribuat, quemque morte redemtum, * debitum ſolutum Patri reconciliatum, boni paſtoris humeris reportatum, Spiritu ſancto protectum, in comitatu æterni regis perenni gaudio & Sanctorum conſortio perfrui concedat. Per Dominum. Omnipotens æterne Deus, qui humano corpori a te ipſo animam inſpirare dignatus es, &c. Redemtor animarum Deus, æternitatem conceda functis, &c. Commendamus tibi, Domine, animam fratris noſtri *ill.* &c. Migrantium in nomine tuo de hac inſtabili & tam incerta ſempiternam illam vitam ac lætitiam cæleſtibus præſta ſalvam. Per Dominum noſtrum.

* l. ep. debita.

Hactenus officium ſepulturæ ex codice Remenſi. In quod hæc paucula notanda ſunt, & in primis hæc verba *vel alleluia*; ex quibus conſtat olim hanc lætitiæ vocem in defunctorum officium non fuiſſe prætermiſſam, ob lætitiam quæ toti Eccleſiæ ex morte Juſtorum obvenit: ut videre eſt apud S. Hieronymum in epitaphio Fabiolæ: *Et jam fama volans tanti prænuntia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat: ſonabant Pſalmi, & aurata tecta templorum in ſublime quatiebat alleluia.* [a] Hæc lætitiæ vox a Græcia canitur in Liturgia εἰς κοιμηθέντας, id eſt, de his, qui dormierunt, finita Epiſtolæ lectione. Poſt hæc verba, *Cantat Presbyter*, videtur deeſſe τὸ *Præfatio*, quia non eſt hæc Oratio, ſed orationis denuntiatio, quemadmodum infra ſcriptum eſt: *Item Præfatio defunctorum:* ſiquidem eſt denuntiatio ſeu invitatio Presbyteri per quam invitat populum ad orandum, quemadmodum ſupra notavimus ad feriam quartam majoris hebdomadæ.

Itaque in ſacris hoc nomen Præfatio biſariam uſurpari notandum eſt, primo pro illa Præfatione, ſeu gratiarum actione, & diſpoſitione ad conſecrationem, quæ Canoni Miſſæ præmitti ſolet; ſecundo pro illa denuntiatione, ſeu invitatione ad orandum a Presbytero pronuntiata, quæ Collectæ ſeu Orationi præponi ſolet, ut in hoc defunctorum officio facile eſt animadvertere. Poſtea ſequuntur capitella qui ſunt verſiculi quidam, ut ex ipſomet Officio conſtat. Idem patet ex Concilio Agathenſi can. 33. *Et in concluſione matutinarum vel veſpertinarum Miſſarum, poſt hymnos capitella de Pſalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad veſperum ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur.* Sumitur etiam pro Collecta ſeu Oratione. Gregorius Turonenſis lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 5. *Nam noveritis fratrem meum Martinum Sacerdotem egreſſum fuiſſe de corpore, me autem eius funeri obſequium præbuiſſe, peractoque ex more ſervitio, capitellam vobis exeuntibus non explevi.* Teridius in regula monachorum n. xxi. *Perfectis Miſſis dicite matutinos directaneo.* Exaltabo te, Deus meus & Rex. *Deinde.* Confitemini. *Inde.* Cantemus Domino. Lauda, anima mea, Dominum. *Benedictionem* (leg. *benedictiones*) Laudate Dominum de cælis. Te Deum laudamus. Gloria in excelſis. *Et capitello.* (lege, *capitellum*) *omni Dominica ſic dicatur.* Poſt hæc verba, *Priuſquam ſepeliatur*, videtur deſiderari τὸ *Præfatio.* Nam hæc quæ ſequitur, Oratio non eſt, ſed Præfatio.

His ita elucidatis exſcribendum eſt officium ſepulturæ ex cod. mſ. Raroldi Abbatia in hunc modum: *Incipiunt orationes in agenda mortuorum. Cum anima in agone ſui exitus diſſolutione corporis viſa fuerit laborare, convenire ſtudebunt fratres, vel ceteri quique fideles: & canendi ſunt ſeptem pœnitentiæ Pſalmi, id eſt duo,* Domine, ne in furore tuo, *& duo,* Domine exaudi. Beati quorum. *&,* De profundis, *&,* Miſerere mei, Deus, *Atque agenda eſt Letania, prout permiſerit ratio temporis, ſecundum quod in cauſa egreſſuri perſpici poterit, vel æſtimari. Finitis autem Sanctorum nominibus, mox incipiatur ab omnibus reſponſus:* Subvenite ſancti Dei. *Quo finito, dicat ſacerdos hanc orationem ſive commendationem pro eo: Oratio*, Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui ill. ut defunctus ſeculo tibi vivat, &c. *Alia:* Miſericordiam tuam, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu rogare pro aliis cogimur, &c. *Si autem quidem ſupervixerit, canantur alii Pſalmi, vel agatur letania, uſquequo anima corpore corruptionis abſolvatur: In cujus egreſſa dicatur Antiphona:* Suſcipiat te Chriſtus, qui vocavit te, & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te. *Pſal.* In exitu Iſrael. *Sequitur Oratio:* Om-

a Ad hæc referri poteſt, quod legitur apud Vict. Vit. hiſt. Vandal. perſec. cap. 5. *Quis vero ſuſtineat, ac poſſit ſine lacrymis recordari, cum præciperet noſtrorum corpora defunctorum, ſine ſolemnitate hymnorum, cum ſilentio ad ſepulturam perduci?*

Omuipoteus sempiterne Deus, qui humano corpori animam ad similitudinem tuam inspirare dignatus es. &c. *Item Antiphona:* Chorus Angelorum te suscipiat, & in sinu Abrahæ te collocet; ut cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem. *Psalm.* Dilexi quoniam, *usque*, Ad Dominum cum tribularer. *Sequitur Oratio:* Diri vulneris novitate perculsi, & quodammodo cordibus sauciati, &c: *Tunc rogat pro ea Sacerdos orare:* Et ne nos inducas in tentationem. Requiem æternam. Anima ejus in bonis demorabitur. Et non intres in judicium. A porta inferi. Partem beatæ resurrectionis obtineat, vitamque æternam habere mereatur in cælis, per te Christe Jesu, qui vivis & regnas Deus per omnia secula seculorum. *Alia:* Deus, cui soli competit medicinam præstare post mortem, &c. *Tunc lavatur corpus defuncti. Oratio post lavationem corporis antequam de domo efferatur:* ORATIO. Suscipe, Domine, animam servi tui N. quam de ergastulo hujus seculi vocare dignatus es &c. *Alia:* Suscipe, Domine, animam servi tui N. ad te revertentem; vestem cælestem induc eam, & lava eam sancto fonte vitæ æternæ, &c. *Tunc cum Responsa*, Subvenite, Sancti Dei, *& aliis Responsis defunctorum deportatur: & cum adpropinquatum fuerit Ecclesiæ, canitur Psalmus*, Miserere mei, Deus, *cum Antiphona*, Requiem æternam. *In Ecclesia autem requiescet corpus defuncti, quoadusque pro ejus anima Missa canatur, & offeratur ab omnibus, quibus fuerit visum. Incipiunt Missæ. Oratio:* Quæsumus, Domine, pro tua pietate miserere animæ famuli tui *ill.* & a contagiis mortalitatis exutam, &c. *Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.* Fratres, Nolumus autem vos ignorare de dormientibus, &c. *Sequitur secundum Johannem.* In illo tempore dixit Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, &c. *Super oblata:* Animam famuli tui *ill.* Domine, ab omnibus vitiis & peccatis conditionis humanæ hæc absolvat oblatio, quæ totius mundi tulit immolata peccatum. Per Dominum, *Præfatio:* æterne Deus, Quoniam quamvis humano generi mortis illata conditio * pectora humana mentesque contristet, & tamen clementiæ tuæ dono spe futuræ immortalitatis erigimur: ac memores salutis æternæ non timemus lucis hujus sustinere jacturam. Qnoniam beneficio gratiæ tuæ fidelibus vita non tollitur, sed mutatur: atque animæ corporeo ergastulo liberatæ horrent mortalia, dum immortalia consequuntur. Unde quæsumus ut famulus tuus *ill.* beatorum tabernaculis constitutus, evasisse se carnales glorietur angustias, diemque judicii cum fiducia voto glorificationis expectet. *Infra actionem:* Hanc igitur oblationem quam tibi pro anima famuli tui *ill.* offerimus, quem hodie carnali corruptione liberasti, quæsumus, Domine, placatus accipias; & quidquid humanæ conditionis obreptione contraxit, expedias: ut tuis purificata remediis, ad gaudium sempiternum perveniat. Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Ad complendum:* Prosit, Domine, quæsumus, animæ famuli tui *ill.* *Post celebrationem denique Missæ stat Sacerdos juxta feretrum & dicit hanc orationem:* Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, *ill.* quoniam nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur remissio &c. *Sequitur Responsorium:* Subvenite Sancti Dei. *Versus:* Chorus Angelorum eam suscipiat, & in sinu Abrahæ eam collocet. *Et ter:* Kyrie eleison. *Item Oratio:* Deus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, &c. *Sequitur Responsorium:* Antequam nascerer, novisti me. *Versus:* Commissa mea pavesco. *Et ter:* Kyrie eleison. *Item Oratio:* Fac quæsumus, Domine, hanc cum servo tuo defuncto *Ill.* misericordiam, &c. *Tunc rogat pro eo orare Sacerdos:* Et ne nos inducas. Requiem æternam. A porta inferi. *Oratio:* Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, &c, *Et sic levatur de Ecclesia cum Antiphona:* Aperite * illi portas justitiæ, *& Psalmo.* CXVII. Id est, Confitemini Domino quoniam bonus. *Et deportatur usque ad sepulcrum. Oratio ante sepulcrum:* Piæ recordationis affectu, fratres carissimi, commemorationem faciamus cari nostri *ill.* quem Dominus de tentationibus hujus seculi assumsit, &c. *Sequitur Antiphona:* Ingrediar in locum tabernaculi. *Psalm.* Quemadmodum desiderat. *Oratio:* Obsecramus misericordiam tuam, omnipotens æterne Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, &c. *Sequitur Antiphona:* Hæc requies mea in seculum seculi. *Psalm.* Memento, Domine David. *Oratio:* Deus apud quem mortuorum spiritus vivunt, & in quo Electorum animæ, deposito carnis onere, plena felicitate lætantur, &c. *Sequitur Antiphona:* De terra plasmasti me. *Psalm.* Domine probasti me. *Et ponitur in sepulcro corpus defuncti. Orationes post sepultum corpus:* Oremus, Fratres carissimi, pro spiritu cari nostri *ill.* &c. *Alia:* Deus, qui justis supplicationibus semper præsto es, qui pia vota dignaris intueri, &c. *Item alia oratio:* Deus vitæ dator, & humanorum corporum reparator, qui te a peccatoribus exorari voluisti, &c. *Item alia:* Deus qui humanarum animarum æternus amator es, &c. *Alia:* Deus, qui justi supplicationibus semper præsto es &c. *ut supra*, sed superiore diffusior est. *Item alia:* Temeritatis quidem est, Domine, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Domino Deo nostro audeat commendare, &c. *Alia:* Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia vivunt, * suppliciter deprecemur, &c. *Tunc rogat pro eo orare Sacerdos, & dicit capitula sicut superius:* Et partem beatæ resurrectionis obtineat, vitamque æternam habere mereatur in cælis, per te Christe Jesu, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen. *Psalm.* Miserere mei, Deus, secundum magnam. Requiem æternam. *Sequitur Oratio:* Absolve, Domine, animam famuli tui *ill.* ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos tuos resuscitatus respiret. Per Dominum nostrum, &c. Amen. Requiescat in pace. Amen.

Hactenus officium exequiarum ex codice Ratoldi: in quo primo notandum est ª Agendam sumi pro officio divino. S. Benedictus cap. 13. Regulæ: *Plane agenda matutina vel vespertina non transeat aliquando*, &c.

Secundo commendationem esse orationem pro mortuis. Meminit Concilium Milevitanum 2. can. 12. *Sive præfationes, sive commendationes, sive manuum impositiones ab omnibus celebrentur.* Et Concilium Toletanum 4 can. 12. *Componuntur Missæ, sive preces vel orationes, sive commendationes.* Est etiam officium pro defunctis. Concilium Carthagin. 3. can. 29. *Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, seu Clericorum, sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniantur.*

Tertio notanda est lotio corporis defuncti juxta antiquam Christianorum consuetudinem, qui defunctis omnia pietatis officia exhibere solent, præsertim ob spem futuræ resurrectionis, quæ ab Apostolis ad nos manavit, ut videre est Act. 9. de Tabitha Joppensi mortua, quæ S. Petri ministerio revixit: *Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.* Hujus lotionis mentio est apud Eusebium lib. 7. hist. Eccl. cap. 17. ex Dionysio Alexandrino: *Quin etiam Sanctorum corpora, manibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, illis adhærescere, complecti,* λουτροῖς καὶ περιστολαῖς κατακοσμοῦντες, id est, *lavare, & vestibus induere non gravati sunt.*

* In ms. peccata nostra contristet; tamen. Sed error est manifestus.

* In ms. illi, & ex al. manu supra inter lineas, mihi.

* In ms. fideliter, sed male.

ª In edit Pamel. legitur: *in Agenda mortuorum ordinibus.* In cod. Reg. Suec. *item alia orat. in Agenda mortuorum.* Porro Doctissimus Quenellius censet Agendam, in libris liturgicis, idem significare ac Missam; & *actionem* in Canone esse consecrationem ipsam; laudatque Eminentissimum Card. Bona l. 1. cap. 3. Rerum Liturg. Lege integram notam S. Quenelli ad Ep. xi. S. Leonis.

Apud Gregorium Turonenfem cap. 3. lib. de vita Patrum, de S. Gallo Arvernæ Epifcopo: *Exinde ablutus atque veftitus in Ecclefiam defertur*. Et multis aliis locis. Nihil agitur hic de mortui corporis unctione, quæ tamen apud multos olim ufitata fuit; ut clarum eft ex Prudentio in Cathemerino hymno de exequiis defunctorum:

Afperfaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine fervat.

Corippo lib. 3. in laudem Juftini minoris:

Centum aliæ fpecies, unguentaque mira feruntur,
Tempus in æternum facrum fervantia corpus.

Quod fane etiam in primordiis nafcentis Ecclefiæ factitatum fuiffe conftat ex Tertulliano in Apologetico: *Thura plane non emimus. Si Arabiæ queruntur, fciant Sabæi pluris & cariores fuas merces Chriftianis fepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.*

Fuit alia defunctorum unctio, sed inter ipfas exequias cum divinis hymnis decantatis μετὰ τὸν ἀσπασμὸν ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης, id eft, poft falutationem defuncto oleum infundit Pontifex, inquit Dionyfius cap. 7. Hierar. Eccl. Quæ quidem unctio non ad cadaveris confervationem in ufu erat, fed ad declarandum eum, qui defunctus eft, jam facris certaminibus effe functum, quemadmodum ante baptifmum oleo fuerat unctus in fignum fubeundorum ejufmodi certaminum, ut fcribit idem Dionyfius. Exftiterunt olim quidam hæretici, quos Theodoretus in libro 1. de hæretic. fabul. hærefi 15. Afcodrytas vocat, qui defunctos fuos ungebant, fed vana quadam fuperftitione ducti, quam notat S. Irenæus lib. 1. adverfus hærefes cap. 18. *Alii funt, qui mortuos redimunt, in fine defunctionis mittentes eorum capitibus oleum & aquam, five fupra dictum unguentum* (opobalfamum) *cum aqua, & cum fupradictis invocationibus, ut incomprehenfibiles, & invifibiles principibus & poteftatibus fiant, ut fuperafcendat fuper invifibilia interior ipforum homo, quafi corpus quidem ipforum in creatura mundi relinquatur, anima vero projiciatur Demiurgo*. Unctos veftibus induebant, ut conftat ex Johanne Mofcho cap. 78. Limonarii de quadam puella, quæ ἐτάφη μετὰ πολλῶν τῶν ἱματίων, id eft, fepulta eft cum multis veftibus; illæque pretiofæ erant pro qualitate perfonæ videlicet. S. Hieronymus in fine vitæ S. Pauli: *Cur & mortuos veftros auratis obvolvitis veftibus? cur ambitio inter luctus lacrymafque non ceffat?* S. Auguftinus lib. 9. Confeff. cap. 13. *Namque illa imminente die refolutionis fuæ, non cogitavit corpus fuum fumtuofe contegi*. Gregorius Turonenfis lib. 8. hift. cap. 21. *In bafilica urbis Metenfis fepulta eft cum grandibus ornamentis & multo auro*. Conftantini magni corpus purpurea imperialique vefte & diademate ornatum & in aurea capfa inclufum fepultum eft, ut fcribit Eufebius lib. 4. de vita Conftantini cap. 66. Quali vafte ornatus Imperator Juftinianus fepultus fuerit, fic defcribit Corippus lib. 1. in laudem Juftini minoris:

Et tulit intextam pretiofo murice veftem,
Juftinianorum feriee ubi tota laborum
Necto auro infignita fuit, gemmifque corufca,
Illic barbaricas flexa cervice phalanges,
Occifos reges, fubjectafque ordine gentes
Pictor acu tenui, multa formaverat arte.
Fecerat & fulvum diftare coloribus aurum,
Omnis ut afpiciens ceu corpora vera putaret
Effigies auro, fanguis depingitur oftro.
Ipfum autem in media victorem pinxerat aula
Effera Vandalici calcantem colla tyranni,
Plaudentem Libyam fruges laurumque ferentem.
Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exerto & nudam geftantem pectore mammam
Altricem imperii libertatifque parentem.
Hæc ideo fieri vivens Sapientia juffit,
Ornatum ut propriis funus regale triumphis
Auguftum in tumulum fatalis duceret hora.

Non difpare fepultus eft ornatu Carolus Magnus, ut fcripfit quidam monachus Engolifmenfis in ejus vita: *Corpus ejus aromatizatum eft, & in fede aurea pofitum eft in curvatura fepulcri, enfe aureo accinctus, Evangelium aureum tenens in manibus, reclinatis humeris in cathedra, & capite honefte erecto ligato aurea cathena ad diadema: & in diademate lignum fanctæ Crucis pofitum eft. Et repleverunt fepulcrum ejus aromatibus, pigmentis, balfamo & mufco, & thefauris multis in auro. Veftitum eft corpus ejus veftimentis imperialibus, & fudario fub diademate facies ejus operta eft. Cilicium ad carnem ejus pofitum eft, quod fecreto femper induebatur; & fuper veftimentis imperialibus pera peregrinalis aurea pofita eft, quam Romam portare folitus erat. Sceptrum aureum & fcutum aureum, quod Leo Papa confecraverat, ante eum pofita funt dependentia. Et claufum & figillatum eft fepulcrum ejus*. S. Gregorius Nyffenus in Epift. ad Melitinenfem Epifcopum de fepulcrorum violatoribus agens, fepultorum meminit ornamenti. Unde olim tot leges in fepulcrorum violatores. Non tamen hic mos ita fuit Ecclefiæ univerfalis, quin alicubi defunctorum corpora linteo candido involverentur; quod innuit Prudentius hymno fupra citato.

Candore nitentia claro
Tendere lintea mos eft.

Epifcopi defuncti veftibus induebantur facerdotalibus feu Pontificalibus. Beda apud Amalarium capite mox citando agens de fepultura S. Cutberti Lindisfarnenfium Antiftitis: *Veftimento facerdotali indutus*. Flodoardus lib. 4. hift. Eccl. Rem. cap. 48. agens de inventione S. Merulilani Scoti: *Confpiciafque videt corpus integram facerdotalibus infulis redimitum*. Credibile eft enim hunc fanctum virum Epifcopum fuiffe, quia peregrini Scoti illi Clerici, ut plurimum, erant Epifcopi, regionarii videlicet, fine titulo confecrati. Idem legitur de S. Birino Epifcopo Dorceftrenfi apud Surium tertio Decembris: *Inventus eft quoque annulus, item crux plumbea, calix parvus, particulæ veftimentorum ejus*, quæ fane Pontificalia funt, ut ex circumftantiis clarum eft; & de S. Gebhardo Epifcopo Conftantienfi lib. 1. vitæ illius cap. 22. *Cum ergo lotus, & facerdotalibus, ut moris eft, veftibus indutus, & feretro impofitus ad Ecclefiam fuiffet deportatus*. Hinc capiendus eft S. Gregorius Turonenfis cap. 3. libri de vita Patrum, de S. Gallo Arvernæ Epifcopo: *Exinde ablutus & veftitus in Ecclefiam defertur*. Et cap. 4. de S. Gregorio Lingonum Epifcopo: *Sed nec de ipfo veftimento, quod cum eo pofitum fuit, aliquid oftenfum eft diminutum*. Sed & aliquando ufitatum fuit, ut facrum Chrifti corpus, quod Euchariftiam feu oblatam vocant, fuper Epifcopi defuncti pectus in fepulcro collocaretur, ut docet Amalarius Fortunatus lib. 4. de Offic. Eccl. cap. 42. ex Beda: *Aperte Domnus Beda declarat in exequiis S. Cutberti, quomodo veftiri oporteat Epifcopum defunctum. Ita enim fcribit de eius exequiis. Poftquam ergo fanctæ memoriæ Cutbertus Epifcopus, peracta communione, elevatis oculis ac manibus ad Deum, commendans ei animam fuam & emittens fpiritum, fedenfque fine gemitu obiit in via Patrum, a navigantibus ad infulam noftram delatus, toto corpore lavato, capite fudario circumdato,*

Apud Henr. Can. tit. 6. ant. lect.

oblatu

oblata super sanctam pectus posita, vestimento sacerdotali indutus, in obviam Christi calceamentis suis præparatas, in sindone cerata involutus animam habens cum Christo gaudentem. Subjungit Amalarius haud dubie hunc esse morem Ecclesiæ Romanæ, quod Angli ab illa per S. Augustinum S. Gregorii discipulum fidem acceperint: qui tamen locus eum apud Bedam non reperiatur, nec libro 4. hist. Anglorum, in quo fuse de S. Cutberto scribit, neque in vita S. Cutberti ab eo scripta, existimo aliquid in excusis Bedæ exemplariis deesse: quia non arbitror adeo vecordem fuisse Amalarium, qui mendaciter ea finxerit. Id etiam videtur in vita S. Basilii, quæ nomine S. Amphilochii circumfertur: *Et dividens panem in tres portiones, unam quidem suscepit cum timore multo, aliam vero servavit ad consepeliendum sibi, tertiam vero super columbam argenteam suspendit super altare*. Neque hoc vetitum fuit in Concilio Carthag. 3. can. 6. *Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur; dictum est enim a Domino, Accipite & edite; cadavera autem nec accipere possunt, nec edere*. Neque a Concilio Autisiodorensi, can. 12. *Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi*. Nam hæc Concilia agunt in eos, qui Eucharistiam in os defunctorum gratia communionis inferebant. Unde Concilium Carthaginense recte subjungit: *Dictum est enim a Domino, Accipite & edite*, &c. & Autisiodorense, *nec osculum tradi*: quia sumturi Eucharistiam se mutuo osculabantur. Cum igitur loci ex Beda & Amphilochio citati nullo modo spectent ad mortui communionem, sed ad collocationem Eucharistiæ super illius pectus, nihil extat in illis, quod citatis conciliis adversetur. Unde S. P. N. Benedictus sacrorum canonum haud ignarus, ut quem bis evomuerat terra puerum monachum repentina morte raptum in ædibus parentum, quos sine Abbatis benedictione convenerat, reciperet, ejus parentibus *manu sua protinus communionem corporis Dominici dedit, dicens: Ite, & hoc Dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite*: quod cum factum esset, terra puerum non amplius evomuit, ut scribit S. Gregorius lib. 2. dial. cap. 24

Idem videre est in civora S. Birini vita.

Secundo in hoc Officio Ratoldi Abbatis sequitur elatio cadaveris cum cantu, quam etiam videmus apud Corippum lib. 3. in laudem Justini minoris:

——Nil plura moratus
Augustus nuta tolli sublime feretrum
Imperat, & tota populus processit ab aula.
Omnis in exequias sexus conveait & ætas.
Quis numerare potest tantæ miracula pompæ,
Hinc Levitarum venerabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus, vox æthera pulsat.

Tertio super ipsum corpus in Ecclesiam delatum, antequam terræ mandetur, celebratur sacrum Missæ sacrificium juxta antiquum morem, qui patet ex S. Augustino lib. 9. Confess. cap. 12. *Cum corpus elatum est, imus & redimus sine lacrymis: nam neque in eis precibus, quas fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet*. Concilio Valentino Hispaniæ cap. 4. *Post oblatum in ejus commendationem sacrificium Deo, mox sepulturæ tradat diligentissime*. S. Gregorio Turonensi in vitis Patrum de S. Lupicino: *Celebratis missis, cum summo honore gaudioque sepultus est*: & multis aliis, quorum testimonia producere tædiosum esset.

Quarto nota cani *Kyrie eleison*, juxta usum veterem prout præcipitur in quodam Concilio Arelatensi apud Severinum Binium post Concilium 3. Arelatense. Postquam enim Concilium prohibuit in exequiis defunctorum carmina diabolica & prophana, subjungit: *Si quis autem cantare desiderat, Kyrie eleison cantet*.

Quinto notanda sunt hæc verba, *Et sic levatur de Ecclesia*, cadaver scilicet, quod deportandum erat extra Ecclesiam; ex quo apparet olim omnibus non fuisse licitum in Ecclesiis seu basilicis sepulturam consequi. Id plane vetat Concilium Nannetense can. 6. *Prohibeadum etiam secundum majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio aut in portico, aut extra Ecclesiam. Infra Ecclesiam vero aut prope altare, ubi corpus Domini & sanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam sepeliendi*. 13. quæst. 2. cap. *Præcipiendum* idem decretum profertur ex Concilio Vasensi: *Nulli in Ecclesiis sepeliantur, sed in atrio, aut in exedris Ecclesiæ*. Sed hoc decretum desideratur in duobus Conciliis Vasensibus. Extat in Concilio Bracarensi 1. cap. 36. *Item placuit ut corpora defunctorum nullo modo intra basilicam Sanctorum sepeliantur: sed si necesse est, deforis circa murum basilicæ usque adeo non abhorret*. Concilium Moguntinum sub Carolo Magno celebratum cap. 52. excipit quasdam personas: *Nullus mortuus infra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici, qui per vitæ meritum talem vivendo suis corporibus locum acquisierint*. Hæc posteriora verba, *Qui per vitæ meritum*, &c. non extant in tomo 2. Conciliorum Galliæ. Verum ante Concilium 1. Bracarense liberum fuit Christianis intra septa Ecclesiarum sepeliri. Id clarum est ex quæstione illa S. Paulini, qui interpellavit S. Augustinum, *Utrum prosit alicui post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur*: cui S. Augustinus respondens, egregium illum de cura pro mortuis agenda librum composuit. De his plura vide lib. 1. p. 3. cap. 14 reverentissimi ac doctissimi viri Henrici Spondani Apamiarum Episcopi de cœmeteriis sacris.

Sexto notandum est hic ad finem cujusque Psalmi, qui ante sepulcrum canitur, Orationem seu Collectam interponi; quod fit ex prisca consuetudine, quam videre est apud Cassianum lib. 2. de nocturnis orationibus cap. 7. *Apud illos* (monachos Ægypti) *non item; sed antequam flectant genua, paulisper orant, & stantes supplicatione majorem temporis partem expendunt. Itaque puncto brevissimo procidentes humi, velut adorantes tantum divinam clementiam, summa velocitate consurgunt. Et rursus erecti expansis manibus, eodem modo, quo prius stantes oraverant, suis precibus instantius immorantur*. Et paulo post: *Cum autem is qui orationem collecturus est, e terra surrexerit, omnes pariter eriguntur*. Ibi enim agitur de orationibus quæ in ipsis Psalmorum interstitiis dicuntur.

In eodem codice Ratoldi Abbatis in Missa pro Sacerdote vel Abbate, post Evangelium hæc oratio notanda venit: *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui* ill. *ut requiem æternam dones ei inter Sanctos & Electos tuos, ut in illorum consortio vita fruatur æterna*. *Per*. Quam sequitur oratio super oblata.

In eodem codice post supra memoratam Missam sequitur: MISSA PRO VIVIS VEL DEFUNCTIS SANCTI AUGUSTINI. (ubi *vel*, sumitur copulative,) *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis, te suppliciter exoro, ut pro quibus effundere preces decrevi* &c. ut in Missali Romano in Quadragesima. SECRETA: *Deus cui soli cognitus est numerus Electorum in superna felicitate locandus, tribue, quæso, ut universorum, quos in oratione commendatos suscepi, vel omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber ascripta retineat*. POST COMMUNIONEM: *Purificent nos, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, Sacramenta quæ sumsimus*, &c. ut in Missali Romano ibidem.

Nota 681. ITEM POST LECTIONEM. Nominum fidelium defunctorum videlicet.

Nota 682. SIVE TERTII, SEPTIMI, &c.

Consule observationes nostras ad Concordiam regularum cap. 7. §. 11.

Nota 683. INCIPIT ORDO, &c.

Jam dispositis quæ ad Missas & ad alia quædam spectant, agitur de Ordinibus Ecclesiasticis.

Nota 684. AD SACROS ORDINES BENEDICENDOS.

Ita in excusis. In codice Remensi legitur, *Pro sacris Ordinibus benedicendis*. Ubi nota omnes Ordines tam majores quam minores, appellari sacros: quia per illos Clerici ad summam illam latriam, quæ divinæ majestati per Missæ sacrificium exhibetur, ordinantur & consecrantur: alii ut Missam ipsam faciant, alii ut ministrent, aut quoquo modo inserviant. Diuturnus tamen usus obtinuit, ut alii sacri Ordines, alii non sacri appellentur; alii majores, alii minores.

Nota 685. MAJORES GRADUS ANTE EVANGELIUM, &c.

Ita in excusis. Hodie contrarius est usus: quia minores priori loco dantur, secundo majores; quemadmodum etiam in codice Ratoldi Abbatis, cujus seriem hic apponam. In Sabbato duodecim lectionum primi mensis, id est Martii, dicta oratione, *Populum tuum, quæsumus Domine, propitius respice*, &c. ordinantur Ostiarii. Deinde perlecta Deuteronomii lectione, cantato Responsorio, & dicta Oratione, *Deus qui nos in tantis periculis constitutos*, &c. fit Lectorum ordinatio. Tum demum perlecta lectione Deuteronomii, cantato Responsorio, & dicta oratione, *Protector noster aspice, Deus*, &c. ordinantur Exorcistæ. Post lectionem Machabæorum & dictam orationem, ordinantur Acolythi. Lectionem libri Sapientiæ, Responsorium, & Collectam, *Preces populi tui, quæsumus, clementer exaudi*, &c. excipit Subdiaconorum ordinatio. Lectione item & Responsorio finitis, & dicta oratione, *Quæsumus, omnipotens Deus, vota humilium respice*, &c. ordinantur Diaconi. Post ordinationem Diaconi interseritur Missa in ordinatione Diaconi, quæ tamen, ut arbitror, tunc non dicebatur. Tandem Collectam, *Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium*, &c. sequitur ordinatio Presbyterorum: qua perlecta legitur epistola, & sic deinceps Missa absolvitur. Hæc Ratoldi codex. In codicibus Remensi & Rodradi minime exploratum est, quis ordo teneatur: quia in illis Ordinum ratio extra Missarum solemnia describitur.

Nota 686. MINORES QUIDEM DOMINICIS DIEBUS.

Ita in excusis: Sed hæc jampridem antiquata sunt.

Nota 687. MAJORES VERO IN SABBATIS DUODECIM LECTIONUM.

Nempe in exordio noctis Sabbati, quæ in prima Sabbati lucescit, id est incipit, ita ut olim ineunte vespere Sabbati, quo juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem dies Dominicus incipit, Sacerdotales & Levitici ordines celebrarentur, & susciperentur. Ita statuit ex antiquo more S. Leo Papa I. Epist. 81. ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum: *Quod ergo a Patribus nostris propensiore cura novimus observatum, a vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur; sed post diem Sabbati, ejus noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, hoc est sub lege divini officii subsistenantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis, & a jejunantibus sacra benedictio conferatur*. Et Epist. 89. *Nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui non die Sabbati vespere, quod lucescit in primam Sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. Solum enim majores nostri resurrectionis Dominicæ diem honore dignum judicavere, ut Sacerdotes qui sumuntur, hoc die potissimum tribuantur*. Ubi primo nota, cum dicitur, *vel ipso Dominico die*, ita capiendum est, ut fiat hæc ordinatio Dominico die, si Sabbati fuerit jejunium continuatum, ut scripsit Epist. 81. *Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato Sabbati jejunio celebretur*.

Quod etiam manifestum est ex Concilio Claromontano sub Urbano II. Pont. Max. apud Ordericum Vitalem lib. 9. hist. Eccl. *Ordines omni tempore in vespera Sabbati, aut perseverante jejunio, Dominica celebrentur*. Et ex Concilio Rothomagensi sub Metropolita Johanne anno Domini 1072. ex doctrina ejusdem S. Leonis Papæ, can. 7. *Hoc etiam statutum est, ne in dandis sacris Ordinibus Apostolicæ auctoritatis violatores inveniamur. Legitur enim in decretis Leonis Papæ, quod non passim diebus omnibus sacri Ordines celebrentur*, &c. *quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato Sabbati jejunio celebretur*, &c. ut apud Ordericum Vitalem lib. 4. hist. Eccl. Secundo notandum apud S. Leonem per diem resurrectionis non præcise diem Paschæ intelligi, sed diem Dominicum, qui in memoriam resurrectionis Christi celebratur. Unde Epist. 81. statim subjungit: *A quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est*. Unde etiam infra in eadem Epistola postquam dixit: *Numquam benedictiones, nisi in die resurrectionis Dominicæ tribuantur*, scribit: *In hac denique promissus a Domino Apostolis Spiritus sanctus advenit, ut cælesti quadam regula insinuatum & traditum noverimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum*. Nam ibi recenset diei Dominicæ prærogativas, quod Christus illa die resurrexerit, quod sit prima dierum, in qua cælum & terra creata sunt, & quod eadem illa die Spiritus sanctus in Apostolos missus fuerit, ratione quarum in illa die Ordines sacri celebrari debeant. Et hi loci debent intelligi de Dominicis quatuor temporum, sive ordines celebrentur vespere Sabbati, sive Dominica mane, continuato jejunio, ut notavimus. Quod etiam statuit Gelasius Papa Ep. ad Episcopos Lucaniæ: *Ordinationes autem Presbyterorum & Diaconorum, nisi certis temporibus & diebus exercere non debent; id est, quarti mensis jejunio, septimi & decimi, sed & etiam quadragesimalis initii, & mediana Quadragesimæ die, Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas*. Hodiernus tamen usus, quo Ordines tam majores quam minores, simul in Sabbatis duodecim lectionum, id est IV. temporum conferuntur, antiquus est. Nam Chrodegangus, qui floruit temporibus Caroli Majoris * Pipini regis, Episcopus Metensis, ita facere solebat, ut scribit Paulus Diaconus in libro de Episcopis Metensibus: *Hic consecravit Episcopos quamplurimos per diversas civitates: Presbyteros nihilominus ac Diaconos, ceterosque Ecclesiasticos Ordines, sicut moris est Romanæ Ecclesiæ in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni*.

* Forte & Pipini.

Nota 688. OSTIARIUS.

Ostiariorum mentio extat in Epistola S. Cypriani 34. & in Epist. S. Ignatii ad Antiochenos, in Epist. Cornelii Papæ ad Fabium Episcopum Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 35. in quibus πυλωροὶ Græce appellantur: in Concilio Laodiceno can. 34. & apud S. Epiphanium in expositione fidei Catholicæ a quibus θυρωροὶ dicuntur. De Ostiariorum ordinatione agitur in Concilio Carthag. 4. infra citando.

Nota 689. POSTQUAM AB ARCHIDIACONO INSTRUCTUS FUERIT, &c.

Ita in excusis & in codicibus mss. Remensi, & Rodradi, ita in Concilio Carthagin. 4. can. 9. In codice Ratoldi, & in Ordine Romano hæc plurali numero efferuntur. In Pontificali Rom. sic habetur: *Deinde Pontifex accipit, & tradit omnibus claves Ecclesiæ, quas successive manu dextra singuli tangant, Pontifice dicente: sic agite*, &c.

Nota 690. TRADAT EI EPISCOPUS CLAVES ECCLESIÆ.

In aliis codicibus nostris mss. additur, *de altari*, ut in Concilio Carthag. 4. ubi legitur, *de altario*.

Nota 691. ET TRADAT EI DIACONUS.

Ita

Ita in editis & in codicibus Remensi & Rodradi; sed videtur legendum *τὸ Archidiaconus*, ut in Ordine & in Pontificali Rom. & in codice Ratoldi, in quo hæc habentur: *Et dacat eos Archidiaconus ad ostium Ecclesiæ, & dicat; Per hoc ostium tradatur vobis ministerium, ut sitis janitores templi, habeatisque potestatem recipiendi bonos, & rejiciendi indignos.* Ad quæ verba videtur illudere S. Isidorus lib. 2. de Officiis Eccl. cap. 15. *Habeat enim in potestate tam bonos recipiendi, quam rejiciendi indignos.* Quæ quidem verba non extant in Concilio 4. Carthagin. De Officio Ostiarii hæc habet Isidorus junior in Epist. ad Luitfridum Cordubensem Episcopum: *Ad Ostiarium pertinent claves Ecclesiæ, ut claudat & aperiat templum Dei, & omnia quæ sunt intus extraque custodiat: fideles recipiat, infideles & excommunicatos rejiciat.*

Nota 692. DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, &c.

Ita in codicibus Rodradi & Remensi. In excusis, in codice Ratoldi, in Ordine & Pontificali Romano hæc pluraliter efferuntur.

Nota 693. AD DISTINCTIONEM CERTARUM HORARUM.

Quia veteres observabant horas ad siderum cursus, ut notavimus ad Concordiam Regularum cap. 54. §. 11. etiam ad umbram corporis humani, quod videre est apud Bedam lib. de ratione temporum, qui hac de re composuit horologium, quod etiam extat in veteri codice ms. Bibliothecæ Corbeiensis, unde librum Theodulphi de Ordine baptismi, & Pœnitentiale Romanum eruimus, ad cujus calcem hæc habentur: *Studeant summopere Canonici prædictas horas vigilantissima cura custodire, & in his divinum Officium humiliter ac devote persolvere. Mox enim ut datum fuerit signum, festinato omnes ad Ecclesiam conveniant, signa certis temporibus pulsent.* Horologium autem est ejusmodi in dicto codice ms.

Januar. & Decemb. hora I. *&* XI. *pedes* XXIX. *hora* II. *&* X. *pedes* XIX. *hora* III. *&* IX. *pedes* XVII. *hora* IV. *&* VIII. *pedes* XV. *hora* V. *&* VII. *pedes* XIII. *hora* VI. *pedes* XI.

Februar. & Novemb. hora I. *&* XI. *pedes* XXVII. *hora* II. *&* X. *pedes* XVII. *hora* III. *&* IX *pedes* XV. *hora* IV. *&* VIII. *pedes* XIII. *hora* V. *&* VII. *pedes* XI. *hora* VI. *pedes* IX.

Mart. & Octob. hora I. *&* XI. *pedes* XXV. *hora* II. *&* X. *pedes* XV. *hora* III. *&* IX. *pedes* XIII. *hora* IV. *&* VIII. *pedes* XI. *hora* V. *&* VII. *pedes* IX. *hora* VI. *pedes* VII.

April. & Septemb. hora I. *&* XI. *pedes* XXIII. *hora* II. *&* X. *pedes* XIII. *hora* III. *&* IX. *pedes* XI. *hora* IV. *&* VIII. *pedes* IX. *hora* V. *&* VII. *pedes* VII. *hora* VI. *pedes* V.

Maio & August. hora I. *&* XI. *pedes* XXI. *hora* II. *&* X. *pedes* XI. *hora* III. *&* IX. *pedes* IX. *hora* IV. *&* VIII. *pedes* VII. *hora* V. *&* VII. *pedes* V. *hora* VI. *pedes* III.

Jun. & Jul. hora I. *&* XI. *pedes* XIX. *hora* II. *&* X. *pedes* IX. *hora* III. *&* IX. *pedes* VII. *hora* IV. *&* VIII. *pedes* V. *hora* V. *&* VII. *pedes* III. *hora* VI. *pedem* I. Sed in diversis parallelis variat umbra.

Series autem horarum sumitur hic ab ortu solis. Nam minores umbræ semper contingunt hora sexta, quæ est meridies.

Nota 694. BENEDICTIO.

Hujus vocabuli passim usus in sacris ordinationibus. Hinc capiendum est illud Concil. Hispalensis 2. can. 5. *Et Presbyter quidam illis contra Ecclesiasticum Ordinem benedictionem dedisse.* Et Sidonii lib. 7. Epist. 6. *Si benedictione succidua non accipiat dignitatis heredem.*

Nota 695. PARET OBSEQUIA.

Ita in codicibus Rod. & Rem. In editis legitur, *Parent obsequia.* In cod. Ratoldi *Pareant obsequia.* In Ordine & Pont. Rom. *Tuo pareant obsequio*, rectius.

Nota 696. LECTOR.

Ancyranis. Lectorum mentio extat in can. 43. Apostol. in Epist. S. Ignatii ad Antiochenos, in Epist. Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum Episcopum apud Eusebium capite supra citato, in Epist. S. Cypriani mox citanda, in Concilio Arelatensi 1. sub S. Sylvestro, in Concilio Laodiceno can. 24. in Conciliis Carthag. 3. & 4. mox citandis, apud S. Epiphanium in Expositione fidei Catholicæ, in Concilio Toletano 1. infra citando, & in gestis purgationis Cæciliani & Felicis. Lectores olim non solum maturioris ætatis, sed etiam puerilis fuere, utpote impuberes: cum visum fuit Ecclesiæ, ut dociles & bonæ indolis pueri jugo Ecclesiastico maturius assuescerent. Id clarum est ex Concilio Carthag. 3. can. 19. *Placuit ut Lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Suffragatur Victor Uticensis lib. 4 hist. Vandalicæ: *Tunc etiam Eugenio Pastore in exilio constituto universus Clerus Ecclesiæ Carthaginis cæde inediaque maceratur, fere quingenti vel amplius, inter quos quamplurimi erant Lectores infantuli, qui gaudentes in Domino exilio traduntur.* Ubi *τὸ infantuli*, non sumendum est, pro his parvulis, qui rationis usu carerent, & loqui non possent, sed pro his qui jam deposita infantia ad puerilem ætatem pervenerant. Nec credendum est Lectores hic pro Psalmistis usurpari, ut quidam explicant, lato modo Lectoris nomine sumto, his Victoris fulti verbis: *De multitudine autem prædictorum confessorum suggerente quodam Exlectore Teucharia perdito, quos ille noverat vocales firmosque modulis cantilenæ duodecim infantulos separari, quos ille, dum Catholicus esset, discipulos habuit.* Nam quamvis illi duodecim infantuli essent apti modulis cantilenæ, nihil obest quin Lectores ex Psalmistis ordinati fuerint. Præterea si illi duodecim fuere vocales, alii utique non erant: si quidem præter eos alii erant Lectores infantuli, cum dicat Victor quamplurimos Lectores infantulos, ergo plures duodecim. Nec valet illa lectio, *Lectores, & infantuli*: quia non est apud Victorem & Usuardum conjunctio copulativa.

Nostram assertionem verba Zozimi Papæ in Ordine Romano confirmant: *Hæc autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis studium dederit, inter Lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret.* Id etiam videre est in Concilio Vasensi 2. can. 1. ubi Lectores juniores sub Presbyteri cura constituuntur; & in hoc Canonis subjungitur: *Cum vero ad ætatem perfectam pervenerint, si aliquis eorum pro carnis fragilitate uxorem voluerit, potestas ei ducendi conjugium non negetur.* Ubi vides eadem statui ac in Concilio Carthaginensi supra citato. Id etiam patet ex S. Paulinu lib. 4. de vita S. Felicis Martyris:

*Seseque a puero pia mens cælestibus * edens*
Instituit servire Deo, nec gratia pauper (* Leg. addens,)
** Absuit, * & quantum sitiebat corde capaci* (* seq. adfuit) (* Leg. ut.)
Lucis hians animus, tam largiter insua traxit
Dona Dei, primis Lector servivit in annis.

Epist. 25. lib. 4. Sidonii: *Sanctum Johannem virum honestate, humanitate, mansuetudine insignem (Lector hic primum, hic minister altaris idque ab infantia,* &c. *) collegam sibi consecrurunt.* Et ex Ennodio in vita S. Epiphanii Ticinensis Episcopi, *qui sub decessore suo viro integerrimo Crispino Pontifice, militiæ cælestis tyrocinium sortitus annorum ferme octo Lectoris Ecclesiastici suscepit officium.* Nec obstat quod in Africa tempore S. Cypriani, ut notum est ex ejus Epistolis 33. & 34. & nonnullis aliis, solis provectæ ætatis hominibus, meritis & doctrina insignibus, Lectoris munus demandaretur. Nam aliud est loqui de ætate S. Cypriani, aliud de ævo citatorum a nobis Auctorum & Conciliorum. Si usus obtinuit in superiore seculo, non item in posteriore.

Nota 697. FACIAT DE ILLO SERMONEM EPISCOPUS AD PLEBEM, &c.

Ita in Concilio Carthag. 4. can. 8. & apud ſanctum Iſidorum lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 11. *Primum de eorum converſatione Epiſcopus verbum facit ad populum. Denique coram plebe tradit eis codicem apicum divinorum, ad Dei verbum annuntiandum.*

Nota 698. TRADAT EI CODICEM.

In codice Ratoldi Abbatis legitur; *Tradat eis codicem Iſaiæ Prophetæ.*

Nota 699. DE QUO LECTURUS EST.

Lectoris munus docet Iſidorus junior Epiſtola ſupra citata: *Ad Lectorem pertinet lectiones pronuntiare, & ea quæ Prophetæ vaticinarint populis prædicare.* Priſcis illis Eccleſiæ temporibus Lectores in Eccleſia legebant Evangelium, & Epiſtolam, ut ex ſubjectis auctoritatibus notum eſt, S. Cypriano Epiſt. 33. de Aurelio Confeſſore in Lectorem ordinato: *Quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum glorioſa confeſſione confeſſa eſt, quam celebrandis divinis lectionibus perſonare ſublimia, quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt, Evangelium Chriſti legere, unde Martyres fiunt.* Et ſequenti de S. Celerino Confeſſore in Lectorem etiam creato: *Hunc ad nos, fratres dilectiſſimi, cum tanta Domini dignatione venientem teſtimonio, & miraculo ejus ipſius, qui ſe perſecutus fuerat, illuſtrem, quid aliud ſuper pulpitum, id eſt ſuper tribunal Eccleſiæ oportebat imponi, ut loci altioris celſitate ſubnixus, & plebi univerſæ pro honoris claritate conſpicuus legat præcepta, & Evangelium Domini, quæ fortiter & fideliter ſequitur? Vox Dominum confeſſa in his quotidie quæ Dominus locutus eſt, audiatur? Viderit an ſit ulterior gradus, ad quem profici in Eccleſia poſſit?* Concil. Toletano I. can. 2. *Item placuit, ut pœnitentes non admittantur ad Clerum, niſi tantum ſi neceſſitas, aut uſus coegerit; & tunc inter Oſtiarios deputentur, vel inter Lectores; itaut Apoſtolum aut Evangelium non legant.* Quod fruſtra prohibitum eſſet pœnitentibus poſtea in Lectores aſcitis, niſi Lectorum munus fuiſſet legere Evangelium, & Apoſtolum, ſive Epiſtolam, ut vulgo loquuntur.

Idem videre eſt can. 4 ubi Subdiaconus bigamus rejicitur inter Oſtiarios & Lectores; itaut Evangelium & Apoſtolum non legat. Non enim prohibetur Subdiacono bigamo inter Lectores rejecto Evangelium legere, ut hoc honore privetur, quem habuiſſet antea ratione Subdiaconatus: quia numquam Subdiaconi fuit legere Evangelium: ergo ratione gradus Lectoratus, in quem rejicitur; ut careat honore legendi Evangelii propter bigamiam, quem ſibi poſſet gratia Lectoratus aſſumere. Ita loquitur Concilium: *Subdiaconus autem defuncta uxore, ſi uxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Oſtiarios & Lectores: itaut Evangelium & Apoſtolum non legat.* Hæc tamen ita ſcribo, ut non inficias ierim alium uſum aliquando fuiſſe, ut infra de Diaconis agendo dicemus. Munus etiam Lectorum fuit ſacros codices ſervare, ut videre licet in actis purgationis Cæciliani & Felicis: *Cum ab eodem Marte quærerentur codices omnes, negavit ſe habere; tum Victor dedit nomina omnium Lectorum;* & infra: *Paulus Epiſcopus dixit, Scripturas Lectores habent;* & infra: *Proferte Scripturas quas habetis. Catulinus, & Marcuclius dixerunt, plus non habemus; quia Subdiacones ſumus: ſed Lectores habent codices.* Nam pagani judices ſacros utriuſque Teſtamenti codices perquirebant, ut eos igni traderent.

Nota 700. ACCIPE, ET ESTO VERBI DEI RELATOR, &c.

Ita in editis, in canone citato Concilii Carthag. & in codicibus Remenſi & Rodradi. In Pontif. & Ordine Romano, & in codice Ratoldi hæc plurali numero efferuntur.

Nota 701. DOMINE SANCTE PATER, &c.

Hæc benedictio ita habetur in aliis codicibus noſtris, mſs. & in Pontif. Romano. In Ordine variat in quibuſdam: in quo, quemadmodum & in Pontificali Romano præmittitur hæc oratio ſeu præfatio: *Oremus, fratres cariſſimi, Deum omnipotentem*, &c.

Nota 701. DISTINCTUS.

Ita in editis; & in codicibus Remenſi, Rodradi, & Ratoldi, ſed in hoc pluraliter effertur. In Ordine Romano ſcribitur *apti*; in Pontificali *inſtructi*.

Nota 703. ATQUE ORDINATUS.

Ita in editis. In codice Ratoldi legitur, *atque ordinati*. In codicibus Remenſi & Rodradi, *atque ornatus*.

Nota 704. EXORCISTA.

Recte creationem Lectoris ſequitur Exorciſtæ ordinatio juxta antiquum morem, qui patet ex lib. 4 ſancti Paulini de vita ſancti Felicis, ubi videmus ſanctum hunc Martyrem primo ordinatum fuiſſe Lectorem, deinde Exorciſtam:

—— primis Lector ſervivit in annis,

Inde gradum cepit, cui munus voce fideli

Adjurare malos, & ſacris pellere verbis.

In Epiſt. Firmiliani Epiſcopi ad ſanctum Cyprianum, mentio Exorciſtarum fit, in Epiſtola Cornelii Papæ ad Fabium Pontificem Antiochenum apud Euſebium lib. 6. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 31. In epiſtola ſancti Ignatii ad Antiochenos, in ſubſcriptionibus Concilii Arelatenſis 1. ſub ſancto Sylveſtro Papa, in Concilio Laodiceno can. 24. in Concilio Carthagin. IV. mox citando, apud ſanctum Hilarium lib. de Synodis apud ſanctum Epiphanium in expoſitione fidei Catholicæ, Severum Sulpitium cap. 3. de vita ſancti Martini, & multos alios. Ex paganis Lucianus meminit Ep. 30. etſi pro more veterator ille ſacra æque ac prophana contemnens irrideat.

Δαίμονα πολλὰ λαλοῦντ' ἐξώρκισεν ἐξορκιστὴς

Ἐξέβαλ' οὐχ ὅρκων, ἀλλὰ κόπρων δυνάμει.

Et Julius Firmicus lib. 3. Matheſeos cap. 5. *Erunt autem omnibus dæmonibus terribiles, quorum adventum pravi dæmonum ſpiritus fugiunt, & qui ſic laborantes homines non vi verborum, ſed ſola ſui oſtenſione liberent: & quamvis ſit violentus dæmon, qui corpus hominum animumque quatiat, ſive ille aereus ſit, ſive terrenus, aut infernus, iſtius hominis juſſione fugiat: quia præceptis ejus cum quadam veneratione terrebitur. Hi ſunt qui a vulgo Exorciſtæ dicuntur.* Hæc gentilis ille Dei virtutem ad conſtellationes revocans, qui cum tantam vim in dæmones attribuat Exorciſtis, non dubium eſt quin ad Chriſtianos Exorciſtas iſta pertineant, non ad paganos, qui numquam tanta in dæmones auctoritate valuere, etſi quibuſdam incantamentis illuſoriis dæmones corporibus humanis abigere aliquando viſi ſunt. Et cap. 9. ejuſdem libri: *In nono loco Mercurius cum ſole ab horoſcopo pariliter conſtitutus faciet Exorciſtas, & qui laborantes dæmonum incurſione homines aptis remediis liberent, unde ex his artibus maxima illis ſubſtantia conferatur.* Hoc vocabulum etiam in ſacris reperire eſt Scripturis Act. 19. 13. *Tentaverunt autem quidam de circumeuntibus Judæis Exorciſtis, invocare ſuper eos qui habebant ſpiritus malos nomen Domini Jeſu, dicentes, Adjuro vos per Jeſum quem Paulus prædicat.* *Inter epiſtolas S. Cypriani.*

Nota 705. CUM ORDINATUR, &c.

Ita in Concilio Carthag. 4. can. 7. & in omnibus aliis codicibus noſtris mſs. Idem videre eſt apud ſanctum Iſidorum lib. 2. de offic. Eccleſ. cap. 13. *Hi enim cum ordinantur, ſicut ait Canon, accipiunt de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, accipientes poteſtatem manus imponendi ſuper energumenos ſive baptizatos, ſive catechumenos.*

Nota 706. ACCIPE ET COMMENDA MEMORIÆ.

Ita in Canone citato, ut in codicibus Remenſi & Rodradi.

Nota

Nota 707. HABETO POTESTATEM MANUM IMPONANDI, &c.

In citato Concilio Carthag. 4. can. 9. statuitur: *Omni die Exorcistæ energumenis manus imponant*. Et hoc est proprium eorum munus, ut videre est apud sanctum Isidorum capite supra citato, & lib. 7. Originum cap. 12. & apud Isidorum juniorem epistola supra citata.

Nota 708. PRÆFATIO EXORCISTÆ.

In codice Ratoldi legitur, *Consecratio Exorcistarum*: male, nam hæc est Præfatio, non consecratio: & in eodem codice statim sequitur benedictio, id est consecratio.

Nota 709. DEUM PATREM, &c.

Ita in codicibus Remensi & Rodradi. In aliis supra memoratis hæc habentur in numero plurali.

Nota 710. DOMINE SANCTE PATER, &c.

Ita in codicibus Rodradi & Remensi. In excusis & in codice Ratoldi atque in Pontificali & Ordine Romano hæc pluraliter efferuntur.

Nota 711. SPIRITUUM IMMUNDORUM COERCENDORUM.

In Ordine & Pontificali Romano legitur, *spiritus immundos coercendi*.

Nota 712. PROBABILIS.

Id est, bonus. Regula cujusdam Patris cap. 21. *Postea si probabilis ejus pœnitentia cognoscatur, tunc demum intra septa monasterii recipiatur*. Concilium Toletanum 4. can. 4. *Probabilis vita atque doctrina extiterit*.

Nota 713. GRATIÆ CURATIONUM, &c.

Sic lib. 8. Const. Apost. cap. 27. dicitur Exorcista gratiam accipere sanitatum.

Nota 714. ACOLYTHUS.

Acolythorum mentio est apud sanctum Cyprianum epist. 55. in epistola Cornelii Papæ supra citata. Quid sit Acolythus ita explicat auctor veteris etymologici, Ἀκόλουθος σημαίνει τὸν ὀπίσω τὴν κέλευθον ποιοῦντα, id est, Acolythus significat eum qui retro iter facit. Hesychius: Ἀκόλουθος ὁ νεώτερος παῖς, id est, Acolythus junior servus. Glossæ veteres: Ἀκόλουθος, *sequutor, pedissequus consequens*, ab Ἀκολουθῶ, id est sequor. Quod spectat ad Ecclesiam, de Acolythis hæc docet S. Isidorus lib. 7. Orig. cap. 12. *Acolythi Græce Latine ceroferarii dicuntur a deportandis cereis, quando Evangelium legendum est, aut sacrificium offerendum: tunc enim accenduntur luminaria ab eis & deportantur, non ad fugandas tenebras, cum sol eo tempore rutilet: sed ad signum lætitiæ demonstrandam; ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur: Erat lux vera, quæ illuminat*, &c. Subscribit Papias: *Acolythi Græce, Ceroferarii Latine dicuntur a deportandis cereis*.

Nota 715. PRIMUM AB EPISCOPO DOCEATUR.

Ita in Concil. Carthag. 4. can. 6. in Ordine Romano, & in aliis codicibus nostris mss.

Nota 717. AB ARCHIDIACONO ACCIPIAT CEROFERARIUM, &c.

Ita in editis, in Concil. Carthag. can. citato, Ordine Romano; & in aliis codicibus nostris mss. Aliter in Pontificali Romano: *Pontifex accipit & tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod successive manu dextra singuli tangunt*; *Pontifice dicente, Accipite ceroferarium*, &c. Ubi τὸ ceroferarium pro candelabro neutraliter sumendum esse arbitror, nam ceroferarius masculine Acolythus est. Ceroferale dicitur a Gregorio Turonensi lib. de gloria Confess. cap. 79.

Nota 717. AD ACCENDENDA ECCLESIÆ LUMINARIA.

Sanctus Isidorus loco citato: *Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur*. Isidorus junior Epist. supra citata: *Ad Acolythum pertinet præparatio luminarium in sacrario*.

Nota 718. ITA SIBI DICENTE.

In Pontificali Romano & in codice Ratoldi deest pronomen, *sibi*.

Nota 719. ACCIPITE HOC OSTATORIUM LUMINIS, &c.

Ita in codice Ratoldi. At in canone supra citato Concilii Carthag. & in codicibus Rodradi & Remensi, quemadmodum & in editis, nulla hic verborum formula habetur; in Ordine & Pontificali Romano extat quidem, sed contractior in hunc modum: *Accipite ceroferarium cum cereo; ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari*.

Nota 720. ACCIPIAT ET URCEOLUM, &c.

Ita in excusis, in codicib. Remensi & Rodradi, quemadmodum & in canone 6. Concilii Carthag. 4. At in Ordine Romano hæc adduntur: *Dicente sibi Episcopo, accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam corporis Christi*. Quæ formula extat etiam in Pontificali Romano. In cod. Ratoldi legitur: *Detur eis urceum vacuum: accipite urceum ad effundendum* (lege, *fundendum*) *vinum in Eucharistia corporis Christi*.

Nota 721. AD FUNDENDUM.

Ita in editis, & in cod. Rodradi. At in cod. Remensi, & præfato Concilio, quemadmodum & in forma Ordinis & Pontif. Romani legitur, *ad suggerendum*; cui convenit illud Isidori junioris in epist. ad Luidfredum: *Ipse suggesta pro Eucharistia Subdiaconis ministrat*.

Nota 722. VINUM.

Ita in editis, & in cod. Rodradi, atque etiam in Canone citato Concil. Carthag. At in codicibus Remensi & Ratoldi, atque in ipsa * Forma Ordini & Pontificali Romano additur τὸ & *aquam*.

* Forte Forma in Ordine & Pontificali Rom. vel Forma Ordinis in Pontif. Rom.

Nota 723. OMNIPOTENS SEMPITERNE DEUS, &c.

Ita in editis & in codice Rodradi. Sed in Pontificali Romano tres orationes huic benedictioni præponuntur. In codice Ratoldi additur secunda, *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum*, &c. ut in Ordine & Pontif. Romano, quæ est unica in codice Remensi.

Nota 724. ORDINATIO SUBDIACONI.

Subdiaconorum mentio fit can. 43. canonum Apost. in Epist. Cornelii sæpius citata, in Epist. sancti Ignatii ad Antiochenos in Epist. 24. S. Cypriani, apud sanctum Epiphanium in expositione fidei, in Concilio Laodiceno can. 21. 22. & 25. ubi dicuntur ὑπηρέται, id est, ministri, & in Carthag. Concilio mox citando. Nota hic Subdiaconum habere locum inter minores Ordines, quemadmodum in excusis, etsi sanctus Gregorius lib. a 4. Epist. 88. Subdiaconos a minoribus Ordinibus distinguat. Hoc ideo factum esse arbitror, quia olim Subdiaconatus sacer Ordo non erat, quod clarum est ex Concilio Laodiceno, can. 21. in quo Subdiaconis sacra vasa tangere prohibetur. Quod confirmatur auctoritate Petri Cantoris qui vixit anno 1197. is enim in libro manuscripto de verbo mirifico Biblioth. monasterii sancti Germani a Pratis cap. 54. scribit non ita pridem, ut Subdiaconatus Ordo sacer esset, institutum esse: *Prima autem manus impositio*, inquit, *debetur Diaconibus ordinandis: de novo enim institutum est Subdiaconatum esse sacrum Ordinem*.

Nota 727. SICUT QUI INVITATUS, &c.

Hæc b habentur epist. 110. lib. 7. Gregorii, sed non continue: siquidem verbis quibusdam interpositis hæc sequuntur, *cur non perpendis*, &c. Hæc autem in Ordine Romano desiderantur.

Nota 726. REMOVENDUS, &c.

Ita in aliis codicibus nostris mss. in editis legitur τὸ *admovendus*, ut apud sanctum Gregorium Epist. citata; quæ quidem lectio videtur plausibilior, etsi prior non sit omnino absurda: invitus enim ordinandus est nemo.

Nota

a Nunc gesta hujus Synodi quæ prius loco Epistolæ 44. l. 4. habebantur, ad calcem Epistolarum sunt rejecta.

b Nunc lib. 9. Ep. 105.

Nota 727. SUBDIACONUS CUM ORDINATUR, QUIA MANUS IMPOSITIONEM NON ACCIPIT, &c.

Ita in excusis, & in aliis codicibus nostris mss. Ita in Concilio Carthag 4. can. 5. In Ord. Romano, & apud sanctum Isidorum lib. 2. de Officiis Eccl. cap. 10. & in codice Tiliano.

Nota 728. PATENAM DE MANU EPISCOPI ACCIPIAT, &c.

Idem videre est in Concilio Toletano 4 can. 27. *Si Subdiaconus patenam & calicem*. Ibi enim agitur de restitutione degradati, qui juxta idem Concilium in sua restitutione recipit, quod prius acceperat in sua ordinatione.

Nota 729. URCEOLUM.

Apud Isidorum legitur, *Scyphum aquæ*. Urceolus diminutivum est ab urceo. Papias: *Urceus vas aquarum; unde urceolus diminutivum*. Hic tamen non sumitur pro vase aquarum. Notandum est in citato Concilio Toletano nullam fieri urceoli, & aquamanilis, & manutergii mentionem in restitutione degradati Subdiaconi.

Nota 730. AQUAMANILE.

In citato Concilio Carthag. legitur corrupte, *aqua & mantile*. Glossæ veteres, *aquamanile*, χέρνιβον, id est, vas abluendis manibus aptum.

Nota 731. MANUTERGIUM.

Est mantile tergendis manibus idoneum: Græce χειρόμακτρον ut clarum est ex Iulio Polluce lib. 6. cap. 14. Quod etiam liquet ex Athenæo lib. 9. χειρόμακτρον δὲ καλεῖται ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάττοντο ὠμολίνῳ id est, chiromactron appellatur mantile lineum humeris impositum, quo manus tergebat. Meminerunt Moschopulus de Schedis, & Hesychius, χειρόμακτρον, μανδύλιον. Auctor veteris etymologici & Suidas, χειρόμακτρον ὃ παρὰ Ῥωμαίοις καλεῖται μανδύλιον. Quod autem dicunt a Romanis vocari μανδύλιον, intelligendum est de iis Romanis novæ Romæ, id est Constantinopolis incolis: est enim μανδύλιον apud eos, mantile, ut planum est ex Codino libro de Officiis, ὁ ἐπικέρνης αὐτίκα τοῦ τε οἰνοχόου φέρει σκουτέλλιον, κρατῶν καὶ μανδύλιον, id est, pincerna vero statim affert vinariæ capidis scutellam etiam mantile tenens: aut certe isti Grammatici Græci hallucinati sunt, aut ubique in locis citatis legendum est μαντίλιον id est, mantile.

Nota 732. VIDE CUJUS MINISTERIUM TIBI TRADITUR, &c.

Ita in codicibus nostris mss. sed in cod. Ratoldi pluraliter efferuntur ut in Ordine Romano, in quo tamen hæc contractius referuntur. Sed Pontificale Romanum totam hanc formulam contraxit hoc modo: *Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*. Cetera vero translata sunt in admonitionem quam postea facit Pontifex Subdiaconis. Concilium Carthag. ista omnia prætermisit brevitatis gratia.

Nota 733. PALLÆ QUÆ SUNT IN SUBSTRATORIO.

Has pallas distinguit a pallis corporalibus quæ vulgo corporale appellantur. Illæ igitur pallæ sunt mappæ altaris, ut dicimus, vel mantilia, ut veteres appellarunt, quæ alias appellantur pallæ altaris; ut docuimus ad Concordiam Regularum. Substratorium est id quod alicui substernitur, ut hodie in altari grossiores telæ, quæ pallis altaris substernuntur.

Nota 734. IN ALIO CORPORALES PALLÆ.

Ita in Concilio Meldensi apud Burchardum lib. 4 cap. 13. *Similiter ad corporale lavandum; & ad pallas altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat*. Et in Concil. Remensi apud eumdem lib. 3. cap. 48. *Vel quando abluitur* (corporale) *a Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono, primo in Ecclesia in loco & vase ad hoc præparatu abluatur; eo quod ex Dominico corpore & sanguine infectum sit*.

Nota 735. OREMUS DEUM AC DOMINUM, &c.

Ita in codicibus Rodr. & Remensi. Sed in cod. Ratoldi, in Ordine & Pont. Romano, hæc plurali numero enuntiantur.

Nota 736. DOMINE SANCTE, PATER OMNIPOTENS, &c.

Ita in codicibus Rodr. & Remensi. Sed in Ordine & Pont. Romano, hæc pluraliter enuntiantur: quemadmodum & in cod. Ratoldi, in quo tamen hæc ita habentur: *Spiritu sapientiæ & intellectus, amen: Spiritu consilii & fortitudinis, amen: Spiritu scientiæ & pietatis, amen*. In Ordine Romano sequitur: *& Episcopus det eis mappulas, dicendo in vestitione harum mappularum: Subnixe te, Domine, deprecamur*, &c. In Ordine ms. S. Germ. habetur porrectio mappulæ in hunc modum: *Hic dat eis Episcopus mappulam dicens: Accipe mappulam, imple ministerium tuum; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam*. Ubi mappula nihil est aliud, quam manipulus quem immittit Episcopus in brachium sinistrum cuilibet Subdiacono dicens: *Accipe manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum*: ut videre est in Pont. Romano. Gestabaturque olim mappula ad oculorum & narium pituitam detergendam, ut docet Alcuinus lib. de Offic. Eccles. cap. de vestimentis. In eodem Pontificali Romano Subdiaconi, accepto manipulo, induuntur tunica a Pontifice sub hac verborum formula: *stola jucunditatis*, &c. Postea accipit & tradit singulis librum Epistolarum, manu dextra ipsum simul tangentibus, dicens: *Accipite librum Epistolarum*, &c. Quæ libri Epistolarum porrectio non extat in Concilio Carthag. 4. supra citato, neque in Ordine ms. sancti Germani a Pratis, neque in Pontificali ms. quod est in sacrario Ecclesiæ Rothomag. quodque putatur esse Anglicanum, neque in Ordine Romano, nec in Sacramentariis excusis, nec in codicibus nostris mss. neque in cod. Tiliano, neque apud sanctum Isidorum, neque apud Rabanum lib. 1. cap. 8. de institutione Clericorum, neque apud Amalarium Fortunatum lib. 1. de Offic. Ecclesiast. cap. 11. ex cujus verbis clarum est olim Epistolarum librum non tradi solitum Subdiacono in ejus promotione: *Miror*, inquit, *qua de re sumtus usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequenter legat lectionem ad Missam; cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo Subdiaconus, ut monstratum est, quia sub Diacono positus est*, &c. Neque etiam habetur in Concil. Toletano IV. cap. 26. in restitutione Subdiaconi degradati.

Nota 737. ORDO QUALITER IN ROMANA ECCLESIA, &c.

Ita in editis & in cod. Ratoldi. At in cod. Remensi additur, *Subdiaconi*, quia in illo codice hæc præfiguntur *Ordinationi Subdiaconi*.

Nota 738. DE TITULO ILL. ET ILL.

Ita in excusis: & in cod. Remensi. Sed in cod. Ratoldi istorum verborum loco hæc habentur: *Illum Subdiaconum, vel Diaconum. Tunc nominat illos de titulo sanctæ Mariæ, vel sancti Petri & aliorum*. Sed nihil ejusmodi reperietis in Ordine Romano & in cod. Tiliano. In Pontificali Romano hæc consuetudo antiquatur. Hæc autem specialiter intelligenda videntur de titulis, qui Romæ existunt, ad quos ordinantur Diaconi vel Presbyteri Cardinales, qui ita appellantur, quod suis titulis seu Ecclesiis sint veluti incardinati atque infixi, hoc est stabiles.

Mos etiam olim inoleverat, ut nulli Clerici ordinarentur nisi ad certam quamdam Ecclesiam, Martyrium, seu monasterium alicujus civitatis, aut pagi, ut statuitur can. 6. Concil. Chalcedonensis. Quod si hoc tempore, quo mundus vagis Sacerdotibus plenus est, observaretur, ad quantam gloriam & decus se res Ecclesiastica attolleret, dici non potest.

Nota 739. PRESBYTERUM DE TITULO ILL.

Ita in editis. In codicibus Ratoldi & Remensi, hæc verba

verba desunt, & rectius, ut arbitror. Nam hic tantum quæstio est de promotione Subdiaconi ad Diaconium, & Diaconi ad Presbyterium.

Nota 740. SI QUIS HABET ALIQUID, &c.

Olim de ordinandorum moribus, ingenio, & capacitate diligenter perquirebatur, ut manifestum est ea edicto Theophili moa citaodo, ex S. Leone Epist. 88. *Expectarentur sane vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab his quî norunt patrum regulas custodiri, at Apostolicæ auctoritatis norma in omnibus servaretur, quæ præcipit ut Sacerdos Ecclesiæ præfuturus non solum attestatione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt, testimonio muniatur.* Concil. Carthag. III. cao. 22. *Ut nullus ordinctur Clericus, nisi probatus vel Episcopi examine, vel populi testimonio.* S. Cypriano Epist. 33 *In ordinationibus Clericis, fratres carissimi, solemus vos ante consulere, ac mores & merita singulorum communi consilio ponderare.* Idem habetur Epist. 68. & apud sanctum Basilium Epist. 181. ubi hæc materia fusius tractatur. Idem videre licet apud Lampridium in Alexandro Severo: *Ubi aliquos voluisset vel Rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores*, id est *rationales ordinare; nomina eorum proponebat hortans populum ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis. Dicebatque grave esse quod id Christiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.*

Quare & publice ordinandi sunt Clerici, ut Episcopus de his palam sciscitetur a populo, ut in nostris codicibus manuscriptis videtur, juxta antiquum morem, quem ootare licet in edicto Theophili Patriarchæ Aleaandrini can. 6. *De his qui ordinandi sunt, hæc erit forma; ut quicquid est sacerdotalis ordinis consentiat & eligat, & tunc Episcopus examinet, vel ei etiam assentiente Sacerdotali ordine*, χειροτονείσθω μιᾶς τῆς ἐκκλησίας παρούσης τοῦ λαοῦ, καὶ προσφωνοῦντος τοῦ Ἐπισκόπου, εἰ καὶ ὁ λαὸς δύναται αὐτῷ μαρτυρεῖν. χειροτονία δὲ λαθραίως μὴ γινέσθω, id est, *Ordinetur præsente populo, & Episcopo alloquente, an possit, & populus ei ferre testimonium. Ordinatio autem non fiat clanculum.*

Nota 741. INCIPIUNT OMNES, KYRIE ELEISON, CUM LITANIA.

In codice Remensi, & in Ordine Romano, nihil tale extat. Hæc Litania olim erat breviuscula, quam hic subjiciam ex codice Ratoldi.

Kyrie eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti Angeli, orate.
Sancte Johannes, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Omnes sancti Apostoli, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Line, ora.
Sancte Clete, ora.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Omnes sancti Confessores, orate.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Agatha, ora.
Omnes sanctæ Virgines, orate.
Omnes Sancti, orate.
Propitius esto, libera nos Domine.
Per adventum tuum, libera Domine.
Per nativitatem tuam, libera Domine.
Per circumcisionem tuam, libera Domine.
Per baptismum tuum, libera Domine.
Per jejunium tuum, libera nos.
Per Crucem tuam, libera.
Peccatores, te rogamus.
Ut Apostolicum nostrum. Ut Regem nostrum.
Ut Episcopum nostrum. Fili Dei, te rogamus.
III. Agnus Dei qui tollis. III. Christe audi nos. III.

Nota superiorem Litaniam, quam edidimus, esse antiquioris formæ hac præsenti: in qua ubi *vâ nos* desideratur, supplendum est.

Nota 742. SOLUS EPISCOPUS QUI EUM BENEDICIT, MANUS SUPER CAPUT ILLIUS PONAT.

Ita in editis, in codicibus Rodradi, & Ratoldi, & in Concilio Carthag. IV. can. 4. Hunc tamen ritum improbat Amalarius lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 12. vultque manum imponi Diacono non solum ab Episcopo, sed a ceteris Presbyteris: *Est libellus quidam*, inquit, *apud nos de sacris Ordinibus, nescio cujus auctoritatis, qui dicit solum Episcopum debere manus imponere super Diaconum: quia non ad sacerdotium consecratur, sed ad ministerium. Numquid scriptor libelli doctior atque sanctior Apostolis; qui posuerunt plures manus super Diaconos, quando consecrabantur.* Quod miror: quia Concilium Carthag. IV. Ordo Romanus (ut librum Pontificalem omittam) libri Sacramentorum tam editi, quam mss. conveniunt cum ipso libello; neque ratio Amalarii multum cogit: quia cum hæc prima Ordinatio fieret ab Apostolis simul congregatis, æquum erat ut omnes manus imponerent, quamvis id minime esset necessarium, cum unicus sufficere potuisset. Sed & communi huic doctrinæ favet magnus Dionysius cap. 5. lib. de Ecclesiast. hierarch. ὁ δὲ λειτουργὸς ἕν τοῖν ποδοῖν κλίνας ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὴν τοῦ τελοῦντος αὐτὸν ἱεράρχου δεξιάν, τελειούμενος ὑπ' αὐτοῦ ταῖς τῶν λειτουργῶν τελεστικαῖς ἐπικλήσεσιν. id est, Diaconus vero genu altero flexo ante altare, dexteram manum Pontificis, qui eum consecrat, super caput habet, ab eo consecratus iis precationibus quibus Diaconi consecrari solent.[a] Opinioni Amalarii favere videtur Pontificale ms. quod est in Secretario Ecclesiæ Rothomagensis, videturque esse Anglicanum, in quo hæc adduntur: *Reliqui vero Sacerdotes juxta manum Episcopi caput illius tangant; quia non ad Sacerdotium*, &c.

Nota 743. OREMUS, DILECTISSIMI, &c.

Ita in editis, & in cod. Ratoldi, atque in Ordine Romano. In cod. Remensi sicut in Pontificali Romano hæc oratio paulo prolixior habetur; quam præcedit, tum in Ordine, tum in Pontificali Romano ejusmodi allocutio Pontificis: *Commune votum*, &c. Quæ in codice Remensi extat post consecrationem, *Adesto, quæsumus, omnipotens Deus*, &c. & ei præfigitur hic titulus: *Ad consummandum Diaconatus officium*. In codice Ratoldi habetur in fine Ordinationis sub eodem titulo.

Nota 744. EXAUDI, DOMINE, PRECES NOSTRAS, &c.

Ita in editis, in Ordine Romano, & in codicibus Rodradi & Ratoldi; extat in Pontificali Romano.

a Circa ritum hunc variant codices mss. alii enim solum Episcopum ordinando Diacono manum imponere præcipiunt, ut Gemet. & vetustissimum Pontificale Egberti Eborac. Arch. ante annos 900. litteris Saxonicis scriptum: alii jubent astantes Presbyteros, post impositionem manuum Episcopi caput ordinandi tangere, ut codices Noviomensis & Reg. Nostrum Edm. Martene consule de antiq. Eccles. Ritibus cap. 8. de Ritib. ad Sacram. Ord. spectantibus.

Nota 745. ADESTO, QUÆSUMUS, OMNIPOTENS DEUS, &c.

In editis præfigitur, *verè dignum*, &c. ut in Pontificali Romano; quod non habetur in aliis codicibus noſtris mſs. nec in Ord. Rom. Unde ſupra in hoc codice S. Eligii ſcriptum eſt: *Et non dicitur, vere dignum, in conſecratione.*

Nota 746. HONORUM.

Ita in omnibus aliis codicibus noſtris mſs. & in Pontificali Rom. Sed in excuſis, in cod. Tiliano, & in Ordine Romano legitur, *bonorum*, non ita recte. Hæc enim vox *honor* dicitur de tribus excellentioribus Ordinibus Diaconatu, Presbyteratu, & Epiſcopatu. Ennodius in Eucharistico: *Ordinaſti ut per officium Levitarum coactus ſanarer, & impacti honoris ſarcina, quod premebat, a me pondus amoveret.* Et in vita ſancti Epiphanii Ticinenſis: *Poſt ad Diaconii evectus inſulas vicesimum annum ætatis aſcendit, turbabatur ſuſcepti honoris tirocinio.* Sanctus Cyprianus Epiſt. 34. *Ceterum Presbyterii honorem deſignaſſe nos illis, ut ſciatis.* Epiſt. 65. *Fungeris circa eam poteſtate honoris tui, ut eum vel deponas, vel abſtineas.* Et Epiſt. 68. *Ab Ordinatione autem Cleri atque Sacerdotali honore prohiberi.* Optatus Milevitanus lib. 2. adverſus Parmenianum: *Honore nominis ſui ſpoliati ſunt Sacerdotes.* Et infra agens de Donatiſtis qui Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos Catholicos abdicaverant, & pœnitentiam agere coegerant: *Et cum poſſetis eſſe filii Dei, filii hominum eſſe voluiſtis, & ad infigendum morſum honoribus alienis, linguas acuiſtis in gladios. Impleſtis in vobis quod in Pſalmo lvj. ſcriptum eſt: Filii hominum dentes eorum, arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Ergo linguas veſtras acuiſtis in gladios, quas moviſtis in mortes non corporum, ſed honorum; jugulaſtis non membra, ſed nomina. Quid prodeſt, quia vivi ſunt homines, & occiſi ſunt honores a vobis: valent quidem membris, ſed erepta portant funera dignitatis.* Et infra: *Eſuritis honores innocentium Sacerdotum.* Et paulo poſt: *Gutturi veſtro honorum funera non ſufficiunt.* Sanctus Auguſtinus lib. 2. adverſus Epiſtolam Parmeniani cap. 11. *Et cum expedire non videatur Eccleſiæ ut Præpoſiti eorum venientes ad Catholicam ſocietatem honores ſuos ibi non adminiſtrent, non eis tamen ipſa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, ſed manent ſuper eos.* Concilium Arelatenſ. IV. can. 1. *Epiſcopatus vero vel Presbyterii honorem nullum laicus ante præmiſſam converſionem, vel ante xxx. ætatis annos accipiat.* Et can. 2. *Sed nec reliqui Pontifices Presbyterii vel Diaconatus honorem conferre præſumant,* &c.

Ita apud Græcos de his tribus Ordinibus dicitur vox τιμὴ, id eſt honor. Concilium Nicænum can. 8. ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις Καθαροῖς ἐπίσκοπος τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει, id eſt, qui autem apud eos qui Cathari dicuntur, Epiſcopus nominatur, Presbyteri honorem habebit. Concil. Ancyranum can. 2. διακόνους ὁμοίως θύσαντας, μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας, τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν ἔχειν, id eſt Diaconos ſimiliter qui ſacrificaverint, poſtea autem reluctati ſint, alium quidem honorem habere. Et can. 18. ἐὰν δὲ στασιάζωσι πρὸς τοὺς καθεστῶτας ἐκεῖ Ἐπισκόπους, ἀφορίζεσθαι αὐτοὺς τὴν τιμὴν τοῦ πρεσβυτερίου, id eſt, Quod ſi adverſus eos, qui illic Epiſcopi conſtituti ſunt, ſeditiones moverint, honorem Presbyterii ab eis auferri. Syneſius Epiſt. 67. agens de Epiſcopis: καρποῦνται δὲ τὰς τιμὰς, id eſt, fruuntur honoribus, eo vagantes ubi majus compendium eſt. Et infra, τάχυ γὰρ ἂν ἐπανῆλθον, εἰ περὶ τῆς τιμῆς ἐκινδύνευον, id eſt, nam citius ad ſua loca reverterentur, ſi honoris ſui jacturam metuant.

Cum autem Diaconatus ſit honor in Eccleſia & ſupra ſacer Ordo appelletur, ex hoc internoſcere poſſumus quanta ſit hujus Ordinis dignitas, quæ in hoc maxime conſiſtit, ut proxime aſſiſtat Sacerdoti ſacra facienti, ſitque ejus in tanti myſterii celebratione adjutor, cui juxta ſanctum Ambroſium libro primo de Officiis cap. 41. commiſſa eſt Dominici corporis & ſanguinis conſecratio. Quod ſic intelligendum eſt, Petro Cantore interprete lib. mſ. de verbo mirifico cap. 41. *Experire etenim utrum miniſtrum idoneum elegeris, cui commiſiſti Dominici corporis & ſanguinis conſecrationem: non ad conficiendum, ſed ad aſſiſtendum: qui ſicut ſecretarius altaris particeps eſt confectionis Euchariſtiæ: non quia ſumat, & conficiat: non quia hoc ſine eo non poſſit fieri; ſed quia celebrius, & in majori reverentia conficitur corpus Domini cum præſentia miniſtri & teſtimonio ejus.* Ex quo Petri textu manifeſtum eſt locum [a] S. Ambroſii eſſe corruptum: nam in veteribus & recentioribus illius editionibus deeſt τὸ *corporis*, & in recentioribus τὸ *conſecrationem* mutatum eſt in τὸ *diſpenſationem*. Cum in veteribus ſit τὸ *conſecrationem*, Baſileæ editis anno 1492. ut in cod. mſ. Biblioth. Corbeienſis in quo non eſt τὸ *corporis*.

Nota 747. QUÆ SUNT AGENDA CONCEDERE.

In Pontificali Romano hæc ſequuntur interpoſita: *Hic ſolus Pontifex manum dexteram extendens ponit ſuper caput cuilibet ordinando, & nullus alius: quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur, dicens ſingulis: Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus in nomine Domini.* Quæ priora verba, *Hic ſolus Pontifex*, &c. aut ſaltem ſimilia non habentur hoc loco in excuſis, nec in codicibus Remenſi & Ratoldi, nec in codice Tiliano, nec in Ordine Romano, ſed præmittuntur Orationi huic: *Oremus, dilectiſſimi, Deum Patrem omnipotentem*, &c. In codice vero Rodradi nuſquam habentur, quia in eo nullæ ſunt rubricæ in Ordinationibus Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi. Poſteriora vero illa verba, *Singulis dicens, accipe Spiritum ſanctum ad robur*, &c. nullatenus extant in editis, nec in aliis codicibus noſtris mſs. hoc eſt, Rhemenſi, Rodradi, & Ratoldi, nec in Ordine Romano, nec in codice Tiliano.

Nota 748. QUANDO STOLAM INDUIS, PER HOC SIGNUM VOBIS DIACONATUS OFFICIUM, &c.

Hæc deſiderantur in codice Rodradi. In codice Ratoldi formula verborum ſingulariter effertur. In Ordine & Pontificali Romano ſtola induitur ſub alia verborum formula. In eodem Ordine Romano ſequitur traditio lib. Evangeliorum ſub hac forma: *Accipite poteſtatem legendi Evangelium*, &c. ut in Pontificali Romano, & in codice Tiliano.

Sed hæc porrectio libri Evangeliorum cum ſua forma abeſt ab editis, & a codicibus Remenſi, Rodradi, & Ratoldi: nec habetur in Concilio Carthaginenſi IV. nec apud ſanctum Iſidorum, Amalarium, Alcuinum, & Rabanum: nec erat olim in antiquiſſimo Ordinario Eccleſiæ Anicienſis quo utebatur Durandus in Ordinum collatione, ut ipſe teſtatur in 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 3. *Sed contra hoc argui poteſt; quia illud in quo imprimitur character, debet obſervari, & probabile eſt quod obſervetur in omni Eccleſia, ſed traditio libri in Ordinatione Diaconi non obſervatur in omni Eccleſia: nec antiquitus forſitan obſervabatur in aliqua Eccleſia. Unde ſecundum Ordinarium antiquiſſimum Eccleſiæ Anicienſis, cui præfuimus, liber Evangeliorum non tradebatur Diacono in Ordinatione ſua: ſed nos volentes nos conformare ceteris Eccleſiis, poſuimus de manu noſtra in margine dicti Ordinarii, quod liber Evangeliorum tradatur cum conſueta forma verborum. Quare non videtur quod in traditione libri imprimatur character Diaconatus. Et ideo alia opinio eſt, quod character imprimitur in impoſitione manuum. Per quod datur intelligi, quia applicatur*

a Conſule novam operum Ambroſii editionem ad hunc locum, qui ſic profertur: *Cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem.* Favent tamen lectioni Petri Cantoris decem codd. mſs. Gallic. & unus Vatic. De mutatione vocis *conſecrationem*, in *diſpenſationem*, lege notam erudituſſimorum editorum, qua locus hic luculentiſſime illuſtratur.

catur ad magnum ministerium. Et huic videtur canon concordare 23. distinctione ubi dicitur quod cum ordinatur Diaconus, solus Episcopus ei manum imponit, eo quod ad ministerium applicetur. Quare mihi videtur frigida responsio illorum (quæ nec in mentem Durandi venit) qui dicunt Ecclesiam Aniciensem in hoc errasse: cum manifestam videamus conformitatem hujus veteris Ordinarii præfatæ Ecclesiæ cum supra citatis Sacramentorum codicibus, Auctoribus, & Concilio Carthag. IV. Nec obstat quod Diaconi ex veteri consuetudine legant Evangelium, ut apparet ex Epist. sancti Hieronymi ad Sabinianum: *Evangelium Christi quasi Diaconus lectitabas*, non enim semper & ubique in Ecclesia fuit, ut clarum est ex his quæ supra de Lectoribus docuimus ex sancto Cypriano, & Conc. Toletano I. Quod confirmatur ex Sozomeno lib. 7. cap. 19. *ταύτην τὴν ἱερὰν βίβλον (τὸ εὐαγγέλιον) ἀναγινώσκει ἐνθάδε μόνος ὁ Ἀρχιδιάκονος, παρὰ δὲ ἄλλοις διάκονοι, ἐν πολλαῖς δὲ ἐκκλησίαις οἱ ἱερεῖς μόνοι, ἐν δὲ ἐπισήμοις ἡμέραις Ἐπίσκοποι, ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει κατὰ τὴν πρώτην ἡμέραν τῆς ἀναστασίμου ἑορτῆς*, id est, Sacrum hunc librum (Evangelium) legit hic (Alexandriæ) solus Archidiaconus, apud alios vero Diaconi, in multis Ecclesiis soli Sacerdotes; diebus autem solemnibus, Episcopi, ut Constantinopoli prima feria resurrectionis Dominicæ. Nec dicendum est hos Presbyteros & Episcopos, etiam Diaconos fuisse. Id enim minime certum est: cum olim prætermisso Diaconio multi Episcopi & Presbyteri crearentur.

Huic doctrinæ favet quod cum Diaconi primum instituti sunt, nondum erant scripta Evangelia. Tandem in Concilio Toletano IV. can. 27. Diaconus degradatus accipit tantum orarium & albam cum suæ dignitati restituitur: *Si Diaconus*, inquit Concilium, *orarium & albam*, nulla facta libri Evangeliorum mentione: recipit enim id quod prius in sua ordinatione acceperat, ut est in eodem canone, qui ita se habet: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcoporum; si Episcopus est, orarium, annulum & baculum; si Presbyter, orarium & planetam; si Diaconus, orarium & albam; si Subdiaconus, patenam & calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant quæ, cum ordinarentur, perceperant.* Ubi hæc verba: *Nisi amissos gradus recipiat*, non ita capienda sunt, quasi ejusmodi seu Episcopus, seu Presbyter, seu Diaconus, seu Subdiaconus degradatus gradu suo penitus privatus sit: sed hæc amissio gradus intelligitur dumtaxat quoad facultatem ministrandi in tali Ordine, & quoad communionem clericalem: itaut ejusmodi dejectus non posset amplius fungi Ordinis sui ministerio, nec communicare cum Clericis, sed cum laicis tantum. Quare restitutio ejusmodi instrumentorum non est iterata Ordinatio, sed tantum ritus quidam exterior, quo significatur ejusmodi dejectum posse jam suo ministerio fungi, & communicare cum Clericis: alioqui iteranda fuisset manus impositio quæ his Ordinibus est essentialis, (si Subdiaconatum exceperis, qui per manus impositionem non confertur) quod tamen hic non apparet. In Pontificali ms. supra citato quod Anglicanum esse creditur, extat libri Evangeliorum traditio sub hac forma: *Accipe istud volumen Evangelii; lege & intellige, & te opere adimple.*

Tandem post indutam stolam in Ordine Romano, & in codice Remensi sic habetur: *Sequitur benedictio: Domine sanctæ fidei, spei, gratiæ*, &c. In codice Ratoldi: *Benedictio post stolas super omnes: In nomine sanctæ Trinitatis, & unicæ divinitatis. Alia: Domine sanctæ fidei, spei, gratiæ*, &c. *Ad consummandum Diaconatus officium. Commune votum permaneat, communis oratio prosequatur*, &c.

In citato Pontificali Anglicano ms. post traditionem libri Evangeliorum Diaconi manus unguntur: ita enim habetur: *Consecratio manuum Diaconi de oleo atque Chrismate. Consecrentur manus istæ, quæsumus, Domine, & sanctificentur per istam unctionem tuamque benedictionem, ut quæcumque benedixerint, benedicta sint; & quæcumque sanctificaverint, sanctificata sint. Per.* Et sane olim in Gallia hic mos inoleverat ut manus Diaconis ungerentur: quod manifestum est ex Epistola Nicolai Papæ I. ad Rodulphum Archiepiscopum Bituricensem: *Præterea sciscitaris utrum solis Presbyteris, an Diaconibus debeant, cum ordinantur, manus Chrismatis liquore perungi.* Quod non interrogasset Pontificem Maximum Rodulphus, nisi id moris esse in Diaconorum ordinatione alicubi in Gallia compertum habuisset.

Tom. III. Conc. Gallic.

Nota 749. PRESBYTER CUM ORDINATUR, &c.

Ita in editis, & in manuscriptis nostris codicibus Remensi, Ratoldi, Tiliano, & S. Germani a Pratis. In Ordine Romano, & in Concilio Carthag. IV. can. & in Pontificali ms. quod Anglicanum esse putatur, pro his verbis, *super ejus caput teneant*, legitur *super illius ponant caput*. In Pontificali Romano hæc omnia aliter in hunc modum habentur: *Pontifex stans ante faldistorium cum mitra, & nulla oratione nulloque cantu præmissis, imponit simul utramque manum super capita cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens, idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt.*

Nota 750. OREMUS DILECTISSIMI, &c.

Ita in editis & in cod. Rodradi & Ratoldi: ita etiam in codic. Rem. & in Ordine Romano, in quibus præmittitur allocutio ad populum in hunc modum: *Quoniam, dilectissimi fratres*, &c. In Pontificali Romano hæc oratio plurali numero enuntiatur.

Nota 751. EXAUDI NOS, QUÆSUMUS, DOMINE DEUS NOSTER, &c.

Ita in excusis, & in codicibus Remensi, Rodradi, & Ratoldi, atque etiam in Ordine & Pontificali Romano, in quibus præmittitur, *Flectamus genua, levate.*

Nota 752. CONSECRATIO.

Ita in editis, & in codice Ratoldi. In codicibus Remensi & Ratoldi additur τὸ *Presbyteri*. In Pontificali Romano hæc duo vocabula desiderantur. In Ordine Romano legitur, *consecratio eorumdem.*

Nota 753. DOMINE SANCTE, PATER OMNIPOTENS, &c.

In codice Ratoldi hæc præmittuntur, *Dominus vobiscum*, &c. *sursum corda*, &c. Pontificali Romano his præmittitur, *Per omnia secula seculorum.* In codice Remensi hanc orationem hæc sequuntur: *Consummatio Presbyteri fit nobis, fratres, communis oratio. Item Benedictio: Deus sanctificationum auctor.* Quæ non extant in excusis, neque in codice Rodradi. Habentur quidem in codice Ratoldi, sed post unctionem manuum & capitis: in Ordine etiam Romano, sed post indutam casulam. At in Pontificali desiderantur, *consummatio Presbyteri, fit nobis, fratres, communis oratio*, &c. Sed post indutam casulam dicitur: *Deus sanctificationum auctor.*

Nota 754. HONORUM.

In editis, & in Ordine Romano legitur τὸ *honorum*, non ita recte. Vide paulo ante annotata.

Nota 755. PONTIFICES SUMMOS.

Id est, Episcopos. Ita enim appellati sunt Episcopi. Fortunatus lib. II. epigr. 13.

Pontifici summo eos commendare precamur:
Regibus & Domnis ferte salutis opes.

Intelligit enim ibi sanctum Germanum Parisiorum Episcopum. Consule observationes nostras ad Martyrologium Sanctorum Ordinis S. Benedicti, & Johannem Savaronem ad Epist. II. lib. 9. Sidonii. Hanc autem orationem in codice Ratoldi subjecta sequuntur: *Modo convertat stolam in collo, & induatur casula. Per hæc indumenta stolam & casulam salutis indui merearis, & æternæ perpetuitatis plenitudinem cum sanctis Sacerdotibus Christo ministrante capessere valeas.* In Ordine quidem & Ponti-

tificali Romano idem ritus extat, sed sub alia verborum formula: *Accipe jugum Domini*, &c. Extatque idem ritus in Euchologio Græcorum in Ordinatione Presbyteri, *καὶ φέρει τὸ ὄπισθεν ὠμοφόριον αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ἔμπροσθεν τοῦ δεξιοῦ μέρους*, id est, & posteriorem orarii illius partem transfert ad anteriorem ex parte dextra. Hinc capiendus est locus Concilii Bracarensis III. can. 3. *Scilicet, ut cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumturus, non aliter accedat quam orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore Ordinationis suæ dinoscitur consecratus; ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum in suo pectore* **præparet Crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi subjaceat.*

*alibi prætera.

Orarium autem est quod vulgo stolam dicimus, de quo vide Johannem Meursium in Lexico Græco-Barbaro, & Isaacium Casaubonum ad Flavium Vopiscum in vita Aureliani. Quod orarium sive stola detur in sua Ordinatione Presbyteris, patet etiam ex Concilio Toletano IV. can. 27. Græcis dicitur *ἐπιτραχήλιον*, ut clarum est Theoria mystica sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani, quia circum collum componitur.

Nota 756. HIC VESTIS ET CASULAM. BENEDICTIO PATRIS, ET FILII, &c.

Ita in editis, & in codice Remensi. In Ordine & Pontificali Romano habetur: *Accipe vestem sacerdotalem*, &c. In codice Ratoldi legitur: *Benedictio post casulas super omnes. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super vos, & his sacerdotalibus vestibus induti, protecti, & muniti esse valeatis ab omnibus impugnationibus malignorum spirituum, & sitis benedicti in nomine Domini nostri & in virtute Spiritus sancti in Ordine Sacerdotali, & offeratis hostias placabiles pro peccatis atque offensionibus omnipotenti Deo, cui est honor & gloria.* In Concilio Toletano IV. can. 27. Presbytero in sua ordinatione Planeta datur, quæ idem est, ac Casula.

Nota 757. CONSECRENTUR MANUS ISTÆ. &c.

Ita in editis, & in cod. Remensi. In codice Ratoldi legitur: *Consecrentur manus istæ, quæsumus, Domine, de Oleo sancto, & de Chrismate sancto*, &c. In codice Tiliano, Ordine & Pontificali Romano, sic habetur: *Consecrare, & sanctificare digneris, Domine, manus istas.* In codice Rodradi hæc manuum unctio desideratur. De unctione manuum Presbyteri in ejus ordinatione hæc reperire est apud Burchardum lib. 2. cap 55. ex dictis sancti Augustini loquentis ad Presbyteros: *Unde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis, unctionis; ut nec ab eadem degeneretis, ne manus sacro unguine delibutas peccando polluatis.* Apud Amalarium lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 13. *Hunc morem tenent Episcopi nostri, manus Presbyterorum ungunt de oleo.* Illius mentio fit in epistola Nicolai Papæ I. ad Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum, in qua dicit eam non esse in Ecclesia Romana usitatam, dubitatque an ullibi fuerit aliquando; quod miror propter auctoritates supra citatas, & quosdam ex codicibus nostris mss. qui usum Romanum sequuntur, ipso Nicolao Papa antiquioribus: tum maxime quia remittit ipsum Rodulphum ad Epistolam Innocentii I. scriptam ad Decentium Eugubinum, in qua, de hac re, ut de Ordinationibus ne γρῦ quidem, quarum tamen Nicolaus mentionem facit.

Hæc autem manuum unctio fiebat in modum crucis, ut planum est ex Ordine Romano: *Expleta autem oratione accipiens Oleum sanctum, faciat Crucem super ambas manus*, &c. Hæc unctio aliter fit in Pontificali Romano. In codice Ratoldi additur unctio capitis sub hoc titulo, & formula: UNGATUR CAPUT. *Ungatur caput tuum & consecretur cælesti benedictione in Ordine sacerdotali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Pax tibi.* Idem videre est in Pontificali ms. quod servatur in Secretario Ecclesiæ Rothomagensis,

A putaturque esse Anglicanum: CONSECRATIO CAPITIS CUM OLEO. *Ungatur & consecretur Caput tuum cælesti benedictione in Ordine sacerdotali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Pax tibi, ℟. Et cum Spiritu tuo.* Quæ quidem unctio capitis cum sua formula non extat in editis, neque in aliis codicibus nostris mss. neque in Ordine & Pontificali Romano.

Sequitur in codice Ratoldi: ITEM BENEDICIT MANUS SACERDOTUM. *Benedic, Domine, has manus, & sanctifica Sacerdotem ill. ad consecrandas hostias quæ pro delictis atque negligentiis populi offeruntur: & ad cetera benedicenda, quæ ad usus populi necessaria sunt: & præsta, quæsumus, ut quæcumque benedixerint, benedicantur; & quæcumque sacraverint, sacrentur, Salvator.* Tandem in Pontificali Romano sequitur traditio patenæ cum hostia superB posita, & calicis cum vino & aqua sub hac verborum forma: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.*

In Ordinibus mss. sancti Germani a Pratis, & Tiliano, & in Ordine Romano extat ejusmodi instrumentorum traditio cum sua forma, quæ tamen ibi pluraliter effertur: *Accipite potestatem*, &c. nec in eis ulla fit aquæ mentio. Sed hæc traditio cum sua forma deest in Sacramentariis excusis, ut in codicibus mss. Remensi, Rodradi, sancti Eligii, & Ratoldi, atque etiam in Pontificali ms. quod putatur esse Anglicanum. Non habetur etiam in Concilio Carthag. IV. toties citato, nec in Concilio Toletano IV. can. 27. neque ulli antiqui Patres mentionem aliquando fecerunt; non sanctus Isidorus, non Amalarius, non Rabanus, non Constitutiones Apostolicæ lib. 8. cap. 16. & seqq. non omnium antiquissimus Dionysius magnus, qui de C sacris Ordinibus dedita opera, & ex professo tractaverit: nihilque simile in sacris Scripturis reperies: neque Christus in suprema illa cœna Apostolos instituens Sacerdotes, illis ejusmodi porrexit instrumenta; neque tum tradidit eis panem & vinum, sed corpus suum & sanguinem sub speciebus panis & vini. His consentit Ecclesia Orientalis, seu Græca, quæ ejusmodi instrumentorum traditione in Presbyterorum Ordinatione non utitur, ut palam est ex eorum Euchologio, quod infra sumus producturi; nec tamen Ecclesia Romana umquam eorum Ordinationem improbavit, quæ permittit ut apud nos Græci Presbyteri Missas faciant, nobis eas audientibus; quemadmodum etiam in eorum regione facimus, illis celebrantibus; quod esset intolerabilis idololatria, si non essent vere ordinati. Neque in Concilio Florentino, D in quo Græci cum Ecclesia Romana sunt reconciliati, umquam de eorum Ordinationibus dubitatum est: neque in unione Armenorum, cum ipsis Armenis Eugenius IV. tradidit ritum Ecclesiæ Romanæ in Ordinationibus observandum, pristinas eorum Ordinationes irritavit, neque Clemens VIII. Russorum Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, qui ritum Græcorum servabant etiam in suis Ordinationibus, cum eos in gratiam Ecclesiæ Romanæ recepit, iterum ordinari censuit. Itaque dicendum est materiam essentialem Diaconatus, Presbyteratus, & Episcopatus in manus impositione sitam esse.

Nihil aliud sonat Scriptura Actorum 6. in septem Diaconorum Ordinatione: *Orantes imposuerunt eis manus.* 1. ad Timoth. cap. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et cap. E 5. *Manus cito nemini imposueris.* 2. ad Timoth. cap. 1. *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Confirmatur auctoritate Dionysii magni cap. 5. Hierar. Eccl. qui ex professo agens de præfatis tribus Ordinibus, nihil præter manuum impositionem ad eorum materiem requirit.

Hoc patet etiam ex S. Hieronymo cap. 58. Isaiæ: *Ordinatio non solum ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem impletur manuum.* D. Ambrosio lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam; Sacerdos imponit supplicem dexte-*

dexteram; *Deus benedicit potenti dextera*. Concil. Hispalensi II. can. 5. *Quanto judicio ad agnitionem nostri examinis Agabiensis Diaconi relatu deductum est de quibusdam ipsius Ecclesiæ Clericis, quorum dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum oculorum dolore detentus fertur manum suam super eos tantum posuisse, & Presbyter quidam illis contra Ecclesiasticum Ordinem benedictionem dedisse*. Quæ Ordinationes a Concilio irritantur, quia benedictio fuerat a Presbytero pronuntiata. Quod etiam liquet ex Synesio Epist. 66. ὑπὸ τῆς ἐκείνου χειρὸς ἐπίσκοπος ἀπεδείχθη τῆς Βιθυνῶν Βασινουπόλεως, id est, illius manibus Episcopus Basinopolis in Bithynia consecratus est. Et Epist. 76. καὶ δὲ τῷ δατέρου χειρὶ πρεσβύτερος ἀποδέδεικτο, id est, quorum alterius manu Presbyter sacratus fuerat.

Multos alios prætermitto brevitatis causa. Non tamen multus & nimius ero, si auctoritatem recentioris scriptoris viri gravissimi & doctissimi Mariani Victorii, Episcopi Amerini, protulero, qui ad epistolam sancti Epiphanii, quæ extat inter epistolas sancti Hieronymi tom. 2. sic ait: *Ordinatio autem fiebat cum oratione, & manus impositione, quemadmodum nunc Ecclesia utitur*, &c.

Hic igitur vides Ordinationem ad manuum impositionem impleri, & ad eamdem Spiritus sancti gratiam conferri: ac proinde efficitur manuum impositionem non esse Ordinationi accidentariam, nec esse solam dispositionem ad gratiam, ut quidam volunt. Præterea non est credibile Concilia & Patres tantum de his quæ sunt Ordinationi contingentia locutos fuisse, de his vero quæ sunt illi essentialia tacuisse; præsertim Concilium Carthaginense IV. quod enucleatius omnia, quæ ad Ordinum materiem spectant, describit.

Nec valet id quod quidam respondent Concilium non omnia posuisse, quia librum Pontificalem non scribebat. Nam etsi Concilium librum Pontificalem non scriberet, non erat tamen adeo difficile ac tædiosum traditionem instrumentorum in trium illorum Ordinum hierarchicorum explanatione annotare; cum id una aut altera linea fieri potuisset, ut in inferioribus Ordinibus factum fuerat. Præterea libri Sacramentorum a nobis producti, erant libri Pontificales, quibus utebantur Pontifices in Ordinum collatione, ergo in illis omnes essentiales materiæ assignantur: at nihil aliud continent, quam Concilium Carthaginense IV. Igitur in ipso Concilio omnes Ordinum materiæ essentiales continentur. Cum autem Concilium in hac parte mire conveniat cum sacra Scriptura, aliis antiquis Conciliis Patribus, ac libris Sacramentorum, necessario concluditur illud quoad materiæ essentialis assignationem in tribus illis Ordinibus nihil prætermisisse. Deinde si Concilium materias essentiales inferiorum Ordinum tam diligenter assignavit, cur idem in aliis Ordinibus quæ sunt gravioris ponderis & momenti, non præstiterit? Si dicas ideo prætermissas fuisse, quia vulgares & notæ sunt, idem etiam de materiis inferiorum Ordinum, quæ sunt æque vulgares ac notæ, dicendum erit.

Tandem hæc doctrina manifeste colligitur ex eodem Concilio, can. 5. ubi agens de Ordinatione Subdiaconi sic ait: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum*, &c. Si igitur traduntur instrumenta Subdiacono, quia non ei manus imponuntur, recte sequitur tribus illis superioribus Ordinibus non esse necessariam instrumentorum traditionem, quia manus illis imponuntur, ac proinde nihil de materia illis essentiali a Concilio fuisse prætermissum. Quare quemadmodum inferiores Ordines sola instrumentorum porrectione sine manuum impositione; sic tres illi superiores sola manuum impositione sine instrumentorum traditione perfici possunt, & par utrobique ratio a contrario.

His accedit auctoritas Facultatis Theologicæ Parisiensis aliarum facile principis, in cujus thesibus publicis hæc doctrina vulgo defenditur; ut in quadam thesi VI. Junii anno CIↃDCXXXIII. quam profert R. ac doctissimus Pater Jacobus Sirmondus cap. 8. Antirrhetici, cui inditum est: *Quibus Ordinibus impositio est manuum, his solam sufficere ad valorem firmitatemque Sacramenti*. In thesibus Jacobi de Mont-rouge Parisini Baccalaurei Navarrici, Ecclesiæ Andegavensis Canonici, Ordinarii Reginæ Eleemosinarii die 19. Januarii, anno CIↃDCXXXIX. pro majore Ordinaria in Scholis Theologorum Regiæ Navarræ, præside S. M. N. Alberto de S. Gilles doctore Parisiensi, apud Carmelitas Theologiæ Professore, dedicatis illustrissimo viro Augustino Potier Bellovacensium præsuli, & magno Reginæ Eleemosynario, in quarum octava positione hæc habentur: *In Ordinatione ministrorum reperitur Symbolum seu ritus externus, scilicet manus impositio, quæ in Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, ut essentialis designatur; cetera ad integritatem materiæ dumtaxat spectant*. In thesibus Renati Robeville Baccalaurei Theologi, & Rectoris Universitatis studiorum XXI. Junii, eodem anno in exterioribus Sorbonæ Scholis pro majore Ordinaria Præside S. M. N. Jacobo Charton Doctore Theologo, & Socio Sorbonico, Ecclesiæ Parisiensis Canonico, & Pœnitentiario Presbytero, dedicatis illustrissimo viro Domino Petro Seguier Franciæ Cancellario, in quarum VIII. positione hæc videre licet: *Impositio manuum essentialis materia, librorum aut vasorum porrectio accessoria*. In thesibus Johannis Helyes Bajocensis Baccalaurei Navarrici pro majore Ordinaria, in aula Regiæ Navarræ XIII. mensis Octobris eodem anno præside S. M. N. Joanne Nicolai apud Prædicatores Theologiæ Professore, dedicatis illustrissimo viro Domino Henrico Ludovico Habert de Mont-mort Marchioni, Comiti, &c. In quarum ultima positione hæc scripta sunt: *In Episcopis, Presbyteris, & Diaconis integrans materia instrumentorum porrectio, essentialis manus impositio*. In thesibus Michaelis de Beauharnois Aurelianensis, Bacchalaurei Sorbonici 10. Decembris anno 1639. pro minore Ordinaria, in exterioribus Sorbonæ Scholis Præside S. M. N. Jacopo Peretyret Doctore Theologo, & Professore Navarrico, dedicatis sanctæ memoriæ Roberto de Sorbona, in quarum V. positione hæc continentur: *Populus omnis Christianus ita est gens sancta & regale sacerdotium, ut non tamen quilibet fidelis offerendi sacrificii habeat potestatem, sed qui divina vocatione consecratus est in Presbyterum per Episcopalem manuum impositionem, quam Hierarchicorum Ordinum essentialem arbitror materiam*. In thesibus Antonii Arnaud Parisini, Baccalaurei Sorbonici, Ecclesiæ Virodunensis Canonici, pro majore Ordinaria die 13. Januarii anno CIↃDCXL. in Scholis Sorbonicis, Præside S. M. N. Juliano Joubert apud Prædicatores Parisienses Theologiæ Professore, dedicatis verum Israelem vero de cœlo pane pascenti, in quibus hæc reperire est positione iij. *Essentialis ad Diaconatum, ceterosque superiores Ordines materia manus impositio esse videtur*. Plures alias ejusmodi theses producere possem; sed ne sim nimius, supersedeo.

Nec est quod quis nobis opponat Bullam Eugenii IV. in qua videtur materiam Diaconatus & Presbyteratus in traditione instrumentorum constituere: siquidem explicanda est de materia accessoria, vel de integrante, ut aliis placet. Nonnulli dicunt materias fuisse dilatatas. Si vero Pontifex nullam facit mentionem impositionis manuum, id factum est quia jam erat in usu apud Armenos, quibus peculiarem Ecclesiæ Romanæ ritum tradere volebat. Plura vide apud Petrum Arcudium lib. 6. de Sacramento Ordinis, cujus opus Romæ approbatum est auctoritate Pauli V. Pontificis maximi.

His autem ita constitutis, quid sit manus, seu manuum impositio (quandoquidem de illa controvertitur) quærendum est. Manus impositio est positio manus super caput alicujus: id palam est ex sancto Dionysio cap. 5. Eccl. Hierar. ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὰ θεοπαράδοτα λόγια καὶ τὴν ἱεραρχικὴν χεῖρα, id est, super caput habet divinitus tradita oracula, id est Evangelium, & manum Pontificis; & paulo post de Presbyteri Ordinatione: *Sacerdos flexis genibus ante divinum altare*, ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὴν ἱεραρχικὴν δεξιάν, id est,

id eſt, Pontificis dexteram ſuper caput habet; & ſimiliter de Ordinatione Diaconi ſcripſit: *Miniſter uno poplite flexo ante divinum altare*, ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὴν τοῦ τελοῦντος αὐτὸν ἱεράρχου δεξιάν, id eſt, dexteram illius qui eum initiat ſuper caput habet. Conſentiunt Apoſtolicæ Conſtitutiones lib. 8. cap. 16. & ſequentibus, ubi dicitur, τὴν χεῖρα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιτίθει αὐτοῦ, id eſt, manum ſuper caput ipſe impone. Clarum eſt etiam can. 3. Concilii Carth. IV. de Ordinatione Presbyteri: *Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente*; & can. 4. *Solus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat*. Idem patet ex Sacramentariis editis, & mſſ. ſancti Eligii, Ratoldi, Remenſi, ex Ordinibus mſſ. Tiliano, & ſancti Germani a Pratis, & ex Ordine & Pontificali Romano, in quibus omnibus nulla eſt manus impoſitio, niſi manus ponatur ſuper caput. Id etiam planum eſt ex his Metaphraſtæ verbis, cum agit de S. Johannis Chryſoſtomi in Presbyterum creatione: *Ut autem acceſſerunt ad ſacrum Altare, & ipſe, ut lex eſt*, ὑπέκλινε τῷ ἱεράρχῃ τὴν κεφαλήν, τοῦ δὲ χεῖρας ἐπιτιθέντος, id eſt, Pontifici caput ſubmiſiſſet, illius vero manus impoſitæ fuiſſent. Id ſuadet verſio Syra Actorum 6. in qua legitur, *poſuerunt ſuper eos manus*, cum in Vulgata interpretatione, juxta textum Græcum legatur, *impoſuerunt eis manus*.

Lib. 6. de Sacramento Ordinis cap. 7.

Quæ cum ita ſint, Petrus Arcudius nobis venit refutandus, qui ſcribit ipſam inſtrumentorum porrectionem eſſe manuum impoſitionem: quia Pontifex eo ipſo quod tradat inſtrumenta, manum imponit: & imprimi characterem, non tam propter inſtrumenta, quam propter actionem, & porrectionem ipſius Pontificis, quam manuum impoſitionem appellat. Quod ſi verum eſt, dicendum erit baptiſmum conferri per manus impoſitionem; nam is qui baptizat ſeu merſione, ſeu aquæ infuſione juxta ſenſum Arcudii, manum imponat neceſſe eſt. Idem etiam de Extrema-unctione fatendum erit; nam qui ungit corpus, manum imponit, cum tamen hactenus hæc duo Sacramenta per manus impoſitionem conferri ſcripſerit nemo. Nec valet objectio de Confirmatione; etenim hoc Sacramentum manuum impoſitionem diſtinctam habet ab unctione, ut ſupra dictum eſt. Præterea ex ejuſmodi explicatione impoſitionis manuum ſequitur omnes inferiores Ordines in manuum impoſitione conſiſtere: cum enim porrigit Epiſcopus calicem & patenam Subdiacono, librum Exorciſtæ & Lectori, Oſtiario claves, æque illis manus imponit ac Presbytero, cum ei offert inſtrumenta tangenda, quod tamen ſine controverſia veritati minime conſentaneum eſt. Hoc enim adverſatur Concilio Carthaginenſi IV. Ordini & Pontificali Romano, & antiquis Sacramentorum libris, in quibus manifeſta inter traditionem inſtrumentorum & manuum impoſitionem apparet differentia, & hæc ad ſuperiores Ordines, illa ad inferiores ſpectat. Imo ejuſmodi doctrina a communi ſenſu & uſu loquendi abhorret; nam ſequeretur eum qui porrigit pomum puero aut panem pauperi, illis imponere manum, quod tamen hactenus eſt inauditum.

Nec obeſt illud quod opponitur ex Mar. 7. cum Chriſtus quibuſdam rogantibus, ut imponeret manus Lunatico, linguam & aures tetigit. Non enim inde ſequitur ejuſmodi contactum eſſe manus impoſitionem, qualem hic requirimus; etſi enim illi Chriſtum rogarent, ut pro more ſuo manum ægroto imponeret, non tamen ille tenebatur hanc inire viam & rationem, nec eorum erat illi hanc legem imponere, qui myſterii cujuſdam gratia, alia, quam illi putabant, ratione uti voluit in hujus curatione lunatici, ac proinde non inde efficitur contactum linguæ & aurium eſſe manus impoſitionem.

His ita perfectis breviter agendum eſt in eos, qui dicunt manuum impoſitionem eſſe meram electionem, quæ fiebat per manus elationem, vel extenſionem, non vero eſſe aliquem conſecrandi ritum, quam ideo veteres appellabant χειροτονίαν, id eſt, electionem, & χειροτονίαν. Fateor quidem in inſtrumentis ethnicalium ſcripturarum iſta vocabula ſignificare electionem, & eligere aliquem, in magiſtratum videlicet; & ita interdum uſurpari a Conciliis & ſanctis Patribus, cum agunt de electione Epiſcoporum, ſed non ſemper. Nam χειροτονεῖν, Actorum cap. 14. eſt conſtituere Epiſcopum ſolemni ritu impoſitione manus. χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν. Quod confirmatur Act. 6. καὶ προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας, *& orantes impoſuerunt eis manus*. Hic enim locus priorem explicat, nam ἐπιτιθέναι τὰς χεῖρας, id eſt, manus imponere, nullo modo ſignificat extendere manus, ſive eligere, ut infra docebimus.

Confirmatur ex primo canone Apoſtolorum: Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν, id eſt, Epiſcopus ordinetur a duobus Epiſcopis vel tribus. Atque pleni ſunt Sanctorum libri, eligi Epiſcopum olim ſolitum a Clero & populo, a tribus vero Epiſcopis conſecrari; & can. 2. πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπου χειροτονείσθω, id eſt, Presbyter ab uno Epiſcopo ordinetur, & can. 4. Concil. Niceni. Epiſt. 67. Syneſii ubi agitur de Siderio Epiſcopo Palæbiſcæ non legitime creato a Philone Cyrenenſi Epiſcopo, quia non fuerat Alexandriæ ordinatus, nec a tribus Epiſcopis, καί τοι αὐθεντία τῆς χειροτονίας ἐκεῖσε γίνεσθαι, id eſt, etſi illic eſſet ordinandi facta poteſtas. Ubi χειροτονία, non ſumitur pro electione, quæ ſupponitur facta, cum petitur ab Alexandrino Patriarcha facultas ordinandi, ſine cujus licentia id fieri non poterat, ut conſtat ex canone 6. Concilii Nicæni. Quod clarum eſt etiam ex Epiſt. 76. nam cum Antonius quidam Presbyter omnium Epiſcoporum & populi, qui convenerant, ut Olbiatis vici Epiſcopum eligerent, ſuffragia tuliſſet, ſcribit Syneſius Theophilo, ἑνὸς ἄρα δεῖ, τῆς χειροτονίας μόνης τῆς ἱερᾶς σου χειρός, id eſt, unum igitur id opus eſt, ſacra tua ſcilicet manus. Hæc differentia videtur etiam apud Sozomenum lib. 8. hiſt. Eccl. cap. 19. ubi, Epiſcopo civitatis exiguæ Geras defuncto, cives ſuffragiis ſuis decreverunt Nilammonem civitati ſuæ præficere Epiſcopum: qui cum nervis omnibus obniteretur; accedens ad eum Patriarcha Theophilus rogatus a civibus, συνεβούλευε καταδέξασθαι παρ' αὐτοῦ χειροτονίαν, id eſt, hortatur, ut ordinationem a ſe acciperet. En electio civium & χειροτονία diſtinctæ: quæ aliter dicitur χειροθεσία, id eſt, impoſitio manus, & ἐπίθεσις τῶν χειρῶν, id eſt, impoſitio manuum, 2. ad Timoth. 1. & manus imponere ἐπιτιθέναι τὰς χεῖρας Act. 6. Nec dicendum illa ſignificare electionem, & eligere: nam citato loco Actuum, eligere & manus imponere diſtinguuntur; *Et elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu ſancto*, &c. *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & impoſuerunt eis manus*. Ubi primo vides electionem, deinde ordinationem per manuum impoſitionem. Sed de impoſitione manuum ſatis.

In Pontificali Romano hæc quæ præcedunt prolationem horum verborum: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo*, &c. notanda veniunt; *Pontifex manus lavat & tergit: tum tradit cuilibet ſucceſſive calicem cum vino & aqua: & patenam ſuperpoſitam cum hoſtia, & ipſi illa accipiunt inter indices & medios digitos, & cuppam calicis & patenam ſimul tangunt, Pontifice ſingulis dicente*, &c. Ita in veteri editione Pariſienſi anni 1520. legitur, & recte; nam hoc pronomen *illa* ad ea quæ tangenda ſunt ſeu mediate, ſeu immediate, refertur. Quod ſi legas, *illam*, ut in quibuſdam recentioribus, & apud Cataldum in cæremoniali Epiſcoporum legitur, non video horum verborum ſenſum, cum non poſſit ad ſolum nomen *hoſtiam* referri. Senſus eſt enim ut omnia quæ offeruntur, accipiantur; & poſtea modus acceptationis declaratur, nempe inter indices, & medios digitos, ita ut cuppa calicis & patena ſimul tangantur. Quæ cum ita ſint, non illi audiendi, qui dicunt hoſtiæ ſeu panis contactum eſſe de præcepto in Pontificali, cum nihil tale in illo appareat; & multo minus ii qui ſcribunt con-

tactum

ractum panis esse de necessitate Sacramenti; itaut qui panem non tetigerit, sit rursum ordinandus. Nam moraliter loquendo ille acceptare dicitur, qui instrumenta seu vasa, in quibus sunt ea quæ offeruntur, accipit, seu tangit: ut ille vere oblata poma acceptat, qui canistrum aut vas in quo sunt, accipit sine pomorum contactu: hancque sententiam multi graves auctores sequuntur, prætermissis illis qui instrumentorum seu vasorum contactum non essa de necessitate Sacramenti asserunt, inter quos Albertus Magnus mſ. in 4. sent. pag. 313. col. 3. Bibliothecæ monasterii S. Victoris Parisiis, in responsione ad 3. *Dicitur quod non exigitur nisi porrectio; & tactus est de bene esse, quia in hoc Sacramento est forma significans tradactionem potestatis, & hoc significatur in porrectione tota, non expresse dissentiente eo cui porrigitur. Intelligitur enim accepisse, quando non dissensisse se ostradit, quando ad acceptandum est præsentatus.*

Tandem in eodem Pontificali Romano expleta communione, &c. denuo Pontifex imponit manus super capita singulorum dicens: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata*, &c. Qui ritus cum sua forma non extat in Concilio Carthaginensi IV. neque in nostris Sacramentariis tam editis quam mſſ. neque in codice Tiliano, neque in Pontificali mſ. quod Anglicanum esse putatur, neque in Ordino mſ. S. Germani a Pratis: quæ postea tamen addita sunt in hujus codicis margine, sed alia manu. Nec etiam reperire est apud S. Isidorum, Amalarium, & Rabanum, nec in Ord. Rom.

Tandem in cod. Ratoldi post manuum benedictionem sequitur: *Consummatio Presbyterorum. Sit nobis communis oratio, fratres, ut hi qui in adjutorium & utilitatem vestræ salutis eliguntur*, &c. Deinde. ITEM ALIA: *Sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio, cujus plena benedictio est, tu Domine, super hos famulos tuos* ill. *quos Presbyteratus honore dedicamus, gratiam tuæ benedictionis infunde.* &c. Hac completa oratione sequitur in eodem codice: *Modo legatur Epistola, Tractus, & Evangelium, & tunc offerant omnes sacras oblatas.* Ubi legendum puto, *sacrandas*, loco, *sacras*. Nam olim omnes panem & vinum, de quibus essent communicaturi, in altari offerebant. Quod paret ex eodem codice Ratoldi in consecratione Episcopi, ubi post unctionem Episcopi hæc sequuntur: *Legatur Evangelium secundum Lucam. In illo tempore facta est contentio. Et tunc offerat panem & vinum ipse & omnes.* Ubi τὸ *ipse*, est Episcopus qui ordinatur, & τὸ *omnes*, sunt alii Episcopi adsistentes, & ceteri Clerici.

Nota 758. EPISCOPUS CUM ORDINATUR.

In editis ante hæc verba habetur examen seu interrogationes, eæque secundum usum Gallorum, ut notant codex Tilianus & Ordo Romanus, quæ in Concilio Carthag. IV. diversæ sunt. At in Sacramentariis nostris mſs. nullæ sunt. Episcopus juxta interpretationem S. Ambrosii cap. 6. libri de dignitate Sacerdotali est superinspector, id est speculator, custos. Apud Plutarchum in Numa τῶν παρθένων ἱερῶν Ἐπίσκοπος, id est, Sacrarum virginum custos, de summo Pontifice. Apud Jurisconsultos in legem ult. ff. de munere & honore Episcopi, est qui præest pani, ceterisque rebus venalibus. Apud Athenienses præfectus & custos urbis alicujus illis subditæ, ad eam missus inspiciendi gratia ea quæque a singulis geruntur, qui a Laconibus Ἁρμοστὸς appellatur, ut docet Harpocration, meminit Julius Pollux lib. 8. cap. 1. ad cujus similitudinem apud nos, qui in unaquaque civitate rebus divinis & sacris præest, dicitur Episcopus. In codice Ratoldi quædam præmittuntur, quæ huc transferre, quia non sunt contemnenda, mihi visum est:

*Electio quomodo a Clero & a populo eligitur Episcopus in propria sede cum consensu Regis, Archipræsulisque, * omnique populo.*

DOMINO Francorumque meritis coæquando * Pari Patrum Domino N. Præsuli summo cunctus Clerus, omnisque populus sanctæ *ill.* Ecclesiæ multimodam in Domino optamus salutem. Igitur quoties aliqua plebs vestræ ditioni subdita a proprio fuerit viduata Pastore, non aliunde nisi a vobis est implorandum auxilium: quem ad hoc divina prærordinavit majestas: ut non solum vestros specialiter pascatis filios, sed etiam Rectores non habentibus, & spiritali pabulo indigentibus Pastores tribuatis. Quapropter ad vestræ sanctitatis paternitatem fiducialiter nostras fundimus preces, poscentes videlicet, ut hunc *ill.* summæ honestatis humilem vestrum famulum nobis Pontificem ordinare * indigemini. Cujus conversationem & mores, in quantum cognovimus, laudamus, & ad tam dignum opus idoneum restificamus. Et quamdiu * ad benedictionem Episcopali immunes sumus, ejus doctrina & exemplo roborati, ad viam salutis, Domino miserante, quasi perdita * onus & inventa redituros nos credimus. Quod decretum nostris manibus roboratum *ill.* Ecclesiæ vestræ vobis dirigere statuimus. Anno Incarnationis Domini, & Episcopatus vestri, & Regi *ill*, annorum illorum Indictione tale, datarum tale.

Oratio ab Archiepiscopo dicenda post electionem super electum & super se.

Oremus, Fratres, ut Deus & Dominus noster Jesus Christus nos & electum nostrum gratia Spiritus sancti illustrare dignetur. Per.

*Sequitur ammonitio * Episcopi.*

Hæc * solita mente, & studio vigilanti conserva, & tibi commissis nota facere cura: ut unanimes uno ore collaudetis Deum de suis erga vos beneficiis; cui exhibendus est honor & gloria. Per omnia.

Promissio.

In nomine altithroni Conditoris Regis æterni, ego N. humilis Christi famulus licet indignus ad Episcopalem *ill.* Ecclesiæ sedem electus ad regendam eam Deoque * servatam, suppliciter confiteor cum omnipotentis Dei auxilio, & quantam voluerit mihi gratiam superna sapientia revelare, & vitam commodare in hoc seculo, quod ego, sancte Salvator mundi, *ill.* & venerando Patri Archiepiscopo *ill.* ejusque successoribus, quem superna providet gratia, & nobis prædestinat in patrem, devota & fideli mente semper deservire & obedire desidero, stabilemque me esse permanentem sine aliqua dissimulatione, & deceptatione omnibus diebus, quamdiu spiritus erit in naribus meis, & vita comis fuerit, numquam ad dexteram, neque ad sinistram ab illa sede *ill.* Ecclesiæ, quæ caput est, * sed sine aliquo scrupulo diabolicæ fraudis, & humili devotione, & sincera mente illo præfato Patri *ill.* & successoribus ejus, quem divina gratia ad illam sanctam sedem prædestinavit Episcopum, deservire & obedire omnibus viribus meis Deo omnipotenti confiteor. Et illam sanctam Apostolicam fidem, quam Patres nostri digne servaverunt, cum omni humilitate & obedientia divina simul & humana sicut prædecessores mei ipsa sede sancta Ecclesiæ Christi subjuncti sunt, semper servare me velle humiliter per omnia fateor. Et quod illi hic & ibi juste plebi Dei prædicaverunt, & custodiendo impleverunt, hoc prædicare & observare non cesso, favente & volente pio Domino, & Salvatore nostro Jesu Christo.

Item ammonitio post promissionem.

Memor sis sponsoris & desponsationis Ecclesiasticæ, & dilectionis Domini Dei tui in die qua assecutus es hunc honorem, cave ne obliviscaris illius.

Benedictio ad anulum Episcopi.

Creator & conservator humani generis, dator gratiæ spiritalis, largitor æternæ salutis; tu, Domine, permitte tuam benedictionem super hunc anulum; ut * armata virtute cælestis defensionis proficiat * illis ad æternam salutem. Per.

Hic detur anulus in digito.

Accipe ergo anulum discretionis, &c. ut in Ord. Rom.

Bene-

*Leg. omnisque populi.
*Forte Patri.
*Leg. dignemini.
*Leg. a benedictione.
*Leg. ovis.
*Leg. Archiepiscopi.
*Leg. solida.
*Leg. servandam.
*Leg. declinabo.
*Leg. armatus.
*Leg. illi.

Benedictio baculi.

Tu baculus noſtræ & rector per ſecula vitæ,
Iſtum ſanctifica pietatis jure bacillum,
Quo mala ſternantur, quo ſemper recta regantur.

Hic detur Baculus Paſtoralis.

Accipe baculum ſacri regiminis, &c. ut in Ordine Romano.

Item alia datio.

Accipe baculum Paſtoralis officii. Et ſis in corrigendis vitiis ſæviens, in ira judicium ſine ira tenens; cum iratus fueris, miſericordiæ reminiſcens. Per.

Modo ſurgendi ſunt, & incipiatur Introitus.

Elegit te Dominus ſibi in Sacerdotem. *Pſalm.* Exaudiat te Dominus. Ad ℟. Mittat tibi. ALIA *Antiph.* Sicut fui cum Moyſe. *Pſalm.* Exaudiat te Dominus. *Antiph.* Benedixit te hodie Deus. *Pſalm.* Deus Deorum, ORATIO AD MISSAM IN DIA. Oremus, dilectiſſimi nobis, ut huic viro, &c. ut infra in codice S. Eligii. EPISTOLA: Cariſſimi, fidelis ſermo, ſi quis Epiſcopatum deſiderat. ℟. Memor ſit omnis ſacrificii tui. ℣. Mittat tibi Dominus. ℟. Immola Deo. TR. Deſiderium. ALL. Diſpoſuit. ALL. Diffuſa eſt gratia.

Hic ordinandus eſt Epiſcopus antequam legatur Evangelium poſt All. & tunc debent duo Epiſcopi deducere illum per manus extra Secretarium in præſentia Archiepiſcopi ante altare: & proſternens ſe & ceteri faciant Lætaniam. Finita tenentes librum Evangelii ſuper ſcapulas, & Archiepiſcopus benedicat eum.

Hactenus Ratoldi codex de Epiſcopi ordinatione, in cujus titulo apparet, olim tempore Regum in Gallia fuiſſe Epiſcopos Cleri & populi ſuffragiis electos, adhibito Regis conſenſu, qui non raro auctoritate ſua quem vellet Epiſcopum ordinari imperabat: ita ut, illa ſæpius prævalente, debiles admodum eſſent electiones. Id paſſim teſtatur Gregorius Turonenſis in hiſtoriis Francorum, & in vitis Patrum, atque alii Francorum hiſtoriæ ſcriptores: tandem per Concordata inter Leonem X. Pontificem Maximum & Franciſcum I. Francorum Regem prorſus avulſæ ſunt, auctoritate nominationis penes Regem, & confirmationis penes Pontificem remanente. In ceteris Eccleſiæ Occidentalis regionibus eadem electionum libertas Clero & populo ſalva & integra permanſit, dum excuſſo Romanorum Imperatorum jugo, eorum Reges haud imparem Francorum Regibus circa electiones auctoritatem ſibi vindicarunt. Apud Græcos quidem ſeu Orientales perſeverant electiones, ſed excluſo Clero & populo, jus electionis ad ſolos comprovinciales Epiſcopos devolutum eſt. Theodorus Balſamon contendit ita ſtatutum fuiſſe can. 4. Concilii Nicæni primi; quæ quidem ſententia non mihi placet: quia Canon citatus non de electione, ſed manus impoſitione hauddubie intelligendus eſt: quia cum dixit conſtitutionem faciendam eſſe a comprovincialibus Epiſcopis, ſtatim ejuſmodi conſtitutionem appellat χειροτονίαν. id eſt, manus impoſitionem, quam vult ſaltem a tribus Epiſcopis fieri, ſi aliis Epiſcopis per aliquod impedimentum adeſſe non liceat, qui tamen per litteras conſenſum præbeant. Confirmatur ex Canone 6. Concilii Sardicenſis ſub Conſtantio Imperatore poſt dictum Nicænum Concilium celebrari: τὸ δὲ πλῆθος συναθροισθέντα παρακαλοῖεν γίνεσθαι τὴν κατάστασιν τοῦ παρ' αὐτῶν ἐπιζητουμένου Ἐπισκόπου. id eſt, congregata autem multitudo roget ut fiat conſtitutio Epiſcopi a ſe requiſiti. Ibi enim agitur de conſtitutione, hoc eſt ordinatione Epiſcopi jam plebis ſuffragiis electi: ad cujus ordinationem ſi quis ex Epiſcopis comprovincialibus non convenerit, ſtatuit Concilium ut per litteras moneatur. Ubi cum κατάστασις ſit ordinatio, & eodem vocabulo utatur canon Concilii Nicæni; ſignum eſt Concilium Nicænum fuiſſe de ordinatione locutum, non vero de electione; ac proinde Cleri, & plebis ſuffragia in Epiſcoporum electionibus ab eo non fuiſſe repudiata. Imo ipſum Concilium Nicænum mentem ſuam explicat in Epiſtola Synodica ad ſanctas Dei Eccleſias per Alexandriam, Ægyptum, Pentapolim, &c. in cauſa Patriarchæ Alexandrini adverſus Meletianos, μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, &c. id eſt, *Tantum ſi digni ſunt, & populus elegerit, conſentiente ipſis, & confirmante Epiſcopo Catholicæ Alexandriæ.* Id etiam palam eſt ex undecima Concilii Calchedonenſis actione, in qua Anatolius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in depoſitione Baſſiani & Stephani Epiſcoporum, qui, contra canones, fuerant Epheſiorum Eccleſiæ Pontifices ordinati, ſic ait: *Dabitur autem Epheſiorum Metropoli Epiſcopus a Deo monſtratus*; καὶ παρὰ πάντων τῶν μελλόντων ποιμαίνεσθαι ψηφιζόμενος. id eſt, *& ab omnibus, qui paſcendi ſunt, electus.*

Sed & innumera propemodum ejuſmodi per Clerum & plebem electionis, etiam poſt dictum Concilium Nicænum, proſtant exempla. Petrus Epiſcopus Alexandrinus, prius a S. Athanaſio deſignatus, ab omnibus, tam Eccleſiaſticis quam Magiſtratibus ſuffragantibus, electus eſt; ut ſcribit Theodoretus lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 18. Apud Syneſium, Epiſt. 76. Antonius Presbyter in Olbiatis vici Epiſcopus, non ſolum Epiſcoporum, qui aderant, ſed etiam totius populi, qui convenerat, ſuffragiis eligitur. Epiſtola ejuſdem Syneſii 67. nihil aliud ſonat. Apud Sozomenum, lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 19. Nilammon exiguæ civitatis Geras a plebe Epiſcopus electus eſt. Mortuo Paulino Antiochiæ Pontifice, Evagrius populi ſuffragiis illi ſubrogatur, ut ſcribit Socrates lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 15. Timotheo Æluro Pontifice Alexandrino in exilium acto, Timotheus alter civium Alexandrinorum calculis in ejus locum ſuffectus eſt, ut ſcribit Evagrius lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 11. S. Johannes Chryſoſtomus communibus Cleri & populi votis, aſſentiente etiam Imperatore, Conſtantinopolitanus Epiſcopus electus eſt, ut ſcribit Sozomenus lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 2.

Nec obeſt Synodi Laodicenæ canon 13. quo ſtatuitur, quod non oporteat permittere turbis, ut eligant eos qui in Sacerdotium alleguntur: ſiquidem ibi non rejiciuntur Clericorum & honorabilium civium ſuffragia, ſed eorum, qui ſunt ex fæce plebis, qui non raro in ejuſmodi comitiis tumultus, & ſeditiones excitant.

Nota 759. DUO EPISCOPI PONANT ET TENEANT EVANGELIORUM CODICEM SUPER CAPUT EJUS.

Ita in editis. In Concilio Carthagin. IV. can. 1. & in codice Remenſi legitur: *Super caput & cervicem ejus.* In codice Tiliano: *Super verticem ejus & inter ſcapulas clauſum.* In Ordine Romano: *Super cervicem ejus, & inter ſcapulas clauſum.* In Pontificali Romano, *Super cervicem & ſcapulas*, juxta quod liber apertus eſſe debet.

Ritus autem imponendi libri Evangeliorum ſuper caput Epiſcopi, cum ordinatur, eſt antiquiſſimus, de quo agit S. Dionyſius cap. 5. Eccl. Hierarchiæ ὁ ἱεράρχης ἐπὶ τὴν ἱεραρχικὴν τελείωσιν προσαγόμενος, ἄμφω τὼ πόδε κλίνας ἐπὶ πρόσθεν τοῦ θυσιαστηρίου, ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὰ θεοπαράδοτα λόγια καὶ τὴν ἱεραρχικὴν χεῖρα. id eſt, Pontifex qui ad initiationem Pontificiam accedit, utroque genu flexo ante altare, ſupra caput habet eloquia divina manumque Pontificiam; ubi per eloquia divina facile intelligitur Evangelium, ut clarum eſt ex multis locis Georgii Pachymeræ in paraphraſi hujus capitis. S. Johannes Chryſoſtom. in oratione quæ inſcribitur: Quod idem ſit legislator veteris ac novi teſtamenti: διὰ τοῦτο ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν ἱερέων τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ ἐπὶ κεφαλῆς τίθεται. id eſt, quocirca in Eccleſia in ordinationibus Epiſcoporum, Evangelium Chriſti eorum capiti imponitur. Petrus Damiani ſerm. 1. de dedicatione: *Ponitur & Evangelica pagina ſuper caput illius recumbentis; ut verbo vitæ ſentiat cedere rationem, & oculi ejus deficiant in eloquium Domini.* Idem videre licet in Concilio citato Carthag. IV. & in Sacramentariis & Ordinibus

In ordinatione Episcopi.

nibus fupra citatis: atque etiam in Euchologio Græcorum ἀναπτύσσει τὸ εὐαγγέλιον ὁ ἀρχιερεὺς, καὶ ἐπιτίθησι τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ τραχήλῳ τοῦ χειροτονουμένου συνεφαπτομένων τῶν ἄλλων ἀρχιερέων. id eſt, aperit Evangelium Pontifex, & imponit capiti & cervici illius qui ordinatur, aliis Pontificibus ſimul una tangentibus.

Sed his adverſatur Amalarius lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 14. *Dicit libellus ſecundum cujus ordinem celebratur ordinatio apud quoſdam, ut duo Epiſcopi teneant Evangelium ſuper caput ejus, quod neque vetus auctoritas intimat, neque Apoſtolica traditio, neque canonica auctoritas.* Sed iſta omnia ex citatis locis ſatis refutantur, imo ipſe quamvis ejuſmodi impoſitionem libri Evangeliorum minime probet, tamen illius myſticam interpretationem ſtatim ſubjungit: *Poteſt tamen Evangelii impoſitio ſuper caput, monere tenentes, aut quo Dominus idem Evangelium firmet in corde ejus, deprecentur: aut ut moneant eum, qui conſecratur, recordari ſe amplius eſſe ſub jugo Evangelii, quam foret.* Alias rationes refert S. Johannes Chryſoſtomus oratione citata, ut diſcat is qui ordinatur ſe veram Evangelii tiaram accipere: & ut diſcat, etſi omnium ſit caput, ſe tamen ſubditum eſſe legibus. Aliam addit S. Dionyſius cap. citato, quia vis perfectiva atque ſcientia Pontificibus divinitus conceditur, qui eam in alios ſint transfuturi. Porro in omnibus noſtris Sacramentariis, Ordinibus, Concilio Carthaginienſi, & Euchologio ſupra citatis, liber Evangeliorum ab Epiſcopis imponitur: ſed apud Clementem lib. 8 Conſtit. cap. 4. a Diaconis; in Pontificali Romano ab uno ex capellanis.

Nota 760. RELIQUI OMNES EPISCOPI.

Multi Epiſcopi ad unius ordinationem convenire ſolent, illi videlicet qui ſunt ejuſdem Provinciæ in qua Epiſcopus conſecratur, ut ſtatuitur in Concilio Sardicenſi can. 6. & Antioch. can. 9. Quod ſi omnes adeſſe non potuerint, a tribus ſaltem, ceteris per litteras conſentientibus, ordinandus eſt, ut decernitur can. 4. Concilii Nicæni. Canon 18. Concilii Toletani IV. idem ſtatuit. Canon primus Apoſtolorum ſtatuit ut Epiſcopus a duobus vel tribus ordinetur. Syneſius Epiſt. 67. ait Siderium Palæbiſcæ non fuiſſe legitimum Epiſcopum, quod a tribus Epiſcopis non fuerit ordinatus. Ita in Concilio Arelatenſi I. ſtatuitur can. 20. Concilium Arauſicanum I. can. 21. prohibet ne Epiſcopus a duobus Epiſcopis ordinetur.

Nota 761. CAPUT EJUS TANGANT.

In cod. Ratoldi, & in cod. qui Anglicanus eſſe creditur, nullus eſt capitis contactus, nec manus impoſitio. In editis hæc ſequuntur: *Hoc facto accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det ei, dicens: Accipe poteſtatem offerre ſacrificium tam pro vivis atque defunctis.* Quæ cum non extent in codicibus noſtris mſſ. neque in cod. Tiliano, neque in Ordine & Pontificali Romano, videntur eſſe ſuppoſititia. In cod. Remenſi ſequitur exhortatio ad populum: *Servanda eſt, dilectiſſimi fratres*, &c.

Nota 762. ORATIO, &c.

In cod. Angl. habetur: *Et has dicant Epiſcopi ſuper ipſum orationes.*

Nota 763. OREMUS, DILECTISSIMI, &c.

Ita in editis & in cod. Remenſi. Abeſt a codice Rodradi. In cod. Ratoldi non habetur hoc loco, ſed prima eſt oratio Miſſæ in qua ſacratur Epiſcopus, plurali numero in ſingularem mutato. in Ord. & Pontif. Rom. poſtponitur ſequenti orationi.

Nota 764. AD UTILITATEM PROVIDENDAM ELECTIS.

In Ord. & Pontif. Rom. legitur: *Utilitati Eccleſiæ providens.* In cod. Ratoldi: *Ad utilitatem Eccleſiæ provehendo.* Optime quidem in Ord. & Pontif. Romano, ſed diverſo ab aliis ſenſu.

Nota 765. ADESTO, DOMINE, SUPPLICATIONIBUS NOSTRIS, &c.

Ita in editis, & in codicibus Rodradi & Ratoldi & Ord. Rom. In cod. Remenſi alia eſt oratio, ſed ſub eodem ſenſu: *Exaudi, Domine, ſupplicum preces, ut quod noſtro gerendum eſt miniſterio, tua potius virtute firmetur. Per Dom.* Non extat in Pontif. Romano.

Nota 766. PROPITIARE, DOMINE, &c.

In Pontificali Romano ante hanc orationem habentur hæc verba, *Accipe ſpiritum ſanctum*; quæ non ſunt in editis, neque in codicibus noſtris mſſ. neque in Ordine Romano, neque in cod. Tiliano.

Nota 767. DEUS HONORUM OMNIUM.

Ita in omnibus aliis codicibus noſtris mſſ. In editis legitur *Deus bonorum*, &c. male; vide ſupra annotata. In cod. Tiliano, & Ord. & Pontificali Rom. *Deus honor omnium.*

Nota 768. DEUS OMNIUM DIGNITATUM.

Ita in editis & in codicibus mſſ. Rodradi & Ratoldi. A cod. Remenſi τὸ *Deus*, abeſt.

Nota 769. ET PONTIFICALEM GLORIAM NON JAM NOBIS HONOR COMMENDAT VESTIUM, &c.

Id teſtatur Fortunatus lib. 2. Epigr. 10. de S. Germano Pariſiorum Pontifice;

In medio Germanus adeſt antiſtes honore
Qui regit hinc juvenes, ſubrigit inde ſenes.
Levitæ præeunt, ſequitur gravis ordo canentum,
Hos gradiendo movet, hos moderando trahit.
Ille tamen ſenſim incedit, velut alter Aaron,
Non de veſte nitens, ſed pietate placens.
Non lapides, coccus, clarum aurum, purpura, byſſus
Exornant humeros, ſed micat alma fides.

Ubi in editis legitur *cidarim*, ſed nullus eſt ſenſus; in cod. mſ. S. Germani a Pratis habetur *Cidar*; ſed ei eadem ſcriptura legitur τὸ *Clar.* ſuperpoſitum, linea vocabulo *Cidar* ſubducta, ad erroris notam: quare ex illo *Clar*, feci τὸ *clarum*, & clarus eſt ſenſus.

Nota 770. QUIA ET ILLA, QUÆ TUNC CARNALIBUS BLANDIEBANTUR OBTUTIBUS, EA POTIUS QUÆ IN IPSIS ERANT INTELLIGENDA POSCEBANT.

Ita in omnibus codicibus toties ſupra citatis; in quibus arbitror τὸ *quam*, deſiderari, in hunc modum, *Quia & illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quam quæ in ipſis erant intelligenda, poſcebant*. id eſt populus ille carnalis plus veſtium fulgore delectabatur, quam myſteriis, quæ hoc ſplendore ſignificabantur.

Nota 771. SUMMI SACERDOTII.

Summum Sacerdotium eſt Epiſcopatus, ut ſummus Sacerdos Epiſcopus, quemadmodum ſupra notatum eſt.

Nota 772. UT QUIDQUID ILLA VELAMINA IN FULGORE AURI, &c.

Quod præclare præſtitit ſupra nominatus S. Germanus Pariſiorum Pontifex, ut de eo cecinit Fortunatus carmine ſupra citato:

Iſte ſatis melior veteri quam lege Sacerdos;
Hic quia vere colit quod prius umbra fuit.

Nota 773. HIC ACCIPIA CHRISMA. Hæc verba deſunt in editis.

Nota 774. CÆLESTIS UNGUENTI FLORE SANCTIFICARE. &c.

Ungitur Pontifex in modum crucis, quemadmodum videtur in codice Rodradi.

In aliis codicibus noſtris mſſ. non ſunt depictæ cruces, non tantum in ordinatione Epiſcopi, ſed nec etiam in aliorum graduum collatione, quæ tamen olim in omnibus gradibus adhibebantur, ſicut etiam hodie, ut apparet ex Pontificali Ro-

mano & Euchologio Græcorum: quod manifestum est ex S. Augustino, Sermone 181. de tempore: *Hoc enim signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam Presbyteri, & ceteri gradus Ecclesiastici.* Sanctus Dionysius cap. 5. de Hierarchia Ecclesiastica id testatur de Episcopo, Presbytero, & Diacono, quandoquidem de trium horum dumtaxat graduum consecratione scripsit: Ἑκάςῳ δὲ αὐτῶν ἡ σταυροειδὴς ἐνσφραγίζεται πρὸς τοῦ τελοῦντος Ἱεράρχου σφραγίς, id est, unicuique eorum signum crucis a consecrante Pontifice imprimitur. Sanctus Johannes Chrysostomus Homilia 55. in Matthæum loquitur indifferenter: κἂν ἀναγεννηθῆναι δέῃ, σταυρὸς παραγίνεται, κἂν τραφῆναι τὴν μυστικὴν ἐκείνην τροφὴν, κἂν χειροτονηθῆναι, id est, nam crux Domini adest, cum nos regenerari, cum mystico cibo ali, cum ordinari oportet.

Nota 775. Hic fundis in caput ejus.

Nempe Chrisma. In codice Ratoldi legitur: *Hic ponatur oleum super caput ejus.* In codice Tiliano, & in Ordine Romano habetur: *Hic mittat Chrisma in caput Episcopi in modum crucis: ungatur, & consecretur,* &c. Hæc unctio capitis in ordinatione Episcopi fit ex more veteri, quem cognoscere licet ex Amalario lib. 2. de Officiis cap. 14. ubi agit de Pontificis ordinatione: *Additur etiam ad consecrationem ejus infusio olei super caput.* Ex Optato Milevitano lib. 2. adversus Parmenianum, ubi agens de Schismaticis, qui Catholicos Episcopos degradarunt, & ad pœnitentiam dejecerunt, scribit: *Et vocem Dei auribus non admittitis vestris, qui in CIV. Psalmo sic ait: ne tetigeritis unctos meos, neque in Prophetas meos manum miseritis. Unctos autem esse Reges & Sacerdotes & libri Regnorum indicant; & David in Psalmo CXXXII. sic ait: Sicut unguentum quod descendit in barbam Aaron, & tamen vos contra iisdem viribus conati estis præcepta contemnere, quibus, qui Dominum timent, mandata conantur implere. Docete, ubi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum, cum e contrario sint tot exempla proposita fieri non debere. Saul antequam peccaret, ungi meruit: post unctionem non leviter offendit. Hic Deus cum videret, propter oleum non tangendum, volens exemplum proponere, pœnitentiam suam professus est: sic enim legitur dixisse Dominum, Pœnitet me unxisse Saul in regem. Et utique potuit Deus oleum, quod dederat, auferre: sed cum voluit docere non debere contingi oleum etiam in peccatore, ipse qui dederat, pœnitentiam gessit. Igitur Deus si, ut te doceret, quod dedit auferre non potuit, per quod noluit: tu quis es qui auferas quod non dedisti? & qui parare debebas aures ad audiendum, parasti novaculam ad delinquendum.* Ibi conqueritur Optatus quod Schismatici sacrilegas manus capitibus Episcoporum immiserint, ut auferrent sacrum oleum sive Chrisma, hoc est degradarent: & de honore Episcopali dejicerent, radendo capita eorum; opponens illis Dei exemplum, qui a Saule rege impio oleum quod dederat, non abstulit.

Itaque ejusmodi rasura hic non est ad pœnitentiam, sed ad degradationem: & quamvis demissi fuerint Catholici Episcopi ad pœnitentiam per Schismaticos, constat etiam degradatos fuisse & honore dejectos; nam supra ait: *Honore nominis sui spoliati sunt Sacerdotes.* Et infra: *Ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas movistis in mortes non corporum, sed honorum: Invenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos; fecistis laicos.* Idem docet Petrus Damiani serm. de dedicatione Ecclesiæ agens de Pontificis consecratione: *Ungitur illius caput oleo lætitiæ præ consortibus suis, in illius figurum, qui thalamo virginali spirituali balsamo profusius irroratus, oleum benedictionis super filios hominum distillavit.* Hinc capiendus est locus sancti Gregorii lib. 4. Comment. in lib. 1. Regum cap. 5. *Hac profecto unctione exprimitur quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur: quia qui in culmine ponitur, Sacramenta suscipit unctionis: quia vero ipsa unctio Sacramentum est, is qui pro-*

A *movetur bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* Quemadmodum & locus hic sancti Gregorii Nazianzeni, oratione in laudem magni Basilii: νέος ἐπανήει, ἁδρὸς ἄνω βλέπων, ῥωσθεὶς ἐκ χειρὸς καὶ τοῦ χρίσματος, id est; Juvenis redit, robustus sursum respiciens, confortatus ex manus impositione & unctione. Idem de hoc Simeonis Metaphrastæ loco in vita S. Johannis Chrysostomi censendum est: τῷ ἱερατικῷ χρίσματι τελειοῦται, καὶ τῷ τῆς Ἐκκλησίας ὕψει ἐνιζάνει, id est, sacro Chrismate initiatur, & in excelso Ecclesiæ loco stabilitur, ac propterea Sacerdos, id est Pontifex appellatur unctus a Paciano Epist. 3. ad Sympronianum: *Vestræ plebi unde spiritus? quum non consignat unctus Sacerdos.*

Nota 776. Sinceritas pacis.

Ab his verbis usque ad illa, *tribuas ei Domine,*
B multa interponuntur in codicibus Ratoldi, & Remensi, utque etiam in Ordine & Pontificali Romano, quæ desunt in hoc codice sancti Eligii, in codice Rodradi, & in editis.

Nota 777. Tribuas ei, Domine, cathedram Episcopalem, &c.

Hunc locum tangit Amalarius lib. 2. de Officiis Eccles. cap. 14. *Hoc sonant verba consecrationis ejus: Tribuas ei cathedram Episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam & plebem universam.* In codice Ratoldi hanc consecrationem altera excipit sub hoc titulo: *Item alia super Episcopo.* Consecratio vero ita se habet: *Pater sancte, omnipotens Deus, qui per Dominum nostrum Jesum Christum ab initio cuncta creasti, & postmodum in fine temporum secundum pollicitationem, quam Abraham Patriarcha noster acceperat, Ecclesiam quoque Sanctorum congregatione fundasti,* &c. quæ abest
C ab aliis codicibus nostris mss. atque etiam ab editis, & Ordine & Pontificali Romano.

In eodem Ratoldi codice sequitur unctio manuum de oleo & Chrismate in hunc modum: *Tunc debet ei manus ungere: Ungantur manus istæ & sanctificentur, & in te Deo decorum ordinentur. Ungo has manus oleo sanctificato, & Chrismate unctionis purificato, sicut unxit Moyses verbo oris sui manus sancto Aaron germani sui, & sicut unxit Spiritus sanctus per suos flatus manus omnium Sacerdotum, & sicut Jesus Salvator omnium nostrorum, sanctas manus suorum Apostolorum; ita ungantur manus, & sanctificentur, & consecrentur; ut in omnibus sint perfectæ in nomine tuo, Pater, Filique, atque æterne Spiritus sancte, qui es unus & summus Deus omnium vivorum & mortuorum manens in secula seculorum.* Idem reperire est in
D Pontificali ms. quod Anglicanum esse creditur. Hæc eadem unctio manuum habetur etiam in codice Remensi, & in Ordine & Pontificali Romano, & in codice Tiliano, sub hac verborum formula & quidem breviori, quæ ita habetur in codice Romano: *Ungantur manus istæ de oleo sanctificato, & Chrismate sanctificationis: sicut unxit Samuel David Regem & Prophetam, ita ungantur & consummentur.* (Ita in Ordine. In Pontificali legitur, *Confirmentur.* In codice Tiliano, *Consecrentur*) *in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti* (ita in Ordine Romano, & codice Tiliano. Sed in Pontificali, cuique personæ apponuntur cruces) *Facientes imaginem sanctæ crucis Salvatoris Domini nostri, qui nos a morte redemit, & ad regna cælorum perduxit. Exaudi nos, pie Pater, omnipotens, æterne Deus: & præsta quod te rogamus et oramus. Per.* In Ordine & Pon-
E tificali, & codice Tiliano legitur: *Et præsta, ut quod te rogamus, oremus.* In Pontificali ms. quod servatur in sacristia Ecclesiæ Rothomagensis & putatur esse Ecclesiæ Remensis, est etiam manuum unctio. Illius etiam meminit Guillelmus Parisiensis: sed non extat in codice sancti Eligii, neque in editis, neque in codice Rodradi. Hujus unctionis mentio fit in epistola Episcoporum in Synodo apud Carisiacum ad Ludovicum Germaniæ Regem cap. 15. *Manus enim Chrismate sacro peruncta, quæ de pane & vino aqua mixto per orationem et crucis signum conficit corpus et Christi sanguinis sacramentum*

mentum, abominabile est (quicquid ante Ordinationem fecerit) ut post Ordinationem Episcopatus secularem tangat ullo modo Sacramentum. Idem videre est apud B. Petrum Damiani serm. 5. de sancto Severo Ravennate Episcopo, ubi agit de columba in ejus Ordinatione super eum volitante: *Et quid aliud fuit*, inquit, *eamdem columbam a se exturbando, manibus tangere, nisi Ecclesiasticæ institutionis Ordine, in ipsis manibus oleum sanctæ unctionis accipere? nam quod columba in sanctissimi viri caput illapsa descendit, officium manus impositionis implevit: quod autem sacris se manibus tangi permisit, ipsas manus sancti Spiritus unctione signavit.* Et serm. 2. de Ecclesiæ dedicatione, cum de Ordinatione Episcopi agit: *Liniuntur & manus, ut quidquid benedixerint benedicatur, & acceptum sit divinæ majestatis aspectui.*

Ad hanc unctionem allusio fit in vita sancti Aquilini Episcopi Ebroicensis apud Surium 19. Octobris: *Cujusque manibus gratia sacerdotali perunctis*, &c.

Quidam olim addidere unctionem pollicis: quam videre est apud Guillelmum Parisiensem libro de Sacramentis, capite de Extrema-unctione: *Quemadmodum in consecratione Pontificum perfectio & plenitudo legitur: sicut in unctionibus capitis, manuum, & pollicis, pinguedo internæ unctionis.* Quæ quidem unctio fiebat in dexteræ manus pollice, ut constat ex Pontificali ms. quod servatur in sacristia Ecclesiæ Rothomagensis, videturque esse Ecclesiæ Remensis: *Et confirmet pollicem dexteræ manus dicendo cum Chrismate: Deus, & Pater Domini*, &c.

Porro in Pontificali, quod Anglicanum esse creditur, duplex est unctio capitis, prior cum oleo & Chrismate, secunda post manuum unctionem cum oleo tantum: *Hic mittatur oleum super caput ejus; ungatur*, &c. Et in codice Ratoldi, ubi sequitur: *Tunc debet ei caput ungere: Ungatur & consecretur caput tuum cælesti benedictione in Ordine Pontificali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.* Quæ non sunt in editis & aliis codicibus nostris mss. Altera hæc capitis unctio peculiaris est his codicibus; quam excipit hæc oratio: *Domine Jesu Christe, tu præelegisti Apostolos tuos, ut doctrina nobis præessent: ita etiam vice Apostolorum, Episcopos doctrinam docere, & benedicere, & erudire digneris, ut immaculatam vitam, & inlæsam conservent, quatenus Spiritus sanctus septiformis veniat super eos, & super nos omnes, & virtus Altissimi sine peccato una custodiat nos, & omnis benedictio, quæ in Scripturis sanctis scripta est, super nos pariter veniat, & confirmet nos Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ut habeamus vitam æternam in secula seculorum.* Quæ oratio non extat in editis, neque in aliis codicibus nostris mss. neque in Ordine & Pontificali Romano, neque in codice Tiliano. In eodem codice Ratoldi sequitur: *Et tunc legatur Evangelium secundum Lucam.* In illo tempore facta est contentio: *Et tunc offerat panem & vinum ipse, & omnes. Offertorium:* Inveni David servum meum. Memor sit Dominus. *Offertorium:* Gloria & honore. Et hæc de Ordinatione Episcopi juxta ritum Latinorum, qui etiam secundum eos ordinatur in die Dominica, ut palam est ex Concilio Toletano IV. can. 28. *Aut certe a tribus in Sacerdotem die Dominica consecrabitur.*

Nota 77. Si Papa Ordinandus est.

Hæc desunt in editis, & in aliis codicibus nostris mss. neque habentur in Pontificali Romano. E De ritu ordinandi Papæ hic subjiciam quæ legi in vetustissimo Ordine Romano ms. Bibliothecæ Corbeiensis.

Ordinatio Romani Pontificis.

Psallent secundum consuetudinem. Procedit Electus de sacrario cum cerostatis septem, et venit ad Confessionem. Et post Litaniam ascendunt ad sedem simul Episcopi, Presbyteri. Tunc Episcopus Albanensis dat orationem primam: deinde Episcopus Portuensis dat orationem secundam. Postmodum adducuntur Evangelia, & aperiuntur & tenentur super caput Electi a Diaconibus. Tunc Episcopus Ostiensis consecrat eum Pontificem. Post hæc Archidiaconus mittit ei pallium; deinde ascendit ad sedem, & dat pacem omnibus Sacerdotibus; & dicit: Gloria in excelsis Deo. Hactenus codex ms. Corbeiensis.

A Idem habetur in Ordine Romano edito, in quo notantur orationes, ut in ordinatione Episcopi. Ubi nota primo, Confessionem esse tabernaculum quoddam vario opere exornatum, in quo corpora sanctorum Apostolorum quiescunt, de quo vocabulo vide Onufrium Panvinum, Julium Cæsarem Bulengerum in opusculis, & observationes nostras ad Concordiam Regularum. Secundo, nota librum Evangeliorum non teneri ab Episcopo, ut fit in ordinatione aliorum Episcoporum, sed a Diaconis, quemadmodum in Constitutionibus Apostolorum, in ordinatione aliorum Episcoporum. B Observa tertio Papam consecrari ab Episcopo Ostiensi ex antiquo more, quo solet Episcopus Ostiensis Romanum Pontificem ordinare, ut testatur sanctus Augustinus in Collatione tertii diei cum Donatistis cap. 16. *Et quod non expectaverit Cæcilianus, ut Princeps a Principe ordinaretur: cum aliud habeat Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent: sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.*

Nota 779. Et Primatem omnium, &c.

Nota præclarum Romani Pontificis elogium, cui Primatus Ecclesiæ universæ debetur. Unde præclara Cassiodorus lib. 11. Variarum Epist. 2. *Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis: vos Patris nomine universa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui divinitus* C *est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed vos omnia.* Et infra: *Sedes illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, quæ licet generalis mundo sit præstita, vobis etiam cognoscitur & localiter attributa.* Omitto cetera Patrum & Conciliorum elogia.

Nota 780. Et Sacrificium celebrandum

Ita in codice Ratoldi, quod etiam supra in eadem oratione notatum est. In Missali Romano legitur: *Et ad sacrificium*, &c.

Nota 781. Hanc igitur Oblationem, &c.

Eadem habentur in codice Ratoldi, & in Ordine Romano. In codice Ratoldi sequitur: *Benedictio Episcopalis in die: Deus qui populis indulgendo consoleris (consulis) & amore dominaris, da spiritum sapientiæ quibus tradidisti regimen disciplinæ. Amen*, &c. ut in Ordine Romano; in quo tamen hæc benedictio in quibusdam variat. D In eodem codice Ratoldi sequitur: *Et tunc communicant omnes Episcopi ad manus Archiepiscopi.* At in Ordine Romano hæc notanda veniunt: *Cum autem venerit ad communicandum, Dominus Pontifex porrigit ei formatam, atque sacratam oblationem integram. Suscipiensque eam Episcopus, ipse ea communicat super altare; quod vero residuum fuerit, sibi reservet denuo ad communicandum unoquoque die usque quadraginta dies expletos. Et postmodum jussus a Domino Pontifice communicat populum cum ceteris Episcopis.* Ubi *Formata* est diploma seu litteræ Archiepiscopi, quibus ille testatur ill. Episcopum a se ordinatum esse ill. Ecclesiæ, quorum exemplar ibidem subjicitur: *Dilectissimis fratribus & filiis, Presbyteris, Diaconibus, Honoratis, Clericis, & possessoribus, vel cunctæ plebi ill. Ecclesiæ, N. nos auxiliante Domino Archiepiscopus sanctæ sedis Catholicæ ill. electionem vestram Deo acceptissimam comprobantes, virum venerabilem N. in primo Ordine vobis consecravimus Sacerdotem*, &c. Meminit sanctus Pacianus Epist. 2. ad Sympronianum (& appellat Epistolam agens de Novatianis:) *Cognosce radicem legis antiquæ fontem populi antiqui reliquisse Cornelio invidentem, Novati insaniæ commodatum, sine consecratione legitima Episcopum factum, ideoque nec factum per Epistolam eorum, qui se Confessores esse simulaverant.* Quid sit Formata, disces ex Marculpho sub finem formularum; quod-

que hæc ex Ordine Romano producta proprie Formata non ſit. In qua tamen notandum quod in primo Ordine Sacerdos eſt Epiſcopus, ut ſecundi ordinis Sacerdos eſt Presbyter, ut clarum eſt ea epiſt. 24. Sidonii libro 4. ubi agens de electione Johannis in Epiſcopum Cabillonenſem ſcribit: *Poſt, laborum temporumque proceſſu Archidiaconus, in quo ſeu gradu ſeu miniſterio multum retentus propter induſtriam, diu dignitate non potuit augeri, ut poteſtate poſſet abſolvi. Attamen hunc jam ſecundi ordinis Sacerdotem*, &c. *collegam ſibi conſecravere*. Neque ex his verbis effici, ut quidam volunt, poteſt, Archidiaconum eſſe ordinis ſecundi Sacerdotem, ratione iſtorum verborum, *Attamen hunc jam ſecundi ordinis Sacerdotem*, &c. Nam ſi ita eſſet, videntur eſſe ſuperflua, cum Sidonius ſupra ſatis declaraverit ipſius Johannis gradum; & illud, *attamen*, ſatis manifeſtet Sacerdotem ſecundi ordinis ab Archidiacono eſſe diſtinguendum. Nam Sidonius declarans Johannis merita, dicit primo eum fuiſſe Lectorem, & miniſtrum altaris pene ab infantia, poſtea Archidiaconum, & in eo munere diu perſtitiſſe, quod eſſet valde idoneus. Attamen cum jam ſecundi ordinis Sacerdos eſſet, id eſt Presbyter, fuiſſe ordinatum Epiſcopum; alioqui ſenſus verborum iſtorum minus idoneus eſſet. Johannes diu retentus eſt in miniſterio Archidiaconatus, attamen hic jam Archidiaconus, creatus eſt Epiſcopus. Noſtram interpretationem ſatis declarat hic Optati locus l. 2. *Quid* (commemorem) *Diacones in tertio, quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos*. Ubi vides Presbyterum eſſe in Sacerdotio ſecundo conſtitutum, non vero Archidiaconum, qui tantum eſt in tertio Sacerdotio conſtitutus, quia Diaconus eſt.

Tandem notandum eſt illud quod dicitur Epiſcopum ordinatum ſuſcipere de manu Pontificis ſacram oblationem, de qua ſit communicaturus in præſentiarum, & quadraginta dies continuos, de reſiduo ejuſdem Hoſtiæ. Idem de Sacerdotibus ſeu Presbyteris ſcribit Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis Epiſtola ad Finardum: *Ante hos paucos dies, ut meminiſſe licet, mihi veſpertinis horis ſuperveniſti, & repentina inquiſitione me permoviſti de Hoſtia, quam paulo ante promotus ad Sacerdotium de manu Epiſcopi ſuſcepiſti, quæ ratio ſit, videlicet uſque ad quadrageſimum diem, eſa quotidiano conſumere*. Et infra: *Noſtri Epiſcopi provinciales in hujuſmodi ritum omnes conſentiunt. Porro noſtro tempore quidam inter ceteros ad ſacerdotalem gradum admiſſus, hoſtiam quoque, ſicut & alii, de manu Epiſcopi ſuſcepit, quam in pergameno in hos uſus parato involutam quotidiana celebratione ſolvebat, & particulam parvam juxta inſtantium dierum numerum computatam ſumebat. Accidit vero, ut quadam die expletis myſteriis, dum veſtimenta cum ſyndone altaris incautius colligeret, immemor Hoſtiæ ſacræ, diligentiam nequaquam adhibens, theſaurum cæleſtem infelix amitteret. Veniens ad diverſorium, queque neceſſaria curat, tranſigitur dies in craſtinum repetita celebratione. Frater ille inſtante hora communicandi turbatus nimium & conſternatus, ſurſum deorſum curſitans, nec etiam ſignum aliquod inveniri potuit*. Et infra ritus hujus reddens rationem ſcribit: *Nam & Epiſcopus, qui vices Chriſti tenet, ſacerdotales viros in plebem ſubjectam mittens, ſacri corporis Eucharistiam per quadraginta dies ſumendam diſtribuit: ut dum (verbi gratia) quotidie cæleſtis panis alimonia reficiuntur, tempus illud in mentem habeant, quo per quadraginta dies Dominus diſcipulis apparens & converſans, deſiderata viſionis ſatietate refecit*. In eodem codice Ratoldi ſequitur: *Et tunc communicant omnes Epiſcopi ad manus Archiepiſcopi. Communio*: Lætificabimur in ſalutari tuo, & in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur. *Communio*: Beatus ſervus. Ubi nota duas Communiones.

Nota 782. HÆC NOS COMMUNIO, DOMINE, &c. In codice Ratoldi: *Plenam, quæſumus, Domine, in nobis remedium tuæ miſerationis operare*, &c. ut in Ordine Romano. In eodem codice Ratoldi ſequitur:

Tunc mittendus eſt in cathedra; & hæc dicenda Oratio.

Omnipotens Pater ſancte, Deus æterne, tu omnem ordinem dignatus es in cæleſtibus ſedibus ordinare, ut ait Pſalmiſta, *Domine in æternum permanet verbum tuum in cælo*, Angelos & Archangelos ſuo tibi ordine mancipari; in veteris Teſtamenti privilegio Moyſen, & Aaron, & Samuel inter eos in Sacerdotibus ſuis, qui invocant nomen ejus, Patriarchas, Prophetas perungui, ordinaſti; in novo per Filium tuum Jeſum Chriſtum Apoſtolos ſanctos ſuis ordinibus elegiſti, primum Petrum Apoſtolum in cathedra honoris, & Mathiam ejuſdem conſortis in Apoſtolatum, atque in cathedra honoris enumeraſti, & in numero ſanctorum omnium Apoſtolorum evocaſti, ut Spiritus ſanctus ait per Prophetam, *in cathedra ſeniorum laudent Dominum*, divino nutu æque de aliis hæc illis contigerunt. Et tu, Domine, pro tua immenſa miſericordia in noſtris temporibus da ſimilem gratiam fratri noſtro ill. ad inſtar ſanctorum Apoſtolorum tuorum ſedentium in cathedra honoris, & dignitatis; ut in conſpectu majeſtatis tuæ dignus honore appareat. *Per eumdem*. Ex his notandum eſt olim in uſu fuiſſe ut Epiſcopus conſecratione perfecta in ſede ſeu throno Epiſcopali ſolemniter collocaretur, ut videre eſt apud Fortunatum lib. 1. de vita ſancti Martini:

Eligitur, trahitur, ſacratur, in arce locatur.

Ubi in arce, id eſt in throno; & ſupra in conſecratione Romani Pontificis: *Tunc Epiſcopus Oſtienſis conſecrat eum Pontificem, Archidiaconus mittit ei Pallium; deinde aſcendit ad ſedem*. In Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 8. c. 5. ordinatus Epiſcopus in ſua ſede collocatur. In eodem codice Ratoldi ſequitur: *Orationes quæ dicendæ ſunt a Domno Papa ſuper Archiepiſcopum ante Pallium*. Deus omnipotens Pater, qui non propriis ſuffragantibus meritis, &c. ut in Ordine Romano. *Item alia*: Deus, innocentiæ reſtitutor & amator, dirige hunc famulum tuum ill. Spiritus tui fervore, &c. *ut in eodem Ordine*. *Hic detur Pallium*. *Conſecratio poſt Pallium*: Domine ſancte, Pater omnipotens, Rex regum, & Dominus dominantium, clementiam tuam humiliter exoramus, &c. *ut in Ordine Romano*. Hæc Ratoldi codex.

Pallium ita deſcribit Innocentius III. lib. 1. myſteriorum Miſſæ cap. 63. *Pallium fit de candida lana, contextum habens deſuper circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ſive faſcias ex eodem panno ab utraque parte dependentes: quatuor autem cruces purpureas ante & retro, a dextris & a ſiniſtris: ſed a ſiniſtris Pallium eſt duplex, ſimplex a dextris: cui in tres partes conciſo, tres acus infiguntur* (*ſpinas vocant alii*) *quibus conſuitur*. A Græcis dicitur, ὠμοφόριον; ſed non plane eadem eſt illius forma & Pallii: neque olim in Pallio cruces inerant, ut videre eſt in antiquiſſimis imaginibus S. Gregorii, & S. Remigii quas in hoc libro excudendas curavi. Plura de Pallio, vide quæ ſcripſerunt doctiſſimi viri Andreas du Sauſſey in libro de ſcriptoribus myſticis &c. ritu, libello de Pallio ſacro, & Franciſcus Florens Anteceſſor Aurelianenſis ad titulum VIII. de uſu & auctoritate Pallii.

Nota 783. IN NATALI PAPÆ.

Die quo in ſummum totius orbis Pontificatum promotus eſt. Solebant enim quondam Summi Pontifices & Epiſcopi anniverſarium ordinationis ſuæ diem ſolemniter celebrare; qua de re conſule Baronium in Annotationibus ad Martyrologium Romanum 18. Januarii.

Nota 784. IN DIE ORDINATIONIS SUÆ.

Subaudi, *anniverſaria*; quod ſatis indicant hæc verba orationis ſuper oblata: *annua feſta repetentes Sacerdotalis exordii*. Hæc autem ordinatio de Epiſcopi, non de Papæ initiatione intelligenda eſt, ut ex hac Miſſa palam eſt. Et hæc de collatione ordinum juxta normam Eccleſiæ Latinæ; cui ſubjungere non pigebit ritum Eccleſiæ Græcæ ſeu Orientalis in ordinibus conferendis, ex Græ-

corum

eorum Euchologio: sic primum occurrit ordo qui servatur in constitutione Lectoris & Psalmistæ, quandoquidem minores alios conferre non solent.

Ordinandus igitur sistitur ante Pontificem; si secularis est, cum vestimento; si vero Monachus, cum Pallio monachico; & ter a Pontifice caput ejus signo crucis signatur, & tondetur ab illo in modum crucis, dicente in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, adsistentibus ad singulas invocationes acclamantibus, Amen. Deinde a quodam perfecte in Clerici normam tondetur, & sic rursus Pontifici sistitur, & accepto phænolio eum induit; & ter ejus caput cruce signans imponit ei manum, & sic orat: *Domine omnipotens, elige hunc servum tuum, et sanctifica eum*, &c. Et post exclamationem, *amen* videlicet, dat Lectori librum Apostolicum, & parumper legens accipit a Pontifice pacem. Si vero Cantor est qui ordinatur, recitat aliquid ex Psalterio. B Si vero plures sunt qui ordinantur Lectores, simul ordinantur, & invocatio pluraliter recitatur. Et hæc de Lectoris & Psalmistæ ordinatione.

Sequitur ordo in creatione Subdiaconi servandus. Pontifice ad portam speciosam sedente, antequam Liturgiam incipiat, adducitur ad Pontificem is qui Subdiaconus ordinandus est: si est secularis, cum phænolio, id est penula; si vero Monachus, cum Pallio monachico. Jubet vero Pontifex eum exuere penulam, & sticarium, id est strictam tunicam induere & cingere; afferri vero aquamanile, & mantile. Deinde ter caput ejus cruce signant, manumque suam imponens dicente Diacono, *Deum oremus*, dicit Pontifex hanc orationem: *Domine Deus noster per unum & eumdem spiritum dividens unicuique eorum, quos elegisti, gratias*, &c. Et post responsionem *amen*, accipiens Pontifex mantile imponit hu- C mero sinistro illius qui ordinatur. Similiter dat ei & aquamanile; ille vero accipiens, illius manum osculatur, mittit aquam in manus ejus, & lavatur, dicens, *ἄνω σχολή, ἀξίω*. Et sic accepta benedictione stat ante sacras fores, &c. Si vero plures sunt ordinandi, oratio pluraliter effertur.

Sequitur ordo in Diaconi creatione. Postquam dixit Pontifex hanc exclamationem: *Et erunt misericordiæ magni Dei Salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*. Egressi duo Diaconi Sanctuarium, accipiunt ordinandum Diaconum stantem in Solea, & introducunt eum in Sanctuarium, ter sanctam mensam circumeuntes, illud canentes, *Sancti Martyres qui bene certastis*. Deinde accedens ad Pontificem, ter cruce signatur in capite, eumque discingi jubet, & tolli mantile. Deinde is qui ordinatur in sacra mensa frontem sustentat, & genu dex- D trum flectit, & cum Archidiaconus acclamavit, *Attendamus*, Pontifex impositam habens manum capiti illius qui ordinatur, exclamat: *Divina gratia semper infirma curans, imperfecta perficiens, promovet in Diaconum hunc piissimum Subdiaconum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus*. Et statim ter canitur, *Kyrie eleison*, tum ab eis qui sunt intra sanctuarium, tum ab eis qui foris sunt, & Pontifex signat ter caput illius signo crucis, & Diacono dicente, *Dominum oremus*, Pontifex habens manum impositam sic precatur, *Domine Deus noster in præscientia tua sancti tui Spiritus auxilium mittens*, &c. Dicto, *Amen*, Archidiaconus tenui voce ita ut audire & respondere possint præsentes Diaconi, recitat hæc Diaconica: *In pace Deum oremus pro superna pace......pro servo Dei illo, qui nunc Diaconus promovetur, & pro salute illius Deum precemur*. &c. Pontifex habens manum impositam E precatur sic: *Deus Salvator noster, qui incorrupta tua voce Apostolis legem Diaconatus sanxisti*, &c. Et dicto, *amen*, imponit ordinato Orarium circa humerum sinistrum dicens, *dignus*; & juxta consuetudinem canitur ter, *dignus*, ab iis qui sunt in Sanctuario, & ter a Cantoribus. Deinde dat ei Episcopus flabellum, dicens similiter, *dignus*. Et cum salutant omnes Diaconi, ille vero accepto flabello stat a latere dextro sacræ mensæ, &c. Et tempore communionis, is qui ordinatus est prior communicat, & dicit Diaconica, &c.

Sequitur ordo in Presbyteri ordinatione. Expleto A hymno cherubico, ordinandus Presbyter in Solea stat, & duo exeuntes Diaconi excipiunt illum ex utroque latere, & deducunt eum usque ad sacras portas; ibi vero dimittunt illum Diaconi, & excipiunt duo Presbyteri primus & secundus, & circumeunt sacram mensam, & canunt illud, *Sancti Martyres, qui fortiter decertaverunt*. Ubi gyros compleverunt, inclinant se coram Pontifice stante ante sacram mensam in suo throno, & is qui ordinatur osculatur genu Pontificis supra humerale. Deinde Pontifice surgente, ei sistitur is qui ordinatur, & ter signatur ab eo in capite, & frontem admovens sacræ mensæ flectit utrumque genu. Et Diacono exclamante, *attendamus*, statim exclamat Sacerdos habens etiam dexteram manum illius capiti impositam: *Divina gratia semper infirma sanans, & imperfecta perficiens, promovet illum piissimum Diaconum* B *in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat in eum gratia sanctissimi Spiritus*: & dicunt, *Kyrie eleison* ter ii qui sunt intra Sanctuarium, similiter & Cantores. Rursus igitur ter eum signans, & manum impositam habens, dicente Diacono; *Dominum oremus*, dicit Pontifex hanc orationem mystice: *O Deus qui es sine principio, & fine*, &c. Dicto, *amen*, Protopapa tenui voce ita ut audire possint, & respondere præsentes, dicit hæc Diaconica: *In pace Dominum oremus, pro superna pace.....pro servo Dei N. qui nunc Presbyter ordinatur & salute illius Deum oremus*, &c. Pontifex vero habens manum impositam sic orat: *O Deus magnæ potentiæ, & investigabilis sapientiæ*, &c. Dicto *amen*, erigit illum, & posteriorem Orarii illius partem transfert ad anteriorem ex parte dextra, dicens, *dignus*: deinde induens eum phænolium exclamat rursus, *dignus*. Et idem canunt ii C qui sunt intra sanctuarium, & Psaltæ; & sic Pontificem & Presbyteros salutat; & abiens stat inter Presbyteros legens contacium. Et Diaconus stat in consueto loco dicens, *impleamus Domino precationem nostram*. Sacris vero perfectis cum dicturus est Pontifex ut fiant sumentibus, accedenti ordinato Pontifex ei sacrum panem porrigit, sic dicens: *Accipe hoc depositum, & serva illud usque ad præsentiam Domini nostri Jesu Christi, quando abs te debet illud repetere*. Accipiens vero osculatur manum Pontificis, & ad locum pristinum transit; & positis super sacram mensam manibus apud se dicit, *Domine miserere, & miserere mei, Deus*. Cum vero Pontifex dicturus est, *Sancta Sanctis*, ordinatus reddit sacrum panem, & primus inter ceteros Presbyteros de manu Pontificis communicat, & recitat orationem, quæ post ambonem dici solet.

Tandem sequitur ordo servandus in creatione E- D piscopi. Finitio Trisagio, ascendit Pontifex ad crepidinem quæ est ante sacram mensam, & is qui ordinandus est coram eo sistitur a tribus Episcopis ex parte dextra. Chartophylax autem ex parte sinistra dat ei chartam, in qua hæc scripta sunt, (si Patriarcha ordinator est:) *Suffragio & approbatione sacratissimorum Metropolitarum & Archiepiscoporum, & Episcoporum*; Si vero Metropolita, hæc: *suffragio & approbatione a Deo dilectorum Episcoporum & piissimorum Presbyterorum, divina gratia, quæ semper infirma sanat, & imperfecta perficit, promovet N. a Deo dilectissimum Presbyterum, Episcopum a Deo salvatæ urbis N. Precemur igitur pro illo, ut veniat in illum gratia sanctissimi Spiritus*. Et ii qui sunt intra Sanctuarium & extra, ter canunt *Kyrie eleison*. Data igitur ejusmodi charta Archiepiscopo, & Chartophylace vel Archidiacono dicente, *attendamus*, Episcopus legit litteras audientibus circum- E adstantibus, atque omnibus clamantibus, *Kyrie eleison*, ut declaratum est. Aperit Evangelium Episcopus, & imponit capiti & cervici illius qui ordinatur, aliis Episcopis simul tangentibus. Deinde faciens tres cruces super caput illius, & habens manum ipsi impositam sic orat: *Magister Christe, Deus noster, qui nobis per gloriosissimum Apostolum tuum Paulum graduum & ordinum seriem præscripsisti*, &c. Et dicto *amen*, dicit unus Episcoporum ordinantium tenui voce, ita ut audiatur, & respondeatur a congregatis Episcopis, hæc Diaconica: *In pace Dominum deprecemur, pro superna pace &*

& salute ... pro servo Dei N. qui nunc promovetur Episcopus, & pro salute ejus Dominum deprecemur, ut hominum amator Deus immaculatum et et irreprehensibilem præsulatum largiatur, Dominum deprecemur, &c. Pontifex habens sic vertici illius, qui ordinatur, manum impositam, sic precatur: *Domine Deus noster, qui eo quod humana natura divinitatis essentiam sufferre nequeat, tua providentia servili nobiscum conditioni obnoxios magistros constituisti*, &c. Dicto *amen*, tollit Evangelium & ponit super sacram mensam, & sic imponit ordinato humerale dicens, *dignus*; similiter & Clerus dicit. Deinde tunc ordinatum salutat Ordinator. Et, facta solita acclamatione fausta, ascendunt simul in suos thronos; primusque sedens is qui ordinatus est, dat pacem in Apostolum, id est recitata lectione Apostoli dicit, *Pax tibi*: primusque inter alios fit particeps corporis & sanguinis Domini, & ordinanti, aliisque porrigit. Et hæc de Ordinationibus juxta ritum Orientalis Ecclesiæ, circa quas quædam observare operæ pretium est.

In primis igitur hic notandum est quid sit phænoliom, φαινόλιον, seu φελόνιον, est genus pallii, penula seu vestis exterior quæ stichario, id est tunicæ strictæ superinduitur, ut videre est apud Codinum: φορῶν μὲν τὸ συνήθως αὐτῷ στιχάριον, φορῶν δὲ ἐπ' αὐτοῦ καὶ φαινόλιον, id est, ferens sibi consuetam tunicellam, & super ipsam suum phænolium. Auctor veteris Etymologici, φαινόλης χιτών. οἱ δὲ παλαιοὶ ἐφεστρίδα παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον, id est, tunica, Prisci vero dixere Ephestridem, ab eo quod tota appareat. Recte quidem; quia vestis est exterior, sicut Ephestris. Et paulo post, φελόνιον, χιτώνιον; id est, tunicella. Porro Patriarchæ phenolium album erat, & multis sparsum crucibus, quod proinde dicebatur πολυσταύριον, a crucium multitudine. Consule Glossarium Græco-Barbarum doctissimi viri Johannis Meursii.

II. Nota Lectorem ordinari per manus impositionem, juxta Constitutiones Apostolicas lib. 8. cap. 22. & septimam synodum cap. 14. ubi improbat synodus pueros tonsuratos in Ecclesia legentes, μήπω τὴν ἐπισκοπικὴν χειροθεσίαν λαβόντας, id est, qui nondum manus impositionem ab Episcopo acceperunt.

III. Nota Hypodiaconum etiam ordinari per manus impositionem: quod videre est etiam in Constitutionibus Apostolicis lib. 8. cap. 21.

IV. Notandum est Subdiaconum accepta benedictione statim ante sacras fores stare, quoniam earum custodia quæ olim Diaconis apud Græcos committebatur, ut notum est ex S. Dionysio cap. 5. Eccl. Hierarchiæ, modo creditur Subdiaconis, quod etiam ætate S. Maximi usitatum erat, ut ex illius ad S. Dionysium Scholiis manifestum est, σημείωσαι, ὅτι οἱ λειτουργοὶ τὰς θύρας εἶχον, νῦν δὲ οἱ ὑποδιάκονοι, id est, nota tum Diaconos fores custodisse, nunc vero id Subdiaconos præstare. Sacræ fores hic sunt fores cancellorum Sacrarii: ut colligere est ex ordinatione Presbyteri.

V. Nota Diaconum in sua ordinatione genu dextrum flectere juxta S. Dionysium cap. 5. Eccl. Hierarchiæ, sed utrum flecti debeat, ibi non exprimitur.

VI. Notandum Diaconica esse quosdam versus, quos preces vocamus, quæ a Diaconis decantantur; qui & εἰρηνικὰ id est, pacifica dicuntur. Liturgia Præsanctificatorum: *Postquam dictum est illud, ut & ipsi*, λέγονται καὶ ταῦτα τὰ διακονικά, ἤγουν εἰρηνικά, id est, *dicuntur & hæc Diaconica*, id est *Pacifica*. Pacifica autem a Diaconis dici solita, palam est ex S. Johann. Chrysostomi Liturgia. Infra in ordinatione Episcopi dicuntur Diaconica ab Episcopis, quia illa spectant ad ordinationem Episcopi.

VII. Observandum est hanc vocem, *dignus*, etiam proclamari in Imperatoris coronatione apud Codinum in lib. de offic. Aulæ.

VIII. Flabellum Diacono porrigitur: quia apud Græcos dum sacra mysteria celebrantur, Diaconi super eis movent flabella ex plumis concinnata, in symbolum sex alarum sanctorum Seraphim. Jobius lib. cap. 35. *Addit insuper cum corpus Dominicum in sacra mensa propositum est, ideo qui ab utroque latere sacris operantibus adstant*, ῥιπίδια παρὰ τῶν ταγμάτων τοῖς προκειμένοις φρικτοῖς μυστηρίοις, &c. id est, *Super proposita tremenda mysteria movere flabella ex pennis in symbolum sex alatorum, ne sinant initiatos urbas visu immorari*. S. Germanus Constantinop. in Theoria mystica: ῥιπίδια δὲ τύπον εἰσὶ τῶν Χερουβίμ, id est, flabella vero sunt in typum Cherubim: & infra, τὰ δὲ ῥιπίδια καὶ οἱ διάκονοι ἐμφαίνουσι τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφίμ, &c. id est, flabella vero & Diaconi significant sex alas gestantia Seraphim, & multi oculorum Cherubim effigiem. Johannes Moschus capite 96. agens de pueris pastoribus vici cujusdam, qui Thoras dicitur, circa partes Apameæ in secunda Syria, divinorum mysteriorum celebrationem imitantibus: *Assistebant, unus quidem, qui fungebatur officio Presbyteri, medius; duo vero alii hinc & hinc veluti Diaconi. Et ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat*, οἱ δὲ τοῖς φακιολίοις ἐρρίπιζον, id est, *Illi vero fasciolis, tanquam flabellis auram faciebant*. Et supra cap. 150. agens de quodam Episcopo celebrante divina mysteria coram S. Agapeto Romano Pontifice: ἀλλὰ τὸν διάκονον τὸν κατέχοντα τὸ ῥιπίδιον, &c. id est, sed Diaconum qui tenet flabellum, remove ab altari. Ubi nota hujus flabelli usum aliquando Romæ fuisse. Vita S. Epiphanii apud Metaphrastem; πρῶτον ἐπέχει τῷ ἐξ ἀριστερῶν διακόνῳ τῷ ῥιπίδιον ἐξαρτῶντι τὸ λειτουργικόν, id est, primum observat a sinistris Diaconum, qui flabellum tenebat liturgicum. Meminit Chronicon Alexandrinum Olympiade cccl. *Hoc anno, mense Artemisio, qui Romanis est Maius, indictione xij. Sergio Patriarcha Constantinopolitano cœptum est psalli, postquam sacra mysteria perceperant*, ἐν τῷ μέλλειν τοὺς κληρικοὺς ἐπὶ τὸ σκευοφυλάκιον ἀποφέρειν τὰ τίμια ῥιπίδια, id est, *cum Clerici referrent in sacrarium veneranda flabella*. Praxis videtur in Liturgia S. Johannis Chrysostomi: καὶ ῥιπίζει ἄνωθεν τῶν ἁγίων μετὰ ῥιπιδίου εὐλαβῶς, id est, & ventilat (Diaconus) super sancta cum flabello reverenter.

In aliis ... vii. ...

IX. Videndum est quid sit Solea in ordinatione Presbyteri & Diaconi, σωλέα, ὁ σωλέας, ἄλλοι σωλῶν, & σωλεῖον, nam varie scribitur hoc nomen: a nonnullis explicatur eminentius Ecclesiæ pavimentum, a quibusdam chorus, ab aliis solium. Ego vero puto esse pavimentum Ecclesiæ quod est ante fores sacrarii, inter chorum, & sacrarium in quo est altare.

Quod apparet ex hoc Euchologii loco: ubi duo Diaconi exeuntes, de Sacrario videlicet, stantem in Solea illum qui presbyter est ordinandus, deducunt usque ad sacras portas, & inde accipientes eum duo Presbyteri cum eo sacram mensam circumeunt. Et apud Codinum libro de officiis Aulæ, dicitur Imperator descendere de ambone, ab ea parte quæ tendit ad Soleam, & sanctum altare. Estque pavimentum eminentius Ecclesiæ, eo quod elatum sit, & pulcris lapidibus ornatum; quod in magna Constan. Eccl. ex lapide onychite stratum erat, ut ex Cedreno manifestum est.

X. Videndum est, quid sit Protopapa, qui juxta Codinum est, ἔκδικος, καὶ πρῶτος τοῦ βήματος, καὶ δεύτερα τοῦ Ἀρχιερέως, id est, defensor, & primus altaris, & secundas ab summo Sacerdote obtinens. Isque est Ecclesiæ Protopapa. Nam Imperator suum etiam habebat Protopapam, ut docet Codinus lib. de offic. Constantinop. ἔχει μὲν γὰρ ὁ βασιλεὺς πρωτοπαπᾶν τοῦ κλήρου αὐτοῦ. ἔχει δὲ καὶ ἡ Ἐκκλησία, id est, habet enim Imperator Cleri sui Protopapam, habet etiam Ecclesia. Interdum vero unus Protopapa utrique Clero præsidebat, ait idem Codinus.

XI. Videndum est quid est Contacium. Arcudius Contacium interpretatur Liturgiam quam recitat recens ordinatus, cum ceteris qui adsunt Presbyteris. Sed Contacium duo significat: primo tomum, volumen. Manuel Moschopulus de Schedis, τόμος, τὸ κοντάκιον, unde apud Codinum lib. de Offic. Aulæ, cum de Hieromnemone agit, τὸ κοντάκιον τῶν χειροτονιῶν, id est, volumen in quo ordinationes continentur. Secundo est quoddam Cantici genus, ut planum est ex eodem Codini libro, ψάλλουσι μετ' αὐτὸ τὸ κοντάκιον, ἡ παρθένος σήμερον, &c. id est, dein-

deinde canentes Contacium; virgo hodie, &c.

XII. Quod spectat ad Episcopi ordinationem, ejus qui ordinatur nullus assignatur situs, an videlicet sedere aut stare, aut genua flectere debeat. Qui sane olim utrumque pedem flectebat, ut planum est ex S. Dionysio cap. 5. de Hierarchia Ecclesiastica; & ex S. Gregorio Nazianzeno in oratione funebri patris sui, cum ait in ejus baptismo omen futuræ in eo dignitatis Episcopalis a multis observatum fuisse, eo quod *juxta* consuetudinem eorum qui baptizantur, minime steterit, sed genu flexerit, ut usu venire solet in Episcopis, dum ordinantur: sed mos antiquus mutatus est; quod etiam observat sanctus Maximus ad hæc S. Dionysii verba, *ἀμφοτέρῳ ποδὶ*, cum ait, *νῦν ἑτέρως ἐπιτελεῖται*, id est, nunc aliter consecratur. Itaque miror, cur Petrus Arcudius suæ interpretationi hæc addiderit, *ibi fronte incumbens sacræ aræ utrumque genu flectit*, cum non exstent in textu Græco quem profert, nec in editione veteri Venetiarum, qua nos usi sumus, non reperiantur.

XIII. Discendum est ex Codino libro citato circa initium, quid sit Chartophylax: Ὁ χαρτοφύλαξ, *ἄρχων τῶν Ἐκκλησιαστικῶν χαρτῴων διαμένοντα*, &c. id est, qui tabulas habet chartaceas ad jura Ecclesiastica pertinentes, judex est omnium causarum Ecclesiasticarum, cognoscit de causis nuptialibus, & defensor in ceteris Clericorum causis, *ὡς δεξιὰ τοῦ Ἀρχιερέως χείρ*, id est; veluti manus summi Sacerdotis dextera.

XIV. Quid sit *ὠμοφόριον*, seu humerale, videndum est, quod commune est omnibus Episcopis ornamentum cujusvis gradus sint, oblongis sudariis simile, quod in Patriarchis & Archiepiscopis designat stolam Aaronis circa humerum sinistrum compositam & jugum mandatorum Christi. In Episcopis vero significat ovem perditam, quam Dominus super humeros reportavit: habetque cruces, quia Christus humeris suis crucem bajulavit; & qui volunt Christum imitari, crucem humeris suis tollunt, quod est adversitatum tolerantia. Ita docet sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria mystica. Meminit S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 135. *τὸ δὲ τοῦ Ἐπισκόπου ὠμοφόριον ἐξ ἐρίων ὂν, οὐκ ἀπὸ λίνου, τὴν τοῦ προβάτου δορὰν σημαίνει*, id est, Episcopi humerale ex lana, non ex lino significat pellem ovis errantis, quam Dominus humeris suis sustulit. Mentio fit in Synodo ad quercum in Bibliotheca Photii n. 59. ubi accusatur S. Johannes Chrysostomus, quod tribus Diaconis Acacio, Edaphio, & Johanni, *ὡς τὸ ὠμοφόριον αὐτοῦ κλέψαντι*, id est, tamquam ejus humerale furto sustulerint, diem dixerit.

XV. Observandum est, cum signatur ordinandus Episcopus, olim dici solitum: *σφραγίζεται ὁ δεῖνα ἀπὸ πρεσβυτέρου εἰς Ἐπίσκοπον ἐν ὀνόματι Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος*, id est, signatur N. ex Presbytero in Episcopum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Similiter in Presbyteri, & Diaconi ordinatione, ut docet sanctus Maximus in Scholiis ad cap. 5. S. Dionysii, quæ tamen verba non extant in Euchologio, quæ sanctus Maximus appellat *ἀνάῤῥησιν*, quæ est veluti quædam prædicatio ea nomine. Ejusmodi autem signationes sumtæ sunt ex S. Dionysio capite citato.

XVI. Notanda sunt hæc verba, *ἡ θεία χάρις*, &c. usus enim eorum satis antiquus est; siquidem illorum meminit sanctus Maximus in caput citatum S. Dionysii: *Hæc autem recitationem vocat, quando in ipsa ordinatione pronuntiat, τὸν χειροτονούμενον ἡ θεία χάρις προχειρίζεται τὸν δεῖνα τοῦ δὲ*, id est, *divina gratia hunc qui ordinatur, promovet ad hunc ordinem.*

XVII. Notanda sunt hæc verba, *pro verbo Dei*: nam olim aliter habebatur, ut constat ex eodem Maximo in caput citatum: *Quæ est in ordinationibus declaratio, verbi gratia in ordinatione Episcopi, ὑπὲρ τοῦ ἁγίου πατρὸς τοῦ δὲ ἐπὶ δὲ πρεσβυτέρου, ὑπὲρ τοῦ δὲ πρεσβυτέρου. ἐπὶ δὲ διακόνου, ὑπὲρ τοῦ δὲ ἀδελφοῦ ἡμῶν, τοῦ δὲ διακόνου*, id est, *pro sancto Patre Episcopo N. in Presbyteri, pro Presbytero N. in Diaconi, pro fratre nostro N. Diacono.*

XVIII. Nota salutationem, cujus hic crebra mentio est, non esse simplicem salutationem; sed eam esse, quæ cum amplexu, amicitiæ gratia, fiat. Nam *ἀσπάζεσθαι*, non est simpliciter salutare: sed cum amplexu, *ὑπὸ τὰς φιλίας ἑνοῦσθαι*, id est, per amicitiam conjungi, ait etymologicum vetus. Quare, ut inquit sanctus Dionysius cap. 5. Eccl. hierar. unde hæc est emendicata salutatio, ejusmodi salutatione significatur sacra communio, amabilisque lætitia mentium bene inter se convenientium.

XIX. Observandum est nullas esse in hoc Euchologio unctiones in ordinationibus Episcopi & Presbyteri, quod contigisse quidem arbitror, quia ferme in omnibus sequitur sanctum Dionysium, qui capite toties citato nullam in his ordinationibus unctionis fecit mentionem, quæ tamen olim etiam apud Græcos in usu fuisse videtur, quia supra citati sanctus Gregorius Nazianzenus & sanctus Johannes Chrysostomus illius meminere: nisi dicere malis eos juxta mysticum sensum fuisse locutos.

Nota 785. ORATIO AD ABBATEM FACIENDUM.

In benedictione Abbatis non adhibetur manus impositio, sed simplex oratio, ut docet Ivo Carnotensis Epist. 57. *Quid ergo est disceptandum in benedictione Abbatis, a quocumque Episcopo eam fuerit consecutus, in qua nec fit manus impositio, nec consecratio, sed simplex oratio*, &c. Quod ab Ordine Romano non dissidet, qui tamen addit quasdam cæremonias, quas ibidem videre est: in quo tamen consecratio sumitur latius pro benedictione. Ita in Ecclesia Latina; secus in Græca. In ea enim Abbas per impositionem manus Episcopalis creatur, ut apparet ex Synodi vij. can. 14. *Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio monasterio etiam soli unicuique monasterii Præfecto facere, εἰ αὐτῷ τῷ ἡγουμένῳ ἐτέθη χειροθεσία παρὰ Ἐπισκόπου πρὸς προεδρίαν ἡγουμένου* &c. id est, *si ipsi Præfecto ab Episcopo manus est imposita, ad Abbatis præsidentiam seu dignitatem, dummodo illum Presbyterum esse constet.*

Nota 786. INCIPIUNT APOLOGIÆ.

Apologia hoc loco est excusatio, & purgatio, qua Sacerdos excusat se, eo quod indignus ad tam veneranda & tremenda mysteria accedat. Glossæ veteres mss. *Apologia vel Apologesis excusatio. Hinc Apologeticus sermo excusativus.* Glossæ veteres Græco-Latinæ, *ἀπολογία excusatio, purgatio, satisfactio.* Ubi satisfactio est excusatio, ut apud sanctum Ambrosium serm. 46. *Ergo Petrus prorupit ad lacrymas, nihil voce precatus. Invenio quod fleverit, non invenio quid dixerit. Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego. Recte sane Petrus flevit, & tacuit: quia quod defleri solet, non solet excusari; & quod defendi non potest, ablui potest.* Quæ verba satis ostendunt satisfactionem sumi pro excusatione. Ibi enim confertur Adam qui se excusavit, cum S. Petro qui non se excusavit, sed flevit. Et verbum *ἀπολογοῦμαι*. Eædem Glossæ, *ἀπολογοῦμαι, excuso me.* Itaque in codice Rodradi modo dicitur Apologia, modo excusatio. Has & similes Apologias dicebat Sacerdos in ipsa Missa ante Offertorium & Consecrationem, rarius post, dum chorus cantaret, ut videre est supra in Missa codicis Tiliani.

In codicibus editis & Rodradi reperiuntur nonnullæ Apologiæ, sed pauciores, quam in hoc codice. Prior codicis Rodradi sub hoc titulo: *Hanc orationem beatus Ambrosius composuit; & antequam Missam celebraret, veniam pro suis peccatis postulando canere solebat hoc modo, dicens: Ante conspectum divinæ majestatis tuæ reus assisto*, &c. in codice Tiliano, sed in quibusdam variat: ubi etiam recitatur ante Offertorium: & ita capiendus est titulus Rodradi, ubi dicitur hanc orationem a S. Ambrosio solitam recitari ante Missam. Nam Missa proprie incipit ab Offertorio, ut clarum est ex ipso S. Ambrosio lib. 5. epist. 33. ad Marcellinam: *Sequenti die (erat autem Dominica) post lectiones & tractatum, dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in baptisterii tradebam basilica. Illic nuntiatum est mihi comperto quod ad Portianam basilicam de palatio decanos misissent, & vela suspenderent, populi partem*

to pergere: ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi. Dum offero raptum cognovi a populo Caſtulum quemdam, quem Presbyterum diterent Ariani. Ubi vides Miſſam incipi dimiſſis Catechumenis traditoque eis ſymbolo, qui tamen tantum dimittebantur dicto Evangelio. Competentes enim ſunt illi Catechumeni, qui baptiſmum petebant: de quibus ſupra actum eſt.

Nota 787. IMPELLIT MINISTRANOS OFFICIUM, &c.

Hæc Apologia in Miſſa a Matth. Illyrico edita recitatur a Pontifice cum nonnullis aliis, Choro gradale, alleluia, & ſequentiam canente, ubi legitur, *impellit me peccatorem*.

Nota 788. HOSTIA SALUTARIA.

Locus corruptus; lege ut in Miſſa Illyrici: *Hoſtiam ſalutarem offerre*, & clarus eſt ſenſus.

Nota 789 PERIPSEMA.

Ita in Miſſa Illyrici, eſt antiptoſis; nam dicendum erat, *peripſemate*. Quid ſit peripſema docet Heſychius his verbis, περίψημα, περικατάμαγμα, ἀντίλυτρον: ἀντίψυχα, ἢ ὑπὸ τὰ ἴχνη πάντων, id eſt, ejectamentum, ſeu purgamentum, pretium redemtionis, piaculum, vel id quod eſt ſub veſtigiis omnium, quod omnium pedibus conculcatur. Gloſſæ veteres mſſ. Biblioth. Corb. *Peripſema, limatura metalli; & purgamenta pomi, & quiſquiliæ domus, & raſura cujuſque rei.* Uſurpatur hic, ut olim a S. Paulo pro ſe vili, & abjecta.

Nota 790. NE INDIGNUM.

In Miſſa Illyrici legitur, *ne me indignum*.

Nota 791. SUSPENDE SECURIM.

In eadem Miſſa legitur, *ſuſpende precor interventu iſtorum, & omnium Sanctorum meritis ſecurum*; ſed lege, *ſecurim*; utrobique.

Nota 792. PERSPICUE.

Lege, *Propitium*, ut in Miſſa Illyrici.

Nota 793. DUM CONFESSOR IN CRUCE, POSSESSOR.

Eſt paranomaſia.

Nota 794. UT QUIA.

In Miſſa Illyrici legitur, *at quia*.

Nota 795. ANTE OCULOS TUOS, DOMINE, &c.

Hæc Apologia habetur in Miſſa codicis Tiliani: diciturque ibi a Sacerdote ſeu Pontifice, finito Evangelio, dum ornatur altare, antequam ſuſcipiat Sacerdos oblationes offerentium. Bis extat in Miſſa Matthiæ Illyrici: & primo recitatur inter Epiſtolam & Evangelium cum quibuſdam aliis. Secundo cum fuerit ornatum altare, antequam Sacerdos ſuſcipiat oblationes offerentium. Habetur in codice Rodradi, & in editis.

Nota 796. VIX AUDEO.

In Miſſa Illyrici legitur: *non audeo*.

Nota 797. TU ENIM SCIS, DOMINE, OMNIA QUÆ AGUNTUR IN NOBIS.

In Miſſa Illyrici legitur: *tu ſcis, Domine, quæ aguntur in nobis*.

Nota 798. ERUBESCIMUS CONFITERI, &c.

Ita Ovidius in epiſtolis:

Quæ feciſſe juvat, facta referre pudet.

Nota 799. PER NOS.

Deeſt in Miſſa Illyrici, & in codice Tiliano.

Nota 800. ADMITTERE,

In codice Rodradi legitur, *admitti*.

Nota 801. PARCE, DOMINE, CONFITENTIBUS, &c.

In Miſſis Tiliana & Illyrici legitur: *Sed parce, Domine, confitentibus, ignoſce peccantibus, miſerere te rogantibus*. In prima tamen apud Illyricum legitur, *confidentibus*, loco, *confitentibus*, &, *precantibus*, pro, *peccantibus*.

Nota 802. INFIRMUM EST.

In Miſſis Tiliana & Illyriciana hæc adduntur: *Et apud te non habent peccatores verba ſine crimine.*

Nota 803. UT QUI EX NOBIS.

In præfatis Miſſis ita legitur: *Viſi ex nobis indignis & peccatoribus*. In prima Illyriciana τὸ *& peccatoribus*, deſideratur.

Nota 804. PER TE NOAIA.

In Miſſa Illyrici legitur, *per temetipſum veniam*, &c. In codice Tiliano, *per temetipſum nobis*, &c.

Nota 805. PER DOMINUM.

In Miſſa Illyrici: *qui vivis & regnas*, &c. In Miſſa Tiliana: *qui vivis & regnas Deus nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum*.

Nota 806. CONSCIENTIA QUIDEM TREPIDI, &c.

In Miſſa Illyrici hæc oratio recitatur, cum ornatum eſt altare, antequam Sacerdos ſuſcipiat oblationes offerentium. Non extat in Miſſis Tiliana & Ratoldi Abbatis, nec in codice Rodradi, nec in editis.

Nota 807. SEO SI RECEDIMUS.

In Miſſa Illyrici legitur, *tamen ſi recedimus*, quæ quidem lectio præſtare videtur.

Nota 808. PRO QUA RE OIONARE NOS, &c.

In Miſſa Illyrici legitur, *Pro qua re pietate paterna omnipotens Deus, atque placabili vultu cordis noſtri interiora purgare digneris*.

Nota 809. ETSI NOS REATU PECCATORUM, &c.

In Miſſa Illyrici hæc ita contracta leguntur, & corrupta: *Precamur etiam (etſi culpabiles ſimus) noſtrorum, tamen tibi placita myſteria conſecrata*. Nam τὸ *noſtrorum*, ibi redundat, & τὸ *conſecrata*, non ita recte legitur: quia dum hæc oratio recitatur a Pontifice, nondum ſunt myſteria conſecrata, ſed conſecranda.

Nota 810. IONOSCE, DOMINE, IONOSCE.

In codice Tiliano hæc oratio recitatur a Sacerdote cum altera poſt collectam, uſque ad Evangelium prout ei placuerit. In Miſſa Illyrici recitatur, dum populus communicat: *Interim dum communicant dicat, Ignoſce, Domine*. Porro in præfatis Miſſis non repetitur τὸ *ignoſce*. Hæc Apologia habetur in codice Rodradi.

Nota 811. QUOO OUM ROOARE COMPELLOR.

Ita in Miſſa Illyrici. In codice Tiliano; *quod te rogare compellor*.

Nota 812. ET CUM PUOENOORUM ACTUUM.

In Miſſa Tiliana legitur: *Ut cum pudendorum*, &c. In Miſſa Illyrici, *& immundorum actuum*.

Nota 813. NON HABEO APUD TE, NEC VERBA SINE CRIMINE.

In codice Tiliano legitur, *nam habeo apud te*, &c. In Miſſa Illyrici deeſt particula, *nec*.

Nota 814. ET COOITATIONUM.

In miſſa Illyrici legitur, *et cogitationum*.

Nota 815. PER DOMINUM NOSTRUM JESUM.

In Miſſa Illyrici legitur, *Salvator miſerere mei*. In Miſſa Tiliana: *Salvator mundi qui vivit*; lege, *vivis*. In codice Rodradi: *Salvator mundi, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivis & regnas per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

Nota 816. ROGO TE, DEUS SABAOTH, &c.

Hæc Apologia non extat in Miſſa Illyrici, neque in editis, neque in cod. Tiliano, nec in aliis codicibus noſtris manuſcriptis.

Nota 817. U[illegible].

Id eſt, *ut*.

Nota 818. ANTE ÆTERNI REGIS PRÆSENTIAM, &c.

Neque hæc Apologia extat in Miſſa Illyrici, neque in aliis codicibus ſupra citatis.

Nota 819. LIVORE TORQUETUR.

Id eſt, contabeſcit.

Nota

Nota 820. Eripiat nos, &c.

Hæc & duæ sequentes Apologiæ habentur in editis, & sub eisdem titulis. Hæc autem prior non extat in Missa Illyrici, nec in cod. Tiliano, nec in aliis codicibus nostris manuscriptis.

Nota 821. Mordacis conscientiæ stimulis, &c.

Hæc Apologia in Missa Illyrici dicitur tempore Gradalis, Alleluyæ, & Sequentiæ. Non extat in codice Tiliano, neque in aliis codicibus nostris manuscriptis.

Nota 822. Te Deum.

In Missa Illyrici, prætermisso pronomine, *te*, legitur, *Dominum*.

Nota 823. Peccatum est.

In eadem Missa legitur, *deliquimus*.

Nota 824. Commisimus.

In eadem Missa legitur, *commisimus*.

Nota 825. Resolvere, ac indulgere dignetur.

In eadem Missa *Solvere, ac perdonare dignetur*. Post quæ in eadem Missa hæc sequuntur: *Ut te, Domine, annuente valeamus, quæ mala sunt, declinare; & quæ bona sunt, consequenter explere. Et quia nos fecisti ad tua Sacramenta pertinere, tu clementer in nobis coram munus operare; omnibusque errantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ.*

Nota 826. Indignum me, Domine, &c.

Hæc oratio in Missa Illyrici recitatur cum quibusdam aliis, postquam in altari Pontifex confessionem perfecit. Habetur etiam in Missa Ratoldi, recitaturque ibi ut primum Pontifex accessit ad altare.

Nota 827. Quia ego te blandis.

Ita in codice Ratoldi. In Missa Illyrici legitur: *Nam qui te blandis*.

Nota 828. Ingressi.

In Missa Illyrici & in codice Ratoldi additur, *ægro*.

Nota 829. Sanitati meæ.

In Missa Illyrici additur, *indesinenter*.

Nota 830. Recedo.

In Missa Illyrici additur: *Quasi dignum me in oculis hominum ostendo; sed in tuo conspectu, quem occulta non fallunt, diversis sceleribus pollutus sordeo. Sed tuum est, Domine Deus, dare peccatori cor compunctum fontemque lacrimarum, quo digne valeam abluere multitudinem scelerum.*

Nota 831. Nubem ea cito deleas.

Ita in codice nostro ms. S. Eligii, sed inter τὸ ea, apparent vestigia duorum, *M*, abrasorum. In editis legitur, *nubem cito delere*. In Missa Illyrici rectius, *ea ut nubem, cito delere*. In codice Ratoldi, *ea ut nivem cito delere*, optime.

Nota 832. Ut qui hanc palmam amiserim.

In codice Ratoldi legitur, *& licet palmam amiserim*. Ita in Missa Illyrici, in qua tamen additur τὸ, *innocentiæ*.

Nota 833. Ad veniam saltem pertineam, &c.

In cod. Ratoldi legitur, *perveniam*. In Missa Illyrici legitur: *Saltem per confessionem veniam merear, te miserante*.

Nota 834. Tibi enim Deo est, &c.

In Missa Illyrici legitur, *ut ibi sit gloria, laus, & honor, cuncta regenti in secula seculorum, amen.*

Nota 835. Projectis nobis, &c.

Hæc Apologia cum multis aliis in Missa Illyrici recitatur a Pontifice seu Sacerdote tempore Gradalis, Alleluiæ, & Sequentiæ; hoc est, inter Epistolam & Evangelium.

Nota 836. Quia tibi.

In Missa Illyrici præponitur copulativa, *&*, rectius.

Nota 837. Gerimus.

In Missa Illyrici legitur, *gessimus*, rectius.

Nota 838. Sit in nobis, Domine, &c.

In Missa Illyrici hæc aliter leguntur in hunc modum; *Concede, ut in nobis non oris sit tantum confessio, sed etiam cordis.*

Nota 839. Castos enim.

In Missa Illyrici legitur, *siquidem castos*.

Nota 840. mundi.

Hoc vocabulum deest in Missa Illyrici.

Nota 841. Mores.

In Missa Illyrici legitur, *sunt mores*.

Nota 842. Sollicitudo carnis.

In Missa Illyrici legitur, *sollicitudo terrena*.

Nota 843. Da de præteritis veniam, &c.

In Missa Illyrici hæc in hunc modum leguntur: *Et da de præteritis malis veniam, de præsentibus emendationem, de futuris cautelam, qui vivis*, &c.

Nota 844. Ita, Domine, immensi criminis rei.

Hæc Apologia non est in editis, neque in Missis Illyrici, Ratoldi, & Tiliana, neque in codice Rodradi.

Nota 845. Nec se a facie tua.

Lege, *non a facie tua*.

Nota 846. Quodcumque.

Lege, *quod quemque*.

Nota 847. Item alia in tribulatione.

Hæc Apologia recitatur a Pontifice seu Sacerdote in Missa Illyrici tempore Gradalis, Alleluyæ, & Sequentiæ. Nuper edita est jussu S. P. N. Urbani viii. Papæ, sed dimidia circiter parte brevior. Non extat in editis Sacramentariis, neque in cod. Tiliano, neque in aliis codicibus nostris manuscriptis.

Nota 848. Si ante oculos tuos, &c.

Ita in Missa Illyrici. In edita hæc aliter fusius leguntur in hunc modum: *Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus; & plagas quas accepimus, conferimus, si pensamus malum, quod fecimus*, &c.

Nota 849. Et plagas, quas excipimus, conferamus.

In Missa Illyrici legitur: *Plagas, quas vel durissimas in hanc vita pati possumus, conferamus.*

Nota 850. Quod meremur.

In edita hæc adduntur, *gravius est quod commisimus, levius est quod toleramus.*

Nota 851. Frangitur.

In edita legitur, *teritur*.

Nota 852. Et in opera.

In Missa Illyrici legitur, *& tamen in opere*.

Nota 853. Non emendat.

Ita in Missa Illyrici, & hæc phrasis non semel occurrit in Regula S. Benedicti. In edita legitur, *non se emendat*.

Nota 854. Si expectas.

Ita in edita. In Missa Illyrici legitur, *si expectamur*.

Nota 855. In correptione.

Ita Missa Illyrici. In edita legitur, *in correctione*.

Nota 856. Si impresseris.

Ita in Missa Illyrici. In edita legitur, *si extenderis*.

Nota 857. Si parcas.

In edita legitur, *si peperceris*. In Missa Illyrici, *si parcis*.

Nota 858. Te provocamus.

Ita in Missa Illyrici. In editis deest pronomen *te*.

Nota 859. Si angustiæ veniunt, &c.

Ita in Missa Illyrici. In edita hæc desunt, usque ad hæc verba: *habes, Domine, confitentes reos*.

Nota 860. Non timemus observare.

Particula, *non*, videtur redundare. In Missa Illyrici legitur, *non timemus negligere*, recte.

Nota 861. Novimus.

In Missa Illyrici legitur, *vovimus*, male.

Nota 862. Nos punias.

Ita in Missa Illyrici. In edita legitur, *non perimas*, sed lege, *nos punias*.

Nota 863. Ex nihilo.

Hæc desunt in Missa Illyrici.

Nota 864. Qui rogarent.

In Missa Illyrici legitur, *cui rogarent*: non ita recte.

recte. In edita, *qui te rogarent*; quæ iu hoc vo- A cabulo deſinit.

Nota 865. Tuo ſupplicrs auuilio.

Hæc uſque ad illa verba, *erige nos*, *Domine*, deſiderantur in Miſſa Illxrici.

Nota 866. Quod uooauis acciperu.

Id eſt, quod rogaris ut a te accipiant, nempe remiſſionem peccatorum.

Nota 867. Du tua justitia.

Quam vehementer timeni ob peccatorum gravitatem & multitudinem. Aut certe legendum, *de ſua juſtitia*.

Nota 868. Cuncta rregntium.

Locus corruptus: lege, *cunctarum gentium*, ut in Miſſa Illyrici.

Nota 869. Ionosce, Domine, &c. B

Hæc Apologia extat in Miſſa Illyrici, recitaturque a Pontifice ſeu Sacerdote, cum ornatum fuerit altare antequam ſuſcipiat oblationes.

Nota 870. Commaculatæ conscientiæ sordido.

In Miſſa Illyrici legitur: *Quem maculatæ vitæ conſcientiæ trepidum, & criminum meorum confuſio fecit captivum*.

Nota 971. Qui pro mr ortineuu nihil mereor.

In Miſſa Illyrici legitue, *Qui pro me veniam obtinere non valeo*.

Nota 872. Angustias pauprrum.

Hæc verba deſiderantur in Miſſa Illyrici.

Nota 873. Lamenta viduarum.

In Miſſa Illyeici additur τὸ *deſolationes Eccleſiarum*.

Nota 874. Et quoniam in radem, &c.

In Miſſa Illyrici legitur, *Sed quoniam me eadem, quæ populum, catena peccati conſtringit*.

Nota 875. Communus luoro parsiones.

In Miſſa Illyrici legirur, *ideo omnes lugeo paſſiones*. Sed prior lectio præſtare videtur.

Nota 876. Votum.

Id eſt, Oratio ſacra & divina.

Nota 877. Deus ad quum accrderu, &c.

Hæc Apologia deſideratur in Miſſa Illyrici, & D in cod. Tiliano, quemadmodum in editis, & in aliis codicibus noſtris manuſcriptis.

Nota 878. Dimitte Deus, &c.

Hæc Apologia recitatur in Miſſa Illyrici a Pontifice ſeu Sacerdote, inter Epiſtolam & Evangelium, id eſt tempore Gradalis, Alleluiæ, & Sequentiæ, eique hic titulus præfigitur, *Oratio Paſtoris dicenda pro ſe & pro ſubditis*.

Nota 879. Deus.

In Miſſa Illyrici legitur, *Domine Deus omnipotens*.

Nota 880. Pauenna.

Perennare hoc loco ſumitur active, id eſt perpetuare, id eſt efficere ut aliquid in perpetuum duret. Alcimi Epitaphium: E

Quem pietas, quem larga fides, quem fama perennat.

Alias ſumitur intranſitive. Tertul. lib. de reſurrectione carnis: *Sed & dentes incorruptos perennare*. Eſt autem hic hypallage pro, *perenna præconium veritatis in ore meo*. In Miſſa Illyrici legitur, *per arma*, ſed prior lectio prævalet.

Nota 881. I stipicrs.

In Miſſa Illyrici legitur, *ſanctifices*, quod perinde eſt.

Nota 882. Rrspicis.

In Miſſa Illyrici legitur τὸ *eſt*: ſed prior lectio præſtare videtur: etenim ſequitur τὸ *inſpicis*, ut ſit elegans paronomaſia.

Nota 883. Si quam, &c.

In Miſſa Illyrici legitur, *Si quia vitio tepiditatis meæ, vel incuria contraxerunt delicta propitius admitte*: ſed τὸ *admitte*, mendoſum eſt, & legendum, *omitte*, id eſt dimitte, ut in noſtro codice. Nam omitto eſt dimitto, ut ſupra notatum eſt; vel legendum eſt, *amitte*, id eſt amove, amanda, ablega, ut apud Terentium.

A *Nota* 884. Vel cognito.

Lege, *vel cognoſcente*. In Miſſa Illyrici legitur, *vel ſciente*.

Nota 885. Ionoscu.

In Miſſa Illyrici legitur, *manu miſericordiæ tuæ inde eripe*.

Nota 886. Et increpatio ipsa.

In Miſſa Illyrici hæc vocabula, *& ipſa*, deſiderantur.

Nota 887. Mortales.

Eſt Solœcophanes. In Miſſa Illyrici legitur, *mortalibus*.

Nota 888. Utrouumque.

B Tum eorum quibus anſam præbui peccati, tum eorum quos ſubjeci pœnitentiæ legibus.

Nota 889. Et qui.

In Miſſa Illyrici legitur, *& quia*.

Nota 890. Flammescentes.

In Miſſa Illyrici legitur, *flammeſcere*.

Nota 891. Ut rt disciplinis, &c.

In Miſſa Illyrici legitur, *ut ex diſciplina noſtri regiminis capiant lucrum*.

Nota 892. Lætemur.

In Miſſa Illyrici legitur, *gaudemus*.

Nota 893. Ablur nos Deus, &c.

In Miſſa Illytici legitur, *Ablue nos, omnipotens Deus, & alieno & proprio delicto*.

C *Nota* 894. Orationes ad visitandum infirmum.

Viſitatio ſeu unctio infirmorum, quam extremam unctionem dicunt, ultimum Chriſtianæ Legis Sacramentorum, cujus beneficio anima adverſus cacodæmonis inſultus in ſupremo agone circumvallatur, peccata dimittuntur, atque interdum ſanitas corpori reſtituitur, promulgatur a S. Jacobo: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*, &c. Maxima fuit olim Chriſtianis cura viſitandi infirmos, quam viſitationem ponit Tertullianus inter tres cauſas procedendi in publicum libro 2. de cultu feminarum: *Vobis autem nulla procedendi cauſa non tetrica: aut imbecillus aliquis ex fratribus viſitatur, aut ſacrificium offertur, aut Dei ſermo miniſtratur*; meminitque lib. 2. ad uxorem: *Libere æger viſitatur, egeno ſuſtentatur*. De hac unctione agitur ab Innocentio I. Epiſt. ad Decentium Eugubinum, ubi notat hoc Sacramentum non conferri pœnitentibus; quia, ut ille docet, nullum Sacramentum datur pœnitentibus. Sed poſtea uſus mutatus eſt, ut patet ex Ivonis Carnotenſis Epiſt. 257. *Unctio enim infirmorum publicæ pœnitentiæ eſt Sacramentum*. Quæ tamen verba Ivo protulit ex ſui temporis conſuetudine. Apud Burchardum lib. 18. cap. 2. de hoc Sacramento agitur ex decreto Callixti Papæ. Sed citatio corrupta eſt. Nam decretum iſtud non poteſt intelligi de Callixto primo, quia ibi mentio fit Innocentii primi, qui longe poſt Callixtum primum floruit; non de ſecundo Callixto, qui centum circiter annis poſt Burchardum vixit: nam Burchardus creatus eſt Vormacienſis Epiſcopus anno 1008. ut docet Sigebertus in Chron. at Callixtus ſecundus renuntiatus eſt Pontifex Maximus anno 1120. ut docet Anſelmus Abbas in ſupplemento Sigeberti. Itaque apud Burchardum loco horum verborum, *ex decreto Callixti Papæ*, legendum eſt, *ex Beda*; nam quæ hic citantur, videre eſt in Bedæ commentario ad Epiſt. S. Jacobi Apoſtoli. Epiſt. c. 5.

Nota 895. Aspergant eam.

Cum primum Sacerdos accedit ad viſitandum infirmum, aſpergit eum ipſamque domum aqua F benedicta, ut videre eſt in Concilio Nannetenſi can. 4. *Cum Sacerdos audierit aliquem infirmari in ſua plebe, quam citius ad eum pergat, & ingreſſus cubiculum aquam benedictam ſuper eum & per omne cubiculum aſpergat*. Et apud Burchardum l. 18. cap. 1. Quod etiam ſatis clarum eſt ex verbis Alcuini cap. de infirmis: *Quotieſcumque aliquis infirmatur, ingrediuntur fratres ad ægrotum cum* aqua

aqua benedicta, & cum cereis, sive incenso ante oleum sanctum. Id etiam clarum est ex codice Rodradi: *In primis faciant Sacerdotes aquam benedictam, & spargant eam cum Antiphona & oratione super ipsum infirmum & domum ejus. Deinde a Sacerdote hæc oratio dicatur: Domine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es,* &c. In codice Ratoldi sunt aliæ cæremoniæ quas infra producemus.

Nota 896. CUM ANTIPHONA ET ORATIONIBUS.

Nempe: *Asperges me, Domine, hyssopo,* &c. ℣. *Exurgat Deus,* &c. Deinde dicit orationem: *Deus qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam,* &c. ut est in citato Concil. & apud Burchardum eodem cap. Ubi, ut primum Sacerdos ingreditur ægroti domum, dicere debet: *Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea.*

Nota 897. EXORCISMUS SALIS.

Exorcizatur sal, ut aquæ benedictæ immisceatur, ut supra notatur: *In primis faciant Sacerdotes asperso sale aquam benedictam.* Sequentes autem orationes pro exorcismo & benedictione salis & aquæ, habentur etiam in cod. Rodradi secunda parte. In quibus, ut hic, non apponuntur solitæ cruces. Quod miror: est enim antiquus Ecclesiæ mos, ut aqua signo crucis adhibito benedicatur, ut videre est apud S. Epiphanium lib. 1. adversus hæreses tom. 2. de Josepho Comite: *Et cum præcepisset afferri aquam, & accepisset vas aquæ coram omnibus magna voce,* ὁ ἀνὴρ σταυροῦ σφραγῖδα ἐπιθεὶς τῷ ἀγγείῳ διὰ τοῦ ἰδίου δακτύλου καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα Ἰησοῦ, id est, *vir ille suo digito signaculum crucis vasi imposuisset invocato nomine Jesu.* Et apud Theodoretum lib. 5. hist. Eccl. cap. 21. *Hæc & alia similia locutus,* καὶ ἀπέδωκε τοῦ σταυροῦ τὸν τύπον τῷ ὕδατι, id est, *cum aquam signo crucis signasset.*

Nota 888. BENEDICTIO UVÆ.

Vide ea quæ supra observata sunt.

Nota 899. FAVÆ.

Pro *Fabæ*, sæpe in antiquioribus codicibus mss. scribitur, *v*, loco, *b*.

Nota 900. BENEDICTIO PANIS.

De pane benedicto, vide observationes nostras ad Concordiam regularum cap. 71. §. 1.

Nota 901. AD CAPILLATURAM.

Subaudi, *incidendam*, quod vocabulum habetur in Ordine Romano. Hæc autem tonsura non est illa Clericalis de qua supra egimus; sed puerorum, cum primum tondebantur eorum capilli. Nam in Sacramentariis aliæ extant orationes ad tonsuram Clericalem.

Nota 902. OMNIPOTENS SEMPITERNE DEUS, &c.

Ita in codicibus Rodradi, & Ratoldi. In Ordine Romano huic orationi duæ aliæ præmittuntur.

Nota 903. ATQUE COELESTIUM DONORUM CONSORTIUM ESSE PRÆCEPTORUM.

Ita in codice Rodradi. Prima parte legendum puto, *perceptorem*. In codice Ratoldi, & in Ordine Romano legitur: *Atque ad cœlestium donorum pervenire consortium.*

Nota 904. ORATIO AD BARBAS TONDENDAS.

Nempe in prima juvenilis barbæ tonsione. Hæc eadem oratio extat in codicibus Remensi & Ratoldi, & in Ordine Romano.

Nota 905. ORATIO AD INFIRMUM UNGUENDUM.

Hæc oratio infra repetitur; nec videtur esse hic proprius illius locus.

Nota 906. DEUS QUI FAMULO TUO EZECHIÆ, &c.

Hæc & sequentes orationes extant apud Burchardum lib. 18. sub finem post collatam unctionem. In editis Sacramentariis habentur tantum tres priores.

Nota 907. DEUS QUI PER APOSTOLUM TUUM.

Hæc oratio habetur in codice Rodradi.

Nota 908. ET SIC FLECTAT GENU, &c.

Ita in codicibus Rodradi & Tiliano, in Ord. ms. cod. Corb. legitur: *Tunc stet ad dexteram Sacerdotis, & flectet genua qui est languidus.*

Nota 909. DOMINUS LOCUTUS EST,

Ita in codice Rodradi. In codice Tiliano quædam alia præcedunt. In cod. Rodradi hæc sequuntur: *Hic ponant manus super infirmum omnes Sacerdotes & ministri eorum. V. Deus Deorum,* &c. Hæc manuum impositio videtur etiam in cod. Tiliano: *Imponant manus super infirmum omnes Sacerdotes, jubente vel tantum permittente Episcopo, quia canonicus sic docet ordo.* Nota hic plures adesse Presbyteros in administratione hujus Sacramenti juxta sanctum Jacobum, *inducat Presbyteros Ecclesiæ*: quod tamen non est adeo necessarium; cum ab unico Sacerdote hoc Sacramentum conferri possit, cujus rei praxis videtur in Concilio Nannetensi supra citato cap. 4 apud Burchardum lib. in Sacramentariis editis, & in cod. Ratoldi infra citando, quamvis Simeon Thessalonicensis huic sententiæ adversetur, quem refutat Petrus Arcudius lib. 5. de Extrema-unctione cap. 3.

Nota 910. AD DOMINUM CUM TRIBULARER.

In codice Rodradi subjungitur: *Et repetatur, ut in pristina. Sequitur oratio, Deus, qui famulo tuo Ezechiæ;* &c.

Nota 911. ET SIC PERUNGAT INFIRMUM DE OLEO SANCTIFICATO, CRUCES FACIENDO IN COLLO, IN GUTTURE, &c. Ita in codice Rodradi & Tiliano. ET SUPPLICANDO DUM UNGITUR INFIRMUS, DICAT UNUS HANC ORATIONEM.

Ita in codice Rodradi. Notandum ungente Sacerdote formam ab alio proferri; quod favet eorum opinioni qui dicunt hunc validum esse baptismum, si uno verba proferente alter mergat, aut aquam infundat.

Nota 912. INUNGO TE DE OLEO SANCTO, &c.

Ita in codice Rodradi. Olim forma hujus Sacramenti fuit indicativa, ut hic apparet, (quamvis hic appellatur oratio, sed improprie, vere enim oratio non est) & clare constat etiam ex codicibus mss. Ratoldi, & Tiliano, monasterii S. Remigii, & Manuali excuso Ecclesiæ Suessionensis, quæ indicativam habent, deprecatoriam ignorant, ut infra videtur: & ex forma Ambrosiana, quam profert S. Bonaventura in 4. dist. 23. quæst. 4. *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti ut more militis uncti præparatus ad certamen, aerias possis superare potestates*, quæ etiam habetur infra in codicibus Ratoldi, & Tiliano: quam Richardus de media villa in 4. dist. 23. art. 1. quæst. 4 non improbat, sed dumtaxat ait formam deprecativam esse convenientiorem ob textum S. Jacobi; neque eam rejicit in responsione ad secundum, ut nec Bonaventura responsione ad secundum cum ait: *Objicitur, quod non est eadem forma. Dicendum quod secundum id quod est necessarium, & essentiale Sacramento, eamdem oportet esse; sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris.* Quare Durandus eadem distinctione quæst. 3. utramque formam defendit problematice. Nam postquam asseruit formam deprecativam, tandem subjungit: *Et si quis vellet tenere quod forma indicativa, qua dicitur usus fuisse D. Ambrosius, qui fuit de primitivis doctoribus, posset responderi ad rationes alterius partis. Beatus enim Jacobus loquens de oratione forte non intendit de forma Sacramenti, sed de supplicatione, quæ fit per orationem præcedentem, aut sequentem, per quam apud Deum sublevatur infirmus, & commendatur.* Eamdem formam probat Paludanus in 4. dist. 23. quæst. 1. *Si aliquæ Ecclesiæ habeant solam formam indicativi modi, sicut Ambrosiana saltem tempore Ambrosii ut dicitur, non est dicendum quod nihil sit actum.* Sed & Aureolus in 4. dist. 23. art. 1.

 quam-

quamvis non meminerit hujus formæ: *Inungo te oleo sancto*, &c. dicit posse esse indicativam in hunc modum: *Per istam sanctam unctionem parcit tibi Dominus*, &c. *Sed de forma est dubium, quare sit optativa. Respondeo, in quibusdam Ecclesiis forma ista est indicativa, puta: Per istam sanctam unctionem parcit tibi Dominus. In aliis est imperativa. Sed verba Jacobi videntur habere formam optativam, dicit enim:* Et oratio fidei alleviabit infirmum, *quasi forma sit per modum orationis optativæ. Ideo dicendum est, quod forma verborum indifferenter potest esse indicativa & optativa, sicut forma verborum baptismi, quæ est apud Latinos indicativa, sed apud Græcos optativa: & ideo consuetudo in talibus est servanda, & peccaret graviter qui consuetudinem immutaret.* Hæc ille. Accedit auctoritas libri Sacramentorum editi ex Bibliotheca Vaticana, in quo unicam hanc formam reperire licet: *Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic Spiritus immundus neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed in te habitet virtus Christi altissimi & Spiritus sancti. Per.* Neque hanc formam reprobat Facultas Parisiensis Theologica, ut constat ex thesibus Ludovici de Machault, Baccalaurei Sorbonici, Prioris S. Petri de Abbatis-Villa, agitatis 13. Febr. anno 1635. in exterioribus Sorbonæ Scholis pro majore Ordinaria, præside S. M. N. D. Stephano Tunuelier doctore Navarico, S. Eustachii Parisiis Pastore, dedicatis eminentissimo Cardinali de Richelieu Duci & Pari Franciæ: in quarum positione 7. hæc legere est: *Etiam unica olei unctione in necessitate, verbisque indicative prolatis perfici posse videtur*: & ex thesibus Dom. Jacobi *Hebes* supra citatis, in quibus defenditur formam extremæ-unctionis esse indicativam, vel deprecatoriam. Sic enim ait positione octava: *Extremæ-unctionis Sacramentum materiam habet sacram unctionem: formam habet vel indicativam, vel deprecatoriam.* Quare non valet responsio Petri Ledesmæ cap. 3. de forma hujus Sacramenti, cum ait hanc formam indicativam esse tantum quoddam præambulum ad Sacramentum extremæ unctionis. Nam citati Theologi, cum hæc scripserunt, non erant adeo stupidi ut ignorarent si præter formam indicativam, aliam haberet deprecatoriam Ambrosiana Ecclesia. Præterea ut nemo dixerit, cum quis infundens aquam profert hæc verba, *Ego te baptizo*, &c. hanc formam esse præambulum ad baptismi Sacramentum: ita absurdum est dicere, cum ungitur ægrotus oleo sanctificato, & proferuntur hæc verba, *ungo te*, &c. ejusmodi formam esse quid præambulum ad extremam unctionem. Quare Durandus supra citata quæst. cum profert ritum quarumdam Ecclesiarum quæ utuntur utraque forma indicativa & deprecativa, non dixit formam indicativam esse quid præambulum ad hoc Sacramentum. Et postea cum retulit formam Ecclesiæ Ambrosianæ, eam non repudiavit. Neque hæc doctrina adversatur Concilio Tridentino, cum ait sess. 14 cap. 1. *Formam deinde esse illa verba, Per istam unctionem*, &c. Nam Concilium deprecatoriam non ita astruit, ut rejiciat indicativam, quam olim in usu fuisse luce meridiana clarius est. Ut nec ita astruit illa verba, *per istam unctionem*, ut destruat formam Græcorum, quæ licet deprecatoria sit, ejusmodi verba non tamen agnoscit. Tandem, antequam hinc manum referam, notandum est apud Burchardum libro citato nullam reperiri formam. Nam responsioni infirmi ad interrogationes Sacerdotis subjungit: *Postea ungatur. Post confessionem, & fidem redditam, & unctionem dicatur Antiphona*: In veritate tua exaudi me, Domine. *Psalmus*: Domine exaudi orationem meam, auribus percipe. *Deinde*: Kyrie eleison, *cum* Pater noster, *& precibus*, &c.

Nota 913. DOMINE DEUS SALVATOR NOSTER, &c.

In codice Rodradi hæc oratio in duas dividitur, & secunda ab his verbis incipit: *Sana quoque, quæsumus, omnium medicator.*

Nota 914. PROPITIETUR DOMINUS, &c.

Ita in codice Rodradi.

Nota 915. DEINDE COMMUNICET CUM CORPORE ET SANGUINE DOMINI.

Ita in codice Rodradi, & Ratoldi, & Tilianо, & S. Remigii, & S. Germani a Pratis, in quibus datur Eucharistia post ipsam unctionem. Quod valde notandum est: quia olim ungebatur infirmus antequam sumeret viaticum corporis & sanguinis Domini. Id videre est in decreto Eusebii Papæ apud Burchardum lib. 15. cap. 35. *Sacerdos impleat omnia sicut supra circa ægrotum pœnitentem scriptum est, id est orationes dicat, & ungat eum oleo sancto, & Eucharistiam ei donet.* Apparet etiam ex Pœnitentiali Theodori apud Burchardum lib. eodem cap. 14. & Ivonem lib. 15. cap. 36. *Et ideo secundum Canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus sacra cum unctione olei animati, secundum statuta sanctorum Patrum, communione viatici reficiantur.* Praxis videtur in vita Caroli Magni ex editione Pithœi: *Oleo autem sancto inunctus* (Carolus Imperator) *ab Episcopis & Viatico sumto, & omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum suum, obiit in pace.* In vita S. Othonis Archiepiscopi Bebambergensis lib. 3. cap. 45. *Interea languor magis magisque spiritum luctantem urgebat, ritoque dispositis omnibus quæcumque post se victuris præstare poterat, supplici & pura confessione præmissa; oleo illo & placido, & sacra unctione sacri olei delibuta, propitiabile viaticum corpus Domini percepit.* Apud Arnoldum Lubecensem lib. 3. hist. Slavorum cap. 3. de obitu S. Henrici Episcopi Lubecensis: *Sic confortatus in Domino, convocatis fratribus dicebat se jam resolvi: & accipiens sancti olei unctionem manus ipse porrigebat, pedes extendebat, cum psallentibus psallebat: sumtoque viatico Dominici corporis dixit, o Rex gloriæ veni cum pace.* Et apud Theodoricum lib. 5. vitæ sanctæ Elizabet uxoris Ludovici Lantgravii Turingiæ cap. 5. ubi agens de morte ejusdem Landgravii sic ait: *Videns igitur quod sibi mortis periculum immineret, vocato Patriarcha Hierosolymitano, ab ipso sacræ unctionis Sacramentum accepit; qui ut officium solemne hoc perageret, Episcopum de sancta Cruce cooperatorem assumsit. Peracta unctione, sacrosancti corporis Domini nostri Jesu Christi sibi viaticum tradiderunt, quod cum fide Catholica & sincera devotione suscepit.* In vita S. Adalheidis lib. 1. cap. 16. *Resumtis aliquantulum viribus corporis, muniri se rogavit attentius mysteriis Ecclesiasticis. Tunc sacri olei unctione peracta, Sacramentum Dominici corporis humiliter & devotissime adorando percepit.* Id etiam videre est in vita S. Hugonis Abbatis Cluniacensis apud Surium April. 29. ubi agitur de visione S. Godefredi Episcopi Ambianensis; *Rogarique a Fratribus ut Abbatem Hugonem oleo sancto inungeret; & Episcopali redimitus infula Missas celebrans, Dominici corporis & sanguinis ei viaticum ministraret.* Id statuunt Constitutiones Ricalphi Suessionensis Episcopi: *Item oportet, ut Presbyteri infirmos suos per confessionem et reconciliationem oleo sancto perungant, et tunc eos communicent.* Hoc etiam constat ex vita S. Adalardi Abbatis Corbejensis apud eumdem Surium Janu. 2. qui sancta unctione delibutus postridie mane sacro Viatico pastus est. Forsitan aliquis obex interjectus fuerat, quominus illud eodem die susciperet. Nam olim tria Sacramenta, Pœnitentia, Unctio suprema, & Eucharistia infirmis simul conferebantur, ut clarum est ex codicibus mss. nostris supra citatis.

Henricus Canisius tom. 4. ant. lect.

Henricus Canisius eod. tom.

Nota 916. ET SIC FACIANT ILLI PER SEPTEM DIES, SI NECESSITAS FUERIT TAM DE COMMUNIONE, QUAM DE ALIO OFFICIO.

Ita in codice ms. monasterii S. Remigii. Nota curam quam Sacerdotes olim gerebant circa infirmos.

mos. Ubi *τὸ de alio officio*, significatur de unctione, quam Matthæus Galenus in promtuario Theologico Catechesi 182. restringit ad partes laborantes: quia, ut vult, Sacramentum non repetebatur. *Ad hæc*, inquit, *non fiebat illud perfunctorie & properanter; sed ubi æger non convalescebat, redibant eodem Sacerdotes per septiduum ungentes: non quidem Sacramentum toties repetentes, sed statis precibus unctione curantes laborantia membra, præbentesque sanctam Eucharistiam.* Hæc ille. Verum id quod ait non repeti olim solitum unctionis extremæ Sacramentum, in eodem videlicet morbo, non videtur probabile, quia hæc verba, *quam de alio officio*, sunt generalia, nec possunt restringi ad unctionem membrorum affectorum. Et quamvis hodie in eodem morbo non repetatur hoc Sacramentum; si tamen antiquus valeret usus, id non esset absurdum: quia non cessante morbo, homine adhuc existente in peccatis, ob peccata saltem venialia quæ nobis quotidie obrepunt, quia *septies in die cadit justus*, jure posset hoc Sacramentum sæpius in eodem morbo repeti, ipsis causis manentibus, ob quas hoc Sacramentum conferri solet. Præterea si unctio illa partium morbidarum non esset Sacramentum, non posset conferre sanitatem, ac proinde frustra adhiberetur. Præterea non aliud adhibebant oleum, quam ab Episcopo sanctificatum.

Nota 917. DEBENT ETIAM SACERDOTES ET MINISTRI SANCTÆ ECCLESIÆ, &c.

Ita in codicibus Rodradi, & S. Remigii. Nota curam & studium priscorum Sacerdotum erga infirmos.

Nota 918. CHRISTA COELESTIS MEDICINA PATRIS.

Ita etiam in codice Rodradi.

Nota 919. MULTI ENIM SACERDOTUM, &c.

Ita in codice Rodradi. Particula *enim*, hoc loco sumitur pro particulis *vero*, seu *autem*. Regula Magistri ms. cap. 82. *Hoc enim ne sit in aliquo, frequenter omnes scrutentur a Præpositis*. In libro sexto Halitgarii supra sub initium: *Non enim omnes Clerici hanc scripturam usurpare aut legere debent*. Hic autem describitur alia a superiori ungendi infirmi ratio, seu consuetudo nonnullorum Presbyterorum, qui ungebant infirmos in quinque sensibus.

Nota 920. PERUNGUENT.

In codice Rodradi, *perungant*. Sed legendum puto, *perungant*.

Nota 921. IN NARIBUS.

Lege, *in auribus*, ut in codice Rodradi. Nam postea dixit: *In narium summitate sive interius*. Tum quia nulla mentio fieret unctionis aurium, quæ tamen necessaria est: nam scripsit supra, *perunguent insuper in quinque sensus corporis*.

Nota 922. DICENTES, IN NOMINE PATRIS, &c.

Ita in codice Rodradi, neque ulla mentio habetur vulgaris istius formæ: *Per istam sanctam unctionem*, & c.

Nota 923. OMNIPOTENS SEMPITERNE DEUS, QUI SUAVANIS IN PERICULIS, &c.

Ita in codice Rodradi. Porro ut hujus extremæ unctionis antiqua ratio clarius innotescat, hic subjiciam tres antiquos hujus Sacramenti ritus; primum quidem ex codice Ratoldi; alterum ex codice Tiliano; tertium ex codice monasterii S. Remigii.

Antiquus extremæ unctionis conferendæ ritus ex codice ms. Ratoldi Abbatis.

INCIPIT ordo unctionis infirmi: *Hic dicat Sacerdos ad infirmum: Quid me advocasti, frater? Ille ait: ut mihi unctionem tradas. Dicit Sacerdos ad eum: Donet tibi Dominus noster Jesus Christus veram facilemque unctionem;* * *tam si te respexerit, & sanaverit te Deus, custodies illam?* Respondet, *Custodiam. Tunc Sacerdos faciet crucem ex cinere cum aqua super pectus ejus, & imponit cilicium desuper, dicens: Si quis infirmatur, agat pœnitentiam, etiam ex necessitate, quia misericors est Deus;*

* Leg. tamen. ut in Ordine Romano ms. Corb. Apud Burch. l. 18. cap. 4.

A *quia misericordia Dei nec mensuras, nec tempora habet, dicente Dei Spiritu* * *Prophetam: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris; & alibi: dic iniquitates tuas prior, ut justificeris.* *Ant.* Succurre, Domine, infirmo huic, & medica eum spiritali medicamine, ut in pristina sanitate restitutus, gratiarum tibi referat actiones. *Psal.* Domine ne in furore tuo, *cum* Gloria. *Antiph.* Quia apud Deum misericordia, & copiosa apud eum redemtio, & multiplex Dei misericordia, ita & lapsis subvenit humanis: ut non solum per baptismi, & consummationis gratiam; sed etiam per pœnitentiæ atque unctionis medicinam spes vitæ reparetur humanæ. *Ant.* Cor contritum & humiliatum Deus non spernit. *Psalm.* Miserere mei Deus, *totum cum Gloria, &* * *repleatur Antiphona. Collectam require.* *Ant.* Opem ferat huic in-
B firmo Deus super lectum doloris ejus: & ipse confirmet eum & vivificet. *Psalm.* Beatus qui intelligit, *collectam require.* *Ant.* Dominus locutus est Discipulis suis, in nomine meo dæmonia ejicient: super infirmos manus vestras imponite, & bene habebunt. *Psalm.* Deus Deorum. *Ant.* Salvum fac servum tuum, Deus meus sperantem in te; custodi animam ejus, quia in te speravit. *Psalm.* Inclina, Domine. *Ant.* Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, tibi autem nullum adpropinquat malum. *Psalm.* Qui habitat. *Ant.* Propitietur Deus iniquitatibus tuis, & sanet omnes ægritudines tuas, & renovetur ut aquilæ juventus tua. *Psalm.* Benedic. I. *Ant.* Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. *Psalm.* Ad Dominum cum tribularer. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui per Jacobum Apostolum tuum introducere
C Presbyteros Ecclesiæ, & ungere oleo infirmos præcepisti: præsta quæsumus, ut digneris per manus nostras hunc famulum tuum ill. infirmum de oleo sanctificato ungere, & benedicere. Hoc autem quod nos exterius tua charismata fideliter complectimur, hoc interius spiritaliter divina virtus, ac mirabiliter tuæ magnanimitatis * operaretur victurem. Per Dominum nostrum.

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato: ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia.

Ungo aures has sacrati olei liquore, ut quicquid delectatione noxia auditus admissum est, medicina spiritalis evacuet. Per Dominum nostrum.

D *Alia.*

Ungo has nares de oleo sacrato: ut quicquid noxie contractum est * odoratus superfluo, ista mundet medicatio. Per Dominum nostrum.

Alia.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quicquid otiosa vel criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante, expietur hac unctione. Per.

Alia.

Ungo pectus tuum de oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter præstare valeas adversus æthereas catervas. Per Dominum.

Alia.

E Ungo has scapulas sive medium scapularum de oleo sacro, ut ex omni parte spiritali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis cum robore juvaminis repellere. Per Dominum.

Alia.

Ungo has manus de oleo consecrato, ut quicquid illicito, vel noxio opere egerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per Dominum.

* Leg. per Prophetam.

* Forte leg. repetatur, vel, compleatur.

* Leg. operetur.

Alia.

Alia.

Ungo hos pedes de oleo benedicto: ut quicquid superfluo, vel ooaio incessu commiserunt, ista deleat perunctio. Per Dominum.

Alia.

Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ut more militis uncti præparatus ad * luctum, possis aereas superare catervas. Per.

* Leg. *lu-ctam.*

Alia.

Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; sicut unait Samuel David Regem & Prophetam; ut non lateat in te Spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: Sed te inhabitet virtus Christi altissimi, & Spiritus sancti: quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacri olei unctionem, atque nostram depreeationem, virture sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem. Per eum, ejusdem.

Alia.

Ungo te de oleo sancto invocata magna Creatoris majestate, qui jussit Samuelem Prophetam ungere David Regem, operare * creaturam,

* Leg. *creatu-ra.*

Alia.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum. Amen.

Hic communicet.

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam te perducat, & in die judicii (&) ad sanctam requiem te resuscitet.

Alia.

Unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unanimiter confitentes, oramus ut voluntas ejus auxiliante gratia perficiatur (vitæ) in vobis. Per.

Alia.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat: intra te sit, ut te reficiat: circa te sit, ut te conservet: ante te sit, ut te deducat: post te sit, ut te justificet: super te sit, ut te benedicat. Qui cum. *Ant.* Virtutum omnium Deus, qui ab humanis corporibus infirmitates *expelle, miserere servo tuo, & visita in salutari tuo, & cœlestis gratiæ tribue medicinam. *Psal.* Beatus, qui intelligit.

* Leg. *expel-lis.*

Hactenus codex Ratoldi de unctione infirmorum, circa quam hæc notanda veniunt. In illa Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus:* hæc verba, *ac mirabiliter tuæ magnanimitatis virtutem*, redundare videntur. 2. Notandæ veniunt interrogationes Sacerdotis ad infirmum, illiusque responsiones ad Sacerdotem, quæ etiam extant in veteri Ordine Romano ms Biblioth. Corbeiensis. 3. Signum crucis ex cinere cum aqua super infirmi pectus, cum cilicii impositione, quæ habentur etiam in Ordine citato, in hæc verba: *Tunc Sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua super pectus ejus: & imponit cilicium desuper, dicens, si quis infirmatur agat pœnitentiam*, &c. ut in codice Ratoldi, nisi quod in fine horum verborum dicti Ordinis hæc adduntur: *respondet infirmus, Deo gratias*. In hoc Ordine nullæ sunt unctionum formulæ, uno aut altero folio avulso. 4. In unctione tertia hæc corrupta sunt: *noxie contractum est odoratus superfluo*; sed legendum est, ut in codice Tiliano, *noxie contractum est odorata, vel superfluo*. 5. In quinta unctione male legitur, *fortiter præstare*; legendum est, *fortiter certare*, ut in eodem cod. Tiliano. 6. In sexta unctione, ubi legitur, *cum robore juvaminis*, legendum est, ut in cod. Tiliano, *cum robore superni juvaminis*. 7. Notandum est octavam formulam: *Ungo te oleo sanctificato*, &c. eamdem esse cum formula Ambrosiana. 8. Observandum est hanc nonam formulam: *Ungo te oleo sanctificato, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sicut unxit Samuel David*, &c. videri esse ad unctionem omnium compagum membrorum: nam in codice Tiliano in formula hujus unctionis hæc verba habentur, quæ etiam in hac formula codicis Ratoldi continentur: *Ut non lateat hic in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum*. 9. In decima formula post hæc verba *operare creatura*, videtur deesse *τὸ olei*, ut habetur in editis, & in codicibus sancti Eligii & Tiliano. 10. In oratione communionis ad illa verba, *& ad sanctam requiem*, particula, *&*, videtur redundare, quemadmodum in sequenti oratione ad hæc verba, *perficiatur vita in vobis*, *τὸ vita*, redundat.

His ita expositis sequitur secundus ritus conferendæ unctionis extremæ ex codice Tiliano.

Ordo ad unguendum infirmum.

Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti suo puriter omnia peccata sua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam: ut ulceribus vitiorum per confessionem * a purtus, adapertis dignus proficiat ei unctioni spiritalis medendo nequitiarum putredinem interius latitantem. Et tunc in primis faciant Sacerdotes aspergi salem, & aquam benedictam; & aspergant eam cum Antiphona, *Asperges me Domine*, *Miserere mei Deus*.

* Leg. *pur-sus.*

Domine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es: *Infirmatur quis in vobis*, &c.

Et sic flectat genua sua, qui est languidus: & stet ad dexteram Sacerdotis, & cantetur hæc Antiphona: *Sana, Domine, infirmum istum cujus ossa conturbata sunt*, &c. *Domine, ne in furore tuo arguas me.*

Sequitur.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & cum omni supplicatione rogemus, &c.

Dominus locutus est condiscipulis suis, In nomine meo dæmonia ejicite, & super infirmos manus vestras imponite, & bene habebunt. Deus Deorum: *Imponant manus super infirmum omnes Sacerdotes, jubente, vel tantum permittente Episcopo, quia canonicus sic docet ordo.* Deus, qui non vis mortem peccatorum, &c. *Ant.* Succurre Deus infirmo isti, & medicare ei spiritali medicamine, ut in pristinam sanitatem restauratus, gratiarum tibi referat actiones. Ad Dominum cum tribularer, *cum* Gloria. Oremus Dominum nostrum Jesum Christum pro fratre nostro, N. quem dure ad præsens malum languoris affligit: ut eum Domini pietas cœlestibus dignetur medicinis curare; ut qui dedit vitam, det & salutem. Per Dominum.

Deus, qui humano generi salutis remedium, & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum: & concede, ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Et sic perungant singuli Sacerdotes infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo, & gutture, & pectore, & inter scapulas, seu in loco ubi dolor plus imminet: & in quinque sensibus corporis, & in superciliis oculorum, & in naribus intus & foris, & in aurium summitate exterius, sive interius, & in labiis exterius, & manibus exterius, id est de foris: ut si quinque sensibus mentis & corporis aliqua macula inhæsit, medicina spiritali sanetur, & Domini misericordia impetretur. Dum igitur Sacerdos ungit infirmum, dicat hanc orationem morosius iniungendo:

Adesto, Domine, quæsumus, humilitatis nostræ obsequiis, eisque benignus coopera, &c.

Unctio sacrati Olei ad caput.

Ungo caput tuum oleo sanctificato in nomine Pa-

a Lege potius *purius*, ut apud nostrum Edm. Martene Tom. 2. de antiq. Eccles. Ritib. p. 366. Ibid. optime legitur; *purius ape-ptis dignius proficias ei unctio spiritalis, medendo*, &c.

Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad luctam, superare possis aerias catervas. Per.

Ad oculos.

Ungo oculos tuos, &c. ut supra in codice Ratoldi.

Ad aures.

Ungo aures has sacrati olei liquore in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut quicquid peccati nocivo auditu, &c. ut supra.

Ad nares.

Ungo has nares oleo sancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut quicquid noxio contractum est odoratu vel superfluo, ista emaculet medicatio.

Ad labia.

Ungo labia ista, &c. ut supra in codice Ratoldi; hic tamen legitur, *expurgetur*, pro *expietur*.

Alia.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen, & ad defensionem contra jacula inimicorum spiritalium. Per.

In gutture.

Inungo te in gutture de oleo sancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ut non lateat spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed habitet in te virtus Christi altissimi & Spiritus sancti: quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam & melioratam percipere merearis sanitatem. Per.

Ad pectus.

Ungo pectus tuum, &c. ut supra in codice Ratoldi, ubi male legitur *præstare*, pro *certare*.

Ungo locum cordis oleo divinitus sanctificato, cœlesti munere nobis attributo in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis; ut ipsa te interius exteriusque sanando vivificet; quæ universam conditionem suam, ne pereat, continet. Per. Ubi τὸ *conditionem*, est, τὸ *creaturam*.

Ad scapulas.

Ungo has scapulas sive medium scapularum de oleo sacrato, in nomine Patris, &c. ut in codice Ratoldi, in quo tamen deest τὸ *superni*, ante τὸ *juvaminis*.

Ad manus.

Ungo has manus oleo sacrato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, &c. ut in codice Ratoldi.

Ad pedes.

Ungo hos pedes de oleo benedicto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, &c. ut in eodem codice.

Ubi plus imminet.

Ungo te de oleo sancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Domini nostri Jesu Christi, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur vitæ virtus & sanitas; quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus, pristinam & magis robustam recipere merearis sanitatem. Per.

Ad omnes compages membrorum.

Ungo te de oleo sancto, invocata magni Creatoris majestate, qui jussit per Samuelem Prophetam ungui David Regem. Operare, creatura olei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut non lateat hic Spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed inhabitet in te virtus Christi altissimi Filius, & sanctificatio Spiritus sancti.

A Sed hic finis corruptus est, & legendum, *virtus Altissimi, Filius, & sanctificatio Spiritus sancti*, vel ut supra, & in codice Raroldi, *virtus Christi Altissimi, & Spiritus sancti.*

Item alia unctio.

Inungo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, oleo sancto atque sacrato, ut virtute Spiritus sancti tribuat tibi hæc sacra unctio sanitatem animæ & corporis, in remissionem omnium peccatorum, & vitam æternam.

Impositio manuum.

Deus Salvator noster, qui es vera salus & medicina, & a quo omnis sanitas, & medicamentum venit: qui Apostoli tui voce nos instruis, ut languidos olei liquore tangentes tuæ postule-
B mus misericordiam pietatis, &c.

Deinde Orationes subscriptæ pro infirmis.

Post hæc communicet eum Sacerdos corpore & sanguine Domini: & sic septem continuos dies, nisi necessitas contigerit, tam de communione, quam de alio officio se abstineat; & suscitabit eum Dominus ad salutem, & si in peccatis sit, dimittentur ei, ut Apostolus ait. In hac autem rubrica quædam videntur corrupta: primo in illis verbis, *& sic septem*, legendum ut in codice sancti Eligii, *& sic faciant illi septem*. In sequenti membro nullus est sensus, & in dicto codice hæc verba, *nisi necessitas contigerit se abstineat*, desiderantur. Sed legendum puto: *& sic faciant illi septem continuos dies, tam de communione, quam de alio of-*
C *ficio* (nempe unctione) *nisi necessitas contigerit, ut se abstineat*, nempe ab hac repetitione.

Oratio ad perceptionem Eucharistiæ.

Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Pax & communicatio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.

Post assumtam Eucharistiam.

Domine Jesu Christe & Salvator noster, exaudi nos pro fratre nostro N. te rogantes, ut tua sancta Eucharistia ei sit ad tutelam animæ & corporis, & ad capessendam vitam æternam, qui
D vivis.

Absolutio manuum.

Debent etiam ex ministris sanctæ Dei Ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies & noctes vespertinales & matutinales laudes pleniter, sicut mos est in Ecclesia.

Hæc autem verba, *absolutio manuum*, videntur redundare, aut legendum, *ablutio manuum*.

Oratio super infirmum ante faciendam absolutionem.

Domine sancte Pater, universitatis * actor, omnipotens æterne Deus, cui cuncta vivunt, qui vivificas mortuos, & vocas ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, tuum solitum auxilium, qui es magnus artifex, pie exerce in hoc tuo plas-
E mate, rogamus.

* Leg. auctor.

Absolutio cum impositione manuum.

Deus qui peccatores & scelerum oneratos & vulneratos Sacerdotibus tuis se ostendere jussisti; Deus, qui Discipulis tuis, ut bene habeant, manus super infirmos ponere præcepisti, &c. Omnipotens sempiterne Deus, criminum absolutor, & indultor peccaminum, qui Apostolis tuis Apostolorumque successoribus dixisti, sine me nihil potestis facere, &c.

Bene-

Benedictiones Episcopales.

Dominus Jesus Christus, qui dignatus est Discipulis suis dicere: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata, et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo:* de quorum numero, quamvis indignum & peccatorum vinculis astrictum, me esse sua dignatione voluit; ipse te largifluo pietatis dono, ac meæ simul parvitatis ministerio absolvere dignetur ab omnibus fragilitatis tuæ excessibus interius exteriusque humanitus contractis. ℞. Amen.

Et sicut peccata totius mundi sua traditione atque immaculati sanguinis effusionu dignatus est expurgare; ita quoque tuorum peccaminum maculas misericorditer ne dedignetur emundare ejusdem sanguinis interventione, qui effusus est in remissionem peccatorum. ℞. Amen.

Devotionem quoque tuam deinceps adjutorio gratiæ suæ non dedignetur corroborare: quatenus & in hoc seculo subrepentium laqueos delictorum valeas evadere, & in futuro vitam æternam Christi Sanguine comparatam sine fine possidere. ℞. Amen.

Adjuvante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui nos fecit, cum non essemus; & redemit, cum perditi essemus, ad laudem & gloriam sui nominis. Per omnia secula seculorum. Amen.

Orationes unde supra.

Deus qui mundum in peccati fovea jacentem misericorditer erexisti; Deus, qui leprosos mundari præcepisti, &c.

Item alia.

Omnipotens sempiterne Deus, conditor humani generis, qui ex nihilo creasti cuncta, & hominem ad similitudinem tuam formare dignatus es, &c.

Alia.

Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes conscientias suas ab omni vinculo iniquitatis absolvis, &c.

Alia.

Domine sancte Pater cœli & terræ, protege famulum tuum, & dimitte illi omnia peccata, &c.

Alia.

Dominus sit tibi adjutor & protector, & peccatorum indultor. Et Deus misericordiæ & pietatis det tibi correctionem tuorum peccaminum; & concedens locum pœnitentiæ, tribuat tibi digno mala * jacta deflere, gaudiaque vitæ æternæ feliciter obtinere. Per.

* Leg. facta.

His ita expletis, Sacerdotes dicant orationes, benedictiones super infirmum unusquisque suam. Si autem adsit Episcopus, ipsius officium hoc erit.

Hactenus codex Tilianus de visitatione infirmorum, seu extrema unctione. Sequitur tertius ritus ex codice ms. monasterii S. Remigii Remis fundati, qui ita incipit:

Ordo ad ungendum infirmum,

CUm ingreditur Sacerdos domum infirmi, facta aqua benedicta, primo dicendum ab introeuntibus: Pax huic domui, *ter*; Et aspergatur aqua benedicta, cum odore thymiamatis, vel alterius incensi, dicendo: *Antiph.* Benedic, Domine, domum istam. *Psalm.* Deus misereatur nostri. *Oratio*: Benedic, Domine Deus omnipotens, locum istum, ut sit habitantibus in eo sanitas, & sanctitas; virtus & castitas; victoria & sanctimonia, &c. *Alia*: Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus; & mittere dignare Angelum tuum sanctum de cœlis, qui

A custodiat, foveat, &c. *Alia*: Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra, &c. *Alia*: Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & famulos tuos quos vocati caritatis visitamus officiis, &c. *Alia*: Præsta, Domine, nobis famulis tuis per hanc creaturam sacræ aspersionis, &c. *Alia*: Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & humilitatis nostræ officiis gratiam tuæ visitationis admisce, &c.

Orationes ad supervenientes infra domum dicendæ: Deus humilium visitator, &c. Deus qui nobis famulis tuis præsentiæ tuæ signa manifestas, &c. *Tunc Sacerdos ad infirmum dicat*: Vocasti. *Infirmus dicat*: Desideravi tecum loqui, ut mihi pœnitentiam, & remissionem peccatorum tradas. *Sacerdos dicat*: Det tibi Dominus Jesus Christus B veniam; tamen si Deus in te respexerit, custodies illam? *Infirmus respondet*: Custodio. *Deinde Sacerdos audiat confessionem ejus, sicut melius inquirere poterit, aut scriptis, aut verbis. Tunc facit crucem ex cinere super pectus infirmi, & imponit cilicium super caput ejus. Post hæc sequuntur pœnitentiales Psalmi septem, id est Psalm.* Domine ne in furore tuo. II. Miserere mei Deus. Domine exaudi. De profundis. Domine exaudi. *Oratio*: Parce, Domine, parce famulo tuo ill. quem redemisti, Christe, sanguine tuo: ne in æternum irascaris ei, qui venturus es judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

Incipit Litania.

Kyrie eleison. *ter.*
Christe eleison. *ter.*
C Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta & perpetua Virgo, succurre in angustiis constituto.
Sancta Maria Dei genitrix, ora pro famulo tuo.
Sancte Michael, ora pro illo.
Sancte Gabriel, ora pro illo.
Sancte Raphael, ora pro illo.
Omnes sancti Archangeli, orate pro illo.
Omnes sancti Patriarchæ, orate.
Omnes sancti Prophetæ, orate.
Sancte Johannes, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Johannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
D Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Mathæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Tadæe, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Timothee, ora.
Omnes sancti Apostoli, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Dionysi, ora.
Sancte Rustice, ora.
Sancte Eleutheri, ora.
Sancte Maurici cum sociis tuis, ora.
Sancte Gereon, ora.
E Sancte Xyste, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Quintine, ora.
Sancte Tiburti, ora.
Sancte Valeriane, ora.
Sancte Gervasi, ora.
Sancte Protasi, ora.
Sancte Cirice, ora.
Sancte Salvi, ora.
Sancte Nazari, ora.
Sancte Sebastiane, ora.
Sancte Nicasi, ora.

Omnes

a Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Hilari, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte REMIGI, ora.
Sancte MEDARDE, ora.
Sancte Vedaste, ora.
Sancte AMANDE, ora.
Sancte ELOGI, ora.
Sancte Bavo, ora.
Sancte Cassiane, ora.
Sancte BENEDICTE, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Eusebi, ora.
Sancte Ultane, ora.
Sancte Achari, ora.
Sancte Richari, ora.
Sancte Goar, ora.
Sancte Arseni, ora.
Sancte Bertine, ora.
Omnes sancti Confessores, orate.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Sancta Tecla, ora.
Sancta Savina, ora.
Sancta Susanna, ora.
Sancta Christina, ora.
Sancta Justina, ora.
Sancta Juliana, ora.
Sancta Praxedis, ora.
Sancta Prisca, ora.
Sancta Columba, ora.
Sancta Scholastica, ora.
Sancta Eugenia, ora.
Sancta Aldegondis, ora.
Sancta Gertrudis, ora.
Sancta Eusebia, ora.
Sancta Godoberta, ora.
Sancta Amalberga, ora.
Sancta Radegundis, ora.
Omnes Sancti ab initio mundi usque ad præsens, orate pro nobis, & pro hoc infirmo.
Propitius esto, parce nobis, & isti, Domine.
Propitius esto, libera eum, Domine.
Ab omni malo, libera eum, Domine.
Ab hoste malo, libera eum, Domine.
Ab insidiis diaboli, libera eum, Domine.
A cruciatu & morte perpetua, libera eum, Domine.
Ab ira tremenda, libera eum, Domine.
A cogitatione immunda, libera eum, Domine.
Ab omni iniquitate, libera eum, Domine.
Ab immunditia cordis & corporis, libera eum, Domine.
A cunctis erroribus, libera eum, Domine.
A vinculis diaboli, libera eum, Domine.
A potestate tenebrarum, libera eum, Domine.
Per adnuntiationem tuam, libera eum, Domine.
Per adventum tuum, libera eum, Domine.
Per incarnationem tuam, libera eum, Domine.
Per nativitatem tuam, libera eum, Domine.
Per circumcisionem tuam, libera eum, Domine.
Per apparitionem tuam, libera eum, Domine.
Per passionem tuam, libera eum, Domine.
Per crucem tuam, libera eum, Domine.
Per resurrectionem tuam, libera eum, Domine.
Per ascensionem tuam, libera eum, Domine.

A Per adventum sancti Spiritus tui a Patre, libera eum.
Per adventum judicii, tui, libera eum, Domine.
Per doctrinam tuam, libera eum, Domine.
Per virtutem, tuam, libera eum, Domine.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut pacem perpetuam ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut compunctionem cordis ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut fontem lacrimarum ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut cogitationes pravas ab eo auferre digneris, te rog.
Ut illicitas voluptates ab eo abscidere digneris, te.
Ut spatium pœnitentiæ, si fieri potest, ei dones, te.
B Ut gratiam sancti Spiritus cordi illius infundere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut spem, fidem, & caritatem ei dones, te rogamus.
Ut murmurationem & impatientiam ei abscidas, te.
Ut gratiam tuam ei concedere digneris, te rogamus.
Ut in præsenti periculo ei succurrere digneris, te.
Ut repellas ab eo omnes principes tenebrarum, te.
Ut ad gaudia æterna eum perducere digneris, te rog.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis & isti, Domine.
C Agne Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, & isti, Domine.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, dimitte peccata eius, Domine.
Chr. audi nos. *ter.* Kyrie eleison. *ter.* Christe eleison. *ter.* Kyrie eleison. *ter.* Pater noster.

Preces.

Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.
Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.
Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, universum stratum ejus versavit in infirmitate ejus.
D Perfice gressus illius, Domine, in semitis tuis, ut non moveantur vestigia ejus.
Angelis tuis manda de illo, ut custodiant eum in omnibus viis ejus.
Mitte ei, Domine, auxilium de sancto, & de Sion tuere eum.
Nihil proficiat inimicus in eum, & Filius iniquitatis.
Delicta juventutis ejus, & ignorantias ejus ne memineris, Domine, secundum magnam misericordiam tuam.
Esto illi, Domine, turris fortitudinis a facie inimici.
Averte faciem tuam, Domine, a peccatis illius, & omnes iniquitates illius dele.
Cor mundum crea in eo, Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus ejus.
E Ne projicias eum, Domine, a facie tua, Spiritum sanctum tuum ne auferas ab eo.
Redde ei lætitiam Salutaris, & Spiritu principali confirma eum.
Dies super dies adjicias, annos ejus usque in diem generationis & generationis.
Permaneat in æternum in conspectu tuo, misericordiam & veritatem tuam quærimus.
Convertere, Domine, usquequaque, & deprecabilis esto super servos tuos.
Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiqua-

a In Litaniis ad ungendum infirmum, quæ leguntur in codice Gemet. post omnes sanctos Martyres, legitur: *Sancte Benedicte. S. Martine. S. Hilari. S. Sylvester. S. Gregori. S. Augustine. S. Birine.* (is fuit Episcopus Dorcestrensis.) *S. Cutberte.* (fuit Episcopus Lindisfarnensis.) *S. Eudoce. S. Remegi. S. Columbane.* Ex loco quem in hoc Sanctorum Ordine sanctus Benedictus obtinet, constat Gemet. codicem scriptum fuisse pro monasterio, ubi Regula sancti Benedicti observabatur. Neque tamen sancti Benedicti commemoratio, etiam in canone Missæ, probat libros Sacramentorum ubi reperitur, ad Benedictinos monachos pertinuisse, cum in vetustissimis Cathedralium Ecclesiarum libris eadem etiam occurrat, ut in canone Ecclesiæ Mediolan. ante ann. 600. descripto; imo etiam in edito Missali per sanctum Carolum reformato. Consule Mabill. in Præf. ad Sacrament. Gallic. num. 9.



tiquarum, cito anticipet nos miſericordia tua, quia pauperes, &c.

Adjuva nos, Deus, Salutaris noſter, propter gloriam nominis tui libera nos. & hunc infirmum, Domine.

Propitius eſto peccatis noſtris & illius, propter nomen tuum.

Exurge, Domine, adjuva nos & eum, & libera nos & eum propter nomen tuum.

Tunc Pſalmum, Inclina, Domine, *totum. Oratio.*

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis noſtræ hunc famulum tuum ill. in hoc tabernaculo feſſum jacentem ſalutiſere viſitare digneris, &c.

Sequitur confeſſio infirmi.

Domine, miniſter Chriſti Domini noſtri, comprehendi nullius valet ſolertia, quibus a diebus adoleſcentiæ meæ vicibus execrabilia contraxi opera: excedunt enim pluralitate ſui numerorum fines; quia & comparatione meorum peccaminum nullus invenitur iniquus. Nullum quippe genus peccati inveniri poteſt, cui me non ſubdiderim, cujuſque facibus & loris non ſim circumdatus. Nunc quoque dies meæ reſolutionis inſtant, quibus hominem * exire [* Forte exuere.] compellor: nunc ultimum vocationis meæ diem ingemiſcens expaveſco, quia quæ male carni conſentiens perpetravi, digna ultione puniri pertimeſco, & niſi Dei clementia * toleret, merito me jam pro [* Leg. toleraret] meis ſceleribus ultrix vindicta ulciſceretur. Idcirco [* Leg. omni.] feſſis artubus, diſſolutiſque corporis baſibus, *omnia viſcerum meorum valentia amiſſa, pietatis tuæ miſericordiam ſingultu interpoſito implorare non ceſſo: quatenus poteſtate cœlitus tibi collata vincula meorum piaculorum enodes, & precum tuarum ſtudiis commiſſa mea pies: ut cum reprobis non ducar ad tartara; quin potius tuo interventu cœleſtia merear ſublimari ad gaudia ſempiterna.

Abſolutio.

Si principali ſententia conſtat, quia in multis offendimus omnes, unde ingemiſcimus, ita principali ſententia conſolamur: quia ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, *quin Jeſus Chriſtus Conditor & Redemtor, ac Salvator noſter, quem habemus advocatum juſtum apud Patrem, & eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & interpellat pro nobis fideliter confitentibus, & dimittit nobis peccata noſtra, & emundat ab omni inquitate. Quapropter, frater noſter, confitenti tibi peccata tua per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit Diſcipulis & Apoſtolis ſuis dicens: *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: & per eoſdem Apoſtolos ſuos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vices licet indigni tenemus; etſi non merito, tamen nomine atque officii ſuſceptione eamdem poteſtatem donavit: & in ſe credenti fideliter dixit: *Fiat tibi ſecundum fidem tuam*, gratia & potentia ſua, virtute ſancti Spiritus, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad Sanctorum conſortium supernorum civium. Amen.

Exhortatio Sacerdotis ad circumſtantes.

Oremus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, fratres cariſſimi, & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum ſuum illum per Angelos ſanctos ſuos viſitare, lætificare, & confortare dignetur, qui vivit & regnat. *Sequitur Ant.* Succurre, Domine, infirmo huic, & medica eum ſpirituali medicamine; ut in priſtina ſanitate a te reſtitutus gratiarum tibi ſanus referat actionem. *Pſal.* Ad Dominum cum tribularer. *Orationes*: Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, &c. *Alia*: Omnipotens mitiſſime Deus, reſpice propitius preces noſtras, &c. *Alia*: Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, &c. *Alia*: Reſpice, Domine, famulum tuum ill. in infirmitate corporis ſui laborantem, &c. *Alia*: Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, &c. *Alia*: Deus, qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, &c. *Alia*: Virtutum cœleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, &c. *Alia*: Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, &c. *Alia*: Reſpice, Domine, de cœlo, & vide, & viſita famulum tuum ill. &c. *Alia*: Dimitte, Domine, peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam, &c.

His ita factis, roget Sacerdos confeſſor infirmi alios Sacerdotes, ut dicant orationes quæ ſunt de reconciliatione pœnitentis ad mortem.

Deus miſericors & clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, &c. *Alia*: Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut famulo tuo ill. longo ſqualore pœnitentiæ macerato, &c. *Alia*: Majeſtatem tuam, quæſumus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum ſemper vitam inquiris, &c. *Tunc Pſalm.* Domine, quid multiplicati ſunt, *totus cum Gloria*, *Pater noſter*, *& preces*. Illumina faciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum eum fac in miſericordia tua, Domine, ne confundamur, quoniam invocamus te. *Oratio*: Precamur, Domine, clementiam tuam, ut huic famulo tuo ill. peccata ſua & facinora confitenti donare veniam, & præteritorum criminum culpas relaxare digneris, &c. *Ant.* Juſtificeris, Domine. *Pſal.* Miſerere ei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates ejus. Amplius lava eum, Domine, ab iniquitate ſua, & a peccato ejus munda eum. Quoniam iniquitatem ſuam ipſe agnoſcit, & peccatum ſuum contra eum eſt ſemper. Tibi ſoli peccavit, & malum coram te fecit; ut juſtificeris, Domine, in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus eſt, & in peccatis concepit illum mater ſua. Ecce enim veritatem dilexiſti; incerta & occulta ſapientiæ tuæ maniſeſtaſti ei. Aſperges eum, Domine, hyſſopo, ut mundetur: lavabis eum, ut ſuper nivem dealbetur. Auditui ejus dabis gaudium, & lætitiam; ut exultent oſſa ejus humiliata. Averte faciem tuam a peccatis ejus, & omnes iniquitates ejus dele. Gloria Patri.

Kyrie eleiſon, Pater noſter, & preces.

Ut quid, Domine, receſſiſti longe? Deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione? Reſpice in ſervos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum, & ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, *& reliq. Oratio*: Oremus Dominum Deum noſtrum, pro fratre ill. quem * duri ad præſens malum languoris * adulcerat, &c. [* Leg. Burch. dure.] [* Leg. Burch. affligit.] *Item Antiph.* Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicias. *Pſalm.* Miſerere mei, Deus. Gloria Patri. *Pater noſter, preces*: Libera eum de ſanguinibus Deus Deus noſter; ut exultent linguæ noſtræ ex juſtitia tua. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua; ut ædificentur muri Jeruſalem. *Oratio*: Deus qui non vis mortem peccatoris, &c. *Oratio antequam ungatur.* Deus qui per Apoſtolum tuum locutus es, *infirmatur quis in vobis*, &c.

Tunc Symbolum palam dicitur, hoc eſt Credo in Deum Patrem, *uſque* vitam æternam. *Deinde a Sacerdote dicatur ad infirmum*: Credis, frater, quod diximus Symbolum. *Cum reſponderit, aut nutu ſignificaverit*, Credo, *ungatur a Sacerdote, vel pluribus Sacerdotibus de oleo ſanctificato, facientibus cruces ſingulis in dextro tempore & ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice; dicendo:*

Ungo caput tuum oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; ut more militia uncti præparatus ad luctamen, poſſis aerias ſuperare catervas. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre.

Item

Item in superciliis & subciliis juxta angulos oculorum dicendo:

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato; ut quicquid illicito visu deliquisti, per hujus olei unctionem expietur. Per eumdem qui cum Patre.

Item aures intus & foris in summitate crucis signa recipiant, dicendo:

Ungo has aures corporis tui, ut per has fenestras racipias auditum gratiæ remissionis Christi in vitam æternam. Per eumdem qui cum Patre.

Item nares in summitate & subtus unguantur crucis modo.

Ungo has nares de oleo sacro; ut quicquid noxæ ea his superfluo contractum est odoratu, ista medicatio emaculet. Per eumdem qui cum Patre.

Item labia, dicendo, & exterius crucem super mentum, & guttur faciendo.

Ungo labia ista consecrati olei medicamento; ut quicquid otiosa, vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante, expurgetur hac unctione. Per eumdem qui cum Patre.

Item super humeros duos, hoc est scapulas, non in pectore, neque inter scapulas.

Ungo has scapulas de oleo sacrato; ut ex omni parte spirituali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul cum robore superni juvaminis repellere possis. Per eumdem qui cum Patre.

Item super manus, & si Presbyter est, non infra: sin aliter, & infra; & super pedes, & sub plantis cruces fiant, dicendo:

Uno has manus de oleo benedicto; ut quicquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per eumdem qui cum Patre.

Item super pedes, & sub plantis cruces fiunt, dicendo:

Ungo & hos pedes ex oleo consecrato; ut quicquid superfluo, vel nocivo incessu commiserunt, Sanctorum intercessionibus ista * oboleat unctio. Per eumdem Dominum nostrum, qui cum Patre.

** Leg. aboleat.*

Conclusio unctionum.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defensionem contra jacula immundorum spirituum. Amen.

Tunc Psalm. Domine clamavi, *totus.* Gloria. Kyrie eleison. Pater noster. Oratio. *Tunc ceteri Sacerdotes, vel Laici invitentur. Sacerdos alius dicat, aut Confessor:* Dominus vobiscum. ℟. Oremus.

Absolutio à Fratribus.

Deus qui peccatores & scelerum onere vulneratos Sacerdotibus tuis ostendere jussisti; qui discipulis tuis, ut bene haberent, manus super infirmos ponere præcepisti; qui Apostolos tuos pro infirmis orare docuisti, & impositionem manuum Sacerdotum, cum invocatione sancti nominis tui peccata relaxare voluisti: exaudi orationes nostras, & da huic famulo tuo *ill.* infirmitatis noxa deprehenso per hoc sacrum ministerium, quod nos indignos famulos tuos agere docuisti, remissionem omnium peccatorum; quatenus per hanc sacrati olei unctionem, & per manuum impositionem cuncta facinora Spiritus sancti gratia relaxentur: fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriusque imbuant, & sanent; ut non tantum ei noceat con-

A scientia reatus ad pœnam, quam * indulgentia, & reconciliatio tuæ pietatis ac remissionis ad veniam. Qui vivis, & regnas.

Hinc sequitur unctio alia.
Oratio.

Per istam unctionem Dei, & per ministerium nostrum, & Dei benedictionem, mundentur & sanctificentur ab omni sorde, et contagione peccati caput tuum & sensus tui, visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus; ut quicquid in numeris, vel in manibus aut pedibus, sive toto corpore, cogitatione, locutione, & opere peccasti, misericordia Salvatoris nostri expietur: ut idoneus efficiaris ad invocandum Domi- [B] num & benedicendum atque sanctificandum & sacrificandum in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi: reddatque tibi lætitiam Salutaris sui, & Spiritu principali confirmet te, & Spiritum sanctum innovet in visceribus tuis, & ne auferat illum à te: sed benedictio Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te, quæ copiose super caput tuum defluat, & in extrema totius corporis tui descendat, interius exteriusque repleat, atque circumdet, & sit semper tecum. Amen.

Item alia ab alio Presbytero dicenda.

Ungo te oleo sancto invocata magni Creatoris majestate, qui jussit Samuelem Prophetam * ungui Da- [C] vid in Regem, operare creatura olei, &c.

** Leg. ungere. Ut supra in cod. S. Eligii.*

Item alia.

Ungo te de oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, &c.

Ut supra ex Ord. Tilian.

Unctio infirmo a singulis singulæ dici possunt.
Oratio post unctionem.

Domine, Jesu Christe, qui es salvatio & redemptio nostra, & qui es vera salus & medicina, a quo omnis sanitas, & medicamentum venit, &c.

Sequitur reconciliatio ante communionem ipsa die.

[D] Deus misericors, Deus clemens, qui indulgentiam tuam nulla temporum lege concludis, sed pulsanti misericordiæ tuæ januam aperis; pœnitentes etiam sub ipso vitæ hujus termino non repellis, respice propitius super famulum tuum *ill.* remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem. Renova in eo piissime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipsa denique cogitatione, diabolica fraude vitiatum est: & unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere gemituum, miserere lacrymarum, & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad Sacramentum tuæ reconciliationis admitte, quia nullius animæ in hoc corpore constitutæ difficilis apud te, aut tarda curatio est. Fidelis enim es in verbis tuis, qui conversum peccatorem non * longa temporum spatia differendum; sed [E] mox ut ingemuerit, dixisti esse salvatum. Per. *Alia:* Majestatem tuam, Domine, supplices, *ut supra. Alia:* Majestatem tuam, quæsumus, Domine sancte, Pater, *ut supra.*

** Leg. non ad.*

Tunc auferatur cilicium quod super caput infirmi positum fuerat, & dicatur:

Ant. Heu me! quia incolatus meus prolongatus est. *Psalm.* Ad Dominum cum tribularer. *Ant.* Unde veniet auxilium mihi. *Psal.* Levavi oculos meos. *Ant.* In domum Domini lætantes ibimus. *Psal.* Lætatus sum. *Ant.* Qui habitas in cœlo, miserere nobis. *Psal.* Ad te levavi oculos. *Ant.* Benefac, Domine, bonis & rectis corde. *Psalm.* Qui confidunt. *Tunc Sacerdos dicat:*

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, &c.

Ut supra in cod. S. Eligii.

Communicet infirmum, tunc dicens:

Corpus Domini nostri Jesu Christi, custodiat te in vitam æternam.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi, redimat te in vitam æternam.

Pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctorum communio ſit tecum & nobiſcum in vitam æternam. Amen.

Oratio in conſummationem.

Et in codice S Eligii. Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis, & neceſſitatibus ſuccurrentibus, &c.

Et ſeptem dies, vel multo plures, ſi neceſſitas fuerit, tam de communione, quam de alio officio erga infirmum fiat: ut ſicut Apoſtolus dicit, immo per eum Spiritus ſanctus ait: Si in peccatis fuerit, dimittentur ei. *Debent etiam ex Miniſtris ſanctæ Eccleſiæ procurare * in Canonici curſus circa eum decantentur, id eſt matutinæ, prima, tertia, ſexta, nona, veſperum, completorium. Quod ſi Epiſcopus affuerit, benedictionem dabit; ſi non, ſinguli Sacerdotes ſingulas has orationes dicunt:*

* Leg. ut

Dominus Jeſus Chriſtus apud te ſit, ut te defendat; intra te ſit, ut te conſervet; ante te ſit, ut te deducat; poſt te ſit, ut te juſtificet; ſuper te ſit, ut te benedicat, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus.

Benedictio.

Benedicat te Deus Pater, ſanet te Dei Filius, illuminet te Spiritus ſanctus, &c.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, adjuvet te Chriſtus Filius Dei: corpus tuum in ſuo ſervitio cuſtodiri & conſervari faciat, &c.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit; benedicat te Deus Filius, qui de ſupernis ſedibus pro nobis Salvator deſcendit; benedicat Deus Spiritus ſanctus, qui in ſimilitudine columbæ in flumine Jordanis ſuper Chriſtum requievit, &c.

Omnipotens Dominus in viſitatione ſuæ miſericordiæ tibi propitietur; & ab infirmitate, qua detineris, relevando tui miſereatur. Amen. Voluntatem tuam in ſuo beneplacito amplificare, & * orationibus, ac benefactis tuis te ſibimet reconciliando acceptare dignetur. Amen. Addat etiam, ut omnium virtutum cœleſtium & reliquorum Sanctorum interceſſionibus inter omnes ſeculares anxietates cuſtodiaris, & eorum participio, abſolutus carnali carcere, interponi merearis. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur, qui propter liberationem hominum homo dignatus eſt fieri Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per immortalia ſecula ſeculorum. Amen.

* Leg. orationi & benefacta tua

Alia.

Benedicat te Deus Pater, cuſtodiat te Jeſus Chriſtus, illuminet te Spiritus ſanctus omnibus diebus vitæ tuæ. Amen. Confirmet te virtus Chriſti, indulgeat tibi Dominus univerſa delicta tua. Amen. Beatæ & glorioſæ ſemperque Virginis Dei genitricis Mariæ, omniumque ſimul Sanctorum, quæſumus, interceſſio glorioſa te protegat, & ad vitam æternam perducat. Amen.

Miſſa pro infirmo.

Antiphona: Virtutum omnium Deus, qui ab humanis corporibus infirmitatem expellis, miſerere ſervo tuo, & viſita in ſalutari tuo, & cœleſtis gratiæ tribue medicinam. *Pſalm.* Domine exaudi. *Item Ant.* Juſtus es, Domine. *Pſalm.* Beati immaculati. *Oratio:* Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo *ill.* pro quo miſericordiæ tuæ imploramus auxilium, &c.

Ut in Miſſali Romano.

Lectio Epiſtolæ beati Jacobi Apoſtoli. Cùm enim triſtatur aliquis veſtrum, oret æquo animo & pſallat, &c.

Grad. Exurge, Domine, ſuccurre huic infirmo, & medica eum, & ſana ejus languorem. ℣. Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione opem tuam tribue benignus infirmo, All. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto, & de Sion tuere eum. ℣. Auribus percipe. All. De profundis, &c.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

In illo tempore: Intravit Jeſus Capharnaum. Centurionis autem cujuſdam ſervus malè habens, &c.

Offert. Domine, qui Publicani precibus & oratione placatus es, qui ſocrum Petri ex febre valida liberaſti; & nobis pro infirmo ſupplicantibus clementi miſeratione adeſto, Domine.

Item Offert. Domine, mirifica eum ſecundum eloquium tuum, ut ſciat teſtimonia tua. ℣. 1. Fac cum ſervo tuo. ℣. 2. Da illi intellectum, ut diſcat mandata tua, & voluntaria oris ejus fac illi in beneplacito, Domine.

Super oblata: Deus cujus nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt, &c.

Præfatio: Æterne Deus, qui famulum tuum ideo corporaliter verberas, ut mente proficiat: potenter oſtendens quod ſit pietatis tuæ præclara ſalvatio, dum præſtas ut operetur nobis etiam ipſa infirmitas ſalutem. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Comm. Succurre, Domine, infirmo huic, & medica eum ſpirituali medicamine; ut in priſtina ſanitate a te reſtitutus, gratiarum tibi ſanus referat actionem.

Item Comm. Redime eum Deus Iſrael, ex omnibus anguſtiis ſuis.

Ad compledum: Deus, infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, &c.

Oratio pro reddita ſanitate.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate gubernas, &c.

Miſſa pro infirmo, qui proximus eſt morti.

Ant. Circumdederunt me gemitus mortis. *Pſalm.* Diligam te, Domine. Omnipotens ſempiterne Deus, conſervator animarum, qui quos diligis, corripis & recipis, piè ad emendationem coerces, &c.

Lectio Iſaiæ Prophetæ: In diebus illis locutus eſt Iſaias Propheta, dicens: Quærite Dominum, dum inveniri poteſt.

Grad. Miſerere mihi, Domine, quoniam infirmus ſum. ℣. Conturbata ſunt.

Item Grad. Adjutor meus, & liberator meus. ℣. Confundantur, & revereantur, &c.

Secundum Marcum. In illo tempore, reſpiciens Jeſus Diſcipulus ſuos dixit: Habete fidem Dei, &c.

Offert. Miſerere mihi, Domine, ſecundum magnam miſericordiam.

Item Offert. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris, &c.

Super oblata. Adeſto, Domine, pro tua pietate ſupplicationibus noſtris, & ſuſcipe Hoſtiam, quam tibi offerimus pro famulo tuo *ill.* jacente in grabato, &c.

Præfatio; Veredignum .... æterne Deus, implorantes tuæ majeſtatis miſericordiam; ut famulo tuo *ill.* veniam ſuorum largiri digneris peccatorum, quatenus ab omnibus inimici vinculis liberatus, tuis toto corde inhæreat mandatis, & te ſolum ſemper tota virtute diligat, & ad tuæ quandoque beatitudinis viſionem pervenire mereatur. Per Chriſtum.

Ad complendum: Gratias agimus multiplicibus largitionibus tuis, ex quibus animas in te ſperantium ſatiare conſueſti, &c.

Item fiat reconciliatio.

Deus miſericors, ut ſupra. *Al.* Majeſtatem tuam, & reliqua. *Tunc etiam Symbolum, ſicut ante prædictum eſt, & communio corporis.*

Item abbreviatio.

Cum vero ingravari cœperit, ad ſuccurrendum, facta aqua benedicta, dicatur Oratio hæc:

Do-

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es via, veritas, & vita, exaudi nos, & conſerva famulum tuum *ill.* hunc, quem vivificaſti, & redemiſti pretio & magno munere ſanguinis Filii tui, qui tecum vivit & regnat.

Tunc ungatur oleo.

Ungo te de oleo ſanctificato; ut ſalveris æternaliter in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Collecta.

Concede, Domine, nobis famulis tuis, ut orantes cum fiducia dicere mereamur: Pater noſter, libera nos ab omni malo, cuſtodi nos ſemper in bono, qui regnas in ſecula ſeculorum.

Communicet dicens:

Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen

Poſt hæc dicendum eſt.

Agamus Deo noſtro omnipotenti gratias, quod terrenæ nos originis atque naturæ Sacramenti ſui dono in cœleſtem vivificaverit demorationem, qui cum Filio, & Spiritu ſancto vivit & regnat.

Hactenus codex mſ. monaſterii ſancti Remigii Remis fundati de viſitatione infirmorum, ſeu extrema unctione, circa quem paucula quædam notanda veniunt.

I. Notanda crux ex cinere ſuper pectus, quæ eſt juxta quoſdam Ordines & Sacramentarios ſupra citatos.

II. Circa Litaniam notandum eſt eam eſſe ſatis antiquam, ſi cum hodiernis conferatur; primam tamen quam ſupra ex libro, qui inſcribitur Ordo orationum, tranſumpſimus, eſſe antiquiorem.

III. Notanda eſt confeſſio infirmi, quæ ſupra tranſcriptis confeſſionibus haud abſimilis eſt, quæ tamen unica non erat ægroti confeſſio, ſed hanc præcedebat enucleatior, quæ numerum peccatorum & neceſſarias circumſtantias promeret, ut ſupra agendo de pœnitentia docuimus; quod etiam ex eodem codice ſancti Remigii confirmatur, in quo paulo ante Litaniam hæc reperire eſt: *Deinde Sacerdos audiat confeſſionem ejus, ſicut melius inquirere poterit, aut ſcriptis, aut verbis.* Quæ ſane verba aliam a memorata confeſſionem poſtulant, & doctrinam a nobis ſupra ſtabilitam mirum in modum illuſtrant.

IV. Sequitur exhortatio Sacerdotis ad circumſtantes. Hæc exhortatio alias appellatur Præfatio, qua movet Sacerdos adſtantes ad orationem, de qua ſupra egimus, juxta morem veterem.

V. Notanda eſt fidei profeſſio, quam æger facere debeat ante unctionem, quæ extat apud Burchardum lib. 18. in hunc modum: *Credis in Deum Patrem, ꝶ Filium, ꝶ Spiritum ſanctum?* Reſponſio: *Credo. Credis quod iſtæ tres perſonæ unus Deus ſit?* Reſpon. *Credo. Credis quod in ipſa iſta carne, qua nunc es, reſurgere habes in die judicii, ꝶ recipere ſive bonum, ſive malum quod geſſiſti?* Reſponſio: *Credo.*

VI. Nota unctionem temporum, quæ in noſtris aliis codicibus non reperitur; ſed cum in Sacramentariis editis, & in codice Tiliano unctio capitis præcipitur, puto ungenda eſſe tempora: prohibetur ungi frontem, & verticem capitis, quia frontis unctio ſpectat ad Confirmationis Sacramentum, unctio verticis ad cæremonias baptiſmi.

VII. Nota infirmum ungi a multis Sacerdotibus, quod videtur etiam in codice Tiliano: *Et ſic perungant ſinguli Sacerdotes infirmum de oleo ſanctificato.*

VIII. Nota verba, *non in pectore.* Nam in codicibus S. Eligii, Ratoldi, Rodradi, & Tiliano, & in Manuali Sueſſionenſi ungitur pectus; id etiam in quibuſdam Eccleſiis fieri teſtatur Johannes Altenſtaig infra citandus. Ita etiam faciunt Græci; ut teſtatur Petrus Arcudius lib. 5. de Sacramentis cap. 7.

IX. Notanda ſunt hæc verba, *neque inter ſcapulas.* Nam aliter fit in codicibus Rodradi, & Tiliano, cum dicitur: *Ungo has ſcapulas ſive medium ſcapularum.*

X. Et hæc verba: *Et ſi Presbyter eſt, non infra:* nam non extant in aliis codicibus noſtris manuſcriptis.

XI. Notandum eſt hanc formulam: *Per iſtam unctionem,* &c. deſiderari in aliis codicibus noſtris mſs. & dici ſolitam in unctione Sacerdotis ob hæc verba: *Ad invocandum Dominum, ꝶ benedicendum, atque ſanctificandum, ꝶ ſacrificandum in nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

XII. Nota communionem completa unctione, ut etiam habetur in aliis codicibus noſtris manuſcriptis.

XIII. Nota continuationem unctionis per ſeptem & plures dies, quæ etiam extat in Sacramentario S. Eligii; ſimulque recitationem Officii divini coram ægroto, quæ etiam habetur in dicto Sacramentario, & in codice Ratoldi Abbatis.

XIV. Hæc oratio: *Omnipotens Dominus, viſitatione ſuæ miſericordiæ,* &c. cum ſubſequenti, eſt benedictio Epiſcopalis, quæ etiam habetur in codice ſancti Eligii, ſed ſub alia verborum formula. Secundæ benedictioni deeſt concluſio.

XV. In Miſſa pro infirmo nota duas Antiphonas ſeu Introitus cum duobus Pſalmis, duplex Gradale, duplex Offertorium, & duplicem Communionem: ut in Miſſa pro infirmo, qui proximus eſt morti duplex Gradale, & duplex Offertorium ſine Communione.

XVI. Nota hæc verba, *item fiat reconciliatio,* &c. eſſe brevioram conferendæ unctionis extremæ rationem infirmo, qui proximus eſt mortis.

XVII. Nota hæc verba, *item abreviatio,* &c. Eſt enim breviuſcula conferendæ unctionis extremæ ratio, cum videtur infirmus ita aggravatus, ut jure timeatur, ne in ipſius Sacramenti collatione expiret. Unde adhibetur unica unctio, quæ eorum opinionem qui dicunt in ejuſmodi periculo unicam ſufficere unctionem, confirmat.

XVIII. Nota formulam, *Corpus ꝶ ſanguis,* &c. Quia ob imminens periculum corpus ſanguini intinctum ægroto porrigebatur: qua de re infra. Tamen in Concil. Tolet. XI. ſtatuitur, ut ii qui præ nimia imbecillitate corpus Chriſti deglutire non valent, ſolo ſanguinis hauſtu ſint contenti.

XIX. Nota nullam hic eſſe renum unctionem, quemadmodum nec in codice Tiliano, nec in aliis codicibus noſtris mſs. neque apud Græcos, neque in Manuali Sueſſionenſi. Illius tamen meminit Richardus de Media villa, quæſt. ſupra citata, & Joannes Altenſtaig Mindelhaimenſis in vocabulario Theologiæ, qui etiam meminit unctionis umbilici; *Quidam,* inquit, *addunt pectus ꝶ renes ꝶ umbilicum, in quibus eſt delectatio venerea, licet non oporteat.* In Sacramentariis editis ex Vaticano ungitur caput: unctiones aliæ ſunt indeterminatæ. Græci ungunt frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, poſtremo pedes, ut teſtatur Petrus Arcudius lib 5. de Sacramentis cap. 7. In codicibus ſancti Eligii, & Rodradi, in deſcriptione primi ritus, ungitur infirmus in collo, & gutture, inter ſcapulas, & in pectore, & ubi plus dolor imminet; in ſecunda deſcriptione unguntur quinque ſenſus. In hoc codice S. Remigii unguntur tempora & locus ſuper mentum præter alia loca. Nota diverſitatem.

His tandem accedat ratio ungendi infirmi ſecundum uſum inſignis Eccleſiæ Sueſſionenſis, depromta ex Manuali ſeu Inſtructorio veteri Curatorum ejuſdem Eccleſiæ typis mandato ſeu impreſſo octoginta ab his circiter annis, nam in ipſo libro annus minime annotatur; quæ non abhorret a codicibus Ratoldi & Tiliano. Omiſſis precibus multis quæ præmittuntur, hæc ſubjecta dumtaxat exſcripſi.

Poſtea ungatur infirmus. Primum ad aurem dexteram fac crucem † dicens:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ſit tibi hæc unctio olei ſanctificationis ad purificationem mentis & corporis in vitam æternam. Amen.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: accipe ſanitatem in nomine Domini. Amen.

Ad aurem ſiniſtram.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ungo aures tuas ſacrati olei liquore, ut quicquid peccati delectatione nocivi auditus admiſſum eſt, medicina ſpiritalis evacuet. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad oculos.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ungo oculus tuos de oleo ſanctificato, ut quicquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad nares.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ungo has nares de oleo ſacro, ut quicquid noxæ contractum eſt odoratu ſuperfluo, iſta evacuet medicatio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad labia.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ungo labis iſta conſecrati olei medicamentu: ut quicquid otioſa *ſus*, vel etiam locutione criminuſa *ſus* peccaſti, divina clementia miſerante, expurgetur hac unctione. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui te, &c. Oremus,

Oratio.

Dominus Jeſus Chriſtus apud te ſit, ut te defendat. Reſpondeat. Amen. In te ſit †, ut te reficiat. Amen. Circa te ſit †, ut te conſervet. Amen. Poſt te ſit †, ut cuſtodiat. Amen. Super te ſit †, ut benedicat. Amen. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Ad pectus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ungo pectus tuum de oleo ſancto, ut hac unctione perunctus *ta*, fortiter certare valeas adverſus aereas catervas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad ſcapulas.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: in uno quoque loco, ungo has ſcapulas, ſive medium ſcapularum de oleo ſacro; ut ex omni parte ſpiritali protectione munitus *ta*, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul poſſis cum robore ſuperni juvaminis repellere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad manus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ungo has manus de oleo conſecrato: ut quicquid de illicito vel noxio opere peregerunt, hac unctione evacuetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad pedes.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: accipe ſanitatem in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, *ſurge & ambula*, in nomine Domini, ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quicquid ſuperfluo, vel nocivo inceſſu commiſerunt, iſta aboleat perunctio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Alia Oratio.

Ungo te oleo benedicto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut hac unctione corroboratus *ta*, aereas valeas ſuperare catervas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Alia Oratio.

Unxi te de oleo ſanctificato, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam, [a] operante creatura olei: in nomine Dei Patris omnipotentis: ut non lateat Spiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, &c. ut in aliis codicibus noſtris manuſcriptis.

[a] al. opera-n.

Sequuntur quædam aliæ Orationes, ſeptem Pſalmi, Litania, cum multis ſuffragiis, quibus hæc ſubjunguntur: *Poſtea communicet eum his verbis, ſi communicare infirmus voluerit; ſin autem, prætermiſſis his quatuor orationibus, quæ ſequuntur, dicat iſtas duas:* Benedicat te Deus, &c. Propitietur Dominus. Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam in vitam æternam. Amen. &c.

Hactenus Manuale Eccleſiæ Sueſſionenſis in [a] quo tamen quid ſignificent illæ particulæ, *ſus*, & *ta*, litteris rubris exarata, non ſatis capio.

Nota 924. QUÆSUMUS, OMNIPOTENS DEUS, UT FAMULUS TUUS ILL. &c.

Hæc Miſſa celebrata eſt in coronatione Caroli Calvi Imperatoris: ſed ſingulis his tribus orationibus ſingulæ præmittuntur orationes de S. Gorgonio Martyre: quia eodem die nempe v. Idus Septembris Carolus Calvus Metis coronatus eſt; ut videre eſt in ejus capitulis.

Nota 925. OMNIUM.

Hæc vox deeſt in Miſſa citata.

Nota 926. ET ILL. REGI.

In Miſſa citata legitur: *Et Carolo Regi noſtro*, quia in ejus coronatione dicitur.

Nota 927. ET PERAGENDUM INJUNCTUM OFFICIUM.

Ita in codice Ratoldi Abbatis. In Miſſa citata hæc vocabula deſiderantur.

Nota 928. ORATIO.

In Miſſa citata ex Capitulis Caroli Calvi legitur, *Communio*, rectius, ut arbitror.

Nota 929. VIA SANCTORUM, &c.

Hæc Oratio in quibuſdam Eccleſiis recitatur poſt proceſſionem Dominicæ.

Nota 930. ISTI INTERCEDENTES.

Hic in te credentes, ut in quibuſdam libris editis.

Nota 931. ARMA.

Id eſt, ornamenta, veſtimenta.

Nota 932. SECRETARII.

Id eſt, ſacrarii.

Nota 933. MINISTER.

Per Miniſtrum, intelligit aliquem minoribus ordinibus initiatum.

Nota 934. SANDALIA.

Horum meminit Alcuinus lib. de Officiis divinis cap. de veſtimentis, & Leo Oſtienſis infra citandus.

Nota 935. SUPERHUMERALE.

Meminit Alcuinus cap. citato. Græci dicunt, *ὠμοφόριον*, de quo vide ſuperius annotata. Sed hoc humerale ut ex rationali, quod ei infra annectitur, non eſt ſimile omophorio.

Nota 936. ALBAM.

Talare eſt veſtimentum lineum quod poderis dicitur. Alcuinus cap. citato. Albæ mentio fit in Concilio Carthag. IV. can. 4. *Ut Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis, alba utatur.*

Nota 937. DELENDA MALÆ.

Legendum videtur: *Dele inde mala.*

Nota 938. CINGULUM.

Cinguli meminit Alcuinus cap. citato.

Nota 939. BALTHEUM.

Proprie cingulum eſt militare, de quo Varro lib. 4. de lingua Latina, & ſanctus Iſidorus lib. 19. Originum cap. 33.

Nota 940. TUNICA.

Quam

[a] Significant proculdubio, quando ungitur maſculus, legendum eſſe *otioſus*; quando femina, *otioſa*. Item in unctione maſculi, legendum, *perunctus*, *munitus*: in unctione vero feminæ, *peruncta*, *munita*.

Quam Alcuinus, & Amalarius lib. 2. cap. 17. A Dalmaticam appellant, Missa ab Illyrico edita Palmaticam, sed legendum, *Dalmaticam*.

Nota 941. IN TINTINNABULIS.

Ad similitudinem Sacerdotis Aaronici.

Nota 942. MYRICE.

Lege, *Mirifice*.

Nota 943. MANICÆ.

Sunt chirothecæ. Nam infra in eadem Missa Paschali: *Et exuat manicas, lavetque manus*. In Missa ab Illyrico edita legitur: *Ad induendas manus*. Meminit Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin. cap. 82.

Nota 944. DETUR EI ANNULUS.

In Missa Illyrici, *ad annulum*. In codice Ratoldi, quemadmodum & in Sacramentariis editis in ordinatione Episcopi datur ei annulus. Quod etiam videre est in Concilio Toletano IV. can. 27. *Si Episcopus est, orarium, annulum, & baculum*. Mentio fit in vita S. Birini Episcopi Dorcestrensis apud Surium 3. Decembris de ejus corporis detectione: *Inventus est quoque annulus, item, que crux plumbea*. Mirum tamen de eo silentium est apud Alcuinum, Amalarium, & Rabanum: quod satis indicat diversum olim fuisse ritum pro diversitate temporum, & locorum.

Nota 945. CASULA.

De casula Hugo a S. Victore lib. 1. de Sacramentis cap. 50. *Casula quæ planeta dicitur, omnibus indumentis superponitur, per quam caritas intelligitur, quæ omnibus virtutibus eminentior videtur. Hæc super dextrum brachium levatur, ut amici in Deo amentur; replicaturque super sinistram, ut inimici propter Deum diligantur*. Cetera vide in observationibus nostris ad concordiam regularum.

Nota 946. RATIONALE.

Est ornamentum quoddam pectorale, ad similitudinem illius quo utebantur olim legales Sacerdotes.

Nota 947. MANIPULUS.

Alias mappula apud Alcuinum, & phanon apud Rabanum.

Et hæc de ornamentis Pontificum, quæ satis accurate hic recensentur, nulla tamen mitræ facta mentione: cujus etiam in Sacramentariis nostris mss. in Ordinibus Romano, & Tiliano, in Pontificali ms quod servatur in sacristia Eccles. Rothom. & putatur esse Remense, Missa ab Illyrico edita, apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, & alios antiquos scriptores, qui de Officiis divinis tractavere, & ornamenta Pontificalia recensent, mirum est silentium: itaut existimem vix ante annum post Christum natum millesimum mitræ usum in Ecclesia fuisse, quem postea clare videmus apud Petrum Damiani serm. 1. de dedicatione, S. Bernardum Epist. 40. Hugonem a S. Victore lib. 1. de Sacramentis cap. 55. & multos alios, qui postea floruerunt. Quare non assentior iis qui dicunt mitræ usum ab ipsis fluxisse Apostolis, & antiquos Episcopos corona usos fuisse, quod suadere conantur ex epigrammate 77. Ennodii de vita & moribus S. Ambrosii:

Serta redimitus gestabat lucida fronte,
Distinctum gemmis ore parabat opus,
Roscida regifico, cui fulsit murice lingua,
Vere suo pingens germina quæ voluit.

Nec sane magnum fuit Ambrosio laudis argumentum gemmatam in capite gestare coronam: quod etsi convenire possit aliis Mediolani Episcopis, quos postea laudat Ennodius, nihil tamen simile illis attribuit. Nec obstant illa quæ ex Eusebio producuntur lib. 10. Hist. Eccl. cap. 4 in oratione panegyrica: *Amici Dei & Sacerdotes, qui sacrosancto podere indumento cælesti, gloriæ corona, divina unctione, & sancta sancti Spiritus stola circumvestiti*. Et in Apologetica sancti Gregorii Na- B zianzeni: *Idcirco me Pontificem ungis, & podere cingis, capitique cidarim imponis, atque spiritualis holocausti altari admoves*. Nam ista commemorantur ad veteris Sacerdotii similitudinem. Nec nos morantur laminæ illæ aureæ, quas in fronte gestasse ferunt SS. Johannem & Jacobum, tum quia non sunt coronæ, nec cidaris, nec mitra; tum quia, ut in eis incœpere, sic in eis desiere. Ad illud vero quod objicitur ex Ammiano Marcellino lib. 29. ubi scribit Firmum in Africa victum, ut sibi quodammodo Theodosium Imperatorem conciliaret, signa militaria, & coronam sacerdotalem cum ceteris manubiis, quæ regionem illam depopulando rapuerat, restituisse, ut præceptum C est: dico locum esse de corona Sacerdotis alicujus ethnici intelligendum, nondum omnino tum avulsa gentilitate. Coronatos olim Sacerdotes gentilium in sacris fuisse ... planum est ex Tertulliano libro de corona militis: *Ipsæ denique fores, & ipsæ hostiæ, & aræ, ipsi Ministri & Sacerdotes eorum coronantur*. Et lib de Spectaculis: *An Deo placebit auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum minister, tot statuarum velut Sacerdos coronatus*; & S. Cypriano in oratione de lapsis: *Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit*; ibi enim agitur de sacris idolorum. Et ex concilio Eliberitano can. 55. *Sa-* D *cerdotes qui tantum sacrificant un coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid idolis præstant, placuit post biennium accipere communionem*. Olim in sacris Cereris Hierophantes, & Hierophantides, & Daduchus, hoc est lampadem gestans, aliæque sacrificulæ myrtea corona cingebantur, ut ex Istro refert Scholiastes Sophoclis ad Oedippum Colonæum. Immo ipse Tertul lib. citato de corona militis negat prorsus Apostolos, Evangelistas, & Episcopos fuisse coronatos, quod contrariæ sententiæ adversatur: *Non denique*, inquit, *Patriarches, Levites, aut Sacerdos, aut Archon. Quis vel postea Apostolus, aut Evangeli-* E *sta, aut Episcopus invenitur coronatus?* Scilicet tam antiquus doctor ignorabat traditionem Apostolicam! Itaque frustra ostendunt quidam nonnullorum priscorum Episcoporum mitras, quia illorum fuisse probari non potest, imo in quibusdam apparent signa prætentæ antiquitati derogantia. Qualis autem fuerit antiquorum mitra sic docet, auctor veteris etymologici: *Μιτραι κυριως οι απο λινιων ἢ αμοριων γινομενοι στεφανοι. εκ καταχρησεως δε πας στεφανος μιτρα λεγεται*, id est, mitræ proprie coronæ sunt ex fasciis & orariis compactæ; per abusionem vero omnis corona appellatur mitra. Ubi vox *αμοριων* corrupta est, pro qua legendum *ωραριων*, ut legitur apud Eustathium in Iliadem Δ. *ρινουσι* F *δε και μιτρας κυριως οι απο φασκιων ἢ ωραριων στεφανους*, id est, dicentes mitras esse ex fasciis, & orariis compositas. Oraria autem sunt textilia quædam oblonga. Vide quam dispares sunt hodiernæ mitræ Pontificum.

Nota 948. FLAMINEATO.

Id est, sacris vestibus induto. Ut autem quæ supra dicta sunt, clariora sint, hic damus veterem imaginem sancti Remigii [a] ex codice Remensi.

Ita enim legendum est: Quæ sane nemo est, qui non videat metaphorice dici de pudore, verecundia, modestia, gravitate, & similibus virtutibus, quæ in ore hujus sanctissimi Pontificis emicabant, quæque inter concionandum ob divinam viri eloquentiam maxime effulgebant, quod satis ex his verbis

Distinctum gemmis ore parabat opus.

manifestum est, quæ etiam patent ex superiore

No-

a Veterem etiam sancti Gregorii imaginem, quam ex cod. ms. in limine suæ edit. delineari curavit Menardus, huc revocavimus: tum ut ea quæ dicta sunt claritatem quoque ex ipsa accipiant; tum quia elegantior sancti Doctoris effigies initio primi operum omnium voluminis apposita, hanc in limine hujus tomi prohibet inseri, ut pote minus comptam, soliusque explicationis gratia depictam.





Nota 949. PROCESSIO:

Eſt cœtus Clericorum ipſum Pontificem ad altare concomitantium, eique adſiſtentium.

Nota 950. ETSI NON PRESBYTER, ET DIACONUS.

Id eſt, etſi quidam non ſint Presbyteri, nec Diaconi. D

Nota 951. ANNUENTE EPISCOPO INCHOAT ANTIPHONAM.

Nota in illis Miſſis nihil incipi a Cantore, niſi ab Epiſcopo præcipiatur.

Nota 952. SUSCIPE CONFESSIONEM MEAM, &c.

Hæc confeſſionis formula habetur etiam in antiquiſſimo codice mſ. Bibliot. Corb. qui inſcribitur, *Ordo orationum*, in codice Tiliano, & Miſſa ab Illyrico edita. In eadem Miſſa Illyrici altera habetur in hunc modum: *Confiteor tibi peccatu meu, æterne Pontifex, & Sanctorum miniſter, & veri tabernaculi Sacerdos*, &c. Cujus initium notandum: quia olim ejuſmodi confeſſiones ab hoc verbo *Confiteor*, ducebant exordium, & qui hoc vocabulum proferebant, tundebant pectus, ut videre eſt apud S. Auguſtinum ſerm. 8. de verbis Domini ſecundum Matthæum: *Secutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris, audito ſcilicet quod Dominus ait*, Confiteor tibi, Pater, *in ipſo quod ſonuit*, Confiteor, *pectora tutudiſtis. Tundere autem pectus quid eſt, niſi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Quare hæc feciſtis, niſi quia audiſtis*, Confiteor tibi, Pater. *Confiteor audiſtis, qui confitetur, non tundiſtis. Nunc vero advertite, ſi*, Confiteor, *Chriſtus dixit, a quo eſt longe omne peccatum. Non ſolius peccatoris, ſed etiam laudatoris*. Ex longo enim habitu tundendi pectoris, cum in confeſſione hoc vocabulum proferebant, ut primum illud audierunt, ſua pectora tutuderunt. Huc ſpectat illud ejuſdem Auguſtini Tractatu de diſciplina Chriſtiana cap. 20. *Erubeſcamus ſaltem, confiteamur, & pectora tundamus: non ut ſuper peccata noſtra pavimentum ſolidemus. Nam qui tundit pectus & non corrigitur, ſolidat peccata, non tollit. Tundamus pectus, & cædamus nos, & corrigamur a nobis*.

Nota 953. PSALMUS.

Domine, probaſti me, ut ſupra.

Nota 954. INTERIM QUOQUE OSCULETUR OMNES SIBI CIRCUMDATOS.

In Miſſa Tiliana, & Illyrici oſculatur tantum Presbyteros, & Diaconos; in Ordine Romano 1. Presbyteri, ſive Diaconi oſculantur manus Pontificis.

Nota 955. SINISTRE.

Id eſt, a ſiniſtra.

Nota 956. DEXTRE.

Id eſt, a dextera.

Nota 957. EPISCOPUS SIGNO DIGITS SUS.

Locus corruptus, & mutilus, lege: *Epiſcopo ſigno digiti ſui annuente*.

Nota 958. INDIGNUM ME, &c.

Hæc Apologia extat etiam in Miſſa a Mathia Illyrico edita, ibique recitatur in altari a Pontifice poſt confeſſionem.

Nota 959. ET TUNC INCIPIAT, GLORIA IN EXCELSIS,

E Nota incipi hymnum, *Gloria in excelſis*, a Pontifice, idque ex antiquo more, ut videmus in vita Caroli Magni auctore Sangallenſi quodam monacho cap. 20. de quodam Epiſcopo: *Cumque præmiſſis melodiis juxta miniſteriam ſuum imponere debuiſſet hymnum angelicum*. Idem videre eſt in primo, & tertio Ordine Romano, qui mos hodie perſeverat.

Nota 960. LEGAT EPISTOLAM.

Olim in multis Eccleſiis lectioni Epiſtolæ Prophetica lectio præmittebatur, ut videre eſt apud ſanctum Gregorium Turonenſem lib. 2. miraculorum S. Martini cap. 5. *Cui celebranti feſtu Dominici diei iſtu erat conſuetudo, ut veniens lector cum libro non antea legere præſumeret, quam ſanctus nutu juſſiſſet. Factum autem eſt, ut illa Dominica*, pre-

prophetica lectione jam lecta, ante altarium stante, qui lectionem beati Pauli proferret, &c. Hoc etiam clarum est ex Paraphrasi Georgii Pachymeris, qui exponens hoc S. Dionysii cap. 3. Hierar. Eccl. cap. 3. ἀναγνώσεως δέλτων ἁγίων, id est, lectio tabularum sanctarum Scripturarum, sic scribit: ἑξῆς δὲ διὰ τῶν ἀναγνωστῶν (τούτους γὰρ λέγει λειτουργοὺς) τῶν θείων γραφῶν, τῶν προφητικῶν, τοῦ ἀποστόλου, τοῦ θείου εὐαγγελίου ἡ ἀνάγνωσις γίνεται, id est, deinde per Lectores (illos enim vocat liturgos, id est ministros) divinarum Scripturarum, Prophetiarum, Apostoli, & divini Evangelii fit lectio. Ex quibus duobus locis confirmatur id quod supra diximus Lectorum olim partes fuisse legere Epistolam, & Evangelium in Missa.

Nota 961. Resp. Hæc dies.

Responsorium hoc loco est gradale. Olim Psalmus, ut clarum est cantabatur, ex S. Augustino serm. 10. de verbis Apostoli: *Hoc de Apostolica lectione percepimus: deinde cantavimus Psalmum, exhortantes nos invicem una uno corde dicentes*: Venite adoremus, & prosternamur ei, & fleamus coram Domino qui fecit nos, & ibi præveniamus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei. *Post hæc Evangelica lectio*. Sermone 33. de verbis Domini secundum Lucam: *In Apostolica lectione gratiæ aguntur de fide gentium; in Psalmo diximus*: Deus virtutum converte nos; ostende faciem tuam, & salvi erimus. Serm. 7. de verbis Apostoli: *Apostolum audivimus, Psalmum audivimus, Evangelium audivimus; consonant omnes divinæ lectiones*. Serm. 49. de tempore: *Audivimus Apostolicam lectionem*. Et paulo post, *Audi Psalmum interiora dicentem*, Tibi soli peccavi. *Audistis & Evangelium istis lectionibus concordare.*

Nota 962. Jube, Domine, benedicere.

Id est, velis benedicere, id est benedic. Nam jubere est aliquando velle, ut notat Nonius Marcellus cap. 4. Quemadmodum ad nutum Episcopi, seu Presbyteri celebrantis legebatur olim Evangelium, sicut hodie consuetudo perseverat, sic olim Epistola nisi ad Episcopi aut Presbyteri Missam facientis nutum non legebatur, ut patet ex lib. 1. S. Gregorii Turonensis de miraculis S. Martini cap. 5. *Cui celebranti festa Dominici diei ista erat consuetudo, ut veniens Lector cum libro non antea legere præsumeret, quam Sanctus autu jussisset. Factum autem est ut illa Dominica, prophetica lectione jam lecta, ante altarium stante qui lectionem beati Pauli proferret*, &c. Et paulo post: *Excitaverunt dicentes, jam hora præterit, jubeat Dominus Lectori Lectionem legere.*

Nota 963. Ad nunciandum.

Lege, *Ad nuntiandum.*

Nota 964. Maria Magdalene.

Hic mos hodie perseverat, ut primo die Paschæ legatur Evangelium secundum Marcum: olim tamen, id est tempore sancti Augustini saltem in Africa, primo die legebatur Evangelium secundum Matthæum, altero secundum Marcum, tertio secundum Johannem: & tota illa octava, ut etiam hodie fit, resurrectio secundum omnes Evangelistas recitabatur. Id testatur S. Augustinus serm. 144. de tempore: *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi, & hodie recitata est, sed de altero libro Evangelii, qui est secundum Lucam. Primo enim lecta est secundum Matthæum, hesterna autem die secundum Marcum, hodie secundum Lucam. Sic habet ordo Evangelistarum, sicut enim passio ipsius ex omnibus Evangelistis conscripta est, sic dies isti, septem vel octo durant spatium, ut secundum omnes Evangelistas resurrectio recitetur.* E

Nota 965. Et omnes post illum.

Clerici videlicet. Nota hoc loco nullum cantari symbolum, cujus in nostris Sacramentariis, tam editis, quam mss. nulla fit mentio, neque etiam in Ordine Tiliano, quemadmodum nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, qui enucleate de ordine Missæ scripserunt: neque etiam apud Remigium Autisiodorensem; sic enim ait cap. 4. de celebratione Missæ: *Post recitatum Evangelium iterum Sacerdos populum salutat*. Fuit quidem illius

A usus in Ecclesiis antiquorum Græcorum; ut constat ex S. Dionysio cap. 3. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, cum proferens diversas opiniones circa hymnum, qui in sacris Mysteriis cantatur, sic ait: τὸν ὕμνον δὲ τοῦτον, οἱ μὲν ὑμνολογίαν καλοῦσιν, οἱ δὲ τὸ τῆς θρησκείας σύμβολον, ἄλλοι, ὡς οἶμαι, θειότερον, ἱεραρχικὴν εὐχαριστίαν, id est, hunc autem hymnum alii laudis canticum, alii religionis symbolum, alii, mea quidem sententia, divinius, Hierarchicam Eucharistiam. At in Ecclesia Romana illius usus non fuit ante annum Christi 1014. teste Bernone Augiensi cap. 2. libri de quibusdam rebus ad Missam pertinentibus: *Nam si ideo, ut sæpe dictum, illum angelicum Hymnum prohibemur in festivis diebus canere, eo quod Romanorum Presbyteri non solent eum cantare; possumus simili modo post Evangelium symbolum reticere, quod Romani usque ad hæc tempora divæ memoriæ Hen-*
B *rici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta: & ideo magis his necessarium esse illud symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerant maculari. At Dominus Imperator non antea destit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantaret.* Hæc Berno præfatus. Nec est quod aliqui respondeant Bernonis verba esse de symbolo Constantinopolitano vel Nicæno intelligenda. Nam si tum Romæ fuisset symboli alicujus usus, tenebatur Berno dicere de quo symbolo Imperator Pontificem Romanum rogasset. Nec facit quod opponunt ex Rufino in expositione symboli: *In Ecclesia tamen ur-*
C *bis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror quod neque hæresis ulla illic sumsit exordium, & mos ibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismatis suscepturi sunt, publice, id est fidelium populo audiente symbolum reddere.* Non enim ibi agitur de recitatione symboli in Missa, sed de recitatione symboli a Catechumenis audiente populo; ubi & rationem reddit, quare Ecclesia Romana symbolo Apostolorum nihil addiderit. Confirmatur nostra sententia ex codicibus, & auctoribus initio citatis, & ex duobus Ordinibus Romanis apud Hittorpium, nempe in tertio: *Finito Evangelio dicit Pontifex, pax tibi, Dominus vobiscum, & cum Spiritu tuo.* Et in quarto: *Postquam finitum fuerit Evangelium, dicit Pontifex, Pax tibi, Dominus vobiscum: sequitur responsio, & cum Spiritu tuo.* At in secundo Ordine apud eun-
D dem, dicitur tantum symbolum cum Pontifex non vult concionari. Quare non audiendum esse puto Walfridum, qui cap. 22. de rebus Ecclesiasticis scribit usum canendi symboli Constantinopolitani in Missa Romana a Græcis manasse. Hispani illud in Missa cantare cœperunt in Concilio Toletano 3. can. 2. in decretis Concilii, sub Recaredo Rege, in quo Gotthi hæresim Arianam ejurarunt.

Nota 966. Oremus. Tunc incipiat offertorium.

Hic invitat Pontifex populum ad orationem, qui tamen non dicit orationem, quod notat Alcuinus lib. de Offic. Eccl. cap. de celebratione Missæ: *Et invitat illum secum pariter ad orationem dicens, Oremus. Sed licet apud nos tunc collecta inter Offerendam & Evangelium non dicatur, apud Græcos tamen dicitur.* Id quod dicit Alcuinus de Græcis, videtur in Liturgia S. Johannis Chrysostomi, in qua inter Offerendam & Evangelium dicuntur plures orationes a Pontifice.

Nota 967. Terra tremuit.

Olim ante Oblationem in Africa canebatur Psalmus; quod incœpit Carthagine tempore S. Augustini, ut ipse testatur lib. 2. retractationum cap. 11. *Morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro sive ante Oblationem*, &c.

Nota 968. Oblationem recepta.

Quam pro sui communione est consecraturus Sacerdos.

Nota 969. CUM OMNI PROCESSIONE.

Id eſt, cum Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & ceteris Clericis, qui ei aſſiſtunt in altari.

Nota 970. MANICAS.

Id eſt, chirothecas.

Nota 971. LAVETQUE MANUS.

Lectionibus peractis & oblatione facta, facturus Pontifex divina myſteria, lavat manus ex antiquo more, quem videre eſt apud Fortunatum. In vita S. Marcelli Epiſcopi Pariſienſis: *Itaque cum Subdiaconali miniſterio fungeretur, in die Epiphaniorum, hauriens aquam de fluvio Sequanæ, dum beato Prudentio Epiſcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis, vini ſapor inventus eſt: quo viſo obſtupefactus Pontifex, juſſit ex ipſa urceo in calicem ſacrum fundi, unde univerſus populus, Miſſa celebrata, ad communionem accepit.* Et infra: *Itaque cum vir ſanctiſſimus quadam vice ex officii ſui ſervitute aquam manibus venerabili Epiſcopo porrexiſſet, mox inde balſama cœpere fragrare.* Apud Græcos non ſolus Epiſcopus, ſed etiam circumſtantes altare Presbyteri manus lavant, ut liquet ex Catech. 5. myſtagogica S. Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi: ἑωράκατε τοίνυν τὸν διάκονον τὸν ἀπονίψασθαι διδόντα τῷ ἱερεῖ, καὶ τοῖς κυκλοῦσι τὸ θυσιαστήριον τοῦ θεοῦ πρεσβυτέροις, id eſt, vidiſtis igitur Diaconum aquam manibus lavandis porrigentem Pontifici & circum altare ſtantibus Presbyteris: & S. Dionyſio cap. 3. Eccl. Hierar. καὶ ἀπονιψαμένων τὰς χεῖρας ὕδατι τοῦ ἱεράρχου καὶ τῶν ἱερέων, id eſt, poſtquam Pontifex, & Presbyteri manus laverunt. Id autem fiebat in ſymbolum puritatis animæ quæ ad tanta myſteria tractanda requiritur.

Apud Surium Kal. Novemb.

Nota 972. ET OMNIS PROCESSIO OFFERAT SIBI OBLATIONEM.

Olim in Miſſa communicaturi ſeu Clerici ſeu laici, ad altare ſuam oblationem, hoc eſt panem & vinum ad ſui communionem offerebant, ut clarum eſt ex Concilio Matiſconenſi 1. can. 4. *Propterea decernimus ut in omnibus Dominicis diebus, altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur; ut per has immolationes peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel & ceteris juſte offerentibus promereantur eſſe conſortes.* Ex Joh. Diacono in vita S. Gregorii Papæ lib. 2. cap. 41. *Matrona quædam D. Gregorio per ſtationes publicas Miſſarum ſolemnia celebranti ſolitas oblationes obtulerat: cui poſt myſteria traditurus cum diceret:* Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam, *laſciva ſubriſit. Ille vero dexteram ab ejus ore convertens partem illam Dominici corporis ſuper altare depoſuit. Expletis vero Miſſarum ſolemniis coram populo inquiſivit, quamobrem corpus Dominicum ſumtura ridere præſumſerit. At illa diu muſſitans tandem prorupit; quia panem, inquiens, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas.* Id etiam notum eſt ex ſancto Gregorio Turonenſi libri de gloria Confeſſorum cap. 65. ubi refert, quod mulier quædam pro defuncti mariti ſui requie, *ſemper ſextarium gazeti vini præbuit in ſacrificium baſilicæ ſanctæ; ſed Subdiaconus nequam reſervans galæ gazetum, acetum vehementiſſimum offerebat in calice, muliere non ſemper ad communicandi gratiam accedente.* Tandem revelata Subdiaconi fraude a viro nocte per viſum mulierem admonente: *Experrecta admirans viſionem, eamdemque oblivioni non tradens, ad matutinum ſecundum conſuetudinem ſurrexit. Quibus expletis celebratiſque Miſſis, accedit ad poculum ſalutare, quæ tam fervens acetum hauſit, ut putaret dentes excuti.* Vides ergo manifeſte vinum in ſacrificium oblatum fuiſſe pro ſancta commuoiooe Sanguinis Chriſti. Et ita capiendus eſt locus S. Cypriani lib. de operibus & eleemoſynis: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbanam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis:* & ita vulgo explicatur hic locus. Quare non aſſentior cuidam viro docto, qui ſcripſit locum hunc intelligendum eſſe de iis quæ offerebantur ad altare in uſum pauperum, & eulogiarum, quæ mittebantur Chriſtianis per diverſas parœcias, quas accipiebant in ſignum communionis in una eademque fide cum ſuo Epiſcopo, & ita hunc locum eſſe iorelligendum, quod probare nititur his paulo poſt ſequentibus verbis: *Cumque univerſa quæ dantur pupillis & viduis conferantur;* quæ tamen ejus opinioni adverſantur. Nam ſi univerſa quæ dantur, conferuntur viduis, pupillis, & pauperibus, qui fieri poteſt ut ea benedicantur in uſum eulogiarum, quæ per totam Diœceſim omnibus fidelibus diſtribuendæ mittuntur? Præterea verba illa dicuntur de vidua illa a Chriſto laudata, quæ olim duo minuta miſerat in gazophylacium, ut patet ex antecedentibus, & etiam his ſequentibus, *dat illa, quam oportebat accipere.* Itaque in ſupra citato loco S. Cypriani apparet oblatio duplex, una conſecranda in corpus Chriſti, altera benedicenda ad uſus pauperum, ut indicant iſta, *quæ corbanam omnino non reſpicis.* Quare ut demonſtret amplius divitis avaritiam, non tantum ei exprobrat quod nihil mittat in corbanam ad uſum pauperum; ſed etiam quod de oblatione pauperis communicet. Et ita etiam capiendus eſt locus S. Auguſtini ſerm. 215. de tempore: *Oblationes, quæ in altario conſecrentur, offerte. Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit.* Hæc doctrina patet etiam ex canone 6. Concilii Toletani 16. ubi damnans eos qui rotundam cruſtulam ſumtam de panibus ſuis uſibus præparatis cum vino & aqua offerebant, ſic ſtatuit: *Unde temeritatis hujus aut neſcientiæ cupientes terminum ponere, id unitatis noſtræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini ſacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum oblata, ſecundum quod Eccleſia conſuetudo retentat.* Erat autem ille panis rotundus, circularis formæ, ut clarum eſt ex Epiphanio in Ancorato circa medium: τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδές, id eſt, hoc enim eſt rotundæ formæ, inquit, cum ibi de pane qui in altari ſanctificatur, agit: & ex Iſone cap. 3. de miraculis S. Othmari: *Panis rotulæ, quæ oblatæ dicuntur.*

Nota 973. ET AD ULTIMUM INCENSUM.

Subaudi offeratur a Pontifice, juxta antiquum morem, cujus meminit S. Hippolytus in libro de conſummatione mundi, & de Aotichriſto: πενθοῦσι δὲ καὶ αἱ ἐκκλησίαι πένθος μέγα, διότι οὔτε προσφορὰ οὔτε θυμίαμα ἐπιτελεῖται, id eſt, lugebunt etiam Eccleſiæ luctu magno, quia nec oblatio, nec ſuffitus fiet. Et S. Ephræm in ſuo teſtamento: *Oro vos quoque, dilectiſſimi, ne cum aromatibus me ſepeliatis.* Et paulo poſt: *Date vaporationem fumi boni odoris in domo Domini: me orationibus veſtris comitamini, & aromata Deo offerte.* Et S. Ambroſius in cap. 1. Lucæ: *Utinam nobis quoque adolentibus altaria, & ſacrificium deferentibus aſſiſtat Angelus, imo præbeat ſe videndum.*

Nota 974. SUSCIPE, QUÆSUMUS, DOMINE, &c.

Videtur Primaſius in cap. 4. ad Hebr. ad hanc orationem reſpicere, cum ſcribit: *Unde Sacerdotes Eccleſiæ altari aſſiſtentes dicunt: Suſcipe, Domine, preces populi tui. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.* Oratio autem dicitur ante Præfationem ex more antiquo, quem tangit S. Auguſtinus ſerm. 83. de diverſis: *Primo,* inquit, *poſt orationem admonemini ſurſum habere cor.*

Nota 975. DIACONUM.

Id eſt, Diaconorum, a recto Diacon, in dativo plurali, Diaconibus.

Nota 976. DEUS QUI NON MORTEM, &c.

Eſt Apologia, quæ in Miſſa a Matthia Illyrico edita dicitur etiam hoc loco a Pontifice: *Tunc incipiat Secreta: quibus finitis, & Præfatione dicta, quando alii, Sanctus, ſanctus, ſanctus decantant, hæc oratio rurſum dicenda eſt a Sacerdote: Domine Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, &c.*

Nota 977. BENEDICTIO CARNIS.

Habetur in Ordine Romano quam in eodem Or-

Ordine præcedit [a] agni benedictio. In eodem die Paschæ, in Euchologio Græcorum extat etiam benedictio carnis, quam sequitur benedictio casei & ovorum.

Nota 978. INDE PRÆCAVENS QUOD.

Legendum videtur: *Inde præcaveas quando*.

Nota 979. ET PRÆVENIAT SIBI.

Legendum videtur: *Et præveniat ibi*, nempe ad illa verba: *Per quem omnia, Domine, semper bona creas*, &c. ut ex sequentibus liquet.

Nota 980. SUBLEVANS CALICEM IN CONSPECTU DOMINI.

Juxta antiquum morem Diaconus primarius, seu Archidiaconus, cum dixerit Pontifex hæc verba, *per ipsum, & cum ipso*, levabat Calicem, & tenebat eum exaltans coram Pontifice, ut videre est in primo Ordine Romano: *Cum dixerit*, Per quem hæc omnia, Domine, *erigit se Archidiaconus solus: & cum dixerit*, per ipsum & cum ipso, *levat cum Offertorio calicem per ansas, & tenet exaltans illum juxta Pontificem*. Ita in 3. & 4. Ordinibus, *cum dixerit*, per quem omnia, Domine, *surgit Archidiaconus solus: cum dixerit*, per ipsum & cum ipso, *levat Archidiaconus cum Offertorio calicem per nasus*, &c. Cetera vide infra in notis ad ritum celebrandæ Missæ Johannis Abrincatensis. Nunc vero in Ecclesia Latina simulatque panis & vinum consecrata sunt, levantur in altum, ut a populo circumadstante adorentur; quem ritum non puto adeo esse antiquum, cum in nostris Sacramentariis mss. & excusis, & apud Pamelium nihil simile reperire sit, quemadmodum nec in veteribus Ordinibus Romanis, nec apud Alcuinum, Amalarium, Walfridum, & Rabanum, qui ordinem Missæ enucleate persecuti sunt: neque apud Micrologum, qui in eadem materia egregiam operam navavit, quod luce meridiana clarius est ex cap. 15. libri quem ille scripsit de Ecclesiasticis observationibus. *Deinde panis in manus accipitur, & antequam reponatur in altari, benedicitur: item & calix elevatus ante depositionem benedicitur. Nam & ipse Dominus in Evangelio utramque legitur benedixisse, antequam dimitteret e manibus. Accepta enim in manibus benedixit, postea Discipulis dedit. Item, ubi dicitur: Hostiam puram, Hostiam sanctam*, &c. Hæc ille, qui sane hunc ritum, si ejus tempore viguisset, numquam prætermisisset, qui postea elevationis corporis quæ fit simul cum calice, antequam oratio Dominica recitetur, mentionem facit; *Et cum dicimus*, Per omnia secula seculorum, *corpus cum calice levamus*. Idem clarius patebit ex cap. 23. ejusdem Auctoris. Excipienda est Missa Mozaraba (si tamen ei nihil additum fuerit) in qua duplex habetur Hostiæ elevatio, prima statim post consecrationem, altera subsequitur hæc verba: *fidem quam corde credimus, ore dicamus*. Græci & ceteri Orientales attollunt corpus Christi post orationem Dominicam, aliasque preces, communione statim subsecutura, ut manifestum est ex Liturgia sancti Jacobi, *Diaconus cum timore Dei: attendamus*, ὁ ἱερεὺς ὑψῶν τὸ δῶρον λέγει καθ' ἑαυτὸν, ἅγιε, &c. id est, *Sacerdos elevans donum dicit apud se, Sancte*, &c. Et ex Liturgia S. Johannis Chrysostomi: *Cum autem Diaconus viderit Sacerdotem extendentem manus, & tangentem sanctum panem*, πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ὕψωσιν, ἐκφωνεῖ, πρόσχωμεν, καὶ ὁ ἱερεὺς, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, id est, *ad faciendam elevationem, clamat, attendamus; & Sacerdos, sancta sanctis*. Hæc enim omnia ibi sequuntur orationem Dominicam & nonnullas preces, ex S. Anastasio Sinaita orat. de sancta Synaxi, qui postquam mentionem fecit orationis Dominicæ subjungit; *Hæc dicamus*, (*videlicet dimitte nobis debita, sicut & nos*, &c.) *Hæc quotidie precemur, dum tremendæ synaxi assistimus; quod cognoscens Sacerdos post consecrationem sacrificii illius incruenti*, ἀνυψοῖ τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, καὶ πᾶσιν αὐτὸν ἐπιδεικνύει. [illegible] καὶ λέγει, πρόσχωμεν, id est, *Et panem vitæ in altum elevat, & ipsum omnibus ostendit. Deinde exclamat Diaconus, & dicit, attendamus*. Quod ex sequentibus verbis confirmatur: [illegible] ὁ ἱερεὺς [illegible], καὶ λέγει, τὰ ἅγια

A τοῖς ἁγίοις, id est, deinde statim subjungit Sacerdos, & dicit, *sancta sanctis*. Nam hæc verba S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. Mystag. scribit expleta oratione Dominica a Pontifice proferri: *Tum expleta oratione dicit, amen, obsignans per amen (quod significat, fiat) totam hanc, quam a Deo didicimus orationem*: μετὰ ταῦτα λέγει ὁ ἱερεὺς τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, id est, *Sacerdos postea dicit, sancta sanctis*. Idem etiam colligere licet ex his Georgii Codini verbis, libro de officiis aulæ Constantinopolitanæ: *Rursumque ad anabathram veniens sedet Imperator*, ἀνιστάμενος μόνον ἐν τε τῇ ἀναγνώσει τοῦ ἁγίου συμβόλου, καὶ ἐν τῇ τοῦ ΠΑΤΕΡ ΗΜΩΝ Ο ΕΝ ΤΟΙΣ ΟΥΡΑΝΟΙΣ προσευχῇ, καὶ ἐν τῇ ὑψώσει τοῦ δεσποτικοῦ, καὶ ἁγίου σώματος. γενομένης δὲ τῆς ὑψώσεως, &c. id est, *Exurgens solum in lectione symboli, & in oratione Dominica, & in elevatione Dominici & sancti corporis. Facta autem elevatione,*

B *si ad communionem paratus non est Imperator, sedet in throno suo usque ad finem sanctæ liturgiæ: si autem paratus est, advocant ipsum duo Diaconi, quos ante dicebamus, ingrediturque cum eis in altare sanctum*. Hactenus Codinus, ubi nota primo hic elevationem corporis Christi nominari post orationem Dominicam; secundo simulatque elevatum est corpus Christi, Imperatorem (si ad communionem paratus est) a duobus Diaconis accersitum in altare sanctum ad sacram communionem ingredi. Eamdem consuetudinem in sua Liturgia imitantur Æthiopes. Siquidem Sacerdote & populo mox communicaturis, *Diaconus dicit*: Inspiciamus. *Sacerdos*: Sanctum date sanctis. *Populus dicit*: Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus est Spiritus sanctus. *Sacerdos dicit*: Dominus vobiscum. *Populus*, Et cum spiritu tuo. *Sa-*

C *cerdos elevans Sacramentum dicit alta voce*: Domine Jesu Christe, miserere nostri. Statimque Sacerdos, & populus communicant. Estque unica in illa Missa corporis Christi elevatio, quemadmodum in Liturgiis citatis. Id etiam videre est in vita S. Basilii auctore Amphilochio: *Et post finem orationum exaltavit panem proline orans & dicens*: Attende, Domine Jesu Christe, de sancto habitaculo tuo, &c. ut in Liturgiis ejusdem S. Basilii, & S. Chrysostomi, in quibus hæc oratio dicitur paulo ante hæc verba, *Sancta sanctis*, post orationem Dominicam. Quidam tamen duas olim fuisse elevationes existimant, priorem quæ etiam fiebat a Sacerdote statim post consecrationem juxta ritum hodiernum; alteram de qua supra dictum est, idque suadere conantur ex his S. Dionysii verbis cap. 3. Ecclesiast. Hierarchiæ: καὶ τὰς ἱερὰς

D θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶν προκειμένων συμβόλων καὶ τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας, εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν αὐτός τε ἔρχεται, id est, Ubi Sacerdos sacra Dei opera cecinit & collaudavit, consecrat mysteria, sub aspectum quæ celebrata ita sunt, ducit per sacrosancta proposita symbola, ostensisque divinæ operationis muneribus ad divinam eorum communionem tum ipsemet accedit. Nam illa intelligenda sunt de illa ostensione quæ, ut diximus, fiebat paulo ante communionem, ut suis verbis S. Dionysius innuit, & optime declarat in scholiis S. Maximus, καὶ ὑπ' ὄψιν, (μᾶλλον τότε ἔμενον κεκαλυμμένα τὰ θεῖα δῶρα ἕως καιροῦ τῆς ἁγίας μεταλήψεως, καὶ τοῦτο δηλοῖ μετ' ὀλίγα. ὁ τοίγε εἰπεῖν, ὅτε ὑψοῖ ὁ ἱεράρχης τὸν ἅγιον ἄρτον, ἰδοὺ τὴν ἐκκλησίαν, λέγων τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, id est, *Et sub aspectum*,) Magis tunc divina dona manebant obtecta usque ad

E tempus sanctæ sumtionis, uti paulo post declarat. Certe manifestum est quod attollens Pontifex sanctum panem, ostendebat benedictionem, dicens, Sancta Sanctis. Idque juxta Liturgias SS. Jacobi, Basilii, & Chrysostomi, aliasque Græcorum in quibus hæc statim post consecrationem Hostiæ elevatio non reperitur: & in textu S. Dionysii objecto est unica elevatio; quæ si consecrationem sequitur, id fit quia S. Dionysius omisit ea, quæ inter consecrationem & elationem interjacent, quæ videre est in Liturgiis, & in auctoribus citatis. Sacerdos autem attollens Hostiam

[a] In vet. Sacram Gallic. legitur, *Benedictio ad agnum benedicendum in Pascha*; quam sequitur, *Benedictio omni creaturæ pomorum*, fortasse pro omnis.

ter cum ea in aere ſignum crucis faciebat, ut docet S. Germanus Patriarcha Conſtaotinopolitanus in Theoria myſtica : *Elatio autem in altum venerandi corporis repræſentat crucis elationem, et mortem in ea, et ipſam reſurrectionem:* τὸ δὲ ὑψῶσαι τὸν ἱερέα τὸν ἄρτον καὶ τύπον σταυροῦ τρεῖς ποιῆσαι ἐν τῷ ἀέρι μετὰ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ ἄρτου τοῦτο αἰνίττεται, id eſt, *Qaod aatem Sacerdos panem attollit, et ſignum crucis ter facit in aere cum veneraado et vivificante pane hoc ſignificat.* Exaltationis Huſtiæ in Miſſa mentio fit io 5 reſponſione Synodi Cooſtantioopolitanæ ſub Nicolao Patriarcha.

Nota 981. VEL NOMINA VIVORUM.

Ut in Græcorum Liturgiis & Catecheſi S. Cyrilli ſupra citata, ubi poſt conſecrationem commemoratiu fit vivorum & mortuorum ſimul.

Nota 982. DICAT DIACONUS, &c.

Diaconi partes ſunt monere populum ante communionem, ut ſe humiliet, ſive inclinet ad benedictionem Epiſcopalem percipiendam, ut clarum eſt ex homil. 34 S. Cæſarii Arelatenſis: *Et illud ſimiliter admoneo, fratres cariſſimi, quotieſcumque Diaconas clamaverit ut vos ad benedictionem inclinare debeatis, corpora et capita fideliter inclinetis.* Et ſub finem: *Et quotieſcumque Diaconas clamaverit, ut aut in oratione genua flectere, aut benedictioni inclinare capita debeatis, obedienter et fideliter cum vera hamilitate faciatis.* In Ordine Romauo id fit ab Archidiacono.

Nota 983. HUMILIATE VOS AD BENEDICTIONEM.

Ita in Ordioe Romano, & in Miſſa Muzarabe. Vide ſupra quæ de bis benedictionibus Epiſcopalibus a nobis obſervata ſunt. Earum uſus adhuc viget in quibuſdam Eccleſiis.

Nota 984. BENEDICAT VOS, &c.

Hanc benedictionem integram oon exſcripſi, quia ſupra babetor in ſolemnitate Paſchali libri Sacramentorum.

Nota 985. PAX DOMINI SIT SEMPER VOBISCUM.

Olim hoc loco dicebatur, *pax vobiſcam*, ut liquet ex S. Auguſtino, ſerm. de diverſis 83. *Ecce ubi eſt peracta ſanctificatio, dicimas orationem Dominicam, quam accepiſtis et reddidiſtis. Poſt ipſam dicitur:* Pax vobiſcum; *et oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto.*

Nota 986. INTERIM OSCULATUR ARCHIDIACONUM ET CETEROS.

Statim communicaturus Pontifex dat pacis oſculum juxta ritum Eccleſiæ Romanæ, ſeu Latinæ, ſi Hiſpanum exceperis antiquum. de quo Innocentius Papa I. Epiſt. ad Decentium Eugubinom Epiſcopum: *Pacem moda aſſeris ante confecta myſteria quaſdam populis imperare, vel ſibi iater ſe Sacerdotes tradere; cum poſt omnia quæ aperire non debeo, pax ſit neceſſario indicenda, per quam conſtet populum ad omnia quæ in myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebraatar, præbuiſſe conſenſam, & finita eſſe pacis oſculo demonſtratur.* Hinc capiendus eſt Tertullianus lib. de oratione ſub finem: *Alia jam conſuetudo invaluit; jejunantes habita oratioae cum fratribus ſubtrahum oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis.* Quem locum mire illuſtrant verba Innocentii Papæ. Confirmatur auctoritate S. Auguſtini ſermone 83. de diverſis: *Ecce ubi eſt peracta ſanctificatio, dicimus orationem Dominicam, quam accepiſtis & reddidiſtis. Poſt ipſam dicitar,* Pax vobiſcum: *& oſculantar ſe Chriſtiani oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis,* &c. Et lib. 2. adverſus litteras Petiliani cap. 23. *Cai pacis oſculum inter Sacramenta copulabatis, in cujus manibus Euchariſtiam ponebatis, cui viciſſim danti porrigebatis.* Alio ritu Græci utuntur: nam apud eos ubi manus ablotæ fuerint, datur oſculum pacis ante Præfationem, & myſticas preces, & conſecrationem, ut clarum eſt ex S. Cyrillo Hieroſolymitano, Catech. 5. myſtag. εἶτα βοᾷ ὁ διάκονος, ἀλλήλους ἀπολάβετε, ἀλλήλους ἀσπαζώμεθα, id eſt, Deinde clamat Diaconus, invicem amplectimini, invicem oſculemur, &c. Explicato oſculi myſterio ſubjungit: *Poſtea clamat Sacerdos, Surſum corda,* &c. Ex S. Dionyſio libro de cœleſti Hierarchia cap. 3. καὶ τῶν ἀσπασαμένων ἀλλήλους ἁπάντων, &c. id eſt, Et cum ſe omnes oſculati fuerint, myſtica ſacrorum voluminum recitatio peragitur. Ex S. Juſtino Martyre Apologia 2. pro Chriſtianis, ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα, id eſt, invicem nos oſculamur. Deinde ſubjungit, quomodo offertur Pontifici panis, & poculum aquæ & vini ad conſecrationem. Id etiam conſtat ex Concilio Laodiceno can. 19. *Quod oportet ſeorſam primam poſt Epiſcoporum ſermones Catechumenorum orationem peragi: & poſtquam exierint Catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt, fieri orationem, & cum ſub manum acceſſerint,* (id eſt, cum manus eis ab Epiſcopo fuerint impoſitæ,) *& receſſerint, fidelium preces ſic fieri; unam quidem ſcilicet primam ſilentio, ſecundam autem & tertiam alta voce impleri,* εἶτα οὕτω τὴν εἰρήνην δίδοσθαι, id eſt, *Deinde pacem dari.* Et paulo poſt, καὶ οὕτω τὴν ἁγίαν προσφορὰν ἐπιτελεῖσθαι, *Et ſic ſanctam oblationem peragi.* Ex S. Johanne Chryſoſtomo homil. 18. in 2. Epiſt. Pauli ad Corinthios, ubi enarratis orationibus quæ dicuntur pro arreptitiis, pœnitentibus, & aliis, qui non communicant, ſubjungit: ὅταν εἰρήνην πάλιν μεταλαμβάνειν, ἢ μεταδιδόναι δέῃ, πάντες ὁμοίως ἀσπαζόμεθα, id eſt: Ad hæc cum pax danda, viciſſimque accipienda eſt, omnes æque oos iovicem oſculamur. Tandem addit Pontificem bene precari populo, & populum viciſſim Pontifici, cum ei reſpondet, *Et cam Spiritu tuo,* & Pontifici, gratias agenti aſſentiri populum reſpondentem, digne & juſte fieri: & tum demum Pontificem gratiarum actionem, id eſt Præfationem auſpicari. Huc ſpectant illa Timothei Patriarchæ Alexandrini, reſponſione ad interrogationem VIII. ἐν δὲ τῇ ἀναφορᾷ ὁ διάκονος προσφωνεῖ πρὸ τοῦ ἀσπασμοῦ, οἱ ἀκοινώνητοι περιπατήσατε, id eſt, In oblatione Diaconus ante ſalutationem clamat, *Qui non communicatis, abite.* Ubi nota cum ſacris arcentur Catechumeni ante ſalutationem, id eſt oſculum pacis, facile concludi ejuſmodi ſalutationem apud Græcos fieri ante divinorum myſteriorum conſecrationem: nam ſi ea peracta fieret, ut apud nos, poſſent expelli Catechumeni ante ſalutationem, qui tamen interfuiſſent conſecrationi contra Eccleſiæ decreta. Vult ergo Timotheus expelli Catechumenos ante ſalutationem, quia illa completa ſe quam primum Sacerdos ad myſteriorum ſanctificationem accingit & præparat. Græcorum ritum olim ſecuta eſt antiqua Hiſpaniæ Eccleſia, ut clarum eſt ex S. Iſidoro lib. 1. de offic. Eccl. cap. 15. Ubi quartam orationem ſcribit dici pro oſculo pacis, quam ſequitur quinta, quæ ex illius textu eſt Oblatio, & Præfatio.

Nota 987. HÆC SACROSANCTA COMMIXTIO. &c.

In Miſſali Romano, & apud Micrologum cap. 23. additur, *& conſecratio.* In miſſa Illyrici, in ſecunda precatione legitur, *Fiat comixtio, & conſecratio corporis & ſanguinis,* juxta id quod ſtatuit can. 17. Concilii primi Arauſicani: *Et calix offerendus eſt, & admixtione Euchariſtiæ eſt conſecrandus,* quod de quadam exteriori conſecratione intelligendum eſt, cum antea conſecratus fuerit per verba Chriſti. Quare hoc vocabulum, *conſecratio,* non ſignificat præcedeotem conſecrationem per verba Chriſti factam, ut quidam male explicant. Hæc commixtio corporis & ſanguinis habetur etiam in Liturgia S. Jacobi, & in Concil. Tol. IV. can. 17. *Conjunctionem panis & calicis,* &c.

Nota 988. FIAT OMNIBUS SUMENTIBUS, &c.

Aliter in Miſſali Romano.

Nota 989. COMMUNICENT SE.

τὸ *ſe*, redundat.

990. EOQUE COMMUNICATO, DICAT ORATIONES HAS.

In Miſſali Romano hæ duæ priores orationes præmittuntur communiooi, & in quibuſdam variant.

Nota 991. ET EPISCOPUS COMMUNICAT PRESBYTEROS, &c.

Episcopus porrigit communionem juata morem antiquum, ut videre est apud Tertullianum lib. de corona militis: *Eucharistia Sacramentum, & in tempore victus, & in omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus: nec de aliorum manu, quam de præsidentium sumimus.* Quæ consuetudo non fuit universalis, si quidem ætate S. Justini Martyris, quæ superior est Tertulliani, Diaconi fidelibus corpus & sanguinem Domini porrigebant, ut constat ex illius Apologia 2. pro Christianis, *οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος*, id est, Ii qui apud nos Diaconi appellantur, omnibus adstantibus panem & vinum & aquam consecrata porrigunt. De porrectione calicis a Diacono insignis extat locus apud S. Cyprianum Epistola de lapsis: *Ubi vero solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit.* Sed neque id prohibuit Concilium Nicænum 1. can. 18. sed abrogat tantum pravam illam consuetudinem quorumdam locorum in quibus Diaconi Presbyteris Eucharistiam porrigebant; cum absurdum sit, ut hi qui non offerunt, iis qui offerunt, Eucharistiam porrigant. In Concil. Carth. IV. can. 36. prohibetur Diacono Eucharistiam populo erogare præsente Presbytero, nisi necessitate id facere jubeatur.

Nota 99V. Sicco sacrificio.

Id est, Corpore Christi separatim a sanguine dato.

Nota 993. Mixto tamen sacrificio.

Id est, Corpore Christi sanguini ejus immixto. Etenim quondam multis in locis mos inoleverat ut corpus Christi in sacro sanguine tinctum daretur: quod patet ex multis decretis diversis temporibus ad hunc morem antiquandum factis, Julii Papæ I. apud. Ivonem Carnotensem part. 2. decreti cap. 85. *Illud quod pro complemento communionis quidam intinctam tradunt Eucharistiam populis, non hoc prolatum ex Evangelio testimonium reppererunt, ubi Apostolis corpus & sanguinem suum Dominus commendavit. Seorsum enim panis & calicis commendatio commemoratur.* Concilii Bracarensis 3. can. 1. id etiam prohibetur, quia, ut ibi notatur, Christus seorsum corpus & sanguinem suum dedit Apostolis; & Concilii Claromontani ab Urbano II. celebrati apud Ordericum Vitalem lib. 9. Hist. Eccl. ad annum 1095. constituitur ut corpus Dominicum, & sanguis singulatim sumatur, in hunc modum; *Corpus Dominicum, & sanguis Dominicus singulatim accipiatur.* Et hic canon prout sic ab Orderico refertur, clarus est, nec ullam patitur difficultatem. Sed facessit negotium prout refertur a doctissimo Baronio in Eccl. Annal. tom. 11. ex schedis Antonii Augustini Episcopi Tarraconensis, hoc modo; *Ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim, & sanguinem similiter sumat: nisi per necessitatem & cautelam.* Quæ quidem postrema verba, *nisi per necessitatem & cautelam*, non extant apud Ordericum Vitalem, quæ tamen nihil aliud sonant quam quod species commixtæ simul dari possint, si intervenіat aliqua necessitas aut cautela; qualis est cum populus in Missa solemni communicat, ne præ multitudine sanguis effundatur, ut videre est in antiquo ritu Missæ celebrandæ Johannis Abrincatensis Episcopi: *Excepto populo, quem intincto pane, non auctoritate sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis permittitur communicare.* Qualis est etiam in eis ægrotis quos vires omnino deficiunt, qui corpus Domini via præ imbecillitate sumere possunt, nec sacrum calicem sine effusionis periculo; tunc ejusmodi languentibus juxta Concilii mentem corpus Domini in sanguine Dominico intinctum, in cochleari dari posset, ut facile illud sorbere possent:

A ut videre est in visitatione infirmorum codicis mss. monasterii S. Rem. Remis fundati: nam ibi cum post unctionem communicat infirmus, quem vis morbi non ad tantam virium imbecillitatem adduxit, dicitur utraque formula: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Sanguis Domini nostri Jesu Christi redimat te in vitam æternam*; quæ distinctam sumtionem indicant: at dum communicat infirmus, qui *ingravari cœperit*, unica tantum formula recitatur in hunc modum: *Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*, quia corpus Domini in sacro sanguine tinctum, in cochleari infirmo porrigitur.

Nota 994. Communio: Pascha nostrum. Psal. Domine probasti me, &c.

In hac communione sunt Antiphona & Psalmus, quæ canuntur. Tempore communionis olim
B cantabatur Psalmus, ut clarum est ex S. Augustino lib. 2. Retractationum cap. 11. *Ut Hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum*, &c. Græci Clericis communicatis, cum referunt muscaria, seu flabella, discos, calices, & alia vasa sacra, quædam psallere cœperunt, quibus repositis cani cœptus est ultimus versus, τοῦ κοινωνικοῦ, deinde τροπάριον, seu versiculus, πληρωθήτω τὸ στόμα ἡμῶν αἰνέσεως, κύριε, &c. id est, impleatur os nostrum laude, Domine, ut psallamus gloriam tuam, quia dignatus es nos sanctorum mysteriorum participes fieri. Serva nos in sanctificatione tota die meditantes justitiam tuam. Alleluia, idque Olympiade CCCLI. mense Maio, indictione XII. auctore Sergio Patriarcha Constantinopolitano, ut refert Chronicon Alexandrinum.
C Sed hoc non apparet in hodiernis Liturgiis: nisi quod Troparium, *impleatur*, in Liturgia S. Johannis Chrysostomi canitur, cum deferuntur sancta in Propositionem.

Nota 995. Ite Missa est.

In Liturgiis Græcorum sunt aliæ formulæ, *ite in pace: procedamus in pace: in pace Christi eamus*, quæ pronuntiantur etiam a Diacono.

Nota 996. Placeat tibi sancta Trinitas, &c.

Hæc oratio extat etiam in Missa codicis ms. Tiliani, & Missa Illyrici, quæ in paucis variant.

Nota 997. Incipit ordo Pontificis, &c.

Hanc secundam Missam seu potius ordinem Missæ adjecimus ex cod. ms. Tiliano toties a nobis supra citato, quamvis superior Missa ex codice Ratoldi Abbatis producta videatur antiquior: quia
D tamen multa sunt in ea memorabilia & scitu digna, piaculum existimavi si eam prætermitterem: maxime cum sit quam simillima [a] Missæ antiquæ a Matthia Illyrico viro Lutheranæ sectæ ex Bibliotheca Palatina editæ, ut ex utriusque collatione quam in his observationibus subjiciemus, clarum erit, si prius quibusdam objectis ab Illyrico in sua præfatione, quibus Missam Romanam vellicat, responderimus.

Primo ille suæ Missæ antiquitatem ad tempora S. Gregorii I. revocat, dicitque illius ætate, vel aliquot post annis in Ecclesia fuisse usitatam. Quod mihi sane persuadere non possum, tum quia multa sunt in ea, quæ longe post sanctum Gregorium instituta sunt, quæ non extant in Missa superiori ex codice Ratoldi, quæ scripta est aliquot annos ante annum 986. quæ tamen reperire est in Missa Tiliani codicis, qui multis annis
E post codicem Ratoldi scriptus est, regnante videlicet Henrico primo Francorum Rege: quamvis non inficias ierim multa esse in Missa ab Illyrico edita, quæ redoleant antiquitatem. II. Ut præferat Missam a se editam Missæ Romanæ, dicit olim unicam fuisse celebrandæ Missæ rationem, quemadmodum apud Græcos, & suam ita esse compositam ut sit pro omni necessitate, nec olim fuisse Missas de Sanctis & Festis. Sed hujus sententiæ falsitatem ea ipsa Missa Illyriciana convincere licet, in qua Introitus, Epistola, Gradua-

[a] De Missa hac consule doctissimum Mabill. lib. 1. Liturg. Gallic. cap. 3.

le, Evangelium, Offertorium, Secreta, Præfatio, Communio, & Postcommunio, non speciatim & particulatim, sed tantum generatim nominantur sine ulla specificatione aut assignatione alicujus particularis seu Introitus, seu Epistolæ, & similium, quod confirmant hæc ejusdem Missæ verba: *Finita Angelica laude, Missalem dicat orationem Sacerdos, deinde Lectio recitetur.* Ubi Missalis oratio nulla esse potest, quam quæ hymnum Angelicum sequitur. Quæ cum ita sint, quare nullos Introitus, Epistola, Evangelium, &c. particulariter assignantur? Quare cum tot orationes, seu Apologiæ in illa Missa integræ reperiantur, nulla Oratio Missalis, nulla Secreta, oratio post communionem ibi descripta appareat? Nulla sane horum reddi potest ratio, quam varietas Festorum, & solemnitas Sanctorum, quæ pro sui diversitate, diversas postulant orationes Missales, Epistolas, Evangelia, Secretas, & similia festo aut solemnitati Sancti convenientia, quæ si omnia in ordine Missæ collocarentur, multis confusionum labyrinthis celebrans involveretur: qui ut vitentur, ordo Missæ quotidianus seorsum ponitur, (ut videre est in Missa Illyriciana, cujus titulus est hujusmodi: *Incipit ordo Sacramentorum*, & finis, *Explicit ordo de officio Missæ*. Cetera vero pro varietate festorum, & temporum pulchro ordine disponuntur, ut usu venire solet in libris Sacramentorum & Missalibus. Quasi vero Apostoli, & veteres illi Pontifices, qui nobis sanctimonia & eruditione præluxerunt, festa Natalis Domini, Epiphaniorum, Paschæ, & Pentecostes celebraverint, prætermissa commemoratione tantorum beneficiorum, quæ nobis Deus optimus maximus illis diebus impertivit, cum maxime in eorum recordationem, & grati animi propterea in Deum significationem instituta sint; non secus ac olim Deus festa Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum & similia Judæis observare præcepit, ut præclare notat S. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 116. μὴ ἀγνοεῖν ὅτι ὁ Θεὸς ταῖς ἑορταῖς καὶ πάλαι, καὶ νῦν ἐγκατέδησε τῶν εὐεργεσιῶν τὰ ὑπομνήματα, ἵνα οἱ πανηγυρίζοντες ἠχοῦσαν τὴν μνήμην ἔχοντες μὴ εἰς μέθην, ἀλλ' εἰς εὐχαριστίαν, καὶ τὴν ἑαυτῶν τρέπωνται, id est. Illud autem ne ignores Deum beneficiorum suorum commemorationem festis & olim & nunc adstrinxisse: ut qui festos dies celebrant auribus suis memoriam insonantem habentes, non ad temulentiam, sed ad gratiarum actionem se convertant. Antiqua praxis nota est ex S. Augustino, Prologo in 1. Epist. Johan. *Meminit Sanctitas vestra Evangelium secundum Johannem ex ordine lectionum nos solere tractare; sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint, ordo ille quem susceperamus, necessitate paululum intermissus est, non omissus.* Tractatu 9. in Epistolam Johannis: *Intercesserunt ut intermitteremus textum hujus Epistolæ, quædam pro diebus festis solemnia lectionum, quæ non potuerunt nisi legi, & ipsa tractari.* Et serm. 144 de tempore: *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi hodie recitata est, sed de altero libro Evangelii, qui est secundum Lucam: primo enim lecta est secundum Matthæum, hesterna autem die secundum Marcum, hodie secundum Lucam. Sic habet ordo Evangelistarum; sicut enim passio ipsius ex omnibus Evangelistis conscripta est, sic dies isti, septem vel octo durant spatium, ut secundum omnes Evangelistas resurrectio recitetur. Passio autem quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundum Matthæum. Volueram aliquando, ut per singulos annos secundum omnes Evangelistas etiam passio legeretur. Factum est: non audierunt homines quod consueverunt, & turbati sunt.* Ex Gennadio catalogo de illustribus viris, de Musæo Massiliensis Ecclesiæ Presbytero: *Composuit Sacramentorum egregium, & non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum & temporum, pro lectionum textu, Psalmorumque serie & decantatione discretum.* Ex Sidonio lib. 4. Epist. 11. de Claudiano Mamerti Episcopi Viennensis fratre:

Psalmorum hic modulator & phonascus
Ante altaria, fratre gratulante,
Instructas docuit sonare classes,
Hic solemnibus annuis paravit
Quæ quo tempore lecta convenirent.

Et ex Epistola 2. Vigilii Papæ: *Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero Paschalis Domini, vel Pentecostes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta conjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum faciamus quorum natalitia celebramus; cetera vero ordine consueto prosequimur.* Ubi ordo precum est ratio celebrandæ Missæ, non canon Missæ, ut ex citato textu clarum; qui canon subsequenter dicitur ibidem textus canonicæ precis. Si spectemus horas canonicas, in eis etiam varietatem pro diversitate solemnitatum, & festorum videre licet; nam supradictus Musæus, ut refert Gennadius: *Excerpsit ex sanctis Scripturis lectiones totius anni festivis aptas diebus, responsoria, etiam Psalmorum capitula temporii & lectionibus congruentia.* Id manifestum est etiam ex regula S. Benedicti cap. 14. *In Sanctorum festivitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus Dominico die, agendum est: excepto quod Psalmi aut Antiphonæ, vel Lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur.*

Nec valet quod dicit Illyricus Græcos hodie etiam habere unicam Missæ formam, Nam etsi Liturgiæ Græcorum quas nunc habemus, sint veluti quædam Missæ communes, tamen in eorum Euchologio aliisque eorum ritualibus diversæ Missæ pro festorum, solemnitatum & temporum diversitate reperiuntur.

Tandem codex ms. unde suam Missam exscripsit Illyricus, non est adeo antiquus, siquidem ter in ea repetitur litera N. quæ vulgo ponitur loco nominis proprii, cum ejusmodi figura cœperit paulo ante annum post Christum natum millesimum. Nam in antiquioribus codicibus mss. pro hac littera N. ponitur hæc nota *Ill.* cum transversa linea, ut videre est in antiquissimis nostris libris Sacramentorum mss. S. Eligii, Remensi & Rodradi: quemadmodum & in formulis Marculphi, & in quibusdam aliis libris modo excusis, qui ex vetustissimis codicibus mss. excusi sunt.

Dicit etiam Illyricus ante Caroli Magni ætatem Missas pro defunctis in usu non fuisse: sed facile convincitur [a] ex Concilii Vasensis 2. can. 43. in quo contrarium apparet: *In omnibus Missis seu Matutinis, seu in quadragesimalibus, sive in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper* Sanctus, sanctus, sanctus, *eo ordine quomodo ad Missas publicas dicitur, dici debeat.* In Conc. Brac. 1. can. 16. *Sed secundum sectam Priscilliani festivitatem ipsius diei* (Feriæ v. in cœna Domini) *ab hora tertia per Missas defunctorum soluto jejunio, colit, anathema sit.* Ibi enim prohibetur feria v. in cœna Domini, hora tertia soluto jejunio Missas defunctorum celebrare; quod signum est illo die post nonam non soluto jejunio potuisse celebrari. Et in Conc. Bracarensi 2. can. 10. ubi statuitur ne quis Missas mortuorum etiam post acceptum merum & oblationem audeat consecrare, ut a jejunis Missæ celebrentur.

Nec interrogatio S. Bonifacii, quam objicit Illyricus, nostræ sententiæ obesse potest: nam interrogatio S. Bonifacii est tantum de oblationibus pro defunctis in Missa, non de Missis defunctorum, quales nunc celebramus. Quod objicit Illyricus, de communione & oblationibus, non facit suam

a In vet. Sacram. Gallic. ex codice Bobiensi ante annos mille descripto plures extant Missæ pro defunctis, ut videre est Musæi Italici tomo 1. pag. 384. & sequentibus.

suam Missam aliis antiquiorem, cum ista etiam habeantur in Missa codicis Tiliani, qui scriptus est tempore Henrici I. Francorum Regis, ut dictum est.

Nota 998. QUANDO LAVAT MANUS.

Hæc lotio manuum extat etiam in Missa ab Illyrico edita cum eadem oratione. *Largire sensibus nostris*, &c.

Nota 999. POSTEA SE INDUIT SANDALIA, &c.

In Missa Illyrici induitur Pontifex ornamentis Pontificalibus; sed induendi ordo diversus est, diversæ orationes: & plura ornamenta videre est in Missa Illyrici, quæ sunt hujusmodi. alba, cingulum, præcinctorium, stola, subtile, dalmatica, casula, mappula, chirothecæ, annulus, & rationale.

Nota 1000. DEINDE CANTET CUM CIRCUMSTANTIBUS, &c.

In Missa Illyrici habetur: *Hos Psalmos interim dum parotur Episcopus, circumstantes Clerici content*: Quam dilecta tabernacula. Benedixisti, Domine, terram tuam. Inclina, Domine, aurem tuam. Loco precum sequuntur alii quatuor Psalmi.

Nota 1001. OSCULETUR DUOS PRESBYTEROS, &c.

In Missa Illyrici: *Deinde in eodem loco Presbyteris & Diaconis cum deducentibus præbeat osculum pacis*.

Nota 1002. INSIPIENS PER SE, &c.

Ita correxi. In Missa Illyrici sic habetur: *Et dum pervenit ad altare, imponat per se Antiphonam*: Introibo ad altare Dei, &c. cum Psalmo: Judica me, Deus, &c. & sequuntur aliæ preces.

Nota 1003. AUFER A NOBIS, &

In Missa Illyrici hæc oratio præcedit Antiphonam: Introibo ad altare Dei. *Post vò mentibus*, lege, *mereamur*.

Nota 1004 OMNIPOTENS DEUS, QUI ME PECCATOREM, &c,

In Missa Illyrici habetur quidem hæc oratio, sed recitatur ad osculum altaris.

Nota 1005. DEINDE CUM OSCULABITUR EVANGELIUM, &c.

In Missa Illyrici: *Tunc salutat Evangelium dicens*: Pax Christi, &c.

Nota 1006. CONFESSIO SACERDOTIS ANTE ALTARE.

In Missa Illyrici: *Post hæc secreto dicat hanc confessionem*: Suscipe confessionem meam, unica spes salutis meæ, &c. Deinde sequuntur decem Orationes seu Apologiæ in eadem Missa, quarum decima est hujusmodi: *Deus meus, propitius esto mihi peccatori*, &c. prout habetur in hac Missa Tiliana, in qua dicitur ante altare antequam Sacerdos incipiat Missam.

Nota 1007. ITEM ORATIO INTERIM. &c.

In Missa Illyrici: *Hæc sequens oratio dicatur ab Episcopo interim donec hymnus Angelicus finiatur*. Sed habetur alia oratio, seu Apologia: *Deus qui juste irasceris*, &c.

Nota 1008. POST COLLECTAM USQUE AD EVANGELIUM.

In Missa Illyrici hæc habentur: *Finita Angelica laude, Missalem orationem dicat Sacerdos: deinde Lectio recitetur; & inter Lectionem & Evangelium, id est tempore Gradalis & Alleluia, & sequentia, dicat Episcopus has orationes*. Sed aliæ sunt orationes, & numero sexdecim, quarum nonnullæ sunt prolixæ satis. Oratio vero Missæ Tilianæ, *Deus qui de indignis dignos facis*, &c. In Missa Illyrici recitatur a Pontifice, dum canitur Offertorium.

Nota 1009. CUM INCENSUM, ANTEQUAM LEGATUR EVANGELIUM, &c.

In Missa Illyrici, *Cum incensum antequam legatur Evangelium in thuribulum mittitur*, *dicat Sacerdos*: Odore cœlestis inspirationis suæ, &c. Ubi sequitur *Benedictio ejusdem*: In nomine Domini nostri Jesu Christi benedicatur incensum istud, & acceptabile fiat in odorem suavitatis.

Nota 1010. DEINDE INCLINANTI DIACONO DICAT SACERDOS, &c.

In Missa Illyrici: *Deinde inclinanti Diacono se* (adde, *ad*) *benedictionem Dei dicat*: Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super te, & aperiat Christus Dominus os tuum, ad digne idoneeque pronuntiandum sanctum Evangelium suum. Dominus Deus sit in ore tuo, &c. Sed prior benedictio desideratur in codice Tiliano. Sequitur in Missa Illyrici: *Diaconus accipiendo vel osculando Evangelium dicat*: Da mihi, Domine, sermonem rectum, & bene sonantem in os meum: ut placeant tibi verba mea, & omnibus audientibus propter nomen sanctum tuum in vitam æternam, Amen. *Perlecto autem Evangelio Diaconus dicat*: Per istos sermones S. Evangelii tui indulge mihi, Domine, omnia peccata mea: *& ceteri dicant*: Pax tibi.

Nota 1011. PERLECTO AUTEM EVANGELIO, &c.

In Missa Illyrici paulo aliter: *Tunc allato incenso simulque Evangelio ad salutandum dicant*: Per istos sermones Evangelii Domini, &c. Deinde in eadem Missa sequitur: *Quando incensum offertur dicant singuli*: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. *Tunc Sacerdos incipiat Symbolum*, id est Credo in unum Deum. Illud autem symbolum est Constantinopolitanum, quod ibi integrum ponitur. In eadem Missa hæc sequuntur: *Finito symbolo Apostolorum dicit Sacerdos*: Dominus vobiscum. *Deinde lavat manus, hanc orationem dicens*: Largire sensibus nostris, &c. ut supra in Missa Tiliana.

Nota 1012. CUM AUTEM ORNATUM FUERIT ALTARE. &c.

In Missa Illyrici: *Cum autem ornatum fuerit altare, antequam oblationes accipiat, has orationes humillime ante altare se flebiliter accusans dicat*: Ante oculos tuos, Domine, & Hanc sequuntur aliæ sex Apologiæ seu orationes: postquas in eadem Missa Illyrici sequitur: *Tunc accedens ad altare, & osculando illud dicat*: Oro te, Domine, omnipotens Deus, ut per merita Sanctorum tuorum quorum reliquiæ hic continentur, eorum intercessionibus indulgere digneris mihi omnia peccata mea, qui vivis & regnas, &c. Nota hic ornari altare Evangelio dicto, id est sterni linteaminibus, & palis.

Nota 1013. TUNC CONVERTAT SE, &c.

In Missa Illyrici: *Tunc convertat se suscipere oblationes Presbyterorum aliorumque*.

Nota 1014. ET DICAT UNUSQUISQUE HANC ORATIONEM.

Cum offert suam oblationem, ut in Missa Illyrici: *Quando quis oblationem in manum Episcopi, vel Presbyteri offert, dicat*: Tibi Domino Creatori meo, &c. in fine additur. *vivorum & defunctorum*. Tum sequitur, *pro semetipso & cuncto populo Christiano*. Tibi Domino offero Hostiam placationis, &c. *Pro Rege & Antistite nostro, & pro cuncto clero, & pro omni populo Christiano*: Tibi Domino Creatori meo offero Hostiam placationis & laudis, &c. *Episcopus vero vel Presbyter oblationes accipiens dicat*: Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus N. & præsta, ut in conspectum tuum tibi placens ascendat: qui vivis, &c. *Post acceptas oblationes a clero, vel plebe, accipiat Diaconus de manu Subdiaconi oblatam, ita dicendo*: Acceptum sit omnipotenti Deo & omnibus Sanctis ejus sacrificium tuum. *Veniatque Diaconus ante Episcopum offerens dicat hoc Offertorium*: Suscipe, Domine, sancte Pater hanc oblationem, &c. *Et Episcopus accipiens oblationem a Diacono dicat*: Acceptabilis sit omnipotenti Deo oblata tua. *Tunc puro corde offerat Domino oblatam ita dicens*: Suscipe, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, &c. *Alia*: Suscipe, clementissime Pater, Hostiam placationis, &c.

Nota 1015. ACCUSET SE PRIUS FLEBILITER.

In Missa Illyrici supra: *Se flebiliter accusans*, dicat

Nota

Nota 1016. ANTE CONSPECTUM DIVINÆ MAJESTASTIS TUÆ, &c.

Habetur fupra In Miffa Illyrici quarta inter Apologias feu orationes, quæ ibi a Sacerdote recitantur, cum ornatum fuerit altare, antequam oblationes accipiat.

Nota 1017. TUNC PURO CORDE OFFERAT DOMINO, &c.

In Miffa Illyrici fic habetur: *Iftæ orationes, cum oblationes offeruntur ad altare, dicendæ funt; & eft hæc prima quotidiana generalis*: Sufcipe, fancta Trinitas, hanc oblationem quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, &c.

Nota 1018. SUSCIPE SANCTA TRINITAS, &c.

Hæc oblationis oratio quinta eft in Miffa Illyrici.

Nota 1019. SUSCIPE SANCTA TRINITAS, &c.

Secunda hæc oblationis oratio prima eft in Miffa Illyrici.

Nota 1020. SUSCIPE, SANCTA TRINITAS, &c.

Tertia hæc oblationis oratio octava eft Miffæ Illyricianæ.

Nota 1021. ANIMA.

In Miffa Illyrici legitur, *falute*.

Nota 1022. SUSCIPE, SANCTA TRINITAS, &c.

Quarta hæc oblationis oratio decima eft Miffæ Illyrici, quæ tamen eft pro unico defuncto.

Nota 1023. ADJUNGI.

In Miffa Illyriciana legitur, *coadunari*. Tandem in Miffa Illyrici poft quartam oblationis orationem, feu offerendam fequitur *Apologia Sacerdotis*: Sufcipe confeffionem meam, unica fpes falutis meæ, &c. ut fupra in Miffa Tiliana. Sequitur in eadem Miffa Illyrici: *Tunc imponat oblatam altari, & dicat*: Sanctifica, Domine, hanc oblationem, ut nobis Unigeniti Filii tui Domini noftri Jefu Chrifti corpus fiat. *Deinde Diaconus accipiat a Subdiacono vinum cum aqua in calice dicens*: Deus qui humanæ fubftantiæ dignitatem, &c.

Nota 1024. TUNC DIACONUS CALICEM OFFERAT, &c.

In Miffa Illyrici: *Tunc Diaconus offerat calicem fuper altare, & Epifcopo dicat*: Immola Domino, &c.

Nota 1026. EPISCOPUS CALICEM OFFERENS DOMINO DICAT.

In Miffa Illyrici: *Et Sacerdos calicem offerens dicat Offertorium iftud*; Offerimus tibi, Domine, calicem falutaris, & deprecamur clementiam tuam, *&c. ut in Miffali Romano*.

Nota 1026. DOMINE JESU CHRISTE, &c.

In Miffa Illyriciana: *Domine Jefu Chrifte, qui in cruce paffionis tuæ*, &c. In qua fequitur: *pofito calice fuper altare dicat Sacerdos*: Oblatum tibi, Domine, calicem fanctifica, ut nobis Unigeniti tui Domini noftri Jefu Chrifti fiat fanguis. Qui tecum, &c.

Nota 1027. AD MISCENDUM VINUM CUM AQUA. DEUS QUI, &c.

In Miffa Illyrici: *Deinde Diaconus accipiat a Subdiacono*, &c. Deus qui humanæ fubftantiæ, &c.

Nota 1028. DIGNATUS ES, &c.

In Miffa Illyrici legitur; *Dignatus eft fieri particeps Jefus Chriftus*. Porro de mixtione aquæ cum vino confecrando fupra egimus. Græci, inftante communione, in facrum fanguinem aquam ferventem infundunt, ut videre eft in Liturgiis SS. Bafilii & Chryfoftomi, tum quia aqua calida exivit e latere Chrifti, tum quia per ejufmodi aquæ fervorem intelligi volunt fervorem S. Spiritus, ut docent Germanus Conftantinopolitanus Patriarcha in Theoria myftica, & Theodorus Balfamon ad canonem 31. fextæ Synodi.

Nota 1029. TUNC ELEVATA MANU BENEDICAT UTRUMQUE.

In Miffa Illyrici: *Tunc benedicat utrofque elevata manu, & dicat*. Sed habetur alia benedictio in hunc modum: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus fancti fit fignatum, ordinatum, fanctificatum, & benedictum hoc facrificium novum*. Sequitur: *adjungat*, fupple fequentem benedictionem: *Veni, Sanctificator omnipotens, æterne Deus, benedic hoc facrificium tibi præparatum. Qui vivis & regnas in fecula feculorum*.

Nota 1030. POSTEA INCENSUM ACCIPIENS PONAT IN THURIBULUM, ET DICAT: PER INTERCESSIONEM S. GABRIELIS ARCHANGELI, &c.

In Miffa Illyrici: *Poftea accipiens Epifcopus thus a Diacono, ponat in thuribulum dicens*: Per interceffionem S. Gabrielis Archangeli, &c. In Miffali Romano habetur τὸ, *Michaelis*. In eadem Miffa Illyrici fequitur: *Hæc oratio dicenda eft, dum incenfo miffo in thuribulum, ipfum thuribulum fuper panem circumducitur*. Memores fumus, æterne Deus, Pater omnipotens, gloriofiffimæ paffionis Filii tui, refurrectionis etiam ejus, & afcenfionis ejus in cœlum, &c.

Nota 1031. TUNC PONAT INCENSUM SUPER SACRIFICIUM, &c.

In Miffa Illyrici proxime facta eft mentio thurificationis oblatorum; tum fequitur: *Circumeat autem altare cum incenfo Epifcopus aut Presbyter, dicat*: Incenfum iftud, &c. *Sequitur*, Dirigatur oratio mea ficut incenfum in confpectu tuo, Domine.

Nota 1032. QUANDO ODOR EJUSDEM INCENSI, &c.

In Miffa Illyrici: *Quando odor incenfi porrigitur Sacerdoti, dicat unufquifque*: Accendat in nobis, &c.

Nota 1033. TUNC SACERDOS HUMILLIME CONVERTAT SE, &c.

In Miffa Illyrici: *Tunc Sacerdos humillime fe convertat ad circumftantes dicens*: Orate pro me, fratres & forores, ut meum ac veftrum facrificium acceptum fiat Deo omnipotenti ante confpectum fuum.

Nota 1034. TUNC DICATUR A SINGULIS, ORENT PRO TE, &c.

In Miffa Illyrici: *Tunc refpondeatur a fingulis*: Sufcipiat omnipotens Deus de manibus tuis facrificium, & orationes tuæ afcendant in memoriam ante Dominum, ipfeque te exaudiat, qui te conftituit interceffotem pro peccatis noftris. Orent pro te fancti & Electi Dei, &c. Immola Domino facrificium laudis & redde Altiffimo vota tua. Exaudiat te Dominus orantem, mifereatur tui, &c. *Tunc converfus Sacerdos ad altare fundat pro femetipfo hanc orationem ante Secreta*: Domine Jefu Chrifte, fides & fiducia noftra, &c. *Tunc incipiat Secreta; quibus finitis & Præfatione dicta, quando alii*, Sanctus, Sanctus, Sanctus; *decantant, hæc oratio curfim dicenda eft a Sacerdote*: Domine Deus, qui non mortem, fed pœnitentiam defideras peccatorum, &c. ut fupra in Apologiis. *Hac oratione finita antequam Sacramenta incipiantur, iterum fe commendet Domino dicens*: Facturus memoriam falutaris hoftiæ totius mundi. Hic τὸ *Secreta*, in plurali, eft oratio quam vulgo *fecretam* vocamus, olim, *fuper oblata*; ex quo vocabulo etiam colligitur non adeo effe antiquum codicem mf. unde hunc Miffæ ordinem exfcripfit Illyricus.

Nota 1035. POSTQUAM SACERDOS, TE IGITUR INCIPIT, DIACONI, ET SUBDIACONI, &c.

In Miffa Illyrici: *Deinde cum fumma reverentia incipiat*: TE IGITUR, *& miniftrantes in gradibus cantent iftos Pfalmos, ufque dum*, TE IGITUR *finiatur*. Exaudiat te Dominus, &c. *Deinde preces*: Salvum fac fervum tuum, &c. *Oratio pro Sacerdote*: Gaudeat, quæfumus Domine, famulus tuus. *Alia communis*: Precibus noftris, quæfumus Domine, &c. Sequitur, *infra actionem*: Inprimis una cum famulo tuo Papa noftro N. &c. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, cunctorum fcilicet confanguinitate mihimet, &c.

Hanc

Hanc igitur oblationem humilitatis meæ & devotionis, quam tibi offern pro peccatis meis, &c. Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, Domine, &c. *Illud præfer in eodem canone, quando concilium, vel consilium aliquod agitur, postquam dixeris, æterno Domino vivo & vero.* Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, pro hujus negotii qualitate, de quo in præsenti disputationis actione ventilatur, &c. Communicantes & memoriam venerantes. *Pro semetipso:* Memento mei, Domine, miserere mei: multi anim & mali sunt languores mei, &c. Nobis quoque peccatoribus. *Pro salute vivorum & mortuorum:* Memento etiam, Domina, famulorum famularumque tuarum, &c. *Hic recites nomina quorum velis.* Istis & omnibus in fide Catholica quiescentibus locum pacis & quietis indulgeas deprecamur. Per Christum Dominum nostrum. Nobis quoque peccatoribus. Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarnm N qui nos præcesserunt com signo fidei, &c. Nobis quoque peccatoribus. Hic ordo Missæ Illyricianæ, in quibus recitatio nominis Papæ notanda est, quemadmodum etiam extat in omnibus Sacramentariis nostris tam mss. quam axcusis, juxta decretum Concilii Vasensis 2. can. 4. *Et hoc nobis visum justum est, at nomen Domini Papæ, quicumque Sedi apostolicæ præfuerit in nostris Ecclesiis recitetur.*

Nota 1036. Eeplexta sacrata.

Per secratam hoc loco intelligitur Oratio mystica: *Te igitur*, &c. Ita loquitur ordo Missæ Illyricianæ *expleta secreta*. Quæ quidem oratio cum verbis consecratoriis olim in quibusdam locis alta & clara voce proserebatur, ut testatur Johannes Moschus cap. 396. Prati spiritalis, *ἐπειδὴ δὲ ἔν τισι τόποις ἐκφωνεῖν μεγάλως εἰώθασιν οἱ πρεσβύτεροι, ἀπέμαθον τὰ παιδία τὴν εὐχὴν τῆς ἁγίας ἀναφορᾶς ἀκροασάμενα*, id est, Quoniam in quibusdam locis clara voce pronuntiare solent orationem oblationis Presbyteri, factum ast ut eam pueri didicerint. Id patet etiam ax Liturgiis SS. Jacobi & Marci; SS. Basilii & Johannis Chrysostomi, in quibus verba consecratoria elata voce pronuntiantur: & in his chorus, in illis populus respondet, *Amen.* Quod etiam fiebat olim in Ecclesia Ambrosiana, siquidem ejusdem responsionis, *Amen*, ad verba consecratoria meminit S. Ambrosius libri de his qui mysteriis initiantur cap. 9. *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem Corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis.* Amen, *hoc est, verum est*, &c.

Nota 1037. Oratione Dominica. &c.

In Missa Illyrici: *Et oratione Dominica, cum dixerit:* Pax Domini sit semper vobiscum, *misceatur Corpus Dominico sanguini, & dicatur:* Hæc sacrosancta commixtio corporis & sanguinis, &c. *Sequitur:* Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi omnibus accipientibus nobis in vitam æternam.

Nota 1038. Postquam autem benedictio Episcopalis expleta est, &c.

In Missa Illyriciana: *Non mittat Episcopus in calicem partem oblata, ut Presbyteri soleat; sed expectet donec finita benedictione Episcopus communicare debeat: & tunc accipiens partem, quam antea fregerat, tenensque super calicem, immittat dicens:* Sacri Sanguinis commixtio, &c. Sequitur, *Oratio:* Concede, Domine Jesu Christe, ut sicut hæc Sacramenta Corporis & Sanguinis tui fidelibus tuis ad remedium contulisti, &c. *Post hæc dicta osculetur altare dicens:* Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis pacem relinquo vobis, &c. *Deinde convertat se ad circumstantes, pacemque ferat dicendo:* Habete vinculum pacis & caritatis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis. *Et ipsi invicem se pacificando dicant:* Pax Christi & Ecclesiæ abundet in cordibus nostris.

Nota 1039. Quando Corpus Domini in manus accipit, &c.

In Missa Illyrici: *Quando Corpus Dominicum in* A *manus accipit, dicat:* Panem cœlestem, &c.

Nota 1040. Parceptio Corporis tui, &c.

In Missa Illyrici, *sequitur oratio:* Parceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, &c. *Alia:* Fiat mihi, obsecro, hoc Sacramentum tuum. *Cum Corpus sumitur:* Corpus Domini nostri Jesu Christi sit mihi remedium sempiternum in vitam æternam.

Nota 1041. Quando calicem accipit, &c.

In Missa Illyrici: *Quando calicem in manus accipit Sacerdos, dicat:* Quid retribuam Domino, &c. *Sequitur oratio, communicatio, & confirmatio corporis*, &c.

Nota 1042. Domine Jesu Christe, &c.

In Missa Illyrici: *Post perceptam communionem:* B Domine, Jesu Christe, Fili Dei vivi &c. ut in Missali Romano, uno aut altero vocabulo mutato. *Alio:* Corpus tuum, Domine, quod accepi, & calix quem potavi, adhæreant in visceribus meis; & præsta ut nulla ibi remaneat peccati macula, ubi tua sancta introierunt Sacramenta. *Deinde Presbyteris & Diaconibus corpus in manus accipientibus, & communicantibus dicitur singulis:* Pax tecum. D. Et cum Spiritu tuo. *Alia:* Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Calicem vero cum sacrosancta communione dando, unicuique dicat:* Perceptio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sanctificet corpus & animam tuam in vitam æternam. Amen.

In his autem, primo nota dari Corpus Dominicum Presbyteris & Diaconis communicaturis in C manus, juxta morem Ecclesiæ antiquum, quem videre ast in Ordine Romano, in ordine processionis, quando Episcopus festivis diebus Missam celebrare voluerit: *Presbyteri vero, & Diaconi osculando Episcopum corpus Christi ab eo manibus accipiunt, in sinistra parte altaris communicaturi. Subdiaconi vero osculando manum Episcopi, ore accipiant corpus Christi ab eo.* Sed priscis Ecclesiæ temporibus omnes fideles corpus Christi acceptum manu ori inferebant, ut clarum est ex Eusebio lib. 7. hist. Eccl. cap. 8. *καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνοντα*, id est, Qui mensæ astitisset; & manus ad susceptionem sacri alimenti porrexisset; S. Cyrillo Hierosolymitano mox citando; S. Basilio Epist. 289. ad Cetariam Patriciam, *καὶ γὰρ καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ* D *ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ὑποδεξάμενος μετὰ ἐξουσίας ἁπάσης καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί*, id est: Nam & in ipsa Ecclesia Sacerdos particulam tradit, & illam apprehendit qui percipit, cum omni libera potestate, & sic manu sua eam ori ingerit. Ex S. Augustino lib. 2. adversus litteras Petiliani cap. 23. *Cui pacis osculum inter Sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis, cui vicissim danti porrigebatis.* Ex Codino libro de officiis Constantinopolis: *ὁ δὲ πατριάρχης μετὰ κοινωνῆσαι τοῦ τιμίου σώματος, δίδωσι τῷ βασιλεῖ εἰς χεῖρας μερίδα τοῦ δεσποτικοῦ σώματος*, id est: Patriarcha postquam communicavit, dat Imperatori in manus particulam Dominici corporis.

Modum accipiendi tradit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica: E *Accedens autem ad communionem non expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis; ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιῶν τῇ δεξιᾷ ὡς μελλούσῃ βασιλέα ὑποδέχεσθαι, καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ*, id est: Sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dexteræ, quæ Regem susceptura est, & concava manu suscipe corpus Christi. Mulieres non nuda manu, sed supposito linteo accipiebant. Sanctus Augustinus serm. 25. *Omnes mulieres exhibent nitida linteamina, ubi corpus Christi accipiunt.* Quod quidem corpus Christi, aut statim ori inferebant; aut domum, ibi communicaturi, deferebant, ut planum est ex Tertulliano lib. de oratione sub finem: *Accepto corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii & executio officii.* Sanctus Basilius Epist. citata dicit morem communicandi in suis ædibus viguisse tantum tem-

pore perſecutionis paganicæ; & ſua ætate uſitatum fuiſſe in monaſteriis, & Alexandriæ, & in Ægypto. Qui mos tamen perſeverabat Seleuciæ circa annum Chriſti 550. ut conſtat ex Johanne Moſcho cap. 79. Limonarii, ubi narratur de quodam ſervo qui feria 5. in cœna Domini, cum ſumtam Euchariſtiam in Eccleſia in armario domus heri ſui incluſiſſet, ea viſa eſt in viridantes ſpicas commutata. Romæ etiam uſitatus erat S. Hieronymi tempore, ut palam eſt ex ejus Apologia ad Pammachium: *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo: unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundet: ſed ipſorum conſcientiam convenio: qui eodem die poſt coitum communicant, & juxta Perſium*

Perſius ſat. 5.

———Noctem flumine purgant,

Quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Eccleſias? an alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt: quod in Eccleſia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clauſum eſt, & tenebræ quoque lucent apud eum. Et ſane fuit hæc Romanorum conſuetudo, ut nocturno concubitu ſeu * illicito polluti, craſtina die Eccleſiam non adirent, eo quod eos divina maneret ultio, ut videre eſt apud ſanctum Gregorium lib. 1. Dialog. cap. 10.

* Legendum etiam *licito*, ut patet ex duplici Hieronymi, & Gregorii teſtimonio.

Notandum ſecundo in hac Illyrici Miſſa non dari tantum Sanguinem Preſbyteris, & Diaconis, ſed corpori Chriſti commixtum.

Nota 1043. COOPERANTE SANCTORUM.

Locus corruptus, lege: *Cooperante Spiritu ſancto.*

Nota 1044. DOMINE, SANCTE PATER, &c.

In Miſſa Illyrici ſupra: *Alia ad utrumque:* Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi corpus & ſanguinem Filii tui ita ſumere, &c. *Cum ſanguis ſumitur:* Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat me in vitam æternam.

Nota 1045. DEINDE CUM COEPERIT COMMUNICARE CLERUM ET POPULUM, DICAT SINGULIS: PERCEPTIO, &c.

In Miſſa Illyrici: *Populo communicando dicat:* Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi in remiſſionem omnium peccatorum, & in vitam æternam. Amen. *Deinde dum communicant, dicat:* Ignoſce, Domine, quod rogare compellor, &c. Hæc Apologia habetur ſupra inter alias Apologias codicis S. Eligii: quam tum recitat Sacerdos dum clerus & populus communicant, id eſt comedunt id quod ſibi a Sacerdote in os immiſſum eſt. Non enim potuiſſet Sacerdos hanc orationem, ſeu Apologiam recitare, ſimulque ſingulis dicere, *Corpus & Sanguis*, &c. Sequitur: *Poſt perceptam communionem:* Quod ore ſumſimus, mente capiamus, &c. In Miſſali Romano dicitur, *pura mente*, &c. In Miſſa Illyrici ſequitur. *Oratio:* Obſecro te, piiſſime omnium auxiliator &c. *Alia:* Conſervent nos, Domine, munera tua, & æternam vitam tribuant nobis. Per. *Alia:* Cuſtodi intra nos, Domine, gloriæ tuæ munus: ut adverſus omnia præſentis & futuri ſeculi mala, Euchariſtiæ, quam percepimus, viribus & virtute muniamur. Qui vivis. *Alia:* Præſta, Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, ut qui corpus & ſanguinem proprium, pro nobis indignis datum edimus & bibimus, fiat nobis ad ſalutem, & ad redemtionis remedium ſempiternum omnium criminum noſtrorum. Per.

Nota 1046. PERCEPTIO CORPORIS DOMINI, &c.

Formula eſt dandæ communionis, quæ varia fuit pro ratione temporum. Tempore S. Gregorii I. hæc erat uſitata, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam*, ut videre eſt apud Johannem Diaconum lib. 2. de vita S. Gregorii cap. 41. *Cui poſt myſteria traditurus cum diceret, Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam.* Apud Alcuinum cap. de Sabbato ſancto hæc reperitur: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam, amen*, ut in codice mſ. monaſterii S. Remigii, in ordine de viſitatione infirmorum. In codice Ratoldi, ubi agitur de viſitatione infirmorum hanc reperire eſt: *Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam te perducat, & in die judicii ad ſanctam requiem te reſuſcitet.* In codice Tiliano, in ordine de viſitatione infirmorum hæc habetur: *Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, amen.* Quæ eſt noſtra vulgaris, ſi demſeris τὸ *& ſanguis*. Alia fuit olim in Gallia tempore Roberti Regis, videlicet: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ & corporis*, ut manifeſtum eſt ex Helgaldo in ejus vita: *Præſuli cuidam de Domino non bene ſentienti, & quærenti pro quibuſdam cauſis probationem in corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti, indigne tulit Rex amator bonitatis. Cum ſit tibi lumen ſcientiæ, & luceat in te lumen ſapientiæ, miror qua ratione quæſieris pro tuis nequiſſimis imperiis, & pro infeſtato Dei odio, quod erga Dei ſervos habes, examinationem in corpore & ſanguine Domini; & cum hoc ſit quod a dante Sacerdote dicitur*, Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ & corporis, *cur tu temerario ore & polluto dicas, ſi dignus es, accipe.*

Sed apud antiquos Patres non erant uſitatæ ejuſmodi formulæ; ſed Sacerdos porrigens Euchariſtiam dicebat, *Corpus Chriſti*, & accipiens reſpondebat, *Amen*, ut clarum eſt ſancto Ambroſio lib. 4. de Sacramentis cap. 5. *Ergo non otioſe cum accipis, tu dicis, amen. Dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti; & tu dicis, amen: hoc eſt, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* S. Auguſtino ſerm. ad infantes de Sacram. *Vos eſtis corpus Chriſti & membra: myſterium veſtrum in menſa Domini poſitum eſt: myſterium Domini accipitis. Ad id quod eſtis, amen, reſpondetis, & reſpondendo ſubſcribitis. Audis ergo, Corpus Chriſti; & reſpondes, amen.* Ex lib. 8. Conſtitutionum apoſtolicarum cap. 13. *Atque Epiſcopus tribuat oblationem, dicens:* σῶμα Χριστοῦ· καὶ ὁ δεχόμενος λεγέτω, ἀμήν, id eſt, *Corpus Chriſti, & accipiens dicat, Amen. Diaconus vero teneat calicem, & tribuat dicens:* αἷμα Χριστοῦ ποτήριον ζωῆς, ὁ δὲ πίνων λεγέτω, ἀμήν, id eſt, *Sanguis Chriſti poculum ſalutis, & bibens dicat, Amen.* Cyrillo Hieroſolymitano Catech. 5. Myſtag. καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην δέχου τὸ σῶμα Χριστοῦ ἐπιλέγων, ἀμήν, id eſt, Et concava manu ſuſcipe corpus Chriſti ſubjungens, amen. Id etiam videre eſt in Epiſtola Cornelii Papæ ad Fabium Epiſcopum Antiochenum Pontificem de Novato Schiſmatico apud Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 35. Etenim Novatus, ut ibi narratur, cum ſuis Euchariſtiam porrigeret, ab eis per Sacramentum exigere ſolebat, quod numquam ab ſe deficerent, neque ad partes Cornelii tranſirent: καὶ ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν λαμβάνοντα τὸν ἄρτον ἐκεῖνον, τὸ ἀμήν, οὐκ ἔτι ἀνήξω πρὸς Κορνήλιον, λέγει, id eſt, Et qui illum panem accipit, pro, amen, quod dicere debet, hoc dicit, non deinceps ad Cornelium revertar.

Nota 1047. FINITA MISSA, &c.

In Miſſa Illyrici: *Poſtquam Diaconus dixit*, Ite Miſſa eſt: *Veniat Sacerdos ante altare, & eo oſculando dicat:* Placeat tibi ſancta Trinitas, &c. ubi habetur etiam, *ſit tibi placens*, pro, *tibi ſit acceptabile.*

Nota 1048. ALIA ORATIO, MERITIS, &c.

In Miſſa Illyrici: *Finita Miſſa accedat ad altare, dicat:* Meritis & interceſſionibus beatæ Mariæ ſemper Virginis, & iſtorum, atque omnium Sanctorum miſereatur noſtri omnipotens Deus, qui vivit & regnat.

Nota 1049. EXPLETIS OMNIBUS EPISCOPUS, &c.

In Miſſa Illyrici: *Expletis omnibus Epiſcopus de altari ad ſacrarium rediens cum Diaconibus, & ceteris quibus voluerit, cantet hymnum trium puerorum:* Benedicite omnia opera. Laudate Dominum omnes gentes. Laudate Dominum in Sanctis ejus.

Nota 1050. POSTEA PRECES, CONFITEANTUR &c.

In

In Missa Illyrici, *& preces*: Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. Exultabunt justi in glaria. Exultent justi. Non nobis, Domine, non nobis. Sacerdotes tui induantur justitia. Non intres in judicium cum servis tuis, Domine. Domine Deus virtutum, &c.

Nota 1051. Deinde oratio, Deus qui tribus pueris, &c.

In Missa Illyrici, *sequitur oratio*: Deus, quem omnia opera benedicunt, &c. *Alia*: Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius per intercessionem eorum, & merita omnium Sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum atque tormentorum. Per. *Alia*: Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, &c.

Et hæc quæ notanda erant de Missa Tiliana, deque illius collatione cum Missa Illyrici; ex qua patet, si plures Apologias exceperis & paucos quosdam ritus, Missam Tilianam Illyricianæ Missæ esse quam simillimam.

Nota 1052. Maurilio venerabili, &c.

Sanctus Maurilius Rothomagensis Archiepiscopus Remis ortus est, Leodii operam litteris navavit, Florentiæ in Italia Deo sub Regula S. Benedicti militavit, & invidia quorumdam Monachorum, qui ejus sanctimoniam æquo animo ferre non poterant, in Normaniam, ut eorum insidias fugeret, secessit; ubi a monachis Fiscanensibus in fratrem receptus est, & tandem Archiepiscopus Rothomagensis ordinatas est: obiitque anno Christi 1067. De eo agunt Guillelmus Gemmeticensis lib. 7. hist. Norm. cap. 26. & 36. Ordericus Vitalis lib. 4. & 5. hist. Eccl. & Guillelmus Malmesburiensis lib. 5. de gestis Regum Angliæ.

Nota 1053. Johannes Abrincatensis.

Hic Johannes Abrincatensis Episcopus, postea Rothomagensis, filius fuit Radulphi Comitis Bajocensium fratris uterini Richardi Senioris ducis Normanorum: *Vir ingenuitate plurimum conspicuus, sapientia spirituali feliciter imbutus, prudentia seculari summe præditus*, inquit Guillelmus Gemmeticensis. Primo fuit Episcopus Abrincatensis, dein. de defuncto S. Maurilio, Archiepiscopus Rothomagensis, cum sedem Abrincatensem rexisset septem annis, & tribus mensibus. Præfuit Concilio Rothomagensi, quod anno Domini 1072. in eadem urbe celebravit: obiit anno Domini 1079. De eo agunt Guillelmus Gemmeticensis lib. 7. cap. 38. & 44. hist. Norm. & Ordericus Vitalis lib. 3. 4. & 5. hist. Eccl.

Nota 1054. In vestiario.

Vestiarium locus est vestimentis recondendis idoneus. Sed proprie in quo custodiuntur Regis seu Imperatoris vestimenta. Manuel Moschopulus lib. de schedis, *βέστα παρὰ Ῥωμαίοις τὰ ἱμάτια ἐξ οὗ τὸ βεστιάριον κυρίως, ἐν ᾧ τὰ βασιλικὰ ἐνδύματα φυλάσσεται*, id est, Vestes apud Romanos sunt indumenta, ex quod vestiarium proprie, in quo regiæ vestes servantur. At hoc loco vestiarium est sacrarium seu secretarium, in quo non solum vasa sacra, sed etiam sacræ Ecclesiæ vestes reconduntur. Ita in restitutione Ebbonis Archiepiscopi Remensis: *Ductus est etiam sæpe dictus Ebbo Episcopus in vestiarium & indutus Episcopalibus vestimentis; similiter & alii Episcopi processerant cum eo ad celebrationem Missæ*. Quemadmodum olim in vestiario non solum Imperatoris vestes, sed etiam vasa aurea & argentea, quæ dabantur in Missis, custodiebantur, ut clarum est ex Codino lib. de officiis Aulæ.

Nota 1055. Diaconum et Subdiaconum osculetur Sacerdos.

Id videre est supra in Missis Tiliana & Illyrici.

Nota 1056. Surgens.

Nempe Sacerdos.

Nota 1057. Sacerdoti medium altaris deosculanti.

Osculum altaris videtur in Missa Illyrici.

Nota 1058. Sessio episcopi juxta decreta Urbani Papæ, &c.

Vide supra, in observationibus.

Nota 1059. Ceroferarii vero, &c.

Ex hoc colligitur alios præsto fuisse Ceroferarios, quia in processione Episcopi ad altare unus dumtaxat præibat Ceroferarius.

Nota 1060. Sicque præcedentibus Ceroferario, &c.

Hic unicus extat Ceroferarius qui præeat Evangelio, tamen paulo post dicitur, *candelabra extinguantur*. Quare aut legendum est *τὸ Ceroferarius*, aut *τὸ candelabrum extinguatur*. Ex antiquo Ecclesiæ instituto accenduntur luminaria ad lectionem Evangelii in Missa. Idque testatur de Orientali Ecclesia S. Hieronymus lib. 2. contra Vigilantium: *Nam & absque Martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum*. Hujus ritus meminit Alcuinus de divinis Officiis cap. Quid significent vestimenta.

Nota 1061. Offerenda.

Est illa Antiphona, quam vulgo Offertorium dicimus. Ita sumit Alcuinus cap. citato.

Nota 1062. Versus sequatur.

Supra in Missa pro infirmo post visitationem infirmorum codicis ms. monasterii S. Remigii duo versus sequuntur Offertorium. Quo spectat illud Alcuini lib. de divinis Officiis cap. de celebratione Missæ: *Sequitur deinde Offerenda, quæ inde hoc nomen accepit, quod tunc populus sua munera offerat. Sequuntur Versus a vertendo dicti, quod in Offerenda revertantur, dum repetitur Offerenda.*

Nota 1063. Aqua mixta vino populus adunatur Christo.

Ex S. Cypriano Epist. 63. *Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur; & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & conjungitur.*

Nota 1064. Sacerdos oblationem ita componat, &c.

Ita Ivo Carnotensis Epist. 233. *Hostia quoque quæ juxta calicem consignatur, sic debet esse posita, ut sua & calicis positione dextrum Christi latus repræsentet, de quo manavit sanguis redemtionis, & aqua baptismatis.*

Nota 1065. Tunc coram altari inclinatus Sacerdos solus, &c.

Dicendo unam ex Apologiis. In Missa Illyrici habetur hæc Apologia, seu oratio: *Domine Jesu Christe, fides & fiducia nostra*, &c. Sed dicitur a Sacerdote, postquam populum de oratione monuit.

Nota 1066. Oblata quatuor partes calicis tangat, &c.

Ivo Carnotensis epist. citata: *Cum vero cum Hostia jam consecrata intra vel supra calicem signum crucis imprimitur a latere calicis Orientali usque ad Occidentalem, & a Septentrionali usque ad Australem, hoc figurari intelligimus, quod ante passionem Dominus Discipulis suis prædixit*: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

Nota 1067. Item Oratione finita.

Ita in aliis Ordinibus, ut supra notatum est in Missa Ratoldi his verbis *per ipsum & cum ipso*, &c. a Pontifice pronuntiatis.

Nota 1068. Uterque calicem levant,

Levatur calix a Sacerdote & Diacono simul & deponitur. Verum non solus calix, sed etiam Hostia, in patena calici superposita videlicet, ut planum est ex Ivo Carnotensi epist. citata: *Cum autem panis & calix adhibito Diacono elevatur, exaltatio Christi corporis in cruce commemoratur*. Et infra: *At cum cooperante Diacono calix deponitur, & Hostia in suo loco reponitur*, &c. in Missa Ratoldi, & Ordinibus Rom. supra citatis hæc exaltatio fit a solo Diacono, seu Archidiacono. At in Ordine secundo levatur a Pontifice & Diacono.

Nota 1069. Per Diaconum, Joseph exprimitur, &c.

Hæc ita breviter exprimit Ivo Carnotensis epist. supra citata: *Hoc commemoratur quod Joseph & Nicodemus, accepta licentia a Pilato, corpus Christi de cruce deposuerunt, & venerabiliter sepulturæ mandarunt.*

Nota 1070. OFFICIUM CONSECRATIONIS PERFICIAT.

Consecratio hoc loco non sumitur pro consecratione oblatarum (hoc est panis & vini) jam enim consecratæ sunt, sed pro ipso mysterio Liturgico, quod perficiendum est per confractionem, commixtionem, & communionem; & ita sumitur vocabulum paulo post repetitum.

Nota 1071. QUI MANTILI INDUTUS TENUERAT.

Locus corruptus, deesse videtur τὸ *patenam*, ut ea sequentibus manifestum est.

Nota 1072. FIAT COMMIXTIO.

Deest τὸ *consecratio*, ut in Missis Ratoldi, & Tiliana.

Nota 1073. VIATICUM.

Pro ægrotis periclitantibus, ut ex sequentibus clarum est; *Tertiam quæ remanet in altari vocat sancta Ecclesia Viaticum morientis.*

Nota 1074. JUXTA DIFFINITIONEM CONCILII TOLETANI.

Puto hic esse lapsum memoriæ; nam id in aliquo Concilio Toletano me legisse numquam memini. Prohibitio extat in Concilio Bracarensi 3. ut supra notavi.

Nota 1075. EXCEPTO POPULO, QUEM INTINCTO PANE, &c.

Hoc intelligitur in Missa solemni, quæ olim illis temporibus fere unica celebrabatur, & tum propter multitudinem populi communicantis cum periculum esset ne sanguis Christi effunderetur, corpus sanguini intinctum, non separatum a sanguine dabatur. Dicitur id necessitate fieri, non auctoritate: quia nullum antea Concilium id permiserat tali occurrente necessitate. Et Concilium Claromontanum, quod juxta exemplar Antonii Augustini hoc permittere videtur, nondum celebratum erat: quia hic Johannes Abrincatensis Episcopus obiit anno Christi 1079. & Concilium Claromontanum celebratum est anno Christi 1095.

Nota 1076. POSTREMO VERO PARTICULAM, QUÆ IN CALICE REMANSIT, &c.

Sensus est ut populo communicato Sacerdos particulam, quam in calicem miserat, sumat; non tamen integram, ut reliquam partem Diaconus & Subdiaconus inter se dividentes sumant.

Nota 1077. AD REGEM CONSECRANDUM, SIVE AD BENEDICENDUM.

Ea fuit antiqua pietas Imperatorum & Regum Christianorum, ut imperium seu regnum inituri, id auspicato facerent; cum se a sacris Pontificibus sacro & solemni ritu palam in Ecclesia benedici & coronari voluerunt. Primus ex Imperatoribus qui sacro & solemni ritu a Pontifice inauguratus est, fuit Theodosius Junior Imperatorum Constantinopolitanorum optimus ac sanctissimus, qui a Proclo Patriarcha Constantinopolitano coronatus est, ut testatur Theodorus Ecloga 2. sub finem, ἐστέφθη ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Πατριάρχου, id est, coronatus ab illo Patriarcha. Nam supra illius ætatem nihil simile de Imperatoribus Christianis legitur, ut arbitror. Justinus minor coronatus est ab Eutychio Patriarcha, ut scribit Theophanes lib. 16. anno ab incarnatione Domini DLVIII. De hac coronatione scribit Corippus lib. 2. de ejusdem Justini laudibus:

Postquam cuncta videt ritu perfecta priorum,
Pontificem summus plenaque ætate venustus
Astantem benedixit eum, cœlique potentem
Exorans Dominum, sacro diademate jussit
Augustum sancire caput, summoque coronam
Imponens capiti feliciter * * * *

Qui tamen antea prisco ritu in clypeo sublevatus fuerat, ut canit supra eodem libro Corippus:

Quatuor ingentem clypeis sublimior orbem
Attollunt lecti juvenes, manibusque levatus
Ipse ministrorum supra stetit, ut sua rectas
Littera, quæ signo stabili non flectitur umquam
Nominibus sacrata tribus, qui viribus æquis
Imperium tenere suum ——

Ubi per litteram intelligit, J. quæ est prima nominis Justini littera, estque nominibus sacrata tribus nempe Justino majori, Justiniano, & Justino minori. Et hæc de Justini minoris coronatione. Post eum Tiberius Imperator fuit etiam coronatus ab Eutychio Patriarcha, ut docet supra citatus Theophanes lib. 17. anno Incarnationis Domini DLXXI. Sic Mauricius Imperator, & uxor ejus Augusta die nuptiarum coronati sunt a Johanne Patriarcha Constantinopolitano, ut scribit Theophylactus Simocatta lib. 1. hist. cap. 10. ὃς ταῖς κεφαλαῖς τῶν βασιλέων τοὺς στεφάνους καθίδρυσε, id est, Capitibusque Regis & Reginæ coronas imponit. Heraclius Imperator coronatus est a Sergio Patriarcha in oratorio S. Stephani in palatio sito. Coronata est eodem die Eudocia sponsa ejus in Augustam, & accepit uterque a Sergio Patriarcha nuptiarum coronas: & uno eodemque die Imperator simul & sponsus ostenditur, inquit Theophanes lib 18. anno ab Incarnatione Domini DCII. & infra. Tertio anno Imperii Heraclii coronata est Epiphania filia Heraclii a Sergio Patriarcha in oratorio palatii. Eodem vero anno prima indictione coronatus est Heraclius junior filius Heraclii, qui & Constantius, a prædicto Patriarcha: & sic deinceps alii multi, quos imitati sunt Christiani Reges; sed maxime Francorum Reges, primusque eorum Clodovæus, ut clarum est ex testamento S. Remigii apud Flodoardum lib. 1. hist. Ecclesiæ Remensis, cap. 18. Ivo Carnotensis Epist. 70. scribit post Clodovæum nepotes ejus Charibertum, & Gumtrannum ab Episcopis suarum provinciarum sacratos fuisse.

Nota 1078. A VOBIS PERDONARI PETIMUS, &c.

Ita in Ordine ms. S. Germani a Patris prope Lutetiam Parisiorum; habeturque in coronatione Ludovici secundi inter capitula Caroli Calvi, sed fusius. Ita etiam in coronatione Henrici IV. dicti Magni, Francorum Regis, descripta a reverentissimo Nicolao Thuano Episcopo Carnotensi, qui eumdem Henricum Carnoti in Regem unxit. *Perdonari* est concedi. Cum autem hic dicimus coronationem Henrici IV. descriptam fuisse a Nicolao Thuano Episcopo Carnotensi, non intelligimus formulas, orationes consecrationis, & similia fuisse ab eo composita, quas ille sumsit ex antiquo aliquo codice ms. sed ab eo compositum fuisse libellum omnes ritus, qui in coronatione præfati Regis observari sunt, continentem.

Nota 1079. PER RECTUM.

Rectum est rectitudo regni, quæ habetur infra in fine consecrationis.

Nota 1080. RESPONSIO REGIS: PROMITTO VOBIS ET PERDONO, &c.

Ita in Ordine ms. Monasterii S. Germani a Pratis, & in præfata coronatione Henrici IV. In coronatione Ludovici secundi, quam inter capitula Caroli Calvi Imperatoris reperire est, fusior habetur. In Ordine Romano Rex facit fidei professionem: similiter Imperator Constantinopolitanus apud Codinum in libro de officiis Aulæ Constantinopolitanæ.

Nota 1081. DEINDE ALLOQUANTUR DUO EPISCOPI POPULUM IN ECCLESIA, INQUIRENTES, &c.

Hanc locutionem Episcoporum ad populum in Ecclesia, qui de ejus consensu quærunt, videre est in Ordinibus Rom. & S. Germani a Pratis, in consecratione secunda Caroli Calvi, quæ Metis celebrata est, & in coronatione Henrici II. & Henrici IV. Regum Francorum.

Hæc

Hæc allocutio Episcoporum ad populum extat etiam in coronatione Hermitrudis conjugis Caroli Celvi in ejusdem Caroli capitulis sub finem, sed sub alia formula. Idem consensus reperitur apud Petrum Demiani serm. 1. de dedicatione: *Prius autem quam imperatoriis cultibus vestiatur, requiritur super eo cleri voluntas & populi.*

Nota 1082. AGANT DEO GRATIAS.

Ita Hincmarus sub finem allocutionis ad populum in secunda coronatione Caroli Calvi in ejusdem capitulis, cap. 35. *Non incongruum videtur istis venerabilibus Episcopis, si vestræ communitati placet, ut in obedientia regni, unde vos ad illum sponte convenistis, sacerdotali ministerio ante hoc altare coronetur, & sacra unctione Deo consecretur. Quod si vobis placet, propriis vocibus consonate. Et in hoc clamantibus omnibus, dixit idem Episcopus: Agamus ergo unanimiter Deo gratias, decantantes: Te Deum laudamus.*

Nota 1083. DECANTANTES, TE DEUM LAUDAMUS.

Nota morem decantandi hymni, *Te Deum laudamus*, in publicis gratiarum actionibus. In coronatione Ceroli Calvi supra citata: *Agamus ergo unanimiter Deo gratias, decantantes, Te Deum laudamus.* In vita Ludovici pii, cum receptus est Stephanus Papa Remis ab eodem Ludovico Imperatore: *Ultimus Imperator miliario processit a monasterio S. Confessoris Remigii, & tamquam Petri vicarium honestissime suscepit, descendentemque ex equo excepit, & in Ecclesiam intrantem manu propria sustentavit: præcinentibus pro tanta exultatione variis Ecclesiæ ordinibus, Te Deum laudamus.* Et in restitutione Ebbonis Archiepiscopi Remensis: *His ita peractis, iterum reboantibus signis, & vociferante omni Ecclesia, Te Deum laudamus, ductus est sæpe dictus Ebbo Episcopus in vestiarium.* Olim loco hujus hymni in gratiarum actionibus canebatur hymnus: *Gloria in excelsis Deo.* Sanctus Johan. Chrysostomus homil. 3. in cap. 1. ad Coloss. ἡμεῖς ταῦτα εὐχαριστοῦντες λέγομεν, δόξα σοι ὁ Θεός, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Victor Uticensis sub finem lib. 3. in passione sanctorum Martyrum, qui Carthagine sub Hunnerico Rege passi sunt VI. nonas Julii: *Procedebant itaque cum fiducia ad supplicium quasi ad epulas concurrentes voce per ambitus platearum Domino decantantes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 63. de inventione corporis S. Mallosi Martyris: *At ille cum fodisset quasi septem pedes, attigit nares ejus odor immensi aromatis, & ait: Credo in Christo, quod ostendit mihi Martyrem suum quando me hæc suavitas circumdedit. Et fodiens reperit corpus illæsum, & emittens voce magna, Gloria in excelsis Deo, omnem clerum pariter psallere fecit. Dictoque hymno, corpus sanctum in basilicam transtulit.* Anastasius Bibliothecarius in Leone III. agens de occursu ejusdem Pontificis & Caroli Magni, *& pariter se amplectentes cum lacrymis se osculati sunt. Et prædicto Pontifice* Gloria in excelsis Deo *inchoante, & cuncto clero suscipiente, oratio super cuncto populo data est.* Alcuinus Epist. 71. ad fratres in provincia Gothorum: *Et cantante Deo vestro in concordia pacis, & unanimitate caritatis perpetuæ canticum laudis, & cum militia cœlesti laudate Deum, & dicite: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Huic hymno successit hymnus, *Te Deum laudamus*, ut notum est ex auctoribus supra citatis: qui tamen in quibusdem Galliæ locis videtur fuisse usitatus in solemni gratiarum actione tempore Pipini Ducis, qui postea Francorum Rex creatus fuit: nam in translatione corporis S. Germani Parisiorum Pontificis, quæ sub hujus Pipini ducatu contigit, hic hymnus in gratiarum actionem solemniter est decantatus, ut palam est ex narratione hujus translationis quam profert Surius Julii 25. si tamen auctor hujus narrationis in omnibus sapit. Hoc institutum vulgo refertur ad SS. Ambrosium & Augustinum qui in ejusdem S. Augustini baptismo hunc hymnum ex tempore ediderint & decantaverint: proferturque hujus opinionis auctor & assertor S. Dacius Episcopus Mediolanensis in Chronico, qui floruit tempore Justiniani Imperatoris, cujusque meminit S. Gregorius lib. 3. dial. cap. 4. Sed quidquid sit de veritate hujus historiæ, certum est hoc Chronicon non esse hujus Dacii, quia probari non potest ullum Chronicon ab eo scriptum fuisse, nedum citatum, tum quia non redolet stilum temporum illorum, tum quia falsum est quod ibi continetur, quod S. Augustinus *Audiens sanctum Ambrosium de incarnatione ad populum tractantem & prædicantem, tremens ac pallens, omnibus qui aderant videntibus, obriguerit: ac etiam finita monitione, quam ad populum B. Ambrosius populo ministrabat, primus ad eum Augustinus pervenerit*, &c. Advertatur enim S. Augustini, & Possidii scriptis, nec potuit in mentem viri alicujus eruditi ac sapientis viri, qualis fuit hic Dacius, venire. Quare ante S. Benedictum, & Teridium S. Cæsarii Arelatensis Episcopi Discipulum, qui de hoc hymno in suis regulis loquenti sunt, nullus veterum illius mentionem fecit.

Myraus de Conoaicis regul. cap.

Nota 1084. INVOCATIO SUPER REGEM, TE INVOCAMUS, DOMINE, &c.

In coronatione Caroli Calvi quæ Metis facta est ante altare S. Stephani, septem Episcopi singuli singulas benedictiones, seu invocationes super Regem fundunt ante ipsam unctionem. In Ordine Romano, cum ordinatur Imperator, tres funduntur orationes, prima ab Episcopo Albanensi, secunda ab Episcopo Portuensi, tertia ab Episcopo Ostiensi, dum ei brachium sinistrum ungit, atque inter scapulas. In coronatione Imperatoris Constantinopolitani apud Georgium Codinum libro de officiis Aulæ, solus Patriarcha Constantinopolitanus preces ante unctionem legit partim clara partim submissa voce. Hæc autem invocatio super Regem extat in officio ad ducem constituendum, quod vir doctissimus Andreas du Chesne ad calcem Normanicorum edidit.

Nota 1085. UT SUMMI REGIMINIS SOLIUM.

In officio ad constituendum ducem legitur, *ut suum ducatus solium*, legendum putarem, *summi*, pro, *suum*.

Nota 1086. DEUS QUI POPULIS TUIS, &c.

Hæc oratio extat in coronatione Ludovici II & Caroli Calvi, una aut altera linea, quam hic contractior. Extat etiam in prædicto officio.

Nota 1087. IPSIUS TEMPORIBUS.

In dicto officio deest *τὸ temporibus*, male.

Nota 1088. SEIPSUM SEDULUS DISCAT.

Id est, quemvis in altissima potestatis arce collocatus, tamen memor sit conditionis humanæ, quantis adversis obnoxia sit regia sublimitas. Est enim regni [illegible], id est, facies blanda juxta Euripidem in Ione, & Senecam in Oedipo, quæ regem facile decipiat, qui se bene non noverit.

Nota 1089. CONSECRATIO REGIS. OMNIPOTENS SEMPITERNE DEUS.

Hæc oratio extat in consecratione Henrici IV. Francorum Regis, & in coronatione Ludovici II. sed multo contractior, inscribiturque, *sacri olei infusio*. Recte quidem: nam hæc oratio dicitur, quando Rex inungitur. Habetur etiam in Ordine Romano, usque ad hæc verba, *virtutibus, nec non quibus*, quibusdam vocabulis subinde mutatis. Extat etiam in Pontificali Romano, sed multo contractior: neque recitatur ibi in olei infusione, neque etiam in Ordine Romano.

Nota 1090. IN REGNUM N. ALBIONIS TOTIUS.

Et paulo post: *Et totius Albionis Ecclesiam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriat & doceat*, &c. Quæ quidem verba satis manifestant aliquem Francorum Regem id temporis in Anglorum Regem unctum fuisse: quod tamen est difficile scitu, cum nihil tale in historicis antiquis cum Francorum, tum Anglorum repereris, per quos huic difficultati lucem afferre quis possit. Nemini autem dubium est quin Albion, cujus hic men-

mentio eft, fit Britanniæ major. Id teftantur veteres omnes recentiorefque Geographi. Quod fpectat ad formulam confecrationis, credibile eft primo eum qui fub hac formula fuit inauguratus prius fuiffe regni Francorum honore decoratum, his verbis: *Et totius Albionis Ecclefiam deinceps cum plebibus fibi annexis ita enutriat, ac doceat; muniat, & inftruat; contra omnes vifibiles & invifibiles hoftes idem potenter regaliterque tuæ virtutis regimine ammiaiftret: ut regale folium, videlicet Francorum fceptra, non deferat; fed ad priftinæ fidei pacifque concordiam eorum animos te opitulante reformet.* Quis fuerit autem ex Regibus Francorum fub hac formula in Regem Anglorum unctus, dicere obfcurum eft. a Ex hoc tamen apparet antiquum jus Regibus Francorum in regnum Angliæ fuiffe. Quod etiam videtur in coronatione Henrici IV. Francorum Regis. Nam in fupra citata formula hæc videre eft: *Ut regale folium videlicet Saxonum, Merciorum, Nordanimbrorum fceptra non deferat*, &c. Confirmatur ex Ordine ml. Monafterii S. Germani a Pratis, in coronatione Regis Francorum, in quo hæc eadem verba reperire eft. Saxones autem Anglos appellari, Mercios vero & Nordanimbros effe populos Angliæ lippis & tonforibus notum eft. In eadem confecratione littera N. videtur tranfpofita, & referenda in hunc modum ad hæc verba, *hunc famulum tuum* N. ut ponatur proprii nominis loco, ut ufa venire folet.

Nota 1091. UT REGALE SOLIUM, VIDELICET FRANCORUM SCEPTRA, NON DESERAT.

Hæc verba, ut jam fupra notatum eft, fupponant eum, qui fub hac formula in Regem Albionis ungitur, in Regem Francorum fuiffe prius evectum.

Nota 1092. HIC UNGATUR OLEO.

Hoc vocabulum *in oleo*, non de fimplici ac vulgari oleo, fed de facro, quod Epifcopali benedictione confecratum fit, intelligendum eft, quo olim Reges ungi folebant. Unde in coronatione Ludovici II. fupra citata huic orationi feu confecrationi hæc verba præfiguntur; *facri olei infufio*. Item videre eft in Ordine Romano, in ordinatione tum Regis, tum Imperatoris, & apud Petrum Damiani ferm. 1. de Ecclefiæ dedicatione: *Et tunc exuitur veftimentis fuis, & oleo fanctificationis afpergitur, ut typico rore perfufus cæleftis unguenti plenitudine glorietur.* Nam oleum fanctificationis juxta idiotifmum Hebraicum eft oleum fanctificatum. Unde optime ab Eginhardo in annalibus ad annum DCCL. hæc unctio facra dicitur: *Hoc anno fecundum Romani Pontificis fanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus eft, & ad hujus dignitatem honoris unctus facra unctione manu fanctæ memoriæ Bonifacii & Martyris.* Imo & Chrifmate facro unctos fuiffe Reges Francorum certum eft, ut habetur in teftamento S. Remigii apud Flodoardum lib. 1. hift. Remenfis Ecclefiæ cap. 18. *Generi tantummodo regio, quod ad honorem fanctæ Ecclefiæ & defenfionem pauperum una cum fratribus meis, & Epifcopis omnibus Germaniæ, Galliæ, atque Neuftriæ in regiæ majeftatis culmen perpetuo regnaturum ftatuens elegi, baptizavi, a facro fonte fufcepi, donoque feptiformis Spiritus confignavi, & per ejufdem facri Chrifmatis unctionem ordinavi in Regem parcens ftatuo*, &c. Idem videre eft in epiftola fynodi apud Carifiacum miffa ad Ludovicum Germaniæ Regem cap. 15. *Maxime autem nobis neceffe loqui cum illis Archiepifcopis & Epifcopis, qui confenfu & voluntate regni iftius dominum noftrum* (Carolum Calvum) *fratrem veftrum unxerant in Regem facro Chrifmate, traditione divina.* In libello proclamationis Domini Caroli Regis adverfus Vvenilonem Archiepifcopum Senonenfem: *Sed & poft hoc electione fua aliorumque Epifcoporum, & ceterorum fidelium regni voluntate, confenfu, & acclamatione cum Archiepifcopis, & Epifcopi Vvenilo in diœcefi fua apud Aurelianis civitatem in bafilica fanctæ crucis me fecundum traditionem Ecclefiafticam Regem confecravit, & in regni regimine Chrifmate facro perunxit.* In epiftola Artholdi Remorum Archiepifcopi ad Synodum Engilenheimenfem apud Flodoardum lib. 4. hift. Eccl. Rem. cap. 35. *Poftquam Ludovicum Regem favente Hugone, cunctifque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benediximus, & facro perfuderam Chrifmate.* Et in fecunda coronatione Caroli Calvi, cum Metis coronatus eft in regno Lotharii anno Domini DCCCLXIX. ad ifta verba, coronet te Dominus, innuit eam Hincmarus de Chrifmate. Et ita capiendus eft locus cujufdam anonymi de unctione Chrifmatis inter opera S. Cypriani: *Nec tamen ceffantibus his, quæ ritu antiquo inoleverunt, cum in populo Chriftiano circumcifio videretur damnabilis, & facrificia idololatriæ imputarentur, unctionis myfterium religio Chriftiana contemfit; fed ceteris generali Sanctorum confenfu damnatis, non folum in Regibus, & Sacerdotibus unctionis honor permanfit, fed in omnem populum Catholicum effufa eft hujus gratiæ plenitudo.* Nam in hoc fermone agitur de unctione Chrifmatis; & Sacerdotes, id eft Epifcopi in fua ordinatione, & cetera plebs Catholica in Confirmatione Chrifmate inunguntur. Quamobrem facrum oleum e cœlo miffum, unde in Regem unctus eft Clodovæus, primus inter Reges Francorum Chriftianus, & multi fucceflorum ejus Chrifma appellatur. Ita in Capitulis Hincmari Archiepifcopi Remenfis in fecunda coronatione Caroli Calvi: *In vigilia Pafchæ, in Remenfi Metropoli baptizati, & cœlitus fumto Chrifmate, unde adhuc habemus, peruncti, & in Regem facrati.* Ita appellavit Guillelmus Brito lib. 1. Philippidos agens de Philippi Augufti coronatione:

Jamque dies aderat cunctis optata, Novembris
Quæ caput eft menfis, qua cunctis fanctificata
Jamdudum Sanctis, nunc longe fanctior extat,
In qua fceptrifero fulfit redimitus honore
Magnanimus facro Rex delibutus olivo;
Quo Deus angelicis manibus, virtute parato
Divina, noftris conceffit regibus uti;
Ut facrentur eo foli fpecialiter illi,
Qui fucceffive Francorum fceptra capeffunt.
Dignior at vere Rex nofter Rege fit omni,
Quem facrare fuis Remorum Metropolites
Cum compræfulibus habet illo Chrifmate facro,
Hoc ad opus folum quod cœlica fundit oliva.
Hoc, & non alio perfundit membra liquore
Carolidæ noftro Guillelmus præful in urbe
Remenfi, Patrum fervato more facrorum,
Impofuitque facro capiti diadema verendum,
Conveniente fimul cleri populique favore,
Tum fpeciale decus Chrifti dignatio præftat
Nobis, Francorum qui congaudemus honori.
Sic Regem noftrum fibi Rex cœleftis amicat,
Sic fuperexaltat terræ præ Regibus illum,
Quem facit ut folum facra confecret unctio cœli,
Unguine cum reliqui facrentur materiali.

In confecratione Henrici II. Regis Francorum mifcetur liquor ille cœleftis ab Angelo quondam S. Re-

a Forte confecratio hæc in Ludovici IV. cognomento ultra-Marini filii Caroli fimplicis inauguratione fuit adhibita, qui cum ob Ogivam matrem, ex Angliæ Regum ftirpe effet oriundus, in fpem hujus regni vocatus potuit fimul ungi in Regem Angliæ & Francim. Quibus non placebit conjectura hæc, meliorem fuppeditent, doceantque quis ex Galliæ Regibus ante mortem Ratoldi Abbatis qui ann. 919 obiit, potiori jure in Regem Angliæ ungi & confecrari potuerit.

Remigio delatus, sacro Chrismati. Henricus IV. Rex Francorum Carnoti unctus est alio liquore cœlesti, qui quondam S. Martino Turonum Episcopo ab Angelo cœlitus allatus est, cum a Nicolao Thuano Carnotensi Episcopo consecrante liquor ille cœlestis Chrismati sacro admixtus fuisset, ut habetur in sæpius citata illius coronatione. Fuit mos etiam olim apud Græcos ut Imperatores Constantinopolitani non simplici oleo consecrarentur, sed unguento, quod est Chrisma sacrum, ut ex Georgio Codino mox citando patebit. Vulgo Reges non Chrismate, sed oleo inunguntur, ut videre est cap. *cum venisset*, de sacra unctione. Hodie Imperator oleo exorcizato, Rex vero oleo Catechumenorum inunguntur, ut est in Pontificali Romano.

Nota 1093. CUJUS SACRATISSIMA UNCTIO SUPER CAPUT EJUS DEFLUAT.

Ex his verbis patet caput esse partem illam quæ inungi debeat. Olim Imperatori Constantinopolitano in ejus consecratione caput ungebatur in modum crucis, ut testatur Codinus lib. de officiis Aulæ Constantinop. *ὁ δὲ Πατριάρχης χρίει σταυροειδῶς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως τῷ μύρῳ*, id est, Patriarcha ungit ad formam crucis Imperatorem divino unguento. Interea Patriarcha hanc profert *ἅγιος*, id est, sanctus, quam tertio repetunt tam hi qui sunt in ambone, quam cetera multitudo. In secunda coronatione Caroli Calvi quæ Metis celebrata est, inunctus fuit ille ad dextram auriculam, & in fronte usque ad sinistram auriculam, & in capite, ut habetur in Capitulis ejusdem Caroli in hunc modum: *Ad ista verba*, coronet te Dominus, *inunxit eum Hincmarus Archiepiscopus de Chrismate ad dextram auriculam, & in fronte usque ad sinistram auriculam, & in capite.* In Ordine Romano unguntur pectus, scapulæ, brachiorum internodia, & manus. In consecratione Regum Francorum adduntur aliæ duæ unctiones, in vertice, & inter scapulas, ut videre est in consecrationibus Henrici II. & Henrici IV. Constantinus Manasses in Chronica Synopsi scribit Carolum Magnum unctum fuisse a Leone III. a vertice ad pedes usque:

Οὐ μὴν ἀλλὰ χρισάμενος νόμοις Ἰουδαίων,

Κακκεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἐλαίῳ τοῦτον χρίει.

Id est, Verum usus Judæorum legibus, a capite usque ad pedes oleo unxit eum. Idem testatur Theophanes in Chronico: *ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου, χρίσας ἐλαίῳ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν*, id est, Coronavit eum in Regem Romanorum, ungens eum oleo a capite usque ad pedes. Sed in Ordine Romano Imperator Romanorum ungitur in brachio dextro, & inter scapulas dumtaxat. Similis est Principis unctio cap. *cum venisset*, de sacra unctione; *Sed ubi Jesus Nazarenus* (inquit ibidem Innocentius III.) *quem unxit Deus Spiritu sancto, sicut in Actibus Apostolorum legitur, unctus est oleo pietatis præ consortibus suis, qui secundum Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, Principis unctio a capite ad brachium est translata: ut Princeps ex tunc non ungatur in capite, sed in brachio sive humero vel armo, in quibus principatus congrue designatur*, &c. *Ad quod etiam significandum Samuel fecit poni armum ante Saul; cui dedit locum in capite ante eos qui fuerant invitati. In capite vero Pontificis Sacramentalis est delibatio conservata: quia personam capitis in Pontificali officio repræsentat. Differt autem inter Pontificis & Principis unctionem: quia caput Pontificis Chrismate consecratur, brachium vero Principis oleo delinitur; ut ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis & Principis.* Hæc ille: Ubi notanda sunt quæ de humero seu armo dixit. Nam etiam pars illa victimæ apud Ethnicos honorabilior visa est, & quæ maxime Regem decebat. Quare olim Eteocles, & Polynices cum sacrificarent, Oedippo patri armum victimæ tamquam Regi & præstantiori mittere solebant: qui nescio quo casu cum ei aliquando coxam victimæ non armum misissent; ille se ab eis sperni ratus supra modum excandescens diris eos devovit, ut refert Scholiastes Sophoclis in Oedippum Colonæum ex auctore circularis Thebaidos:

Ἰσχίον ὡς ἐνόησε, χαμαὶ βάλεν, εἶπέ τε μῦθον·
Ὤμοι ἐγώ, παῖδές μοι ὀνειδίζοντες ἔπεμψαν.
Εὖκτο Διὶ βασιλῆϊ, καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι
Χερσὶν ὑπ' ἀλλήλων καταβήμεναι Ἄϊδος εἴσω.

Id est, Ut cognovit missam sibi esse coxam, in terram jecit, & dixit: hei misero mihi, pueri me spernentes hoc mihi miserunt. Precatus est Regem Jovem, & ceteros Deos immortales, ut mutuis interfecti gladiis in orcum descenderent. In Pontificali Romano sic etiam ungitur Imperator, sed in modum crucis: Rex vero inter commissuras manus & cubiti, & inter scapulas etiam in modum crucis. Ex quibus clarum est non fuisse semper eumdem ritum.

Nota 1094. DEUS ELECTORUM FORTITUDO, ET HUMILIUM CELSITUDO, &c.

Hæc oratio extat in coronatione Judith filiæ Caroli Calvi, quæ nupsit Edelulpho Anglorum Regi. Habetur ibi instar præfationis, & tantum usque ad hæc verba: *Itaque, quæsumus, omnipotens Pater, per hujus creaturæ pinguedinem*. Cetera dissimilia sunt. Habetur etiam in coronatione Henrici IV. Francorum Regis.

Nota 1095. EUMQUE IN SIMILITUDINE COLUMBÆ, &c.

In supra memorata coronatione Judith hæc leviter, ut subjecto congruant, immutata sunt in hunc modum: *Ut per hujus creaturæ pinguedinem columbæ pace, simplicitate, ac pudicitia decoram efficias.*

Nota 1096. TE ADJUVANTE, &c.

Lege, ut in coronatione Henrici IV. *tuamque benedictionem, te adjuvante, toti plebi.*

Nota 1097. DEUS DEI FILIUS JESUS CHRISTUS, &c.

Hæc oratio extat in coronatione Henrici IV. Desideratur in officio ad constituendum Ducem, & in Ordine Romano.

Nota 1098. HIC DETUR ANNULUS.

Hæc annuli traditio extat in coronatione Henrici II. & Henrici IV. Regum Francorum; atque etiam in Ordine Romano, sed post gladii accinctionem.

Nota 1099. ACCIPE ANNULUM, &c.

Hæc formula extat in officio ad Ducem constituendum, & in coronatione Henrici IV. Francorum Regis. Alia extat in Ordine Romano.

Nota 1100. PERSEVERABILITATI.

Ita in officio ad constituendum Ducem.

Nota 1101. ORATIO POST ANNULUM.

Extat in officio ad constituendum Ducem. Desideratur in Ordine Romano.

Nota 1102. HIC CINGATUR GLADIUS AB ARCHIEPISCOPO.

Accinctio gladii extat in Ordine Romano, in coronatione Henrici II. & Henrici IV. Regum Francorum, & in officio ad Ducem constituendum: videturque in vita Ludovici Pii cum in regnum restituitur in Ecclesia sancti Dionysii: *Sed Dominica quæ in crastinum advenit in Ecclesia S. Dionysii, Episcopali ministerio voluit reconciliari, & per manus Episcoporum armis accingi consensit.* Petrus Damiani serm. supra citato accinctionis gladii nulla mentione facta, ait: *Præfertur & gladius in oculis ejus, ut cognoscat quia vindex est iræ Dei in hoc ipsum constitutus.* Quod convenit coronationibus Henrici II. & Henrici IV. in quibus etiam gladius ante illos præfertur.

Nota 1103. ACCIPE GLADIUM, &c.

In Ordine Romano extat alia formula. In officio ad constituendum Ducem codicis nostri formulæ hæ præmittuntur: N. *Confortare & esto vir, & observa custodias Domini Dei tui*, &c.

Nota

Nota 1104. ORATIO POST GLADIUM.

Extat in officio ad Ducem conſtituendum. Abeſt ab Ordine Romano.

Nota 1105. CHRISTIANISSIMO REGI NOSTRO.

Chriſtianiſſimi appellatio Regum Francorum eſt propria, & ſane antiquiſſima. Ita appellatur Pipinus Rex Francorum ab Anaſtaſio Bibliothecario in Stephano III. *Quo peracto, & eo in venerabili monaſterio eum jam ſacto Chriſtianiſſimo Pipino conſecrato, Domino annuente, poſt aliquot dies idem Chriſtianiſſimus Pipinus Rex ab eodem ſanctiſſimo Papa Chriſti gratia cum duobus filiis ſuis Reges uncti ſunt Francorum.* In Stephano IV. cum agit de Carolo, & Carlomanno: *Dirigentes ſcilicet ipſi Chriſtianiſſimi Reges duodecim Epiſcopos ex eiſdem Francorum regionibus.* Idem videre eſt in capitulis Caroli Calvi, cap. 35. §. 3. *Ut ex cius ore audiamus quod a Chriſtianiſſimo Rege fideli, & unanimi in ſervitio illius populo unicuique in ſuo ordine convenit audire.* In Epiſtola Carlomanni apud palatium Vernis: *Præcipue illa quæ contra malum rapinæ & deprædationis a ſanctis Patribus ſunt promulgata, & a Chriſtianiſſimis Regibus auctoritate confirmata.*

Nota 1106. HIC CORONETUR.

Nulla eſt impoſitio coronæ in officio ad conſtituendum Ducem.

Nota 1107. CORONET TE DEUS CORONA GLORIÆ, &c.

Hæc formula non extat in Ordine Romano, Habetur in coronatione Ludovici II. & Henrici IV. Regum Francorum. Extat etiam in conſecratione Caroli Calvi, ſed contractior. Coronæ impoſitionis meminit Petrus Damiani ſerm. citato: *Ponitur & corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.* Metropolitani eſt imponere coronam, ut videre eſt in Ordine & Pontificali Romano. Sic a Remenſi Metropolitano Guillelmo imponitur corona capiti Philippi Auguſti Regis Francorum, ut docet Guillelmus Brito loco ſupra citato:

Hoc & non alio perfudit membra liquore
Carolidæ noſtro Guillelmus præſul in urbe
Remenſi, patrum ſervato more ſuorum.
Impoſuitque ſacro capiti diadema verendum.

A Papa Leone III. Romæ impoſita eſt corona Carolo Magno cum Imperator creatus eſt, ut teſtatur Theophanes in Chronico: ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου, id eſt, Coronavit eum in Regem Romanorum in templo S. Petri Apoſtoli. Et paulo poſt, καὶ περιβαλὼν βασιλικὴν ἐσθῆτα καὶ στέφος, id eſt, Cum poſuiſſet ei regiam veſtem & coronam. Idem teſtatur Conſtantinus Manaſſes in Chronico:

Καὶ στέφει περιστίλβοντι, ὡς οἱ Ῥωμαίων νόμοι.

Eumque corona cingit more Romano. At vero in coronatione Imperatoris Conſtantinopolitani olim, ſi novi Regis ſeu Imperatoris pater adeſſet, ipſe pater, & Patriarcha ei ſtemma imponebant; quod ſi pater abeſſet, ſolus Patriarcha, ut teſtatur Codinus lib. de officiis Aulæ, εἰ οὖν ὡς εἰρήκαμεν, πάρεστιν ὁ βασιλεὺς καὶ πατὴρ αὐτοῦ, αὐτός τε καὶ ὁ πατριάρχης λαβόντες τὸ στέμμα, ἐπιτιθέασι τῇ κεφαλῇ τοῦ νέου βασιλέως, &c. id eſt, Si igitur, ut diximus, adeſt Imperator & pater ejus, ipſe & Patriarcha accipientes ſtemma imponunt capiti novi Imperatoris: & pronuntiat Patriarcha hanc vocem, *dignus*. Quod ſi non eſt pater ipſius, hoc faciat ſolus Patriarcha. Quemadmodum autem prius in unguenti applicatione vocem, *ſanctus*, excipiebant, ſic etiam hanc vocem, *dignus*, qui in ſacro ſuggeſto ſunt, & reliqua populi multitudo acclamant tertio. Hæc ille, quid ſit autem ſtemma, docet idem Codinus ſupra eodem libro: δεῖ δὲ γινώσκειν ὅτι ὅπερ καλεῖται νῦν στέμμα, ὠνομάζετο πάλαι διάδημα. τοῦτο δὲ ἦν βλαττίον μετὰ λίθων καὶ μαργάρων κατὰ τὸ τοῦ βασιλέως μέτωπον κείμενον μὲν, δεδεμένον δὲ ὄπισθεν περὶ τὸν ἐγκέφαλον, διὸ καὶ ἐκαλεῖτο διάδημα, ὅπερ ἐκ τοῦ κατὰ μικρὸν ἀμειφθὲν ἐγένετο οἷον ὁρᾶται τανῦν, A καὶ ὀνομάζεται στέμμα, id eſt, Noſſe autem oportet quod nunc appellatur ſtemma, id olim nominatum eſſe Diadema. Id autem erat textile purpureum cum lapillis & margaritis poſitum ad Imperatoris frontem & pone revinctum cerebrum verſus; quamobrem dicitur Diadema; quod ex eo paulatim mutatum effectum quale videtur hodie, & nominatur ſtemma. Ex quibus poſterioribus verbis intelligi datur ſtemma non omnino eſſe quod Diadema; ſed aliquid immutatum fuiſſe. In hoc textu βλαττίον, Interpres reddidit textile aureum, ego vero, textile purpureum. Nam blata, ſeu blatta eſt purpureus color. Gloſſæ veteres Mſſ. Bibl. Corbeienſis, *blata purpura: hinc blatea camiſia linea*. Sidonius carm. 5.

B *Pontus Caſtorea, blattam Tyrus, æra Corinthus,*

Et carm. 11.

Tantus honor, geminſque comis, collata rubori
Pallida blatta latet.

Unde apud eumdem in carmine epiſt. ultimæ lib. 9. dicitur *Blattifer ſenatus*. Eſt genus exquiſitiſſimæ purpuræ.

Sed, ut redeamus unde digreſſi ſumus, in ſecunda coronatione Caroli Calvi, quæ Metis celebrata eſt in regno Lotharii, corona capiti ejus a C Epiſcopis impoſita eſt, ut habetur in ejus capitulis: *Ad iſta verba*, coronet te Dominus, *miſerunt illi Epiſcopi coronam in capite*. In coronatione Henrici IV. quæ facta eſt Carnoti, corona impoſita eſt illi a Nicolao Thuano ejuſdem civitatis Epiſcopo, qui univerſum celebritatis hujus ritum perfecit defectu Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani, Senonenſi tunc ſede vacante: etſi Reginaldus de Beaune Archiepiſcopus Bituricenſis ad Sedem Senonenſem a Rege nominatus, hanc conſecrationem ad ſe ſpectare contenderet; ſed quia nondum a Papa confirmatus fuerat, Epiſcopo cedere coactus eſt. Nec Rex poterat hujus rei gratia ſe Remos conferre, urbe tunc a factioſis occupata.

Nota 1108. ACCIPE SCEPTRUM REGIÆ MAJE-D STATIS, &c.

Hæc formula habetur in coronatione Ludovici II. & in coronatione Henrici IV. Francorum Regis. Sed in Pontificali & Ordine Romano non extat, ſed ſequens: *Accipe virgam virtutis*, &c. ut in codice Ratoldi ad porrectionem virgæ.

Nota 1109. ACCIPE VIRGAM VIRTUTIS, &c.

Hæc formula extat in coronatione Henrici IV. toties memorata. In Ordine Romano pronuntiatur ad traditionem ſceptri & baculi. Notandum eſt hic traditionem virgæ a ſceptri porrectione diſtingui, quod etiam in coronatione Henrici II. & Henrici IV. videre eſt, & in coronatione Ludovici Regis filii Philippi I. apud Aimoini conE tinuatorem lib. 5. cap. 5. *Qui in die inventionis ſancti Protomartyris ſacratiſſimæ unctionis liquore delibutum Regem, Miſſas gratiarum agens, abjectoque ſecularis militiæ gladio, Eccleſiaſtico ad vindictam malefactorum eum accingens diademate regni, gratanter coronavit: necnon & ſceptrum & virgam, & per hæc Eccleſiarum & pauperum defenſionem, & quæcumque regni inſignia, approbante clero & populo, devotiſſime contradidit.* Hæc autem virga eſt quam vocamus manum juſtitiæ; & ita appellatur in coronatione Henrici II. & Henrici IV. eique palma manus præfixa eſt, quod innuere videntur hæc verba hujus formulæ: *Erranti viam doce, lapſiſque manum porrige.* At in coronatione Caroli Calvi non traditur ei virga eſt, ſed palma cum F ſceptro, ut in eiuſdem Caroli capitulis habetur: *Ad iſta verba*, Det tibi Dominus velle, *dederunt illi palmam & ſceptrum*. In ſignum videlicet victoriæ perſeverantis quo perveniat ad palmam gloriæ ſempiternæ: quod ſignificatur in formula ejuſmodi traditionis: *Det tibi Dominus velle & poſſe quæ præcipit: & in regni regimine ſecundum voluntatem ſuam proficiens cum palma perſeverantis victoriæ ad palmam pervenias gloriæ ſempiternæ,*

gra-

gratia Domini nostri Jesu Christi, qui vivit. Nam A
palma manus non est victoriæ perseverantis symbolum, sed palma arbor, ut omnibus notum est. Alius superest ritus qui non extat in hoc codice Ratoldi, per quem Rex sive Imperator suis vestibus exutus, regia purpura a Pontifice induitur, ut notum est ex Theophane in Chronico, ubi agit de Caroli Magni coronatione in Imperatorem a Leone III. *καὶ περιβαλὼν βασιλικὴν ἐσθῆτα*, id est, Et cum induit eum veste regia; & Petro Damiani serm. supra citato: *Induitur denique purpura, quod est regiæ majestatis insigne*.

Nota 1110. EXTENDAT OMNIPOTENS DEUS, &c.

Hæc benedictio extat in Ordine mss. Monasterii sancti Germani a Pratis in coronatione Henrici IV. & in coronatione Caroli Calvi, quæ facta est Metis; sed ei interjicitur hoc membrum: B
Coronet te Dominus corona gloriæ, &c. ad quod inungitur ab Archiepiscopo Hincmaro, & in fine benedictionis adjicitur hoc membrum: *Clerum ac populum quem sua voluit opitulatione tuæ subdere ditioni*, &c. Extat alia benedictio in Ordine Romano. Primus hic articulus extat in benedictione coronationis Ludovici II. cujus est hoc initium, *Dominus Deus omnipotens*, paucis verbis immutatis, juxta supra citatam benedictionem, quæ extat in coronatione Caroli Calvi.

Nota 1111. AC B. PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS.

Hæc verba desunt in coronationibus supra citatis Caroli Calvi, & Ludovici II.

Nota 1112. SANCTIQUE GREGORII.

Ita in Ordine supra citato monasterii S. Germani a Pratis. Desunt in coronationibus supra C
memoratis. In coronatione Henrici IV. loco istorum verborum legitur: *Sancti Dionysii, B. Martini & Remigii*.

Nota 1113. ANGLORUM APOSTOLICI.

Lege, *Anglorum Apostoli*: quia S. Gregorius Papa est Anglorum appellatus Apostolus, quibus misit fidei prædicatores Augustinum, & quosdam alios sui monasterii monachos.

Nota 1114. ET TRIBUAT TIBI GRATIAM, &c.

In coronationibus Caroli Calvi & Ludovici II. hic articulus incipit a superioribus verbis: *Indulgeat tibi Dominus omnia mala quæ gessisti*.

Nota 1115. INIMICOS TUOS AD PACIS CARITATISQUE BENIGNITATEM CONVERTAT.

Ita in benedictionibus supra memoratis. In officio ad Ducem constituendum corrupte legitur: *Inimicos tuos caritatisque benignitatem convertat*. Ubi hæc benedictio ab hoc articulo initium du- D
cit, hocque articulo & duobus postremis contenta est.

Nota 1116. BENEDIC, DOMINE, &c.

Hæc benedictio extat in Ordine mss. Monasterii S. Germani a Pratis. Habetur etiam in coronatione Henrici IV. Francorum Regis, sed prolixior in coronatione Judith Anglorum Reginæ filiæ Caroli Calvi. Prior articulus benedictionis hujus primus est in benedictione ejusdem Reginæ in hunc modum: *Benedic, Domine, famulam tuam, qui regna regum a seculo moderaris. Amen*.

Nota 1117. HUNC PRÆSULEM PRINCIPEM.

In coronatione Henrici IV. loco istorum verborum legitur, *Regem nostrum*.

Nota 1118. STA ET RETINE AMODO, &c.

Hæc regni status designatio extat in codice mss. supra citato Monasterii S. Germani a Pratis, & E
in coronatione Henrici IV. sed paulo brevior in Pontificali Romano quibusdam verbis mutatis: pronuntiaturque cum Rex in solio collocatur. Extatque etiam in Ordine Romano, in quo ante hæc verba, *in hoc regni solio*, hæc habentur: *In hoc loco Dominus Metropolitanus sedere eum faciat super sedem suam dicendo; in hoc regni solio*, &c.

Nota 1119. AMODO.

Adde *τὸ locum*, ut habetur in Ordine Romano.

Nota 1120. SUGGESTIONE.

Lege, *successione*, ut in Ordine Romano.

Nota 1121. RECTITUDO REGIS, &c.

Hæc verba titulo carent, quæ nihil aliud sunt, quam summa eorum quæ a Rege in recta regni administratione præstanda sunt. Extant in Ordine mss. Monasterii sancti Germani a Pratis; desunt in coronatione Henrici IV. Habentur in officio ad Ducem constituendum, sed sub forma juramenti in hunc modum: *Hæc tria populo Christiano, & mihi subdito, in Christi nomine juro. In primis, ut Ecclesia Dei, & omni populo Christiano veram pacem meo arbitrio omni tempore servabo. Aliud, ut rapacitates & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicam. Tertium, ut in omnibus judiciis æquitatem & misericordiam præcipiam: ut mihi & vobis indulgeat misericordiam clemens & misericors Deus, qui vivit, & regnat*: ubi *τὸ ut*, ad quodlibet juramentum pro particula *quod*, usurpatur.

Nota 1122. ET TUNC OSCULETUR OMNEM CLERUM POPULUMQUE.

Datur osculum pacis ad imitationem Samuelis, qui Saulem a se unctum osculatus est lib. 1. Regum cap. 10. Illudque videtur in Ordine Romano: *Postque det ei oscula pacis*, nempe Metropolitanus, ut illic habetur, nulla mentione facta cleri & populi. In coronatione Henrici IV. Rex osculatur tantum Pontificem & Pares Franciæ. Ordo mss. Monasterii S. Germani a Pratis cum Ratoldi codice convenit.

Nota 1123. ET DICAT UNUSQUISQUE: VIVAT REX.

Ita habetur in Ordine mss. Monasterii S. Germani a Pratis ad priscorum imitationem. Si quidem in sublimatione Salomonis ad regnum Judæorum acclamatum est, *Vivat Rex Salomon*, lib. 3. Regum c. 1. Similem acclamationem videre est in coronatione Justini minoris apud Corippum l. 2. de laudibus illius, ut primum coronatus est a Patriarcha Constantinop.

Intonuit patrum subitus fragor, inde clientum

Clamores crescunt, clamoribus adsonat æquor.

Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt.

Justino vitam ter centum vocibus optant.

Augustæ totidem Sophiæ plebs alta reclamat,

Mille canunt laudes vocum discrimine mille.

Justinum Sophiamque pares duo lumina mundi

Esse ferunt: regnate pares in secula, dicunt:

Felices annos Dominis felicibus orant.

Insonuit vox illa diu, tandemque quievit.

Idem observare est in coronatione Philippi Augusti Francorum Regis apud Rigordum in ejus vita: *Cum omnibus Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque regni Principibus & universo clero, & populo clamantibus, Vivat Rex, vivat Rex*. Similes acclamationes extant in coronatione Henrici II. & Henrici IV. Regum Francorum.

Nota 1124. OFFERT REX AD MANUM ARCHIEPISCOPI OBLATIONEM.

Panem & vinum, ad communicandum videlicet. Idem est in Ordine mss. Monasterii S. Germani a Pratis.

Nota 1125. ET SIC REFERANT DEO GRATIAS.

Ita in toties citato Ordine mss. Monasterii S. Germani a Pratis, canendo videlicet Hymnum, *Te Deum laudamus*, ut in Ordine Romano.

Nota 1126. ITEM AD REGINAM BENEDICENDAM.

In eodem codice Ratoldi Abbatis Regis coronationem excipit Reginæ benedictio.

Nota 1127. ADESTO, DOMINE, SUPPLICATIONIBUS NOSTRIS, &c.

Hæc Oratio extat in coronatione Claudiæ Roma-

næ Franciæ primæ conjugis Francisci primi.

Nota 1128. DUNC DAAST CAPUT EJUS UNGI OLEO.

Hæc capitis unctio in Reginæ coronatione extat in Ordine mſ. Monasterii S. Germani a Pratis, in coronatione prædictæ Reginæ Claudiæ, in coronatione Eleonoris secundæ uxoris dicti Francisci I. & in coronatione Catharinæ Mediceæ conjugis Henrici II. At in Pontificali Romano non ungitur Reginæ caput, sed brachium dexterum inter manus commissuram, & brachii internodium, ut supra de unctione Regum ex eodem Pontificali observatum est.

Nota 1129. UT QUÆ PAA MANUS NOSTRÆ IMPOSITIONEM HODIE REGINA INSTITUITUR.

Hæc eadem verba extant in supra citato Ordine mſ. S. Germani a pratis; & credibile est hanc impositionem manus fieri solitam unctione completa, cum hæc oratio recitaretur: *Omnipotens sempiterne Deus, affluentem Spiritum super famulam tuam*, &c. quod sane valde notandum est, quia in Regum ordinatione nihil simile supra scriptum est. Id tamen fuit olim observatum in coronatione Aidani Regis Hiberniæ, ut testatur Adamannus in vita sancti Columbæ Abbatis lib. 2. *Sanctus verbo obsecutus Domini ad Jovam transmigravit insulam, ibidem Aidanum iisdem adventantem diebus in Regem sicut jussus fuerat, ordinavit: & inter ordinationis verba de filiis & nepotibus, pronepotibusque ejus futura prophetizavit, imponensque manum super caput ejus ordinans benedixit.*

Nota 1130. TUNC DEBET EI ANNULUS MITTI DIGITO.

Immissio annuli in digitum habetur in coronatione prædictarum Reginarum. Sed de ea nihil reperire est in Ordine & Pontificali Romano.

Nota 1131. ET BARBARAS GENTES VIRTUTE TIBI PRÆSTITA AD AGNITIONEM VERITATIS ADVOCARE.

Hæc eadem verba extant in coronatione præfatæ Claudiæ Reginæ Franciæ: quibus significatur has esse Reginæ partes conversionis infidelium curam gerere, dum earum viri pro patriæ salute militant. Plena sunt Historiæ Ecclesiasticæ monumenta piarum Reginarum, quæ pro fide Christiana propoganda non mediocriter laborarunt.

Nota 1132. TUNC DEBET IMPONI CORONA IN CAPITE.

Sequitur coronæ impositio, quæ in Pontificali Romano a Metropolitano imponitur seu Reginæ seu Imperatori. Olim Constantinopolitanæ Imperatricis capiti a viro suo Imperatore stemma de manu Patriarchæ acceptum prius ab eo benedictum imponebatur, ut refert Codinus lib. de officiis Palatii Constantinopolitani: *κατερχόμενος δὲ τοῦ ἀμβῶνος ὁ βασιλεὺς ... αὐτὸς λαμβάνει ἀπὸ τῆς τοῦ πατριάρχου χειρὸς τὸ στέμμα εὐλογηθὲν παρ' αὐτοῦ, καὶ ἐπιτίθησι τῇ κεφαλῇ τῆς ἑαυτοῦ γυναικός.* id est: Descendens itaque de suggesto sacro Imperator & vir ejus, accipit de manu Patriarchæ stemma prius ab eo benedictum, & imponit capiti uxoris suæ.

Nota 1133. ACCIPE CORONAM GLORIÆ.

In Ordine & Pontificali Romano ad coronæ impositionem aliæ sunt formulæ. In capitulis Caroli Calvi Judith ejusdem Caroli filia uxor Adelulphi Anglorum Regis, sub hac verborum formula coronatur: *Gloria & honore coronet te Dominus, & ponat super caput tuum coronam de spiritali lapide pretioso: ut quidquid in fulgore auri, & in vario nitore gemmarum significatur, hoc in tuis moribus & actibus semper refulgeat. Quod ipse præstare dignetur, cui est honor & gloria in secula seculorum.* In Pontificali Romano sceptrum Reginæ traditur. Sed hæc sceptri traditio, neque hic, neque in Ordine Romano, & S. Germani reperitur.

Nota 1134. ACTIO NUPTIALIS.

Id est, celebritas nuptiarum, quæ fit inter Missarum solemnia, ex more veteri, quem etiam videre est apud Tertullianum lib. 2. ad uxorem sub finem: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet.*

Nota 1135. HANC OBLATIONEM FAMULARUM TUARUM.

Lege, *famulæ tuæ* ill.

Nota 1136. GENERATIO AD ECCLESIÆ, &c.

Legendum puto, *regeneratio*, quæ fit per baptismum videlicet ad augmentum Ecclesiæ, ut ad ornatum mundi generatio naturalis.

Nota 1137. OBLATAM.

Hoc vocabulum corruptum est, & sensum preturbat: lege, *ad lætam*.

Nota 1138. INFRA ACTIO AD XXX. VEL ANNUALEM NUPTIARUM.

Ita correxi, cum in dicto codice Remensi mſ. legatur, INFRA XXX, &c. Nota devotionem majorum, qui tricesimum & anniversarium matrimonii diem celebrabant oblatione sacrificii incruenti, & participatione ejusdem sacri mysterii.

Nota 1139. ET DICIS ORATIONEM DOMINICAM, &c.

Hæc sponsæ benedictio fit post orationem Dominicam, & omnia alia inter Missarum solemnia olim benedicebantur, ut clarum est ex nostris Sacramentariis. Tamen Judith filia Caroli Calvi nubens Edelulpho Anglorum Regi, ante Præfationem benedicitur.

Nota 1140. EAM BENEDICIS.

Non est novellæ institutionis benedictio matrimonii in Ecclesia, sed antiquæ prorsus, ut clarum est ex loco Tertulliani supra citato: *Quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, & consignat benedictio*: Epist. Sotheris Papæ cap. 5. *Ut sponsus & sponsa cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicantur*: Epist Hormildæ Papæ cap. 6. *Ut nullus fidelis cujusque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione a Sacerdote accepta, publice nubat in Domino*: Concilio Valentino apud Burchardum lib. 9. cap. 5. *Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus vel a paranymphis in Ecclesia Sacerdoti offerantur; & cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.* Ex Hilario Diacono in cap. 4 Epist. 4 ad Timotheum: *Homini enim unam uxorem decrevit Deus, cum qua benedicatur: nemo enim cum secunda benedicitur*: Sancto Isidoro lib. 2. de Eccles. offic. cap. 19. *Nam quod in ipsa conjunctione connubii a Sacerdote benedicuntur, hoc a Deo in ipsa prima conjunctione hominis factum.* Johannes Patriarcha Constantinopolitanus rogatus ab Imperatore Mauricio, ejus benedixit nuptias in palatio, ut testatur Theophylactus Simocatta lib. 1. hist. Mauricianæ cap. 10. *ὁ δὲ ἱερεὺς τὸ βασιλικὸν ἐθεράπευσε βούλημα, τῇ περὶ τὸ θεῖον ἱκετείᾳ καὶ τῇ χειρῶν τῶν βασιλικῶν ἐλάμβανε, ἀμφοτέρων ἀλλήλαις ... προσφθέγμασι τὸν τοῦ αὐτοκράτορος κατευφήμισε γάμον.* id est, Ille Imperatoris voluntatem officiose complexus est, fusis ad Deum precibus, & acceptas Imperatoris & Imperatricis manus invicem copulavit, & deprecatoriis verbis Imperatoris nuptias benedixit. Idem videre est lib. 7. Capitul. Caroli, & Ludovici Imp. tit. 363. *Et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur.* Et in capitulis Caroli Calvi, ubi sunt benedictiones nuptiales Judith filiæ Caroli Calvi & Hermintrudis Reginæ.

Nota 1141. DEUS QUI MUNDI CRESCENTIS, &c.

Hæc oratio extat in benedictione nuptiali præfatæ Judith, sed prolixior.

Nota 1142. ET SUPER HANC FAMULAM TUAM ILLAM.

In præfata oratione legitur: *Et huic famulo tuo, & huic famulæ tuæ.*

Nota 1143. SANCTITATEM UT TUA.

Locus corruptus, lege, ut in prædicta oratione, *sanctitate mutua*.

Nota

Nota 1144. INSTIT TO. Lege, *Institutor*.

Nota 1145. INTER SECULUM. Lege, *Inter se seculum*.

Nota 1146. UT QUIA LONGE EST, &c.

Hæc sunt corruptissima, & sic castiganda: *Ut quia longe est infirmius, quod homini simile, quam quod tibi Deo feceras, additur fortior sexus infirmiori; ut unum efficeres ex duobus.*

Nota 1147. MIXTA. Lege, *Mixtum*,

Nota 1148. UT IN PRIORIS.

Deest τὸ *locum*. Lege igitur, *ut in prioris locum*, γαμοι γαρ ἐπὶ διαδοχῆς ἀναγκαίας [illegible] φάρμακα. id est, Nuptiæ enim successionis necessariæ sunt inventa remedia, inquit Lucianus in amoribus.

Nota 1149. DATA SINT LEGIS INSTITUTA VENTURA.

Lege, *Data sunt legis instituta venturæ*: id est, legis novæ, quæ connubii vincula ad perfectiorem statum adduxit.

Nota 1150. SANCTORUM PIGNORUM DILIGATA.

Locus corruptus; legendum arbitror: *Et ad sanctorum pignorum educationem diligentem se esse ligatum*, ut tota hæc periodus sic cohæreat: *Memineritque, Domine, non tantum ad licentiam conjugalem, sed ad observantiam fidei, & ad sanctorum pignorum educationem diligentem se esse ligatam.*

Nota 1151. FIDELIS ET CASTA NUBAT, &c.

Hæc verba usque ad finem extant in Ordine Romano, & in benedictione Hermintrudis Reginæ, & in supra citatis Caroli Calvi capitulis.

Nota 1152. SIT AMABILIS UT RACHEL VIRO SUO, &c.

Hæc sunt ad similitudinem seniorum illorum, qui bene precati sunt Ruth Moabitidæ, cum nuberet Booz proavo Davidis, ut habetur Ruth cap. 4.

Nota 1153. NIHIL EX HAC.

In Ordine Romano, & in benedictione Hermintrudis Reginæ legitur: *Nihil in ea ex actibus suis*.

Nota 1154. SUBUOLUS ILLE.

Hæc vocabula desiderantur in Ordine Romano, & in benedictione Hermintrudis Reginæ.

Nota 1155. MANDATISQUE.

Ita in Ordine Romano; particula *que*, desideratur in benedictione Hermintrudis Reginæ.

Nota 1156. FEMINARUM.

Hoc vocabulum videtur redundare, neque extat in Ordine Romano, & benedictione Hermintrudis Reginæ. Aut certe legendum: *Harum feminarum modo*, vel, *more*, vel *instar*, nempe Rachelis, Rebeccæ, & Saræ.

Nota 1157. SABVIENS DEO VERO DEVOTA.

Hæc verba desunt in prædictis benedictionibus Ordinis Rom. & Hermintrudis.

Nota 1158. MUNIAT INFIRMITATEM SUAM ROBORE DISCIPLINÆ.

Hæc verba in dictis benedictionibus postponuntur his verbis: *Uni thoro juncta contactus illicitos fugiat*.

Nota 1159. VERECUNDA.

Lege, *Verecundia*, ut in præfatis benedictionibus.

Nota 1160. SIT FOECUNDA SOBOLEM.

Lege, *Sit fœcunda in sobole*, ut in Ordine Ro-A mano. In benedictione Hermintrudis Reginæ hæc verba sunt.

Nota 1161. SIT PROBATA AT INNOCENS.

Hæc etiam desunt in benedictione Hermintrudis Reginæ.

Nota 1162. CONJUNCTIONIS. Lege, *ut conjunctionem*.

Nota 1163. BENEDICTIONES. Lege, *ut benedictiones*.

Nota 1164. PLURIMI OMNES. Lege, *plurimorum*; τὸ *omnes*, redundat.

Nota 1165. OMNIPOTANS. Hoc vocabulum videtur redundare.

Nota 1166. UT SANCTITATEM PATREM.

Lege, *ut te sanctitatum Patrem*.

Nota 1167. UT QUOD NON MINISTRENTUR OFFICIO.

B Locus corruptus. Legendum videtur: *Ut quod nostro non ministratur officio, tua benedictione potius impleatur*.

Et hæc de nuptiis earumque ritibus pauca quidem: nam plura alia refert S. Isidorus lib. 2. de Eccl. offic. cap. 19. ac primo de velo quo sponsæ in nuptiis velantur: *Quod vero*, inquit, *eædem feminæ, dum maritantur, velantur; scilicet ut noverint per hæc se viris suis esse subjectas, & humiles*. Et infra: *Hinc etiam & nuptæ dictæ eo quod vultus suos velent: obnubere enim operire dicitur. Unde & nubes dictæ, eo quod æthera obtegant*. Idem patet ex S. Ambrosio in exhortatione ad Virgines: *Nubes itaque sunt, & graves nubes quæ nupserint. Nam a nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Denique operiuntur ut nubes, cum acceperint nupturæ velamina*. Qui mos fuit priscorum Romanorum ut clarum est ex Festo: *Quia* C *flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocarunt*. Et infra: *Obnubit, caput operit; unde nuptiæ dictæ a capitis opertione*. Qui mos cum civilis sit, & non superstitiosus; facile traductus est ad Christianos. Secundo S. Isidorus scribit nubentes post benedictionem vittæ colore candido & purpureo mistæ vinculo copulari, rationemque profert in hunc modum: *Quod autem nubentes post benedictionem, vitta invicem vinculo copulantur, videlicet ne compagem conjugalis unitatis disrumpant. At vero quod eadem vitta candido purpureoque colore permiscetur. Candor quippe ad munditiam vitæ, purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur: ut hoc signo continentiæ lex tenenda ab utrisque ad tempus admoneatur, & post hæc ad reddendum debitum non negetur. Quod enim dicit Apostolus conjugatis*, abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, D *hoc ille candor vittæ insinuat: quod vero subjungit*, & iterum revertimini in idipsum, *hoc purpureus color ille demonstrat*. Tertio agit de annulo, qui a sponso sponsæ datur; rationemque subjungit: *Hoc fit nimirum vel propter mutuæ fidei signum, propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur*. Hic ritus videtur in nuptiis Judith Caroli Calvi filiæ, in ejusdem Caroli capitulis: *Accipe annulum fidei & dilectionis signum, atque conjugalis conjunctionis vinculum; ut non separet homo, quos conjungit Deus*. Qui sane est antiquissimus in Ecclesia, nam illius meminit Tertullianus lib. de Idololatria: *Neque annulus, aut conjunctio maritalis de alicuius idoli honore descendit*.

SCHOLIA
IN
LIBRUM SACRAMENTORUM
B. GREGORII MAGNI,

a F. Angelo Rocca, *Camerte, ſacrarii Apoſtolici Præfecto conſcripta.*

De libri nomine & Auctore.

A ANTAQUAM Scholia in Gregorii Magni Sacramentorum Librum aggrediamur, duo potiſſimum ſcitu digna videntur: atque illud in primis, cur ſcilicet hujus generis Codex, preces & orationes complectens, Liber Sacramentorum, vel potius Sacramentarium, ſive Sacramentarius liber nuncupetur. Olim namque, ut Pamelius teſtatur, ſacramenta vocitabantur non ſolum Miſſæ ſacrificium, verumetiam Miſſarum orationes, quæ Euchariſtiæ ſacramentum in primis circumſpiciunt, quæque Collectæ item dicuntur ob rationes ſuo loco aſſignandas. Hinc Codex, quem præ manibus habemus, Liber Sacramentorum, vel potius & rectius fortaſſe, ſalvo meliori judicio, Sacramentarius inſcribi ſolet, ut videre eſt apud veteres & probatiſſimos Catholicæ Eccleſiæ Scriptores; e quorum numero ſunt Albinus Flaccus Alcuinus de Eccleſiaſticis officiis, cap. de Quadrageſima in Sabbato ante Palmas, & Feria ſexta in Paraſceve: Amalarius Fortunatus lib. 1. in ſecunda Præfatione, non ſemel; & cap. 1. 9. 12. 23. & lib. 3. cap. 40. & lib. 4. cap. 23. 30. 42. Micrologus cap. 13. 24. 25. 31. 42. 49. 55. Hi omnes dictis in locis non libri Sacramentorum, ſed Sacramentarii voce ſemper uſi ſunt, Ex recentioribus autem Scriptoribus, itemque probatiſſimis, Jo. Franciſcum de Pavinis in Canonizatione ſancti Bonaventuræ, ante art. 1. part. 1. tom. 7. Jo. Stephanum Durantum, lib. 2. de ritibus Eccleſiaſticis cap. 57. num. 8. Cæſarem Baronium S. R. E. Cardinalem in Martyrologio die 18. Januarii, & Jacobum Pamelium in Præfatione ad Micrologum, Sacramentarii nomine uſos fuiſſe inveni. Nam tametſi Pamelius in ſecundo tomo Liturgicon in Prolegom. de beati Gregorii Sacramentorum codice, rectius Sacramentorum librum, quam Sacramentarium inſcribi affirmat; in loco tamen citato dictum librum Sacramentarium abſolute nuncupavit. Quamvis itaque ſolus Vvalafridus Strabo huic ſcribendi modo C ſuis in ſcriptis adverſari videatur; & exemplaria mſſ. quæ a Librariorum arbitrio plerumque pendent, Vvalafrido favere videantur; tamen ad ambiguitatem ſaltem vitandam, Sacramentarium, quam librum Sacramentorum rectius inſcribi debere videtur. Si enim hujus generis opus, a B. Gregorio conſcriptum, Liber Sacramentorum inſcribatur, ſeptem Sacramenta Eccleſiæ in eo comprehendi facile quis illico ſuſpicabitur. Si autem Sacramentarium, vel Sacramentarius nuncupetur, non ſacramenta, ſed ſacramentalia, quæ circa Euchariſtiæ ſacramentum verſantur, in eo contineri quiſque poterit non ab re judicare. Utcumque autem ſit; opus, de quo loquimur, liber Sacramentorum inſcriptum non inconſulto relictum eſt, ob codices mſſ. Vaticanos, qui Sacramentorum libri nomine prænotantur, & præſertim ille, ceteris inſignior, quem impreſſimus.

A Reliquum eſt ut ſecundo loco a nobis propoſitum explicemus: nam hujus generis codicem opus Gelaſii Papæ nomine prius editum invenio; deinde a Gregorio Magno reformatum, & nonnullis rebus ab aliis poſtremo auctum, ut Vvalafridus Strabo in lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. teſtatur in hanc verborum formam: *Gelaſius Papa tam a ſe, quam ab aliis compoſitas preces dicitur ordinaſſe: & Galliarum Eccleſiæ ſuis orationibus utebantur, quæ & adhuc a multis habentur. Et quia tam incertis auctoribus multa videbantur inſerta, & ſenſus integritatem non habentia, curavit B. Gregorius rationabilia quæque coadunare, & ſeclaſis iis, quæ vel nimia, vel inconcinna videbantur, compoſuit Librum, qui dicitur Sacramentorum, ſicut ex titulo ejus manifeſtiſſime declaratur. In quo ſi aliqua inveniuntur ad hunc ſenſum claudicantia, non ab illo inſerta, ſed ab aliis minus diligentibus poſt a credenda ſunt ſuperaddita.* Hæc Vvalafridus; cujus verba ad verbum hoc loco recitavimus, ne B ipſa amplius tamquam Scholiis hiſce pro quibuſdam locis dilucidandis, frequenter deſervientia, repetamus. De hac item re luculentiſſimum extat teſtimonium Johannis Diaconi in vita ipſius Gregorii Magni lib. 2. cap. 17. in quo ait hunc in modum: *Sed & Gelaſianum codicem de Miſſarum ſolemniis multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens, pro exponendis Evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit.* Hæc da libri Sacramentorum nomine & auctore, pro ſolutione dubitationum, quæ alicui ſeſe offerre poſſent.

SCHOLIA.

Col. 1. A. Item dicitur, Gloria in excelſis Deo, *Si Epiſcopus fuerit*, &c. Alii codices habent, *affuerit*. Sed prior lectio videtur magis congruere verbis ſubſequentibus, quæ ſunt: *A Presbyteris autem minime dicitur niſi ſolo in Paſcha*. Nunc autem alius viget uſus.

C Ibidem legitur: *Deinde ſequitur Apoſtolus*. Alii codices mſſ. habent: *Deinde legitur Epiſtola*. Hæc autem lectio eſt prioris declarativa, ipſam emendans.

Col. 2. B. In prima canonis parte, quæ incipit hiſce verbis: *Te igitur*, aliquot conſignationes crucis, quæ nunc fiunt in ipſo canone, inter illa verba: *Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata*; & inter alia illa: *Benedictam, aſcriptam, ratam*, &c. atque aliis in locis, non extant, negligentia fortaſſe Librariorum prætermiſſæ. Hæ namque crucis conſignationes omnes antiquæ ſunt, & myſteriorum plenæ, quæ dictis in locis & alibi deſiderantur: quia non ſolum ante conſecrationem ad ſanctificandum oblata; ſed etiam poſt conſecrationem ad Chriſti Salvatoris paſſionem ac mortem repræſentandam toties in Canone repetuntur, ut aperte docent S. Auguſtinus l. de Spiritu ſancto, Micrologus de Eccl. obſerv. cap. 15.

Ang-

Amalar. Fortun. lib. 3. de Eccl. offic. c. 24. Ivo Carnoten. serm. de Convenientia veter. & nov. Sacrificii, S. Tho. 3. part. q. 83. art. 5. S. Bonavent. in exposit. Missæ, Gabriel Biel in Can. Missæ, Gulielmus Durandus lib. 4. de divin. offic. fin exposit. Can. Stephanus Durantus de ritibus Eccles. & alii permulti. Hæ tamen consignationes suis in locis repositæ non sunt, ut textus, prout jacet, fideliter ostendatur, apertissimis mendis, & innumeris quidem, tum ad punctuationem, & ad orthographiam, tum etiam ad voces ipsas pertinentibus, exceptis, quæ sine ulla hæsitatione corrigi debebant.

Col. 3. B. Legitur in codicibus mss. Vaticanis *Tathæs*, pro *Thaddæi*. Hanc enim vocem Tathæus per aphæresim figuram, originem a fonte Hebraico trahere suspicari possumus, hoc est ab eo nomine, quod est Mattathias, id est Donatus a Domino, vel Donum Domini; hæc namque vox, quæ componitur ex *Matthat*, quod est donum, vel donans; & *Ia*, Deus, vel Dominus, quasi Donum Dei vel Domini interpretatur. Eamdem significationem habet Matthias per figuram syncopen, syllaba media detracta, necnon Matthæus, id est Donatus. Græci etiam *ai* in *ai* diphthongum convertunt, dum aliquid ab aliis linguis transferunt in suam: eam autem Græcorum diphthongum Latini per *ae* pronuntiare solent. Quare hi nonnihil a Græcis in formandis vocibus mutuantes ea *a* & *i*. formant diphthongum *ae* dicentes. Matthæus. Hinc Tathæus per aphæresim quasi Mattathæus, vel Mattathias, *Mat* syllaba detracta, formatur. Cum vox igitur, *Thathæus*, tam bello ad Hæbraicam vocem accedat; hanc dictionem, non illam, retinendam esse duxi. Adde etiam, quod Pamelius in Sacramentorum item libro, quem sub Gregorii Magni nomine impressit, hanc vocem, *Tathæi*, hoc loco invenit, & reliquit: sed in margine, *Taddæi*, apposuit cum asterisco, Thaddæus autem, Laudans, sive Confitens, Latina dicitur.

Col. 3. D. Qui pridie quam pateretur. Hæc in loco desiderantur duæ particulæ, quæ in Missali nunc extant; sed ea non inconsulto relictæ videntur. Legitur enim *Elevatis*, sine conjunctione *&*; ita etiam *Dedit*, absque particula enclytica ista, *que*.

Col. 4. B. Super Diptycha Mendose legebatur, Dyptitia. *Diptychum* enim sive δίπτυχον, *Diptychon* Græce, duplicatum Latine dicitur, a δίς, *bis*, & πτύξ, vel πτυχή, plica. *Diptychum* autem pro duabus tabulis, quarum una vivorum, altera vero mortuorum nomina continebat, quæ in Missa publice recitabantur, hoc sumitur loco. Vivorum enim nomina in illa Canonis parte, quæ incipit, *Memento, Domine*, post illa verba: *famulorum, famularumque tuarum, &c.* Defunctorum autem post illa verba; *Qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*; recitabantur. De more hoc in Ecclesia sancta perantiquo, hocusque da commemoratione tam vivorum, quam defunctorum in Missæ sacrificio, quorum nomina in Tabulis conscripta erant, mentionem faciunt Gelasius Papa scribens ad Anastasium Augustum, ut videre licet in 2. Tomo concil. longe post medium Epistolæ, Innocentius primus epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum: idque legitur de consecratione dist. 1. cap. 73. S. Cyprianus epist. 10. Tom. 1. ubi offerri nomen, & epist. 66. nominari in Sacerdotum prece pro Tabularum recitatione dixit; S. P. Augustinus ad Clerum Hipponen. ep. 137. & habetur 2. q. 1. c. 12. *Nomen*. Et. 11. q. 3. c. 50. *Quid obest?* Gregorius item in Registro lib. 3 ep. 37. & alii permulti. Non desunt etiam, qui de Diptychis expresse scribant. Dionysius enim Areopagita lib. de Eccl. Hierarchia cap. 3. expressam facit mentionem de sacrarum Tabularum mystica recitatione. Nam quamvis in Latino reatu legatur, *Mystica sanctorum recitatio*, nulla penitus de sacris Tabulis mentione facta: Græca tamen litera habet ἱερῶν πτυχῶν hoc est, *sacrarum tabularum*; id quod ab interprete fuit prætermissum, vel ob carentiam hujus vocis, πτυχῶν, in ejus exemplari: aut quia de Sanctorum tantum recitatione in Missæ sacrificio fieri solita Dionysium loqui putavit, ut Pamelius opinatur. Innoc. item ad Arcadium Imp. necnon Eudo-

A xia Imperatrix ad eumdem Innocent. mentionem de Diptychis expressam faciunt. Has autem litteras videre est apud Gregorium Alexandriæ Archiepisc. in vita Chrysostomi, ut refert Steph. Durant. Vigilius quoque Papa *diptychorum* meminit in damnatione Theodori Episcopi Cæsareæ Cappadociæ, ut legitur 2. Tom Concil. inter Decreta ejusdem Papæ. Fit etiam mentio de iisdem diptychis apud Theodorum in historia Eccl. quam vocant Tripartitam, lib. 10. c. 25. in quo de Chrysostomo legitur: *Is ergo Pontifex Johannis Magni vocabulum Ecclesiasticis διπτύχοις primum inseruit.* Alcuinus insuper de celeb. Missæ longe post medium, *Diptychorum* meminit hisce verbis: *Post erga illa verba, quibus dicitur*, in somno pacis, *usus fuit antiquorum*, B *sicut etiam usque hodie Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex Diptychis, id est, Tabulis, nomina defunctorum.* Idem fere legitur apud Florum Magist. in exposit. Missæ. Fit etiam mentio de sacris Diptychis in Liturgia S. Marci, nec non in Synodica Procli Archiepiscopi Constantinopolitani ad Domnum Episcopum Antiochenum epist. ante med. quæ extat in 2. Tom. Concil. Act. 14 Concilii Chalcedonensis. In quinta item Synodo generali, Constantinopol. II. Tom. 2. Concil. Confess. vel Coll. 1. in literis Justiniani Imp. ad Synodum scriptis de Theodoro, qui Mopsuestiæ Episcopus fuit, legitur hunc in modum: *Deletum est nomen ejus a sacris Diptychis Ecclesiæ, cujus fuit Episcopus.* Et infra: *Hortamur* C *autem etiam illud disceptare, quod vane profertur ab eis, qui dicunt non oportere post mortem hæreticos anathematizari; & sequi in hoc doctrinam sanctorum Patrum, qui non solum viventes hæreticos condemnaverunt, sed & post mortem, utpote in sua impietate mortuos anathematizaverunt, sicut eos, qui injuste condemnati sunt, revocaverunt post mortem, & in sacris diptychis scripserunt. Quod factum est in Johanne (scilicet Chrysostomo) & in Flaviano religiosæ memoriæ Episcopis Constantinopolitanis.* Hæc fere omnia in Decreto Gratiani 24. q. 2. c. 6. quod incipit: *Sane profertur a quibusdam, qui dicunt oportere, &c.* Quæ quidem sententia ab Justiniani litteris desumta, eumdem sensum habet cum eo, D qui in iisdem litteris extat; sed insulsa videtur & mutila, verbis quibusdam a Compilatore demtis; quibusdam vero mutatis. Nam dictio illa *sane*, loco illius adverbii *vane* posita, negatione ablata, non significat *bene & sapienter*, ut Glossa hunc locum interpretatur; sed solum affirmantis est vox, nisi dicatur, *Sane bene profertur, &c.* vel, *Vane satis profertur a quibusdam, qui dicunt non oportere, &c.* negatione in suum locum reposita. Sed de his hactenus, ut ad *diptycha*, unde, occasione suadente, digressi sumus, revertamur. Hic sine de *diptychis* locus in Decreto Gratiani depravatus olim extabat, sed Romæ superioribus annis ex dicto Concilio fuit emendatus: nam prius pro *diptychis*, *Dicticis*, legebatur. Hinc glossa dictionem E illam, *Dicticis*, corruptam explicans, ait, *Dicticas* esse tabulas, a *dico dicis*, nuncupatas: atque hunc in modum textui mendoso mendose Glossa respondebat. Hujusce namque versus Auctor, voce falsa pro vera utens, mediamque syllabam producens, dixit:

Clerice, dicticam lateri ne demseris unquam.

Versum hunc depravatum, quem Glossa Martiali adscribit in Martiali reperire non potui, atque hunc in modum restituendum censeo:

Clerice, Diptychium lateri ne demseris unquam.

Versus enim a Glossa citatus textui nunc emendato non respondet; sed hoc modo restitutus, rectam etymologiam, genuinum sensum, & syllabarum quantitatem conservat: nam vox, *Diptycha*, vel *diptychium*, cum *pty*, syllaba correpta, F ut initio hujusce Scholii explicatum est, aliam habet etymologiam, a complicatione duarum scilicet tabularum dictam. *Diptycha* enim, ut omnes interpretantur, erant Tabulæ ex quavis materia confectæ, sive chartæ, vel columnæ, in quibus imagines Patrum in suo catalogo ponebantur. Et quia *diptichum* Græce, duplicatum Latine interpretatur, ut dictum est; duplices illæ Tabulæ

Ecclesiasticæ, quarum una vivorum, altera defunctorum erat, hanc fortasse vocem sortitæ sibi sunt, translato vocabulo ab duplicibus ostreorum testis, quas B. Ambrosius lib. 5. Hexaemeron c. 8. Tomo 1. *diptychum*, satis belle appellat: quia duplices illæ Tabulæ instar forsitan testarum ostreorum erant ita complicatæ, ut una super alteram contracta, clauderentur. Hac itaque, ut reor, translatione litteræ a quovis Principe emissæ, & signis obsignatæ, a duplicatis Tabellis, Brissonio teste, Diplomata dicta creduntur, quales sunt etiam Literæ patentes, sive Bullæ Pontificiæ, easque litteras complicatas, sive duplicatas, & ligno trajecto obsignatas fuisse dicunt: quod enim Græci *διπτυχα* dicunt, Latini *duplum* vocant. Hinc duplicatæ Tabellæ, Diplomata, & *diptycha* nuncupantur. Hac item ratione *Pugillares*, sive Pugillaria, id est Tabellæ ceræ, ligneæ, vel alterius materiæ, in quibus stylo scribitur, variis nominibus apud veteres vocitabantur. Aliæ enim quintuplices, vel Pentaptycha, *πενταπτυχα*: aliæ triplices, vel Triptycha, *τριπτυχα*: aliæ duplices, vel Diptycha *διπτυχα*, dicebantur. Quare sicut a Suetonio in Augusto Diplomata, vel *diptycha*, duplices Tabellæ dictæ sunt: ita *diptychum* ab Ausonio bipatens Pugillar nuncupatum fuit. In Codice autem Th. ut doctissimus refert Brissonius in lib. 4. de verborum significatione, duplices Tabellæ *diptycha* Imperatorum nominantur: quæ etiam *diptychia* non renuisse dici posse quiumo, auctoritate S. Patris Augustini persuasus: ipse enim in lib. 15. contra Faustum Manichæum c. r sub persona Fausti, &c. in responsione contra eumdem, duas Tabulas illas Moysis lapideas, (quarum una complectitur tria præcepta ad Deum pertinentia, septem vero ad proximum) *dipticbium lapideum* non semel appellavit. Duplices igitur Tabulæ illæ Ecclesiasticæ, quarum una vivorum, altera vero defunctorum nomina in Missæ Sacrificio recitanda continebat, *diptycha* jure suo dicebantur, non *diptycia*, ut mendose ob incuriam Librariorum in exemplari legitur Vaticano. Nec silentio prætereundum videtur, quod frequenter sese offert in hoc Sacramentorum libro de locis, in quibus vivorum ac defunctorum, sive etiam Sanctorum nomina sunt recitanda. Ubi enim aliquorum memoria nominatim fieri solet, in vetustiori Vaticano Codice non invenitur litera N. nominis exprimendi signum, sed hæ literæ ILL. quæ ad Codicis antiquitatem repræsentandam relictæ sunt.

Col. 4. C. Parte illa, quæ incipit: *Nobis quoque peccatoribus*, legitur Agathe & Agne in sexto casu, Græcæ declinationis forma retenta, pro Agatha, & Agnete; ut Agathe, es; & Agnes, es; id quod apud multos Latinos erat in usu, & præsertim apud S. Ambrosium, & quidem frequenter. Hinc Prudentius in Peristeph. utitur declinatione Græca hunc in modum:

Agnes sepulcrum est Romulea in domo
Fortis puellæ, Martyris inclytæ.

Hoc enim in loco ponitur Agnes pro Agnetis: nonnulli tamen Codices habent Agnis sepulcrum: sed Agni, Agnis, est declinatio omnino Græca, litera *η*, per *ι*, non per e prolata. ut *γραμματική, ῆς*, *Ρητορική, ῆς*, quas voces Latini in suam vertentes linguam, dicunt Grammatice, es: Rhetorice, es, &c. Agathe igitur pro Agatha, & Agne pro Agnete ponuntur. Id quoque videre est, & copiosius in festis earumdem Sanctarum.

Col. 3. *D.* In eodem Sacramentario sunt qui legunt Agna, Agnæ, ut habetur in Pamelii Adnotationibus.

Col. 8. *A.* In Præfatione Codex unus ms. habet: *Per hunc invisibilium amore rapiamur.* Sed tres mss. concordant cum Missali Romano, in quo legitur; *Per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* Quam sane lectionem veluti magis congruam, quam priorem, in hoc Sacramentorum libro reponendam esse censui.

Col. 8. *E.* In Oratione, *Largire quæsumus*, legebatur, *Fidei, Spei & securitatis augmentum*, idque tantum in uno Codice ms. At ceteri habent, *Fidei, Spei & Charitatis augmentum*: sed quia prior lectio de mendo suspecta est, secundam retinendam esse judicavi.

Col. 9. *D.* In Secreta legebatur: *Suscipe, Domine, &c. Ut quod illos passio gloriosos, nos devotio reddat innocuos*. In prima clausula desideratur verbum *fecit*, quod, ne locutio mutila relinqueretur, reposui; cum præsertim in Missali legatur, *Efficit*, & in Pamelii Adnotationibus *Fecit*; quod etiam in alio MS. invenitur.

Col. 21. *B.* 22. *D.* 24. *A.* 25. *D.* Videre est Missam SS. Virginum & Martyrum Agnes & Agathes: quarum nomina more Græco declinata aperte cernuntur, ut superius copiose ostensum est in alio hujus col.

Col. 24. *B.* Post orationem ad complendum, quæ nunc in Missali dicitur, Postcommunio, ponitur oratio, quæ in Codice Vaticano a nobis impresso *ad Collectam* inscripta reperitur. Est autem instar orationis, quæ super populum dici solet; & nuncupatur collecta, eo quod, ut ait S. Bonaventura in exposit. Missæ, cap. 2. Tom. 7. omnes adstantes Missæ se debeant devote colligere, & cum Sacerdote fideliter orare: vel ut aliqui dicunt, quia Missarum orationes, collecto populo, celebrari solent. Quæ sane sententia mihi non arridet: propterea quod omnia, quæ in Missa dicuntur, Collectæ hac ratione dici possent. Quare cum Walafrido Strabone c. 22. *Collectas nuncupari dicimus, quia necessariam orationum petitionis compendiosa brevitate colligimus, sive concludimus.* Vel quia *Sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones iis orationibus colligit, atque concludit*, ut cap. 3. de Eccles. observationibus sentit Micrologus, qui ibidem, quænam magis proprie nuncupentur collectæ, docet hisce verbis: *Illæ tamen specialius Collectæ vocari videntur, quæ apud Romanos super Collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Ecclesia in aliam ad Stationem faciendam, ut in capite jejunii illa oratio*, Concede nobis Domine, *apud S. Anastasiam supra Collecta populi dicitur, qui Stationem apud S. Sabinam celebraturus est.* Hæc Micrologus. Dicta oratio reperitur hodie in Missali post Cinerum benedictionem ac dationem ante Missam. Antiquitus enim in feria IV. Cinerum colligebatur populus apud S. Anastasiam, ubi dicta oratio recitabatur, deinde ad S. Sabinam pro Statione celebranda procedebatur; sicut in die Assumtionis B. Mariæ semper Virginis legebatur hæc oratio, *Veneranda nobis Domine*, in Statione, qua cum imagine Christi, ut legitur in Ordine Romano pag. 84. procedebatur a Sancta Maria minore (quæ est in foro Boario ad Arcum Vespasiani, nunc Ecclesia S. Mariæ novæ nuncupata) ad S. Adrianum, ubi fiebat Statio: Missa vero ad S. Mariam Majorem: & in die Nativitatis ejusdem recitabatur oratio *Supplicationem servorum, &c.* quando Litania a S. Adriano ad S. Mariam exibat juxta B. Gregorii Papæ Magni consuetudinem, ut Radulphus Tungrensis ait de Canonum observantia, propos. 13. & fusius propos. 23. ubi de his tribus Collectis ac Stationibus loquitur.

Col. 29. *B.* In die Febr. 22. in qua celebrari solet Cathedra S. Petri in Antiochia, legitur titulus Missæ hunc in modum: *Cathedra S. Petri in Roma*. Locum vitio Librariorum mendosum esse reor, cum Roma pro Antiochia ponatur. De Cathedra Antiochena, quæ die 22. Febr. celebratur, mentionem facit Ordo Romanus pag. 24. Antiphonarius B. Gregorii Micrologus cap. 48. & Ivo Carnotensis Episcopus. Cathedra Romana quæ sub die 18. Januarii nunc celebratur, nec in Antiphonariis, nec in Lectionariis, nec in Sacramentariis tam mss. quam impressis invenitur, nec de ea apud veteres Scriptores de ritibus Ecclesiasticis fit ulla mentio, propterea quod divinum de Cathedra Romana officium institutum fuit a Paulo IV. per Bullam sub die 18. Januarii M. D. LVII. Romæ, VIII. Idus Jan. anno sui Pontificatus III. Hinc in Breviariis antiquis ante Pauli IV. Pontificatum impressis, Cathedra Romana, quæ sub die 18. Januarii celebratur, non reperitur, quod sciam: extat tamen in Martyrologiis, quæ de hac Cathedra luculentissimum reddunt testimonium. Non desunt hac etiam de re alia testimonia, & quidem permulta, quæ Cæsar Baronius S. R. E. Card. vir sane eruditissimus, & in historiis Ecclesiasticis mirifice versatus, in sua notatione

Vide Hugonem Menardum in notis, 179. & 180.

tione ad Martyrologium Romanum sub die 18. A Januarii copiose atque insigniter recenset. In Gallia tamen & Hispaniæ partibus ante Pauli IV. Decretum, hæc Romanæ Cathedræ festivitas colebatur, ut in ipsamet Bulla 40. enarratur.

De Missa Cathedræ, quæ in codicibus MSS. Vaticanis sub die 22. Februarii extat, Card. Baronius mentionem facit, eamque sub die 18. Januarii in eadem notatione in Martyrologium Romanum citat tamquam Cathedræ Romanæ Missam; propterea quod collecta, quæ habetur in alia Missa ejusdem diei, ad Cathedram item Romanam pertinere videtur. Cathedra tamen Antiochena in insigniori MS. Sacramentario sub die 22. Februarii extat nomine Cathedræ Romanæ: cujus Missæ Præfationem idem Card. Baronius fere ad verbum B recitat, hac dictione (*Mundasti* pro *Fundasti*) excepta. Legitur enim in exemplaribus mss. Vaticanis in hanc verborum formam: *Quam* (*scilicet Ecclesiam*) *in Patriarchis fundasti, in Prophetis præparasti, in Apostolis condidisti*, &c.

Col. * 1339 *A.* In oratione, quæ incipit: *Omnipotens sempiterne Deus*, &c. multa desunt, quæ in alio exemplari reperiuntur, ut videre est apud Card. Baronium Tom. 1. Annal. Eccl. pag. 328. D. Ut autem id planum fiat, orationem ipsam hoc loco apponere visum fuit. In exemplari Vaticano ita jacet:

* *Edit. Guss. Hæc autem desiderantur in nostra.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili sacramento Apostolo tuo Petro Principatum in Romani nominis arce posuisti: præsta, ut quod in orbem terrarum ejus prædicatione inchoavit, Christianæ devotionis sequatur universitas. Per, &c. C

Hæc ex codice MS. Vaticano.

Baronius ita legit:

Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili sacramento Apostolo tuo Petro Principatum Romæ urbis tribuisti, unde se evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet; præsta, quæsumus, ut quod in orbem terrarum ejus prædicatione emanavit, universitas Christiana devotione sequatur.

Hæc ex Baronio, qui in primo Annal. Tomo, & in Martyrologio preces hasce in antiquis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritualibus libris, sive Breviariis se invenisse testatur. D

Col 29. *B* In prima oratione Missæ in Cathedra S. Petri, *Animas ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti*. Hæc in illustriori vaticano codice ms. extant, sed in aliis mss. ejusdem Bibliothecæ, atque in codice Liturgicon impresso a Pamelio, hæc dictio, *Animas*, desideratur; quamvis sine ipsa particula, quæ in Missali Romano reperitur, lectio eumdem etiam sensum habere queat.

Ibidem hac in Missa sese considerandum offert, cur in fine post orationem ad complendum, quæ nunc Postcommunio in Missali Romano dicitur, addatur Collecta super populum, quæ nunc non nisi in feriis tantum Quadragesimæ usque ad quartam feriam majoris hebdomadæ inclusive dici solet, ut in Missali videre est. De hoc ritu E Micrologus de Ecclesiasticis observationibus c. 51. rationem reddit, dicens: *Oratio post communionem pro solis communicantibus solet orari. Populus autem etsi quotidie in Quadragesima conveniat, non tamen quotidie ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita oratione, ut communione careret, adjecta est oratio super populum, in qua non de communicatione, sed pro populi protectione specialiter oratur. In Dominicis autem diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi a populo antiquitus persolvebatur; vel potius ideo, quia omnes juxta attestationem S. Ambrosii, in Dominicis diebus communicare deberent: quibus & oratio post communionem pro benedictione sufficere posset.* Hæc Micrologus qui tacitæ item objectioni infra respondet; cur scilicet F in Dominicis ac festis diebus, in quibus genuflexio admitti non solet, oratio super populum fuerit adjecta; (ut videre est in hoc Sacramentorum libro) deinde consuetudo hæc postremo inoleverit, sicut Missale Romanum id aperte demonstrat. Micrologus itaque hunc ait in modum: *Beatissimi quoque Patres nostri, Ambrosius lib. 5. De Sacram: cap. 4. & de Consecr. d. 2. cap. 55. & Aug. serm. 28. De verbis Domini; Tom. 10. ad quotidianam nos hortantur communionem. Sed quia hoc modo nec ab omnibus Presbyteris in Quadragesima, necdum a laicis observatur; congrue adjecta est oratio super populum, ut vel eo tempore ultima benedictione populus non careret, dum tamen communicare non soleret. Hinc quoque & illa consuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inolevisse videtur, ut & in aliis temporibus, etiam Presbyteri post finem Missæ benedicant, ne populum ita benedictione, ut communione privatum discedere permittant.* Hæc de oratione, quæ ad complendum inscribitur, quia Missa est completa. Eadem verò appellatur Postcommunio, quia post communionem pro solis communicantibus dici solet, sicut soli communicantes divinis mysteriis antiquitus interesse solebant: Catechumeni vero & pœnitentes, ut qui nondum ad communicandum se paraverunt, ante oblationem exire jubebantur, eodem Micrologo teste in loco citato.

Col. 30. *D.* Hoc loco extat Missa B. Gregorii Papæ. Unde aperte dignoscitur multa, ut in Præfatione dictum est, post tempora Gregorii Magni huic Sacramentorum libro adjecta fuisse. De hac Missa idem fere dixit Grimoldus in Præfatione in suum Sacramentorum librum.

Col. 39. *D.* In præfatione codex Vaticanus habet: *Fides additur*. Sed in codice a Pamelio legitur: *Fides alitur*. At quoniam hanc lectionem congruentiorem esse ratio docet, hanc retinendam censui. Legitur enim ibi: *In quo* (scilicet *Christo*) *jejunantium Fides alitur, provehitur, Charitas roboratur; Jesum Christum Dominum nostrum*. Quæ in codicibus Vaticanis non extant, reddunt tamen lectionem clariorem, & verbis, quæ sequuntur congruentiorem. Prior autem lectio non improbatur, præsertim cum videatur consona iis, quæ habentur in Evangelio: *Domine, adauge nobis fidem*.

Col. 41. *E* Sabbato in XII. *Lect: mensis primi, hoc est, Martii*. Unumquodque Sabbatum Quatuor temporum in hoc Sacramentorum libro inscribitur, *Sabbatum duodecim Lectionum*, sive *in duodecim Lectionibus*, quia in singulo quoque Sabbato Quatuor temporum duodecim Lectiones Scripturæ sacræ legi solebant, sicut in Sabbato sancto Majoris hebdomadæ nunc fieri solet, si numerus Lectionum observetur: nam tunc temporis sex tantum lectiones legebantur; sed illæ sex dicebantur duodecim, quia illæ sex Latine & Græce in Romana Ecclesia a duodecim Lectoribus legebantur, propter rationes quas assignat Alcuinus cap. in Sabbato. De duodecim Lect. Ammalarius lib. 2. cap. 1. Berno de Missa cap. 7. & Micrologus cap. 28. Nunc autem duodecim lectiones Latinæ leguntur in Sabbato sancto Paschatis: in ceteris vero Sabbatis Quatuor temporum sex tantum item Latinæ legi solent.

Col. 51. *B.* Codex unus Vaticanus habet: *Nostroque omnium Domino*: alius autem: *Nostrorumque Domino*; sed quia utraque lectio bonum reddit sensum, priorem reliquimus.

Col. 57. *D.* Super Secretam. Hac in oratione sunt duæ lectiones, quarum una est: *Quæ temporali nos consolatione lætificent, ut promissa certius non desperemus æterna*. Altera est: *Quæ temporalem consolationem significent*. Codices varii sunt; hinc priorem lectionem tamquam clariorem, magisque congruam retinendam censui.

Col. 58. *A* In ultima Collecta ad complendum duæ sunt lectiones, quarum una est: *nullis inficiantur adversis*. Altera est: *Nullis afficiantur adversis*. Utraque bonum reddit sensum, sed priorem, quæ in illustriori ms. Vaticano extat, retinendam existimavi.

Col. 62. *D.* Hac die, quæ est Feria IV. Majoris hebdomadæ, ponuntur orationes pro quocumque statu, eademque leguntur in Feria V. in ceteris autem codicibus nonnisi in feria VI. De hac re nihil certi habetur, sed conjicere possumus, bis in Majori hebdomada pro omnium statu orandi ritum fuisse in Ecclesia sancta antiquiore, cum in sexta tantum Feria hujus generis orationes recitentur.

Col.

Col. 65. *B.* Præfatio qoamvis variis lectionibus non careat juxta varios codices mſſ. eas tamen tamquam parvi momenti hoc loco apponere non libuit. Unam autem vocum varietatem ponendam cenſui, quæ eſt de Juda prodirore, & noviſſima Chriſti cœna, hunc in modum juxta codices Vaticanos: *Patitur mitis Dominus immitem Judam, & ſuſtinet pius crudelem convivam.* Codex autem a Pamelio impreſſus habet: *Paſcit igitur mitis Dominus immitem Judam, &c.* Utraque lectio bona eſt: licet hæc lectio probabilior videatur, com de cœna, vel de convivio hac in Præfatione ſermo ſit, ut ioibi videre eſt; priurem tamen lectionem, tamquam magis communem ac receptam, retinuimus, ne temere fiat mutatio, oeceſſitate id non poſtulante.

Ibid. C. A verbo *relaxavit*, eaclosive, uſque ad finem Præſationis, multa ex iis non reperiuntur io aliis codicibus, majori ac celebriori Vaticano excepto.

Col. 67. *A.* Io oratione pro benedictione olei, ultima dictio videtur mutila: *unde anxiſti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres, Chriſma perfectam tuum, Domine, a te benedictum &c.* Hæc in Vaticano codice. Codex autem a Pamelio impreſſus ita legit: *Unde anxiſti Sacerdotes, Reges, Prophetas, Martyres, Chriſma perfectam tuam, Domine, & a te benedictam, permanens in viſceribus noſtris, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quæ etiam lectio videtur trunca & mutila, cum deſit aliquod verbum ad finem.

Col. 69. *C.* & *D.* Feria 6. Majoris hebdumadæ in prima & ſecunda rubrica ſunt nonnullæ voces adeo obſcutæ ob ſcriptionem ipſam, ſenſumque earum, ut ſi quæ ex iis compendiariæ (quas breviatoras Italice vocitamus) diſſolvantur, ſive explicentur, nihil certi, quod congruentem reddat lectionem, elicitur. Notæ autem abbreviata ſunt hæ, *Sacrãmrio*, & *Pbrõram*, quæ ſi pro *Sacramentario*, & *Preſbiterorum* ſumantur, quid hoc in loco ſibi velint, non ſatis conſtat; præſertim vero pro *Sacramentario*; niſi hic aliud compendioſum citetur Sacramentariom, unde hoc deſcriptum ſit, & *Preſbiterorum Eccleſiæ* pro Eccleſiis non cathedralibus accipiantur, ut videre eſt in Ordine Romano ad officium Paraſceves. Quod ſi hoc modo accipiendum erit, interpunctura aliter facienda videtur, ut ſuo loco videre eſt.

Col. 69. *E. Poſito ante eam*, id eſt Crucem, *Oratorio*, &c. Oratoriom hoc in hoc loco pro qoanam re ſumatur, nihil adhuc invenire libuit; quod ſi pro Oratorio intelligatur, nec ſic quidem ad rem facere videtur. Oratorium namque eſt locus, in quo oratur; id autem aote Crucem locari non ſolet in die Paraſceves, dum Crux adoratur. Alcuinos tractans ritum adorationis in die Paraſceves, recitat eadem verba, quæ leguntur in Sacramentario; ſed pro Oratorio, *Orario*, leg. Idem legitur in Ordine Romano, dum ritus adorandæ Crucis in die Paraſceves enarratur. Orarium autem, ahotando dictum, pro ſtola quam Oratores, id eſt Prædicatores ad collum geſtant, ſumi ſolet, ut air Alcuinus, Rabanus, & Beda. Quæ ſane res huic loco non congruit, niſi Oratorium etiam ab orando dictum, ſumatur pro aulæo, aut tapete ante Crucem ſtrato, ſuper quo, genibus flexis, oratur, & Crux denique adoratur.

Col. 111. *C.* Oratio, quæ dicitur Secreta, in feſto beati Leonis mutata eſt, qoia obi ulim io Sacramentario antiquo legebatur: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio, &c.* Hodie legitur in Miſſali: *Ut interceſſione B. Leonis hæc nobis proſit oblatio*; quæ ſane ſecreta hodie in Miſſa S. Greg. Papæ legitur. Hæc autem mutatio facta videtor ad clariorem expreſſionem, & intelligeotiam rei, cum Sancti noſtris orationibus non indigeaot, ſed nos potius eorum interceſſionibus opus habeamus; immo qui pro Sanctis oraret, eis injuriam faceret, ut Auguſtinus & alii Doctores affirmant. Auguſt. ſerm. 17. De verbis Apoſtoli, To. 10.

De hac mutarione fit menrio in Decretalibus lib. 3. tit. 41. De Celebratione Miſſarum cap. 6. *Cum Marthæ*, §. Tertio loco, ubi Innoceotius III. reſpondens Archiepiſcopo Lugdunenſi, de hujuſmodi mutatione

A olim facta, air: *Unde quod in pleriſque orationibus continetur, proſit vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam & honorem, ita debet intelligi, ut ad hoc proſit, quod magis a fidelibus glorificetur in terris. Licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam uſque ad judicium augmentari; & ideo Eccleſiam interim ſane poſſe augmentum eorum glorificationis optare.* Hæc Innocentius. Quare ſatis conſtat hanc orationem, de qua nunc agitur, non eſſe immutandam, tum quia ſenſu bono non caret, tum maxime, qood ex hac re hujus Exemplaris antiquitas comprobatur; cum ante Innocentii tempora, qui circa ann. 1208. vixit, hæc lectio, quam in hoc Sacramentario reperimus legeretur. Hujus autem nodi ſolutio quamvis mihi perſpecta eſſet, ubi primom difficultas mihi ſeſe obtulit, ut meis olim Collegis in Typographia Vaticana degentibus reipſa oſtendi; B locum tamen Canonis, quo ſolutio mirum in modom illuſtratur, Franciſcus Toletus S. R. E. Cardinalis, vir undequaque doctus, mihi in memoriam revocavit.

Col. 122. *C.* De Vigilia Aſſumptionis B. Mariæ, in prima oratione, quæ ad Deum Chriſtum de B. Maria Virgine directa eſt, legitur hunc in modum: *Da, quæſumus, ut ſua nos defenſione* (beata ſcilicet Virgo) *jucundos faciat ſuæ intereſſe feſtivitati. faciat* igitur; oon *Facies*: ſalvo tamen meliori judicio, legendum videtur.

Col. 138. *C.* Natale omnium Sanctorum in Oratione prima legitur; *multiplicatis interceſſionibus.* Hoc loco licet io Miſſali Romano legatur, *interceſſoribus*; prior tamen lectio non eſt contemnenda.

Col. 139. *B.* Saoctorum quatuor Coronatorum Miſſa extat, ut in Rubrica legitur, in qoa etiam redditur ratio cur de quinque Sanctis mentio fiat in oratione, C *Claudio* videlicet, *Nicoſtrato*, *Symphoriano*, *Caſtorio*, atque *Simplicio*. In titulo autem de quatuor tantum, *Severo* videlicet, *Severiano*, *Victorino*, & *Carpophoro*. Ad hanc rem comprobandam facit Titulus Eccleſiæ, quæ nomine Sanctorum quatuor Romæ vocitatur; & die 8. Novemb. ſanctorum quatuor Coronatorum feſtus dies agitor. Rubrica Sacramentarii ſic jacet: *Quatuor Coronatorum nomina hæc ſunt: Severus, Severianus, Victorinus, & Carpophorus; quorum dies natalis per incuriam neglectus minime reperiri poterat; ideo ſtatutum eſt, ut in eorum Eccleſia, horum quinque Sanctorum, qui in Miſſa recitantur, natalis celebretur, ut cum illis quoque eorum memoria pariter fiat.* Hac in Rubrica habetor Sermo de ignoratione diei natalis quatuor Coronatorum; ſed in Breviario Romano, de nominum eorumdem Sanctorum ignoratione in hanc legitur verborum formam: D *Extat in Urbe Eccleſia ſanctorum Quatuor Coronatorum, quorum diu ignota nomina divinitus poſtea patefacta ſunt; ubi non ſolum illorum quatuor, ſed etiam quinque Martyrum corpora honorifice ſepulta ſunt; & eorum Feſtivitas vi. Idus Novembris celebratur eodem die.* De quatur Coronatis, & quinque aliis, Beda, Uſuardus, Ado, Surius, Baronius, & alii loquuntur, affirmantes quatuor Coronatorum nomina diu incognita fuiſſe, ob idqoe ſtatutum ut anniverſaria dies ipſorum una cum quinqoe illis ſub nomioe Quatuor Coronatorum recoleretur. Surius ea Martyrologio Adonis de Quatuor Coronatis ait hunc in modum: *Severus, Severianus, Carpophorianus, & Victorinus, ſepulti ſunt milliario ab urbe tertio, in Arenario, juxta corpora SS. Martyrum, Claudii, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtoris, & Simplicii. Paſſi ſunt autem* vi. *Idus Novembris, poſt duos tamen annos paſſionis horum* E *quinque Martyrum. Cum autem nomina minime reperirentur, ſtatuit B. Melchiades Epiſcopus, ut anniverſaria Quatuor Coronatorum dies, ſub nominibus ſanctorum quinque Martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam ſancto viro etiam nomina eorum revelata ſunt. Feſtivitas vero, ut fuerat ſtatuta, celebris in aliorum Martyrum feſtivitate permanſit, ac locus Quatuor Coronatorum nomine inſignis.* Hæc Surius. Quatuor Coronatis Eccleſiam erexit Honorius Papa, eamque, Baronio teſte, reſtituit, dictorumque ſanctorum omnium, quos ſuperius nominavimus corpora, Leo IV. invenit: & ſicut

Tabula

Tabula item lapidea ad altare majus ejusdem Ecclesiæ affixa docet, inibi ea condens collocavit.

Col. 226. *B.* In illa sacri Canonis parte, quæ incipit, *Communicantes*, & communiter inscribitur, *Infra actionem*, hoc in loco titulus est, *Intra actionem*: quamvis enim ad col. * 247. (*Infra actionem*) semper legatur; ab hoc tamen loco ad finem usque Sacramentarii, titulus, sive rubrica est: *Intra actionem*, & rectius quidem; sacer enim Canon, qui a quibusdam in quinque partes, ab aliis in quindecim dividi solet, incipit a verbis illis: *Te igitur, clementissime Pater*, &c. & finem habet ad eum usque locum: *Memento etiam, Domine.* Vel secundum alios usque ad illud: *Oremus, præceptis salutaribus moniti.* Vel secundum alios & melius ad illa usque verba: *Libera nos, quæsumus, Domine.* Et quatuor sibi sortitur nomina, Biele teste lect. 15. in Can. Missæ: quia non solum dicitur Canon, id est regula ad venerabilis Eucharistiæ consecrationem ordinata; vel ut ait Walafridus Strabo cap. 22. & Micrologus cap. 12. quia in eo est legitima & regularis Sacramenti confectio; sed etiam Secretum appellatur, quoniam, ut ait Biel, significat sacratissima fidei mysteria, & sacratissimæ ibi fiunt operationes omni creato intellectui incomprehensibiles, & quia Canon secreto dicitur. Appellatur etiam Sacrificium, quia offertur Deo Patri summum sacrificium, Unigenitus scilicet Filius sub specie Sacramentali occultus. Dicitur denique *Actio*, quia, ut ait Walafridus, in ea conficiuntur Dominica Sacramenta: vel quia gratiarum actionem continet; nam totum fere Missæ sacrum est gratiarum actio, ut ex Irenæo lib. 4. c. 34 colligi potest. Vel, ut ait Biel, dicitur *Actio*, quia in ipsa sacratissimum Christi mysterium peragitur, quo ipse suam ob immensam caritatem, carnem suam in cibum, suumque sanguinem in potum sub velamine specierum panis & vini spirituali refectione fidelibus elargitur. Quoniam vero hæc nonnisi misericordia & libera Dei voluntate fiunt, hæc pars recte dicitur *Actio*, quatenus contra factionem, ut ait Biel, distinguitur. Vel dicitur *Actio*, eodem Biele teste, quia ibi agitur nostra causa coram summo Judice, Christo Deo, per Sacerdotem, tamquam per nuntium intermedium inter ipsum & sponsam, Christum scilicet, atque Ecclesiam. Cum igitur Canon dicatur *Actio*, quod intra Canonem extat, rectius *Intra*, quam *Infra actionem*, dicendum videtur. Ego itaque ab hujusce Sacramentarii medio ad finem usque, titulum hunc (*Intra actionem*) sicuti scriptum inveni, relinquendum censui.

a Extat B. Augustini communis Missa, quæ in singulis Quadragesimæ diebus hodie recitatur; & in oratione illa, quæ modo Postcommunio, modo autem Ad Complendum nuncupatur: quia ea oratio est ad finem Missæ, præter alias lectiones varias legitur, *Abolitio scelerum*: pro quo *Ablutio scelerum* nunc legitur in Missali. In fine autem legitur: *Sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum*, sine dictione *Fidelium*, quæ in Missali habetur.

b *Missa pro defunctis desiderantibus pœnitentiam, & minime consequentibus*; hic titulus iis, qui sacram Theologiam non norunt, scrupulum aliquem injicere post. Hoc enim loco non est sermo de iis, qui absque pœnitentiæ virtute vel sine caritate ex ea vita decesserunt, & orationum, sive suffragiorum capaces non sunt, etiam quia Ecclesia pro his non intendit orare, sicut neque pro iis qui in hæresi vel in excommunicatione obierunt; sed de iis qui in mortis articulo desideraverunt, ac petierunt Sacramentum, & nonnisi in voto consequi potuerunt, ut rubrica, necnon Orationes hujusce Missæ omnes præ se ferunt. Neque hoc in loco sermo est de Pœnitentiæ venia per veram contritionem impetranda, sicut legitur in cap. 12. Epist. ad Hebræos de Esau, *qui*, teste Apostolo, *pœnitentiæ locum non invenit, quamvis eum lacrymis inquisisset eum*: necnon de Antiocho, in Machab. 9. *qui* quidem, ut Scriptura narrat, *scelestus Dominum orabat, misericordiam ab eo non consequuturus*. In his enim duobus locis non habetur sermo de vera contritione, quæ oritur ex amore justitiæ; sed de ea, quæ nascitur ex mœrore damni temporalis; nam Deus neminem repellit, si recta intentione convertatur ad eum: *Quis enim*, ut in cap. 20. Ecclesiast. legitur, *Deum invocavit, & despexit eum?* Titulus ergo Missæ intelligendus est eo modo, quem initio hujusce Scholii explicavimus.

c In Præfatione ad exorcismum ad aquam benedicendam multæ lectionum varietates inveniuntur in mss. & impressis codicibus, sed eas brevitatis causa prætermittemus, tria tamen in medium consideranda proferentes. Primum est: *Ipsa te cognovit Altissima Salus, & Respector perpetuus, ad quem humiles rogamus, ut exaudias*, &c. Est locutionimis dura, ac tricis non carens, si verborum constructio perpendatur: sermo enim est ad aquam, & paucis hisce verbis absque ullo medio fit transitus ad Deum sub secunda persona. Quod sane non nisi nimium licenter stare potest. Codex autem impressus, liber scilicet Sacerdotalis sanctæ Romanæ apostolicæ Ecclesiæ inscriptus & auctoritate Leonis, habet: *Te igitur omnipotens Deus, Altissima Salus & Respector perpetuus, humiliter rogamus, ut exaudias*, &c. Quæ sane lectio, quamvis bona & accommoda sit atque perspicua, priorem tamen lectionem relinquere visum fuit, ne tanta fieret mutatio.

Ibidem dicens: *Qui te arcanis & limpidis velocibus ventis pluere præcepit*, &c. Hæc item locutio satis obscura, non solum in cod. Vaticano ms. sed etiam in impresso libro Sacerdotali, quem supra citavimus, reperitur, dictione *limpidis* excepta.

Ibid *Expellas omnem umbram, omnem Sathanam, & omnes machinationes spirituum immundorum, sive Bithonatum, sive errantium in invocatione magicæ artis*, &c. Hæc autem locutio est ad aquam directa pro expellendis dæmonibus, eorumque machinationibus vertendis; sed particula, *Bithonatum*, pro-

a Quas orationes illic in nostra editione desiderantur, eas hoc loco addendas duximus.

Missa communis Sancti Augustini.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum simul dominaris & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te suppliciter exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum,

Postcommunio.

Purificent nos, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, sacramenta quæ sumsimus, & præsta, ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum. Per Dominum nostrum.

b Omittitur quoque hæc Missa in nostra editione; quam idcirco hic damus.

Missa pro defunctis desiderantibus pœnitentiam, & minime consequentibus.

Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venit, fuerit officio linguæ privatus, constitutum est ut si idonea testimonia hoc dixerint, & ipse per motus aliquos satisfacit, Sacerdos impleat omnia circa pœnitentem, ut mos est.

Ad Missam.

Omnipotens & misericors Deus, in cujus potestate conditio humana consistit, animam famuli tui *Ill.* ab omnibus absolve peccatis: ut pœnitentiæ fructum, quem voluntas ejus optavit, præventu mortis non perdat. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Satisfaciat tibi, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *Ill.* sacrificii præsentis oblatio, & peccatorum veniam quam quæsivit, inveniat: & quod officio linguæ implere non potuit, desideratæ pœnitentiæ compensatione percipiat. Per Dominum.

Intra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *Ill.* cujus depositionis diem *Ill.* celebramus, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, & ineffabili pietate concedas: ut quod exequi præventus conditione mortali ministerio linguæ non potuit, mereatur indulgentia sempiterna. Diesque nostros, &c.

Ad Complendum.

Deus a quo speratur humani corporis omne quod bonum est, tribue per hæc sancta, quæsumus, ut sicut animæ famuli tui *Ill.* pœnitentiam velle donasti, sic indulgentiam tribuas miseratus optatam. Per Dominum.

c Hanc Præfationem non continet Codex S. Eligii, quem post Menardum edidimus. Videri autem potest in Edit. Gussanvill. col. 1551. & seq. Ex hac etiam Præfat. desumuntur, quæ in duabus subsequentibus notis illustrat Angelus Rocca.

nihil profecto significativum sonare potest, nisi vox A corrupta esse dicatur, duabus particulis Græci constans, hoc est, *Biathanaton*, vel *Biathanatorum*: nam *Biathanator*, vel *Biathanatus* est, qui violenta occubuit morte, dictus a *βία*, quæ est violentia, & *θάνατος*, mors. Hunc locum cum aliis Sacramentariis Vaticanis mss. conferre non potui, cum hæc Præfatio, ad exorcismum pertinens, in iis non extet. Vidi tamen ipsum in Sacerdotali superius citato ad Scholium * p. 243. ubi loco dictionis *Bithonatum*, inveni *Biotanatorum* sine adspiratione: sed quia etymologia hujusce dictionis sensui exorcismi contra spiritus immundos, & contra invocationem magicæ artis satisfacere non videbatur (et etiam adspiratione addita) ob temporis inter imprimendum angustiam, relicta fuit vox *Bithonatum*, hoc loco maturiorem postulante considerationem; quia etsi mea de B voce *Biothanatorum* conjectura est rationi consentanea, & certitudini, ut sic dixerim, proxima; eam tamen absque alicujus Scriptoris, aut exemplaris auctoritate, dicto in loco apponere ausus non fui, præsertim vero ob frequentem Scriptorum usum, qui vocem *Biothanatorum* pro iis qui violenter occubuerunt, contra vocis etymologiam frequenter usurparunt: *Biothanatus* enim a *βίος* quæ est vita: & *θάνατος*, mors, dictus, mortalem sonat vitam. In passione S. Andreæ Apostoli apud Surium die 30. Novembris Tomo 6. a Presbyteris & Diaconibus Ecclesiarum Achaiæ conscripta, invenio Ægeam Proconsulem, qui S. Andream cruci affigi mandavit, ex hoc Decreto a dæmone statim arreptum, & in medio foro civitatis volutatum expirasse. Hinc Stratocles Ægeæ frater, ad Christum conversus, jussit servis C suis, *ut inter Biothanatos sepelirent eum*. Hæc ex Surio in fine dictæ Passionis. Cassianus item in Coll. 2. c. 5. de morte Heronis senis usus est hac dictione *Biothanatos*, pro iis qui violenta occubuerunt morte. Hic enim Hero quinquaginta annorum spatio in eremo singulari continentiæ rigore commoratus diabolica tandem illusione deceptus, in puteum sese præcipitem dedit: indeque illæsus a fratribus extractus, sed pene exanguis, ac deinde in suæ deceptionis obstinatione perseverans, tertia die obiit. Hinc Cassianus de Herone ait: *Vix a Presbytero Abbate Paphnutio potuit obtineri, ut non (inter Biothanatos reputatus) etiam memoria & oblatione Pausantium judicaretur indignus*. Lampridius in Heliogabalo Imp. adolescente impurissimo, qui a scurris anno ætatis suæ 16. occisus fuit, hunc in modum de eo scribit: *Et prædictum eidem erat a Sacerdotibus Syriis Biothanatum se futurum*. D Hac denique voce in eumdem item sensum usurpata Julius Firmicus suis ad res Astrologicas pertinentibus usus est, & quidem frequentissime. Ego itaque cum hac in re perplexus forem, num scilicet vox *Biothanatorum*, vel *Biathanatorum* dictum in locum reponenda esset, pertractans Tertulliani librum de Anima, (sed aliud agens) incidi in cap. 33. non procul a libribi fine, in quo disceptatur, an demorentur hic animæ post mortem, vel ab inferis commeent; & præsertim in eum deveni locum, in quo de magica invocatione, necnon de exorcismorum antiquitate disputatur; bisque dicto in loco de violenta morte præreptis mentionem facit: quos non *Biothanotos*, nec *Biathanatos*, sed *Biæothanatos* dictos, hoc est, violenter mortuos, a *βιαίως*, adverbio Græco, quod est vio- E lenter, appellat in hanc verborum formam: *Itaque invocantur quidem Abori & Biæothanati sub illo fidei argumento, quod credibile videatur, eas potissimum animas ad vim & injuriam facere, quas per vim & injuriam sævus & immaturas finis extorsit, quasi ad vicem offensæ, dæmones operantur sub obtentu earum, &c.* Hæc Tertullianus. Tertulliana itaque lectio cum propria & genuina esse videatur, ipsam vocem *Biæothanatorum*, dictis omnibus in locis restituendam esse reor: vel *Biathanorum*, ut mea fert opinio. Si autem vox, *Biothanatorum*, reponenda censeatur, hanc per figuram syncopam, ac diphthongo detracta, scriptam & pronuntiatam esse dicas oportet.

Col. 233. *A.* In exorcismo salis, ut videre est in titulo, & in exorcismo ipso, fit mentio de vetusta spargendi salis consuetudine ad quæque noxia effuganda.

A *Col.* 234. *B.* Inter alias novarum frugum benedictiones extat benedictio uvæ vel fabæ, & vetusto more scriptum reperitur *fava*, pro *faba*. Veteres enim illi, B. scilicet Gregorii seculo, *v* pro *b*, & *b* pro *v*, ad arbitrium uti solebant pro modo usum Græcorum, sed inepte quidem, modo Gothorum & Longobardorum ceterarumque nationum exterarum scribendi pronuntiandique formam ac barbariem imitantes, ut eruditi viri & permulti sane affirmant, hujus generis in Latina lingua jacturam fatentes. Scribebant autem contra venerandæ antiquitatis usum, *laver* pro *labor*, *veneficium* pro *beneficium*, *vonam* pro *bonam*, & alia id genus permulta; ita etiam *vivere* pro *bibere*, & *bibere* pro *vivere*, necnon *bita* pro *vita*. Qui profecto scribendi pronuntiandique modus in Hispania, præsertim vero in Provincia Castellæ, B & alibi apud multos in hanc usque diem remansit. De aliquot exemplis superiori loco appositis luculentissimum extat testimonium per Tabulam illam lapideam satis grandem, Romæ in Xisto, sive in Portico S. Petri ad parietem Ecclesiæ affixam, & ad calcem Scholiorum appositam: in qua recensentur multa oliveta, quæ B. Gregorius SS. Apostolis, & ad eorumdem SS. Apostolorum luminaria concinnanda dicavit: in qua scilicet Tabula, *olibetum* pro *olivetum*, & semper quidem, necnon *parba* pro *parva*, & *silbula* pro *sylvula*, & *uveribus* pro *uberibus*, & *devitorem* pro *debitorem*, usurpantur. Hinc nos ad Codicis Vaticani vetustatem comprobandam, vocem *Favæ*, pro *Fabæ* retinendam censuimus. Id quod etiam a Pamelio factum esse constat, cum hanc eandem lectionem retinuerit, & in margine scriptum reliquerit dicens; C *More veterum censeo favæ, pro fabæ legi.*

Hujus autem generis scribendi pronuntiandique usus varius, ortum fortasse habuit a vario usu scribendi pronuntiandique secundam Alphabeti Græci litteram. Ætas enim Latinorum illa græcisans, hoc est Græcorum linguam imitari affectans, multas voces a fonte Græco originem trahentes, Græcis litteris scribere solebat, & frequenter quid in hunc in modum: IHC XPC, IHΣ XPΣ; Latinas item nonnullas ad imitationem Græcorum pronuntiare studebant, ut patet per exempla superius assignata, in quibus utebantur littera *b* pro *v*, & *v* pro *b*. Hæc autem varietas fiebat ob varias opiniones, sicut dictum est de littera *Beta*, Græci Alphabeti secunda. Veteres enim Latini, sicut ad hanc usque diem multi, opinantur B secundam D Alphabeti Græci litteram vim ac naturam habere quam littera *v* apud Latinos, eamque per *v* exprimebant, vocitabantque *Vita*, ratione forsan ducti, quod Græci scriptores cum scribunt nonnulla Latinorum nomina, ut *Valerius* & *Virgilius*, modo *B*, modo OT uti solent, ut Βαλέριος, & Οὐαλέριος & Βιργίλιος & Οὐιργίλιος. Quod faciunt necessitate compulsi, nullam habentes litteram, ut recte ait Adolphus Mekerchus, vir quidem eruditus, quæ nostram consonantem reddat; cum *V* vocalis, & *V* consonans apud nos unum nomen & unam habeant figuram. Ob id Ptolomæus in omnibus nominibus apud Latinos ab *V* incipientibus, ut *Verona*, Οὐήρωνα; Vicentia, Οὐικεντία, vel Οὐικετία, & id genus alia, per Οὐ, quod sonat *V* Latinum, non per *B*, scribit. Suidas item quando *V*, pronuntiare studet, non per *B*, sed per OT id facit, ut Οὐάλης, E Valens Romanorum Imperator, & Οὐαλεντινιανός, Valentinianus Romanorum item Imperator: necnon Οὐάρος, Varus, Laodicensis Sophista; atque hunc semper in modum alia id genus nomina ab eo scribuntur. Eodem quoque modo interjectio dolentis *væ*, scripta reperitur apud Matthæum 18. dicentem: Οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται, hoc est, Væ homini illi, per quem scandalum venit.

Idem alibi apud eumdem, & apud alios Evangelistas non semel, & aliis locis novi Testamenti. Hinc nonnulli Latinorum, sed perpauci, rectius sentientes, existimaverunt *b* Græcum eamdem habere vim & pronuntiationem, quam *b* Latinum, & *beth* Hebraicum habent; & Græce *βῆτα*, *bita*, vel Latine *beta*, juxta Hebraicam fere pronuntiationem, *beth*, quam sibi Græcus ab Hebræo non mutavit, non *vita*, dicendum, reipsa demonstrant. Quo in

in genere sunt Juvenalis Satyra 14. & Martialis A
lib. 5. Epigram. Quibus in locis *Beta* pro *Vita* scriptum reliquerunt. Idem sensit Plautus, qui in Pseudolo interjectionem admirantis, *Βαβαί*, pro qua Latini *Papæ*, Græcam retinuit dicentes: *Babæ, nunc mihi demam animus in tuto est loco*. Et in Asin. pro eo quod Latini dicunt, *incedit*, vel *vadit*, usurpavit hanc vocem *badizat*, dicens: *Demam Hercle jam de hordeo, tolutim ni badizas*. Quod autem *b* Græcum habeat eumdem sonum, quem habet *b* Latinum, non solum de verbo *badizo*, verum etiam ex ipso ovium balatu, luce clarius dignosci posse testantur eruditi viri, Johannes scilicet Chekus Angnus, & Adolphus Meterchus Brugensis in commentario de vera ac recta linguæ Græcæ pronunciatione, dum Eustathii in Homerum opinionem Cratini referunt dicentis, *b* vocis aut soni ovium imitativum & significativum esse: citantque ex eodem Eustathio hunc ejusdem Cratini versum, & interpretantur:

Ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει, hoc est,

Hic fatuus tamquam ovis, Be Be sonans badizat.

Inditum est enim ovibus a natura, ut belatum suum (quem Latini, *e* in *a* vertentes, balatum vocant) non per hunc sonum, *ve, ve*; sed per illum *be, be*, labiis per spiritus impetum reclusis, oreque aperto exprimant, & *B* Latinum optime omnium declarent. Hinc Pierius Valerianus 46. Hieroglyphicorum libro, cap. de litteris septem, *B* Latinum per pictam pecudem repræsentari posse ait. Eodem modo voces illæ, quas Latini a Græcis sibi mutuarunt, scribuntur, ac pronuntiantur per *be* Latinum, ut *brachium, balneum, boo, bos, barbarus, baptizo*, & aliæ id genus innumeræ, non Vrachium, Valneum, *voo, vos, varvarus*, nec *vaptizo*. Ex quibus omnibus liquido constat, cur *b* pro *v*, & *v* pro *b* apud veteres reperiantur.

a *a Col. 1554. & sequenti*. Multarum rerum benedictiones videre est, quæ nunc in usu frequenti non sunt. Sed pag. 1558. extant in *Lardario, & in Caminata* benedictiones. Lardarium autem, ut aiunt, vox est desumta a Gallis qui rem ipsam *Lardier*, vocitare solent. *Caminata* vero pro camino ab iisdem usurpatur Gallis, qui hunc in modum scribunt, *Cheminée*, adspirationem haudquaquam pronuntiantes.

b b *Col. 1559. D.* Extat hujus generis nota ÷ quam olim Librarii pro *est*, usurpabant, & frequentissime quidem, ut in codicibus mss. quingentis abhinc annis videre est. Vidi olim ego hanc notam in multis codicibus manuscriptis antiquis; sed postremo in Bibliotheca Vaticana, in qua extat liber antiquissimus notarum Ciceronis Grammatici ac Senecæ inscriptus. In hoc enim libro inter plurima diversarum notarum genera reperitur nota ipsa, de qua nunc habetur sermo, ad varias substantivi verbi voces conscribendas, modo cum uno tantum puncto subscripto, modo cum uno tantum superscripto, vel ad lineæ finem apposito excogitata. Hoc scribendi genus per notas, quas dicunt per ipsas, vel per litteras commutatas, seu per situm litterarum immutatum, hoc est, *a* post *b*, &c. tam apud Ciceronem, Senecam, quam etiam apud alios, sive hodie multis modis fieri solet, inventum fuit, ut res conscriptæ, si litteræ ad absentes missæ interciperentur, ab aliis non intelligantur. Compendioso autem scribendi genere tam Notarii, a notis ipsis nuncupati, quam Amanuenses ac Librarii velociter scribendi causa utebantur. Hanc scribendi velocitatem de Notario, vel Amanuense ac Librario, qui calamo verba dictantis excipiebant, aperte indicat carmen illud Martialis dicentis:

Nondum lingua suam, dextra peregit opus.

Quamvis autem hoc in loco hujusmodi signum dicti verbi intellectum habere non queat, illud tamen ipsum relictum est ad codicis item antiquitatem comprobandam, nisi dicamus notam hanc additamenti esse signum: quæ enim post notam hanc ÷ ad verbum usque, *formasti*, exclusive, leguntur; in ceteris codicibus mss. & impressis non reperiuntur. Hoc item signum ad hanc rem præstandam in usu olim fuisse B. Hieronymus testatur, scribens ad Paulam, & Eustochium, & Suniam, & Fretellam: & hujus generis signum, obelus ab eo nuncupatur: quæ sane virgula a Latinis veru vocitatur, quo ostenditur jugulandum
B esse & confodiendum quod in authenticis libris non invenitur.

Ibidem C. in oratione admodum prolixa variæ sunt lectiones, quæ brevitatis causa prætermittuntur. Illud tamen subticendum non est, *urgueo* pro *urgeo*, & *contremesco* pro *contremisco* olim dici solitum, ut non semel dicta in oratione & alibi, *anguo* pro *ango* scriptum reperimus, ac retinuimus eamdem ob causam assignatam. De primo extat Parmæ inscriptio marmori incisa, in qua legitur, *urgueate fato*. Et Caper grammaticus auctor satis antiquus, De Auct. Latin verb. *tinguere* non *tingere* dicendum affirmat; quoniam est verbum *tinguo, uis*; & ut ipse ait de usu loquendi sua ipsius ætate, & a verbo *anguo, unguentum*, & *unguentarias* derivari affirmat. Unguentarius autem a
C verbo *ango, angis*, ut legitur in lapideis inscriptionibus. Idem dicit Conradus de lingua Lat. De secundo autem, hoc est de littera *E* pro *I* multa extant exempla ex lapidibus, ut videre est in orthographia Aldina. Antiquitus enim *seae* pro *sine*, & *sebi* pro *sibi*, & *pertenet pertinet*, & alia id genus innumera dicebantur.

c Col. 1562. E. In oratione super feminas, multa desunt, quæ in ms. Bibliothecæ Montis Regalis Panhormi, & in Sacerdotali Romano impresso, leguntur. In codice Vaticano hæc ita jacent: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui tribus Israel monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti*, &c. In codice Montis Regalis: *Deus Abraham, &c. Deus, qui tribus pueris Israel de Ægyptiaca servitute liberasti, per Moysem famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto mo-* c
D *nuisti, & Susannam de falso crimine liberasti*, &c. In codice Montis Regalis, dictio (*Pueris* vacat, cum *tribus*, accusandi casum esse satis constet; & dictio (*Pueris*) cum verbo *monuisti*, stare non possit. In Sacerdotali autem Romano recenter impresso hæc oratio in ordine baptizandi legitur hunc in modum: *Deus Abraham, &c. Deus, qui tribus Israel de Ægyptiaca servitute liberasti: & per Moysem famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti: & Susannam de falso crimine liberasti, te supplices exoramus, ut, &c.* Hæc oratio quamvis integra & perspicua sit, lectionem tamen Vaticanam, etsi mutilam, retinuimus, ne tanta fieret mutatio in codice, qui in Ecclesia publicæ lectioni deservire non potest.

d Col. 1562 B. Quem ad fontem Baptismatis do- d
E *nam vocare dignatus est*. Hic locus in codice ms. Vaticano depravatus videtur, & ex Sacerdotali Romano impresso correctus est hunc in modum: *Quem ad fontem baptismatis dono suæ gratiæ vocare dignatus est* (scilicet *Christus*) quæ sane correctio a codice Pamelii nost est aliena.

Col. 1564. C. In rubrica extat vox ista, *Excarpsatum*; quæ quid sibi velit, sciri haud potuit: sed vox corrupta vitio Scriptoris judicatur. Verba enim rubricæ sunt hæc: *Et reliqua sicut in illo superiori ordine excarpsatum est*, &c. Sed videtur probabiliter legendum,

a Scilicet in editione Gussanvil. Hujusmodi Benedictiones plurimas legimus, tum in editis, tum etiam in veteris mss. sed eas non admittit noster codex Eligianus, quod ejus antiquitatis est argumentum.

b Nimirum ejusdem edit. Gussanv. Oratio vero ubi hoc extat, est secunda super dæmoniacum: Et Deus conditor & defensor generis humani, qui hominem ad imaginem & similitudinem tuam ÷ manibus tuis sanctis, & proprio suæ divinitatis ore formasti.

c Hæc vide in edit. Gussanv. loco assignato.

d Hæc require loco indicato in edit. Gussanv. necnon verba *Excarpsatum*, & *adscendo* de quibus sunt duæ notæ sequentes.

pro (*Excarpsatum*) *exaratam*, sive *exaratam*; hoc enim pacto ipsa locutio sensu non caret congruenti. Vel fortasse, & quidem melius, *exorcizatum*, legendum est: ibi namque de exorcizandi modo agitur: nos autem mendosum reliquimus locum, certam conjecturam non habentes. De hac igitur re judicent eruditiores. Vel, *charaxatum* legi debet, a verbo *charaxo*, id est scribo dictum, quo usus est B. Greg. etiam in Regist. lib. 5. ep. 40. *Charaxo* autem a voce *Character* dicitur, ut Huguitioni & Papiensi placet. Hinc *characatas* & *charaxatus*, a Græco χαράξ & φιττω, id est sculpo, fingo.

Col. 1568. *A. Adscendo*, legitur cum *d*, more veterum Latinorum, sicut etiam adscisco, ne secunda littera præpositionis *ad*, omnino pereat, quæ in compositione vel remanet, ut *adficio*, vel immutatur ut *afficio*, *affluo*, & similia. Pamelius autem legit duplici *s*, *Assensio*, & *Assensa Domini*, & hoc modo *d* in *s* conversum videtur.

Col. 201. *A.* [a] *Tropæum crucis*, pro *Trophæum crucis*, adspiratione prætermissa, relicta est. Veteres enim Latini, Græcos, qui Τρόπαιον dicunt, imitantes, sine adspiratione scribebant. Hi namque, teste Cicerone in lib. de Oratore longe post medium, aspiratione nonnisi in vocali utebantur, dicentes, *triumpus* & *tropæum*, & id genus alia, ut in antiquis inscriptionibus videre est. Id præsertim legebatur in veteri base Obelisci, qui nunc ad S. Johannis Lateranensis cernitur: sed modo basis illa, quam ego vidi, non extat.

Col. 228. *C. Incipiunt Apologiæ*. Sunt nonnullæ orationes in dicta pagina & sequenti, quæ nomine Apologiæ inscriptæ reperiuntur in cod. ms. Vaticano: [b] sed in ceteris codicibus mss. Apologiæ nomen nec hic nec alibi præfixum invenitur. Quamvis autem Apologiæ vis non nisi in defensione vel excusatione consistat, hoc tamen loco orationes ipsæ, ut reor, nomine Apologiæ solam peccatoris comprehendunt accusationem, quæ apud Deum vim excusationis habet. Qui enim apud divinam Majestatem sese accusat, suas culpas detegendo, hic secundum Augustinum pro accusatione excusationem, sive impunitatem meretur, justificati nomen recipiens, cum justus, ut Sapiens ait, prior sit accusator sui, exemplo illius Publicani Evangelici, qui post accusationem rediit justificatus in domum suam, juxta illud Proverb. 18. & Matth. 9. *Qui se accusat, cum peccaverit, justus est*. Et Isa. 43. *Dic tu prius iniquitates tuas, ut justificeris*. Huc spectare videtur liber S. Ambrosii de Apologia David, quæ est accusatio peccantis David coram Deo, & accusatio contra detractores.

Ibidem legitur *peripsima*, pro *peripsema*, & *neglegentia*, pro *negligentia*, more Antiquorum. *Peripsema* enim apud Græcos, est purgamentum ferri vel pomi, & quidquid de qualibet materia, ut purgata reddatur, abjicitur. Hunc sensum habent verba B. Pauli 1. Cor. 4. *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc*. Antiquitus autem dicebatur *Peripsema*, more Græcorum, qui scribunt περίψημα, quamvis apud Latinos *Ita*, *e* Græcum, in *e* longum converti soleat. *Neglegentia*, pro *negligentia*, apud etiam veteres Latinos dicebatur, ut ex lapidibus & libris mss. videre est.

[c] *Col.* 1572. *E.* In Missa pro febricitante fit mentio de S. Sigismundo martyre Burgundiæ Rege, per quem febricitantibus sanitatem redditam fuisse Sigebertus Gemblacensis Monachus in Chronicis testatur. De hoc Beda, Usuardus, Ado, Gregorius Turonensis, & Baronius scribunt. In prima hujus Missæ oratione legitur: *Typus quartanus, & quotidianus*, pro quodam, ut conjectura fert, termino febris, quæ quadam forma, seu regula, sibi quasi præfixa, hominem corripit; aut termino, sive ordine quodam, qui typus nuncupatur. Nam Galenus de typo cap. 1. loquens ait: *Typus est ordo intensionum, ac remissionum*. Vel sic: *Typus est ordinata intensionum, remissionumque redditio*. Vel: *Typus est affectus, cui accessio & remissio ordine quodam accidit*. Galenus in lib. def. med. Hinc typicæ febres sunt, in quibus accessio & remissio statis vicibus accedunt: atque his erraticæ plane contrariæ sunt; quæ nec statum tempus, neque ullum ordinem accessionum & remissionum servant, sicut sunt illæ, quæ oriuntur ex atra bili, quæ in quibusdam partibus movetur; in quibusdam vero immota manet; in aliis putrescit, aut fervere incipit, auctore Galeno lib. 3. Prognost. com. 29. ex quo hæc decerpsi ad verbum, ut hic Sacramentarii locus explicaretur.

Col. 1578. *D.* In prima oratione legitur: *Ut piis nostris precibus clemens ac propitius aspiras, sicut & illi misericordiam largiaris*. Textus Vaticanus sic jacet, & fortasse menda non caret, nisi legatur *aspiras*, pro *aspirans*, sicut *elegas*, pro *elegans*; & *mesa*, pro *mensa*, non sine ratione, ut in lapidibus legitur antiquis; vel *aspires* legendum est. Sed quomodocumque legatur, constructio verborum non satis perspicua videtur.

Ibidem E. Oratio, quæ dicitur, *Ad complendum*, est omnino mutila, & sensus congruere non videtur: nec aliud exemplar haberi potuit pro hac re dilucidanda. Id quod aliis item in rebus nobis evenit. Multa enim hoc in Exemplari, quod impressimus, reperiuntur, quæ in codicibus tam mss. quam impressis non extant; presertim vero a col. 1573. B. ad finem usque nihil penitus in ceteris exemplaribus invenitur.

Col. 1580. *A.* In Missa pro Papa fit mentio de B. Silvestro, & orationes sunt illæ, quæ in Missa pro Papa recitantur, ac tempore B. Silvestri videntur usurpatæ, cum ejus nomine sint insignitæ: nisi dicamus hoc factum esse a Librario, vel a quopiam alio, ad majestatem Pontificiam insinuandam, quæ vires suas tempore B. Silvestri suscepit.

[d] *Ibidem*, Hymnos B. Gregorii in tomo v. imprimendos curavi, ut ne quid in Vaticana editione ex operibus ejusdem Sancti desideraretur. Quamvis autem Clicthovæus in suo Elucidatorio Ecclesiastico, quatuor tantum B. Gregorio adscribat, hoc est, *Primo dierum omnium*; *Nocte surgentes*; *Ecce jam noctis*; & *Lucis Creator optime*; octo tamen sub ejusdem Sancti nomine hac in editione impressi sunt, quia aliter de hac re senserunt.

Ego Franciscus Perez Collado Doctor Theologus, jussu Reverendissimi Patris Bartholomæi de Mirande, Magistri sacri Palatii, perlegi hæc Scholia in Sacramentarium B. Gregorii, a Reverendo Patre Magistro Angelo Rocca a Camerino ex collatione codicis mss. summa diligentia elaborata: & in eis nihil fidei, aut bonis moribus repugnans inveni; sed omnia digna ut typis excudantur, quæ & Auctoris industriam, & labores ab eodem susceptos in ipsorum Scholiorum conscriptione testantur, & B. Gregorii difficilibus & implicatis locis magnam lucem afferunt. In quorum fidem subscripsi die septimo Februarii, anni 1594.

FRANCISCUS PEREZ Collado, ut supra.

Librum hunc accurate, & omni adhibita diligentia vidi, nihilque in eo, quod fidei Catholicæ adversetur, reperi.

LÆLIUS LANDUS

a In nostra editione legitur *trophæum*.

b Secus in nostris codicibus, ubi sic legitur. Vide loco indicato, & consule notas Menardi.

c Hæc adhuc sequitur in editione Gussanv. aut Vaticana. Eadem dicta intellige de tribus notis immediate sequentibus.

d Edit. scilicet Vaticana. In nostra autem illos reperies in Appendice ad Antiphonarium.

DE LIBRO SACRAMENTORUM INSIGNE TESTIMONIUM,

Ex Petri Lambecii Tomo secundo Bibliothecæ Cæsareæ Cap. V. pag. 298. num. XIV.

SECUNDUS *augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ codex ad vitam & res gestas Imperat. Caroli Magni pertinens est inter mss. codices Theologicos Latinos 360. & continet præcipue S. Gregorii Magni Papæ I. Librum Sacramentorum. Idcirco autem dixi eum codicem ad historiam vitæ Caroli Magni pertinere, quia hic est ille ipse quem summus Pontifex Hadrianus I. Carolo Magno, ad petitionem ipsius, dono misit, uti videre est ex epistola 82. collectionis epistolarum veterum, studio & cura ipsius Caroli Magni adornatæ, quippe ubi Papa Hadrianus istius codicis mentionem facit his verbis:* De Sacramentario a sancto prædecessore nostro Deifluo Gregorio Papa disposito jampridem Paulus Grammaticus a nobis eum pro vobis petiit, & secundum sanctæ nostræ Ecclesiæ traditionem per Johannem Monachum atque Abbatem civitatis Ravennatium vestræ regali emisimus Excellentiæ; quatenus optantes pro vestra regali invictissima Excellentia eumdem Dei Apostolum vestrumque protectorem, poscentes quæsumus ut semper ubique vos comitans victores super omnes barbaras nationes efficiat, & una cum Domna spiritali filia nostra excellentissima Regina, vestræque prosapiæ nobilissima prole, longiori ævo in hoc regnantes mundo, in vitam æternam cum Sanctis omnibus regnare sine fine ejus interventionibus faciat. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. *Huc usque clausula epistolæ Papæ Hadriani I. in qua libri Sacramentorum S. Gregorii Magni ad Carolum Magnum transmissi fit mentio. Titulus autem ejusdem libri in ipso codice ms. ita se habet:*

IN NOMINE. DNI.
INCIPIT. LIBER. SA
CRAMENTORUM. DE
CIRCULO. ANNI. EXPO
SITUS. A STO. GREGO
RIO. PAPA. ROMANO.
EDITUS. EX AUTHENTI
CO.LIBRO.BIBLIOTHECÆ
CUBICULI. SCRIPTUS.

MONITUM.

IN *nonnullis libris Sacramentorum mss. codicibus, attexitur S. Gregorii* Benedictionale, *seu solemnium ab Episcopis dicendarum Benedictionum ordo & series: quod de supra laudato Cæsareæ Bibliothecæ codice maxime testatur Lambecius, loco jam citato, his verbis:* In eodem venerandæ vetustatis codice post jam memoratum Librum Sacramentorum extat etiam ejusdem S. Gregorii Magni *Benedictionale*, sive syntagma solemnium sacrarum benedictionum in sancta Ecclesia Catholica ante mille & 60. annos usitatarum: quod quoniam tam in Antuerpiensi quam in Romana operum S. Gregorii Magni editione desideratur, operæpretium me facturum arbitror, si integrum illud hic inseruero; ne tam rarum & fructuosum primitivæ Ecclesiæ Christianæ monumentum diutius lateat.

*Ineditum hoc opusculum rebatur Lambecius, cum de ipso evulgando cogitavit. Verum errorem suum postea correxit, viso libro Sacramentorum cura nostri Menardi edito, in quo scilicet illæ Benedictiones, tamen plurimæ sparsim suis locis occurrunt: hinc nobis satis visum est, loco Appendicis, subjicere reliquas in editione Menardi & nostra omissas. At quia ampliorem hujusmodi Benedictionum segetem, nobis suppeditavit codex S. Theoderici prope Remos, quem aiunt ante annos ferme * nongentos scriptum, non abs re esse censuimus eas monitissæ loco adjicere.*

Porro de Benedictionibus, earumque in Missis solemnibus usu, lege notam centesimam nostri Menardi in librum Sacramentorum, & Jacobi Pamelii Prolegomena in secundum tomum Liturgicon. Hic Benedictionum Episcopalium per anni circulum *libellum, quas a Grimoldo Abbate collectas putat, eodem tomo edidit, a nostris pene semper discrepantes. In Missali Gothico Josephi Thomasii prius, deinde nostri Mabillonii opera vulgato, sunt Benedictiones in singulis fere solemnitatibus, verum prorsus diversæ. Liber Sacramentorum Ratoldi, seculo decimo descriptus, plures continet Benedictiones quam alii*, quia recentior est, *inquit Menardus in Præfatione; cui minime tamen concedimus, majorem numerum Benedictionum minoris antiquitatis argumentum esse; alioquin dicendum foret Missale Gothicum, tam venerandæ antiquitatis, & Theodericensem codicem recentioris ætatis notam præferre. In nonnullis sane vetustis libri Sacramentorum codicibus desiderantur Benedictiones, ut in codice Reginæ Sueciæ, in Colensi, Gemet. Theoderic. &c. sæpe in notis ad librum Sacramentorum, laudatis. At cur desint non alia est ratio, quam quia in alio seorsim volumine continebantur, quod, ubi opus erat, Episcopo legendum porrigebat Archidiaconus. Id ex mss. Theodericensibus constat; in neutro enim reperiuntur hujusmodi benedictiones Episcopales; at in codice separato notato a tergo 62. exhibentur. In codice Gemet. nongentorum circiter annorum, qui omnia ab Episcopo recitanda (unde Pontificalis dicitur) comprehendit, exhibentur etiam Benedictiones in lib. Sacram. sparsæ, ac longe plures quam quæ in vulgatis leguntur. De eo sæpe infra. Porro non agimus hoc loco de Benedictionibus aquæ, ferri, &c. quibus olim mos erat explorare innocentiam eorum, quibus objiciebantur crimina; quæ tum in Pontificali laudato, tum in aliis plurimæ continentur; legique possunt lib. 3. de antiq. Eccles. ritibus cap. 7. auctore nostro D. Ed. Martene. Cetera quæ ad hoc argumentum pertinent, lege in amplissima Menardi nota centesima, ubi pro suo more cumulatissime ac eruditissime ea de re disserit.*

BENEDICTIONES QUÆ IN LIBRO SACRAMENTORUM DESIDERANTUR.

Ex Benedictionali a LAMBECIO *edito.*

a Benedictio in Annuntiatione sanctæ Mariæ.

DOMINUS JESUS CHRISTUS, qui in seculorum fine processit ex virgine, cor vestrum virginitatis incorruptæ corona clarificet. Amen.

Et qui annuntiante Angelo virginis ingressus est uterum, ejus vos ministerii & instruat & muniat Sacramento. Amen. Quique hodie Virginis Conceptionem devotissime celebratis, ad Nativitatem nostri Redemtoris exultantibus animis & mundo corde perveniatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio in Septuagesima.

b Deus omnipotens, qui unicuique nostrum ita currere ut comprehendamus jussit per Apostulum suum, infundat cordibus vestris Paraclitum Spiritum, quo & felicissimum valeatis consummare cursum, & in ejus vinea licet diversis vocationibus laborantes, promissæ tamen ab eo mercedis mereamini recipere nummum. Amen. Ejusdem sancti Spiritus illustrati gratia, vegetati clementia, taliter flagitia relinquatis, atque plangatis præterita, devitetis præsentia, & dignius etiam consummetur sacratissimæ Quadragesimæ abstinentia ventura. Amen. Quatenus peragentes competenter ipsum tempus Quadragesimale, purificatis mentibus ab omni vitiorum labe, mereamini mundi venire ad celebrandum festum Paschale. Amen.

Benedictio sanctæ Eucharistiæ.

c Omnipotens Deus, opifex totius fabricæ mundi, qui in principio condidit omnia opera sua perfectione senarii numeri, dignetur vobis per ineffabilem gratiam suam largiri, ut omni vitæ vestræ tempore continua suæ benedictionis mereamini protectione muniri. Amen. Concedatque vobis illa opera per sex dierum curricula patrare, per quæ in septimo tantam & talem gratiam ejus valeatis impetrare, ut & ipsius possitis laudibus delectabiliter vacare, & sine crimine sincerissima devotione sacrosancto corpori & sanguini Domini ad remedium communicare. Amen. Quo spiritali alimonia recreati, ejus optabili custodia tuti, perpetualiter placeatis ei ab omni opere servili penitus liberati, & ab universo facinore pariter mundati. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio de Resurrectione.

d Benedicat vos omnipotens Deus, qui vos gratuita miseratione creavit, & in Resurrectione unigeniti sui spem vobis resurgendi concessit. Amen. Resuscitet vos de vitiorum sepulcris, qui eum resuscitavit a mortuis. Amen. Ut cum eo sine fine feliciter vivatis, quem resurrexisse a mortuis veraciter creditis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Alia.

Deus qui per resurrectionem unigeniti sui vobis contulit & bonum redemtionis, & decus adoptionis, suæ vobis conferat præmia benedictionis. Amen. Et quo redimente percepistis donum perpetuæ libertatis, eo largiente consortes efficiamini

A æternæ hereditatis. Amen. Et cui consurrexistis in baptismate credendo, adjungi mereamini in cælesti regione bene vivendo. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Nativitate S. Johan. Baptistæ.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui unigeniti filii sui per beatum Johannem, tandem nostri misertus nuntiavit in terris adventum. Amen. Ipse Spiritus sanctus qui eum replevit clausum in utero matris, & patris linguam solvit a vinculo, faciat vos sua benedictione repleri, & spiritalibus donis abundanter exuberare. Amen. Ascendat vox deprecantis Præcursoris ad aures clementissimi Patris, qui mundi Redemtorem ante novit confiteri quam

B nasci, quique auctorem lavacri sacris manibus suis tinxit in fonte, maculas delictorum vestrorum clementer sua intercessione expurget, atque copiis virtutum secundet. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio in Assumtione S. Mariæ.

Deus qui beatissimam Virginem Mariam Domini nostri Jesu Christi gloriosissimam genitricem hodierna die ad cœlos voluit evocare, & super choros Angelorum sublimiter exaltare, suæ vos benedictionis gratia per intercessionem ejus & merita dignetur taliter ditare, qualiter a vitiis ad virtutes mereamini transmigrare. Amen. Concedatque vo-

C bis ex hoc seculo sic fide vigere, spe gaudere, & caritate pollere, castitatis jugiter eminentia fulgere, & humilitatis etiam excellentia splendere, quo ipsi per omnia bonis operibus adornati valeatis placere. Amen. Faciatque vos omnia præterita flagitia & facinora, ita die noctuque gemitibus & fletibus expiare, præsentia & futura tam salubriter evitare, quatenus cum ipsa possitis æternaliter in cælestibus emicare. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Item alia, De Adventu.

Benedicat vos ineffabilis gratia & pietas Dei vivi, & annuat vobis per admirabilem & salutarem adventum filii sui, ne sub dominatione peccati remaneatis, quod absit, captivi. Amen. Ab omni vos

D miseria tam potenter liberare, & in sua misericordia tam clementer dignetur perseveranterque confirmare, ut sibi vos faciat in præsenti seculo taliter deservire, qualiter ad eum in futuro gaudentes mereamini pervenire. Amen. Quique pro nobis eumdem unigenitum suum in Adventu primo voluit incarnari, ipse vos in secundo faciat ab injustorum consortio separari, & justorum commercio secum perenniter mansuros aggregari. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Item alia.

Benedicat vobis Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, Salvatoris atque Redemtoris mundi, & ita vos benedicendo justificet at-

E que sanctificet illustratione primi Adventus ejusdem unigeniti sui, ne in secundo coram ipso appareatis immundi. Amen. Fundet vos ejus gratia tam firmiter in humilitate vera, & solidet tam stabiliter in caritate sincera, quo taliter vobis displiceant ea quæ sunt mundi, & placeant jugiter ea quæ sunt Dei, ut in cæ-

a Abest hæc Benedictio a mf. Theod. & ab editione Pamel.
b Hæc quoque desideratur in laudato codice, qui plures alias continet de Septuagesima.
c Nec ista Benedictio habetur in Theod.
d Idem de hac dicendum.

cælesti beatitudine pariter cum Sanctis cohæreatis. Amen. Quique pro salute servorum eumdem filium suum tantum voluit humiliari, ut intra maternum uterum naturæ nostræ in unitatem personæ copulandn dignaretur uniri, intra vos in hoc primo adventu splendore suæ visitationis atque inhabitationis faciat illustrari, quatenus in secundo mereamini cum ipso perpetim gloriari. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio in nativitate unius Apostoli.

a Deus qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vos dignetur beati Apostoli sui N. intercedentibus meritis. Amen. Defendatque vos a cunctis adversis, apostolicis præsidiis, qui vos eorum voluit ornari & muniri exemplis & documentis. Amen. Quo per eorum intercessionem perveniatis ad æternæ patriæ hereditatem, per quorum doctrinam tenetis fidei integritatem. Amen. Quod ipse præstare, &c.

In anniversario Dedicationis Ecclesiæ Benedictio.

Deus omnipotens qui hoc sanctum templum suo gloriosissimo nomini in honor beati N. Apostoli sui voluir dedicari, ipse vos precibus & meritis illius benedictione sua justificari & illustratione visitationis atque inhabitationis suæ faciat sanctificari, Amen. Quatenus qui fuistis aliquando sicut & ceteri, domicilia hostis antiqui, & sub ejus dominatione captivi, mereamini singuli gratissima fieri templa Dei vivi, per ejus gratiam effecti de servis filii adoptivi. Amen. Quod ipse præstare dignetur. &c.

In anniversario Consecrationis Episcopi.

Omnipotens Deus qui me quamvis indignum, per immentam suæ pietatis affluentiam, in numerum Antistitum, ad ministrandum altari suo laudis hostias immolando dignatus est deputare, atque tam ad cælestis mensæ sacramenta quam etiam ad perennis vitæ alimenta populo suo eroganda destinare; ipse benedictionis copia dignetur locupletare, & sanctificando gratia sancti Spiritus corda vestra misericorditer vegetare. Amen. Dignetur etiam vos ab omnimoda nequitia clementer expiare, & in suæ pietatis excellentia potenter confirmare. Amen. Concedat quoque vobis de malis ad bona, & de bonis ad meliora quotidie proficiendo transmigrare, & post hujus terminum vitæ ad æternorum gaudia præmiorum feliciter transmigrare. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio b *quotidianis diebus.*

Benedicat vobis Dominus, & custodiat vos. Amen. Illuminet faciem suam super vos, & misereatur vestri, Amen. Convertat vultum suum ad vos, & donet vobis pacem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Item alia.

Omnipotens Deus sua vos clementia benedicat, & sensum in vobis sapientiæ salutaris insundat. Amen. Catholicæ fidei vos documentis enutriat, & in sanctis operibus perseverabiles reddat. Amen. Gressus vestros ab errore convertat, & viam vobis pacis & caritatis ostendat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Alia.

Inclinet Dominus aurem suam ad preces vestræ humilitatis, & det gratiam vobis suæ benedictionis, & præmium sempiternæ salutis. Amen. Semper & ubique Dominum propitium habeatia, & in ejus laudibus exultetis. Amen. Omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, & ad gloriam sempiternam pervenire vos faciat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Alia.

Multiplicet in vobis Dominus copiam suæ benedictionis, & confirmet vos in spe regni cælestis. Amen. Actus vestros corrigat, vitam emendet, mores compooat, & vos ad cælestis Paradisi hereditatem perducat. Amen. Talique intentione repleri valeatis, qua ei in perpetuum placeatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Alia.

Devotionem vestram Dominus dignantet iotendat, & suæ vobis benedictionis dooa concedat. Amen. Talique vos in præsenti seculo subsidio muniat, ut Paradisi vos in futuro habitatores efficiat. Amen. Sicque corda vestra sanctificando benedicat, & benedicendo sanctificet, ut vobiscum, imo in vobis eum jugiter habitare delectet. Amen. Quod ipse præstare diguetur, &c.

Alia.

Omnipotens Deus det vobis gratiam suæ benedictionis, & repleat vos spiritu veritatis & pacis. Amen. Quatenus sic per viam salutis devota mente curratis, ut subrepentium delictorum laqueos salubriter evadatis. Amen. Sicque efficiamini in ejus supplicatione devoti, & in mutua dilectionn sinceri, ut ad cæleste regnum pervenire possitis securi. Ameo. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Alia.

Concedat vobis omnipotens Deus munus suæ benedictionis, qui vestræ est conscius infirmitatis. Amen. Et qui vobis tribuit supplicandi affectum, tribuat consolationis auxilium. Amen. Ut ab eo & præsentis & futuræ vitæ subsidium capiatis, cujus vos bonitate creatos esse creditis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Item alia.

Omnipotena Deus, dextræ suæ perpetuo vos circumdet auxilio, & benedictionum suarum repleat dono. Amen. Ab omni vos pravitare defendat, & donis cælestibus exuberare concedat. Amen. Quo, corpore mundati ac mente, talem ei exhibeatis servitutem, per quam suam consequi valeatis propitiationem. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Item alia.

Purificet omnipotens Deus vestrorum cordium arcana, & benedictionis suæ vobis tribuat incrementa. Amen. Ab omnibus vitæ præsentis periculis exuamini, & virtutum spiritalium ornamentis induamini. Amen. Quo illius adjutorio fulti sic ei serviatis in terris, ut ei conjungi valeatis in cælis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Item alia.

Omnipotens Deus universa a vobis adversa excludat, & suæ super vos benedictionis dona propitiatus infundat. Amen. Corda vestra efficiat sacris inteota doctrinis, quo possint repleri beneficiis sempiternis. Amen. Quatenus & exequenda intelligentes, & intellecta exequentes, & inter adversa mundi inveniamini indemnea, & beatorum Spirituum efficiamini coheredes. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Item alia.

Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, & suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Ab omnibus vos perturbationibus liberet, & mentes vestras in suæ pacis tranquillitate consolidet. Ameu. Quatenus fidei, spei, & caritatis gemmis adornati, & præsentem vitam transigatis illæsi, & ad æternam perveniatis securi. Amen.

Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen,

ALIUD

a Est in codice Gemet. secundo loco.

b In codice Gemet. notantur Benedictiones pro singulis feriis. Pro feria 2. *Omnipotens Deus sua vos cl.* ut infra. *Inclinet* pro feria 3. *Devotionem* pro feria 4. *Concedat*, vel *Det vobis omnipotens Deus*, pro feria 5. Pro feria 6. duæ assignantur quæ non sunt editæ. Quæ pro Sabbato ponitur, non est etiam in editis.

ALIUD

BENEDICTIONUM EPISCOPALIUM SUPPLEMENTUM.

Ex Codice pervetusto S. Theoderici prope Remos.

A

Benedictio de sanctissima Trinitate.

a a BENEDICAT vos Trinitas sancta, unaque & individua Deitas, Patris & Filii & Spiritus sancti; & tribuat vobis remissionem omnium peccatorum. Amen. Concedat vobis sanitatem mentis & corporis, & liberet vos ab adversitatibus cunctis. Amen. Quatenus a cunctis vitiis emundati, ipsiusque protectione muniti, ad cælestem gloriam pervenire mereamur. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. Benedictio Dei Patris, qui est trinus in personis, vos quoque in essentia deitatis replear.

Item alia.

Deus corda nostra repleat sacræ fidei documentis, & informet vos ad vitam æternæ salutis. Amen. Quique se in Patre, & Patrem in se esse prædixit, dignetur nobis largiri dona quæ se diligentibus repromisit. Amen. Quatenus cooperante Spiritus sancti gratia, ita mereamur trinæ majestatis exequi dicta, quo ad percipienda æternitatis præmia potentiæ ejus mereamur benedici dextera. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio in Vigilia Natalis Domini.

Omnipotens Deus, &c. *ut in edit.*

Benedictio de Natali Domini in nocte.

Deus qui ideo apparuit in carne, ut electos suos adscriberet in æternitate, sua vos sanctificans benedictione, nomina vestra scribat in libro vitæ. Amen. Quique ex Maria Virgine nasci dignatus est in civitate Bethlehem, vos faciat pervenire post mortem in cælestem Jerusalem. Amen. Ut ibi gloriam Deo in excelsis cum Angelis decantetis, & cælesti pace totius bonæ voluntatis perfrui valeatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Item alia Benedictio.

D

Infans & Deus Christus, cujus præsepia mirati sunt pastores, in hac die nativitatis suæ, claritate benedictionis vestras repleat mentes. Amen. Quique pro vobis Deum & hominem hodie creditis natum, ipsius semper sentiatis salutare præsidium. Amen. Quatenus exemplo B. Mariæ Virginis omnia verba & mandata Christi in corde conserveris, & eum laudando & glorificando, sicut boni Pastores exultetis. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Bened. primo mane.

b b Populum tuum, quæsumus, Domine, pio favore prosequere, pro quo dignatus es in hoc sacratissimo E die tuam mundo præsentiam exhibere. Amen. A cunctis eum adversitatibus paterna pietate custodi, pro quo in mundo hoc tempore dignatus es ex Virgine nasci. Amen. Ut te Redemtorem suum semper intelligat, & tuam veraciter gratiam comprehendat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Alia Benedictio.

c Deus qui non solum genus humanum condere, sed etiam te nascente voluisti hominem de terris ad astra transire; respice preces supplicum, qui te post longas tenebras hodie natum lumen agnoscunt. Amen. Complectere hunc populum in Ecclesiæ sinu, qui nobis processisti Mariæ de thalamo. Amen. Sit hæc plebs tuis præceptis obedienter amabilis, sicut est partus Virginis in origine singularis; ut cum dies tui fulgoris effulserit, invenias in illis quod recondas in horreo, pro quibus dignatus es in carne venire de cælo. Amen. Quod ipse præstare, &c. c

B Postea sequitur: *Benedictio in die natalis Domini.* Benedicat vobis omnipotens Deus, utramque, &c. *ut in edit.*

Benedictio in natali S. Stephani Mart.

Deus qui Beatum, &c. *ut in editis. & in Gemet. aliisque manuscriptis.*

Alia.

Aperi, quæsumus, Domine, cælos tuos, aperi oculos nostros, inde nobis tua dona descendant, hinc te corda nostra respiciant. Amen. Pateat nobis sedes tua in accipiendis beneficiis quæ precamur. Pateat tibi C mens nostra in reddendis servitiis quæ jubemur. Amen. Habeat sanctum tuum Stephanum pius iste populus patronum, quem etiam ille habuit impius advocatum. Amen. Accedat ad te vox illa intercedens pro populo, quæ orabat pro inimicis in ipso martyrio; ut se obtinente, & te remunerante perveniat illuc plebs acquisita per gratiam; ubi te cælis apertis ipse vidit in gloria. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in natali S. Johan. Evang.

Omnipotens Deus dignetur, &c. *ut in editis, & in Cod. Gemet. aliisque manuscriptis,*

Alia.

Deus qui tuos Apostolos pretiosa gentium lumina præparasti, qui Jacobum & Johannem ad illustrandas animas, inter vasa Ecclesiæ, candelabra fidei prætulisti; fac plebem tuam imitari, quod unus exorando formavit, alter evangelizando erudivit. Amen. Fructificet in populo quod seminavit iste verbo, plantavit ille martyrio. Amen. Ut eorum interventu, hæc turba illius reficiatur dulcedine, super cujus pectus carus Johannes accubuit præ amore. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio in Natali Innocentum.

Omnipotens Deus, pro cujus unigeniti veneranda infantia, innocentum, &c. *ut in edit. consentientibus manuscriptis Gemet. & aliis.*

Alia Benedictio.

Concede, quæsumus, Domine, plebi tuæ innocentum gratiam, qui tibi consecrasti primitias martyrum

a In edit. Pamel. Tomo 2. p. 308. & seq. multæ leguntur Benedictiones de sanctissima Trinitate; inter quas hæc non reperitur.

b In Pontific. Gemet. legitur *Benedict. in galli cantu*: Populum, *&c.*

c Extat in Pontif. Gemet. cum alia vulgata pro die Natalis D. *Benedicat vos omnipotens Deus.*

ab innocentia parvulorum. Amen. Servetur hic populus purgatus baptismate, qui tibi placitam fecisti innocentiam in cruore. Amen. Ut illuc suo interventu grex accedat post lavacrum, ubi felices parvuli perfusi rore sanguinis, gloriantur in perpetuum. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Dominica 1. post Nat. Domini. Benedictio.

[a] Deus qui unigenitum suum misit, ut mundum salvaret, &c.

Benedictio in Vigil. octavæ Domini.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per incarnatum Verbum unigenitum tuum, dedisti lumen in seculum; ejus misericordiam suppliciter exoramus; ut qui ex gentibus sanctam Ecclesiam fecundavit in grege, ab omni eam gentilitatis errore absolvat. Amen. Et qui in sequenti die ut Legis tolleret jugum, per Legem est carnaliter circumcisus, hujus populi spiritaliter dignetur circumcidere corda, atque omnia amputare radicitus vitia; ut sobrietatis studium & non ebrietatis sectentur incommodum. Amen. Sint semper tua omnes protectione salvati, ut dum carnalem desiderant circumcisionem, tua sint firmati benedictione; ut callidi serpentis venena possint evadere. & ad æternam beatitudinem te prævio feliciter valeant pervenire. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio in octava Nat. Domini.

Omnipotens Deus, &c. *ut in editis.*

In Dominica II. post nat. Domini.

Deus qui filii sui temporalem pudicitiam fecit esse mirabilem, Spiritu prudentiæ corda vestra illustrare ac docere dignetur. Amen. Quique illum parentibus temporaliter subdi voluit; ipse vos humilitatis & pietatis muneribus miseratus informet. Amen. Et qui eum sapientia, ætate, & gratia proficere voluit, spiritualium vobis profectuum incrementa propitius largiatur. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio in Theophania.

Deus, lumen &c. *ut in edit.*

Benedictio Dom. III. post. nat. Domini.

Deus qui sua mirabili potestate aquam vertit in vinum, vos a vetustate subtractos, in beatæ vitæ transferat novitatem. Amen. Et qui nuptiis interesse voluit, ut earum sua præsentia comprobaret bonum; ipse vobis castitatis & sobrietatis perpetuæ conferat donum. Amen. Ipse vobis sanctarum intelligentiam Scripturarum tribuat spiritualem, qui aquas in vina vertendo, hoc ipsum voluit designare. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Oct. Epiphaniæ.

Deus qui præsentem diem ita dignatus es eligere, & ut eligeres tot miraculis demonstrare, in quo te ad adorandum stella nova magos perduxit, & Jordania tuo baptismo sanctificari meruit; nec non & aquæ pallor in Cana Galileæ vina produxit; esto, quæsumus, tuæ familiæ ipse lux itineris, qui stella indice clarificatus es rex salutis. Amen. Da plebi tuæ Redemtoris sui plenum cognoscere fulgorem, ut per ejus incrementa ad perpetuam claritatem perveniat. Amen. Da plebi tuæ Redemtoris sui plenum cognoscere fulgorem, ut per ejus incrementa ad perpetuam claritatem perveniat. Amen. Converte ad te quæstendum corda fidelium, ut juncta cum Angelis in excelsis, tibi Deo canter gloriam plebs devota. Amen. Et qui dignatus es hodie a Jordanis fonte, fons aquæ vivæ, descendere, & tuo baptismate sanctificare, tribue populis tuis perpetua pace gaudere, & splendore

A gratiæ tuæ cor eorum semper accendere. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. IV. post Nat. Domini.

[b] Omnipotens Deus vos ab omniam peccatorum maculis emundet. Qui leprosum supplicem tactu proprio dignatus est emundare; ipse cordium vestrorum hospitium dignetur misericorditer introire. Amen. Sicque vos fidei suæ plenitudine informet, ut cum Sanctis suis in cælorum regno accumbere concedat. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Purificatione S. Mariæ.

Omnipotens Deus, qui, &c. *ut in editis.*

B

Benedictio Dom. V. post nat. Domini.

[c] Tentationum omnium a vobis Dominus pericula removeat, & perturbationum procellas miseratus excludat. Amen. Tentatoris fraudes atque molimina dissolvat, & vos adversus eum cautos atque invincibiles faciat. Amen. Continuæ pacis vobis munera tribuat, & vos in portu tranquillitatis ac securitatis propitiatus constituat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio Dom. VI. post Nat. Domini.

[d] Deus qui bonum semen in sua Ecclesia serere consuevit; in vobis illud conservare atque multiplicare numquam desistat. Amen. Zizaniorum superseminatorem a vobis procul repellat, & sui verbi pabulo vos C indesinenter reficiat. Amen. Quod cum dies judicii advenerit, a reprobis separati, ad dexteram judicis sistamini, & in beatissimo ipsius regno collocemini. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. VII. post Nat. Domini.

[e] Deus qui mare suis pedibus fecit esse calcabile, vobis quidquid est noxium ipse substernat. Amen. Contrarios immundorum spirituum motus compescat, & vos in sua pace confirmet. Amen. Crucis suæ navi inter mundi fluctus gubernet, & in littus beatæ perennitatis perducat. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Septuagesima.

Omnipotens Deus ita studium vestri cursus di- D rigere dignetur, &c. *ut in edit. Consentientibus manuscriptis Gemet. & aliis.*

Alia Benedictio.

Respice Domine de cælo, & vide & visita vineam istam, quam plantavit dextera tua; spirituales exhibeant fructus, & cælestes diligant actus, & sine vitio in hoc seculo transigant vitam, ut possint promereri perpetuam. Amen. Fragilem solida, contritum releva, invalidum robora, validumque confirma; pietate alleva, caritate ædifica, castitate munda, sapientia illumina, misericordia serva. Amen. Proficiant huic præcepto fidei vigilantia, amoris tui perseverantia, morum temperantia, misericordiæ providentia, actuum disciplina; ut post concessam mi- E serationis indulgentiam, non abjicias eos promissionis tuæ munificentia; sed perducas ad veniam, quos hic tibi adoptasti per gratiam. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Sexagesima.

Det vobis Dominus nosse mysterium regni Dei, *ut in editis.*

Alia Benedictio.

Aspiciat in vos Rect. æternus, atque conservet in vobis gratiam quam profudit. Amen. Mentem regat, vias dirigat, cogitationes sanctas inserveat, actus probet, ope-

a In Gemet. *Deus qui unigenitum suum misit in mundum, ut eum salvaret, &c.*

b Inscribitur in Gemet. *In Domin.* III. scilicet post Epiphaniam. Et quæ supra assignatur pro Dom. III. post natale D. est pro Dom. II. post Epiphan.

c Assignatur in Gemet. pro Dom. IV. post Epiph. & sequens pro Dom. V.

d In Gemet. *qui bonorum semen.*

e Extat in Gemet. pro Dom. VI. post Epiph.

opera confirmet, præterita indulgeat, præsentia A emendet, futura modeteretur. Amen. Sit manus Domini auxiliatrix vestri, & brachium sanctum illius opituletur vobis. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Quinquagesima.

a Omnipotens Deus sua vos benedictione confirmet, & imminenti quadragesimali [a] abstinentiæ aptos efficiat. Amen. &c. *ut in edit.*

Alia Benedictio.

Benedic, Domine, hunc populum tuum, fructibus bonis, & operibus benedictis. Amen. Fac eum tali subole germinare, ut in paradisi tui permaneat dignitate. Amen. Planta eum in sinu matris Ecclesiæ radicibus firmis, quo possit palatia regni introire cælestis. Amen. Quod ipse præstaro, &c. B

Benedictio in capite jejunii.

Benedicat vos Dominus Jesus Christus, qui se a vobis voluit benedici. Amen. Et qui hoc quadragenario circulo, cujus hodie inchoatis exordium, suo dedicavit jejunio, vestrum suscipiat jejunium, omnique vos repleat bono. Amen. Det vobis fidem integram, & abstinentiam tam salubrem, ut nec caro escis devicta luxuriet, nec mens afflicta degeneret. Amen. Sed ita sit vobis sanctificatum in divino timore jejunium, ut vitiis pariter atque corporibus abstinentiæ frena imponatis, & * toti semper ab infestationibus inimici maneatis illæsi; & pax jugiter quieta permaneat in C habitaculis vestris. Amen. Quod ipse præstare, &c.

* Fortè toti.

Benedictio infra Hebdomad.

b [b]Respice, Pastor bone, super hunc gregem, & tribue ut qui terrenis abstinent cibis, spiritualibus pascantur alimoniis; & quem divinis reficere tribuis sacramentis, ab omnibus propitius absolve peccatis. Amen. Da eis sic in diebus jejuniorum suam componere vitam, ut non inveniantur voluntates eorum a tua voluntate dissimiles, sed sint semper in omnibus tuis præceptis obtemperantes. Amen. Et ita omnem hanc familiam tua benedictione sanctifica, ut eorum jejunia oculis tuæ pietatis sint semper accepta, & ad desideratum sanctæ resurrectionis tuæ diem, eos mundo corde & corpore, pro tua pietate jubeas præsentari. D Amen, Quod ipse præstare &c.

Benedictio Dom. II. in Quadragesima.

Omnipotens Deus, jejunii ceterarumque, &c. *In edit. Gussanvill. absolvitur ad hæc verba* Benignus auditum. Amen. *Omissa est ex aliis excusis & manu exaratis supplenda; ubique enim legitur:* Quatenus mentes nostræ, *&c. ut in libro Sacram.*

Benedictio infra Hebdomad.

Deus qui es custos animarum & corporum, dignare hanc familiam tuam brachio tuæ defensionis protegere, ut nullis inimicorum antiquorum hostium insidiis, corpora nostra patiaris illudi; sed semper cum E Domino nostro Jesu Christo filio tuo maneamus illæsi. Amen. Da huic familiæ tuæ fidei calorem, continentiæ rigorem, fraternitatis amorem, abstinentiæ virtutem. Et sic quidquid dicto, facto, vel cogitationibus peccaverunt, pietas ac benignitas clementiæ ac misericordiæ tuæ resolvere ac indulgere dignetur. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. III. in Quadrages.

Omnipotens Deus, jejuniorum. &c *ut in editis.*

Alia.

Omnipotens Deus det vobis copiam suæ benedictionis, & conferat in vobis præmium sempiternæ salutis. Amen. Sicque quadragesimalis observantiæ inchoata jejunia sibi reddat placabilia, ut ab eo immarcessibilia valeatis percipere dona repromissa. Amen. Concedatque hoc sacræ Trinitatis atque individuæ unitatis clementia, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

Benedictio Dom. IV. in Quadrages.

Deus qui vos ad præsentium, &c. *ut in editis.*

Alia Benedictio infra Hebdomadam.

Benedicat vos omnipotens Deus, & ad omnem rectam observantiæ plenitudinem totius honestatis instituat. Amen. Sit in vobis castitatis studium, modestia morum, innocentiæ vitæ sinceritas, fidei integritas, concordiæ caritas, continentiæ virtus, benignitas affectus. Ad te oculos tendant, de te cælestia sumant, ut te votis expetant secularis actibus ornent. Amen. Ut consequenter cum Sanctis præmia horum & multorum probitate consecuti, referamus Deo gratias, & præsentium bonorum largitori. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio [c] in aurium apertione.

c Adesto, omnipotens Deus, huic populo tuo verbis hodie mysticis informato, ut fiat illis illuminatio C mentis, & reparatio cordis. Amen. Proficiat in eis illapsa benedictio tua plenius ad salutem, qui in hac die de sacris tuis cordis & corporis susceperunt inaures. Amen. Sis illis protector & Dominus in æternum, sicut fuisti Israeliticis, præmonente Moyse, in subsidio, & Ægytiis in exterminio; ut non premerentur oneroso servitio. Amen. Et ne ulterius graventur mole peccaminum, dignare circa eos divinum impertiri præsidium, ut tibi famulari valeant in æternum. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. V. in Quadrages.

Accendat in vobis, &c. *ut in editis.*

Benedictio infra Hebdomad.

D Benedicat vos omnipotens Deus, & mentes vestras ad boni actus intelligentiam benignus institutor erudiat, & præstet vobis velle quæ præcepit; inspiret quæ diligit; & tribuat quod oportet; atque omni vos bono spiritualium munerum, cum præsentium rerum subministratione locupleret. Amen. Et vos in fide firmet, & in tentatione adjuvet, in conversatione castiget, in virtute multiplicet, in infirmitate relevet, in anxietate lætificet. Amen. In prosperitate præparet, in iniquitate emendet, in tranquillitate sublimet; infundat gratiam, indulgeat offensam, ingerat disciplinam. Amen. Quod ipse præstare. &c.

Benedictio in die sancto Paschæ.

Benedicat vos omnipotens Deus, &c. *ut in editis.*

E *Benedictio Feriæ II.*

Deus, qui pro vobis suscepit injuriam, &c. *ut in editis.*

Benedictio Feriæ III.

Deus, qui vos lavit aqua sui lateris, &c. *ut in edit.*

Benedictio Feriæ IV.

Dominus Deus noster vos perducat, &c. *ut in edit.*

a In Gemet. *abstinentia.*

b Habetur in Gemet. præmittiturque. *Incipit qualiter suscipere debeant pœnitentes Episcopi & Presbyteri.* Ubi sine observatione non prætereundum, quod legitur: *Sicut sacrificium offerre non debent, nisi Episcopi & Presbyteri, quibus claves regni cælestis traditæ sunt, sic nec judicia ista alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, & presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam Communionem.* Post hoc Commonitorium subjiciuntur Orationes & Psalmi super pœnitentes dicendi, & postea cinerum benedictio.

c De hoc antiquo ritu vide notas ad lib. Sacrament. col. 364. & 381.

A

Benedictio Feriæ v.

Omnipotentis Dei & Domini nostri benedictionibus, &c. *ut in editis*.

Benedictio Feriæ vi.

a Benedicat vobis de cælis omnipotens Deus, &c. *ut in editis*.

Benedictio in Sabb. in Albis.

b Deus qui peracto senario numero, die sacro Sabbati, ab omnibus operibus quievisti, volens ut in homine condito ubi requiesceres tibi domicilium præparares; exaudi preces supplicum ad dona tuæ clementiæ fideliter occurrentium. Amen. Præpara sensus eorum ad te suscipiendum; ut ipsi tibi proprie mereantur effici templum. Amen. Et ita præsentes famulos in hac vita protegas, ut in æternam requiem tecum dominator admittas. Amen. Quod ipse præstare, &c.

B

Benedictio Dom. in octava Paschæ.

Deus, cujus unigenitus, &c. *ut in edit.*

Alia Benedictio.

Deus, qui per resurrectionem unigeniti, &c. *ut in edit.*

Benedictio Dom. i. post Pascha.

Benedicat vos omnipotens Deus qui vos gratuita miseratione creavit, &c. ut *in editis*.

C

Benedictio de jejunio.

Omnipotens Deus, devotionem, &c. *ut in editis*.

Item alia Benedictio.

Respice, Domine, super hanc familiam tuam subjectam tibi, Benedictionum tuarum dona poscentem; rege eam de superioribus tuis, & ubertatem frugum ei largire. Amen. Libera eam a diebus malis, & a perturbatione bellorum; & da ei tempora tranquilla atque pacifica; ut te custode pervigili ac Pastore æterno, & in præsenti tempore consistat secura, & ad æterna gaudia perveniat. Amen. Et qui quondam misericors misertus es turbæ tecum triduo permanenti: simili nunc dignatione huic miserere plebi, sibi jejuniis & hymnis innixius supplicanti. Amen. Quod ipse præstare, &c.

D

Benedictio Dom. ii. post Pascha.

c Deus qui dignatione misericordiæ, majestate potenti, ut succurreres homini, terras cælitus visitasti; & in carne sustinens pœnam patibuli, rumpens legem tartari, ad cælos ab inferis ascendisti; præsta famulis tuæ ita hanc vitam transigere, ut in illam perpetuam te ducente possint intrare. Amen. Tantum habeant fervorem Catholicæ fidei, ut sancti adventus tui sint expectatione securi. Amen. Et quicumque meruerunt hic purgari unda baptismi, præsentari valeant tibi pio judici candidati. Amen. Quod ipse præstare, &c.

E

Benedictio Dom. iii. post Pascha.

Omnipotens Deus, qui de diversis floribus, tuam semper exornas Ecclesiam, da plebi tuæ ad cælestem gloriam & immortalitatis honorem renatæ, dignum mentis regenerationis suæ ornatum. Amen. Custodi eam a diri serpentis incursu pietate solita, ut tuo famulatui semper possit esse continua. Amen. Quo & in præsenti sæculo sic te opitulante suam vitam dirigere & tuam misericordiam valeat exorare ut ad æterna gaudia sine fine mansura, te Pastore ac duce possit feliciter pervenire. Amen. Quod ipse præstare, &c.

a In Gemet. *Benedicat vos Deus de cælis omnipotens*, &c.
b In edit. lib. Sacramentorum nulla assignatur Benedictio. Quæ legitur in cod. Gemet. pro hujus diei officio, prorsus ab hac discrepat.

A

Benedictio Dom. iv. post Pascha.

Benedic, quæsumus Domine, universam familiam tuam ad gaudia perpetuæ resurrectionis feliciter evocatam. Amen. Rectissimum catholicæ fidei tramitem teneant, & in una Trinitatis professione consistant. Amen. Nulla eos a rectitudine Ecclesiastici dogmatis, pravæ assertionis impietas deviet; & ne sub prætextu nominis Christiani veritatis præsidio nudet, sed in eadem unitatis fide manentes effici mereantur regni cælestis heredes. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in die Ascensionis.

Benedicat vobis Deus, &c. *ut in editis*.

B

Benedictio Dominicæ post Ascensionem Domini.

Benedictionum suarum super vos Dominus imbrem infundat, &c. *ut in excusis, pro Dominica i. post Ascens. Dom.*

Alia Benedictio.

Deus qui tartara fregisti resurgens, aperuisti cælos ascendens, ut populi illuc per fidem ascenderent, ubi te Apostoli intrare viderunt: respice ascendens cælum, propter quos dignatus es descendere in infernum. Amen. Sit eis quod te exaltasti protectio; quibus fuit unicum quod te humiliasti remedium. Amen. Ut in die judicii non sint sinistri numero, qui te sedere ad patris dexteram confitentur in cælo. Amen. Quod ipse præstare, &c.

C

Benedictio in Pentecoste.

Deus qui hodierna die, &c. *ut in editis*.

Benedictio in hebdom. Pentecostes.

Omnipotens Deus qui quinquagesimum diem futuræ remissionis munere figurasti, quo gratia Spiritus Sancti inebriati Apostoli mente una locuti sunt ore diversa: respice hanc Ecclesiam quam ex gentibus congregari linguarum varietate signasti. Amen. Da consolationem inter pressuras seculi; qui nobis æqualem tibi ipsi consolatorem Spiritum misisti. Amen. Et te propitiante sit ipse nunc plebis hujus custodia; qui dedit discipulis tunc doctrinam. Amen. Quod ipse præstare, &c.

D

Benedictio in xii. Lect. mense quarto.

d Benedicat vobis omnipotens Deus qui cuncta ex nihilo creavit, ut *in libro Sacram. a nobis edito, pro Sabbata in xii. Lect. Mens. vi. In Gemet. eadem assignatur pro tota hebdomada.*

Benedictio Octava Pentecostes.

Omnipotens Trinitas, unus & verus Deus, &c. *ut in editis*.

Alia Benedictio.

Domine Jesu Christe, qui discipulis tuis sanctum dedisti Spiritum, Ecclesiæ tuæ Catholicæ dona largire; ut quicumque sunt ex aqua & Spiritu sancto renati, semper sint ejus protectione muniti. Amen. Redundet in eis caritas diffusa per Spiritum sanctum, quæ operiat ac superet omnem multitudinem peccatorum. Amen. Et requiescat in istis propitius, qui quondam requievit in Apostolis gloriosus. Amen. Quod ipse præstare. &c.

E

Benedictio Dom. i. post octavas Pentecostes.

Benedic, Domine, istam omnem familiam, quæ gratiam benedictionis tuæ desiderat invenire; propriam manum e cælis emitte; & capita singulorum continge. Amen. Descendat super hos omnes gratia bene-

c Pro Dominicis post Pascha codex Gemet. exhibet Benedictiones omnino diversas ab istis & a vulgatis.
d Hoc est, in Sabbato xii. lectionum.

benedictionis tuæ, ficut defcendit ros fuper faciem A
terræ. Amen. Manus tuæ fentiant tactum, Spiritus fancti percipiant gaudium: ut benedicti permaneant in æternum. Amen. Quod ipfe præftare, &c.

Benedictio Dom. ııı. poft Pentecoften.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus veftris, &c. *ut in edit. Dominica 3. poft Pentec.*

Benedictio Dom. ıııı. poft Pentecoften.

Benedicat vobis Dominus nofter oris alloquio, &c. *ut in Dominica 4. poft Pentec.*

Benedictio Dom. ıv poft Pentecoften.

Emundet Dominus confcientias veftras, &c. *ut in Dominica 5. poft Pentec.* B

Benedictio Dom. v. poft Pentecoften.

Agnofcat in vobis Dominus proprium fignum & fuæ vobis mifericordiæ conferat donum. Amen. Bella comprimat, famem auferat, pacem tribuat, inimici infidias longe repellat. Amen. Mœrentium gemitus videat; vocem veftri doloris exaudiat, & lacrymas ab omni facie tergat. Amen. Æternam vobis dilectionem indulgeat, & perfectam caritatem concedat. Amen. Quod ipfe præftare, &c.

Benedictio Dom. vı. poft Pentecoften.

Amoveat a vobis Dominus totius maculas fimultatis, &c. *ut in Dom. 7. poft Pentec.* C,

Benedictio Dom. vıı. poft Pentecoften.

Benedicat vos omnipotens Deus, & per abundantiam mifericordiæ fuæ cor veftrum corroboret. Amen. Mentem fanctificet, vitam amplificet, caftimoniam decoret, atque fenfus veftros in bonis operibus femper ædificet: profpera tribuat; pacem concedat; falutem conferat; quietem nutriat; caritatem uniat; & ab omnibus diabolicis & humanis infidiis fua femper vos protectione & virtute defendat. Amen. Et ita devotionem veftram placatus femper fufcipiat; ut quæque ab eo poftulaveritis clementer concedat. Auferat mala omnia quæ geffiftis; & tribuat gratiam quam femper rogatis. Amen. Quod ipfe præftare, &c.

Benedictio Dom. vııı. poft Pentecoften.

Sanctificet vos Domini gratia &c. *ut in edit. Dom. 9. poft Pentec.*

Benedictio Dom. ıx. poft Pentecoften.

Populi tui, Domine, poftulationes exaudi, & in calamitatibus conftitutis velociter fubveni. Amen. De fua fac liberatione gaudere, quos cernis fub pondere nimium laborare. Exultent & lætentur in te, dum fe viderint falvari per te. Amen. Mitte eis, Domine, defenfionis tuæ femper arma * invictricia, quibus faciant univerfa bella proftrata. Amen. Auxilio tuo momentis omnibus vifitentur, ut, fuperatis inimicorum vifibus, roborentur. Amen. Quod ipfe præftare, &c. E

* Forte victricia.

Benedictio Dom. x. poft Pentecoften.

Deus qui eft vita mortalium, falufque peccatorum, &c. *ut in edit. Dom. 11. poft Pent.*

Benedictio Dom. xı. poft Pentecoften.

Tribuat vobis Dominus caritatis donum, indulgentiæ fructum, & vitæ æternæ confortium. Amen. Abftergat a vobis omnes maculas peccatorum, ut eum vigilanter mereamini agnofcere, fideliter colere, & defiderabiliter expectare. Amen. Illuminet gratiam fuam fuper vos, & mifereatur veftri, ficut illuminavit Moyfen & filios Ifrael, in columna ignis & nubis. Donet vobis gratiæ perpetuæ donum, & conferat gaudium Angelorum. Amen. Quod ipfe præftare, &c.

Benedictio Dom. xıı. poft Pentecoften.

Gratiæ fuæ dono vos Dominus locupletet, & cælefti benedictione cuftodiat, &c. *ut in edit. lib. Sacrament. ubi tamen, confentiente cod. Gemet. legitur*: gratia fua vos Dominus locupletet.

Benedictio Dom. xııı. poft Pentecoften.

Benedicat vobis Dominus, cœlorum Rector & Conditor, & det vobis tranquillitatem temporum, falubritatem corporum, falutemque animarum. Amen. Tribuatque vobis frugalitatis gaudium, æternitatis præmium, lumen clariffimum fempiternum. Amen. Et concedat vobis fuæ pietatis auxilium, ut cum cogitatione mens videat, lingua voce proferat, actio facti non defendat. Amen. Quod ipfe præftare, &c.

Benedictio Dom. xıv. poft Pentecoften.

Benedictio vos Domini comitetur, &c. *ut in editis Dom. 15. poft Pentec.*

Benedictio Dom. xv. poft Pentecoften.

Benedic, Domine, hanc plebem tuam, atque hos omnes concordes, quietos, pacificos, & fofpites ferva. Amen. Tribue eis ut fectentur non interitum fed vitam, non carnem fed fpiritum, non temporalia fed æterna. Amen. Ut operibus fuis non folum abfoluti, verumetiam juftificati, digni fint vitam & gloriam promereri. Amen. Quod ipfe præftare, &c.

Benedictio Dom. xvı. poft Pentecoften.

Omnipotens Deus peccatorum veftrorum maculas purget, &c. *ut in edit. Dom. 17. poft Pentec.*

Benedictio Dom. xvıı. poft. Pentecoften.

Benedic, Domine, populum tuum. & devotum refpice, humilitatem vide, gemitus fufcipe, dolentes paterna pietate jube confolari. Amen. Proftratum alleva, difperfum congrega, adunatumque conferva, efurientem ciba, fitientem pota, omnefque fimul cæleftibus donis irriga. Dele in eis omnem peccati maculam, ut, te gubernante, ad gloriam perveniant fempiternam. Amen. Humiliata tibi omnium capita dexteræ tuæ Benedictione fanctifica ac benedi-
D cendo peccata relaxa. Sanctique Spiritus effunde charifmata. Ut fine ulla offenfione majeftatis tuæ præcepta adimpleant; & ad vitam æternam, te auxiliante, perveniant. Amen. Quod ipfe præftare, &c.

Benedict. Sabb. in xıı. Lect. Menf. vıı. & Fer. ıv.

Deus fons indulgentiæ, fufcipiat propitius litationem abftinentiæ veftræ. Amen. Impleat corda veftra fuorum delectationibus hoftiarum, & det vobis poffe fuis parere præceptis. Amen. Ut quod non poteftis carnali ea infirmitate perficere; ipfius gratiæ ubertate mereamini adimplere, Amen. Quod ipfe præftare, &c.

Benedictio Dom. xvııı. po Pentecoften.

Benedicat vos Pater Domini noftri Jefu Chrifti, & refpectu mifericordiæ cæleftis protegat vos fub umbra virtutis. Amen. Detque vobis animarum compunctionem, immaculatam fidem, confcientiæ puritatem. Amen. Senfus veftros dirigat; corda compungat; in profperis affiftat; in adverfis manum porrigat; in laboribus folatium ferat. Amen. Virtutum fuorum merita multiplicet, recta confilia advocet; terrenarum rerum a vobis pondera auferat. Amen. Repleat corda veftra fpiritualibus donis, & abundare faciat femper perfectæ gratiæ incrementis. Amen, Quod ipfe præftare, &c.

Benedictio Dom. xıx. poft Pentecoften.

Deus invifibilis, inæftimabilis, infinite, perennis, immenfe, auctor nofter, redemtor nofter; & principii in natura alienus & termini: tu celebrem populi hujus conventum, tamquam proprii fanguinis

A pignus illustra. Amen. Rege sensus canos viduarum, sollicitudines Virginum, vota nuptarum, desideria pupillorum, necessitates puerorum, lapsus infantium parvulorum. Amen. Quoniam tu es bonorum sensuum requies, felicium juvenum custos, sanctarum virginum sponsus fidelium viduarum defensor, honestorum conjugum fides, pupillorum laborantium pater, puerorum proficientium doctor; infantium & susceptor pariter & nutritor. Amen. In te senecta ætas initiet, adulta corroboret, longæva consummet. Per te gaudeat integritas non corrumpi; per te sciat castitas reparari, fides pura non destrui, vita displicens emendari, misericordia fieri, continentia servari, innocentia non evinei. Amen. Quod ipse præstare, &c.

B

Benedictio Dom. aa. post Pentecosten.

Benedicat vos Trinitatis divinæ majestas, & una deitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus: talesque inveniat dies examinationis, quales emisit fons regenerationis. Amen. Benedicat vos Dominus, qui auctor est omnium, & conditor sempiternus. Corpus vestrum servet immaculatum, & animas vestras misericorditer tueatur. Amen. Sicqne vos ab omni crimioe peccatorum reddat innoxios, ut in vobis maneat Spiritus sanctus, & securi præstolemini adventum ejus. Amen. Ille vobis benedicat de ecelis, qoi vos Sacro-sancto sanguine redimere dignatus est in terris. Amen. Benedictio Dei Patris, &c.

Benedictio Dom. aat. post Pentecosten.

C Domine Jesu Christe, Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus posuisti, sanguinis tui defende commercium, gregem tuum propitius visitare dignate; esurientem pasce, sitientem pota; quod perierat require, quod errat converte, contritum colliga, invalidum confirma, validumque conserva. Amen. Fac eos ante conspectum tuum cum justitia vivere, & cum misericordia, si se custodierint, judicari. Tribue eis in fide credulitatem, in labore virtutem, in affectu devotionem, in actu prosperitatem, in victu abundantiam, in pace lætitiam, in conversatione gratiam, in luctatione victoriam. Amen. Ut in beneplaciro conspectui tuo tramite gradientes, & præsens tempus cum felicitate percurrant, & venturum cum hilaritate suscipiant. Amen. Quod ipse præstara, &c.

Benedictio Dom. axtt. post Pentecosten.

Benedictionia Domini vos gratia semper protegat, &c. *ut in edit. Dominica 23. post Pentec.*

Benedictio Dom. xxttt. post Pentecosten.

Omnipotens Dominus adaperiat cor vestrum io lege sua, &c. *ut in edit. Dom. 24. post Pentec. in Gemet. est pro Dom. 23.*

Benedictio Dom. xxiv. post Pentecosten.

Aspiciat & benedieat vos Dominus, ex omni parte custodiat rex æternus. & det vobis Angelum lucis, & conservet in vobis gratiam quam profudit. Amen. Mentem regat, viaa dirigat, cogitationes sanctas instruat, actus* præbet, opera confirmet, præterita indulgeat, præsentia emendet, futura moderetur. E Amen. Sit manus Domini auxiliarria vestri, & brachium sanctum illius opituletur vobis: fiat misericordia ejus super vos, & pietas illius subsequatur vobis. Amen. Quod ipse præstare, &c.

* Forte, *probet.*

Benedictio Dom. aav. post Pentecosten.

Benedicat vos & sanctificet Dominus ea Sion, qui fecit cœlum & teram in sapientia, sua benedictione æterna, qua benediait omnes sanctos Patres & Patriarchas nostros Abraham, Isaac & Jacob. Ameo. Multiplicet in vobis gratiam spiritualem, sicut multiplicavit semen eorum, tamquam stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Amen. Ipse vos protegat atque defendat omnibus diebus vitæ vestræ, & perducat in regnum gloriæ suæ. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. xxvi. post Pentecosten.

Populi tui, Deus, institutor & rector, peccata quibus impugnatur expelle. Custodi illum perpetua tuitione, atque ab omni adversitate defende. Amen. Visita eum interventu Sanctorum omnium, sicut Moysen in rubo, Josue in agro, Samuelem in templo, atque illa eum sapientia perfunde, quam Beatus David Rex in Psalterio, Salomon in filio, te largiente, percepit a cælo. Amen. Et ita postremo paterna pietate conserva, ut quæque prava sunt respuens, sancta conversatione firmetur, & a peccatis liber, nullis adversitatibus atteratur. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. xxvii. post Pentecosten.

Benedicat vos Deus Pater, qui in principio cuncta creavit ea nihilo. Amen. Benedicat vos Dei Filius, qui a superna sede descendit humillimus. Amen. Benedicat vos Spiritus sanctus qui in similitudine columbæ Jordanis in flumine requievit in Christo, ipseque in Trinitate sanctificet, quem omnes gentes venturum eapectant. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. xxviii. post Pentecosten.

Quæsumus, Domine, super populum tuum benedictio copiosa descendat. Amen. Indulgentia veniat, consolatio tribuatur. Amen. Fides sancta succrescat, redemtio sempiterna firmetur. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. v. ante Nat. Domini.

Concedat vobis Domious premium sincerissimæ caritatis, &c. *ut in editis.*

Benedictio Dom. iv. post Nat. Domini.

Omnipotens Deus, cujus unigeniti adventum* &c. *ut in edit.*

Alia Benedictio.

Aperi, Domine, januas cœli, & veni, & visita plebem tuam in pace. Emitte Spiritum tuum de alto, & irriga terram, & germinet spiritualem fructum. Amen. Sanctifica plebem tuam, Domine, qui datus es nobis ex Virgine, & benedic hereditatem tuam in D pace. Amen. Præsta eis semper tempora salutis, quæ ante tuum adventum prædiait sanctus Propheta Johannes, ut hic fideliter accipiant & in futuro cum sanctis & electis tuis vitam, & regnum consequantur æternum. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. tii. ante Nat. Domini.

Deus, cujus adventus Incaroationis, &c. *ut in editis.*

Alia Benedictio.

Dominns Jesus Christus qui sacratissimo adventu suo subvenire dignatus est mundo, animas vestras corporaque purificet a delicto. Amen. Det vobis legis suæ præcepta virtute Spiritus sancti apprehendere, ut possitis adventum ejus interriti præstolari. Amen. Sicque vos ab omni reatu immones efficiat, ut cum advenerit, non in terrore discutiat, sed in gloria remunerandos assumat. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. tt. ante Nat. Domini.

Omnipotens Deus vos placito vultu respiciat, &c. *ut in editis.*

Alia Benedictio.

Excita, Domine, potentiam tuam, & veni ad salvationem populi tui, quem acquisisti sanguine tuo; ne in ejus perditione sævus ille exultet humani generis inimicus, quem adventus tui potentia dudum liberasti per gratiam. Amen. Sit fortitudo dexteræ tuæ ad protectionem hujus familiæ tuæ, per quam dignatus es hoc tempore carnem induere virginalem. Amen. Et dum infirmitatem nostram tua clementia non ignorat, ita omnem hanc Ecclesiam

tuam

tuam tuæ divinitatis clypeo protege, ut de sævi illius antiqui hostis tentatione nos liberes, & gentium feritatem ita mitiges, ut nihil eorum jacula, tuorum possint generare dispendia. Amen. Sed tu, Pastor bone, qui temetipsum nostri causa dedisti pro pretio, ita sanguinis tui defende commercium, ut & hic re semper sentiant prævium, & in æterna beatitudine te remuneranre mereantur accipere præmium. Amen. Tu ergo eos, omnipotens Domine Jesu Christe, benedictionum rore perfunde, ut & in præsenti via positi, de omnibus inimicis re habeant ereptorem, & hic & in æternum semper sentiant protectorem. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio Dom. I. ante Nat. Domini.

Deus qui vos & prioris adventus, &c. *ut in editis.*

Alia Benedictio.

Deus qui per tuum Angelum nuntiasti Christum venturum in seculo, præsta, quæsumus, ut nunc venienti occurrere populus mereatur cum gaudio. Amen. Dirigat vestra corda per tempora qui dixit, Lux fiat, ante secula. Amen. Tribuatque ille vobis veniam peccatorum, qui pro salute humana fudit in cruce sanguinem proprium. Amen. Ille vos benedicat de cœlis qui per crucem passionis suæ nos redimere venit in terris. Amen. Benedictio Dei Patris.

VIII. *Kal. Febr. Conversio S. Pauli.*

Deus qui gratia sua Paulum, &c. *ut in editis.*

Benedictio in Purificatione S. Mariæ.

Omnipotens Deus, qui, &c. *ut in editis.*

a *Benedictio in Nat. S. Agathæ.*

Sanctifica, Domine, Ecclesiam, tuam, qui beatam Agathen Virginem & Martyrem acquisisti fide, honorasti pudore, glorificasti certamine. Amen. Repleatur hic populus illo spiritu qui Martyri tuæ adfuit Agathæ, cum eam ignis torreret, & cum ungula raderet, cum aculeus infigeret, cum mamillam torqueret. Amen. Ut dum se sibi pro tuo amore abnegat, tua collocet in dextera, cujus est electione vocata in gloriam. Amen. Quod ipse præstare, &c.

b *Benedict. in Cathedra S. Petri VIII. Kal. Martii.*

Deus qui beatum Petrum Apostolum tuum ita reddidisti præcipuum, ut sortiretur inter ipsos fidei Principes principatum, & accepta potestate confessus in seculo, cœli fieret janitor; ut quos vult intromittat cives in regno; respice plebem tuam pietate solita, qui sacrosancto Apostolo gressum firmasti per lubrica, & culpas abluisti per lamenta. Amen. Obtineat apud te pro corrigendis delictis, qui claudo fuit medela pro dirigendis vestigiis. Amen. Et ipso interveniente & remunerante, illuc grex sibi commissus introducatur venia, quo Pastor idemque Janitor tecum remuneratus exultat in gloria. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in nat. S. Matthiæ Apost. VI. *Kal. Martii.*

Deus qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, &c. *ut in editis. Abest a Gemet.*

Benedictio in Inventione S. Crucis.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui per unigeniti, &c. *ut in editis.*

Benedictio in Nativitate S. Medardi.

Deus c fundator fidei, indultor Sacerdotii, congregatio plebis, sanctificatio Confessoris; qui beatum Medardum ad hoc armasti virtute ut tibi militaret in fide: concede huic familiæ pro se hunc intercessorem, quem dedisti Pontificem. Amen. Sit apud te nunc pro nobis assiduus intercessor, qui contra hæreticos pro te extitit tunc assertor. Amen. Ut te retribuente populo crescat innumero, quod Sacerdos sudavit in fide. Amen. Quod ipse præstare, &c.

d *Benedictio in vigil. S. Johan. Baptistæ.*

Deus qui beatum Johannem Baptistam magnum nuntiasti per Angelum, maximum declarasti per Verbum, qui clausus in utero reddidit obsequium Domino, matrem replevit gaudio, patris linguam solvit a vinculo, cerne placato vultu frequentantem hodie populum ad tanti præconis occursum. Amen. Ascendat vox illius ad aures Altissimi, qui maternis visceribus ante mundi Dominum novit confiteri quam nasci. Amen. Ut eo intercedente purgetur hæc plebs a crimine, cujus auctorem lavacri sacra dextera tinxit in fonte. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Nat. Apostolorum Petri & Pauli.

Benedicat vos, &c. *ut in edit.*

Item alia Benedictio.

Deus qui in membris Ecclesiæ velut geminatum lumen, quo caveantur tenebræ, fecisti Petri lacrymas, Pauli litteras coruscare: concede huic familiæ tuæ felicia dona suis indefessis petitionibus obtinere. Amen. Atque eam de supernis sedibus placatus inspice, qui cælos fecisti aperire Petrum clave, Paulo in dogmate. Amen. Ut præviantibus ducibus illuc grex possit accedere, quo pervenerint ipsi pariter, tam ille Pastor per suspendium, quam iste Doctor per gladium. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Natali S. Laurentii Mart.

e Corrobora gregem tuum, turris fortitudinis, qui beatum Laurentium prius ornasti pectore, post sermone, ante decorasti professione quam funere. Amen. Infunde circumstantibus credulitatis spiritum, qui confitenti aderas, ne facerent plagæ trepidum, pœna fessum, flamma devictum. Amen. Ut ipso interveniente, ac te remunerante, illa luce plebs radiet, qua Levita fulsit in carcere, illa fide micet qua cœlis victor Martyr intravit hodierna die. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Bened. in Assumtione S. Mariæ.

Deus qui beatæ Mariæ Virginis partu genus humanum dignatus est redimere, &c. *ut in Lib. Sacr.*

Benedictio in Natali sancti Bartholomæi.

f Deus qui Ecclesiam tam in apostolicis tribuisti consistere fundamentis, quæsumus, ut beatus Bartholomæus pro nobis imploret Apostolus, ut a nostris reatibus absoluti a cunctis etiam periculis eruamur. Amen. Infunde sensibus nostris apostolica retinere dogmata, quibus te contemplemur mente serena. Amen. Concede propitius circumstanti plebi, ut in illo tremendo discussionis tempore eorum defensetur præsidio, quorum est edocta præcepto. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Decollatione sancti Johannis Bapt.

Deus qui nos B. Johannis Bapt. concedit, &c. *ut in edit.*

Item alia.

Rege, Domine, corda plebis tuæ per arma justitiæ vitæ * attentæ diligens, fugiat lascivia carnis iniquæ. Amen.

a Extat in codice Gemet. ubi immediate subjicitur benedictio in natali S. Vedasti.
b Habetur in eodem Gemet. cod.
c Eadem est quæ in codice Gemet. assignatur profesto S. Vedasti, mutato tantum Sancti nomine.
d Legitur in codice Gemet.
* Alia in codice Gemet. assignatur, scilicet: *Sancta Trinitas in super vos benedictio descendat*, &c.
f Extat in codice Gemet.

Amen. Ablue culpas ejus obtentu Baptistæ tui qui pro te inretentus in ergastulo, tecum exultat in regno. Amen. Sitque apud te intercessor pro populo, quem exæquasti Eliæ meritis, quem præfecisti inter cunctos sobolis munditialis. Amen. Inspice pius arbiter ad desideria plebis vultu potius remissoris, quam judicis. Amen. Exigat a te munera indulgentiæ, qui devote populis pœnitentiam prædicavit, ut illo postulante, & te impertiente, cœlis aulæ palatia mereantur introire. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Natali S. Mariæ.

a Deus, qui eum te non capiant cœli dignatus es in templo uteri virginalis includi, ut mater integra haberet & fructum de Spiritu, & incorruptionem de partu: da huic plebi Angelum custodem, qui filium Mariæ fide concipiente prædixit. Amen. Sanctificet gregem tuum illa benedictio, quæ sine semine humano Redemtorem Virginis formavit in utero. Amen. Ut te protegente exultet Ecclesia de congregato populo, sicut Maria meruit gloriam de fructu sacrato. Amen. Et qui hac die nativitatem sacratissimæ Virginis tuæ genitricis Mariæ celebramus devoti, quam super choros Virginum paradisi sedibus collocasti, ejusdem nos suffragiis post abjectam carnis sarcinam, ad æterna jubeas regna perduci. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Exaltatione sanctæ crucis.

b Deus qui redemisti genus humanum per beatæ crucis patibulum, ut quod prius erat sceleris ad pœnam, sit conversis redemtis ad vitam: concede plebi tuæ ejus salvari præsidio, cujus est armata vexillo. Amen. Sit ei crux fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis juvamentum. Amen. Perseveretque in hoste victoria, in civitate concordia, in campo custodia, in domo fultura, ut gregem in futuro conservet incolumem, quæ nobis agno vincente versa est in salutem. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Natali SS. Cornelii & Cypriani.

Exaudi, Domine, preces supplicum, remuneratio gentium, recuperatio confitentium. Amen. Sint huic familiæ tuæ dona salutis acquirere, tuæ majestati vota vocis offerre. Amen. Ut intercessione beatorum Cornelii & Cypriani Martyrum, illuc plebs occurrat devota per veniam, quo iidem Martyres meruerunt accedere per tormenta. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Dedicatione Basilicæ S. Michaelis.

Deus qui ad salutem vestram Angelorum suorum uti ministerio, &c. *ut in editis.*

Alia Benedictio.

Adesto plebi tuæ, misericors Deus, ad hodiernam solemnitatem devotissime confluenti: & ut gratiæ tuæ beneficia potiora percipiat, B. Michaelis Archangeli cujus solemnia celebrantur, fac supplicem deprecationibus sublevari. Amen. Ab omni eos labe peccatorum defensa, & ad tua æterna deduc promissa. Amen. Amove ab eis pestifera serpentis blandimenta, & insere semper cordibus eorum præceptis tui salubria mandata. Amen. Actus eorum in tua dirige voluntate, quo possint te auxiliante, attingere præmia æternæ vitæ. Amen. Postremo tu sis eis lux, tu salus, tu pius semper in omni adversitate protector esse dignare; & ad hæc omia impetranda beatus Michael Archangelus, cujus frequentamus solemnia, tibi, Domine, precator accedat in secula. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio in Nat. SS. Remigii, Germani, Vedasti, & Bavonis.

c Deus qui beatos Confessores tuos Remigium, Germanum, Vedastum, atque Bavonem clarificasti sic merito, ut multa per miracula vivant in gloria: annue propitius circumstanti familiæ, ut sentiat tua beneficia, quæ colit hodie sanctorum Pontificum festa. Amen. Influe Spiritum sanctum pectoribus supplicum, quos felicium exemplis edoces, quos confessorum præsidiis muneraris; ut qui in beatorum Confessorum tuorum virtutibus polles, potestate præcellis, omnibus hostibus prostratis populum tuum ab incursu satanæ salvare digneris. Amen. Et eorum intercessione hæc plebs consequatur veniam, qui te remunerante pervenerunt ad gloriam sempiternam. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Nativit. omnium Sanctorum.

Sanctorum omnium suorum meritis, &c. *ut in edit. Abest a Gemet. ubi tres hac die Benedictiones prorsus diversæ ab excusis, & a sequenti codice Theod. assignantur.*

Alia Benedictio.

Respice, quæsumus, Domine, de altithrono magnitudinis tuæ, qui vulnere proprio passionis congregasti Ecclesiam de redemtis. Amen. Protege eam sub tui nominis gubernaculo, ut possis beatæ vitæ meritis acquirere populum. Amen. Dilatetur cruce tua, ut coram te pulcherrima niteat ac præclara. Amen. Et quæ de hodierna omnium Sanctorum tuorum solemnitate persultat, ab hujus seculi tentamentis impressa non obruat. Amen. Præsta ergo, Domine, ut omnes hi qui sub oris nostri benedictione curvantur, te protegente a malis omnibus liberentur. Amen. Sint in tuis præceptis strenui, in adversis fortissimi, in prosperis moderati; ut Sanctorum omnium quorum hodie solemnia festa celebramus effecti participes, gloriam consequantur regni cœlestis heredes. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.

Benedictio in Natali sancti Martini.

d Omnipotens Deus qui beatum Martinum præsulem tuum ita prædestinasti, ut gratiæ tuæ perenniter juberes adstringi, erige vota populi, qui præstitisti gloriosa merita tuo confessori. Amen. Proficiat his ad fructum quidquid in Sacerdote pro laude tui nominis amplectuntur: & hæc plebs ejus intercessione consequatur veniam, qui, te remunerante, felici servitio pervenit ad gloriam. Amen. Sit ipse Confessor hujus populi assiduus custos, qui te vocante hodie penetravit cœlos. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Natali S. Andreæ Apostoli.

e Deus qui Ecclesiam tuam in apostolicis tribuisti consistere fundamentis, quæsumus ut beatus Andreas pro nobis imploret Apostolus, ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. Amen. Infunde sensibus nostris apostolica dogmata, quibus te contemplemur mente serena. Amen. Concede propitius circumstanti plebi, ut in illo tremendo discussionis tempore, eorum defensetur præsidio, quorum est secuta præceptum. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Natali S. Eligii.

Deus, qui beatissimum Eligium præsulem tuum tanta familiaritate tibi junxisti, ut etiam cum adhuc corpore habitaret in terris, jam tunc corde totus esset in cœlis; respice vota præsentis familiæ, quæ se gaudet

a Assignatur quoque Benedictio pro hac solemnitate in Pontificali Gemet. sed alia quæ sic incipit: *Omnipotens Deus, qui per incarnatum Verbum unigenitum*, &c. Additur & altera: *Omnipotens Deus, sua vos dignetur protectione bened.*

b Legitur eadem in Gemet.

c Habetur in Gemet. iisdem verbis.

d Extat in Gemet cod. paucis immutatis.

e In Pontificali Gemet. extat alia Benedictio, tam pro vigilia, quam pro die natali S. Andreæ.

det tanti patroni solemnia celebrate. Amen. Dignare ejus intercessione super eam illas petitiones effundere, quas eligis libenter implere. Amen. Et festivitatem hanc venisse in terris sentiat, quam videre votis in cœlis exoptat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c. A

Benedictio in nativitate S. Nicasii.

Deus qui triumphantibus per te Martyribus regiam cœlestis aulæ potenti dextera pandis; quique pro te dimicantes sic decoquis in corporeis ærumnis, ut velut aurum rutilans excipias in supernis; exaudi vota præsentis populi, qui sancto martyri tuo Nicasio in certamine victoriam præstitisti. Amen. Sit plena huic gloria pro ejus triumpho; obtineat ipsius passio veniam pro delicto, & effunde super eos spiritualium B dona virtutum, ut nihil in eos inimicus aut violentia surripiat, aut fraude decipiat. Amen. Et obtinentes apud te beato Martyre tuo Nicasio, cujus hodie passionis festa celebramus, per bonæ conversationis perseverationem ad tuam mereamur pertingere gratiam. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in nativ. S. Thomæ Apostoli.

Domine Deus omnium gratiarum, respicere dignare omnem hunc populum tuum, qui in honore tuo divinis famulatur officiis; & quidquid sancto Apostolo tuo Thomæ hodierno die profuit ad beatitudinem, prosit huic Ecclesiæ ad exemplum. Amen. Ut ipso intercedente sit in eis fides recta, imitabilis forma, casta sobrietas, hospitalis caritas, spiritualis pruden- C tia, alta sapientia, mens humilis, vita sublimis. Amen. Et cum ante tremendum judicii diem in conspectu tuo adstiterint, non damnandam sed mitem ex ore tuo audiant absolutionis sententiam. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in nativitate unius Confessoris.

Omnipotens Deus det vobis, &c. *ut in editis.*

Benedictio in Dedicatione Ecclesiæ.

Benedicat & custodiat vos omnipotens Dominus, domumque hanc sui muneris præsentia illustrare, &c. *ut in editis.*

Alia Benedictio. D

Deus qui super mysticam petram apostolicæ potestatis, ædificatæ principaliter Ecclesiæ tuæ portas inferi numquam prævalituras esse promisisti, cunctos ab eadem remove placatus errores, ut quod adversus eam præsumtio falsitatis extollat, spiritus veritatis evincat. Amen. Dirige eam dispensatione cœlesti, ut quæ ante mundi principium in tua semper est præsentia præparata, usque ad plenitudinem gloriæ promissæ, te moderante perveniat. Amen. Domum hanc, quæsumus, propitius dignare ingredi, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem, ut plebs hæc quæ dejecto in terra vultu benedictionis tuæ postulat donum, æternum a te percipiat præmium. Amen. Præsta, Domine, ut hæc E basilica, cujus hodie initiamus encœnia, aut cujus dedicationem colimus, vel hæc plebs quæ ad ejus convenit solemnia, quæ tua ædificatione subsistit, tua semper fiat habitatione præclara. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in anniversario Dedicationis Ecclesiæ.

Benedic, Domine, hanc familiam tuam pretiosi sanguinis effusione redemtam, & baptismate sacrosancto renatam. Amen. Da ei, Domine, hoc munus gratiæ tuæ, ut te amet, te diligat, te sequatur. Amen. Mala respuat, bona sectetur, cupiat sempiterna, terrena despiciat, caduca contemnat, cœlestia concupiscat. Amen. Et dum ad hanc diem dedicationis templi hujus in tuo sancto nomine devotis F mentibus congregatur, ad locum habitationis gloriæ tuæ, te moderante, perveniat. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in quotidianis diebus.

Det vobis Dominus munus suæ benedictionis, & repleat vos, &c. *ut in superiori appendice, ubi pro* Det vobis Dominus munus, &c. *legitur*, Omnipotens Dominus det vobis gratiam, &c.

Alia.

Omnipotens Deus cœlesti vos protectione circumdet, & suæ benedictionis dono locupletet. Amen. Concedatque vobis, ut qui in sola spe gratiæ cœlestis innitimini, cœlesti etiam protectione muniamini. Amen. Quatenus & in præsenti seculo mortalis vitæ solatia capiatis, & sempiterna gaudia comprehendere valeatis. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Alia.

Omnipotens Deus dexteræ suæ, &c. *ut in Appendice.*

Alia.

Purificet omnipotens Deus, &c. *ut in dicta Appendice.*

Alia.

Omnipotens Deus universa, &c. *ut in præf. Appendice.*

Alia.

Omnipotens Deus dies vestros, &c. *ibid.*

Benedictio super Regem.

Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: & sicut te voluit super populum suum constituere Regem, ita & in præsenti seculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen. Clerum ac populum quem sua voluit opitulatione & tua sanctione congregari, sua dispensatione, & tua administratione, per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen. Quatenus divinis monitis parentes, adversitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio felici amore obsequentes, & in præsenti seculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in quacumque tribulatione.

Deus mœstorum solatium, tribulatorum refugium, suo vos brachio foveat, & ab imminentibus periculis illæsos miseratus efficiat. Amen. Dexteræ suæ vos omnipotentis clypeo, & muro inexpugnabili suæ fortitudinis ab instanti tribulatione circumtegat. Amen. Iram suæ animadversionis a vobis propitiatus avertat, & portum vobis salutis indulgens in suæ vos protectionis interritos securitate constituat. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Alia Benedictio.

Populi tui, Deus, institutor & rector, peccata quibus impugnatur expelle; ut semper tibi placitus, & tuo munimine sit securus. Amen. Da plebi tuæ piæ semper devotionis affectum; ut quæque prava sunt respuens, sancta conversatione firmetur, & a peccatis libera, nullis adversitatibus atteratur. Amen. Succurre, Domine, quæsumus populo supplicanti, & opem tuam tribue benignus infirmis, ut sincera mente tibi devotus & præsentis vitæ remediis gaudeat & futuræ. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in dedicatione Baptisterii.

Deus qui sacri Baptismatis dono fidelium pectora spe animas, fide firmas, caritate corroboras; te in hac baptisterii domo cujus initiamus solemnia, fusis precibus deprecamur, ut gratiam quam huic populo tribuisti per lavacrum, conserves usque in sempiternum. Amen. Et quos undis salutaribus irrigasti per gratiam, Sanctorum cœtibus adjunge per misericordiam; atque omnes quos ab aqua refectionis eduxisti innocuos, per infusionem paracliti spiritus, sanctissimis jube fieri coæternos. Amen. Recordare, exaudi

preces, vota perfice famulantium, & in libro vitæ scribe nomina re quærentium; ut omoi consecratione præsentiam altaris, quam populi templique, ae baptisterii non voa aut lingua mortalis, sed virtus tua operetur, cui servimus. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Conventu Episcoporum.

Deus, qui post illum gloriosæ resurrectionis ascensum, numquam te deesse tuis cultoribus promisisti, largire nobis Sacerdotibus tuis, *vel* huie Sacerdoti, illam gratiam qua simus perfecti, *vel* qua sit perfectus, regimine serventes, *vel* servens, in caritate. Amen. Indulge horum, *vel* hujus, obtentu populis veniam, qui justos * efficeris ad coronam. Erudi eos, *vel* eum, sanctis dogmatibus, & multipliea in operibus eorum, *vel* ejus, justitiæ fructus. Amen. Ut Pastoris cura muniti, *vel* munitus, evadant, *vel* evadat, supplicia tartarorum, adipisci mereantur, *vel* mereatur, regni gloriam sempiterni. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio cum sanctamonialis virgo benedicitur; & cum im Monasterio puellarum Missa celebratur.

Effunde, Domine, cælestem benedictionem tuam super huoc populum tibi prostratum, vel super hanc virgineam turmam, quæ se humiliat sub deatera tua: protege eas protectione divioa, ut fugiant universa delicta, & tua semper studeant adimplere præcepta. Amen. Sciant sibi bona desideria præparata, ut cœleste regnum saocto conquirant loco; pareant semper divinis præceptis, & te adjuvante vincant ineendia carnis. Amen. Omnem libidinem pravæ voluptatis superent amore honestæ caritatis. Habeant in se semper oleum saoctitatis, ut lætentur in adventu sponsi cum lampadibus suis. Amen. Gestent in manibus suis faculas facias, ut cum sapientibus virginibus duce Christo introire cum eo mereantur ad nuptias. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio super ancillas Dei.

Domine Deus æterne, qui utrumque seaum de interitu perpetuæ mortis per Jesum Christum filium tuum de Maria semper virgine natum misericorditer redemisti, has famulas tuas tibi devotis mentibus servientes, omni beoedictione cœlesti benedicere digneris. Amen. Ut in re integram fidem habeant, & in præceptis legis tuæ semper perseverent: terrena & transitoria despiciant, interna & invisibilia intent[a] meditatione perquirant. Amen. Atque in numero sanctarum Virginum permaneant, ut cœlesti sponso cum lampadibus inextinguibilibus fiducialiter occurrere valeaot. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio pro iter agentibus.

Dirigat iter vestrum Dominus in beneplacito suo, vobisque ioseparabiliter benignissimus custos inhæreat. Amen. Ducem vobis Archangelum Raphaelem adhibeat, & omnem a vobis incommoditatem contrarietatemque propitiatus amoveat. Amen. Desideriorum vestrorum pia vota clementer impleat, ut & hie bona consequi, & ad æternam beatitudinem pervenite feliciter mereamini. Ameo. Quod ipse præstare, &c.

Alia Benedictio.

Prosperum iter faciat vobis Deus salutarinm nostrorum, perducatque in vias directas per ardua montium, convexa vallium, plana camporum, vada fluminum, secreta silvarum; protegatque vos auxilium Domini, nt nihil vobis prævaleat scandalnm inimici. Amen. Per diem vos salutaris Domini umbra circumregat; per noctem amica quies ipsis gratiam relatura confoveat; deducatque vos mirabiliter deatera Domini, & præbeat ante faciem vestram divinæ pacis Angelum comitem. Amen. Absit a vobis in via diabolus, causa dispendii, ruina peccati, casua incommodi, sors periculi; solusque trinitatis in- A dividuæ Deus, in auxilium vestrum atque præsidium educi curam habeat & reduci. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Alia Benedictio.

Deus, qui diligentibus te omnia cooperaris in bonum, & a servientibus tibi nulla es regione longinquus, effunde super hanc familiam tuæ benedictionis gratiam, & dirige famulum tuum N. in tua voluntate pergentem. Amen. Præsta ergo, Domine, ut hæc plebs te semper mereatur habere protectorem, & præfatus famulus tuus in hae vita positus itineribus comitem. Amen. Ut tam prædicta plebs, quam qui hoc iter carpunt, tuo uterque auxilio præventi, per justitiæ semitas gradiantur, sine offensione delicti. B Amen. Quod ipse præstare, &c.

Alia Benedictio.

Benedicat vos, Dominus, munere suæ divinitatis, ut progrediamini prospere ad actus firmissimæ securitatis. Amen. Iter vestrum inspiciat, subsequens præcedat, gressus dirigat, & ad justæ dispensationis loca sine offensione perducat. Amen. Quatenus ejus gloriam in seculi hujus itinere fideliter veneremini, & ad paradisi patriam redeuntes in ehoris angelicis sine fine lætemini. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in tempore belli.

C Populi tui, quæsumus, omnipotens Deus, propitiare peccatis, & totius hostilitatis a nobis terrores averte; ut Christiani nominis secura libertas, in tua devotione semper exultet, & tibi subdito famulatu deserviat. Amen. Elide omnium adversariorum nostrorum superbiam, & virtute dexteræ tuæ prosterne hostium contumaciam. Amen. Fidelem hunc populum potentiæ tuæ muniat invicta defensio, ut pio semper tibi devotus affectu, & ab infestis liberetur inimicis, & in tua jugiter gratia perseveret. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio ad pluviam postulandam.

Inelina, quæsumus, Domine, aures pietatis tuæ ad populi tui preces, & faciem totius terræ largis im- D bribus irrigare dignare. Ameo. Tribue auras salubres, atque ægris restitue pristinam sanitatem; ut animæ quæ promissiones tuas sitiunt, de tua semper earitate abundantius repleantur. Amen. Da nobis, quæsumus, pluviam salutarem, & aridam faciem terræ fluentis cœlestibus dignanter infunde. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio ad serenitatem postulandam.

Magnificentiam tuam, Domine, suppliciter imploramus; ut qui imminentibus pluviarum periculis populum tuum terruisti potenter, eumdem sub tui oris benedictione prostratum consolari jubeas, serenitare concessa temporum. Amen. Ut humanarum re- E rum prosperitate percepta, sertenis consolationibus gratulemur. Amen. Neque gaudia quærere cessemus superna, sed & quidquid læsiriæ temporalis fasce impeditur, eruditione potius sempiterna pellatur. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio tempore, quod absit, mortalitatis.

Deus qui non mortem sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum sub potentia manus tuæ prostrarum ad te converte propitius, & ab imminente morte defende placatus. Amen. Ut dum tibi devotus extiterit, iracundiæ ab eo flagella amoveas, atque a mortifero vastatore defendas. Amen. Præsta ergo, Domine, ut sicut sanctus Michael Archangelus F in conspectu tuo gloriosus assistit, ita & ibi pro populo tuo exorare dignetur, ut ubique gratiam tuam semper præsentem habere mereatur. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio cum oblatio votiva offertur.

Misericordia divina, paterna pietas, immensa majestas, te supplices deprecamur, ut tua sit benedictio super famulos tuos, qui tibi cervices suas humiliant,

liant, & dona eis largam benedictionis tuæ petitionem quam sibij devota mente deposcunt. Amen. Da & famulo tuo pro quo tibi votiva sacrificia offerimus, mentem tuis conspectibus puram, caritatem perfectam, continentiam mundissimam, tribuasque ei, Domine, pariter cum his omnibus criminum remissionem, fructum ubertatem, fraternam caritatem. Amen. Adde ei, Domine, in opere virtutem, in actibus sinceritatem, in moribus disciplinam; atque ita eos paterna custodi pietate, ut numquam ulterius noxia ulla conentur admittere. Amen. Quod ipse præstare, &c.

*Benedictio novi fruct. cum * facrat.*

feratur. *Forte, cum

Tibi, piissime Deus, supplices fundimus preces, B ut familiam tuam sub potentia dexteræ tuæ prostratam benedicendo sanctifices. Amen. Fidem in eis, pacem & humilitatem impertiendo multiplica, ut clementiæ tuæ dono custodientes quæ præcipis, mereantur obtinere quæ promittis. Amen. Ac per illustrationem unici Filii tui Domini nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti benedictionem sanctifica, ut depulsis atque abjectis vetusti hostis insidiis, salubriter ex hujus diei anniversaria solemnitate de universis terræ edendis germinibus, primitias tibi offerentes sumant, atque in tuo sancto nomine cuncta deinceps edant. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio cum navi ascenditur.

C Hic populus tuus, Domine, tuo gubernetur auxilio, & tuæ majestatis protegatur brachio: non pelagi furentis unda turbetur, nec a tempestatis facie terreatur. Amen. Navim salutis eis constitue, ut cor eorum impleatur fidei salutaris augmento; Catholicæ fidei anchoram teneant, ut undas seculi sævientis secure pertranseant. Amen. Mercimonia divinæ conversationis peragant, & fidem promissionis suæ semper adimpleant; manum eorum reple muneribus tuis, ut locum habeant in Sanctorum conversationibus. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio in Missa Sacerdotis defuncti.

D Deus qui es confitentium re largus remunerator, & pia propitiatio defunctorum, exaudi supplices familiæ tuæ preces, & præsta ut famulus tuus N. Episcopus qui nomini tuo ministerium fidele dependit, perpetua Sanctorum tuorum societate lætetur. Amen. Ac sicut Beati N. sedem vicario est secutus officio, ita, tua gratia largiente, perpetuam dignitatis gloriæ percipiat portionem. Amen. Hic quoque populus, qui tibi fidelibus pro eo insistit excubiis, benedictionis tuæ largitate perfusus, gratiam quam exposcit, abundantem reportet. Amen. Quod ipse præstare, &c.

a *a Benedictio Regalis quando elevatur in Regem.*

E Prospice, omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc gloriosum Regem N. & sicut benedixisti Abraham, Isaac, & Jacob, sic illum largis benedictionibus spiritualis gratiæ cum omni plenitudine, tua potentia irrigare, atque perfundere digneris, ut tribuas ei de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & olei, & omnium frugum opulentiam, ex largitate divini muneris, longa per tempora. Amen. Ut illo regnante sit sanitas corporum in patria, & sit in regno pax inviolata, & dignitas gloriosa, Regalis Palatii maximo splendore regiæ potestatis oculis omnium luce clarissima coruscare, atque splendescere quasi splendidissima fulgora maximo lumine videantur perfusa; & tribuas ei, omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector patriæ, & consolator Ecclesiarum atque cœnobiorum sanctorum, F maxima cum pietate regalis munificentiæ; sit etiam fortissimus regni triumphator hostium, ad opprimendas rebelles & paganas omnium nationes. Amen. Sitque inimicis suis satis terribilis, proxima fortitudine regalis potentiæ, optimatibus quoque, atque præcellentibus proceribus ac fidelibus sui regni sit munificus

Tom. III.

a In Gemet. plurima reperiuntur *super Regem*, ab his omnino diversa.

A & amabilis & pius, & ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis ejus per successiones temporum futurorum egrediantur regnum regere Francorum, & post gloriosa tempora atque felicia præsentis vitæ, gaudia sempiterna habere mereatur in beatitudine perpetua. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Item alia Benedictio Regalis.

Deus Pater gloriæ sit adjutor tuus, & omnipotens benedicat tibi. Amen. Preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam longitudine dierum adimpleat. Amen. Thronum regni tui jugiter firmet, & gentem populumque tuum in æternum conservet. Amen. Inimicos tuos confusione induat, & super te Christi sanB ctificatio floreat. Amen. Ut qui tibi tribuit in terris imperium, ipse in cœlis conferat meritum Angelorum. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio pro iter gentibus.

Benignissimus custos vobis inseparabiliter inhæreat; & iter vestrum beneplacito suo misericorditer dirigat. Amen. Ducem vobis Archangelum Raphaelem adhibeat, &c. ut *supra*.

Benedictio post Cœnam.

Immittat in vobis Dominus quietem sancti soporis, C & ut oculi pupillam vos custodiat alis suæ protectionis. Amen. Quatenus in corpore dormiatis sic quiescentes carnu, ut cordibus & mentibus Deo digne vigilare possitis. Amen. Et cum vobis adfuerit hora de somno surgere, divina possitis vos virtute præcingetu. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Oratio ad infantes consignandos.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum, seu hos famulos tuos, & has famulas tuas ex aqua, & Spiritu sancto, quique dedisti ei *sive* eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eum *sive* in eos & in eas septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de cœlis, Spiri- D tum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis: adimple eum *sive* eos *aut* eas spiritu timoris tui, & consigna eum *sive* eos *aut* eas signo crucis Christi in vitam propitiatus æternam. Per eumdem, &c. In unitate ejusdem, &c. Consigno & confirmo te signo crucis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Deus qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, & per eos, eorumque successores, ceteris fidelibus tradendum esse voluisti: respice ad humilitatis nostræ famulatum, & præsta ut cujus, *sive* quorum *aut* quarum frontem, *sive* frontes sacrosancto Chrismate delinivimus, & signo crucis confirmavimus, *sive* consignavimus, ejus *sive* eorum aut earum E mentem Spiritus sanctus adveniens, templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat, qui vivit & regnat in unitate ejusdem, &c.

Alia Benedictio.

Benedicat tibi *vel* vobis omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit; & tibi *vel* vobis, in baptismate per Spiritum sanctum remissionem peccatorum tribuat. Amen. Quique eumdem Spiritum in igneis linguis discipulis suis dedit, cor tuum *vel* corda vestra ipsius illustratione irradiet, atque in sui amorem jugiter accendat. Amen. Quatenus ejus dono a vitiis omnibus emundatus *vel* emundati, ipsiusque opitulatione ab omnibus adversitatibus defensus *vel* defensi, F templum ejus effici merearis *vel* mereamini. Amen. Quod ipse præstare, &c. Benedictio Dei Patris.

Benedictio in Nat. B. Theoderici Abbatis.

Deus qui ad celebrandam annuam * sancti Confessoris tui Theoderici hunc populum aggregasti, ejus suf-

*Suplendum solemnitate.

suffragan tibus merititis ab omnibus nos absolve peccatis. Amen. Virtutum germine ita excrescant ut in bonis operibus perseverabiles inveniri mereantur. Amen. Quatenus bona cuncta exequendo, cum Sanctorum collegio, æternæ beatitudiois præmia feliciter valeant consequi coronam. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Alia Benedictio.

Deus qui ad exorationem Moysi famali tui peccanti populo pepercisti: ita inrercedente confessore tuo Theoderico, cujus hodie celebramus * gesta, nostra absolve peccata. Amen. Respice, quæsumus, hanc familiam tuam, serenitatis tuæ oculis, & largis eam benedictionibus perfunde. Amen. Dirige gressus illius in viam salutis æternæ quatenus sacramenta fidei, sincera prosequatur servitute. Amen. Quod ipse præstare, &c.

* Forte, festa.

Benedictio in Ordinatione Papæ.

Omnipotens Deus, qui in populo suo ministerio ntitur Sacerdotum, conferat vobis suæ propitiationis A & benedictionis donum. Amen. Quique me indignum nullis existentibus meritis, sed gratuita sua pietate huic Ecclesiæ præesse voluit, suffragiis Sanctorum suorum me ab omnibus vinculis peccatorum absolvat, sanctisque suis altaribus strenuum dignumque ministrum efficiat. Amen. Quatenus per exempla sanctorum Sacerdotum qui in hac Sede & in hoc ministerio ei placuerunt gradientes, gregemque commissum secundum suam voluntatem eo opitulante regentes, ab omnium Pastorum Pastore Christo Domino præmia Sanctis promissa una cum subditis percipere, & in electorum numero mereantur adjungi. Amen. Quod ipse præstare, &c.

Benedictio pro Defuncto dicenda.

Dominus Jesus Christus, qui se a peccatoribus exorari præcepit, ipse quid rogetur, iospiret; & in hac B speciali oblatione famulum suum ab inferorum cruciatibus liberet. Amen. Illum paradisi amœnitate consoveat, vos morum probitate componat. Amen. Illi post funera carnis, det loca beatitudinis, vobis in longinquitate peregrinationis indulgentiam tribuat criminis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, &c.



AD

AD ANTIPHONARIUM S. GREGORII.

PRÆFATIO.

QUOD *de Sacramentorum Libro jam diximus, ipsius videlicet collectorem & correctorem potius S. Gregorium extitisse quam auctorem, id quoque de Libro Antiphonario qui nomen ejus præfert est intelligendum. Quod significare videtur Johannes Diaconus, cum lib. 2. vitæ S. Gregorii cap. 6. cui titulus est:* Antiphonarium centonizans, Cantorum constituit scholam, *ait:* More sapientissimi Salomonis, propter musicæ compunctionem dulcedinis, Antiphonarium Centonem Cantorum studiosissimus nimis utiliter compilavit. *Quæ de schola canctorum ab eodem sanctissimo Pontifice instituta, de lectulo in quo recumbans modulabatur, de flagello quo pueris minabatur, & de authentico ejusdem Antiphonario Romæ magna veneratione asservatis refert Johannes Diaconus, ibidem legi possunt.*

Cum Centonem *vocat Antiphonarium Gregorianæ vitæ scriptor, cumdemque simul compilatum asserit, satis innuit non unum ipsius esse parentem; sed plurimorum qui præcesserant, forsasse Romanorum Pontificum, partim esse fetum. Nimirum longe antiquior nostro Gregorio est Ecclesiasticus cantus; imo pene ab Reipublicæ Christianæ exordio receptum illum docuerunt Socrates lib. 6. cap. 8. & alii. Qua de re consulendi sunt, qui de divinis Officiis olim scripserunt, Isidorus lib. de Ecclesiast. Offic. Rabanus lib. 2. de Institutione Clericorum, & alii: nostra vero ætate Cardinalis Bona lib. de divina Psalmodia, ac Joh. Mabill. in disquisitione de cursu Gallicono §. 1.*

*Quædam in Ecclesia canebantur olim alternis vicibus, ut etiam modo fit; alia vero simul & adunatis choris. Primum canendi modum veteres appellarunt ἀντίφωνον ὑμνῳδίαν, alterum σύμφωνον. Prioris modi meminit Socrates loco laudato; utriusque autem S. Gregorius Nazianzenus in carmine * Iambico de virtute, sub finem. Hinc Antiphonæ nomen ad Latinos derivatum, & ex Antiphona dictus liber Antiphonarius. Eumdem etiam appellatum Officialem observat ex Agobardo noster Hugo Menardus in nota 337. ad Librum Sacramentorum.*

Porro quamvis Antiphonarius Romanus seu Gregorianus, non solum Antiphonam, sed etiam quæcumque in Missa chorus canit, complectatur: nomen tamen hoc sortitus est ab Antiphona quæ præcinitur, quam nunc Introitum appellamus, quia ad Introitum præmittitor. In ipso Libri Sacramentorum limine: In primis ad Introitum Antiphona qualis fuerit, statutis temporibus, *Cætera fere pristinum nomen retinuerunt, si Graduale excipiamus, quod olim dicebatur Responsorium. Quamquam etiam Gradale vocaretur aliquando, ut ex initio Libri Sacramentorum liquet:* Postmodum dicitur Oratio, deinde sequitur Apostolus, item Gradale. *Hinc ab ipso Antiphonarium Gradualem appellatum observamus apud Micrologum, ut ex notis ad festum S. Pauli, & ad Officium S. Appollinaris constat.*

Institutam a nostro Gregorio cantundi methodum per Occidentem propagorunt sanctissimi Patris alumni, maxime qui Augustino pergenti in Britanniam, comites sese adjunxerant, ut docet Johannes Diaconus lib. 2. cap. 8. De Anglis quidem luculentum habemus venerablis Bedæ testimonium lib. 5. hist. cap. 21. De Acca Episcopo Cantorem quoque egregium, *inquit,* nomine *Maban*, qui a successoribus discipulorum beati Papæ Gregorii in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersiit. *Nec minus perspicue idem elicitur ex S. wilfrido Eboracensi Episcopo: qui apud Eddium ejus vitæ scriptorem gloriatur,* Quod post obitum primorum procerum a S. Gregorio directorum, docuisset totam Ultraumbrensium gentem: quomodo, juxta usum primitivæ Ecclesiæ, consono vocis modulamine, binis astantibus choris persultare Responsoriis, Antiphonisque reciprocis. Act. SS. Ord. S. Benedict. sec. 4. Part. 1.

Corruptum lapsu temporis apud Anglos, Gallos, aliosque Occidentales populos Ec-

* Vide in Præfatione P. Gussanvillæi quam huic subjecimus.

Johan. Diac. lib. 1. cap. 8.

Vide Mabill. de cursu Gall. p. 398.

clesiasticum cantum, restituit Johannes quidam Romanus cantor, qui secutus fuerat Theodorum a Vitaliano Papa in Britanniam missum, & Dorobernensi al. Cantuariensi Ecclesiæ totius Angliæ Metropolitanæ præpositum. Hinc dum Romanarum Antiphonarum usum ex Romana Eccesia in Gallicanam invectum esse per Pipinum legimus, cui scilicet Paulus Papa Antiphonale, & Responsale ex urbe direxit; *id fortasse potius de illius usus restitutione intelligeudum, quam de prima institutione. Quamquam non diffitaamur plurimas in Gallis Ecclesias suos veteres usus usque ad Caroli Magni tempora retinuisse.*

Hic Imperator, dissonantia Romani & Gallicani cantus Romæ offensus, altercantibus invicem Romanis & Gallis, viso authentico Antiphonario, ita litem composuit, ut Romanam cantandi methodum Gallicanæ longe anteponendam censeret. Ideoque duos suorum industrios Clericos Adriano tunc Episcopo dereliquit; quibus tandem satis eleganter instructis, Metensem Metropolim ad suavitatem modulationis pristinæ revocavit, & per illam, totam Galliam suam correxit, *inquit Johannes Diaconus lib. 2. cap. 9.*

Metensis Antiphonarii fama usque ad S. Bernardi tempora viguit, ut liquet ex tractatu ejusdem, de cantu seu correctione Antiphonarii tomo II. opusculo XIII. *pag. 693. novissimæ editionis. Cum enim priores Patres Cistercienses nihil antiquius haberent, quam in divinis laudibus id cantare, quod magis authenticum inveniretur; miserunt qui Metensis Ecclesiæ Antiphonarium (nam id Gregorianum esse dicebatur) transcriberent & afferrent, ut refert sanctus Bernardus. Verum illum codicem & cantu, & littera depravatum: ac incompositum probarunt.*

Romanum hunc Gregorianumque Antiphonarium jam a Pamelio editum tomo II. Liturgicon, & Vaticanæ postea operum sancti Gregorii editioni insertum, atque in Gussanvillæana recusum, denuo recensuimus ad codices mss. duos Theodericenses in quibus compendiose simul cum libro Sacramentorum continetur, ad codicem Vallis-claræ, ac præsertim ad exemplar Compendiense sancti Cornelii mire depictum & litteris purpureis ac aureis regia munificentia ornatum. In eo autem multa occurrunt notis musicis superscriptis ad cantum comparata. In titulo legitur: Gregorius Præsul meritis & nomine dignus, summum conscendens honorem, renovavit monimenta Patrum priorum, & composuit hunc libellum, musicæ artis, scholæ cantorum per anni circulum. Incipit Dominica prima de adventu Domini. *Ætatem insignis illius codicis, tum ex scriptura, tum ex prosa quadam de beata Maria, quam exhibuimus in Appendice, explorare licet. Scriptura sane nono convenit seculo: ex prosa vero eamdem manu descripta liquet tunc Normannos per Galliam grassatos esse; quæ Caroli Calvi Imperatoris, Compendiensis Monasterii fundatoris, tempora designant. Ex eodem codice subjiciemus Antiphonas, Versus, Responsoria, quæ ad antiquum cursum Ecclesiasticum pertinent. Plura de S. Gregorii Antiphonario dicere supersedemus, quia præfationem eruditissimi Petri Gussanvillæi huic attexendam judicavimus, ex qua multa scitu digna haurire poterunt, qui copia & varietate delectantur.*



PETRI GUSSANVILLÆI PRÆFATIO.

JOANNES Diaconus trecentis fere post S. Gregorium annis scribens, lib. 2. de vita ejusdem cap. 6. hunc quem edimus Antiphonarium S. Gregorio tribuit, cujus codicem, an autographum? an apographum? Romæ in Lateranensi Patriarchio reperiri testatur. Sit penes eum ejusque sequaces fides: non ausim ego reclamare, quamvis ista assertio nonnullis posse videatur nubeculis obscurari. Aliud porro est Antiphona facere; aliud ordinare, distinguere, recensere, quibusdam de novo additis. Plerique Auctores de Antiphonis multa hinc inde mendicata non cessant obtrudere, nihil pensi habentes vocem ambiguam explicare, ritusque varios separare; qui sub istius vocis cortice latentes, inepte confunduntur. Itaque pauca cum de voce, tum de usu vocis annotabo. Vox est origine Græca *ἀντίφωνος*, contrasonans: *ἀντιφωνέω*, contrasono. Anacreon Poeta, Ode I.

Κἀγὼ μὲν ᾖδον ἄθλυς
Ἡρακλέυς· λύρη δὲ
Ἔρωτας ἀντεφώνει, id est:

Ego labores canebam Herculis: Lyra autem contrasonabat amores. Apud Ecclesiasticos Auctores Græcos ac Latinos non idem semper fuit istius vocis usus. Primitus *ἀντίφωνεῖν* erat Psalmos aut Prophetias aut Hymnos alternis vicibus canere, & quasi chorum choro respondere. Sic apud Isai. cap. 6. *Clamabant* Angeli *alter ad alterum*. Sic Psal. 67. vers. 18. pro eo quod vulgo legimus *millia lætantium* שנאן *schinan*, Rabbi Salomon & Eugubinus interpretantur, *alternantium*, a radice שנה *schanah*, quæ significat *iterare*, *duplicare*, quasi Angeli alternis Deum cantibus laudent. Sic nostro more Psalmodos Davidicos & Hymnos quoscumque nostris insertos Breviariis, Prosas Missalibus, etiamnum concinimus. Ex Philone apud Eusebium hist. lib. 2. cap. 17. Niceph. lib. 2. cap. 15. uni ex omnibus surgenti psallentique, alii circa finem accinebant. Sed præstat legere ipsum Philonem lib. de vita contemplativa. Ex hist. tripartita. lib: 10. cap. 9. Nicep. lib. 13. cap. 8. hunc alternandi morem ab Angelis accepit sanctus Ignatius. Theodoretum hist. lib. 2. cap. 24. non satis expenderunt qui de Antiphonis scripsere; indico, non exscribo: scilicet conciliandæ forent historiæ, ut quidpiam certi asseratur. Equidem reor Antiphonum non verba fuisse quæ canebantur, sed modum ipsum canendi sive Psalmos, sive Prophetias, sive Hymnos, sive Responsoria, aut quid simile. Apud Sozom. lib. 8. cap. 8. *κατὰ τῶν ἀντιφώνων τρόπον ἔψαλλον*, *Antiphonorum ad instar psallebant:* de Arianis loquitur, quorum fraudes S. Joannes Chrysostomus prudenti imitatione dissipavit. Haimo ad Psal. 7. notat ex diversis quandoque Psalmis vel Laudibus Antiphonas conjungi. Joannes Cassianus de Antiphonis apud Monachos agens lib. 2. Instit. veterem eorum morem agnoscit & quasi damnat, c. 2. recipit, c. 8. de matutinis res erat. Concil. Turonense II. c. 18. ann. 567. de Antiphonis quædam sancit subobscuriora nobis. Et c. 23. de Ambrosianis Hymnis. Ex S. August. retract. lib. 2. cap. 11. liquet tunc morem Carthagine cœptum dicendi ad altare Hymnos de Psalmorum libro, sive ante oblationem, sive cum oblata populo distribuerentur. Epist. etiam 119. ad Jan. cap. 18. de Hymnis & Psalmis canendis agitur. Legimus etiam retract. cap. 19. Psalmum & Hypopsalma a sancto viro facta adversus Donatistas. Quid autem intersit inter Psalmos, Hypopsalmata, Hymnos, Responsoria, Tractus, Offertorium, Graduale, Introitus, Ephymnia, Typica, Troparia, necnon Antiphona, nescio an quisquam hucusque aperte dixerit: at multi cofunderunt perperam. In Sabæ typico observare est discrimen inter Antiphona ac Typica. Idem fere exhibet S. Joannis Chrysostomi Liturgia, *μετὰ τὰ εἰρηνικὰ ὁ χορὸς ψάλλει τὸ πρῶτον ἀντίφωνον, ἢ τὰ τυπικά, εἰ ἐστὶ κυριακή*, &c. Occurrunt in Missa Mosarabum, & in mysteriis Præsanctificatorum 1. 2. 3. Antiphonum sancti Germani Const. Patr. In rerum Eccl. Theoria, meminit 1. 2. 3. Antiphoni: & paulo ante ait, Antiphona esse Prophetarum prædictiones: &c. Scilicet de-

sume-

SANCTI GREGORI PAPÆ LIBER ANTIPHONARIUS.

Ordinatus per circulum anni.

a *Dominica prima Adventus Domini.*

A Ntiphona. Ad te Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido, non erubescam; neque irrideat me inimicus meus. Etenim universi, qui te expectant, non confundentur. *Psalmus.* Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. *Responsorium.* Universi qui expectant, non confundentur. *Versus.* B Vias tuas, Domine, notas fac mihi, & semitas tuas edoce me. *Alleluia.* Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. *Offertorium.* Ad te, Domine levavi animam: Deus meus, in te confido, non erubescam. Neque irrideant me inimici mei: etenim universi qui te expectant, non confundentur. *Versus I.* Dirige me in virtute tua, et doce me: quia tu es Deus salutaris meus, et te sustinui tota die. *Vers. II.* Respice in me, et miserere mei, Domine, custodi animam meam, et eripe me: non confundar, quoniam invocavi te. *Ad Communionem.* Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. *Psalmus* Benedixisti, Domine.

Dominica secunda de adventu.

Antiph. Populus Sion, ecce Dominus veniet ad salvandas gentes: & auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ in lætitia cordis vestri. *Psal.* Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph. *Resp.* Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestus veniet. *Vers.* Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinaverunt testamentum ejus super sacrificia. *All.* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. *Vers. I.* Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Jerusalem. *Vers. II.* Rex noster adveniet Christus, quem Johannes prædicavit agnum esse venturum. *Off.* Deus, tu conversus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. *Vers. I.* Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ. *Vers. II.* Misericordia & veritas obviaver int sibi; veritas de terra orta est, & justitia de cælo prospexit. *Ad Com.* Jerusalem surge, & sta in excelso, & vide jucunditatem quæ veniet tibi a Deo tuo. *Psal.* Qui regis Israel.

In natali S. Luciæ.

Antiph. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Ps.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. *Resp.* Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. *Vers.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *All.* Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. *Off.* Offe- C rentur regi virgines: proximæ ejus offerentur tibi in lætitia & exultione, adducentur [b] in templum regi Domino. *Vers. I.* Eructavit cor meum. [c] *Vers. II.* [d] Specie tua. *Ad Com.* [e] Diffusa est gratia in labiis tuis. *Psal.* ut supra. b c d e

[f] *Dominica tertia.* f

Antiph. Gaudete in Domino semper; iterum dico, Gaudete: Modestia vestra nota sit omnibus

Te ho-

a In ms. Compend additur, *Statio ad S. Andream ad præsepe.* Ita etiam in codice duo annorum Bibliothecæ Angelicæ, nisi quod pro, *ad præs.* legitur *post præsepe.* Ad quem locum Angelus Rocca Camers olim Episcopus Tagastensis, ex Augustinianorum familia factus, & præfectus Apostolici Sacrarii, ejusdem Bibliothecæ parens, hæc annotavit: *Re diligenter inspecta an. mdcc. hæc ædicula S. Andreæ Ap. olim dicata, hodie intra ecclesiæ S. Antonii Atrium, prope S. Mariæ majoris basilicam, profanum cernitur, & in hominum usum conversa.* Simul observat vir antiquitatis præsertim sacræ studiosissimus, ebsidem illam ædiculæ antiquæ, in qua imagines opera musivo olim factæ cernebantur, fuisse quoque pro- D fanatam. Tempore Angeli Roccæ semidiruta & collapsa visebantur illæ imagines; *jam vero,* inquit Mabillonius, itineris Italici, *pag.* 93. nihil penitus superest ex illo musivo.

b Compend. *in templo Regis.*

c In eodem cod. completur hic versus cum sequenti *Lingua* & resumitur, *adducentur.*

d Pro hoc versu assignatur in Comp. *Diffusa est gratia . . . propterea bened. te Deus in æter.*

e Post hanc Communionem in cod Comp. sequitur, Ps. *Eructavit* &c. & *All.* versus *Specie tua.*

f Subjicitur in Comp. *ad S. Petrum,* subauditur *Statio.*

gentes, & erunt tibi in plebem. *Com.* Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio ejus, & ocursus ejus usque ad summum ejus. *Psal.* Cæli enarraot.

a [a] *Dominica vacat.*

Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui; visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hereditate tua. [b] *Psal.* Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. *Resp.* Prope est Dominus. *Vers.* Veni Domine, & noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ. *Off.* Ave Maria, gratia plena, Domious tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. *Vers. I.* Quomodo in me fiet hoc, quæ virum non cognosco? Spiritus Domini superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Vers. II.* Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, *Com.* Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.

c [c] *Vigilia Nativitatis Domini*,

Antiph. Hodie scietis quia veniet Dominus, & salvabit vos, & mane videbitis gloriam ejus. *Psal.* Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo. *Resp.* Hodie scietis quia veniet Dominus, & salvabit vos: & mane videbitis gloriam ejus. *Vers.* Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph, qui sedes super Cherubim, appare coram Ephraim, Benjamin & Manasse: *Si in* [d] *Dominica evenerit ipsa vigilia.* Alleluia *de adventu Domini, quale volueris, dic: sin antem, non cantatur.* *Offert.* Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. *Vers. I.* Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo. *Vers. II.* Ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum. *Com.* Revelabitur gloria Domini, & videbit omnis earo salutare Dei nostri. *Psal.* Domini est terra, *ut supra*.

e [e] *In media nocte Nativitatis Domini.*

Antiph. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Psal.* Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? *Resp.* Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. *Vers.* Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *All.* Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Offert.* Lætentur cæli, & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit. *Vers.* Cantate Domino canticum novum, [f] benedicite nomen ejus; bene nuntiate de die in diem salutare ejus. *Vers. II.* [g] Confessio & pulchritudo in conspectu ejus, fortitudo & magnificentia in sanctificatione ejus. *Com.* In splendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te. *Psal.* Dixit Dominus Domino meo.

h [h] *Missa in primo mane Nativitatis Domini.*

Antiph. Lux fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis Dominus, & vocabitur Admirabilis, Deus, Princeps pacis, Pater futuri seculi, cujus regni non erit finis. *Psal.* Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. *Resp.* Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. *Vers.* A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. *All.* Dominus regnavit, decorem, &c. *Off.* Deus enim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur; parata sedes tua, Deus, ex tunc, a seculo tu es. *Vers. I.* Dominus regnavit, decorem. *Vers. II.* Mirabilis in altis Dominus. *Com.* Exulta, Sion, lauda filia Jerusalem, ecce rex tuus venit justus, & Salvator mundi. *Psal. ut supra.*

i [i] *In Die natalis Domini.*

Antiph. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, magni consilii Angelus. *Psal.* Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. *Resp.* Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Jubilate Deo omnis terra, cantate & exultate & psalite. *Vers.* Notum fecit Domious salutare suum: ante conspectu gentium revelavit justitiam suam. *All.* Dies sanctificatus illuxit nobis: venite gentes, & adorate Dominum, quia hodie descendit lux magna super terram. *Off.* Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti. [k] *Vers. I.* Magnus & metuendus super omnes qui in circuitu ejus sunt. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, & veritas tua in circuitu tuo: tu dominaris [l] potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas. *Vers. II.* Misericordia & veritas præcedent ante faciem tuam, beati populi qui sciunt jubilationem. *Vers. III.* Tu humiliasti sicut vulneratum superbum; in virtute brachii tui dispersisti omnes inimicos tuos. *Com.* Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. *Psal.* Cantate Domino, *ut supra*.

m [m] *Die sancti Stephani.*

Antiph. Etenim sederunt principes, & adversum me loquebantur, & iniqui persecuti sunt me: adjuva me, Domine Deus meus, quia servus tuus exercebatur in tuis justificationibus. *Psal.* Beati immaculati in via, qui ambulant io lege Domini. *Resp.* Sederunt principes, & adversum me loquebantur & iniqui persecuti sunt me. *Vers.* Adjuva me, Domine Deus meus, propter misericordiam tuam. *All.* Video cælos apertos, & Jesum stantem a dextris virtutis Dei. *Off.* In virtute tua, Domine, lætabitur justus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei. *Vers. I.* Vitam petiit a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi. *Vers. II.* Magna est gloria ejus in salutari tuo; gloriam & magnum decorem impones super eum. *Com.* Video cælos apertos, &

 Je-

a Quid hæc inscriptio significet, disce ex nota *a* ad Dominicam 21, Quadrages. lib. Sacram. col. 43.

b In ms. *Ps. Confitemini*. AR. *Quis loquetur* Resp. *Prope est* O. Vers. *Laudem Domini loq.* Alleluia. *Veni ... relaxa*.

c Additur in ms. Val-cl. *hora nona*. In Comp. *hora nona*, & notatur *Statio ad S. Mariam*.

d Hæc rubrica, ut ajunt, non legitur in Theoderic. & in Compend. parumper variat. Theoderic. codices quos hic laudamus, sunt illi mss. libri Sacramentorum, quos supra sæpe laudavimus: nam in margine exhibent, quæ ad Antiphonarium spectant, sed summatim.

e In Val-cl. *In Vigilia primo galli cantu*, in Compend. statio assignatur ad S. Mar. *ad præsepe*.

f Compend. *Cantate Domino omnis terra*.

g Ibid. Vers. II. *Cantate Dom. Bened. nom. ejus, bene nunciate*, &c.

h Compen. & Val-cl. *mane prima*. In Compend. statio *ad S. Anastasiam*.

i In Comp. statio *ad S. Petrum*.

k Pauca discrepant a communi lectione illorum versuum, in Comp.

l Ms. *potestates*.

m Val-cl. *Proto-mart. Stephani*.

Jesum stantem a dextris virtutis Dei. Domine Deus, accipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. *Psal.* Beati, *ut supra*.

Sancti Johannis in Missa prima.

Antiph. Ego autem sicut oliva[a] fructifera in domo Dei. *Psal.* Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? *Resp.* Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. [b] *Vers.* Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. *Off.* Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine. *Vers. I.* Domine Dominus noster. *Vers. II.* [c] Quid est homo? *Com.* Magna est gloria ejus in salutari tuo. *Psalm.* Domine, in virtute.

In secunda.

Antiph. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, stolam gloriæ induit eum. *Psal.* Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. *Resp.* Exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur. *Vers.* Sic eum volo manere donec veniam: tu me sequere. *All.* Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibuit de his, & scimus quia verum est testimonium ejus. *Off.* Justus [d] ut palma florebit: sicut cedrus quæ in Libano est multiplicabitur. *Vers. I.* Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. *Vers. II.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. *Vers. III.* Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. *Com.* Exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur, & non dixit Jesus: Non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam. *Psal.* Bonum est, *ut supra*.

[e] *In Natali Innocentium.*

[f] Gloria in excelsis Deo, *non canitur*, *neque* Alleluia: *sed quasi præ tristitia*, *dies illa deducitur*.

Antiph. Ex ore infantium, Deus, & [g] lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem. *Psal.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. *Resp.* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. *Vers.* Laqueus contritus est, & nos liberati sumus: adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. *Off.* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. *Vers. I.* Nisi quia Dominus erat in nobis, Dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis: cum exurgerent homines in nos forte vivos deglutissent nos: cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan velut aqua absorbuissent nos. *Vers. II.* Torrentem pertransiit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. *Com.* Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus. Rachel plorans filios suos, noluit consolari, quia non sunt. *Psal.* Domine Dominus noster.

Natale S. [h] *Sylvestri.*

Antiph. Sacerdotes tui, Domine, induant justitiam, & sancti tui exultent. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui. *Psal.* Memento, Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. *Resp.* Ecce Sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus. *Vers.* Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. *All.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. *Off.* Inveni David servum meum, & in oleo meo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum [i] confortabit eum. *Vers. I.* Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. [k] *Vers. II.* Veritas mea & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. *Com.* Beatus servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. [l] *Ps. ut supra.*

[m] *De sancta Maria in octava Domini.*

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus adducentur tibi in lætitia & exultatione. *Ps.* Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. *Resp.* Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Vers.* Propter veritatem & mansuetudinem & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. *All.* Post partum virgo. *Off.* Offerentur regi virgines. *Psal.* Eructavit cor meum. *Vers.* Diffusa est gratia. *Com.* Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparavit eam. *Psal.* Eructavit, *ut supra*.

Dominica post natale Domini.

Antiph. Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de cælis a regalibus sedibus venit. *Psal.* Dominus regnavit, decorem indutus est: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. *Resp.* Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Vers.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. *All.* Dominus regnavit, decorem. *Off.* Deus enim firmavit orbem terræ. *Com.* Tolle puerum & matrem ejus, & vade in terram Juda: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. *Psal. ut supra.*

[n] *Vigilia Epiphaniæ.*

Antiph. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Psal.* Quare fremuerunt gentes.

a Compend. *Fructificavi in domo Domini, speravi . . . & expect. n. t. quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.*

b Compend. vers. 1. *Ad annuntiandum*, &c.

c Compend. *Quid est homo quia vis. eum, aut, &c. Visitas eum diluculo, &c.* & resumitur in altero versu, *& constituisti eum* &c.

d Multa hoc loco complevimus ex mss. in vulgatis omissa.

e Hoc officium & superius explicatur ab Alcuino, pag. 90. ubi nominatim Antiphonarium citat. *Pamel.*

f Hoc nominatim citatur ex Antiphonario per Amalar. l. 1. c. ult. & Micrologus c. 36.

g Compend. *lactantium*.

h Festi S. Sylvestri mentionem facit nominatim Micrologus, cap. 35. *Pamel.*

i Compend. *Confortavit*.

k Ibid additur, *tu dixisti, posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea.* Vers. II. *Et ponam in seculum sec. semen ejus, & thronus ejus sicut dies cæli.*

l Psalmus &c deest in ms.

m Authenticum esse hoc officium, & Graduali libro seu Antiphonario S. Gregorii contineri, testatur Micrologus c. 39. Convenit etiam exemplar utrumque. *Pamel.* Non ita consentiunt mss. nostri. In Comp. quidem legitur, *Kal. Jan. natale S. Martinæ Martyris & Virginis.* Antiph. *Vultum tuum.* In Theodericensibus vero *Kalendis Januarii octavo*, &c. Sed in Val-cl. *Kal. Januarii octava Domini. Statio ad S. Mariam ad Martyres.* Ant. *Puer natus est, &c.* ut in Offic. Nat. Domini.

n Non est in Comp. nec in Val-cl. Notatur in Theoderic. sed assignatur Missa, *dum medium silentium*; ut supra in Dominica.

tes. *Resp.* Tecum principium de die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.

a *Epiphania Domini. In die sancto ad Missam.*

Antiph. Ecce advenit dominator Dominus, & regnum io manu ejus, & potestas, & imperium. *Psal.* Deus, judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis. *Resp.* Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. *Vers.* Surge & illuminare Jerusalem, quia gloria Domini super te orta est. *All.* Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus B adorare Dominum. *Off.* Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei. *Vers. I.* Deus, judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio. *Vers. II.* Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec extollatur luna: & dominabitur a mari usque ad mare. *Vers.* Suscipiant montes pacem populo tuo, & colles justitiam. *Com.* Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum. *Psal.* Deus, judicium C tuum Regi da, *ut supra.*

b *Dominica post* [b] *Epiphaniam.*

Antiph. In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum psallentium in unum, ecce cujus imperii oomen est in æteroum. *Psal.* Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. *Resp.* Benedictus Dominus Deus Israel, quia fecit mirabilia magna solus a seculo. *Vers.* Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam. *All.* Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia. *Off.* Jubilate Deo D omnis terra, servite Domino in lætitia. Intrate in conspectu ejus, in exultatione: quia Dominus ipse est Deus. *Vers. I.* Ipse fecit oos, & oon ipsi nos. *Vers. II.* Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus. *Com.* Fili, quid fecisti nobis sic? ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Et quid est quod me quærebatis? an nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? *Psal.* Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus, *ut supra.*

c [c] *Octava Epiphaniæ ut in die.*

d *Nat. S. Felicis* [d] *in Pincis.*

Antiph. Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus; ne zelaveris facientes iniquitatem. *Resp.* Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Vers.* Di- A xit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis. *All.* Justus non conturbabitur. *Off.* Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine. *Comm.* Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso, *Psalm.* xx.

Dominica II. post Epiphaniam.

Antiph. Omnis terra adoret te, Deus, & psallat tibi, psamum dicat nomini tuo, Altissime. *Psal.* Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. *Resp.* Misit Dominus verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitu eorum. *Vers.* Confitentur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. *All.* Laudate Dominum omnes Angeli ejus. Laudate eum omnes virtutes ejus. *Off.* Jubilate Deo universa terra, psalmum dicite nomini ejus. Venite & audite, & narrabo vobis [e] omnes qui timetis e Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ. *Vers. I.* Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. *Vers. II.* Locutum est os meum in tribulatione mea, holocausta medullata offeram tibi. *Com.* Dicit Dominus: Implete hydrias aqua, & ferte architriclino: cum gustasset architriclinus aquam vinum factam, dixit sponso: Servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc signum fecit Jesus primum coram discipulis suis. *Psal. ut supra.*

[f] *Nat. S. Marcelli.* f

Antiph. Statuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum, ut sit illi Sacerdotii dignitas in æternum. *Psal.* Misericordias Domini in æternum cantabo. *Resp.* Inveni David servum meum &c. *Vers.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis [g] non apponet nocere ei. *All.* Inveni David servum meum. *Off.* Veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. *Vers. I.* Posui adjutorium meum supra potentem, & exaltavi electum de plebe mea: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. *Vers. II.* [h] Misericordia mea *Com.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, [i] dicit Dominus. *Psal.* Misericordias Domini, *ut supra.*

[l] *Natal. sanctæ Priscæ.* l

E *Antiph.* Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar, & meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. *Psal.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Resp.* Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. *Vers.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *All.* Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedi-

a Abest a nost: in mss. *in die sancto*. Statim in Compend. & Theoderic. est ad S. Petrum.
b Aliter, *post Theophaniam*, ut legitur in Val-cl.
c Non inscribitur in mss. Compend. & Val-cl.
d Deest *in Pincis*, in mss. Compend. In Val-cl. *S. Felicis Presbyteri & Conf.*
e Compend. *vobis omnibus . . . allel. allel.*
f In mss. xvii. *Kal. Febr. S. Marcelli Papæ*.
g Compend. *non nocebit eum*.
h Compend. *misericordiam meam non disp. ab eo, sedes ejus in conspectu meo*.
i Ibid. *intra in gaud. Dom. tui*.
l Scilicet xv. Kal. Febr. ut notatur in mss. Hac die nunc celebratur festum Cathedræ S. Petri, quod non annotatur in mss. nostris, nec in Libro Sacram. nec in Kal. Rom Frontonis, nec in Bedæ Martyrologio, aliisque plurimis similibus monumentis. Apud F Usuardum tamen & Adonem signatur; imo etiam in antiquo Martyrologio nomen Hieronymi præferente, & in aliis nongentorum anno cujus meminit Mabill. de Liturgia Gallic. p. 121. Facile assentimur his qui putant olim Cathedram seu Episcopatum S. Petri non uno eodemque die celebrari consuevisse; sed mense Januario in Galliis, & Februario Romæ. Hinc duplicem Cathedræ sancti Petri solemnitatem celebrandi data occasio. Cumque prius eadem Cathedra, idem Episcopatus ab his in Januario, ab illis in Februario celebraretur: postea 18. Januarii dies consecratus est memoriæ Rom Cathedræ, & 22. Februarii, Antiochenæ. Ex his liquet Paulum IV. festum Rom. Cathedræ 18. Januarii non tam instituisse, quam restituisse, ut ipse profitetur in litteris hujus restitutionis ann. 1558. In constitutionibus S. Perpetui Turon. Ep. de Vigiliis legitur: *Natali sancti Johannis ad basilicam Domini Martini. Natali sancti Petri Episcopatus ad ipsius basilicam.*

dixit te Deus in æternum. *Off.* Filiæ regum in honore tuo. *Verſ. I.* Eructavit cor meum verbum bonum. *Verſ. II.* Specie tua. *Com.* Feci judicium et justitiam. *Pſal. ut ſupra.*

a [a] *Nat. Sanctorum Mart. Fabiani, & Sebaſtiani.*

Antiph. Intret in conſpectu tuo, Domine, gemitus compeditorum: redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum: vindica ſanguinem ſervorum tuorum qui effuſus eſt. *Pſal.* Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam. *Reſp.* Glorioſus Deus in Sanctis ſuis, mirabilis in majeſtate ſua. *Verſ.* Dextera tua, Domine, magnificata eſt in virtute, dextera manus tua confregit inimicum. *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* Lætamini in Domino, et exultate. *Verſ. I.* Beati quorum. *Verſ. II.* Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. *Com.* Multitudo languentium et qui vexabantur a ſpiritibus immundis, veniebant ad eum, quia virtus de illo exibat, et ſanabat omnes. *Pſal.* Deus venerunt gentes.

b [b] *Natal. ſanctæ Agnetis.*

Antiph. Me expectaverunt peccatores ut perderent me: teſtimonia tua Domine, intellexi: omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. *Pſal.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Reſp.* Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. *Verſ.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. *All.* Specie tua & pulchritudine tua, propterea benedixit te Deus in æternum. *Off.* Offerentur tibi. *Com.* Quinque prudentes virgines. *Pſal. ut ſupra.*

Dominica III. poſt Epiphaniam.

Antiph. Adorate Deum omnes Angeli ejus. Audivit, & lætata eſt Sion, & exultaverunt filiæ Judæ. *Pſal.* Dominus regnavit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. *Reſponſ.* Timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. *Verſ.* Quoniam ædificavit Dominus Sion, & videbitur in majeſtate ſua. c [c] *All.* Exultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob, cantate pſalterium cum cithara. *Off.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini. *Verſ. I.* In tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine, quia Dominus adjutor meus eſt. *Verſ. II.* Impulſus verſatus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me & factus eſt mihi in ſalutem. *Comm.* Mirabantur omnes de his quæ procedebant de ore Dei. *Pſal.* Dominus regnavit, exultet terra.

d [d] *Natal. ſancti Vincentii.*

Antiph. Lætabitur juſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. *Pſalm.* Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam. *Reſp.* Poſuiſti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioſo. *Verſ.* Deſiderium animæ ejus tribuiſti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum. *Allel.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Off.* Gloria et honore coronaſti eum, et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, Domine. *Verſ.* Domine Dominus noſter. *Comm.* Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, et tollat crucem ſuam, et ſequatur me. *Pſal.* Exaudi, Deus.

[e] *Sanctæ Agnetis ſecundo.* e

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. *Pſal.* Eructavit cor meum verbum bonum. *Reſp.* Specie tua. *Verſ.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. *All.* Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Offert.* Diffuſa eſt gratia. *Comm.* Simile eſt regnum cœlorum. *Pſal. ut ſupra.*

[f] *Purificatio S. Mariæ, ad Proceſſionem.* f

Antiph. [g] Χαῖρε κεχαριτωμένη, Ave gratia plena, Θεοτόκε παρθένε, Dei genitrix Virgo, ἐκ σοῦ γὰρ ἀνέτειλεν, ex te enim ortus eſt, ἥλιος τῆς δικαιοσύνης, Sol juſtitiæ, φωτίζων τοὺς ἐν σκότει, illuminans qui in tenebris ſunt: εὐφραίνου καὶ σὺ, lætare et tu: πρεσβῦτα δίκαιε, ſenior juſte, δεξάμενος ἐν ἀγκάλαις, ſuſcipiens in ulnis, τὸν ἐλευθερωτὴν, liberatorem, τῶν ψυχῶν ἡμῶν animarum noſtrarum, χαριζόμενον ἡμῖν, donantem nobis, καὶ τὴν ἀνάστασιν et reſurrectionem. *Verſ.* Κατακόσμησον τὸν θάλαμόν σου Σιὼν, Adorna thalamum tuum, Sion, καὶ ὑπόδεξαι τὸν βασιλέα Χριστὸν, et ſuſcipe regem Chriſtum, ἀσπάζου τὴν Μαριὰν, amplectere Mariam, τὴν οὐράνιον αὐλὴν, quæ eſt cæleſtis porta: αὕτη γὰρ βαστάζει τὸν βασιλέα τῆς δόξης, ipſa enim portat regem gloriæ, νεοφώτιστος ὑπάρχει παρθένος, novi luminis ſubſiſtit virgo φέρουσα ἐν χερσὶν υἱὸν πρὸ ἑωσφόρου, adducens in manibus filium ante luciferum, ὃν λαβὼν Συμεὼν ἐν ἀγκάλαις αὐτοῦ, quem accipiens Simeon in ulnis ſuis, ἐκήρυξεν τοῖς λαοῖς prædicavit populis, δεσπότην αὐτὸν εἶναι, Dominum eum eſſe, ζωῆς καὶ θανάτου, vitæ et mortis, καὶ σωτῆρα τοῦ κόσμου, et Salvatorem mundi. *Verſ.* Reſponſum accepit Simeon a Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. g

Ad introitum.

Antiph. Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui: ſecundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ: juſtitia plena eſt dextera tua. *Pſ.* Magnus Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus. *Reſp.* Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam. *Verſ.* Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri, Deus fundavit eam in æternum. *All.* Adorabo ad templum ſanctum tuum, et confitebor nomini tuo in timore tuo. Adducentur Regi. *Si poſt Septuageſimam evenerit.* [h] *Tract. ſequens dicitur:* Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Specie tua, et pulchritudine tua intende, proſpere procede, et regna. Propter veritatem et manſuetudinem, et juſtitiam, et deducet te mirabiliter dextera ſua. h

Di-

a Aſſignatur in mſs. XIII. *Kal. Febr.*
b In mſs. XII. *Kalend. Febr. Nat. S. Agnæ.*
c In Compend. *Al.* *Dominus regnavit exultet terra. lætentur inſ. multæ.*
d In mſs. XI. *Kal. Febr. S. Vinc.* In Val. cl. additur, *Diac. & Mart.*
e Nimirum v. *Kal. Febr.* In Val. cl. legitur, *Octava S. Agnæ de Nativitate.*
f In Compend. IV. *Non. Febr. Purif. Mariæ; collecta ad S. Adrianum.* In Val. cl. *Nat. S. Simeonis; collecta ad ſanctum Adrian. ſtatio ad S. Mariam.* In Theod. *Ypapanti ſtatio ad S. M. coll. ad S. Adr.*
g Quæ hic Græce leguntur, deſiderantur in mſs.
h Nullus aſſignatur Tractus in Comp. In Val. cl. Legitur, *Si in Septuageſima evenerit. Tractus,* Jubilate.

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Dens tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris rui. Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus adferentur tibi. Adducentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regi Domino. *Offert.* Diffusa est gratia. *Vers. I.* Eructavit cor meum verbum bonum. *Vers. II.* Specie tua & pulcritudine rua. *Comm.* Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. *Psal. ut supra.*

[a] *Natal. sanctæ Agathæ.*

Antiph. Gadeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes [b] in honore Agathæ martyris: de cujus passione gaudent Angeli, & collaudant filium Dei. *Psal.* Eructavit cor meum. *Resp.* Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus non commovebitur. *Vers.* Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. *Tract.* Qui seminant in lacrymis, [c] in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. *Offert.* Offerentur Regi virgines post eam. *Comm.* Qui me dignatus est ab omni plaga curare, & mamillam meam meo corpori restituere, ipsum invoco Dominum vivum. *Psal. ut supra.*

Natal. sancti Valentini.

Antiph. In virtute tua, Domine, lætabitur justus, &c. *Psal.* [d] Vitam petiit. *Resp.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Vers.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. *Tract.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum, &c. *Offert.* In virtute tua, Domine, lætabitur justus. *Comm.* Magna est gloria ejus. *Psal.* 20.

[e] *Cathedra sancti Petri.*

Antiph. Statuit ei Dominus. *Psalm* Misericordias Domini. *Resp.* Juravit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Vers.* Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum. *Vers.* Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. *Vers.* Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. *Offert.* Veritas mea. *Comm.* Tu es Petrus. *Psal. ut supra.*

Adnuntiatio S. Mariæ.

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. *Psal.* Eructavit. *Resp.* Diffusa est gratia. *Vers.* Propterea. *Offert.* Ave Maria gratia plena, *Vers. I.* Quomodo in me fiet hoc? *Vers. II.* Ideo quod nascetur ex te. *Com.* [f] Ecce Virgo concipiet. *Psalm ut supra.*

Dominica [g] *in Septuagesima.*

Antiph. [h] Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me, & in tribulatione mea invocavi Dominum, & exaudivit de templo sancto suo vocem meam. *Psal.* Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum. *Resp.* Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione: sperent in te, qui noverunt te, quoniam non derelinquis quærentes te, Domine. *Vers.* Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in æternum. Exurge, Domine, non prævaleat homo. *Tract.* [i] Deprofundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam. *Vers.* Fiant aures tuæ intendentes in orationem servi tui. *Vers.* Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit? *Vers.* Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te, Domine. *Off.* Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. *Vers. I.* Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ! *Vers. II.* Ecce inimici tui, Domine, peribunt: & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem. *Vers. III.* Exaltabitur sicut unicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia uberi: quia respexit oculus meus inimicos meos, & insurgentes in me malignantes audivit auris tua. *Comm.* Illumina faciem tuam super servum tuum, & salvum me fac in tua misericordia, Domine: non confundar, quoniam invocavi te. *Psal.* In te, Domine, speravi.

[l] *Dominica in Sexagesima.*

Antiph. Exurge, quare obdormis, Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciem tuam avertis? oblivisceris tribulationis nostræ. Adhæsit in terra venter noster: exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos. *Psal.* Deus, auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis. *Resp.* Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus, tu solus altissimus super omnem terram. *Vers.* Deus meus, pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. *Tract.* Commovisti, Domine, terram, & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia mota est. *Vers.* Ut fugiant a facie arcus, ut liberentur electi tui. *Off.* Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te, Domine, *Vers. I.* Exaudi, Domine, justitiam meam: intende deprecationem meam: auribus percipe orationem meam. *Vers. II.* Custodi me, Domine, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege me: eripe me, Domine, ab impio. *Vers. III.* Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo: satiabor, dum manifestabitur gloria tua. *Comm.* Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Psal.* Judica me, Deus.

[a] *Do-*

a In Comp. *Nonas Febr. Passio S. Agat. virg. & mart.* In Val cl. *Nat. S. Agath. virg. & mart.* In Theod. dicitur tantum martyr.

b Compend. *sub honore.*

c Compend. *in gaudio metent.* Et infra, *portantes semina sua,* pro, *mittentes semina sua.*

d Ibid. Psalm *Domine in virtute tua,* &c.

e Abest a mss. Val cl. & Compend. sed post Nat. S. Valentini legitur, *iv. Id. Martii Nat. S. Gregorii.* Extat festum Cathedr. sancti Petri in Theod. ubi etiam assignantur septem Dominicæ post Epiphaniam ante Septuagesimam. Ibid. notantur tum vigiliæ, tum Natale S. Bened. scilicet a. d. xi. Kal. Martii & xii.

f In Compend. Com. *Dilexisti justitiam. Ps. ut supra.*

g In Compend. *Statio ad sanctum Laurentium.* Additur in Theod. *foris murum.*

h Ad hanc Dominicam citat Alcuinus Antiphonarium pag. 41. & pag. 42. hoc ipsum Officium interpretatur. Qui etiam sequentia Officia explicat paginis sequentibus. *Pamel.*

i Tractus unde dicatur, & cur omittatur Alleluya tempore Septuagesimæ tractat Amalarius Antiphonarium citans; ubi etiam hoc Officium explicat, & sequentia cap. sequenti. *Pamel.*

l In Compend. & Theod. *Statio ad sanctum Paulum.*

[a] *Dominica in Quinquagesima.*

Antiph. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias. Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu; et propter nomen tuum dux mihi eris, et enutries me. *Psal.* In te Domine, speravi non confundar in æternum, in justitia tua libera me, et eripe me. *Resp.* Tu es Deus qui facis mirabilia solus, notam fecisti in gentibus virtutem tuam. *Vers.* Liberasti in brachio tuo populum tuum, filios Israel et Joseph. *Tract.* Jubilate Domino, omnis terra, servite Domino in lætitia. *Vers.* Intrate in conspectu ejus in exultatione. *Vers.* Scitote quod Dominus ipse est Deus [b]. *Vers.* Nos autem populus ejus. *Off.* Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas, in labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui. *Vers. I.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in tote corde exquirunt eum. Aufer a plebe tua opprobrium et contemtum, quia mandata tua non sumus obliti, Domine. *Vers. II.* In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. *Vers. III.* Viam iniquitatis, Domine, amove a me; et de lege tua miserere mei. Viam veritatis elegi; judicia tua, [c] justitiam tuam non sum oblitus. Viam mandatorum tuorum cucurri, [d] dum dilatares cor meum. *Comm.* Manducaverunt, et saturitati sunt nimis; desiderium eorum attulit eis Dominus, non sunt fraudati a desiderio suo. *Psal.* Attendite populus meus legem meam.

Caput jejunii. [e] *Ad benedictionem cinerum.*

Antiph. [f] Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos. *Psal.* Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. *Antiph.* Immutemur habitu in cinere et cilicio; jejunemus et ploremus ante Dominum, quia multum misericors est dimittere peccata nostra Deus noster. *Antiph.* Juxta vestibulum et altare plorabant Sacerdotes et Levitæ ministri Domini, dicentes Parce Domine, parce populo tuo: et ne dissipes ora clamantium ad te, Domine. [g].

Ad Missam.

Antiph. Misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam: et parcens illis, quia tu es Dominus Deus noster. *Psal.* Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. *Resp.* Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. *Vers.* Misit de cœlo, et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me. [h] *Tract.* Domine, non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. *Vers.* Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquatum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. *Vers.* Adjuva nos, Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. *Off.* Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me: Domine, clamavi ad te, & sanasti me. *Vers. I.* Domine, abstraxisti ab inferis animam meam; salvasti me a descendentibus in lacum. *Vers. II.* Ego autem dixi in mea abundantia: Non movebor in æternum. Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, [i] *Comm.* Qui meditabitur in lege Domini die ac nocte, dabit fructum suum in tempore suo. *Psal.* Beatus vir.

[l] *Feria quinta.*

Antiph. [m] Dum clamarem ad Dominum, exaudivit vocem meam ab his qui appropinquant mihi, & humiliabit eos, qui est ante secula, & manet in æternum. Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. *Psal.* Exaudi, Deus, orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam. *Resp.* Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. *Vers.* Dum clamarem ad Dominum, exaudivit vocem meam ab his qui appropinquant mihi. *Off.* Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam. *Vers. I.* Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus salvator meus, & te sustinui tota die. *Vers. II.* Respice in me, et miserere mihi, quia unicus & pauper sum ego. *Comm.* Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta [n] super altare tuum vitulos. *Psal.* 50.

[o] *Feria quinta.*

Antiph. Audivit, & misertus est mihi Dominus: factus est adjutor meus. *Psal.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. [p] *Respons.* Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. *Vers.* Ut videam voluntatem Domini, & protegar a templo sancto ejus. *Off.* Domine, vivifica me secundum eloquium tuum, ut sciam testimonia tua. *Vers. I.* Fac cum servo tuo, Domine, secundum magnam misericordiam tuam: & ne auferas de ore meo verbum veritatis. *Vers. II.* Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, Domine, ut discam mandata tua: & voluntaria oris mei [q] fac mihi in beneplacito. *Comm.* Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, ne pereatis de via justa. *Psal.* 2.

Dominica I. Quadragesimæ, Statio [r] *ad Lateranum.*

Antiph. Invocavit me, & ego exaudiam eum: eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum adimplebo eum. *Psal.* Qui habitat in adjutorio

a In mss. *Statio ad sanctum Petrum.*
b Additur in Compend. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Et in Versu *Nos autem,* &c. subjungitur, *& oves pascuæ ejus.*
c Duo hæc verba desiderantur in mss. Compend. sunt in ed. Pam.
d Compend. *Dum dilatasti cor meum. Aufer,* &c.
e Deest in mss. Comp. *Ad Bened. cin.* In secundo Theod. legitur *Statio ad sanctam Anastasiam:* In Comp. *Ad S. Sabinam.* Fortasse una erat statio pro benedictione cinerum, & altera pro Missa.
f Antiphonarium ad benedictionem cinerum, fit nominatim mentio in Ordine Romano, ubi est Antiph. ad Processionem: *Juxta vestibulum.* Item apud Alcuinum p. 52. citat etiam Micrologus tamquam Gregorii cap. 41. *Pamel.*
g In Compend. hic resumitur Antiph. *Immutemur.*
h Tractum hunc non tam ex Romano Ordine, quam consuetudine dici adnotat Micrologus cap. 50 *Pamel.*

i In Compend. repetitur hic, *Domine clamavi,* &c.
l Compend. & Theoderic. *Statio ad sanctum Gregorium.*
m Officia quintæ Feriæ per totam Quadragesimam, non a Gregorio I. sed II. composita, & maxime ex æstivalibus Dominicis collecta, testatur Micrologus cap. 50. *Pamel.*
n Compend. *Super altare tuum, Domine.*
o In Compend. & Theod. indicitur statio, *ad sanctos Johan. & Paulum.*
p In Compend. *Super me, Domine, refugium factus es nobis,* &c. *priusquam montes fierent, aut formaretur terra,* &c. *unam petii.*
q Compend. *fac mihi beneplacitum, Domine.*
r In Theod. *Ad sanctum Johannem.* In Compend. *ad sanctum Johannem ad Lateranis.*

torio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. *Resp.* [a] Tenuisti manum dexteram meam, in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumsisti me. *Vers.* Quam bonus Israel Deus rectis corde! mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns. *Tract.* Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. *Vers.* Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus: sperabo in eum. *Vers.* Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & a verbo aspero. *Vers.* Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. *Vers.* Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno. *Vers.* A sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, a ruina & dæmonio meridiano. *Vers.* Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: tibi autem non appropinquabit. *Vers.* Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Vers.* In manibus portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum. *Vers.* Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. *Vers.* Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Invocavit me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione. *Vers.* Eripiam eum, & glorificabo eum. *Vers.* [b] Longitudine dierum adimplebo eum, & ostendam illi salutare meum. *Off.* Scapulis suis obumbrabit tibi Dominus, & sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus. *Vers. I.* Dicet Domino; Susceptor meus es, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem. *Vers. II.* Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum. *Vers. III.* Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem; quoniam in me speravit, liberabo eum. [c] *Com.* Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus. *Psal. ut supra.*

[d] *Feria secunda.*

Antiph. Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri: miserere nobis, Domine, miserere nobis. *Psal.* Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. *Resp.* Protector noster aspice, Deus, & respice super servos tuos. *Vers.* Domine Deus virtutum, exaudi preces servorum tuorum. *Off.* Revela oculos meos, & considerabo mirabilia tua, Domine, ut doceas me justitiam tuam: da mihi intellectum, ut discam mandata tua. *Vers. I.* Legem pone mihi, Domine, & viam justificationum exquiram, & in præceptis tuis exercebor. *Vers. II.* Veniant super me miserationes tuæ, quia lex tua meditatio mea est: et consolatio mea justificationes tuæ sunt. *Com.* Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto tuo, non timebo millia populi circumdantis me. *Psal. iij.*

[e] *Feria tertia.*

Antiph. Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie: a seculo & in seculum tu es. *Psal.* Priusquam montes fierent, aut firmaretur terra, a seculo & usque in seculum tu es Deus. *Resp.* Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. *Vers.* Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Off.* In te speravi, Domine. Dixi: Tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea. *Vers. I.* Illumina faciem tuam super servum tuum, & salvum me fac propter misericordiam tuam. Domine non confundar, quoniam invocavi te. *Vers. II.* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! perfecisti autem sperantibus in te, in conspectu filiorum hominum. *Com.* Cum invocarem te, exaudisti me, Deus [f] justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti me. Miserere mihi, Domine, exaudi orationem meam. *Psal.* [g] Miserere mei, Domine.

[h] *Feria quarta.*

Antiph. [i] Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & misericordiæ tuæ quæ a seculo sunt: ne umquam dominentur nobis inimici nostri: libera nos, Deus Israel, ex omnibus angustiis nostris. *Psal.* Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus, in te confido non erubescam. *Resp.* Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis eripe me, Domine. *Vers.* Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. *Tract.* De necessitatibus meis eripe me, Domine. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. *Vers.* Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei. *Vers.* Etenim universi qui te expectant, non confundentur: confundantur omnes [l] facientes vana. *Off.* Meditabor in mandatis tuis quæ dilexi valde, & levabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi. *Vers. I.* Pars mea, Domine: dixi custodire legem tuam. Precatus sum vultum tuum in toto corde meo. *Vers. II.* Deprecatus sum faciem tuam. Miserere mei secundum eloquium tuum: quia [m] cogitavi vias tuas, & converti pedes meos in testimonia tua. [n] *Com.* Intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ, Rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabo, Domine. *Psal.* Verba mea.

[o] *Feria quinta.*

Antiph. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus; sanctitas et magnificentia in sanctificatione ejus. *Psal.* Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. *Resp.* Custodi me, Domine, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege me. *Vers.* De vultu tuo judicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem. *Off.* [p] Emittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos: gustate et videte quoniam suavis est Do-

a Sic quidem vetustissimus ms. Blandiniensis, sed Ultrajectinus habet: *Respons. Angelis suis Deus mand. de te, ut cust. te in omn. viis tuis; & Vers. In manib. port. te, ne forte off. ad lap. ped. tuum.* Cui etiam consentit Alcuinus pag. 47. *Pamel.* Ita quoque legitur in mss. Compend. & Theod.

b Compend. *Longitudinem dierum adimpl. eum.* Sic etiam legitur in Antiphona superiori ad Introitum: *Invocavit.*

c Repetitur in Comp. *Scuto circumdabit* &c.

d In Compend. *Ad vincula, ad S. Petrum.* In Theod. *Statio ad S. Petrum ad vincula.*

e In Theod. *Statio ad S. Anastasiam* In Comp. *ad S. Anastasiam.*

f Omittitur, *justitiæ meæ*, in Compend.

g Compend. *Psal. Filii hominum.*

h In Theod. *Statio ad S. Mariam Majorem.* In Compend. *ad S. Mariam ad præsepem.*

i Hujus officii, ac feriæ sextæ, & Sabbati hujus hebdomadæ, disertis verbis fit mentio apud Micrologum, c. 24. & tamquam ex Antiph. S. Gregorii. *Pamel.*

l Compend. *facientes mala.*

m Compend. *cogitavi vias meas.*

n Hic resumitur in Compend. *& levabo manus meas.*

o In 1. Theoderic legitur. *Statio ad S. Laurent. foris murum.* In altero *ad S. Laurentium in formoso*, Consentit Compend.

p Compend. *Immittit Angelum Dominus.*

Dominus. *Vers. I.* Benedicam Domino in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. *Vers. II.* In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in invicem. *Vers. III.* Accedite ad eum, & illuminamini: & vultus vestri non erubescant: iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum: ex omnibus tribulationibus ejus liberavit eum. [a] *Com.* Panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita. *Psal. ut supra.*

[b] *Feria sexta.*

Antiph. De necessitatibus meis eripe me, Domine, vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea *Psal.* Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam. [c] *Resp.* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine. *Vers.* Conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valde. *Off.* Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, & renovabitur sicut aquilæ juventus tua. *Vers. I.* Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & redimet de interitu vitam tuam, qui coronat te in miseratione & misericordia. [d] *Vers. II.* Miserator & misericors Dominus, patiens & multum misericors. *Com.* Erubescant & conturbentur omnes inimici mei: avertantur retrorsum & erubescant valde velociter. [e] *Psal. vj.*

[f] *Sabbato in xij. lect.*

Antiph. Intret oratio mea in conspectu tuo: inclina aurem tuam ad precem meam, Domine. *Psal.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te [g] *Resp. I.* Protector noster aspice Deus, & respice super servos tuos. *Vers.* Domine Deus virtutum, exaudi preces servorum tuorum. *Resp. II.* Propitius esto. *Vers.* Adjuva. *Resp. III.* Dirigatur. *Vers.* Elevatio. *Resp. IV.* Salvum fac populum. *Vers. V.* Ad te, Domine, clamavi. *Hymn.* Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudab. *sive* Benedictus es in firmamento cæli. *Vers.* Benedicite omnia opera Domini Domino, benedicite cæli Domino, benedicite Angeli Domini Domino. *Vers.* Benedicite aquæ quæ super cælos sunt Domino, benedicite omnes virtutes Domini Domino, benedicite sol & luna Domino. *Vers.* Benedicite stellæ cæli Domino, benedicite imber & ros Domino, benedicite omnes spiritus Domino. *Vers.* Benedicite ignis & æstus Domino, benedicite noctes & dies Domino, benedicite tenebræ & lumen Domino. *Vers.* Benedicite frigus & cauma Domino, benedicite pruina & nives Domino, benedicite fulgura & nubes Domino. *Vers.* Benedicat terra Domino, benedicite montes & colles Domino, benedicite omnia nascentia terræ Domino. *Vers.* Benedicite maria & flumina Domino, benedicite fontes Domino, benedicite cete & omnia quæ moventur in aquis, Domino. *Vers.* Benedicite volucres cæli Domino, benedicite bestiæ & universa pecora Domino, benedicite filii hominum Domino. *Vers.* Benedicat Israel Dominum, benedicite Sacerdotes Domini Domino. *Vers.* Benedicite spiritus & animæ justorum Domino, benedicite sancti & humiles corde Domino. *Vers.* Benedicite Ananias, Azarias, Misael Domino. *Vers.* Hymnum dicentes. *Tract.* Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. *Vers.* Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. *Off.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine. *Vers. I.* Inclina aurem tuam ad precem meam, Domine, longe fecisti notos a me: clamavi ad te Domine, tote die expandi manus meas ad te. *Vers. II.* Et ego ad te, Domine, clamavi, & mane oratio meo præveniet te. Egens sum ego in laboribus a juventute mea. *Vers. III.* Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber, traditus sum & non egrediebar. *Com.* Domine Deus meus, in te speravi: libera me ab omnibus persequentibus me, & eripe me. *Psal.* Ipse.

Dominica vacat. Dominica secunda Quadrages.

Antiph. [h] Reminiscere miserationum tuarum, Domine. *Psal.* Ad te, Domine, levavi. *Tractus.* De necessitatibus meis. *Vers.* Ad te, Domine. *Vers.* Etenim. *Tract.* Dixit Dominus mulieri Chananeæ: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum. *Vers.* At illa dixit: Utique, Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Vers.* Ait illi Jesu: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti. *Off.* Meditabor. *Com.* Intellige clamorem.

[i] *Feria secunda.*

Antiph. Redime me, Domine, & miserere mei: pes enim meus stetit in via recta, in Ecclesiis benedicam Domino. *Psal.* Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans, non infirmabor. *Resp.* Adjutor meus & liberator meus esto, Domine, ne tardaveris. *Vers.* Confundantur et revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. *Off.* Benedicam Domino qui mihi tribuit intellectum, providebam Deum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. *Vers.* Conserva me, Domine, quoniam in te speravi. Ego dixi: Deus meus es tu; Dominus pars hereditatis meæ. *Vers.* Notas fecisti mihi vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo, et delectationes in dextera tua usque in finem. *Com.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! *Psal.* Ipse.

[l] *Feria tertia.*

Antiph. Tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum: vultum tuum Domine requiram: ne avertas faciem tuam a me. *Psal.* Dominus illuminatio mea et

a In Compend. repetitur hic, *gustate & videte*, &c.
b In Theoderic. & Compend. *Statio ad Apostolos*, vel *ad Apost.*
c In Compend. Resp. *Salvum fac servum tuum, Deus meus, sper. in te.* Vers. *Auribus percipe Dom. orat. m.* Resp. *Miserere.*
d In Compend. *Vers. II. Justitia ejus super fil. fil. custodientibus testam. ejus & mand. ejus ut fac. ea. Dom. in cælo par. sed. suam & reg. ejus omnium dominabitur & renovabitur*, &c.
e In Comp. *Ps. Domine Dominus noster*, in edit. Vatic. & Gussi simpliciter legitur *Psalmus*. Adjecimus numerum ex Pamel.
f In Comp. & Theod. *Statio ad S. Petrum.*
g In Comp. titulus hic legitur: *Resp. quatuor ad ipsum diem pertinentia & benedictionem.* Responsoria vero hæc authentica esse patet ex Micrologo.
h Hujus Dominicæ officium non legitur in Comp. Valcl. & Theoderic. in quibus tamen assignantur collectæ, & aliæ orationes ad Missam pertinentes. Forte hac Dominica Missa quidem celebrabatur, sed ob nimium Sabbati præcedentis laborem, nihil canebatur.
i In Compend. & Theodor. *Statio ad S. Clementem.*
l In laudatis mss. *Statio ad S. Balbinam.*

& salus mea, quem timebo? *Resp.* Jacta cogitatum. *Off.* Miserere mihi, Domine, secundum magnam misericordiam tuam: dele, Domine, iniquitatem meam. *Vers. I.* Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum coram me est semper. *Vers. II.* Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: miserere mei, [a] ut justificeris, Domine, in sermonibus tuis. *Com.* Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime. *Psal.* Confitebor tibi, Domine.

[b] *Feria quarta.*

Antiph. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discedas a me: intende in adjutorium meum, Domine, virtus salutis meæ. *Psal.* Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Resp.* Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ. *Vers.* Ad te, Domine, [c] clamavi: Deus meus, ne sileas a me: & ero similis descendentibus in lacum. *Off.* Ad te, Domine, levavi. [d] *Com.* Justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus. *Psal. x.*

[e] *Feria quinta.*

Antiph. Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina, Confundantur & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. *Psal.* Avertantur retrorsum & revereantur, qui volunt mihi mala. *Resp.* Propitius esto, Domine, peccatis, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum? *Vers.* Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. *Off.* Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, & dixit: Quare, Domine, irasceris in populo tuo? [f] parce iræ animi tui. Memento Abraham, Isaac, & Jacob, quibus jurasti dare terram fluentem lac & mel. Et placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo. *Vers. I.* Dixit Dominus ad Moysen: Invenisti gratiam in conspectu meo; & scio te præ omnibus. Et festinans Moyses, inclinavit se in terram, & adoravit dicens: Scio quia misericors es in millibus, auferens iniquitatem & peccata. *Ver. II.* [g] Dixit Moyses & Aaron ad omnem synagogam filiorum Israel: Accedite ante Deum. Majestas Domini apparuit in nube, & exaudivit murmurationem vestram in tempore. *Com.* Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo, dicit Dominus. *Psal.* Deus in adjutorium meum intende.

[h] *Feria sexta.*

Antiph. Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo: satiabor, dum manifestabitur gloria tua. *Psal.* Exaudi, Domine, justitiam meam: intende ad deprecationem meam. *Resp.* Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: & exaudivit me. *Vers.* Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. *Off.* Domine in auxilium meum respice: confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. *Vers. I.* Avertantur retrorsum & erubescant, qui cogitant mihi mala. *Vers. II.* Expectans expectavi Dominum, & respexit me, & exaudivit deprecationem meam. [i] *Com.* Tu, Domine, servabis nos, & custodies nos a generatione hac in æternum. *Psal. xj.*

[l] *In Sabbato.*

Antiph. Lex Domini irreprehensibilis, convertens animas: testimonium Dei fidele, sapientiam præstans parvulis. *Psal.* Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Resp.* Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. *Off.* Illumina oculos meos, ne quando obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. *Vers. I.* Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? quamdiu ponam consilia in anima mea? *Vers. II.* Respice in me & exaudi me: cantabo Domino qui bona tribuit mihi. *Com.* Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat, & revixit: perierat, [m] & inventus est. *Psal. ut supra.*

[n] *Dominica tertia Quadrages.*

Antiph. Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse evellet de laqueo pedes meos: respice in me, & miserere mei, quoniam unicus & pauper sum ego. *Psal.* Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam. *Resp.* Exurge, Domine, non prævaleat homo, judicentur gentes in conspectu tuo. *Vers.* In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur & peribunt a facie tua. *Tract.* Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. *Vers.* Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. *Vers.* Et sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ. *Vers.* Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. *Vers.* Miserere nobis, Domine, miserere nobis. *Off.* Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda, & dulciora super mel & favum: nam & servus tuus custodiet ea. *Vers. I.* Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: timor Dei sanctus, permanens in seculum seculi: judicia Domini vera. [o] *Vers. II.* Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. [p] *Com.* Passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua: in seculum seculi laudabunt te. *Psal.* Quam dilecta.

[q] *Feria secunda.*

Antiph. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi homo. *Psal.* Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans, tribulavit me. *Resp.* Deus vitam meam nuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

a Compend. *Ut justificeris miserationibus tui Domine.*
b In mss. *Statio ad S. Caecilian.*
c Compend. *Clamabo.*
d In eodem duo versus subjiciuntur. *I. Dirige. II. Respice.*
e In ms. *Statio ad S. Mariam trans Tiberim.*
f Compend. *Parce iræ animæ tuæ.*
g In hoc cod. legitur, *Dixit Moyses ad Aaron*, Ita etiam 16. Exodi v. 9. *Dixit quoque Moyses ad Aaron: dic universæ Congreg.*
h In mss. *Statio ad S. Vitalem.*
i In Compend. repetitur hic: *Domine, in auxilium meum respice.*
l Statio est *ad SS. Marcellinum & Petrum*, juxta mss. In Compend. legitur, *feria septima pro Sabbato.*
m In Compend. *& inventus est in æternum.*
n Hæc Dominica dicitur *secunda* in Compend. non alia ratione, quam quia Dominica *vacat*, ut etiam legitur in excusis. Hujus Dominicæ statio in mss. est, *ad sanctum Laurentium.* Additur in Theoderic. *foris murum.*
o In Compend. additur, *& dulciora.*
p Ibid. additum, *& dulciora.*
q In mss. assignatur, *Statio ad S. Marcum.*

Verf. Miferere mihi, Domine, quoniam conculcavit me homo: tota die bellans, tribulavit me. *Off.* Exaudi, Deus, orationem meam, & ne defpexeris deprecationem meam: intende in me, & exaudi me. *Verf. I.* [a] Conturbatus fum a voce inimici, & a tribulatione peccatoris: & expectabam eum qui me falvum faceret. *Verf. II.* Ego autem ad Deum clamavi, libera animam meam [b] & extendes manum in tetribuendo illis. *Com.* [c] Et dabit ex Sion falutare Ifrael: cum averterit Dominus captivitatem plebis fuæ, exultabit Jacob, & lætabitur Ifrael. [d] *Pfal. lij.*

[e] *Feria tertia.*

Antiph. Ego clamavi, quoniam exaudifti me, Deus: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea: cuftodi me, Domine, ut pupillam oculi: fub umbra alarum tuarum protege me. *Pfal.* Exaudi, Domine, juftitiam meam, intende deprecationem meam. *Resp.* Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce fervo tuo. *Verf.* Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo. *Off.* Dextera Domini fecit virtutem. *Verf. I.* In tribulatione invocavi Dominum. *Verf. II.* [f] Impulfus. *Com.* Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiefcit in monte fancto tuo? qui ingreditur fine macula, & operatur juftitiam. *Pfal. xiv.*

[g] *Feria quarta.*

Antiph. Ego autem in Domino fperavi: exultabo & lætabor in tua mifericordia, quia refpexifti humilitatem meam. *Pfal.* In te, Domine, fperavi, non confundar in æternum: in juftitia tua libera me. *Resp.* Miferere mei, Domine, quoniam infirmus fum, fana me, Domine. *Verf.* Conturbata funt offa omnia mea, & anima mea turbata eft valde. *Off.* Domine, fac mecum mifericordiam tuam propter nomen tuum, quia fuavis eft mifericordia tua. *Verf. I.* Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & dolofi fuper me apertum eft. *Verf. II.* Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi: ego autem orabam. [h] *Verf. III.* Locuti funt adverfum me lingua dolofa, & fermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. *Com.* Notas mihi fecifti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, Domine. *Pfal. xj.*

[i] *Feria quinta.*

Antiph. Salus populi ego fum, dicit Dominus: De quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dominus in perpetuum. *Pfal.* Attendite, populus meus, legem meam, inclinate aurem veftram in verba oris mei. *Pfal.* Oculi omnium in te fperant, Domine, & tu das illis efcam in tempore opportuno. *Verf.* Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Off.* Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, Domine, & fuper iram inimicorum meorum extendes manum tuam: & falvum me fecit dextera tua. *Verf. I.* In quacumque die invocavero te, exaudi me, Domine: multiplicabis in anima mea virtutem tuam. *Verf. II.* Adorabo ad templum fanctum tuum, & confitebor nomini tuo, Domine, fuper mifericordiam tuam & veritatem tuam. *Com.* Tu mandafti mandata tua cuftodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad cuftodiendas juftificationes tuas. *Pfal.* Beati immaculati.

[l] *Feria fexta.*

Antiph. Fac mecum, Domine, fignum in bonum: ut videant qui me oderunt, & confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvifti me, et confolatus es me. *Pfal.* Inclina, Domine, aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper fum ego. *Resp.* In Deo fperavit cor meum, & adjutus fum: & refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor illi. *Verf.* Ad te, Domine, clamavi: Deus meus, ne fileas, ne difcedas a me. *Off.* Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus: quoniam ad te orabo, Domine. *Verf. I.* Verba mea auribus percipe, Domine: intellige clamorem meum, & exaudi me. *Verf. II.* Dirige in confpectu tuo [m] viam meam, & lætentur omnes qui fperant in te, Domine: in æternum gloriabuntur, qui diligunt nomen tuum, Domine. *Com.* Qui biberit aquam quam ego dabo ei, [n] dicit Dominus, fiet in eo fons aquæ falientis in vitam æternam. *Pfal. ut fupra.*

[o] *Sabbato.*

Antiph. Verba mea auribus percipe, Domine: intellige clamorem meum, intende voci orationis meæ. *Pfal.* Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. *Resp.* Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine. *Verf.* Virga tua & baculus tuus, ipfa me confolata funt: *Off.* Greffus meos dirige fecundum eloquium tuum, ut non dominetur omnis injuftitia, Domine. *Verf. I.* Declaratio fermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. *Verf. II.* Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliafti me, ut non dominetur mei omnis injuftitia, Domine. *Com.* Nemo te condemnavit, mulier? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo, jam amplius noli peccare. *Pfal. ut fupra.*

[p] *Dominica quarta Quadragef.*

Antiph. Lætare Jerufalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam: gaudete cum lætitia, qui in triftitia fuiftis, ut exulteris, et fatiemini ab uberibus confolationis veftræ. *Pfal.* Lætatus fum in his quæ dicta funt mihi: In domum Domini ibimus. *Resp.* Lætatus fum in his quæ dicta funt mihi: In domum Domini ibimus. *Verf.* Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis: *Tractus:* Qui confidunt in Domino ficut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerufalem. *Verf.* Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi fui, ex hoc nunc et ufque in feculum. *Off.* Laudate Dominum, quia benignus eft Dominus: pfallite nomini ejus, quoniam fuavis eft: omnia quæcunque voluit fecit in cælo et in terra. *Verf. I.* Qui ftatis in domo Domini, in atriis domus Dei noftri: quia ego cognovi, quod magnus eft

Do-

a Compend. *Conturbata funt a voce, &c.*
b Idem cod. *Et extendens manum tuam in retrib, &c.*
c In Compend. *Quis dabit ex Sion.*
d Ibid. *Pf. Dixit infipiens.*
e In mff. *Statio ad S. Potentianam.*
f Compend. *Impulfus verfatus fum.*
g Mff. *Statio ad S. Sixtum.*
h In Comp. additur, *quia fuavis eft mifericordia.* Hoc in codice multæ funt fimiles repetitiones, de quibus infra nihil adjiciemus.
i In mff. affignata Statio ad SS. Cofmam & Damianum.
l In mff. *Statio ad S. Laurentium.* Additur in Theodericenfibus, *in Lucina.*
m Compend. *Vias meas.*
n Idem, *dicit Dominus Samaritanæ.*
o Mff. affignant pro Statione *fanctam Sufannam.*
p In mff. legitur, *ad Jerufalem.*

Dominus, & Deus noster præ omnibus diis. *Verf.* *II.* Domine, nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in fecula feculorum. Judicabit Dominus populum fuum, & in fervis fuis confolabitur. *Verf. III.* Qui timetis Dominum, benedicite eum. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerufalem. *Com.* Jerufalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipfum: illuc enim afcenderunt tribus, tribus Domini, ad confitendum nomini tuo, Domine. *Pfal.* Lætatus fum.

[a] *Feria fecunda.*

Antiph. Deus in nomine tuo falvum me fac, & in virtute tua judica me. Deus, exaudi orationem meam. [b] *Pfal.* Ecce enim Deus. Averte mala inimicis meis, & in veritate tua difperde illos. *Refp.* Efto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, ut falvum me facias. *Verf.* Deus, in te fperavi: Domine, non confundar in æternum. *Off.* Jubilate Deo omnis terra. [c] *Com.* Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce fervo tuo. [d] *Pfal. xviij.*

[e] *Feria tertia.*

Antiph. Exaudi, Deus, orationem meam, & ne defpexeris deprecationem meam: intende in me, & exaudi me. *Pfal.* [f] Contriftatus fum in exercitatione mea, & conturbatus fum a voce inimici. *Refp.* Exurge, Domine, fer opem nobis, & libera nos propter nomen tuum. *Verf.* Deus, auribus noftris audivimus, Patres noftri annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis. *Off.* Expectans expectavi Dominum, & refpexit me, & exaudivit deprecationem meam: & immifit in os meum canticum novum, hymnum Deo noftro. *Verf. I.* Statuit fupra petram pedes meos, & direxit greffus meos. *Verf. II.* Multa fecifti tu, Deus meus, mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eft fimilis tibi. Bene nuntiavi juftitiam tuam in Ecclefia magna. *Verf. III.* Domine Deus, tu cognovifti: [g] juftitiam tuam non abfcondi in corde meo, veritatem tuam & falutare tuum dixi: Adjutor meus, Domine, & protector meus. *Com.* Lætabimur in falutari tuo, & in nomine Domini Dei noftri magnificabimur. [h] *Pfal. xix.*

[i] *Feria quarta.*

Antiph. Dum fanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de univerfis terris: & effundam fuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veftris, & dabo vobis fpiritum novum. *Pfal.* Benedicam Dominum in omni tempore, femper laus ejus in ore meo. *Refp.* [l] Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos. *Verf.* Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veftræ non confundentur. *Refp.* Beata gens, cujus eft Dominus Deus eorum: populus quem elegit Dominus in hereditatem fibi. *Verf.* Verbo Domini cæli firmati funt, & fpiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Off.* Benedicite, gentes, Dominum Deum noftrum; [m] & obaudite voci laudis ejus, qui pofuit animam meam ad vitam, & non dedit commoveri pedes meos. Benedictus Dominus, qui non amovit deprecationem meam & mifericordiam fuam a me. *Verf. I.* Jubilate Deo omnis terra. Pfalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. *Verf. II.* In multitudinem virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui: omnis terra adoret te, & pfallat tibi, Altiffime. *Verf. III.* Venite, & videte opera Domini, quam terribilis in confiliis fuper filios hominum. Ad ipfum ore meo clamavi, & exultavi fub lingua mea. Propterea exaudivit me Deus, & intendit voci orationis meæ. *Com.* Lutum fecit ex fputo Dominus, & linivit oculos meos, et abii, & lavi, et vidi, et credidi Deo. *Pfal. ut fupra.*

[n] *Feria quinta.*

Antiph. Lætetur cor quærentium Dominum: quærite Dominum et confirmamini: quærite faciem ejus femper. *Pfal.* Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: annuntiate inter gentes opera ejus. *Refp.* Refpice, Domine, in teftamentum tuum, et animas pauperum tuorum ne oblivifcaris in finem. *Verf.* Exurge, Domine, judica caufam tuam: memor efto opprobrii fervorum tuorum. *Off.* [o] Domine ad adjuvandum me refpice: confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. *Verf. I.* Avertantur retrorfum & erubefcant, qui cogitant mihi mala. *Verf. II.* Expectans expectavi Dominum, & refpexit me, et exaudivit deprecationem meam. *Com.* Domine, memorabor juftitiæ tuæ folius. Deus, docuifti me a juventute mea: et ufque in fenectam et fenium, Deus, ne derelinquas me. *Pfal.* In te, Domine, fperavi.

[p] *Feria fexta.*

Antiph. Meditatio cordis mei in confpectu tuo femper, Domine, adjutor meus et redemtor meus. *Pfal.* Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Refp.* Bonum eft confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum eft fperare in Domino, quam fperare in principibus. *Verf.* Ad annuntiandum mane mifericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. *Off.* Populum humilem falvum facies, Domine, et oculos fuperborum humiliabis: quoniam quis Deus præter te, Domine? *Verf. I.* Clamor meus in confpectu ejus introivit in aures ejus. *Verf. II.* Liberator meus de gentibus iracundis, ab infurgentibus in me exaltabis me. *Com.* Videns Dominus flentes forores Lazari ad monomentum, lacrymatus eft coram Judæis: [q] et clamabat: Lazare, veni foras. Et prodiit ligatis manibus et pedibus, qui fuerat quatriduanus mortuus. *Pfal. xxj.*

[r] *In Sabbato.*

Antiph. Sitientes, venite ad aquas, dicit Dominus: et qui non habetis pretium, venite: [f] bibite cum

a Ibid. pro ftatione legitur, *ad quatuor fanctos coronatos.*
b Compend. *Pfal. ipfe.*
c Poft Offertorium in Compend. affignantur duo verfus: I. *Ipfe fecit nos.* II. *Laudate.*
d In eodem cod. *Pf. Cæli enarrant.*
e In utroque Theod. *Statio ad S. Laurentium in Damafcum.* Sed error eft, & legendum, *in Damafum*, ut etiam habet codex Compend. vel potius *in Damafo.*
f Compend. *Conturbatus fum in mære.*
g Compend. *Juftitiam meam.*
h Ibid. *Pfalm. Exaudiat te.* Ita in Theod.
i Statio eft, *ad fepulcrum*, ex cod. Compend. & *ad S. Paulum*, ex duobus Theodericenf.
l Citat hoc Refponf. Amalarius lib. Iı. cap. 8. *Pamel.*
m Comp. *& obaudite vocem laudis ejus.*
n Confentiunt mff. in affignanda Statione, *ad fanctum Sylveftrum.*
o In mff. Theod. & Comp. *Domine, in auxilium meum refpice.*
p In iifdem codicibus pro Statione legitur *ad S. Eufebium.*
q Ita mff. at in ed. Pamel. Vatic. Guff. *Exclamabat*, legitur pro *& clamabat.*
r Pro Statione indicatur in utroque Theod. *ad S. Laurentium foris murum.* In Compend. legitur. *Sabbatum ad corpus S. Laurentii.*
f Compend. *Edite cum lætitia.*

cum lætitia. *Psal.* Attendite, populus meus, legem [A] meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Resp.* Tibi, Domine, derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. *Vers.* Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus in tribulatione? dum superbit impius, incenditur pauper. *Off.* Factus est Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus: [a] sperabo in eum. *Vers. I.* Persequar inimicos meos, et comprehendam illos: et non convertar, donec deficiant. *Vers. II.* Et præcinxisti me fortitudine ad bellum, et supplantasti inimicos meos subtus me, et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti. *Com.* Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit, super [B] aquam refectionis educavit me. [b] *Psal.* Ipse.

[c] *Dominica quinta Quadrages.*

Antiph. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso eripe me: quia tu es Deus meus et fortitudo mea. *Psal.* Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. *Resp.* Eripe me, Domine, de inimicis meis: doce me facere voluntatem tuam. *Vers.* Liberator meus, Domine, de gentibus iracundis: ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me. *Tract.* [C] Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. *Vers.* Dicat nunc Israel: Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. *Vers.* Etenim non potuerunt mihi: supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. *Vers.* Prolongaverunt iniquitatem sibi: Dominus justus concidet cervices peccatorum. *Off.* Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Retribue servo tuo, vivam, et custodiam sermones tuos: vivifica me secundum verbum tuum, Domine. *Vers. I.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. *Vers. II.* Viam veritatis elegi, da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Inclina cor [D] meum in testimonia tua, et non in avaritiam. In via tua vivifica me, judicia enim tua jucunda. Deprecatus sum vultum tuum in toto corde meo, quia dilexi legem tuam. *Com.* Hoc corpus quod pro vobis traditur. Hic calix novi testamenti est in meo sanguine, dicit Dominus. Hoc facite, quotiescumque sumitis, in meam commemorationem. [d] *Psal. ut supra.*

[e] *Feria secunda.*

Antiph. Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo: tota die bellans tribulavit me. *Psal.* Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me. *Resp.* Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei. *Vers.* Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me. *Off.* Domine, convertere, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam. *Vers. I.* Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. *Vers. II.* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. *Com.* Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. [f] *Psal.* Ipse.

[g] *Feria tertia.*

Antiph. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. *Psal.* Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? *Resp.* Discerne causam meam, Domine: ab homine iniquo & doloso eripe me. *Vers.* Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum. *Off.* Sperent in te omnes qui noverunt nomen tuum, Domine, quoniam non derelinquis quærentes te. Psallite Domino qui habitat in Sion: quoniam non est oblitus orationem pauperum. *Vers. I.* Sedes super thronum qui judicas æquitatem: increpasti gentes, & periit impius. Judicabit populum cum justitia, & factus est refugium pauperum. *Vers. II.* Cognoscetur Dominus judicia faciens, quoniam patientia pauperum non peribit in finem: desiderium pauperum exaudivit Deus. *Com.* Redime me, Deus Israel, ex omnibus angustiis meis. [h] *Psal.* Ad te Domine levavi.

[i] *Feria quarta.*

Antiph. Liberator meus de gentibus iracundis: ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me, Domine. *Psal.* Diligam te, Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum. *Resp.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicus meos super me. *Vers.* Domine Deus meus, clamavi ad te, & sanasti me. Domine, abstraxisti ab inferis animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum. *Off.* Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me, Domine. *Vers. I.* [l] Quia ecce captaverunt animam meam, & irruerunt fortes in me. *Vers. II.* Quia factus es adjutor meus & refugium meum in die tribulationis meæ. *Com.* Lavabo inter innocentes manus meas, & circuibo altare tuum, Domine: ut audiam vocem laudis tuæ, ut enarrem universa mirabilia tua. [m] *Psal. XXV.*

[n] *Feria quinta.*

Antiph. Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus: sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. *Psal.* Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. *Resp.* Tollite hostias, & introite in atria [E] ejus: adorate Dominum in aula sancta ejus. *Vers.* Revelabit Dominus condensa, & in templo ejus omnes dicent gloriam. *Off.* Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui, Sion. *Vers. I.* In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra: quoniam illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos,

[o] ver-

a Post hæc verba in Compend. legitur, *Vers. I. Præcinxisti me virt. ad bell & suppl inimic &c. subtus me. & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes, &c. Vers. II. Persequatur inimicos m.os, & non convertar, &c.*

b Compend. *Psalm deduxit me.*

c MSS. unanimiter, *Statio ad S. Petrum*, ubi etiam hæc Dominica dicitur, *in Passione.*

d Scilicet, Ps. *Judica me, Deus*, ut explicatur in Theoder.

e In mss. *Statio ad S. Chrysogonum.*

f In Theoder. *Psal. Domini est terra.*

g In mss. *Statio ad S. Cyriacum.*

h Ita legitur in mss. cum vulgati, tum Pamel. tum Vatic. & Gull. tantum habeant, *Psalmus*, nullo designato.

i Juxta mss. Statio est *ad S. Marcellum.*

l Hic Versus non est in Compend. est in Theod. sed secundus, & *Quia factus est, &c* est primus.

m In Compend. Psalm. *Eripe me de inimicis.* in Theoderic. *Psal. Judica me.*

n In Compend. & in secundo Theod. *Statio ad S. Apollinarem.* In primo Theod. *Statio ad S. Mariam.*

[a] verba cantionum : & qui abduxerunt nos, [b] hymnum cantate nobis de canticis Sion : quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? *Vers. II.* Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivifcatur me dextera mea : adhæreat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero. Qui dixerunt : Super flumina Babylonis. *Vers. III.* Memento, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem. Qui dixerunt. *Com.* Memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea. *Psal.* Beati immaculati.

[c] *Feria sexta.*

Antiph. Miserere mihi, Domine, quoniam tribulor : libera me, & eripe me de manibus inimicorum meorum, & a persequentibus me : Domine, non confundar, quoniam invocavi te. *Psal.* In te Domine, speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me. *Resp.* Pacifice loquebantur mihi inimici mei, & in ira molesti erant mihi. *Vers.* Vidisti, Domine, Deus meus : ne sileas. ne discedas a me. *Off.* Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas, & non tradas calumniantibus me superbis, & respondebo exprobrantibus mihi verbum. *Vers. I.* Vidi non servantes pactum, & tabescebam : Domine, quando facies de persequentibus me judicium? *Vers. II.* Appropinquaverunt persequentes me iniquitati : confundantur & revereantur, quia injuste iniquitatem fecerunt in me. *Com.* Ne tradideris me, Domine, in animas tribulantium me, quia surrexerunt in me testes iniqui; & mentita est iniquitas sibi. [d] *Psal. xxvj.*

[e] *Sabbatum vacat.* [f] *Dominica in palmis.*

Antiph. Domine, ne longe facias auxilium tuum a me, ad defensionem meam aspice. Libera me de ore leonis [g] & a cornibus unicornium humilitatem meam. *Psal.* Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? *Resp.* Tenuisti manum dexteram meam : in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumsisti me. *Vers.* Quam bonus Israel Deus rectis corde? Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns. *Tract.* Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? *Vers.* Longe a salute mea verba delictorum meorum. *Vers.* Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies : & nocte, & non ad insipientiam mihi. *Vers.* Tu autem in sancto habitas, laus Israel. In te speraverunt patres nostri : speraverunt & liberasti eos. *Vers.* Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt : in te speraverunt, & non sunt confusi. *Vers.* Ego autem sum vermis, & non homo : opprobrium hominum, & abjectio plebis. *Vers.* Omnes qui videbant me, aspernabantur me : locuti sunt labiis, & moverunt caput, *Vers.* Speravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum. *Vers.* Ipsi vero consideraverunt, & conspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. *Vers.* Libera me de ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam. *Vers.* Qui timetis Dominum, laudate eum : universum semen Jacob magnificate eum. *Vers.* Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt cæli justitiam ejus. *Vers.* Populo qui nascetur, quem fecit Dominus. *Off.* Improperium expectavit cor meum, & miseriam : & sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; consolantem me quæsivi, & non inveni : & dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. *Vers. I.* Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. *Vers. II.* Adversum me exercebantur qui sedebant in porta : & in me psallebant qui bibebant vinum. *Vers. III.* Ego vero orationem meam ad te, Domine : tempus beneplaciti, Deus, in multitudine misericordiæ tuæ. *Comm.* Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. *Ps. ut supra.*

[h] *Feria secunda.*

Antiph. Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium meum, Domine virtus salutis meæ. *Psal.* [i] Effunde frameam, & conclude adversus eos qui persequuntur me. *Resp.* Exurge, Domine, & intende judicium meum, Deus meus & Dominus meus in causam meam. *Vers.* Effunde frameam, & conclude qui me persequuntur. *Off.* Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *Vers.* Exaudi me in tua justitia, & ne intres in judicium cum servo tuo, Domine. *Ad Comm.* Erubescant & revereantur simul, qui gratulantur malis meis : induantur pudore et reverentia, qui maligna loquuntur super me. [l] *Psal. xxxiv.*

[m] *Feria tertia.*

Antiph. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra : per quem salvati et liberati sumus. *Psal.* Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri *Resp.* Ego autem dum mihi molesti essent, [n] induebar cilicio : et humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinum meum convertetur. *Vers.* Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi. *Off.* Custodi me, Domine, de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me, Domine. *Vers. I.* Eripe me, Domine, ab homine malo : a viro iniquo libera me. *Vers. II.* Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi. *Vers. III.* Dixi Domino, Deus meus es tu : exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ. *Com.* Adversum me exercebantur, qui sedebant in porta : et in me psallebant qui

a Compend. *verba canticorum.*
b Compend. *hymnum cantate Dei,*
c In mss. *Statio ad S. Stephanum.*
d Ibid. *Psalm. Dominus illuminatio mea.*
e In Compend. *Sabbato vacat quando Rom. Papa eleemosynam dat.* In Theod. I. *Sabbato vacat. Dominus Papa eleemosyn. dat:* In altero, *Sabbati statio ad S. Petrum, quando eleemosyna datur.* Val-clar. consentit editis. Observat Pamelius ita prætitulari hanc feriam (Sabbatum vacat) in Antiphonario, teste Amalario, l. 2. c. 8. In Theod. etsi nihil præscribatur canendum, assignentur tamen Orationes omnes ad missam pertinentes, ut in ceteris diebus.
f Antiph. ad Processionem, vide in Ord. Rom. pag. 46. 47. & 48. & apud Alcuinum, p. 53. *Pamel.* In Compend. *Statio ad Lateranis*, In Theod. *ad S. Johan. in Lateranis*, In Theod. primo, ante titulum hunc habes : *Benedictio palmarum vel frondium.* Hæc benedictio ex parte est etiam in altero Theod. sed non hoc loco.
g In Compend. consentiente edit. Pamel. *& a cornibus unicornuorum.* Ita quoque legitur infra in Tractu.
h In mss. *Statio ad SS. Nereum & Achilleum.* In Theod. secundo tamen assignatur, *ad S. Praxedem.*
i Compend. *Effunde, framea,* quasi ad frameam sermo converteretur, & sanguinem effundere juberetur.
l In Theod. *Ps. Judica me.* In Compend. *Ps. Judica, Domine, nocentes me.*
m Consentiunt mss. in assignanda Statione, *ad S. Priscam.*
n Compend. *induebam me cilicio.* Ita opinamur legi in aliis mss. sed eorum diversas lectiones compendiose tantum habemus.

qui bibebant vinum, ego vero orationem meam ad te, Domine: tempus beneplaciti, Deus, in multitudine misericordiæ tuæ. [a] *Psal. lxxiij.*

[b] *Feria quarta.*

Antiph. [c] In nomine Domini omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum: quia Dominus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: ideo Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. *Psal.* Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. *Resp.* Ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me. *Vers.* Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, & non est substantia. *Tract.* Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. *Vers.* Ne avertas faciem tuam a me: [d] in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. *Vers.* In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me. *Vers.* Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt. *Vers.* Percussus sum sicut fenum, & aruit cor meum, quia oblitus sum manducare panem meum. *Vers.* Tu exurgens, Domine, misereberis Sion, quia venit tempus miserendi ejus. *Off.* Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te perveniat. *Vers. I.* Ne avertas faciem tuam a me. *Vers. II.* Quia oblitus sum manducare panem meum. *Vers. III.* Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. *Com.* Potum meum cum fletu temperabam, quia elevans allisisti me, & ego sicut fenum arui: tu autem, Domine, in æternum permanes: tu exurgens misereberis Sion, quia venit tempus miserendi ejus. [e] *Psal.* 101.

[f] *Feria quinta de cœna Domini.*

Antiph. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra: per quem salvati & liberati sumus. *Psal.* Cantate Domino. *Resp.* Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Vers.* Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. *Off.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. *Vers. I.* In tribulatione mea invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus. *Vers. II.* Impulsus, eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me. *Com.* Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis, lavit pedes eorum, & ait illis: Scitis quid fecerim vobis? Ego Dominus & magister exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis. *Psal.* Beati immaculati.

Feria sexta in Parasceve.

Antiph. Domine, audivi auditum tuum, & timui: consideravi opera tua, & expavi. *Vers. I.* In medio duorum animalium innotesceris: dum appropinquaverint anni, cognosceris: dum advenerit tempus, ostenderis. *Vers. II.* Operuit cælos majestas ejus, & laudis ejus plena est terra. *Vers. III.* Deus a Libano veniet, & sanctus de monte umbroso, & condenso. *Vers. IV.* In eo dum conturbata fuerit anima mea, in ira misericordiæ memor eris. [g] *Tract.* Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo libera me. *Vers.* Qui cogitaverunt malitias in corde, tota die constituebant prælia. *Vers.* Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum. *Vers.* Custodi me, Domine, de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis libera me. *Vers.* Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueos mihi. *Vers.* Et funes extenderunt in laqueum pedibus meis, juxta iter scandalum posuerunt mihi. *Vers.* Dixi Domino, Deus meus es tu: exaudi Domine, vocem orationis meæ. *Vers.* Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbra caput meum in die belli. *Vers.* Ne tradas me a desiderio meo peccatori: cogitaverunt adversum me: ne derelinquas me, ne umquam exaltentur. *Vers.* Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. *Vers.* Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo. [h]

Antiph. ad crucem adorandam.

[i] Crucem tuam adoramus, Domine, & sanctam resurrectionem tuam laudamus, & glorificamus: ecce enim propter crucem venit gaudium in universo mundo. *Psal.* Deus misereatur nostri. *Antiph.* Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit. Venite adoremus. *Psal.* Beati immaculati in via. *Antiph.* [l] Dum fabricator mundi mortis supplicium pateretur in cruce, clamans voce magna, tradidit spiritum: & ecce velum templi divisum est, monumenta aperta sunt: terræ motus enim factus est magnus, quia mortem filii Dei clamabat mundus se sustinere non posse. *Vers.* Aperto ergo militis lancea latere crucifixi Domini, exivit sanguis & aqua in redemtionem salutis nostræ. *Vers.* O admirabile pretium, cujus pondere captivitas redemta est mundi, tartarea confracta sunt claustra inferni, aperta est nobis janua regni. *Hymn.* Pange lingua gloriosi prælium certaminis: & super crucis trophæum dic triumphum nobilem, qualiter redemtor orbis immolatus vicerit. *Vers.* De parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morsu in mortem corruit, ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. *Vers.* Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret, & medelam ferret inde, hostis unde læserat. *Vers.* Quando venit ergo sacri plenitudo temporis, missus est ab arce Patris natus orbis conditor, atque ventre virginali homo factus prodiit. *Vers.* Vagit infans inter arcta conditus præsepia: membra pannis involuta, virgo mater alligat, & pedes manusque, crura stricta cingit fascia. *Vers.* Lustra sex qui jam peracta, tempus implens

[a] In mss. *Psal. Salvum me fac Deus.*

[b] Mss. *Statio ad S. Mariam.* Additur in Theod. *majorem.*

[c] Hujus Officii fit nominatim mentio in Ord. Romano, pag. 49. & sequentium etiam Officiorum paginis sequentibus. Item apud Alcuinum, p. 54. & seq. & Amalarium l. 1. c. 11. & sequentibus. *Pam.*

[d] Comp. *In quacumque die tribulor, velociter exaudi me. Vers. Quia defecerunt.*

[e] Compend. Psal. *Domine exaudi orat. & clamor.* Theoderic. Ps. *Domine exaudi.* 1. hoc est primus qui ita incipit; & est. 101.

[f] In solo Theod. 1. legitur *Statio ad S. Petrum.*

[g] Tractus desiderabatur in Blandaniensi cod. hunc vero habebat Ultrajectinus cod. sed more Romano primum cantari solitum, *Qui habitat*, ut supra in die Palmarum, patet ex Ord. Rom. p. 66. & Alcuino p. 58. qui addit Tractum hunc, *Eripe me*, nuperrime fuisse compilatum. Item ex Amalar. l. 1. cap. 13. ac lib. 4. c. 34.

[h] In Comp. immediate post hunc versum sequitur: *Ant. Ecce lignum crucis, in quo sal. m. pep. ven. ad.* Psal. *Beati immac.* &c. *Beati qui scrutantur*, &c. quoadusque necesse est: scilicet quamdiu fiet crucis adoratio. Postea sequitur: *Item Crucem tuam ador.* &c. Ps. *Deus, misereatur*, &c. *Pange lingua.*

[i] Antiphonas has reperire est etiam in Ord. Rom. p. 65. & 66. Mentio etiam harum fit, & adorationis crucis apud Alcuin. de div. Offic. pag. 57. & seq. & Amalar. de Eccles. Off. l. 1. cap. 14. *Pamel.*

[l] Hæc in Compend. desiderantur

lens corporis, se volente natus ad hoc, passioni A deditus, agnus in crucis levatur immolandus stipite. *Vers.* Hic acetum, fel, arundo, sputa, clavi, lancea: mite corpus perforatur: sanguis, unda profluit, terra, pontus, astra, mundus, quo lavantur flumine. *Vers.* Flecte ramos, arbor alta, tensa laxa viscera: & rigor lentescat ille, quem dedit nativitas, ut superni membra regis sint mittenda stipite. *Vers.* Sola digna tu fuisti ferre pretium seculi, atque portum præparare nauta mundo naufrago, quem sacer cruor perunxit fusus agni corpore. *Vers.* Gloria & honor Deo usquequo Altissimo, una Patri Filioque, inclyto Paraclito, cui laus est & potestas per æterna secula.

a ### [a] *Cantica in Sabbato sancto.*

Cant. in Ex. 1. Cantemus domino: gloriose enim honorificatus est, equum & ascensorem projecit in mare: adjutor & protector factus est mihi in
b salutem. Hic Deus meus, [b] & honorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum: Dominus conterens bella. Dominus nomen ejus.

Cant. in Deut. 2. Attende, cælum, & loquar: & audiat terra verba ex ore meo: expectetur sicut pluvia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea, & sicut nix super fenum, sicut imber super gramina, quia nomen Domini invocavi: date magnitudinem Deo nostro, Deus vera opera ejus, & omnes viæ ejus judicia. Deus fidelis in quo non est iniquitas, justus & sanctus Dominus. C

Cant. in Is. 3. Vinea facta est dilecto in cornu in loco
c uberi, [c] & maceria circumdedi & circumfodi: & plantavi vineam Soreth, & ædificavi turrem in medio ejus, & torcular fodi in eam: vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est.

Ca. ex Ps. 41. 4. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? Fuerunt mihi lacry-
d mæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi [d] per singulos dies: Ubi est Deus tuus?

Missa in Sabbato sancto. Gloria in excelsis Deo.

e [e] *Allel.* Confitemini Domino quoniam bo- D nus, quoniam in seculum misericordia ejus. *Tract.* Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. *Non cantatur nec Off. nec Agnus Dei, nec Communio: sed omnibus expletis, dicitur:* Ite, Missa est.

f ### [f] *Dominica Pascha ad S. Mariam.*

Antiph. Resurrexi, & adhuc tecum sum, alleluia, posuisti super me manum tuam, alleluia, mirabilis facta est scientia tua, allel. *Psal.* Domine, probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam & resurrectionem meam. *Resp.* Hæc E dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. *Vers.* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. *Vers. I.* Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. *Vers. II.* Dicat nunc domus Aaron, quoniam in seculum misericordia ejus. *Vers. III.* Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in seculum misericordia ejus. *Vers. IV.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. *Vers. V.* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris. *Vers. VI.* Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. *Allel.* Pascha nostrum immolatus est Christus. *Vers.* Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis. *Off.* Terra tremuit B & quievit, dum resurgeret in judicio Deus, alleluia. *Vers. I.* Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus, alleluia. *Vers. II.* Et factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, alleluia. *Vers. III.* [g] Ideo confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum: illuminans tu mirabiliter a g
montibus æternis, alleluia. *Com.* Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis, alleluia. [h] *Psalm. ut supra.* h
Expurgate.

[i] *Feria secunda.*

Antiph. Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac & mel, alleluia, & ut lex Domini semper sit in ore vestro, allel. allel. *Psal.* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. *Resp.* Hæc dies. *Vers.* Dicat Israel. *Allel.* Dominus regnavit, decorem. *Off.* Angelus Domini descendit de cælo, & dixit mulieribus: Quem quæritis surrexit, sicut dixit, alleluia. *Vers. I.* Euntes in Galilæam, dicite discipulis ejus: Ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit, alleluja. *Vers. II.* Jesus stetit in medio eorum, & dixit: Pax vobis: videte quia ego ipse sum, alleluia. *Ad Com.* Surrexit Dominus, & apparuit Petro, alleluia. *Psalm. ut supra.*

[k] *Feria tertia.* k

Antiph. Aqua sapientiæ potavit eos, alleluia: confirmabitur in illis, & non flectetur, alleluia: & exaltabit eos in æternum, alleluia, alleluia. *Psalm.* Confitemini Domino quoniam bonus. *Resp.* Hæc dies, *Vers.* Dicat nunc domus Aaron. [l] *Allel. quale volueris. Offert.* Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vo- l
cem suam, & apparuerunt fontes aquarum, alleluia. *Vers. I.* Diligam te, Domine, virtus mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. *Vers. II.* Liberator meus de gentibus iracundis, ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me. *Ad Com.* Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, alleluia, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite, m
alleluia. [m] *Psal. ut supra.*

a Ordine per nos hic annotato citantur quatuor hæc cantica nominatim ab Ord Rom. pag. 73. Alcuino pag. 62. & 63. & Amalar. l. 1. c. 18. *Pamel.* Ad marginem indicavimus unde sumta sint hæc cantica, ut legitur in Comp.

b Compend. *Et honorabo.* Et infra, *Dominus est nomen ejus.*

c Compend. *Et maceriam circumdedi.*

d In Compend. omittitur, *per singulos dies.*

e In edit. Pamel. & ceteris deest *Alleluia*, quod revocavimus ex mss.

f In Compend. & priori Theod. *Statio ad sanctam Mariam.* In altero Theod. *Statio ad sanctum Johannem.*

g Ita ed. Pamel Vatic. Gus. &c. In mss. autem nostris, *ibi confregit.* Compendiensis habet, *confregit cornu, arcum, scutum & gladium illuminans*, &c.

h Scilicet, *Domine, probasti me*, ut in Compend. designatur. Additur ibi idem: *nam & omnes vias meas*, Hoc est, addendus est hic versus.

i Duo Theod. *Statio ad sanctum Petrum.*

k In omnibus mss. *Statio ad sanctum Paulum.*

l Ita in omnibus editis. In Compend. *All. Redemptionem misit Dominus populo suo.* In Theod. nihil assignatur.

m In Compend. *Ps. Cantate Domino I.*

[a] *Feria quarta.*

Antiph. Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, alleluia, quod vobis paratum est ab origine mundi, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. *Resp.* Hæc dies. *Vers.* Dicant qui timent Dominum. [b] *Allel. quale volueris. Off.* Portas cæli aperuit Dominus, & pluit illis manna ut ederent, panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo, alleluia. *Vers. I.* Attendite, populus meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Vers. II.* Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio seculi. *Ad Com.* Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, alleluia: mors illi ultra non dominabitur, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[c] *Feria quinta.*

Antiph. Victricem manum tuam, Domine, laudaverunt pariter, alleluia: quia sapientia aperuit os muti, & linguas infantium fecit disertas, alleluia, alleluia. *Psal.* [d] Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. *Resp.* Hæc dies. *Vers.* [e] Dextera Domini fecit virtutem. *Allel.* [f] Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion. *Off.* In die solemnitatis vestræ, dicit Dominus, inducam vos in terram fluentem mel & lac, alleluia. *Vers. I.* Audi populus meus, & loquar: Israel, si me audieris, dabo vobis desideria cordis vestri. *Vers. II.* [g] Non adorabitis Deum alienum, quia ego sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. *Ad Com.* Populus acquisitionis, annuntiate virtutes ejus, alleluia, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, alleluia. *Psal. ut supra.*

Feria sexta [h] *ad S. Mariam.*

Antiph. Eduxit eos Dominus in spe, alleluia, & inimicos eorum operuit mare, alleluia, alleluia. *Psal.* Attendite popul. *Resp.* Hæc dies. *Vers.* [i] Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. [k] *All. quale volueris. Off.* Erit vobis hic dies memorialis, alleluia: & diem festum celebrabitis, solemnem Domino in progenies vestras, legitimum sempiternum diem, alleluia. *Vers. I.* In mente habete diem istum, in quo existis de terra Ægypti, de domo servitutis, in manu enim potenti liberavit vos Dominus. *Vers. II.* Dixit Moyses populo: Bono animo estote, & veniet vobis salus a Domino Deo, & pugnabit pro vobis. *Ad Com.* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, alleluia: euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[l] *Feria septima sive Sabbato.*

Antiph. Eduxit Dominus populum suum in exultatione, alleluia, & electos suos in lætitia, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* Confitemini Domino, & invocate nomen ejus. *Resp.* [m] Hæc dies. *Vers. I.* Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini: sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in seculum. *Offert.* Benedictus qui venit in nomine Domini, benediximus vos de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis, alleluia, alleluia. *Vers. I.* [n] Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris. *Vers. II.* Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. *Ad Comm.* Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis, alleluia. *Psal. ut supra.*

[o] *Dom. octavæ Paschæ.*

Antiph. Quasi modo geniti infantes, alleluia, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* Exultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob. *Ad Resp.* Et cibavit illos. [p] *All. quale volueris. Off.* Angelus Domini. *Ad Comm.* Mitte manum tuam, & cognosce loca clavorum, alleluia, & noli esse incredulus, sed fidelis, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

Dominica I. post Oct. Paschæ.

Antiph. Misericordia Domini plena est terra, alleluia, verbo Dei cæli firmati sunt, alleluia, alleluia. *Psalm.* Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio. [q] *Allel. II. quale volueris. Off.* Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, & in nomine tuo levabo manus meas, alleluia. *Vers. I.* Sitivit in te anima mea, quam multipliciter & caro mea, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam. *Vers. II* In matutinis meditabor in te, quia factus es adjutor meus, et in velamento alarum tuarum exultabo. *Ad Com.* Ego sum pastor bonus, alleluia, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ, alleluia. *Psal. ut supra.*

Dom. II. post Octav. Paschæ.

Antiph. Jubilate Deo omnis terra, alleluia: Psalmum dicite nomini ejus, alleluia; Date gloriam laudi ejus, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Jubilate. [r] *Allel. quale volueris. Offert.* Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero, alleluia. *Vers. I.* Qui custodit veritatem in seculum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus. *Vers. II.* Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos, custodit Dominus pupillum et advenam, et viduam suscipiet, et vias peccatorum exterminabit: regnabit Dominus in æternum, Deus tuus, Sion, in seculum seculi. *Ad Com.* Modicum, et non videbitis me, alleluia: iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem, alleluia, alleluia.

Dom.

a In omnib. mss. *Statio ad sanctum Laurentium.*
b Theod. Allel. *Venite benedicti.* Comp. Allel. *Dominus regn. exultet ter. læt. ins. multæ.*
c Mss. *Statio ad Apostolos.*
d Theod. *Ps. Cantate Domino II.* id est secundus. In Comp. *Ps. Confitemini.*
e Ita edit. Pamel & al. sed in mss. Versus est: *Lapidem quem reprobaverunt,* &c. Pamelius ait in cod. Ultraject. legi Vers. *Benedictus qui venit,* & recte quidem ex Micrologo, c. 54.
f In Compend. *Allel. Quoniam Deus magn. Dom. & rex magn. sup. om. ter.* In Theod. *Allel. in die resurrect. m.*
g In ed. *Non adorabis.* Emendavimus ex mss. quibus alia multa suffragantur.
h Ita mss. Addunt Theoderic. *Ad martyres.*

i In omnibus mss. *Benedictus qui venit in nom. Dom. Deus Dom. & illuxit nobis.* Pamel.
k In Compend. *Allel. Lauda Jerusalem Dom. lauda Deum tuum Sion.* In Theod. *All. Angelus Domini.*
l In mss. *Statio ad sanctum Johannem.*
m In Theod. sunt duo Allel. 1. *Hæc dies.* 2. *Eduxit Dominus.*
n In Comped. 1. Versus est *Hæc dies* 2. *Lapidem.*
o In secundo Theod. vocatus, *Dom. post albas,* & Statio assignatur, *ad SS. Cosmam & Damianum.*
p In mss. 1. *Allel. Hæc dies.* 2. *Pascha nostrum.*
q In Com. *All. Surrexit Altissimus de sepulcro, qui pro nobis pep. in lig.* Item *Allel. Dom. regn. decor ind.*
r Ibid. *Allel. Laudate pueri Dominum, ut supra.*

Domin. III. post Oct. Paschæ.

Antiph. Cantate Domino canticum novum, alleluia: quia mirabilia fecit Dominus, alleluia: ante conspectum gentium revelavit justitiam suam, alleluia, alleluia. *Psal.* Salvabit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus. [a] *All.* Paratum cor meum. *All.* Confitebor tibi, Domine, *quale volueris*. *Off.* Jubilate Deo universa terra. *Vers. I.* Reddam tibi vota. *Vers. II.* Locutum est os meum. *Ad Comm.* Dum venerit paracletus spiritus veritatis, ille arguet mundum de peccato, & de justitia, et de judicio, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

Domin. IV. post Oct. Paschæ.

Antiph. Vocem jocunditatis annuntiate, et audiatur, alleluia: nuntiate usque ad extremum terræ, liberavit Dominus populum suum, alleluia, alleluia. *Psal.* Jubilate Deo omnis terra, cantate et exultate et psallite. [b] *All.* I. Quoniam Deus magnus Dominus et Rex magnus. *All.* II. *quale volueris*. *Off.* Benedicite gentes Dominum Deum nostrum. *Vers. I.* Jubilate Deo omnis terra. *Vers. II.* In multitudine virtutis tuæ. *Vers. III.* Venite et videte opera Domini. *Com.* Cantate Domino, allel. Cantate Domino, benedicite nomen ejus, bene nuntiate de die in diem salutare, allel. all. *Psal.* ipse.

Nat. sanctorum Mart. Tiburtii & Valeriani.

Antiph. Sancti tui, Domine, benedicent te, gloriam regni tui dicent, alleluia. *Psal.* Exaltabo te, Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in seculum, et in seculum seculi. [c] *Offert.* Lætamini in Domino, et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde. *Vers.* Pro hac oravit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. *Com.* Gaudete justi in Domino, allel. rectos decet collaudatio, allel. *Psal.* ipse.

Nat. sancti Georgii.

Antiph. Protexisti me, Deus, a conventu malignantium, alleluia: a multitudine operantium iniquitatem, alleluia, alleluia. *Psal.* Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam. [d] *Off.* Confitebuntur cæli mirabilia tua, Domine, et veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum, alleluia, alleluia. *Vers. I.* Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo, in generatione et progenie annuntiabo veritatem tuam in ore meo, alleluia. *Vers. II.* Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Deo inter filios Dei? Deus qui glorificatur in concilio Sanctorum, alleluia. *Comm.* Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo: et laudabuntur omnes recti corde alleluia. *Psal. ut supra.*

In Litania majore, collecta ad sanctum Laurentium in Lucina.

Ad Processionem Antiphona.

[e] Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum, alleluia: salvum fac populum.

A Surgite, Sancti, de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite, et nos humiles peccatores in pace custodite, alleluia.

Cum jocunditate exibitis, et cum gaudio deducemini: nam et montes et colles exibunt, expectantes vos cum gaudio, alleluia.

De Jerusalem exeunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion: propterea protectio erit huic civitati, et salvabitur propter David famulum ejus, allel.

Ambulate, Sancti, viam quam elegistis, festinate ad locum qui vobis præparatus est: nos in terra canimus, Sanctorum laudes dicimus: nos Sanctos portamus, in cælis gaudent Angeli, alleluia.

In nomine Domini Dei nostri ambulabimus nos, et omnes populi: quoniam in Sion facta B est lex, et verbum Domini de Jerusalem, regnabit Dominus in æternum, alleluia.

Ego sum Deus patrum vestrorum, dicit Dominus: videns vidi afflictionem populi mei, & gemitum ejus audivi, et descendi liberare eos, alleluia.

Populus Sion, convertimini ad Dominum Deum nostrum, et dicite ei: Potens es, Domine, dimittere peccata nostra, ut non inveniant nos iniquitates nostræ, Deus noster, alleluia.

Domine Deus noster, qui cum patribus nostris mirabilia magna fecisti: et nostris glorificare temporibus, qui misisti manum tuam de alto, et liberasti nos, alleluia.

Confitemini Domino, filii Israel, quia non est alius Deus præter eum: ipse liberabit nos pro- C pter misericordiam suam, aspicite quæ fecit nobiscum, et enarremus omnia mirabilia ejus, alleluia.

Declamemus ad Dominum, dicentes: Peccavimus tibi, Domine, patientiam habe in nobis, et erue nos a malis quæ quotidie accrescunt super nos, alleluia.

Parce, Domine, parce populo tuo quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ut non in æternum irascaris nobis, alleluia, alleluia.

Domine, imminuti sumus propter peccata nostra hodie, sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur, et fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam: quia non est confusio confidentibus in te, all. all.

Iniquitates nostræ, Domine, multiplicatæ D sunt super capita nostra: delicta nostra creverunt usque ad cœlos: parce, Domine, et inclina super nos misericordiam tuam.

Timor & tremor in Ninivem civitatem magnam, per quem sceleratæ plebi indicitur jejunium, & fluctuosa turba induit cilicio. Contigit autem & regem nobilem de solio suo descendere, ut esset humilior cunctis lugentibus: & præcepit per universum regnum: Omnes viri & sexus femineus non gustent quidquam, bos & pecora non pascantur herbis terræ, pueri & vituli non sugant matrum ubera, sed clament ad Deum in fortitudine ternis diebus, ne periclitemur ut Sodoma. Sed tu Deus omnipotens, misericors & miserator misertus es miseris: nos sumus opera tua quæ dedisti filio tuo hereditatem sibi. Noli E claudere aurem tuam ad preces nostras, sed sublevа clemens afflictionem nostram, illud revolvens quod nobis pollicitus es, dicens: Convertimini ad me, & ego revertar ad vos, alleluia.

Oremus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem ut cunctis mundum purget erroribus, mor-

a In Comp. *Allel. Venite, bened. Patris mei percip. reg. cum gaudio*. 2. Allel. *Quoniam Deus magnus*.

b In Comp. *Allel.* 1. *Redemtionem. Allel.* 2. *Qui sanat contritos*.

c In Compend. duplex assignatur, *Allel.* Primum *Sancti tui, Domine*. Secundum, *Gaudete justi in Domino rect. decet collaud.* In Theod. unicum, *Sancti tui*.

d Ante Offert. in Theod. assignatur, *Allel. Beatus vir*.

e Hæc omnia absunt a ms. Compend. usque ad Natal. S. Vital. Quædam tamen ex his Antiphonis alibi in fine repetuntur, ut, *De Jerusalem exeunt reliq. Ambulate Sancti*, & similes. In eodem ms. nulla fit mentio S. Marci Secus in Theodoric.

morbos auferat, famem repellat, aperiat carcerem, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat, & pacem tribuat in diebus nostris, insurgentesque repellat inimicos: & de manu inferni libera nos propter nomen tuum, all. all.

Convertimini ad Deum omnes simul mundo corde & animo, in orationibus, in jejuniis, in vigiliis multis. Fundite preces vestras cum lacrymis, ut deleantur chirographa peccatorum vestrorum, priusquam nobis repentinus superveniat interitus, antequam nos profundum mortis absorbeat: ut cum Creator noster advenerit, paratos nos inveniat, alleluia.

Dimitte nobis, Domine, debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, ab omni malo, amen, alleluia.

Cognoscimus, Domine, quia peccavimus: veniam petimus, quam non meremur: manum tuam porrige lapsis, qui latroni confitenti paradisi januam aperuisti, alleluia.

Propitius esto, Domine, peccatis nostris propter nomen tuum, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

Super populum tuum, quæsumus, Domine, benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemtio sempiterna firmetur, alleluia.

Salvator mundi, salva nos omnes. Sancta Dei genitrix, semper Virgo Maria, ora pro nobis. Precibus quoque Apostolorum Martyrumque omnium & Confessorum, atque sanctarum Virginum, suppliciter petimus, ut a malis omnibus eruamur, bonisque omnibus nunc & semper perfrui mereamur, alleluia.

Libera, Domine, populum tuum de manu mortis, & plebem istam protegat dextera tua, ut viventes, benedicamus te, Domine Deus noster.

Domine Deus Rex omnipotens, libera nos propter nomen tuum, & da nobis locum pœnitentiæ.

Domine, non est alius Deus præter te, & quia tibi de omnibus cura est, & quod omnium Dominus es, parce populo tuo, qui das peccantibus largitatem, ut convertantur a malitia in bonitatem.

Miserete, Domine, plebi tuæ super quam invocatur nomen tuum, ut sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus populorum tuorum.

Dimitte, Domine, peccata populi tui secundum multitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti patribus nostris, propitius esto & nobis.

Clementissime exaudi, Domine, populum tuum. Deus misereatur. Adimplebitur gloria universa terra.

Omnipotens Deus, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, ut omnea sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse, alleluia.

Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua a civitate tua ista, & de domo sancta tua, quoniam peccavimus, alleluia.

Salvator mundi, salva nos supplices tuos, defende populum tuo sanguine redemtum: libera nos, Christe, a periculis, donans nobis vitam æternam.

Christe, qui regnas in cælis, & sedes ad dexteram Patris, & habitas inter Angelos & Archangelos, Thronos & Dominationes. Et Apustoli tui te laudant, & Martyres tibi hymnum cantant. Confessores in paradiso voce concordant, et dicunt: O beati omnes, qui gloriam Deo dicunt, et habitant cum eo in pace, quia omnes qui propter Deum laboraverunt in terrenis, illos perducis ad cælestia regna: nos autem oportet te laudare, te benedicere, quia nos de terra ad cælos vocare dignatus es, all.

Domine Rex, Deus Abraham, dona nobis pluviam super faciem terræ, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus noster. Numquid est in idolis gentium qui pluat, nisi tu Deus? non cæli possunt dare pluviam, nisi tu volueris. Tu es Dominus Deus noster, quem expectabamus, dona nobis pluviam.

Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum, allelnia, in Sion. Juxta vestibulum. Immutemur.

Peccavimus, Domine, peccavimus tibi: parce peccatis nostris, et salva nos: qui gubernasti Noe super undas diluvi, exaudi nos: qui Jonam de abysso revocasti, libera nos: qui Petro mergenti manum porrexisti, auxiliare nobis, Christe Fili Dei.

Exaudi nos, Domine, qui exaudisti Jonam de ventre ceti; exaudi nos clamantes, qui exaudisti David prostratum et jacentem in cilicio, clamantes et dicentes: Parce, parce, defende plasma tuum, Deus noster, alleluia.

Ambulate, Sancti Dei, ad locum destinatum, qui vobis præparatus est ab origine mundi: ambulate, Sancti Dei, ingredimini in civitatem Domini: ædificata est enim vobis Ecclesia nova, ubi populus adorare debeat majestatem Domini.

Ambulabat Petrus super undas maris, venit ventus validus, turbata est aqua: præ timore clamat: Jube me venire ad te. Ait illi Jesus: Veni modicæ fidei, quare dubitasti?

Placet Jerusalem civitas sancta, ornamento martyrum decorata, cujus plateæ sonant laudes de die in diem.

Tu es, Domine Salvator: qui paralyticum longo tempore jacentem, solo sermone sanasti: jube ergo, Domine, ut liberemur a tempore malo: peccavimus tibi: precamur nunc, da nobis indulgentiam, piissime Pater, alleluia.

Cum venerit filius hominis in sede majestatis suæ, et cœperit judicare seculum per ignem, tunc assistet ante eum omnis chorus Angelorum, et congregabuntur ante eum omnes gentes; tunc dicet his qui a dextris erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi. Et ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam, & regnabunt cum Deo in secula.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus, alleluia: quoniam magnus est Dominus, alleluia: gaudebunt.

In Sanctis gloriosus est Deus noster: quis similis tibi? sanctimonium tuum, Domine, quod præparaverunt manus tuæ, Domine, qui regnas in æternum & in seculum & adhuc, & omnia quæ in eis sunt, alleluia.

Sicut pastor portabat ovem perditam, sic portabam & complectebar vos, dicit Dominus: ego feci, ego feram vos: ego creavi vos, ego redemi vos, ego reficiam vos: ego sustinui, ego dimittam peccata vestra. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, [qui per Spiritum sanctum descendit in uterum Virginis, & natus est Dei Filius, redemtor Israel.

Sal-

Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ: & rege eos, & extolle illos usque in æternum, alleluia.

Omnipotens Deus, supplices te rogamus & petimus, ut intercessio Archangelorum sit pro nobis ad Dominum, Michaelis, & Gabrielis, & Raphaelis, ut digni offeramus Domino hostias ad altare, & appareamus ante Salvatorem per intercessionem novem ordinum Angelorum. Throni, & Dominationes, & Principatus, & Potestates, Cherubim quoque & Seraphim intercedant pro nobis, qui non cessant clamare voces: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, qui regnas fine fine, dignare famulos tuos hodie exaudire, alleluia.

Benedicat nos trina Majestas Domini, benedicat nos Spiritus sanctus, qui in specie columbæ in Jordane fluvio super Christum requievit: ille nos benedicat, qui de cælis dignatus est descendere in terras, & de suo sancto sanguine nos redemit, benedicat Dominus sacerdotium nostrum & introitum nostrum, alleluia. [a]

Nat. S. Vitalis.

b *Antiph.* Protexisti me, Deus. *Psalm.* Exaudi.[b] *Allel.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Allel.* Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus. *Off.* Repleti sumus mane misericordia tua, & exultamus & delectati sumus, alleluia. *Vers. I.* Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie *Vers. II.* Priusquam montes fierent, aut formaretur orbis terræ, a sæculo & in sæculum tu es Deus, alleluia. *Comm.* Ego sum vitis vera, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia. *Psal.* Exaudi, Deus, deprecationem.

Nat. Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi.

Antiph. Exclamaverunt ad te, Domine, in tempore afflictionis suæ, & tu de cælo exaudisti eos, alleluia, alleluia. *Psalm.* Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio.[c] *Allel.* Confitebuntur. *Allel.* Nimis honorati sunt. *Offert.* Confitebuntur cæli mirabilia tua, Domine, & veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum. *Vers. I.* Misericordias tuas, Domine. *Vers. II.* Quoniam quis in nubibus. *Com.* Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem, alleluia. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

d [d] *Inventio sanctæ crucis.*

e f *Antiph.*[e] Nos autem gloriari oportet. *Psal.*[f] Dominus regnavit, decorem induit: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute.

g *Allel.*[g] Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno. *Off.* Dextra Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini.[h] *Ad Comm.* Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi. h

Eodem die Nat. Sanctorum Juvenalis, Alexandri, & Eventii.

Antiph. Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Psalm.* Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Resp.* Gloriosus Deus in Sanctis, mirabilis in majestate, faciens prodigia. *Vers.* Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute, dextera manus tua confregit inimicum.[i] *Off.* Repleti sumus mane misericordia tua. *Vers. I.* Domine, refugium. *Vers. II.* Priusquam montes fierent. *Com.*[k] Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. *Psal.* Exultate justi in Domino.

Nat. Sanctorum Gordiani & Epimachi.

Antiph. Sancti tui, Domine, benedicent te. *Psal.* Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. *Resp.* Justorum animæ in manu Dei sunt. *Vers.* Visi sunt oculis.[l] *All.* Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Off.* Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. *Vers. I.* Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum, a facie ejus. *Vers. II.* Pereant peccatores a facie Dei: justi epulentur, exultent in conspectu Dei, delectentur in lætitia. *Ad Com.* Justorum animæ. *Psal. ut supra.*

Nat. Sanct. Nerei, Achillei, & Pancratii.

Antiph. Ecce oculi Domini super metuentes eum, sperantes in misericordia ejus, alleluia, ut eripiat a morte animas eorum, quoniam adjutor & protector noster est, alleluia, alleluia.[m] *Psal.* Exultate justi in Domino. *Resp.* Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Vers.* Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.[n] *Allel.* Sancti tui, Domine, benedicent te, gloriam regni tui dicent. *Off.* Confitebuntur cæli. *Vers. I.* Misericordias tuas, Domine. *Vers. II.* Quoniam quis in nubibus. *Ad Com.* Gaudete justi in Domino. *Vers.* Fiat misericordia tua, Domine.

[o] *Dedicatio basilicæ sanctæ Mariæ.*

Antiph. Terribilis est locus iste: hic domus Dei est, et porta cæli, et vocabitur aula Dei, alleluia.[p] *Psalm.* Dominus regnavit, decorem. *Resp.* Locus iste a Deo factus est inæstimabile sacramentum, irreprehensibilis est. *Vers.* Deus cui adstat Angelorum chorus, exaudi preces servorum tuorum.

Xx iij *All.*

a In edit. Pamel. post hanc benedictionem sequitur Missa, *Exaudivit*, *&c.* ut in festo S. Marci & in Rogationibus. Post hanc Missam in illa edit. sequitur vigilia Ascensionis. Præcesserunt autem festa seu natal. S. Vitalis, & SS. Apost. Philippi & Jacobi, &c.

b Duo *Alleluia*, quæ sequuntur non sunt in Compend. In Theoderic. est unicum, sc. *Beatus vir.*

c Hæc quoque duo *Alleluia* desiderantur in Compend. In Theod. unicum legitur Allel. *Confitebuntur.*

d In mss. præmittitur Officium SS. Alexandri, Eventii, & Theoduli, postea legitur: *Eodem die inventio S. crucis.* Nulla fit mentio S. Juvenalis.

e Compend. *Nobis autem glor. oportet.*

f Idem ms. *Deus misereatur nostri*, &c.

g Ante *Allel.* in Compend legitur Resp. *Christus factus est pro nobis obed. &c.* Vers. *Propter quod & Deus, &c.* Postea: *Allel. Dominus regn. a lig.*

h Post Offertor. ibidem subjiciuntur duo Versus.

i Theodoric. post Resp. & Versum habent, *Allel. Sancti tui.*

k Communio in Theod. est *Justi autem.*

l Abest a Compend. hoc *All.* Legitur in Theoderic.

m In Compend. *Ps. Benedicam Dominum.*

n Ibid. *Allel. Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent in ætern.*

o Additur in mss. *ad martyres.* De hoc festo lege notam 372 ad Librum Sacrament.

p In Theoder. *Psal. Fundamenta ejus in mont. sanctis.*

Atl. Adorabo ad templum. *Offert.* Domine Deus, in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa, & populum tuum qui respectus est, vidi cum ingenti gaudio: Deus Israel, custodi hanc voluntatem. Domine Deus. *Vers. I.* Majestas Domini ædificavit templum, & omnes filii Israel videbant gloriam. [a] *Vers. II.* Fecit Salomon solemnitatem in tempore illo [b] *Ad Comm.* Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur. *Psal. ut supra.*

Nat. Sanctæ Potentianæ.

Antiph. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. *Psalm.* Eructavit cor meum. *Resp.* Dilexisti justitiam. *Vers.* Propterea unxit. *Allel.* Specie tua. *Off.* Offerentur regi virgines. [c] *Ad Comm.* Diffusa est gratia.

Ad Missam in Litania majore & in Rogationibus.

Antiph. Exaudivit de templo sancto suo vocem meam, alleluia, & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus, alleluia, alleluia. *Psal.* Diligam te, Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. *Allel.* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. *Offert.* Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum, qui adstitit ad dexteram pauperis: ut salvam faceret a persequentibus animam meam, alleluia. *Vers. I.* Adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac propter misericordiam tuam, ut sciant quia manus tua hæc: tu, Domine, fecisti eam. *Vers. II.* Qui insurgunt in me, confundantur, servus tuus lætabitur: induantur, qui detrahebant mihi, reverentia. *Ad Comm.* Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur, alleluia.

Vigilia Ascensionis Domini.

Antiph. [d] Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis *Psal.* Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris. *Allel.* Omnes gentes. *Off.* Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cælum? Hic Jesus qui assumtus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum, alleluia. *Vers.* Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum, alleluia. [e] *Ad Comm.* Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos, quos dedisti mihi, alleluia. Nunc autem ad te venio: non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.

Die sancto Ascensionis.

Antiph. Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cælum? alleluia, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum, ita veniet, alleluia, alleluia, alleluia. *Psalm.* Omnes gentes, plaudite manibus, jub. *Ad Resp.* Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ. *Vers.* Psallite Deo nostro psallite, psallite sapienter. *Allel.* Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ. *Item aliud Allel.* Dominus in Sina in sancto, ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. *Off.* Ascendit Deus in jubilatione, Dominus in voce tubæ, alleluia. *Vers. I.* Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. *Vers. II.* Quoniam Dominus summus, terribilis, Rex magnus super omnem terram. *Vers. III.* Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris. [f] *Item aliud. Off.* Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cælum? *Vers.* Cumque intuerentur, *ut supra.* *Ad Comm.* Psallite Domino qui ascendit super cælos cælorum ad Orientem, alleluia. [g] *Ad Resp.* Date gloriam Deo super Israel.

Dominica post Ascensionem.

Antiph. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te, alleluia: tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum: vultum tuum, Domine, requiram: ne avertas faciem tuam a me, alleluia, alleluia. *Psal.* Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? [h] *All.* Qui confidunt in Domino. [i] *Off.* Lauda anima mea Dominum. *Ad Com.* Pater, cum essem.

Natal. S. Urbani.

Antiph. Sacerdotes tui, Domine, [k] induantur justitiam, & Sancti tui exultent. Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. *Psal.* Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus. *Resp.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. *Vers.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. *Allel.* Memento, Domine, David, &c. *Off.* Veritas mea & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. *Vers.* Posui adjutorium in potente, & exaltavi electum de plebe mea. [l] *Ad Comm.* Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. *Psal. ut supra.*

Sabbato in Vigil. Pentecost. Statio ad sanctum Johannem.

Ad Introitum [m] *Litania. Deinde.*

[n] *Resp.* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. *Tractus.* Lau-

a In Compend. additur, *gloriam Domini descendentem super domum, & adoraverunt & collaudaverunt Dominum dicentes: Deus Israel*, &c.

b Subditur in Comp. *& prosperatus est; & apparuit ei Domin. Deus Israel.*

c in Compend. additur, *Vers. I. Eructavit. Vers. II. Adducentur*: & post Communionem subjicitur, *Psal. Eructavit.*

d Micrologus putat hac die Antiphonam, *Vocem jocunditatis*, legi debere, c. 40. & 57. qui in vigilia olim jejunium solitum tradit, cap. 55. *Pamel.*

e MSS. Compend. & Theod. pro Comm. assignant: *Non vos relinquam.*

f In mss. non est duplex Offertorium; omniaque hæc omittuntur usque ad Comm.

g Hæc etiam minime reperiuntur in mss. sed post Comm. legitur, *Psal. Exurgat Deus.* Apud Pamelium vero post *ad Orientem, allel.* sequitur, *Psal. 67. Ad Resp. Date glor. Deo super Israel.*

h In Comp. sunt duo *Alleluia*. Primum, *Regnavit Dom. super omnes.* Alterum, *Dominus regnavit decor, ind.* In Theoder. quoque duplex est *allel.* sed omnino diversum, nam primum est, *Ascendit Deus*, posterius, *Dominus in Sina.*

i Offertorium in Compend. est duplex; 1. *Viri Gal, quid admir. aspic. in cœl. Quemadmodum, &c.* 2. est. *Lauda*, ut in editis. Hoc solum assignant Theod.

k Compend. *Induant.*

l Secundus Versus est in Compend. scilicet, *Misericordia.*

m Meminit etiam Litaniæ Ord. Rom. pag. 82.

n In Comp. *Alleluia. Confitemini.*

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum A omnes populi. *Verf.* Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. *Off.* Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ: sit gloria Domini in secula. *Verf. I.* Benedic, anima mea, Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. [a] *Verf. II.* Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. *Verf. III.* Extendens cælos sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus, qui ponis nubem ascensum tuum. *Ad Com.* Ultimo festivitatis die dicebat Jesus: Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum, alleluia, alleluia. *Psal.* B Benedic, anima mea, Domino.

Dominica Pentecostes.

Antiph. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* 67. *Ad Resp.* Confirma hoc, Deus. *All.* Emitte spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ. [b] *Resp.* Hæc dies quam. *Off.* Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis: a templo tuo quod est in Jerusalem, tibi offerent reges munera. *Verf. I.* Cantate Domino: [c] psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei qui ascendit super occasum, C Dominus nomen illi. *Verf. II.* In Ecclesiis benedicite Domino Deo de fontibus Israel. [d] *Verf. III.* Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit cælos cælorum ad Orientem. *Ad Com.* Factus est repente de cælo sonus, advenientis spiritus vehementis, ubi erant sedentes, allel. & repleti sunt omnes Spiritu sancto, loquentes magnalia Dei, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[e] *Feria secunda.*

Antiph. Cibavit eos ex adipe frumenti, alleluia: & de petra melle saturavit eos, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* Exultate Deo adjutori nostro, jubi D late Deo Jacob. *All.* Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. *Verf.* Præoccupemus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei. [f] *All.* Laudate, pueri, Dominum. *Off.* Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, & apparuerunt fontes aquarum, alleluia. *Verf. I.* Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. *Verf. II.* Liberator meus de gentibus iracundis. *Ad Com.* Spiritus sanctus docebit vos, alleluia, quæcumque dixero vobis, allel. *Psal.* 80.

[g] *Feria tertia.*

Antiph. Accipite jocunditatem [h] lætitiæ vestræ, allel. gratias agentes Deo, allel. qui vos ad cælestia regna vocavit, allel. allel. allel. *Psal.* Attendite, populus meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Allel.* [i] Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion. *Allel.* Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu ero. *Off.* Portas cæli aperuit Dominus, & pluit illis manna ut ederent: panem cæli dedit illis, panem Angelorum manducavit homo. *Verf. I.* Attendite, populus meus, legem meam. *Verf. II.* Aperiam in parabola os meum, loquar propositiones ab initio. *Ad Comm.* Spiritus qui a Patre procedit, alleluia, ille me clarificabit, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[k] *Feria quarta.*

Antiph. [l] Deus cum egredereris coram populo tuo, alleluia, iter faciens eis, alleluia. habitans in illis, alleluia, alleluia. *Psal.* Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. [m] *All. Quale volueris, si in diebus jejunii evenerit. Resp.* [n] Protector noster. *Verf.* Domine Deus virtutum. *Resp.* Convertere, Domine. *Verf.* Domine, refugium. *Off.* Meditabar in mandatis tuis quæ dilexi. *Verf.* Pars mea, Dominus, dixi custodire legem tuam. *Ad Comm.* Pacem meam do vobis, alleluia, pacem relinquo vobis, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[o] *Feria quinta vacat.*

[p] *Feria sexta.*

Antiph. Repleatur os meum laude tua, alleluia: ut possim cantare, alleluia: gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi, alleluia, alleluia. *Psal.* In te, Domine, speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me, & eripe me. *Allel. Quod volueris, si in diebus jejunii evenerit. Resp.* [r] Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. *Verf.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. *Offert.* Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu ero. *Verf. I.* Qui custodit veritatem in seculum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus. *Verf. II.* Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos. *Ad Comm.* Spiritus ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, alleluia: & nescis unde veniat, & quo vadat, alleluia, alleluia, alleluia. *Psalm. ut supra.*

[s] *Sabbato in XII Lect.*

E *Antiph.* Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, alleluia, per inhabitantem spiritum ejus in nobis, alleluia, alleluia. *Psalm.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te. *Respons.* Pro-

a In fine hujus Versus ac sequentis repeti debet, *sit gloria Dom. in secula*, secundum mss. Compend.
b MSS. exhibent secundum, *Allel. Spiritus Dom. rep. orbem ter. & hoc quod cont om. scientiam habet vocis.*
c Comp. *Benedicite nomini ejus.*
d Hic Versus abest a mss. Compend.
e In Theoderic. *Statio ad sanctum Petrum ad vincula.* In Compend legitur tantum, *ad vincula.*
f In mss. *Allel* est, *Emitte Spiritum.*
g In mss. *Statio ad S. Anastasiam.*
h Compend. *Gloriæ vestræ.*
i Ib. *All Spiritus Dom replevit* In Theod. legitur, *quale volueris.*
k In mss. *Statio ad S. Mariam*, scilicet Majorem, ut etiam monent Theoderic.
l Harum feriarum IV. VI. & Sabbati (Off.) citat quidem ex Antiph. D. Gregorii Microlog c. 25. & 28 sed loco Offertor. *Meditabar*, adstruit legi debere, *Emitte Spiritum tuum.* sicut etiam intra in Sabbato, loco Offert *Domine Deus* Pamelius.
m In Comp. *Allel. Sit. gloria Domini.* Theoderic. consentiunt cum edit.
n In Compend desideratur hoc Resp. & cetera usque ad Offert. Secus in Theod.
o In Compend. nihil etiam assignatur pro hac feria, sed in Theod. Antiphonæ, Responsoria, Alleluia, &c. quæ notantur in editis pro feria VI. sunt pro feria V. & Officium feriæ VI. desumitur ex feria IV. præcedenti. Vide hac de re Microl. c. 50.
p Statio est *ad Apostolos*, ex mss.
q Ita etiam Theod. at in Comp. assignatur, *All. Emitte Spirit. tuum.*
r Responsor. hoc cum Vers. seq. abest a Comp.
s In mss. *Statio ad S. Petrum.*

a *Protector noster. *Vers.* Domine Deus virtutum. A *Resp.* Propitius esto, Domine. *Vers.* Adjuva nos Deus salutaris noster. *Resp.* Convertere, Domine. *Vers.* Domine, refugium factus es nobis. *Resp.* Dirigatur oratio. *Vers.* Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Resp.* Benedictionem, & *Off.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te: intret oratio mea in conspectu tuo, Domine. *All.* Inclina aurem tuam ad precem meam, quia repleta est malis anima mea, & vita mea in inferno appropinquavit: æstimatus sum cum descendentibus in lacum. *Vers. I.* Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. *Vers. II.* Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. *Ad Comm.* Non vos relinquam orphanos, veniam B ad vos iterum, alleluia, & gaudebit cor vestrum, alleluia, alleluia. *Psalmus.* Attendite, populus meus.

b [b] *Nat. SS. Mart. Marcellini & Petri.*

Antiph. Clamaverunt justi, & exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Psal.* Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Resp.* Clamaverunt justi. *Vers.* Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. *Allel.* Sancti tui,
c Domine, benedicent te, gloriam regni tui dicent. *Off.* [c] Lætamini Domino, exultate justi, et glo-
d riamini omnes recti corde. [d] *Ad Comm.* Justorum C animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

Nat. SS. Mart. Primi & Feliciani.

Antiph. Sapientiam Sanctorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia, nomina autem eorum vivent in seculum seculi, alleluia. *Psalm.* Exultate, justi, in Domino, rectos decet collaudatio. *Resp.* Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Vers.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum. *All.* Gaudete, justi, in Domino, rectos decet collaudatio. *Off.* Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, D benedictus Deus, alleluia. *Vers. I.* Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus. *Vers. II.* Pereant peccatores a facie Dei: justi epulentur, exultent in conspectu Dei, delectentur in lætitia. *Ad Com.* Ego vos elegi de mundo ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.

e [e] *Nat. sancti Basilidis Martyris.*

Antiph. Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tua- E rum. *Psal.* Domine, in virtute tua lætabitur Rex, et super salutare tuum exultabit vehementer. *Off.* In virtute tua, Domine, lætabitur justus. *Vers. I.* Vitam petiit. *Vers. II.* Magna est gloria ejus in salutari. *Ad Comm.* Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Eodem die Nat. SS. Cyrini, Naboris, & Nazarii.

Antiph. Intrent in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est. *Psal.* Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. *Resp.* Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est. *Vers.* Posuerunt mortalia servorum tuorum, escas volatilibus cæli: carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ. *Allel.* [f] Exultabunt Sancti in gloria, f lætabuntur in cubilibus suis. *Off.* Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in faucibus eorum. *Vers.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum, lætetur Israel in eo qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in rege suo. *Ad Com.* Posuerunt mortalia servorum tuorum, Domine, escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ: secundum magnitudinem brachii tui posside filios morte punitorum.

Natal. sanctorum Marci & Marcelliani.

Antiph. Salus autem justorum a Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. *Resp.* Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. *Vers.* Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. *All.* [g] Sancti tui, Domine. *Off.* Anima nostra sicut g passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. *Vers. I.* Nisi quia Dominus. *Vers. II.* Torrentem pertransiit anima nostra. *Ad. Comm.* Amen dico vobis, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Venite, benedicti Patris mei, possidete [h] præparatum vobis regnum ab initio seculi. *Item* h *alia:* Ego vos elegi de mundo, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Ps. ut supra.*

Natal. sanctorum Gervasii & Protasii.

Antiph. Loquetur Dominus pacem [i] in populo i suo, & super Sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad ipsum. *Psal.* Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob. *Resp.* Gloriosus Deus in Sanctis suis, mirabilis in majestate, faciens prodigia. *Vers.* Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicos. [k] *Allel.* Gaudete, justi, in Domino. *Off.* k Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde. [l] *Vers.* Pro hac orabit ad l te

a In Comp. non leguntur quatuor hæc Resp. cum suis Versibus, sed tantum annotatur: *Responsor. IIII. ad ipsum diem pertin. & Bened.* quod significat quatuor dicenda Responsoria & hymnum Benedictus, ut in aliis Sabbatis quatuor temp. In Theod. legitur *R. qual. vol.* hoc est, ut conjicio, *Responsoria qualia volueris*. Hoc loco ita monet Pamel. Micrologus adstruit pro his *Resp.* legi debere, *Allel.* nempe *Spiritus Domini Paraclitus. Emitte. Verbo. Veni S. Spirit.* Idem Pamel. in fine Officii hujus diei ita monet. Desiderari hic octavam Pent. satis indicat Berno l. de Miss. c. 5. Omissam autem constat, eo quod idem sit Antiphon. Officium cum die Pentecost.
b Ante festum hoc in Theoder. assignatur, *Kalendis Junii Dedicatio Eccl. S. Nicomedis.* In secundo Theod. legitur, *Nat. S. Nicomed.*
c In Comp. sequitur, Vers. I. *Beati quorum.* Vers. II. *Pro hac orabit.*
d In Theod. ad Comm. *Justi autem.*

e Abest a ms. Comp. officium S. Basilidis seorsim; sed illius mentio fit in festo sequenti, ubi legitur, *Natale SS. Basilidis, Cyrini,* &c. Ita quoque habent Theoder.
f In Compend. *Allel. Justi epulentur*, de toto hujus diei officio notat Pamelius illud abesse a cod. Blandin.
g In Compend. *All. Vindica, Domine, sang. qui effusus est sup. ter.* Theod. *Allel. Servi sui.* Fortasse legendum *Sancti*, ut in vulgatis.
h Comp. *Possidete paratum vobis regn. ab origine mundi.*
i Compend. *in plebem suam.*
k In Compend. *Allel. Exultabunt Sancti in glor. lætab. in cub. suis.* In Theod. *Allel. Gaudete justi*, ut habent Pamel. & edit. Vetic. Gussenvill. *Gaudete in Domino.*
l Hic Versus omittitur in Compend.

te omnis sanctus in tempore opportuno. *Ad Comm.* Posuerunt mortalia.

In Vigilia sancti Johannis Baptistæ.

Antiph. Ne timeas, Zacharia: exaudita est oratio tua, & Elizabeth uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Johannem: & erit magnus coram Domino, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, & multi in nativitate ejus gaudebunt. *Psal.* Domine, in virtute tua lætabitur Rex, & super Salutare tuum exultabit vehementer. *Resp.* Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes, hic venit. *Vers.* Ut testimonium perhiberet de lumine, & pararet Domino plebem perfectam. *Off.* Gloria & honore. *Vers.* Domine Dominus noster. [a] *Ad Com.* Magna est gloria ejus. *Psal. ut supra.*

In prima Missa de nocte.

Antiph. Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. *Psal.* Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. *Resp.* Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. *Vers.* Bonum est. *Off.* In virtute tua, Domine. *Ad Comm.* Posuisti, Domine. *Psal.* 20.

viij. Kal. Julii. In Natali unde supra.

Antiph. De ventre matris meæ vocavit me Dominus nomine meo, & posuit os meum ut gladium acutum: sub tegumento manus suæ protexit me, qui posuit me quasi sagittam electam. *Psal.* Bonum est confiteri Domino. *Ad Resp.* Justus ut palma; *Resp.* Priusquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de ventre, sanctificavi te. *Vers.* Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit mihi. *Allel.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Off.* Justus ut palma florebit. *Vers. I.* Bonum est. *Vers. II.* Ad annuntiandum mane. *Vers. III.* Plantati in domo Domini. [b] Item *Off.* Ingressus est Zacharias Sacerdos in domo Domini ad horam incensi. Dixit ad eum Angelus: ne timeas, quia exaudita est oratio tua, & Elizabeth uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Johannem: quia in nativitate ejus multi gaudebunt, alleluia. *Vers.* Elizabeth venit tempus pariendi, & peperit filium, quia magnificavit Dominus misericordiam suam, cum venissent ad circumcidendum puerum, & vocabant eum nomine patris sui, respondente matre ejus: Nequaquam. Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum, scripsit, dicens: Johannes nomen ejus erit: & mirati sunt omnes, quia apertum est os ejus & lingua ejus, & loquebatur, benedicens Deum: quia in nativitate ejus multi gaudebunt. *Ad Com.* Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domni parare vias ejus. *Vers.* Ad dandam scientiam.

In Nat. sanctorum Johannis & Pauli Mart.

Antiph. Multæ tribulationes justorum: & de his omnibus liberavit eos Dominus: Dominus custodit omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur. *Psalm.* Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Resp.* Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. *Vers.* Mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in seculum. [c] *All. quale volueris.* *Off.* Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu, Domine, benedicis justis. Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eos. *Vers. I.* Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus. *Vers. II.* Quoniam ad te orabo, Domine, quoniam ad te clamabo, Domine, mane, & exaudies vocem meam. *Ad Com.* Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tentavit eos: tamquam aurum in fornace probavit eos, & sicut holocausta accepit eos. *Psal. ut supra.*

Vigilia sancti Petri.

Antiph. Dicit Dominus Petro: Cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. *Psal.* Cæli enarrant gloriam Dei. *Resp.* In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Vers.* Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Off.* Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Vers. I.* Domine, probasti me, & cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. [d] *Vers. II.* Intellexisti cogitationes meas a longe, semitam meam et directionem meam investigasti. *Vers. III.* Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua, tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. *Ad Com.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

iij. Kal. Julii. Nat. S. Petri.

Antiph. Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judæorum. *Psalm.* Domine, probasti me. *Resp.* Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine. *Vers.* Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, propterea populi confitebuntur tibi. [e] *All.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Item All.* Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Off.* Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui in omni progenie et generatione. *Vers. I.* Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. *Vers. II.* Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. *Vers. III.* Propterea benedixit te Deus in æternum, accingere gladio tuo circa femur, Potentissime. *Ad Com.* Simon Johannis, diligis me plus his? Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Pasce oves meas. *Psal. ut supra.*

Pridie Kal. Jul. Nat. S. Pauli.

Antiph. Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est, depositum meum servare in illum diem.

a Post hunc Versum in Comp. assignatur: Vers. II. *Quid est homo, quod memor es.*

b Offertorium hoc & Versus seq. *Elizabeth*, non leguntur in Compend.

c In mss. nostris, *Allel. Gaudete justi in Dom. rectos decet coll.*

d Compend. Vers. II. *Ecce Domine, tu cognov. &c.* Vers. III. *Intellexisti cogitat. meas de longe: sem. meam investigasti.*

e In Compend. *All. Beatus es, Simon Barjona, quia caro & sang. non revel. tibi: sed Pat. m. qui est in cæl.* Theod. conveniunt cum vulgatis.

Psal. Domine, probasti *Resp.* Qui operatus est Petro A in apostolatum, operatus est & mihi inter Gentes, & cognoverunt gratiam Dei, quæ data est mihi. *Vers.* Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia
a ejus semper in me manet. [a] *All.* Gaudete justi in Domino, rectos decet collaudatio. *Off.* Mihi au-
b tem nimis. [b] *Ad Comm.* Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me: centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. *Psal. ut supra.*

Natal. SS. Processi & Martiniani.

Antiph. Judicant Sancti gentes, & dominantur populis, regnabit Dominus Deus illorum in perpetuum. *Psal.* Exultate justi in Domino. *Resp.* Exultabunt Sancti in gloria. *Vers.* Cantate Domino. B
c [c] *All.* Mirabilis Dominus noster in Sanctis suis. *Off.* Gloriabuntur in te omnes. *Vers.* Verba mea. *Ad Com.* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. *Psal.* Nisi quia Dominus.

Pridie nonas Jul. Octava beatorum Apostolorum Petri & Pauli.

Antiph. Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudes eorum nuntiet Ecclesia: nomina autem
d eorum vivent in seculum seculi. [d] *Psal.* Exultate justi in Domino. *Resp.* Justorum animæ. *Vers.* Visi C sunt oculis. *All.* Sancti tui, Domine, benedicent te: gloriam regni tui dicent. *Off.* Exultabunt Sancti
e in gloria. [e] *Ad Com.* Justorum animæ in manu Dei sunt. *Psal. ut supra.*

f [f] *Sanctorum septem Fratrum.*

Antiph. Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini, qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. *Psal.* Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in seculum. *Resp.* Anima nostra. *Vers.* Laqueus contritus est. *All.* [g] Laudate, pueri, Dominum. *Off.* Anima
g nostra. *Vers.* Nisi quia Dominus. *Ad Com.* Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est, dicit Dominus. *Psal. ut supra.*

h [h] *Natal. Sancti Benedicti.*

Antiph. Justus ut palma. *Psal.* Bonum est confiteri. *Resp.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. *Psal.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. *All.* Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo. *Off.* Inveni David. *Ad Comm.* Beatus servus quem cum venerit Dominus, invenerit illum vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Sancta Praxedis.

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar: & meditabar in mandatis tuis quæ dilexi nimis. *Psal.* Beati immaculati in via. *Resp.* Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. *Vers.* Propterea unxit te Deus, Deus
tuus oleo justitiæ. [i] *All.* Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. i
Offert. Diffusa est gratia. [k] *Ad Comm.* Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparavit eam. *Psalm. ut supra.* k

Natal. S. Apollinaris.

Antiph. [l] Sacerdotes Dei, benedicite, Domino, l
sancti & humiles corde, laudate Deum. *Psalm.*
[m] Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus. *Resp.* Inveni David servum meum. m
Vers. Nihil proficiet inimicus in eo. [n] *All.* Me-
mento, Domine, David. [o] *Off.* Veritas mea & mi- n
sericordia. *Ad Comm.* Semel juravi in sancto meo, o
semen ejus in æternum manebit: & sedes ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis. *Psalm.* Misericordias Domini.

[p] *Nat. S. Felicis.* p

Antiph. Sacerdotes ejus induantur justitia, & Sancti ejus exultatione exultabunt. *Psalm.* Memento, Domine, David. *Resp.* Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. *Vers.* Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi. *Off.* Veritas mea & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. *Ad Comm.* Beatus servus. *Psal. ut supra.*

[q] *Eodem die Nat. SS. Simplicii, Faustini, & Beatricis.* q

Antiph. Sapientiam Sanctorum narrent populi. D *Psalm.* Exultate justi in Domino. *Responf.* Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos: & de omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Vers.* Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabuntur. *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* Gloriabuntur in te omnes. *Ad Com.* Ego vos elegi.

Natal. Sanctorum Abdon & Sennes.

Antiph. Intrent in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum. *Psalm.* Deus, venerunt gentes. *Resp.* Gloriosus Deus in sanctis suis. *Vers.* Dextera tua, Domine. *Allel.* Sancti tui, Domine. *Off.* Mira-

a Compend. *All. Cæli enarrant.* Theod. habent ut excusi. E
b In Compend. tres assignantur Versus; I. *Domine prob.* II. *Intellexisti.* III. *Ecce tu Domine.* Et officii hujus diei observat Pamelius illud nominatim citari ex Graduali & Sacram. D. Gregorii libris; & Micrologo c. 42.
c Comp. *All. Exultabunt sancti.* Theod. *All. Sancti tui, Domine.*
d Compend. *Psal. Cæli enarrant.*
e Huic Offertorio succedit in Compend. Versus; *Cantate Dom. canticum novum, laus ejus in Eccl. sanct. Læt. Isr. in eo qui fecit eum & filii Sion exult. in rege suo; exultationis.* Annotat Pamelius Micrologum meminisse hujus Octavæ, cap. 44.
f Natale Sanctorum VII. Mart. in Pamel. edit. præcedit Octavam SS. Apostol.
g Hoc Allel. abest a mss. Compend.
h Neque hoc Officium habet codex Blandiniensis. Pamel. Abest quoque a mss. Compend.

i Desideretur hoc Allel. in Compend.
k Ibid. post Offertor. legitur: Vers. I. *Eructavit.* Vers. II. *Specie tua.*
l Hoc Officium ex Graduali D. Gregorii libro citat Micrologus, c. 43. *Pamel.*
m In Compend. *Psalm. Benedicite omnia opera.*
n Hoc Alleluia non est in Comp.
o Post hoc Offert. in laudato ms. sunt Vers. I. *Posui adjut.* Vers. II. *Misericordia.*
p Etiam hoc Officium ibidem citat Micrologus, c. 43. *Pamel.* Abest tamen natale hoc a ms. Compend.
q Hoc quoque (Officium) non habet codex Blandin. *Pamel.* Extat festum hoc seu natale in cod. Compend. sed aliud est officium, scilicet: Antiph. *Sacerdotes ejus ind. salut.* Psal. *Memento Domine David.* Resp. *Ecce Sacerd. magn.* Vers. *Non est inv.* Allel. *Beatus vir.* Offert. *Laetamini.* Comm. *Justorum animæ.*

a Mirabilis Deus in Sanctis suis. [a] *Ad Com.* [b] Posue-
b runt mortalia Sanctorum. *Psal.* [c] Deus venerunt.
c
d [d] *S. Petri ad vincula.*

Antiph. Salus populi. *Psalm.* Attendite populus meus legem meam. *Resp.* Salvum fac populum. *Vers.* Ad te, Domine, clamavi. *All.* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Off.* Populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis. *Ad Com.* Domine, si tu es.

Natal. sancti Stephani Papæ.

Antiph. Justus ut palma. *Psal.* Bonum est confiteri Domino. *Resp.* Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus. *Vers.* Tota die miseretur & commodat, & semen ejus in benedictione erit. *All.* Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo. *Off.* Inveni David servum meum. *Ad Com.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum: euge serve fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

Alia.

Antiph. Sacerdotes ejus induam Salutari. *Psal.* Memento, Domine, David. *Resp.* Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. *Vers.* Lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus. *Off.* Inveni David. *Vers. I.* Potens es, Domine, *Vers. II.* Veritas mea & misericordia mea. *Ad Comm.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi. *Psal. ut supra.*

Natal. S. Xysti Papæ.

e *Antiph.* Sacerdotes Dei, benedicite Domino. *Psal.* Memento, Domine, David. [e] *Resp.* Sacerdotes ejus induam Salutari, & Sancti ejus exultatione exultabunt. *Vers.* Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. *All.* Inveni David. *Off.* Inveni David. *Ad Com.* Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram. *Psal. ut supra.*

Eodem die Natal. SS. Felicissimi, & Agapiti.

Antiph. Salus autem justorum a Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis. *Ps.* Noli
f æmulari in malignantibus. [f] *Resp.* Justorum animæ in manu Dei sunt. *Vers.* Visi sunt oculis insipientium mori. *All.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum. *Off.* Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu, Domine, benedices justo; Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. *Vers. I.* Verba mea auribus. *Vers. II.* Quoniam ad te orabo, Domine. *Ad Com.* Ego elegi vos de mundo. *Psal. ut supra.*

Natal. sancti Cyriaci.

Antiph. Timete Dominum, omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum: divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum, [g] non deficient omni bono. *Psal.* Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Resp.* Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. *Vers.* Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. g
[h] *All.* Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Off.* Lætamini in Domino, & exultate. *Vers. I.* Beati quorum remissæ. *Vers. II.* Pro hac orabit ad te omnis Sanctus. *Ad Com.* Signa eos qui in me credunt, hæc sequentur: Dæmonia ejicient, super ægros manus imponent, & bene habebunt. h

Vigilia sancti Laurentii.

Antiph. Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria. *Psal.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Resp.* Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi. *Vers.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. *Off.* Oratio mea munda est, & ideo peto ut detur locus voci meæ in cælo: quia ibi est judex meus, & conscius meus [i] in excelso: i
ascendat ad Dominum deprecatio mea. *Vers.* Probavit me Dominus sicut aurum, vias ejus custodivi, l
& a præceptis ejus non discessi. [l] *Item aliud. Off.* Gloria & honore. *Ad Com.* Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. *Psal. ut supra.*

In natal. sancti Laurentii.

[m] *Antiph.* Confessio & pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas & magnificentia in sanctificatione m
ejus. *Psal.* Cantate Domino. *Resp.* Probasti, Domine, cor meum, & visitasti nocte. *Vers.* Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. *Allel.* Beatus vir. *Off.* Confessio & pulchritudo. *Vers. I.* Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra. *Vers. II.* Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem Salutare ejus. *Ad Comm.* Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit. *Psal. ut supra.*

Natal. sancti Tiburtii.

Antiph. Justus ut palma florebit: [n] sicut cedrus quæ est in Libano, multiplicabitur. *Psal.* Bonum n
est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. *Resp.* Os justi meditabitur sapientiam. *Vers.* Lex Dei ejus in corde. [o] *All.* Gloria & honore coronasti eum, Domine. *Off.* In virtute tua o
lætabitur justus. *Ad Comm.* Posuisti, Domine, in capite ejus. *Psal.* Domine, in virtute tua.

Natal. S. Hippolyti & sociorum.

Antiph. Justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. *Psal.* Exurgat Deus, & dis-

a In Comp. sequuntur duo versus, *Exurgat Deus, & pereant.*
b Ibid. Comm. *Beati mundo corde.*
c Ibid. *Psalm. Beati immaculati.*
d Hoc festum cum seq. omittitur in cod. Compend. utrumque habent Theoderic.
e In Comp. *Resp. Os justi medit. sap. Vers. Lex Dei ejus. Off. Veritas.*
f In Comp. *Resp. Exultabunt. Vers.* Cantate *Dom. All. Sancti tui, Domine.* Idem *Alleluya* assignant Theod. qui in ceteris conveniunt cum vulgatis.
g Compend. *non deficientur omni bono.*
h Ibid. *All. Gaudete justi in Domino,* cum Theodericensibus conveniunt edit.
i Compend. *in æternum.*
l Abest a mss.
m Præmittitur in Compend. & in secundo Theoderic. *in prima Missa.* In Compend. vero hæc Missa est: *Antiph. Probasti cor .... & non est inv. in me iniq. Psalm. Exaudi, Dom. justitiam m. Resp. Justus ut palma fl. Vers. Ad annuntiandum. Offert. In virtute tua. Vers. Vitam petiit. Comm. Magna est gloria ejus.* Altera Missa in die est, *Confessio, &c.*
n Compend. *sicut cedrus Libani.*
o Ita Theod. et Compend. *All. Disposui.*

& dissipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt A eum, a facie ejus. [a] *Resp.* Justorum animæ. *Vers.* Visi sunt oculis insipientium mori. *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* Anima nostra sicut passer. *Ad Com.* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui vos persequuntur. *Item alia:* Amen dico vobis, quo uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Ps. ut supra.*

[b] *Natal. sancti Eusebii.*

Antiph. Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. *Resp.* Os justi meditabitur. *Vers.* Lex Dei ejus. [c] *Allel.* Justus non conturbabitur. *Off.* Desiderium animæ. B *Vers. I.* Vitam petiit. *Vers. II.* Lætificabis eum. *Vers. III.* Inveniatur manus tua. *Ad Com.* Beatus servus. *Psal. ut supra.*

[d] *Assumtio sanctæ Mariæ.*

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus adducentur tibi in lætitia & exultatione. *Psal.* Eructavit cor meum verbum bonum. *Resp.* Propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. *Vers.* Audi, filia, & vide, & inclina aurem tuam, quia concupivit Rex speciem tuam. *All.* Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & C regna. *Off.* Offerentur Regi virgines post eam, proximæ ejus offerentur tibi. *Ad Com.* Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus meus. *Psal. ut supra.* [e]

[f] *Octava sancti Laurentii.*

Antiph. Probasti, Domine, cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. *Psal.* Exaudi, Domine, justitiam meam, intende deprecationem meam. [g] *Resp.* Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso. *Vers.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *All.* Gloria & honore coronasti eum Domine. *Off.* D In virtute tua, Domine, lætabitur justus, & super Salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium animæ ejus tribuisti ei. *Ad Com.* Qui vult venire post me. *Psal. ut supra.*

Natal. sancti Agapiti.

Antiph. Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. *Psal.* Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam. [h] *Resp.* Justus non conturbabitur. *Vers.* Tota die miseretur & commodat. [i] *All.* Beatus vir qui timet Dominum. E *Off.* In virtute tua lætabitur. *Ad Com.* Beatus servus. *Psal. ut supra.*

Natal. SS. Timothei & Symphoriani.

Antiph. Salus autem justorum. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. *Resp.* Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. *Vers.* Credidi, propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus, alleluia. *Ad Com.* Ego vos elegi de mundo.

[l] *Natal. sancti Genesii.*

Antiph. Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum. *Psal.* Domine Dominus noster. *Resp.* Domine, prævenisti eum. *Vers.* Vitam petiit. *All.* Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus. *Off.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Ad Com.* Qui vult venire.

Natal. sancti Augustini.

Antiph. Dicit Dominus: Sermones mei, quos dedi in os tuum, non deficient de ore tuo. Adest enim nomen, et munera tua accepta erunt super altare meum. *Psal.* Domine, exaudi. *Resp.* Juravit Dominus. *Vers.* Dixit Dominus Domino meo. *All.* Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. *Off.* Inveni David. *Ad Comm.* Fidelis servus.

Natal. sancti Hermetis.

Antiph. Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus: tota die miseretur et commodat, et semen ejus in benedictione erit. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. [m] *Resp.* Justus ut palma florebit. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam. *All.* Beatus vir qui suffert tentationem. *Off.* In virtute tua, Domine. *Ad Com.* Multitudo languentium, et qui vexabantur a spiritibus immundis, veniebant ad eum, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. *Psal. ut supra.*

[n] *Decoll. S. Johannis Baptistæ.*

Antiph. In virtute tua, Domine, lætabitur justus. *Psal.* Vitam petiit. *Resp.* Domine, prævenisti. *Vers.* Vitam petiit. *All.* Beatus vir. *Off.* Justus ut palma. *Ad Com.* Magna est gloria ejus.

Natal. S. Sabinæ.

Antiph. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me: confige timore tuo carnes meas, a mandatis tuis non me repellas. *Psal.* Beati immaculati in via. [o] *Resp.* Specie tua. *Vers.* Propter veritatem et mansuetudinem. *All.* Diffusa est gratia. *Off.* Filiæ regum in honore tuo: adstitit regina a dextris tuis in vestitu de-

a Compend. *Resp. Clamaverunt justi. Vers. Juxta est. Allel. Gaudete justi in Domino.* In Theod. fit tantum Officium S. Hippolyti mart. *Antiph. Justus ut palma. Psal. Exurgat Deus Resp. Justorum animæ*, &c. ut in excusis.

b Compend. *Depositio S. Eusebii Conf.* In Theod. *Natal. S. Eusebii Sacerdotis.*

c Abest hoc Allel. a Compend. est in Theod.

d Sicut infra notandum ait lib. Sacram. antiquitus videtur hoc festum D. Gregor. olim *Dormitionis* appellatum. *Pamel.* Dicitur *Assumtio*, in cod. Compend. & aliis.

e Post hoc offic. in Compend. aliud sequitur sc. *Ant. Gaudeamus. Psal. Eructavit. Resp. Propter verit. Vers. Audi fil. Allel. Adducentur. Offert. Diffusa est. Com Beata es Virgo.*

f In Comp. hic & alibi semper legitur *Octabas*, non *Octava*.

g Compend *Resp. Justus ut palma. Versus, Ad annunt. All. Justus non conturb.*

h Compend *Resp. Posuisti. Vers. Desiderium.*

i Hoc Allel. abest a Comp. In Theod. idem Officium assignatur, ac in excusis.

l Hoc Officium & sequens non habent cod Bland. & Compend.

m Id Comp. *Resp. Justus non conturbabitur. Vers. Tota die. Allel. Inveni. Comm. Posuisti.*

n Observat Pamel. hoc Offic. desiderari in cod. Blandin. Idem de Compend. dicendum.

o In Compend. *Resp. Dilexisti justit. Vers. Propterea. Allel. Adducentur.* Theod. favent excusis.

deaurato, circumdata varietate. *Ad Comm.* Principes persecuti sunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum: lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa: concupivit anima mea testimonia tua, Domine, & dilexit ea vehementer. *Psal. ut supra.*

Natal. SS. Felicis & Adaucti.

Antiph. Sapientiam Sanctorum. *Psal.* Exultate justi in Domino. [a] *Resp.* Gloriosus Deus in Sanctis suis. *Vers.* Dextera tua, Domine. *All.* Gaudete justi in Domino, rectos decet collaudatio. *Off.* Lætamini justi in Domino *Ad Com.* Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, dicit Dominus: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

[b] *Natal. S. Mariæ.*

Antiph. Vultum tuum, Domine. *Psal.* Eructavit cor meum. *Resp.* Dilexisti justitiam. *Vers.* Propter veritatem. *Allel.* Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus offerentur tibi in lætitia. *Off.* Offerentur regi. *Ad Com.* Diffusa est gratia.

Natal. sancti Adriani.

Antiph. Lætabitur justus in Domino. *Psalm.* Exaudi, Deus, orationem. *Resp.* Domine, prævenisti. *Vers.* Vitam petiit a te. *All.* [c] Beatus vir. *Off.* Gloria & honore coronasti eum. *Ad Comm.* Posuisti, Domine.

[d] *Natal. sancti Gorgonii.*

Antiph. Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. *Psalm.* Domine Dominus noster. *Resp.* Posuisti, Domine. *Vers.* Desiderium animæ. *All.* Gloria & honore. *Off.* Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso, vitam petiit a te, & tribuisti ei. *Vers.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *Vers.* Magna est gloria ejus in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum. *Ad Com.* Posuisti, Domine.

Natal. sanctorum Proti & Hyacinthi.

Antiph. Judicant Sancti gentes, & dominabuntur populis: regnabit Dominus eorum in perpetuum. *Psal.* Exultate justi in Domino. *Resp.* [e] Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est. *Vers.* Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ. *All.* Gaudete justi in Domino, rectos decet collaudatio. *Off.* Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu, Domine, benedices justo: Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. *Ad Com.* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, *Vel.* Qui vult venire post me.

[f] *Exaltatio S. crucis.*

Antiph. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus. *Psal.* Dominus regnavit, decorem. *Resp.* Christus factus est. *Vers.* Propter quod & Deus. [g] *All.* Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno. *Off.* Dextera Domini. *Ad Com.* Nos autem gloriari oportet.

Natal. sanctorum Cornelii & Cypriani.

Antiph. Sacerdotes Dei. *Psal.* [h] Memento, Domine, David. *Resp.* Sacerdotes ejus. Illuc producam cornu David. *All.* [i] Disposui testamentum electis meis. *Off.* Veritas mea. *Ad Com.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum: euge serve fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *Psal. ut supra.*

Natal. S. Nicomedis.

Antiph. Lætabitur justus in Domino. *Psalm.* [l] Beati quorum remissæ sunt iniquitates. *Resp.* Posuisti, Domine. Desiderium animæ ejus. *All.* [m] Justus non conturbabitur. *Off.* Gloria & honore. *Ad Comm.* Qui vult venire post me. *Psal. ut supra.*

Natal. S. Euphemiæ, ac sanctorum Luciæ & Geminiani.

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur. *Psalm.* Eructavit cor meum. *Resp.* Diffusa est gratia. *Vers.* Propter veritatem & mansuetudinem. *All.* Specie tua. *Off.* Offerentur regi virgines. *Ad Com.* Simile est regnum cælorum. [o] *Item alia:* In salutari tuo anima mea. *Psalm.* Beati immaculati in via.

Vigilia S. Matthæi.

Antiph. Ego autem sicut oliva [p] fructifera in domo Domini, speravi in misericordia Dei mei, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est ante conspectum Sanctorum tuorum. *Psal.* Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? *Resp.* Justus ut palma florebit. *Vers.* [q] Bonum est confiteri Domino. *Off.* Gloria & honore. *Ad Com.* Posuisti, Domine.

Nat. S. Matthæi.

Antiph. Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium, lex Dei ejus in corde ipsius. *Psalm.* Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. *Psal.* Beatus vir qui timet Dominum. *Vers.* Potens in terra erit semen ejus. *All.* Inveni David. *Off.* Posuisti, Domine. *Vers. I.* Desiderium animæ ejus. *Vers. II.* Magna est gloria. *Ad Com.* Magna est gloria. *Ps. xx.*

[r] *Natal. S. Mauricii.*

Antiph. Intret in conspectu tuo, Domine. *Psal.* Deus, venerunt gentes. *Resp.* Gloriosus Deus. *Vers.* Dextera tua, Domine, *All.* Exultabunt Sancti in gloria. *Off.* Lætamini in Domino. *Ad Com.* Posuerunt mortalia.

a Compend. *Resp. Exultabunt. Vers. Cantate Dom.* Theod. non discrepant ab excusis: ubi dissentient, annotabimus.
b Non invenitur in Compend. Extat in Theod.
c In Compend. *All. Justus ut palma*, infra, *Offert. Desiderium*.
d Hoc Officium desideratur in cod. Blandin. *Pamel.* Extat in Comp. ubi pro Versu, *Desiderium*, est Vers. *Vitam petiit*, Allel. est, *Justus non conturbabitur. Ad Comm. Magna est*.
e In Compend. *Resp. Justorum animæ. Vers. Visi sunt. Allel. Justi epulentur. Offert. Gloria & hon. Ad Comm. Qui vult venire.*
f In Theod. Natal. SS. Corn. & Cypr. præcedit festum Exalt. S. crucis, licet eodem die concurrant.
g In Compend. *Allel. Dominus regn. decorem ind. Offertor.* Il... *enim firmavit*.
h Compend. *Psal. Benedixisti*.
i Hoc Allel. non est in Compend.
l In Compend. *Psal. Exaudi Deus* 112.
m Abest a Compend.
n Compend. *Afferentur, &c.*
o Codex Compend. hæc non habet.
p Compend. *Fructificavi*.
q Ibid. *Vers. Ad annuntiandum*.
r Abest a Comp. & a Blandin. ut observat Pamel.

Natal. sanctorum Cosmæ, & Damiani.

Antiph. Sapientiam Sanctorum narrent populi. *Psal.* Exultate justi in Domino. *Resp.* Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos. *Vers.* Juxta est Dominus. *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* Gloriabuntur. *Ad Comm.* Posuerunt mortalia.

Dedicatio basilicæ sancti Michaelis.

Antiph. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus. *Psal.* Benedic, anima mea, Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. *Resp.* Benedicite Do- B mino omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus. *Vers.* Benedic, anima mea, Domino, & omnia interiora mea nomini sancto ejus. *All.* Laudate Dominum omnes Angeli ejus, lau-
a date eum omnes virtutes ejus. [a] *All.* Confitebor
b tibi, Domine. *Offert.* [b] In conspectu Angelorum psallam tibi. *Vers. I.* Confitebor tibi, Domine. *Vers. II.* Confiteantur tibi, Domine, omnes Reges terræ. *Ad Com.* Benedicite omnes Angeli Domini
c Domino, c hymnum dicite, & superexaltate eum in secula.

Natal. sancti Marci.

C

Antiph. Sacerdotes Dei, benedicite Domino. *Psal.* Benedicite omnia opera Domini Domino.
d *Resp.* Inveni David. *Vers.* Nihil proficiet. [d] *All.* Memento David. *Off.* Veritas mea. *Ad Com.* Beatus servus.

e [e] *Vigil. SS. Dionysii, & soc. ejus.*

Antiph. Salus autem justorum a Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. *Resp.* Vindica, Domine. *Vers.* Posuerunt mortalia.

Natal. sancti Dionysii.

D

Antiph. Intret in conspectu tuo, Domine. *Psal.* Deus, venerunt gentes. *Responsf.* Gloriosus Deus.
f *Vers.* Dextera tua, Domine. *All.* [f] Gaudete justi in Domino. *Off.* Mirabilis Deus. *Ad Comm.* Anima nostra.

g [g] *Natal. S. Callixti.*

Antiph. Sacerdotes ejus. *Psal.* Memento, Domine, David. *Resp.* Sacerdotes ejus. *Vers.* Illuc producam cornu. *Allel.* Inveni David servum meum. *Off.* Inveni David servum. *Ad Com.* Beatus servus.

Vigil. Apost. Simonis, & Judæ.

E

Antiph. Intret in conspectu. *Psal.* Deus venerunt gentes. *Resp.* Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum. *Vers.* Posuerunt mortalia servo- A rum tuorum. *Offert.* Exultabunt Sancti. *Ad Comm.* Justorum animæ.

Ad Missam.

Antiph. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Psal.* Domine, probasti me, & cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam & resurrectionem meam. *Resp.* Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Vers.* Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. [h] *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ h
verba eorum. *Vers.* Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Ad Com.* Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel. *Psal. ut supra.*

Kal. Novemb. Natal. S. Cæsarii.

Antiph. Confessio & pulchritudo in conspectu ejus. *Psal.* Cantate Domino. *Resp.* Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus. *Vers.* Quotidie miseretur & commodat, & semen ejus in benedictione erit. [i] *Offert.* In virtute tua, i
Domine. *Ad Comm.* Qui vult venire post me. *Psal. ut supra.*

[l] *Vigil. omnium Sanctorum.* l

Antiph. [m] Judicant Sancti gentes. *Psal.* Exultate m
justi in Domino. *Vers.* Gloriosus Deus. *Vers.* Dextera tua, Domine. *Offert.* Exultabunt Sancti in gloria. *Ad Com.* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui vos persequuntur.

In die ad Missam.

Antiph. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Sanctorum omnium: de quorum solemnitate gaudent Angeli, & collaudant filium Dei. *Psal.* [n] Exultate justi in Domino, n
rectos decet collaudatio. *Resp.* Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. *Vers.* Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. *All.* [o] Justi epulentur, & exul- o
tent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.
[p] *Off.* Deus in Sanctis suis. *Ad Com.* Gaudete justi p
in Domino.

V. Idus Nov. Natal. IV. Coronatorum.

Antiph. Intret in conspectu tuo, Domine, gemitus. *Psal.* Deus, venerunt gentes. *Resp.* Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum. *Vers.* Posuerunt mortalia. *All.* Sancti tui, Domine. *Offert.* Anima nostra sicut. *Ad Com.* Posuerunt mortalia.

Natal. sancti Theodori.

Antiph. In virtute tua, Domine. *Psalm.* Vitam petiit. *Resp.* Domine, prævenisti. *Vers.* Vitam petiit. *Allel.* [q] Beatus vir. *Offert.* Gloria & honore. q
Ad Comm. Posuisti, Domine.

Antiph.

a In Compend. desideratur hoc *Allel.*

b Ibid. *Offertor. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, & data sunt ei incensa multa, & ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Allel. Vers. I. In conspectu Angel. psallam tibi Domine, & adorabo ad templum sanctum tuum, & confit. nomini tuo Domine, & ascendit, &c.*

c Compend. *Benenuntiate & super.* Additur in fine, *Psal. Benedicite omnia.*

d In Compend. *Allel. Dispersit, ut supra.*

e Duo hæc officia Gallicana sunt, quare recte omissa in cod. Blandin. *Pamel.*

f In Compend. *All. Exultabunt Sancti.*

g Abest hoc a cod. Compend.

h Ibid. *Allel. Nimis honorati sunt.*

i In eodem ms. ante. *Offert. assignatur. Allel. Juvenis Oravit.* Et post Offert. duo versus sequuntur: *Vitam petiit, & Magna est.*

l Hæc quoque Officia duo sequentia tamquam recentiora Gregorio, prætermittuntur in Blandin. cod. *Pamel.*

m In Compend. *Ant. Sapientiam Sanctorum,* ut supra *Resp. Timete Domin. Vers. Inquirentes. All. Justi epulentur. ad Com. Justorum an.*

n In cod. Compend. *Psal. Eructavit. Resp. Gloriosus. Vers. Dextera tua, Domine.*

o Abest a nostro cod. Compend.

p Offert. *Lætamini.* cum Vers. 1. *Beati quorum,* & Vers. 2. *Probatus,* assignatur in Compend.

q In Comp. *All. Sancti tui. Offertor. Posuisti, Domine, in cap.* &c. cum versibus, *Desiderium, & Magna est.* In Theod. omnia ut in vulgatis annotantur, præter Alleluya, *Beatus servus.*

Natal. S. Mennæ.

Antiph. Os justi meditabitur. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. [a] *Responsf.* Gloria & honore. *Vers.* Et constituisti eum. *Allel.* Justus non conturbabitur. *Off.* Desiderium animæ ejus. *Ad Com.* Magna est gloria ejus.

[b] *Eodem die Natal. S. Martini.*

Antiph. Sacerdotes tui. *Psal.* Memento, Domine, David. *Resp.* Inveni David. *Vers.* Nihil proficiet. *Allel.* Disposui testamentum. *Off.* Inveni David servum meum. *Ad Com.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi.

Natal. S. Ceciliæ.

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar: & meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. *Psal.* Beati immaculati in via. *Resp.* Audi, filia, & vide. *Vers.* Specie tua. [c] *Off.* Offerentur regi virgines. *Ad Com.* Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem in mandatis tuis exercebor in tuis justificationibus, ut non confundar. *Item alia:* Feci judicium & justitiam: Domine, non calumnientur mihi superbi: ad omnia mandata tua dirigebar, omem viam iniquitatis odio habui.

Natal. S. Clementis.

[d] *Antiph.* Dicit Dominus: Si quis testimonium meum servaverit. *Psalm.* Misericordias Domini in æternum cantabo. *Resp.* Juravit Dominus. *Vers.* Dixit Dominus Domino meo. *Allel.* [e] Disposui. *Off.* Veritas mea & misericordia mea. *Ad Com.* Beatus servus. *Item alia:* Domine, quinque talenta. *Psalm. ut supra.*

Natal. S. Chrysogoni.

Antiph. Lætabitur justus. *Psalm.* Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor. *Resp.* [f] Beatus vir. *Vers.* Potens in terra. *Allel.* Justus non conturbabitur. *Off.* Gloria & honore. *Com.* Posuisti, Domine.

Vigil. S. Andreæ Apost.

Antiph. Dominus secus mare Galilææ vidit duos fratres, Petrum & Andream, & vocavit eos: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. *Psalm.* Cæli enarrant. *Resp.* Nimis honorati sunt. *Vers.* Dinumerabo eos. *Off.* Gloria & honore. *Ad Com.* Venite post me, [g] faciam vos piscatores fieri hominum. *Psalm. ut supra.*

In Natal. ejusdem.

Antiph. Mihi autem nimis. *Vers.* Domine, probasti me. *Resp.* Constitues eos Principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine. *Vers.* Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; propterea populi confitebuntur tibi. *Allel.* Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Off.* Mihi autem nimis. *Ad Com.* Dicit Andreas Simoni fratri suo: Invenimus Messiam, qui dicitur Christus, & adduxit eum ad Jesum. *Psalm. ut supra.*

[h] *In Ordinatione Pontificis.*

Antiph. Invocavit me. *Psal.* Qui habitat in adjutorio Altissimi. *Resp.* Inveni David. [i] *Off.* Inveni David servum meum. *Ad Comm.* Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

[l] *In Ordinatione Episcopi.*

Antiph. Elegit te Dominus. *Psal.* Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob. *Resp.* Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat. *Vers.* Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. *All.* Elegit te Dominus. *Si in Quadragesima evenerit. Tract.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *Off.* Memor sit Dominus. *Vers.* Exaudiat te Dominus. *Ad Com.* [m] Unguentum in capite.

Item alia.

Antiph. Sicut fuit cum Moyse. *Psal.* Exaudiat te Dominus. *Resp.* Mittat tibi Dominus. *Vers.* Exaudiat te Dominus. *All.* Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo. *Off.* Veritas mea & misericordia mea cum ipso. *Ad Com.* Lætabimur.

Item alia.

Antiph. Benedixit te hodie. *Psalm.* Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram. *Resp.* Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. *Vers.* Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia. *Allel.* Diffusa est gratia. *Si in Quadragesima evenerit, Tract.* Desiderium animæ eius. *Off.* Benedic, anima mea, Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. *Ad Com.* Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

In Ordinatione plurimorum Episcoporum.

Antiph. Congregate illi. *Psalm.* Deus deorum Dominus locutus est. *Resp.* Immola Deo sacrificium laudis *Vers.* Congregate illi Sanctos. *Allel.* Sancti tui, Domine. *Off.* Benedic anima. *Ad Com.* Messis quidem multa, operarii vero pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. [n]

Heb-

a In Compend. *Resp. Inveni. Vers. Nihil proficiet. All. Disposui. Offert. Gloria & honore.* In Theod *Responsf. Inveni*, ut in Compend. cetera ut in vulgatis.

b Neque hoc (Offic.) habet Blandin. cod. est enim Gallicanum. *Pamel.* Hoc extule est in Compend. sed diversum Officium, scil. *Antip. Statuit. Psal. Misericordias. Resp. Os justi medit. All. Elegit te Dominus. Offert. Veritas mea. Item Offert. Mortuum igitur obitum suum longe ante præsciens; dixitque fratribus dissolutionem corporis sui imminere, quia judicabat se jam resolvi. Vers.* 1. *O quantus luctus omnium.* Hic delunt tres lineæ. *Com. Fidelis servus.*

c In Compend. *Allel. Adducentur.* In Theod. *Allel. Specie tua.*

d Compend. *Ant. Dicit Dominus, sermones quos dedi in os tuum, non deficient de ore tuo; adest enim nomen tuum, & munera tua accepta erunt super altare meo.*

e Compend. *All. Inveni David.* Conveniunt Theod. cum additis, attamen pro Psal. *Misericordias*, assignant, *Domine exaudi.*

f Compend. *Resp. Justus non conturbabitur. Vers. Tota die. All. Inveni David. Offert. Desiderium Comm. Qui vult venire.*

g Compend. *Faciam vos piscatores hominum.*

h Compend. *In vigilia Pontificis.*

i Aliud Offertorium huic jungit Compend. scilicet, *Veritas mea.*

l In Comp. *In natali Episc. Ant. Elegit eum. Dom. sibi Sacerd. magnum & aperiens thesaurum suum optimum, & abundare te faciet omnibus bonis ... Allel. Mittat tibi Dominus auxilium.*

m Quæ hic & infra notantur in vulgatis, ex primis verbis, integra reperiuntur in mss Compend. Monet quoque Pamelius latius omnia hæc officia videri in Ordine Romano, p. 97. & seq. usque ad p. 107.

n Post Missas istas sequitur in Compend. Missa de nuptiis.

Hebdomada I. post Oct. Pentecostes.

Antiph. [a] Domine, in tua misericordia speravi, exultavit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi. *Psalm.* Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me? *Resp.* Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi. *Vers.* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberavit eum Dominus. [b] *Item aliud Resp.* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine. *Vers.* Conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valde. *All.* Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. *Offert.* Intende voci orationis meæ. *Vers. I.* Verba mea auribus percipe, Domine. *Vers. II.* Dirige in conspectu tuo viam meam. *Ad Com.* Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te: psallam nomini tuo, Altissime. *Psal. ix.*

[c] *Hebdomada secunda.*

Antiph. Factus est Dominus protector meus, & eduxit me in latitudine: salvum me fecit, quoniam voluit me. *Psalm.* Diligam te Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. *Psalm.* Ad Dominum, dum tribularer, clamavi, & exaudivit me. *Vers.* Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. *Item* [d] *Resp.* Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! *Vers.* Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos. *Allel.* [e] Deus judex justus, fortis & patiens, numquid irascitur per singulos dies? *Offert.* Domine, convertere, & eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam. *Vers. I.* Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. *Vers. II.* Miserere mihi, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. *Ad Com.* Cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini Altissimi. *Psal. xij.*

Hebdomada tertia.

Antiph. Respice in me, & miserere mei, Domine, quoniam unicus & pauper sum ego: vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea, Deus meus. *Psalm.* Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam. *Resp.* Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. *Vers.* Dum clamarem ad Dominum, exaudivit vocem meam ab his qui appropinquant mihi. *Item* [f] *Resp.* Adjutor in opportunitatibus in tribulatione, sperent in te, qui noverunt te, quoniam non derelinques quærentes te, Domine. *Vers.* Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in æternum: exurge, Domine, non prævaleat homo. *Allel.* [g] Diligam te, Domine, virtus mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. *Off.* Sperent in te omnes, qui noverunt nomen tuum, Domine, quoniam non derelinquis quærentes te. Psallite Domino qui habitat in Sion, quoniam non est oblitus orationem pauperum. *Vers. I.* Sedes super thronum qui judicas [h] justitiam: increpasti gentes, & periit impius: nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi: periit memoria eorum cum sonitu, & Dominus in æternum permanet. *Vers. II.* Cognoscetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. *Ad Com.* Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea. *Psalm.* Exaudi, Domine, justitiam meam.

Hebdomada quarta.

Antiph. Dominus illuminatio mea & salus, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo? qui tribulant me inimici mei, infirmati sunt, & ceciderunt. *Psal. Ipse.* Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. *Resp.* Propitius esto, Domine, peccatis nostris, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum? *Vers.* Adjuva nos, Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. *Item Resp.* Exurge, Domine, non prævaleat homo: judicentur gentes in conspectu tuo. *Vers.* In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, & peribunt a facie tua: quoniam fecisti judicium meum & causam meam. [i] *All.* Lauda, anima mea, Dominum: laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu ero. *Off.* Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. *Vers. II.* Respice & exaudi me, Domine Deus meus. *Ad Com.* Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus, adjutor meus. *Psal. x.*

Hebdomada quinta.

Antiph. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te: adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. *Psal.* Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? *Resp.* Protector noster aspice, Deus, & respice super servos tuos. *Vers.* Domine Deus virtutum, exaudi preces servorum tuorum. *Item Resp.* Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce servo tuo. *Vers.* Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo. *All.* [l] In te Domine, speravi, non confundar in æternum. *Off.* Benedicam Domino qui tribuit mihi intellectum; providebam Deum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. *Vers. I.* Conserva me, Domine, dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Vers. II.* Notas fecisti mihi vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. *Ad Com.* Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. *Psalm. xxxij.*

Hebdo-

a Monet Pamelius Bernonem meminisse hujus Officii lib. de Missis cap. 5. & Micrologum cap. 59.

b Hoc Resp. & Vers. seq. desiderantur in Comp. Ibid. *All. Deus judex fortis & patiens.*

c Melius fortasse in mss. legitur hic & alibi, *Dominica, pro Hebdomada.* In Theoderic. hic legitur, *Domin. 3.* ac deinceps 4. 5. *&c.* Quæ enim in aliis libris dicitur prima, est secunda Theoder.

d Resp. hoc & Versus sequens omittuntur in mss.

e In Compend. *Allel. Diligam te, Domine, virtus mea, &c.*

f Hoc Resp. cum Versu seq. abest a mss. quod de ceteris Officiis est intelligendum, nisi aliter notetur.

g Compend. *Allel. In te Domine speravi, &c.*

h Compend. *æquitatem.* Sunt aliæ plurimæ diversæ lectiones quas omnes observare operæ pretium non est.

i In Comp. *Allel. Omnes gentes plaudite man.*

l Ibid. *Allel. Te decet hymnus, Deus in Sion.*

Hebdomada sexta.

Antiph. Dominus fortitudo plebis suæ, & protector salutarium Christi sui est. Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ: & rege eos usque in seculum. *Psal.* Ad te, Domine, clamabo: Deus meus, ne sileas a me, ne quando taceas a me; & assimilabor descendentibus in lacum. *Resp.* Convertere, Domine, aliquantulum, & deprecare super servos tuos. *Vers.* Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie. *Item Resp.* Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. *Vers.* Ut videam voluntatem Domini, & protegar a templo sancto ejus. [a] *Allel.* Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. *Offert.* Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea: mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te Domine. *Vers. I.* Exaudi, Domine, justitiam meam, intende deprecationem meam. *Vers. II.* Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt. *Vers. III.* Ego autem cum justitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua. *Ad Com.* Circuibo, & immolabo in tabernaculo ejus hostiam jubilationis, cantabo, & psalmum dicam Domino. *Psal. xxvj.*

Hebdomada septima.

Ista Hebdomada non est in Antiphon. Rom.

Antiph. [b] Omnes gentes plaudites manibus, jubilate Deo in voce exultationis. *Psalm.* [c] Quoniam excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram. *Resp.* Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos. *Vers.* Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. *Item Resp.* Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit Dominus in hereditatem sibi. *All.* [d] Eripe me de inimicis meis, &c. *Off.* [e] Sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agrorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quia non est confusio confidentibus in te, Domine. *Vers.* Et nunc sequimur in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam, Domine, ne confundas nos; sed fac nobis juxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ: quia non est confusio confidentibus in te, Domine. *Ad Com.* Inclina aurem tuam, accelera ut eruas me. *Psalm. xxx.*

Hebdomada octava.

Antiph. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum, Deus, ita & laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua. *Psalm.* Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. *Resp.* [f] Liberasti nos, Domine, ex affligentibus nos,

& eos qui nos oderunt confudisti. *Vers.* In Deo laudabimur tota die, & nomini tuo confitebimur in secula. *Resp.* Esto mihi in Deum protectorem & in locum refugii, ut salvum me facias. *Vers.* Deus, in te speravi, Domine, non confundar in æternum. *All.* Te decet hymnus, Deus, in Sion, & tibi reddetur votum in Jerusalem. *Vers.* Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. *Off.* Populum humilem salvum facies, Domine, & oculos superborum humiliabis: quoniam quis Deus præter te, Domine? *Vers. I.* Liberator meus de gentibus iracundis: & ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me. *Vers. II.* Clamor meus. *Ad Com.* Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. *Psalm.* Benedicam Domino.

Hebdomada nona.

Antiph. Ecce Deus adjuvat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. Averte mala inimicis meis, in veritate tua [g] disperde illos, protector meus, Domine. *Psal.* Deus, in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me. [h] *Resp.* Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, ut salvum me facias. *Vers.* Deus, in te speravi. *Item Resp.* Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Vers.* Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. *All.* Attendite, populus meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Off.* Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda, & dulciora super mel & favum: nam & servus tuus custodit ea. *Vers. I.* Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi: judicia Domini vera justificata in semetipsa. *Vers. II.* Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. *Ad Com.* Primum quærite regnum Dei, & omnia adjicientur vobis, dicit Dominus. *Psal. ut supra.*

Hebdomada decima.

Antiph. Dum clamarem ad Dominum, exaudivit vocem meam ab his qui appropinquant mihi, & humiliavit eos, qui est ante secula, & manet in æternum. Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. *Psal.* Exaudi, Deus, orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. *Resp.* [i] Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! *Vers.* Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos. *Item Resp.* Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus a seculo. *Vers.* Suscipiant montes pacem populo tuo, & colles justitiam. [l] *All.* Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob, sumite psalmum jucundum cum cithara. *Off.* Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus, in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei, etenim universi qui te expectant, non confundentur. *Ad Com.* Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta super altare tuum, Domine. *Psal. l.*

a Compend. *Allel. Attendite, populus meus, legem meam.*
b Hæc Dom. notatur in Compend. Val cl & al. At in Theoderic. Officium hujus Dominicæ est pro Dominica octava, & Officium Domin. viij est pro Domin. ix. Sicque consequenter.
c In Compend. *Psalm. Subjecit pop. nob.*
d Ibid. *Allel. Exultate Deo adj. nostro, &c.*
e Hujus Offertorii concordiam cum lectione Dominicæ 7. post Octavam Pentec. annotat Berno lib. de Miss. Item cum Orat. Deus cujus providentia. Ibid. & Microlog. cap. 61. *Pamel.*

f Compend. *Resp. Esto mihi. Vers. Deus in te sper. All. Domine Deus salut. m.*
g Compend. *Disperge illos.*
h Compend. *Resp. Domine, Dominus noster. Vers. Quoniam elevata est, &c.* Theoder. consentiunt.
i Theoder. & Compend. *Resp. Custodi me Domine. Vers. De vultu tuo.*
l In Comp. *Allel. Venite exultemus Dom.*

Hebdomada undecima.

Antiph. Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unanimes in domo ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ. *Psalm.* Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum a facie ejus. [a] *Resp.* Custodi me, Domine, ut pupillam oculi. *Vers.* De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates. *Item Resp.* Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus, tu solus Altissimus super omnem terram. *Vers.* Deus meus, pone illos ut rotam & sicut stipulam ante faciem venti. [b] *All.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te. *Off.* Exaltabo, te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos B meos super me. Domine, clamavi ad te, & sanasti me. *Vers.* Domine, abstraxisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum. *Ad Com.* Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum, ut impleantur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. *Psal. ut supra.*

Hebdomada duodecima.

Antiph. Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina: confundantur, & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. *Psalm.* Avertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala. *Resp.* In Deo speravit cor meum, & adjutus sum: & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. *Vers.* Ad te, Domine, clamavi: Deus meus, ne sileas, ne discedas a me. *Item Resp.* Protector noster. *Vers.* Domine Deus virtutum. [c] *Offert.* Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, & dixit: Quare, Domine, irasceris in populo tuo; parce iræ animi tui. Memento Abraham, Isaac, Jacob, quibus jurasti dare terram fluentem lac & mel. Et placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo. *Vers.* Dixit Dominus ad Moysen: Invenisti gratiam in conspectu meo & scio te præ omnibus. Et festinans Moyses, inclinavit se in terram, & adoravit, dicens: Scio quia misericors es in millibus, auferens iniquitatem & peccata. Dixit Moyses & Aaron ad omnem synagogam filiorum Israel: Accedite ante Deum; majestas Domini apparuit in nube, & exaudivit murmurationem vestram in tempore. *Ad Com.* De fructu operum tuorum, Domine, satiabitur terra, ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. *Psalm. ciij.*

Hebdomada xiij.

Antiph. Respice, Domine, in testamentum tuum, & animas pauperum tuorum ne derelinquas E in finem. Exurge, Domine, & judica causam tuam: & ne obliviscaris voces quærentium te. *Psalm.* Ut quid, Deus, repulisti in finem? iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? *Resp.* [d] Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. A *Vers.* In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur. *Item Resp.* Convertere, Domine, aliquantulum, & deprecare super servos tuos. *Vers.* Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie. *All.* [e] Dominus regnavit, decorem, *Offert.* In te speravi, Domine, dixi, tu es Deus meus: in manibus tuis tempora mea. *Vers. I.* Illustra faciem tuam super servum tuum, & salvum fac filium ancillæ tuæ. *Vers. II.* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. *Ad Comm.* Panem de cælo dedisti nobis, Domine, habentem omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis. *Psal. ut supra.*

Hebdomada xiv.

Antiph. Protector noster aspice, Deus, & respice in faciem Christi tui: quia melior est dies una in atriis tuis super millia. *Psal.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum? concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. *Resp.* [f] Respice, Domine, in testamentum tuum, & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. *Vers.* Exurge, Domine, judica causam tuam: memor esto opprobrii servorum tuorum. *Item Resp.* Domine, exaudi orationem meam. *All.* [g] Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. *Vers.* Præoccupemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei. *Off.* Immittet Angelum Dominus in C circuitu timentium eum, & eripiet eos. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. *Ad Com.* Panis quem ego dedero, caro mea est, pro seculi vita. *Psal. ut supra.*

Hebdomada xv.

Antiph. Inclina, Domine, aurem tuam ad me & exaudi me: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te: miserere mihi, Domine, quoniam ad te clamavi tota die. *Psal.* Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. *Resp.* Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noD ctem. *Item Resp.* Timebunt gentes nomen tuum, Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam. *Vers.* Quoniam ædificavit Dominus Sion, & videbitur in majestate sua. *All.* [h] Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnem terram. *Off.* Expectans expectavi Dominum, & respexit me, & exaudivit deprecationem meam: & misit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro. *Ad Com.* Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo, dicit Dominus. *Psalm. ut supra.*

Hebdomada xvj.

Antiph. Miserere mihi, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: quia tu, Domine, suavis ac mitis es, & copiosus in misericordia omnibus invocantibus te. *Psal.* Inclina, Domine, aurem tuam mihi, & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego.

a In Theod. & Comp. *Resp. In Deo speravit cor meum, & adjut. Vers. Ad te, Domine, clamavi.*

b Compend. *Allel. Quoniam Deus magnus Dom.* In Compend. & Theod. *Resp. Benedicam Dom. in omni temp. &c. Vers. In Domino laud. an. m.* Id convenit cum observatione Pamelii ad Offic. hujus Dominicæ: ita enim Bernonem meminisse hujus Officii, & citare Resp. Benedicam Domino, &c.

c Cur caret Alleluya hæc Dominica? Certe in Compend. assign. *All. Dominus regnavit decorem ind.* & in Theod. *Domine refugium.*

d Compend. & Theod. *Respons. Respice, Domine. Vers.* Exurge, *Domine, & judica causam tuam.*

e Abest a Compen. In Theod. Allel. est *Venite exultemus Dom.*

f In Com. *Resp. Bonum est confid. in Domino. Vers. Bonum est sperare.* In Theod. idem est Resp. sed Versus est: *Ad annuntiandum.*

g In Compend. *All. Confitemini Domino.* In Theod. *All. Quoniam Deus magnus.*

h Compend. *All. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo & psal. decan. in gl. m.* Theod. *All. Dominus regnavit.*

ego. *Resp.* [a] Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. *Vers.* Bonum est sperare in Domino, quam sperare in Principibus. *Item Resp.* Misit Dominus verbum suum. *Vers.* Confiteantur Domino. [b] *All.* Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. *Offert.* Domine, in auxilium meum respice. Confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam ut auferant eam. Domine, in auxilium meum respice. *Vers.* Avertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala. *Ad Com.* Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Deus, docuisti me a juventute mea, & usque in senectam & senium: Deus, ne derelinquas me. *Psal. lxx.*

Hebdomada xvij.

Antiph. Justus es, Domine, & rectum judicium tuum. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. *Psal* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Resp.* [c] Timebunt gentes. *Vers.* Quoniam ædificavit. *Item Resp.* Bonum est confidere in Domino. *Vers.* Bonum est sperare. *All.* [d] Jubilate Deo, omnis terra, servite Domino in lætitia. *Offert.* Oravi Deum meum ego Daniel, dicens: Exaudi, Domine, preces servi tui, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, & propitius intende populum istum, super quem invocatum est nomen tuum, Deus. *Vers. I.* Adhuc me loquente, & orante, & narrante peccata mea, & delicta populi mei Israel, *Vers. II.* Audivi vocem, dicentem mihi: Daniel, intellige verba quæ loquor tibi, quia ego missus sum ad te: nam & Michael venit in adjutorium meum. *Ad Com.* Vovete & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu ejus affertis munera: terribili & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ. *Psal.* Notus in Judæa Deus.

Feria quarta mensis septimi. Ad S. Mariam.

[e] *Antiph.* Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob: sumite psalmum jucundum cum cithara, canite initio mensis tuba, quia præceptum in Israel est, & judicium Deo Jacob. *Psalm.* Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti. *Resp.* Quis sicut Dominus Deus qui in altis habitat, humilia respicit in cælo & in terra? *Vers.* Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem. *Resp.* [f] Tribulationes. *Offert.* Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi valde: & levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. *Vers. I.* Pars mea Dominus. *Vers. II.* Miserere mei secundum eloquium tuum. *Ad Comm.* Comedite pinguia, & bibite mustum, & mittite partes eis, qui non præparaverunt sibi: sanctus enim dies Domini est: nolite contristari, gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. *Psal. ut supra.*

Feria sexta. Statio [g] ad sanctos xij. Apostolos.

Antiph. Lætetur cor quærentium Dominus, & confortamini, quærite faciem ejus semper. *Psalm.* Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus. *Resp.* Convertere, Domine, aliquantulum, & deprecare super servos tuos. *Vers.* Domine, refugium factus es nobis a generatione, & progenie. *Offert.* Benedic, anima mea, Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, & renovabitur sicut aquilæ juventus tua. *Vers.* Dominus in cælo. *Ad Com.* Aufera me opprobrium & contemtum, quia mandata tua exquisivi, Domine: nam & testimonia tua meditatio mea est. *Psal.* Beati immaculati in via.

Sabbato in xij. Lectionibus ad S. Petrum.

Antiph. [h] Venite, adoremus Deum, & procidamus ante Dominum, ploremus ante eum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster. *Psal.* Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. (*Resp.* Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. *Vers.* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *Resp.* Timebunt gentes. *Vers.* Quoniam ædificavit. *Resp.* Bonum est confidere in Domino. *Vers.* Bonum est sperare in Domino. *Resp.* Liberasti nos, Domine. *Vers.* In Deo laudabimur. [i] *Hymn.* Benedictus es, Domine. *Tract.* Laudate Dominum, omnes gentes.) *Offert.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te: intret oratio mea in conspectu tuo, Domine. *Ad Com.* Mense septimo festa celebrabitis, cum in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum eduxerim eos de terra Ægypti, ego Dominus Deus vester. *Psal. ut supra.*

Hebdomada xviij.

Antiph. Da pacem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur: exaudi preces servi tui, & plebis tuæ Israel. *Psalm.* Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. *Resp.* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. *Vers.* Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. *All.* [l] Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus. *Offert.* Sanctificavit Moyses altare Domino, offerens super illud holocausta: & immolans victimas, fecit [m] sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel. *Vers. I.* Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ascende ad me in montem [n] Sina, & stabis super cacumen ejus. Surgens Moyses, ascendit in montem ubi constituit ei Deus: & descendit ad eum Dominus in nube, & astitit ante faciem ejus. Videns Moyses, procidens adoravit, dicens: Obsecro, Domine, dimitte peccata populi tui, & dixit ad eum Dominus: Faciam secundum verbum tuum. *Vers. II.* Oravit Moyses Dominum, & dixit: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste ut videam te. Et locutus est ad eum Dominus, dicens: Non enim videbit me homo, & vivere potest, sed esto super altitu-

a Compend. & Theod. *Resp. Timebunt gentes. Vers. Quoniam ædificavit.*
b Compend. *All. Qui timent Dominum, sperent in eum, adjutor & protector eorum.* Theod. *All. Confitemini Domino.*
c Iuxta Compend. Resp. est: *Vitam petiit*, & Vers. *Ut videam.* At in Theod. Resp. est: *Beata gens*, & Vers. *Verbo Domini.*
d Compend. & Theod. assignant pro Alleluya: *Laudate Dominum omnes gentes.*
e Officiorum horum trium jejunii mensis septimi meminit Micrologus cap. 28 *Pamelius.*
f Hoc Responf. abest a ms. Comp.
g Compend. simpliciter, *ad Apostolos.*

h Codex Blandin. hic nihil aliud habet, quam Antiphonam, Off. & Com. tamquam subindicans eadem Responsoria hic legi debere, quæ supra habentur in jejunio mensis primi; nempe, *Propitius, Protector, Dirigatur, & Salvum fac populum*, quæ hic repetenda censet Micrologus cap. 28. Quare Responsoria nova quæ notat codex Ultrajectin. tamquam minus authentica lineis inclusimus. *Pamel.*
i Hymnus hic non est in Compend. qui tamen cetera exhibet, quæ minus authentica censet Pamelius.
l Alleluya in Compend. est, *Oratio Domini facis aire.*
m Compend. *fecit sacrificium matutinum.*
n Compend. *Sinai.*

dinem lapidis, & protegat te dextera mea, donec pertranseam. Dum pertransiero, aufer manum meam, & tunc videbis gloriam meam. Facies autem mea non videbitur, quia ego sum Deus ostendens mirabilia in terra. *Ad Comm.* Tollite hostias, & introite in atria ejus, adorate Dominum in aula sancta ejus. *Psal.* 95.

Hebdomada xix.

[a] *Antiph.* Salus populi ego sum, dicit Dominus, De quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dominus in perpetuum. *Psal.* [b] Attendite, populus meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Resp.* [c] Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. *Vers.* Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. *Item Resp.* Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. *Vers.* Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. [d] *All.* Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo & psallam tibi in gloria mea. *Offert.* Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, Domine, & super iram inimicorum meorum extendes manum tuam: & salvum me fecit dextera tua. *Vers. I.* In quacumque die invocavero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem. *Vers. II.* Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. *Ad Com.* Tu mandasti mandata tua custodiri nimis: utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. *Psal.* 118.

Hebdomada xx.

Antiph. Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti: quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus: sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. *Psal.* Beati immaculati in via. *Resp.* Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. *Vers.* Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Item Resp.* Eripe me, Domine, de inimicis meis. *Vers.* Liberator meus. *Allel.* [e] Redemtionem misit Dominus populo suo, mandavit in æternum testamentum suum. *Offert.* Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui, Sion. *Vers. I.* Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. *Vers. II.* Memento, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem. *Ad Com.* Memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti: hæc me consolata est in humilitate mea. *Psalm.* 118. *ut supra.*

Hebdomada xxj.

Antiph. In voluntate tua Domine, universa sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ: tu enim fecisti omnia, cælum, & terram, & universa quæ cæli ambitu continentur. [f] *Psal.* Beati immaculati. *Resp.* Domine, refugium factus es nobis, a generatione & progenie. *Vers.* Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a seculo & in seculum tu es Deus. [g] *Allel.* Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini. *Vers.* Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in seculum. [h] *Offert.* Vir erat in terra nomine Job, simplex & rectus, ac timens Deum, quem Satan petiit ut tentaret, & data est ei potestas a Domino in facultate & in carne ejus, perdiditque omnem substantiam ipsius, & filios, carnem quoque ejus gravi ulcere vulneravit. *Vers. I.* Utinam appenderentur peccata mea, utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, quibus iram merui & calamitas, & calamitas, & calamitas quam patior, hæc gravior appareret. *Vers. II.* Quæ est enim, quæ est enim, quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam? *Vers. III.* Numquid fortitudo lapidum est fortitudo mea? aut caro mea ænea est? aut caro mea ænea ast? *Vers. IV.* Quoniam, quoniam, quoniam non revertetur oculus meus, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videm bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona. *Ad Comm.* In salutari tuo defecit anima mea, & in verbum tuum speravi, quando facies de persequentibus me judicium? Iniqui persecuti sunt me, adjuva me, Domine Deus meus. *Psal. ut supra.*

Hebdomada xxij.

Antiph. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? quia apud te propitiatio est, Deus Israel. *Psalm.* De profundis clamavis ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam. *Resp.* Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. *Vers.* Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. *Vers.* [i] Mandavit Dominus benedictionem & vitam usque in seculum. [k] *All.* Qui timent Dominum, sperent in eo: adjutor & protector eorum est. *Off.* Recordare mei, Domine, omnipotentia tua dominans: da sermonem rectum & bene sonantem in os meum, ut placeant verba mea in conspectu Principis. *Vers.* Everte cor ejus in odium repugnantium nobis, & in eos qui consentiunt eis. Nos autem libera in manu tua, Deus noster, in æternum. *Ad Comm.* Dico vobis, gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Psal. ut supra.*

Hebdomada xxiij.

Antiph. Dicit Dominus: ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: invocabitis me, & ego exaudiam vos, & reducam captivitatem vestram de cunctis locis. *Psal.* Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob. [l] *Resp.* Timebunt gentes. *Vers.* Quoniam ædificavit. *Item Resp.* Liberasti nos, Domine, ex affligentibus nos, & eos qui nos oderunt, confudisti. *Vers.* In Deo laudabimur tota die, & nomini tuo confitebimur in secula. [m] *All.* Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. *Off.* De profundis clamavi ad te,

a Etiam hujus Officii concordiam cum lectione Dominicæ xix. & oratione *Omnipotens & misericors Deus, universa,* &c. vide apud Bernon. loco citato. *Pamel.*

b In Compend. Ps. est, *Beati immaculati.*

c Respons. hoc & Versus subsequens non habentur in Compend. & Theod. sed Resp. *Dirigatur,* & Vers. *Elevatio.*

d In Compend. pro Allel. assign. *Lætatus sum.* In Theod. *Confitebor.*

e Compend. Allel. *De profundis.* Theod. Allel. *Confitebor tibi.*

f Additur in Comp. *Dominus universorum tu es,*

g In Theod. allel. est *Lauda anima.* In Compend. *Confitebor tibi Domine.*

h Pulcherrime hujus Offertorii cum suis Vers. etiam Antiphon. mentionem faciunt Alcuinus, pag. 72. & Amalar. l. 3. cap. 32. *Pam.*

i Hic Versus abest a Compend.

k In Compend. Allel. *Lauda anima mea Dominum.* In Theod. All. *Qui sanat contritos.* Concordiam hujus Officii cum lectione & oratione, *Deus refugium,* legi apud Bernon. l. de Hiff. c. 5. monet Pamelius. Repetendum vero esse hoc Off. si plures occurrant Dominicæ, tradit Micrologus, c. ult. ita tamen ut sequens Officium semper dicatur proxima ante Adventum Dominica.

l Hoc Respons. & Vers. sequens, non sunt in Theod. & Comp.

m In Comp. All. *Laudabuntur.* In Theod. *Qui posuit.*

te, Domine: Domine, exaudi vocem meam. *Verf.* A *I.* Fiant aures tuæ intendentes in orationem servi tui. *Verf. II.* Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? *Ad Com.* Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. *Pfal.* De profundis.

De S. Trinitate.

a *Antiph.* [a] Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Pfal.* Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in secula. *Resp.* Benedictus es, Domine, B qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim. *Verf.* Benedicite Deum cæli. *All.* Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis in secula. *Off.* Benedictus sit Deus Pater, unigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Verf.* Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in secula. *Ad Com.* Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confite-
b mini ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. [b]

c [c] *Pro iter agentibus.*

Antiph. Benedictus Dominus Deus. *Pfal.* Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant C qui oderunt eum, a facie ejus. *Resp.* Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine. *Verf.* Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. *Resp.* Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. *Verf.* Liberator meus de gentibus iracundis. *Off.* Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Verf.* Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia. *Ad Com.* Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur D viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.

In agenda mortuorum.

Antiph. Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis. *Pfal.* Te decet hymnus, Deus, in Sion, & tibi reddetur votum in Jerusalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. *Resp.* Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis. *Verf.* Anima ejus in bonis demoretur, & semen ejus hereditet terram. *Off.* Erue, Domine, animas eorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos tuos resuscitari mereantur. *Verf.* Tuam, Deus piissime pater, deposcimus pietatem, ut eis tribuere digneris placitas & quietas mansiones. *Ad Com.* Audivi vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos.

Item alia.

Antiph. Subvenite, Sancti Dei, succurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. *Pfalm.* Anima ejus in bonis demoretur, & semen ejus hereditet terram. *Resp.* Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. *Verf.* Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. *Off.* Miserere mihi, Deus, secundum. *Verf. I.* Quoniam iniquitatem meam ego. *Verf. II.* Tibi soli peccavi. *Item Off.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. *Verf. I.* In tribulatione mea invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus. *Verf. III.* Impulsus versatus sum ut caderem, & Dominus suscepit me. *Item Off.* Convertere, Domine, & eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam. *Verf. I.* Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. *Verf. II.* Miserere mihi, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. *Ad Comm.* Ego sum resurrectio & vita, dicit Dominus. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.

a Hoc Offic. Gregorianum non esse, sed ab Albino & Stephano Leodiensi compositum satis constat ex Microl. cap. 60. *Pamel.* Extat in Theod. & in Compend. qui videtur esse ejusdem ætatis ac Stephanus Leod.

b In Theoderic. ac post Dominicam ubi fit Offic. de Trinit. notatur adhuc alia Dominica, cui succedunt 5. Dominicæ ante Natale Dom. Postea legitur Missa *in Dedicatione*.

c Quæ hic sequuntur, desunt in ms. Compend.

Appendix ex Manuscripto Compendiensi.

Feria secunda pro peccatis.

Ant. Si iniquitates, *ut sup. Pfalm.* De profundis. *Resp.* Propitius esto. *Verf.* Adjuva nos. *All.* Domine, refugium. *Off.* Sicut in holocaust. *Ad Com.* Amen dico vobis.

Feria tertia de Angelis.

Antiph. Adorate Dominum, omnes Angeli. *Pfal.* Dominus regnavit, exultet. *Resp.* Benedicite Dominum. *Verf.* Benedic anima. *All.* Laudate Deum. *Offert.* In conspectu Angelorum. *Ad Com.* Benedicite omnes Angeli.

Feria quarta de Sapientia.

Antiph. O sapientia. *Pfalm.* & *Resp.* Domine Dominus noster. *Verf.* Quoniam elevata est. *All.* E Quoniam Deus magnus. *Off.* Dominus possedit me. *Ad Com.* O sapientia.

Feria quinta de Caritate.

Antip. Domine Deus Patrum nostrorum. *Resp.* Caritas Dei diffusa est. *Verf.* Caritas non quærit. *Allel.* Caritas Dei. *Off.* Diligamus nos invicem. *Ad Com.* Caritas Dei.

Feria sexta de S. cruce.

Antiph. Nobis autem gloriari. *Pfalm.* Dominus regnavit, decorem. *Resp.* Christus factus est. *Verf.* Propter quod. *Allel.* Dominus regnavit a ligno. *Off.* Deus enim firmavit. *Ad Com.* Nos autem.

Feria septima de Virginibus.

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur. *Pfalm* Eru-

Eructavit. *Resp.* Diffusa est. *Vers.* Propter veritatem. *All.* Specie tua. *Off.* Diffusa est. *Ad Com.* Dilexisti.


Gaude Eia unica Columba speciosa.

Sponsa superno regi consociata. Beata semper Dei genitrix pia Virgo Maria.

a [a] Præclara dies nobis instat quæ temporum affert orbita revoluta. Hæc solemnitas est animæ festivitas nostræ merito veneranda. Celebremos eam lingua vocifera. Decantantes laudes Domino debitas voce clara. Gratulemur in ea corde pio, Dominum rogantes mente pura. Ut delicta nostra tergat manu sua. Quibus expediti cantica psallamus in excelsa. Summa pia gratia nostra conservando corpora custodita. De gente fera Normanica nos libera, quæ nostra vastat Deus regna. Senum jugulat & juvenum ac virginum puerorum quoque catervam. Repelle precamur cuncta a nobis mala. Converte rogamus Domine, supplices nos ad te Rex gloriæ, es qui vera pax salus pia, spes & firma. Dona nobis pacem atque concordiam. Largire nobis spem & integram fidem, simul veram caritatem continuam concede nobis & perfectam. Sanctorum precibus nos adjuvemur ad hæc impetranda. De quorum passione gratulamur gloriosa. Sit laus pax & gloria Trinitati quam maxima cuncta per secula. Amen. [b] b

a Hæc notulis ad cantus modulationem dispositis sunt inscripta, Quæ edenda putavimus, quia inde erui potest tempus scripti codicis, ut diximus in Præfat.

b Postea legitur *Incipiunt Alls*, (id est Alleluias,) *de circulo anni*, sunt autem numero 79. Deinde *Ans* (id est Antiphonas) *in Letania majore. Ans de quacumque tribulatione. Ans de siccitate. Ans de nimia pluvia. De mortalitate. Ans de Tempore belli. Ans. de liberatione. De pœnitentibus*: continent gratiarum actiones pro liberatione. *Ans de natalitiis Sanctorum. Ans ad reliquias deducendas. Ans De passione Domini. Ans de resurrectione.*



OBSER-

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

AD COLLECTIONEM

Responsoriorum, Antiphonarum, Versuum, &c.

CUM *a paucis prævideamus legendam collectionem hanc, quæ notatu digniora in ea nobis occurrerunt hic indicare non pigebit.*

In codice Compendiensi nullum nomen præfert hic liber. Ex Responsoris Responsalis *a* * *quibusdam dicitur. Ab Amalario Fortunato* Antiphonarius, *propter Antiphonas; ut ex ejusdem libro* de ordine Antiphonarii *manifestum est: ob integrum officium Ecclesiasticum, sive cursum tam nocturnum quam diurnum in eo descriptum, nonnulli codicem hunc* Officialem *appellavere. Porro etsi libri hujus multi passim meminerint: nemo tamen veterum Respons. Antiph. &c. complexionem adhuc publici juris fecit. Eam autem in lucem emittendam duximus, & quidem ex vetustissimo codice, licet mendorum non experte, ut esset omnium Liturgicon veluti complementum. Qui hæc conferre voluerit cum hodiernis Antiphonariis, nihil fere de novo invectum in libros nostros Ecclesiasticos observare gratissimum habebit: cum inter certissimas Ecclesiæ* Catholicæ *notas, ea quæ ab antiquitate petitur, non ultimum aut inferiorem locum obtineat.*

*Vide Mabill. de cursu Gal. pag. 398.

Amalar. l. 4 de Eccl. Off. 29. & passim.

Ad cujus Ecclesiæ usum fuerit descriptus codex noster Compendiensis, *obscurum est. Certe quamvis officium de S. Benedicto exhibeat, (quod nonnullis fortasse argumentum erit, Monachos Benedictinos illo usos esse) in numero tamen & distributione Psalmorum, tam pro nocturnis quam pro diurnis horis, & in multis aliis a S. Benedicti Regula non raro recedit. Multorum Sanctorum in Gallia præsertim Belgica celebrium officia propria complectitur, ut Sanctorum Remigii, Vedasti, Medardi, Martyrum Crispini & Crispiniani, Quintini, &c. Unde conjicitur ad alicujus in Galliis Ecclesiæ sacram supellectilem primum pertinuisse. Aliunde vero quæ leguntur in ordine ad Vesperas die sanctissimo Paschæ, exscripta videntur ex Ordine Romano, ut eo loci observavimus. His omnibus trutinatis, existimamus veterem officii divini celebrandi ritum in Ecclesia Romana observatum, ex priorum summorum Pontificum, maxime vero ex S. Gregorii præscripto, hic exhiberi, Gallicanæ cujusdam Ecclesiæ usui accommodatum, accersitis propriis officiis Sanctorum, quorum præsertim in Galliis celebris est memoria.*

Hoc in libro, non solum majoribus solemnitatibus proprii Psalmi, tum in nocturnis tum in matutinis & vespertinis horis assignantur; sed etiam ubi officium præscribitur de Communi sive Apostolorum, sive Martyrum, aut Confessorum, &c. omissis Psalmis de Feria, præscribuntur alii qui præmissis Antiphonis conveniunt, uti etiam nunc in Ecclesia Romana usitatum.

Quemadmodum in libro Sacramentorum assignantur orationes nonnullæ ad crucem, ad fontes; *ita etiam hæc in collectione indicantur Antiphonæ* ad crucem, *vel* ad fontes, *pro octava Theophaniæ: forte quod in Theophania Baptismi Christi memoria celebraretur, & baptismum solemniter daretur.*

In officio Purificationis, quod integrum est de Sanctissima Virgine, observatione dignum Responsorium hoc: Gaude, Maria; cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis, &c.

In Dominica V. Quadragesimæ de Passione, *jam tum nuncupata, Versus isti:* Eripe me ab homine malo. Eripe me de inimicis meis. Erue a framea. De ore leonis, *appellantur* Versi declinatorii. *Multi alii alibi occurrunt, ut in sanctissimo Paschæ die, cum eodem titulo. Cur vero ita dicantur, nondum assequi potuimus, nisi ex mera conjectura; quam timide proferimus, donec certi aliquid nobis suppetat. Hi versus omnino discrepant ab illis qui in Responsoriis inseruntur; idque habent singulare quod Psalmodiam seu Psalmorum cantum claudant. Quando vero canuntur, facies ad altare convertitur, quem ritum observat Amalarius. Itaque dici potuerunt hi versus* declinatorii, *tum propter inclinationem seu conversionem vultus, & totius corporis ad Orientem aut altare; tum propter Psalmodiæ finem quem indicant: quæ enim vergunt, ea declinare dicuntur.*

In Dominica Palmarum Versus Gloria, laus, & honor, &c. *minime leguntur.*

In Ordine ad Vesperas diei Paschæ legitur: Et tunc vadunt ad S. Johannem ad Vestem; *cui loco illustrando adhibuimus conjecturam Doctissimi Mabill. in notis ad* 1. *Ordinem*

Romanum

Romanum tomo 2. *Musei Ital. pag.* 37. *Aliam hic accipe. Lib.* 3. *Epist.* 3. *S. Gregorius jubet ad se transmitti tunicam S. Johannis, quæ penes quemdam Episcopum erat. Eam, ut optaverat, Romam delatam, & sub altari S. Johannis in basilica Constantiana collocatam narrat Johannes Diaconus lib.* 3. *Vitæ Sancti Greg. cap.* 57. *ac seq.* Quæ quidem vestes, *inquit Johannes*, usque hactenus tantis miraculis coruscare probantur, &c. *Ab hac fortasse sacra tunica, basilica S. Johannis, in qua asservabatur, dicta est*, S. Johannes ad Vestem.

Tom. 1 hist. Ec. in Notis. pag. 640. *Non me latet Johannis Diac. testimonium a Doctissimo Tillemontio reprobari, tamquam ipsi Gregorio contrarium. Verum id minime probat.*

Post officium Ascensionis & Pentecostes legitur: Añs in matutinis de S. Germano. *De Antissiodorensi, an de Parisiensi, aut de alio quopiam Germano id sit intelligendum non liquido constat. Circa id tempus, nimirum Maii die* 28. *celebratur natal. S. Germani Parisiensis Antistitis. De hoc Festo in codice Compendiensi agi vero propius videtur.*

In officio de S. Petro, Responsorium ultimum secundi nocturni prætereundum non est: Tu es Pastor ovium, Princeps Apostolorum: tibi tradidit Deus omnia regna mundi; & ideo tibi traditæ sunt claves regni cælorum.

Amplissimum est, & ex solemnioribus officium de S. Hippolyto martyre die 13. *Augusti.*


Quæ canuntur in festo SS. Dionysii & Sociorum martyrum Antiphonæ & Responsoria, omnia desumuntur ex eorum actis, in quibus S. Dionysius a S. Clemente Petri Apostoli Successore missus traditur.

In nostro codice legitur Officium de S. Andrea ex ejusdem actis consarcinatum, quale fere nunc etiam in Breviario Romano habetur.

In festo S. Thomæ Apostoli, ejus prædicationis & martyrii apud Indos fit mentio.

Inter Responsoria hic collecta quædam inscribuntur de auctoritate. *Quid hoc significet explicare conatur Amalarius, lib. de ord. Antiphonarii c.* 53. *At difficultatem tangit, non tollit, imo vix tantisper elevat. De re autem ita obscura silere malumus quam temere opinari.*

Multa alia observatione non indigna in brevibus notis calci columnarum inscriptis offendes, quæ ideo hic repetenda & retractanda non credimus.



SAN-

SANCTI GREGORII PAPÆ LIBER RESPONSALIS SIVE ANTIPHONARIUS.

a **In Nomine Domini Jesu Christi.**

Ex codice Compend. nono sæculo exeunte, descripto; cui S. Gregorii Papæ nomen præfigitur

b **Incipiunt** [b] **Responsoria, sive Antiphonæ per anni circulum.**

In Vigilia Dominicæ I. de Adventum Domini. Ad Vesperas.

ANTIPH. Ecce nomen Domini venit de longinquo, & claritas ejus replet orbem terrarum

Ad Invitatorium.

Antiph. Ecce venit Rex, occurramus obviam Salvatori nostro. *Item Antiph.* Regem venturum Dominum, venite adoremus. *Ant.* Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu sancto, alleluia. *Ant.* Jerusalem, respice ad Orientem, & vide, alleluia.

Feria tertia.

Antiph. Antequam convenirent, inventa est Maria habens in utero de Spiritu sancto, allel. *Ant.* Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est, alleluia.

Feria quarta.

Antiph. De Sion exivit lex, & Verbum Domini de Jerusalem. *Ant.* Veniet fortior post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.

Feria quinta.

Antiph. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. *Ant.* Expectabo Dominum Salvatorem meum, & præstolabor eum, dum prope est, alleluia.

Feria sexta.

Antiph. Ecce veniet Deus, & homo de domo David sedere in throno, allel. *Ant.* Ex Ægypto vocavi filium meum; veniet ut salvet populum suum.

Sabbato.

Antiph. Sion, noli timere, ecce Deus tuus veniet,

A alleluia. *Ant.* Ecce in nubibus cæli filius hominis veniet, alleluia. *Ant.* Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & videbit omnis caro Salutare Dei. *Ant.* Veni, Domine, visitare nos in pace; ut lætemur coram te corde perfecto. *Ant.* Leva, Jerusalem, oculos, & vide potentiam Regis. Ecce Salvator venit solvere te a vinculo. *Ant.* Gaude & lætare Jerusalem, quia Rex tuus venit tibi, de quo Prophetæ prædixerunt, Angeli adoraverunt; quem Cherubim & Seraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant.

B

Resp. in Dominica secunda.

[c] *Resp.* Jerusalem, cito veniet salus tua: quare mœrore consumeris? Numquid consiliarius non est tibi, quia [d] innovabit te dolor. Salvabo te, & liberabo te, noli timere. *Vers.* Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum; ego enim Dominus. Salvabo te, &c. *Resp.* Ecce Dominus veniet, & omnes Sancti ejus cum eo: & erit in die illa lux magna. Et exibunt de Jerusalem, sicut aqua munda; & regnavit Dominus in æternum super omnes gentes. *Vers.* A solis ortu & occasu, ab aquilone & mari. Et regnavit. *Resp.* Docebit nos Dominus vias suas, & ambulavimus in semitis ejus: quia de Sion exivit lex,
C & Verbum Domini de Jerusalem. *Vers.* Ex Sion species decoris ejus; Deus noster manifeste veniet. Quia de Sion. *Resp.* Jerusalem, surge & sta in excelso; & dic jocunditatem quæ veniet tibi a Deo tuo. *Vers.* Leva in circuitu oculos tuos, & vide & contemplare. *Vers.* Civitas Jerusalem, noli flere; quoniam doluit Dominus super te, & auferet a te omnem tribulationem. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Et auferet. *Resp.* Ecce Dominus veniet, protector noster, Sanctus Israel, coronam regni habens in capite suo. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Coronam. *Resp.* Sicut mater consolatur filios
D suos, ita consolabor vos, dicit Dominus: & de Jerusa-

a Hæc scripta sunt litteris uncialibus aureis in area purpurea, & rubris in area alba.
b Hinc *liber Responsalis* appellatur codex ea continens.
c Sunt Responsoria quæ cantantur post lectiones Nocturnorum.
d Pro *innovavit*, sicuti in alio Respons. *regnavit* pro *regnabit*, usurpato *v.* pro *b.* & vice versa. Consule Scholia Angeli Roccæ in Librum Sacram. col. 61 a. A.

rusalem civitatem quam elegi, veniet vobis auxilium; videbitis & gaudebit cor vestrum. *Vers.* Deus a Libano veniet, & Sanctus. *Resp.* Jerusalem, plantabis vineam in montibus tuis & exaltabis, quia dies Domini veniet. Surge, Sion, convertere a Deo tuo, gaude & lætare, Jacob, quia de medio gentium Salvator tuus veniet. *Vers.* Deus a Libano veniet, & sanctus de monte umbroso & condenso. Gaude. *Resp.* Egredietur Dominus de Samaria, a porta quæ respicit ad Orientem, & veniet in Bethlehem ambulans super aquas redemtionis Judæ. Tunc salvus erit omnis homo, quia ecce veniet. *Vers.* Deus a Libano veniet, Tunc. *Resp.* Rex noster adveniens Christus, quem Johannes prædicavit agnum esse venturum. *Vers.* Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quem Johannes.

In Matutinis Laudibus.

Antiph. Ecce in nubibus cæli Dominus veniet cum potestate magna, all. *Ant.* Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas quia nobiscum Deus, allel. *Ant.* Ecce apparebit Dominus, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniet & non tardabit, all. *Ant.* Montes & colles cantabunt coram Deo laudem, & omnia ligna silvarum plaudent manibus, quoniam veniet Dominus, dominator in regnum æternum, alleluia, alleluia.

a *In Evangelio.*

Antiph. Super solium David, & super regnum ejus sedebit in æternum, alleluia. *Antiph.* Beata es Maria quæ credidisti: perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino, alleluia.

Feria secunda.

Antiph. De cælo veniet dominator Dominus, & in manu ejus honor, & imperium. *Ant.* Ecce Rex venit Dominus terræ, & ipse auferet jugum captivitatis nostræ. *Ant.* Ego baptizavi vos aqua; ille baptizabit vos Spiritu sancto, allel.

Feria tertia.

Antiph. Super te, Jerusalem, orietur Dominus; & gloria ejus in te videbitur. *Ant.* Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.

Feria quarta.

Antiph. Ecce mitto Angelum meum, qui præparavit viam tuam ante faciem tuam. *Ant.* Sion, renovaberis & videbis justum tuum, qui venturus est in te. *Ant.* Rex noster adveniet Christus, quem Johannes prædicavit agnum esse futurum.

Feria quinta.

Antiph. Tu es qui venturus es, Domine, quem expectavimus; ut salvum facias populum tuum. *Ant.* Qui post me venit, ante me factus est; cujus non sum dignus calceamenta solvere. *Ant.* Juxta est salus mea, ut veniat; & justitia mea, ut reveletur, dicit Dominus.

Feria sexta.

Antiph. Dicite, pusillanimes, confortamini, ecce. Dominus Deus noster veniet. *Ant.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ.

Sabbato.

Antiph. Levavit Dominus signum in nationibus, & congregavit dispersos Israel. *Ant.* Ante me non est formatus Deus, & post me non erit: quia mihi curvabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua.

Responsoria in Dominica tertia de Adventu.

Resp. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, & cum eo Sanctorum millia. Et habens in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum & Dominus dominantium. *Vers.* Ecce dominator Dominus cum virtute veniet. Et habens. *Resp.* Bethlehem civitas Dei summi, ex te exiet dominator Israel, & egressus ejus, sicut a principio dierum æternitatis. Et magnificabitur in medio universæ terræ. Et pax erit in terra nostra dum venerit. *Vers.* Deus a Libano. Et egressus. *Resp.* Qui venturus est veniet & non tardabit. Jam non erit timor in finibus nostris; quoniam ipse est Salvator noster. *Vers.* Ex Sion species decoris ejus, Deus noster manifeste veniet. Quoniam ipse est. *Resp.* Suscipe Verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est. Concipies per autem Dominum pariter & hominem, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. *Vers.* Ave, Maria, gratia plena; Dominus tecum. Ut benedicta. *Resp.* Ægypte, noli flere, quia dominator tuus veniet tibi; ante cujus conspectum movebuntur abyssi: liberare populum tuum de manu potentis. *Vers.* Ecce Dominus. *Resp.* Prope est ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur: miserebitur Dominus Jacob, & Israel salvabitur. *Vers.* Qui venturus est veniet & non tardabit. Jam non erit timor in finibus nostris. *Resp.* Descendit Dominus sicut pluvia in vellus; orietur in diebus ejus, justitia & abundantia pacis. *Vers.* A solis ortu & occasu. Orietur. *Resp.* Veni, Domine, & noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ, & revoca dispersos in terram suam. *Vers.* A solis ortu. Et revoca. *Vers.* Ecce Dominus. *Resp.* Ecce radix Jesse, ascendit in salutem populorum; ipsum gentes deprecabuntur: & erit nomen ejus gloriosum. *Vers.* Deus a Libano veniet. Et erit. *Resp.* Docebit vos Dominus vias suas, * & amabulavit vos in semitis ejus, quia de Sion exivit lex, & Verbum Domini de Jerusalem. *Vers.* Ex Sion species. Et Verbum.

* *Forte & ambulabimus. In multis aliis locis corruptus est hic codex, crassa forsitan scriptoris inscitia.*

In Matutinis Laudibus.

Antiph. Veniet Dominus, & non tardabit. Et illuminat abscondita tenebrarum, & manifestabit se ad omnes gentes, alleluia. *Ant.* Jerusalem, gaude gaudio magno; quia veniet tibi Salvator, alleluia. *Ant.* Dabo in Sion salutem, & in Jerusalem gloria mea, alleluja. *Ant.* Montes & colles humiliabuntur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Veni, Domine, & noli tardare, alleluia. *Ant.* Juste & pie vivamus, expectantes beatam spem & adventum Domini. *In Evangel. Antiph.* Johannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? *Ant.* Ite, dicite Johanni, cæci vident, surdi audiunt, claudi curantur, leprosi mundantur. *Ant.* Tu es qui venturus es, an alium expectamus: Dicite Johanni.

a Sic designantur Antiphonæ quæ dicuntur ante *Benedictus*, quod illud canticum ex Evangelio sit sumptum. Idem dicendum de Antiph. quæ præmittitur Cantico, *Magnificat*.

ni quæ vidistis: ad lumen redeunt cæci, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, alleluia.

Feria secunda.

Antiph. Dicit Dominus, pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum, alleluia. *Ant.* Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Dominus.

Feria quarta.

Antiph. Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini. *Ant.* Elevare, elevare, consurge Jerusalem; solve vincula colli tui, captiva filia Sion.

Feria quinta.

Antiph. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & videbit omnis caro Salutare Dei. *Ant.* Ponam in Sion salutem, & in Jerusalem gloria mea, alleluia. *Ant.* Ponent Domino gloriam, & laudem ejus in insulis nuntiabunt: quia ecce veniet & non tardabit. *Ant.* Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. *Ant.* Lætamini cum Jerusalem, & exultate in ea, omnes qui diligitis eam in æternum. *Ant.* Docebit nos de viis suis Dominus, & ambulabimus in semitis ejus.

Feria sexta.

Antiph. Dies Domini sicut fur ita in nocte veniet, & vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. *Ant.* Quomodo fiet istud, Angelus Dei, quia virum in concipiendo non pertuli?

Sabbato.

Antiph. Audisti Maria Virgo, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Ant.* Hoc est testimonium quod perhibuit Johannes: Qui post me venit, ante me factus est. *Ant.* Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. *Ant.* Dabit ei Dominus Sedem David Patris sui, & regnabit in æternum. *Ant.* Ecce Virgo concipiet & pariet filium; & vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Ant* Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, Dominus enim prope est. *Ant.* Venite, ascendamus ad montem Domini, quia de Sion exivit lex, & verbum Domini de Jerusalem,

Resp. in Dominica quarta.

Resp. Canite tuba in Sion; vocate gentes, annuntiate populis, & dicite: Ecce Deus Salvator noster adveniet. *Vers.* A solis ortu & occasu. Salvator. *Resp.* Octava-decima die decimi mensis jejunabitis, dicit Dominus, & mittam vobis Salvatorem & propugnatorem pro vobis, qui vos præcedat, & introducat in terra quam juravi patribus vestris. *Vers.* Ego sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. *Resp.* Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. *Vers.* Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores. Et ipse. *Resp.* Me oportet minui, illum autem crescere. Qui post me venit, ante me factus est; cujus non sum dignus corrigiam calciamenti ejus solvere. *Vers.* Hoc est testimonium quod perhibuit Johannes. Qui. *Resp.* Ecce jam venit plenitudo * temporum, in quo misit Deus filium suum in terris natum de Virgine, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redi-

* tempus

A meret. *Vers.* Prope est ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. Ut eos. *Resp.* Virgo Israel revertere in civitatibus tuis. Usquequo dolens averteris? Generabis Dominum Salvatorem oblationem novam in terra. Ambulabunt homines in salvatione. *Vers.* A solis ortu. Ambulabunt. *Resp.* Juravi, dicit Dominus, * ut ultra jam irascar super terram. Montes & colles suscipiant justitiam meam. Ecce firmamentum pacis erit in Jerusalem. *Vers.* A Solis ortu. Suscipiant. *Resp.* Non discedimus a te, vivificabis nos, Domine, & nomen tuum invocabimus. Ostende faciem tuam, & salvi erimus. *Vers.* Domine Deus virtutum, converte nos. Ostende. *Resp.* Intuemini quantus sit iste qui B ingreditur ad salvandas gentes: ipse est sol justitiæ, cujus generatio non habet finem. *Vers.* Ecce * dominabuntur a mari usque ad mare. Cujus generatio.

* Ne

* dominabitur.

In Matutinis Laudibus.

Antiph. Canite tuba in Sion, quia prope est dies Domini. Ecce veniet ad salvandum nos, alleluia, alleluia. *Ant.* Ecce veniet desideratus cunctis gentibus, & replebitur gloria domus Domini, alleluia. *Antiph.* Erunt prava in directa & aspera in vias planas. Veni, Domine, & noli tardare, alleluia. *Ant.* Dominus veniet, occurrite illi, dicentes: magnum C principium & regni ejus non erit finis; Deus fortis, dominator, Princeps pacis, alleluia, alleluia. *Ant.* Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit, Alleluia. *Ant.* Exulta satis, filia Sion, quia ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator, alleluia. *Ant.* Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.

In Evangelio.

Antiph. Ecce Deus noster, expectamus eum, & salvabit nos, alleluia. *Ant.* Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus alleluia. *Ant.* Ex quo facta est vox salutationis tuæ D in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo, alleluia. *Ant.* Estote parati, similes hominibus expectantibus Dominum, quando revertatur ad nuptias.

Responsoria infra eamdem Hebdom.

Resp. Clama in fortitudine, qui annuntias pacem; dic civitatibus Judæ & habitatoribus Sion: ecce Deus noster quem expectabamus adveniet. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Quem. *Resp.* Orietur stella ex Jacob, & exurget homo de Israel; & confringet omnes duces alienigenarum. Et erit omnis terra possessio ejus. *Vers.* A solis ortu. *Resp.* E Egredietur Dominus, & prælliabitur contra gentes, & stabunt pedes ejus supra montes olivarum ad Orientem. *Vers.* Ex Sion species decoris. Et stabunt. *Resp.* Præcursor pro nobis ingreditur * ahnum sine macula secundum ordinem Melchisedech, Pontifex factus est in æternum, & in seculum seculi. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Pontifex. *Resp.* Videbunt gentes justum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum. Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Quod os. *Resp.* Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion. *Vers.* Ex Sion species. De petra. *Resp.* Germinaverunt campi eremi, germen odoris Israel; quia ecce Deus noster cum virtute ve-

* Agnus.

niet, splendor ejus cum eo, *Vers.* Ecce dominator. *Resp.* Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem. *Vers.* Emitte agnum, Domine. *Resp.* Veniet nobis salus a Domino gloriæ, & conteret jugum grave, & solvet vincula peccatorum nostrorum, quia potens est. *Vers.* Ecce dominator. *Resp.* Egredietur Dominus de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. *Vers.* Ex Sion species. Et erit. *Resp.* Paratus esto, Israel, in occursum Domini: quoniam venit firmans montes, & creans Spiritus & annuntians in hominibus Christum esse venturum, *Vers.* Ecce dominator. *Resp.* B Annuntiatum est per Gabriel Archangelum ad Mariam Virginem: * de introitum Regis. Et ingressus est per splendidam regionem, aurem virginis, visitare palatium uteri: & regressus est per auream virginis portam. *Ant.* Ave Maria. Et. *Resp.* Radix Jesse qui exurgat judicare gentes; in eum gentes sperabunt, & erit nomen ejus gloriosum. *Vers.* Ex Sion species.

* De introitu Regis.

Antiphonæ de Feria secunda in matutinis.

Antiph. Ecce veniet Dominus Princeps Regum C terræ: beati qui parati sunt occurrere illi. *Antiph.* Dum venerit filius hominis, putas inveniet fidem super terram? *Ant.* Ecce jam venit plenitudo temporis in quo misit Deus filium suum in terris. *Ant.* Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Ant.* Egredietur Dominus de loco sancto suo; veniet * & salvet populum suum.

* Et.

In Evangelio.

Antiph. Egredietur virga de radice Jesse, & replebitur omnis terra gloria Domini, & videbit omnis caro Salutare Dei. *Ant.* Ecce Dominus no- D ster cum virtute veniet, & ipse conteret jugum captivitatis nostræ. *Ant.* Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite vias Dei nostri.

Feria tertia in Matutinis.

Antiph. Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem. *Antiph.* Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti, a monte filiæ Sion. *Ant.* Ut cognoscamus, Domine, in terra viam tuam; in omnibus gentibus Salutare tuum. *Ant.* Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur. *Ant.* Lex per Moysen data est, E & veritas per Jesum Christum facta est.

In Evangelio.

Antiph. Vocabitur nomen ejus, Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. *Ant.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Ant.* Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. *Ant.* Tu, Bethlehem terra Juda, non eris minima inter Principes Juda. Ex te enim exiet qui regat populum meum Israel.

Feria quarta in Matutinis Laudibus.

* Noli timere: quinta enim die veniet ad vos F Dominus noster. *Ant.* Prophetæ prædicaverunt, nasci Salvatorem de Virgine Maria. *Ant.* Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me. *Ant.* Ecce veniet Dominus, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. *Ant.* Annuntiate populis & dicite: Ecce Deus Salvator noster A veniet. *Ant.* Propter Sion non tacebo, donec egrediatur, ut splendor justus ejus.

In Evangelio.

Antiph. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph. *Ant.* Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, alleluia.

Feria quinta in Matutinis.

B *Antiph.* De Sion veniet Dominus omnipotens; ut salvum faciat populum suum. *Ant.* Convertere, Domine, aliquantulum, & ne * tardas venire ad servos tuos. *Ant.* De Sion veniet qui regnaturus est Dominus Emmanuel, magnum nomen ejus. *Ant.* Ecce Dominus meus, & honorabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum. *Ant.* Dominus legifer noster, Deus Rex noster, ipse veniet & salvabit nos.

* Tarda, vel tardes.

In Evangelio.

Antiph. Veniet Dominus in potestate magna, & C videbit eum omnis caro. *Ant.* Dicite, pusillanimes confortamini. *Ant.* Estote parati, similes hominibus expectantibus Dominum, quando revertatur ad nuptias. *Ant.* Vigilate animo; in proximo est Dominus Deus noster. *Ant.* Veniet iterum Angelus tuus, & docebit nos vias tuas, Domine. *Ant.* Intuemini quantus sit iste gloriosus, qui ingreditur ad salvandos populos.

Feria sexta in Matutinis.

Antiph. Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos *Ant.* Ad te, Domine, levavi animam meam: veni, & eripe me, Domine, ad te D confugi. *Ant.* Veni, Domine, & noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ Israel. *Ant.* Deus a Libano veniet, & splendor ejus sicut lumen erit. *Ant.* Ego autem ad Dominum aspiciam, & expectabo Dominum Salvatorem meum. *Ant.* Completi sunt dies Mariæ, ut pareret filium suum primogenitum. *Ant.* Ecce completa sunt omnia, quæ dicta sunt per Angelum de Virgine Maria.

Antiph. Majores in Evangelio.

Antiph. O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem fortiter, suaviter, disponensque omnia: veni ad docendum nos E viam prudentiæ. *Ant.* O Adonai, dux domus Israel, qui Moisi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti: veni ad redimendum nos in brachio extento. *Ant.* O radix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem Reges continebunt os suum, quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos, jam noli tardare. *Ant.* O clavis David, & sceptrum domus Israel, qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit: veni & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris, & umbra mortis. *Ant.* O Oriens splendor lucis æternæ, & Sol justitiæ, veni & illumina sedentem in tenebris & umbra mortis. *Ant.* O Rex F gentium, & desideratus earum, lapisque angularis, qui facis utraque unum: veni, salva hominem quem de limo formasti. *Ant.* O Emmanuel Rex & legifer noster, expectatio gentium, & Salvator earum, veni ad salvandum nos, Dominus Deus noster. *Ant.* O Virgo Virginum, quomodo fiet istud, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem?

tem? Filiæ Jerusalem, quid admiramini? Divinum mysterium hoc quod cernitis. *Ant.* Orietur sicut sol Salvator mundi, & descendet in utero Virginis sicut imber super gramen, alleluia.

Versi Declinatorii.

Vers. Ex Sion species. *Vers.* Egredietur Dominus. *Vers.* Egredietur virga. *Vers.* Constantes estote. *Vers.* Ostende nobis, Domine. *Vers.* Rorate cæli desuper. *Vers.* Emitte Agnum, Domine. *Vers.* Super te, Jerusalem. *Vers.* Excita, Domine. *Vers.* Hodie scietis. *Vers.* Crastina die delebitur. *Vers.* Crastina erit vobis.

Resp. de Vigilia ante Natale Domini.

Resp. Sanctificamini hodie, & estote parati: quia die crastina, videbitis majestatem Dei in vobis. *Vers.* Hodie scietis quia veniet Dominus, &
B
mane videbitis gloriam Dei. Majestatem. *Resp.* Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos, Judæa & Jerusalem, nolite timere: cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum. *Vers.* Vos qui in pulvere estis, expergiscimini & laudate: ecce Dominus veniet cum salute. Cras. *Resp.* Die illa occulta habitationis suæ egressus est filius Dei; descendit visitare & consolare omnes, qui eum de toto corde desiderabant. *Vers.* Ex Sion species. Descendit. *Resp.* Sanctificamini, filii Israel, dicit Dominus, in die enim crastina descendet Dominus, & auferet a vobis omnem languorem. *Vers.* Ecce Do-
C
minus veniet, * & salvos nos faciat & illuminat abscondita tenebrarum. Et auferet.

* ut.

In Matutinis.

Ant. Judæa & Jerusalem, nolite timere: cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum, alleluia. *Ant.* Hodie scietis quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam ejus. *Ant.* Crastina die delebitur iniquitas terræ, & regnabit super nos Salvator mundi. *Ant.* Expectetur sicut pluvia eloquium Domini, & descendit super nos sicut ros, Deus noster. *Ant.* Crastina erit vobis salus, dicit Dominus exercituum. *Ant.* Magnificatus est, cujus vultum desiderat universa terra. *Ant.* Magnificatus est Rex
D
pacificus super omnes Reges universæ terræ.

In Evangelio.

Antiph. Orietur Sol, *ut supra.* *Ant.* Scitote quia prope est regnum Dei: amen dico vobis, quia non tardabit. *Ant.* Levate capita vestra, ecce appropinquavit redemtio vestra. *Ant.* Dum ortus fuerit Sol de cælo, videbitis Regem Regum procedentem a Patre tamquam sponsus de thalamo suo.

In Vigilia Natal. Domini ad Vesp.

Vers. Tamquam sponsus. *Ant.* Dum ortus, *ut*
E
supra. *Ad Invitator.* *Ant.* Christus natus est nobis. Venite. *Ant.* Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. *Psalm.* Quare fremuerunt gentes? Tamquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo. *Psal.* Cæli enarrant gloriam. *Ant.* Diffusa est gratia.[a] *Psal.* Eructavit. *Vers.* Tamquam sponsus.

Resp. ut supra.

Resp. Hodie nobis cælorum Rex de Virgine
A
nasci dignatus est, ut hominem perditum ad regna cælestia revocaret. Gaudet exercitus Angelorum, quia salus æterna humano generi apparuit. *Vers.* Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gaudet. *Resp.* Hodie nobis de cælo pax vera descendit, hodie per totum mundum melliflui facti sunt cæli. *Vers.* Gloria in excelsis Deo. Hodie per. *Resp.* Descendit de cælis missus ab arce Patris. Introivit per aurem Virginis in regionem nostram, indutus stolam purpuream. Et exivit per auream portam lux & decus universæ fabricæ mundi. *Vers.* Tamquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo. Indutus.

In secundo Nocturno.

Ant. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam
B
in medio templi tui. *Psal.* Magnus Dominus. *Ant.* Orietur in diebus Domini abundantia pacis, & dominabitur. *Psal.* Deus, judicium tuum Regi da. *Ant.* Veritas de terra orta est, & justitia de cælo prospexit. *Psal.* Benedixisti, Domine. *Vers.* Diffusa est gratia.

Resp. unde supra.

Resp. Quem vidistis, pastores, dicite? Annuntiate nobis in terris quis apparuit? Natum vidimus in choro Angelorum Salvatorem Dominum. *Vers.* Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Natum. *Resp.* O magnum mysterium, & admirabile sa-
C
cramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio. Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Christum Dominum. *Vers.* Domine, audivi auditum tuum & timui: consideravi opera tua, & expavi in medio duorum animalium. Jacentem. *Resp.* Beata Dei genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent. Hodie genuit Salvatorem seculi. *Vers.* Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Hodie.

In tertio Nocturno.

Ant. Ipse invocabit me, alleluia. Pater meus es tu, alleluia, alleluia. *Psal.* Misericordias Domini in æternum. *Ant.* Lætentur cæli, & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit. *Psal.*
D
Cantate Domino. *Ant.* Notum fecit Dominus, alleluia, Salutare suum, alleluia, alleluia. *Psal.* Cantate 2. *Vers.* Ipse invocavit me. *Resp.* Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus referam nescio: quia quem cæli capere non poterant, tuis gremiis contulisti. *Vers.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem. *Resp.* Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, & beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum: quia hodie pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est. *Vers.* Ave Maria. Quia hodie. *Resp.* Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ecce de quo dicebam
E
vobis: qui post me venit ante me factus, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. *Vers.* Hoc est testimonium quod perhibuit Johannes. *Resp.* Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, alleluia. *Resp.* Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo,

a Tres tantum Psalmi pro singulis Nocturnis assignati probant codicem Compendiensem non ita scriptum ad usum alicujus Monasterii, ubi Regula S. Benedicti servaretur: cum juxta Regulam hanc in singulis nocturnis sex Psalmi cani debeant. Cursum seu officium hic præscribi juxta ritum Ecclesiæ Romanæ, suadere videtur conformitas cum Ordine Rom. quæ infra probatur in Officio Paschæ.

& de meis visceribus genui Deum & hominem. A *Vers.* Beatam me dicent omnes generationes. Quia. *Vers.* Casta parentis viscera, cælestis intrat gratia, venter puellæ bajulat, secreta quæ non noverat. *Resp.* Beata & venerabilis Virgo, quæ sine tactu pudoris, mater inventa est Salvatoris. Jacebat in præsepio & fulgebat in cælo. *Vers.* Domine, audivi auditum tuum & expavi. Jacebat. *Resp.* Continet in gremium cælum terramque regentem. Virgo Dei genitrix: proceres comitantur heredem, per quos orbis ovans Christo sub principe pollens. *Vers.* Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Per quem. *Resp.* Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo narrante concepit, * reforma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: & benedicta in B æternum Deum nobis protulit & hominem. *Vers.* Domus pudici pectoris temdlum repente fit Dei, intacta nesciens virum, Virgo concepit Filium. Deum. *Resp.* Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore. Salvatorem seculorum, ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat * ubera de cælo plena. *Vers.* Ave Maria. *Vers.* Beata viscera. *Resp.* O Regem cæli cui talia famulantur obsequia! Stabulo ponitur qui continet mundum; jacet in præsepio & in cælis regnat. *Vers.* Domine, audivi auditum tuum, & timui. Consideravi opera tua, & expavi: in medio duorum animalium. Jacentem. *Resp.* In Patre manet æternitas, quia non peribit in C matre virginitas; & per intactum corpus egressus, qui in salutem omnium natus est, invisibilis non dedignatus est carne nasci. Non dereliquit imperium. *Vers.* Tamquam sponsus Dominus. Non. *Resp.* Te laudant Angeli, sancta Dei genitrix, quæ virum non cognovisti, & Dominum in tuo utero bajulasti. Concepisti per aurem Dominum nostrum, ut benedicta dicaris iter omnes mulieres. *Vers.* Ipsum genuisti, quem in præsepe posuisti, quem adorat multitudo Angelorum. Ut benedicta. *Resp.* Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis. *Vers.* Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et vidimus. *Resp.* Hodie Dominus ex utero Virginis nasci dignatus est, in quem regnandus egressus est ut nos redimeret. *Vers.* Hodie seculorum Rex de Virgine natus apparuit. In quem. *Resp.* Hic est dies, in quo ad salvanda omnia lux orta est mundo, de qua nuntiante Angelo impletum est utero Virginis. Natus est nobis Salvator omni populo, quem Regis gentium Prophetæ attestati sunt. *Vers.* Natus est nobis. *ut supra*. *Resp.* Hic qui advenit nemo scit naturam ejus, nisi ipse solus. Vocatur Verbum Domini, habens vestem præclaram: & omnis chorus Angelorum in albis sequuntur eum. *Vers.* Tamquam sponsus. Et omnis. *Item Vers.* Ecce advenit dominator Dominus; & regnum in manu ejus, & potestas, & imperium. Habens. *Resp.* Ecce advenit dominator Dominus sempiternus, & regnum in manu ejus, & potestas, & imperium. *Vers.* Et factus est principatus super humerum ejus. E Et regnum.

* Speciosus forma.

* Ubere pleno.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Quem vidistis Pastores dicite; annuntiate nobis in terris, quis apparuit. Natum vidimus in choro Angelorum Salvatorem Dominum, alleluia, alleluia. *Ant.* Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum, & gaudia Matris habens cum virginitate pudoris, nec prima similem visa est, nec habere sequentem, alleluia. *Ant.* Facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus laudantium & dicentium: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia. *Ant.* Angelus ad Pastores ita: Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est nobis hodie Salvator mundi, alleluia. *Ant.* Parvulus filius hodie natus est nobis, & vocabitur Deus fortis, alleluja, alleluia. *Vers.* Benedictus qui venit.

In Evangelio.

Antiph. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia, alleluia. *Ant.* Ecce advenit dominator Dominus; & regnum in manu ejus, & potestas, & imperium, alleluia, alleluia. *Ant.* Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter ageret, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit, alleluia. *Ant.* Virgo verbo concepit. *Ant.* Nesciens Mater Virgo. *Ant.* Beatus venter qui te portavit, Christe; & beata ubera quæ te lactaverunt Dominum & Salvatorem mundi, alleluia. *Ant.* Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis. Alleluia, alleluia, alleluia. *Ant.* Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. *Ant.* Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Vera fide genitus purgavit crimina mundi, & tibi virginitas inviolata manet. *Ant.* Ecce de quo Johannes dixit: Christus natus est in Israel, & regni ejus non erit finis. *Ant.* Beata mater, & innupta Virgo gloriosa Regina mundi.

Ad Tertiam.

Antiph. Verbum caro factum est, alleluia, alleluia. *Vers.* Et habitavit in nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Ipse invocavit me.

Ad Sextam.

Resp. Notum fecit Dominus, alleluia, alleluia. *Vers.* Salutare suum, alleluia, alleluia. *Vers.* Verbum caro factum est.

Ad Nonam.

Resp. Revelabitur gloria Domini, alleluia, alleluia. *Vers.* Et videbit omnis caro Salutare Dei nostri, alleluia, alleluia. *Vers.* Notum fecit.

In die ad Vesp.

Antiph. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum. Ex utero ante luciferum genui te. [a] *Psalm.* Dixit Dominus. *Ant.* Redemtionem misit Dominus, * populum suum. Mandavit in æternum testamentum suum. *Psalm.* Confitebor tibi, Domine. *Ant.* Exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors & miserator & justus Dominus. *Psalm.* Beatus vir. *Ant.* Apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemtio. *Psal.* De profundis. *Ant.* De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Psalm.* Memento. *Vers.* Verbum caro factum est.

* populo suo.

In Evang. Antiph.

Antiph. Lux orta est super nos, quia hodie natus

a Ex illorum Psalmorum assignatione constat in majoribus saltem solemnitatibus alios olim Psalmos quam feriales, fuisse cantatos.

tus est Salvator, alleluia. *Ant.* Virgo hodie fidelis, A etsi verbum genuit incarnatum, Virgo mansit & post partum, quem laudantes omnes dicimus: Benedicta tu in mulieribus. *Ant.* Gaudeamus omnes fideles: Salvator noster natus est in mundo. Hodie processit * proli magnifici germinis, et perseverat pudor virginitatis, alleluia. *Ant.* Hodie Christus natus est. *Ant.* Hodie intacta. *Ant.* Magnum nomen Domini.

* Id est, prolis.

Ad Tertiam.

Resp. Puer natus est nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Et filius datus est nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Tecum principium.

Ad Sextam.

Resp. Verbum caro factum est, alleluia, alleluia. *Vers.* Et habitavit in nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Verbum caro factum est.

Ad Nonam.

Resp. Notum fecit Dominus, alleluia, alleluia. *Vers.* Salutare suum, alleluia, alleluia. *Vers.* Ipse invocavit me.

Ad Vesp.

Resp. Benedictus qui venit in nomine Domini. C *Vers.* Deus Dominus, et illuxit nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Verbum caro factum est.

In Vigilia Sancti Stephani Mart. ad Invit.

Antiph. Regem martyrum Dominum. *Antiph.* Beatus vir qui in lege Domini meditatur, voluntas ejus permanet die ac nocte, et omnia quæcumque faciet semper prosperabuntur. [a] *Psal.* Ipsum. *Ant.* Beatus iste Sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus. *Psal.* Quare fremuerunt gentes. D *Ant.* Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Domine, tu exaltans caput meum; et exaudisti me de monte sancto tuo. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Vers.* Voce mea.

a Idest, idem Psalmus, Beatus vir.

Resp. unde supra.

Resp. Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: Domine Jesu, accipe spiritum meum, et ne statuas illis hoc peccatum. *Vers.* Positis autem genibus Stephanus orabat, dicens: Domine Jesu. *Resp.* Videbant omnes Stephanum qui erant in concilio; et intuebantur vultum ejus, tamquam vultum Angeli stantem inter illos. *Vers.* Stephanus autem plenus gratiæ et veritatis, faciebat prodigia E et signa magna in populo. Et intuebantur. *Resp.* Video cælos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. Domine Jesu, accipe spiritum meum, et ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. *Vers.* Ejicientes eum extra civitatem lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: Domine Jesu.

In secundo Nocturno.

Antiph. Invocantem exaudivit Dominus Sanctum suum; Dominus exaudivit eum & constituit eum in pace. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Lætentur omnes qui sperant in te, Domine, quoniam tu be- F nedices justo. Scuto bonæ voluntatis coronasti eum. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Quia gloria et honore coronasti Sanctum tuum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. *Psal.* Ipsum. *Vers.* Gloria et honore.

Responsoria.

Resp. Stephanus plenus gratiæ et veritatis, faciebat prodigia et signa magna in populo. *Vers.* Stephanus vidit cælos apertos, vidit, & introivit. Faciebat. *Resp.* Stephanus servus Dei quem lapidabant Judæi, vidit cælos apertos: vidit et introivit: beatus homo, cui cæli patebunt. *Vers.* Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. Beatus homo, cui. *Resp.* Hesterna die Dominus natus est in terris, ut Stephanus nasceretur in cælis: ingressus est Dominus mundum, ut Stephanus ingrederetur in cælis. *Vers.* B Stephanus vidit cælos apertos, vidit et introivit. Ingressus.

In tertio Nocturno.

Antiph. Domine iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo. *Psal.* Domine quis. *Ant.* Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine; gloriam et magnum decorem imposuisti super eum. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Psal.* Domine, in virtute. *Ant.* Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo Salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Posuisti, Domine.

Resp. unde supra.

Resp. Intuens in cælum beatus Stephanus vidit gloriam Dei, et ait: ecce video cælos apertos, et filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. *Vers.* Vidit B. Stephanus cælos apertos, vidit et introivit. Ecce video. *Resp.* Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent; at ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ. *Vers.* Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia, et signa magna in populo. Ut mereretur. *Resp.* Stephanus vidit cælos apertos, vidit et introivit beatus homo cui cæli patebunt. *Vers.* Positis autem genibus, Stephanus orabat, dicens: Domine Jesu Christe, accipe Spiritum meum. Beatus homo. *Resp.* Impetum fecerunt unanimes in eum; ejecerunt eum extra civitatem invocantem et dicentem: Domine, accipe spiritum meum. *Vers.* Positis autem genibus Stephanus orabat, dicens: Domine. *Resp.* Lapides torrentis illi dulces fuerunt: ipsum sequuntur omnes animæ justæ. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Ipsum. *Resp.* Patefactæ sunt januæ cæli Christi martyri beato Stephano, qui in numero Sanctorum inventus est primus; et ideo triumphat in cælis coronatus. *Vers.* Vidit beatus Stephanus cælos apertos, vidit et introivit. Et ideo.

Antiph. in Matutinis.

Antiph. Lapidaverunt Stephanum, et ipse invocabat Dominum, dicens: ne statuas illis hoc peccatum. *Ant.* Lapides torrentis illi dulces fuerunt; ipsum sequuntur omnes animæ justæ. *Ant* Adhæsit anima mea post te, quia caro mea lapidata est pro te, Deus meus. *Ant.* Stephanus vidit cælos apertos; vidit, & introivit; beatus homo cui cæli patebunt. *Ant.* Ecce video cælos apertos, & Jesum stantem a dextris Dei.

In Evangelio.

Antiph. Stephanus autem plenus gratia & veritate, faciebat signa magna in populo. *Ant.* Positis geni-

genibus Stephanus orabat dicens: Domine Jesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum. *Ant.* Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent: at ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ, alleluia. *Ant.* Dicit Dominus, Saule, Saule, quid me persequeris? Martyrem meum Stephanum ego te faciam servo meo. *Ant.* Stephanus servus Dei quem lapidabant Judæi, vidit cælos apertos, vidit & introivit, beatus homo cui cæli patebunt. *Ant.* Impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra civitatem lapidabant invocantem & dicentem: Domine, suscipe spiritum meum. *Ant.* Sepelierunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. *Ant.* Patefactæ sunt januæ cæli Christi martyri beato Stephano, alleluia.

In Vigilia Sancti Johannis Evangelistæ ad Vesp.

Vers. In omnem terram. *Ant.* Valde honorandus est beatus Johannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit.

Ad Invitator.

Antiph. In sanctorum confessorum.

In primo Nocturno.

Antiph. In omnem terram. *Psal.* Cæli enarrant. *Ant.* Clamaverunt. *Psal.* Benedicam Dominum. *Ant.* Constitues eos principes. *Psalm.* Eructavit. *Vesp.* In omnem terram.

Responsoria unde supra.

Resp. Valde honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit; cui Christus in cruce matrem Virginem virgini commendabat. *Vers.* Mulier, ecce filius tuus; ad discipulum autem: ecce mater tua. Cui Christus *Resp.* In illa die suscipiam te, serve meus, & ponam te sicut signaculum in conspectu meo, quoniam ego elegi te, dicit Dominus. *Vers.* In tribulatione invocasti me; exaudivi te, & liberavi te. Quoniam ego. *Resp.* Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, dicit Dominus, & scribam super eum nomen * tuum, & nomen civitatis novæ Jerusalem. *Vers.* In illum diem suscipiam te, * servo meo. Et scribam.

* meum.
* servo meus.

In secundo Nocturno.

Antiph. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. *Psalm.* Omnes gentes. *Ant.* Dedisti hereditatem timentibus nomen tuum, Domine. *Psalm.* Exaudi, Deus, deprecationem. *Ant.* Annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt. *Psal.* Exaudi, Deus, orationem. *Vers.* Dedisti hereditatem.

Responsoria.

Resp. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium ejus. *Vers.* Valde honorandus est beatus Johannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit. *Resp.* Ecce honorandus es in conspectu meo. Coronavi te, dicit Dominus, noli timere, quia tecum sum semper & adjuvi te. *Vers.* In tribulatione. *Resp.* Iste est Johannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit. Beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cælestia. *Vers.* Iste est Johannes, cui Christus in cruce. *Vers.* Ecce puer meus electus quem elegi; posui super eum Spiritum meum. Beatus.

In tertio Nocturno.

Antiph. Exaltabunt cornua justi, allel. *Psalm.* Confitebimur. *Ant.* Lux orta est justo, allel. rectis corde, alleluia, alleluia. *Psalm.* Dominus regnavit, exultet. *Ant.* Custodiebant testimonia ejus & præcepta ejus, allelnia. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Annuntiaverunt opera ejus.

Responsoria unde supra.

Respons. Iste est Joannes, cui Christus in cruce Matrem Virginem virgini commendabat. *Vers.* Mulier, ecce filius. *Resp.* In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus Spiritu sapientiæ & intellectus. *Vers.* Misit Dominus manum suam, & tetigit os ejus. Et implevit. *Resp.* Cibavit illum panem vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum: & * exultavit eum apud proximos suos. *Vers.* In medio Ecclesiæ aperuit os ejus. Et exultavit. *Resp.* Ecce ego. *Resp.* Tollite. *Resp.* Fuerunt.

* Exaltavit.

Antiphonæ in Matutinis Laudibus.

Antiph. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibuit: scimus quia verum est testimonium ejus. *Ant.* Hic est discipulus meus, sic eum volo manere donec veniam. *Ant.* Ecce puer meus electus quem elegi, posui super eum spiritum meum. *Ant.* Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo. *Ant.* Sic eum volo manere donec veniam. *Vers.* Justus ut palma florebit.

In Evangelio.

Antiph. In medio Ecclesiæ. *Ant.* Iste est Johannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit: beatus Apostolus cui revelata sunt secreta cælestia. *Antiph.* Iste est Johannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, quem diligebat Jesus. *Antiph.* Iste est Johannes, cui Christns in cruce Matrem Virginem commendabat. *Ant.* Virgo est electus a Domino, atque inter ceteros magis dilectus, allel. *Ant.* Virgo electus a Domino * vir in ævum permansit, allel.

* Virgo.

In Vigilia Innocentum ad Vesp.

Vers. Justorum animæ. *Antiph.* Istorum est enim regnum cælorum, qui contemserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine agni.

Ad Invitator.

Antiph. Mirabilem Dominum. *Ant.* Regem martyrum.

In primo Nocturno.

Antiph. In lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte. *Psalm.* Beatus vir. *Ant.* Prædicans præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Voce mea ad Dominum clamavi, & exandivit me de monte sancto suo. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Sub altare Dei audivi voces occisorum: quare non defendis sanguinem nostrum? & acceperunt divinum responsum: adhuc sustinete modicum, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. *Vers.* Vidi sub altare Dei animas Sanctorum, propter verbum Domini quod habebant, & clara voce

voce dicebant. Quare non. *Resp.* Effuderunt sanguinem Sanctorum velut aquam in circuitu Jerusalem, & non erat qui sepeliret. *Vers.* Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum qui effusus est. In circuitu. *Resp.* Adoraverunt viventem in secula seculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini Dei sui. *Vers.* Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Mittentes.

In secundo Nocturno.

Antiph. Filii hominum, scitote quia Dominus Sanctum suum mirificavit. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum, Domine. *Psal.* Verba mea. *Ant.* In universa terra gloria & honore coronasti eos. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Vers.* Gloria & honore.

Responsoria unde supra.

Resp. Isti sunt Sancti qui passi sunt propter te, Domine: vindica eos quia clamant ad te tota die. *Vers.* Vindica, Domine, sanguinem. *Resp.* Ecce vidi agnum stantem supra montem Sion, & cum eo Sanctorum millia. Et habebant nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in frontibus suis. *Vers.* In excelso throno vidi sedere virum. *Resp.* Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt: & non delebo nomina eorum de libro vitæ. *Vers.* Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Et non.

In tertio Nocturno.

Antiph. Justus Dominus, & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. *Psal.* In Domino confido. *Ant.* Habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Sanctis qui in terris sunt ejus, mirificavit omnes voluntates in eis. *Psal.* Conserva me.

Responsoria unde supra.

Resp. Istorum est enim regnum cælorum qui contemserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine agni. *Vers.* Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt. *Resp.* Centum quadraginta quatuor millia, qui emti sunt de terris; hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim permanserunt: ideo regnant cum Deo, & agnus Dei cum illis. *Vers.* Vidi supra montem Sion, agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt. *Vers.* Vidi Angelum Dei volantem. *Resp.* Viri sancti. *Resp.* Tradiderunt corpora. *Resp.* Verbera carnificum. *Resp.* Hæc est vera fraternitas. *Resp.* Sancti mei, qui.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Herodes iratus occidit multos pueros in Bethlehem Judæ civitate David. *Ant.* Angeli eorum semper vident faciem Patris. *Ant.* Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus, Rachel plorans filios suos. *Ant.* Sub throno Dei omnes Sancti clamant; vindica sanguinem nostrum, Deus noster. *Ant.* Cantabant Sancti canticum novum, ante sedem Dei, & resonabat terra in voces illorum. *Vers.* Justi autem.

In Evangelio.

Antiph. Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cælorum. *Ant.* Laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine agni. *Ant.* A bimatu & infra, occidit multos pueros Herodes propter Dominum. *Ant.* Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt; & non delebo nomina eorum de libro vitæ. *Ant.* Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: & sequuntur agnum quocumque ierit. *Ant.* Innocentes pro Christo infantes occisi sunt. Ab iniquo Rege lactantes interfecti sunt. Ipsum laudantes agnum sine macula, & dicunt semper: Gloria tibi, Domine. *Ant.* Hi emti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno, & in ore ipsorum non est inventum mendacium.

In Vigilia Octavas Domini ad Vesp.

Vers. Tamquam Sponsus. *Ant.* O admirabile commercium! Creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est. Et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem natum Dominum venite adoremus. *Ant.* Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo. *Psal.* Cæli enarrant. *Ant.* Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. *Psal.* Domini est terra.

In secundo Nocturno.

Antiph. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Homo natus est in ea, ipse fundavit eam Altissimus. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Exultabunt omnia ligna silvarum ante faciem Domini, quoniam venit. *Psal.* Cantate Domino.

In tertio Nocturno.

Antiph. In principio & ante secula, Deus erat verbum; ipse natus est hodie Salvator mundi. *Psal.* Dominus regnavit. 1. *Ant.* Ante luciferum genitus, & ante secula Dominus Salvator noster, hodie nasci dignatus est. *Psal.* Cantate Domino. 2. *Ant.* Nato Domino Angelorum chorus canebat dicens: Salus Deo nostro sedenti super thronum & agno. *Psal.* Dominus regnavit 2.

Antiph. in Matutinis.

Antiph. O admirabile commercium! *ut supra.* *Antiph.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum; te laudamus, Deus noster. *Ant.* Rubum quem viderat Moises incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem. Dei genitrix, intercede pro nobis. *Ant.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem. Te laudamus, Dei genitrix. *Ant.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Johannes vidit & exclamabat dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia. *Ant.* Mirabile mysterium declaratur hodie: innovantur naturæ, Deus homo factus est, * in quo fuit permansit, & quod non erat assumsit, non commixtionem passus, neque divisionem. *Ant.* Magnum hereditatis mysterium; templum Dei factus est uterus nescienti * viro. Non est pollutus ex eo carnem assumens. Omnes gentes venient dicentes: gloria tibi Domine. *Ant.* Beatus venter. *Ant.* Qui de terra

* id quod fuit.

* virum.

ra est, de terra loquitur; qui de cælo venit, super A omnes est. Et quod vidit & audivit; hoc testatur & testimonium ejus nemo accepit; qui autem acceperit ejus testimonium signatum, quia Deus verax est, allel.

In Vigilia Epiphaniæ Domini ad Vesp.

Vers. Omnes de Saba venient. *Ant.* Venit lumen tuum, Jerusalem, & gloria Domini super te orta est: & ambulabunt gentes in lumine tuo, alleluia.

Antiph. in primo Nocturno.

Antiph. Afferte Domino, Filii Dei, adorate Dominum in aula sancta ejus. *Psalm.* Ipsum. *Ant.* B Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite sapienter. *Psal.* Omnes gentes. *Ant.* Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, Domine. *Psal.* Jubilate. *Vers.* Omnis terra adoret te Deus.

Responsoria.

Respons. Hodie in Jordane baptizato Domino aperti sunt cæli: & sicut columba super eum spiritus mansit, & vox Patris intonuit: h c est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Vers.* Cæli aperti sunt, & vox Patris audita est. Hic est filius. *Resp.* Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes, alle- C luia, alleluia, alleluia. *Vers.* Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, alleluia. *Resp.* Stella quam viderant Magi in Oriente antecedebat eos, donec venirent ad locum ubi puer erat. Videntes autem eam gavisi sunt gau lio magno. *Vers.* Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum. Gavisi sunt.

In secundo Nocturno.

Antiph. Reges Tharsis & Insulæ munera offerent Regi Domino. *Psal.* Deus, judicium tuum. *Ant.* Omnes gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt coram te, Domine. *Psal.* Inclina, Domine. D *Ant.* Venite adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster. *Psal.* Venite exultemus.

Responsoria unde supra.

Resp. Interrogabat Magos Herodes: quod signum vidistis super natum Regem? Stellam magnam fulgentem, cujus splendor illuminat mundum; & nos cognovimus, & venimus adorare Dominum. *Vers.* Magi veniunt ab Oriente inquirentes faciem Domini, & dicentes. Et nos. *Resp.* Illuminare, illuminare, Jerusalem: venit lux tua, & gloria Domini super te orta est. *Vers.* Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Et gloria. *Resp.* Magi veniunt ab Oriente Jerosolymam quærentes & dicentes: ubi est qui E natus est, cujus stellam vidimus, & venimus adorate Dominum. *Vers.* Magi veniunt ab Oriente inquirentes faciem Domini & dicentes. Ubi est.

In tertio Nocturno.

Antiph. Fluminis impetus lætificat, alleluia, civitatem Dei, alleluia. *Psal.* Deus noster. *Ant* Adorate Dominum, allel. in aula sancta ejus, alleluia, alleluia. *Psal* Cantate 1. *Ant.* Adorate Dominum, allel. omnes Angeli ejus, alleluia, alleluia. *Psal.* Dominus regnavit 1.

Responsoria.

Resp. Tria sunt munera pretiosa quæ obtulerunt Magi Domino in die ista; & habent in se divina mysteria: in auro ut ostendatur regis potentia, in thure Sacerdotem magnum considera, & in myrrha Dominicam sepulturam. *Vers.* Reges Tharsis, *ut supra.* *Resp.* Dies sanctificatus illuxit nobis: venite, gentes, & adorate Dominum, quia hodie apparuit lux magna in terra. *Vers.* Venite adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster. Quia hodie. *Resp.* Videntes stellam Magi gavisi sunt gaudio magno, & intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus; & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham. *Vers.* Reges Tharsis. Aurum. *Resp.* Hic est dies præclarus, in quo Salvator mundo apparuit; quem Prophetæ prædixerunt, Angeli adoraverunt; cujus stellam Magi videntes gavisi sunt; & munera ei obtulerunt. *Vers.* Et intrantes domum. Et munera. *Resp.* De paradiso vocatus currit cum gaudio, interrogatus ab avis. Quid festinas, Jordanis? Ut Christus baptizetur, & Johannes coronetur. *Vers.* Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Jordanis quia conversus es retrorsum? Ut Christus. *Resp.* Hodie cæli aperti sunt, & mare dulce factum est. Terra exultat, montes & colles lætantur, quia a Johanne in Jordane Christus baptizatus est. *Vers.* Quid est tibi mare. *Resp.* In columbæ specie Spiritus sanctus visus est, paterna vox audita est: hic est filius meus dilectus in qup mihi bene complacui; ipsum audite. *Vers.* Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Paterna. *Vers.* Cæli aperti sunt. *Resp.* Pastores præ claritate luminis non intuebantur videre Angelum; magis turbabantur. Et facta est vox de cælo dicens: nolite timere; pax vobiscum. Ego sum Gabriel Angelus ad Virginem missus. *Vers.* Annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo. Ego sum. *Resp.* Stella fulgens in Oriente. Occurrunt Regi offerentes ei thesaurum magnum, aurum, thus, & myrrham. *Vers.* Reges Tharsis. *Resp.* Rex magnus natus est in Israel, & venerunt Reges terræ adorare eum. Et obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham. *Vers.* Et intrantes domum. *ut supra.* Et obtulerunt.

Antiphonæ in Matutinis Laudibus.

Antiph. Ante luciferum genitus, & ante secula, Dominus Salvator noster hodie mundo apparuit. *Ant.* Tria sunt munera quæ obtulerunt Magi Domino, aurum, thus, & myrrham, Filio Dei, Regi magno, alleluia. *Ant.* Apertis thesauris suis, obtulerunt Magi Domino, aurum, thus, et myrrham, alleluia. *Ant.* Maria et flumina, benedicite Domino, hymnum dicite, fontes, Domino, alleluia. *Ant.* Magi viderunt stellam, dixerunt ad invicem: hoc signum * magnum Regis est; eamus et inquiramus eum, et offeramus ei munera, aurum, thus, et myrrham. *Vers.* Omnes de Saba venient.

* magni.

In Evangelio.

Antiph. Hodie cælesti sponso juncta est Ecclesia, quoniam in Jordane lavit Christus ejus crimina. Currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias, et ex aqua facto vino lætantur convivæ, alleluia. *Ant.* Ordines Angelorum videntes invisibilem venientem in aquis, timore perterriti cogitabant, quomodo invisibilis Deus formam servi suscepit, et apparescens mundum illuminavit. Benedictus es, Domine Deus Israel. *Ant.* Clamabat

Io-

Johannes ad Dominum: tibi flectunt genu cœlestium, terrestrium, quomodo in me flectis verticem? Si enim præcipis Angelis, baptizabunt. *Ant.* Ipsi enim ex pennis cooperient vultus suos. Nam ego quomodo ausus? non possum, o Domine; formido, misericors. Et iterum compellit me jussio tua irreprehensibilis, Domine, gloria tibi. *Ant.* Videntes stellam Magi gavisi sunt gaudio magno; & intrantes domum obtulerunt Domino aurum, thus, & myrrham. *Ant.* Stella ista sicut flamma coruscat, & Regem Regum Deum demonstrat. Magi eam viderunt, & Regi munera obtulerunt. *Ant.* Stella quam viderant Magi, antecedebat eos, donec veniret supra ubi erat puer. *Ant.* Ab Oriente venerunt Magi in Bethlehem adorare Dominum: & apertis thesauris suis, pretiosa munera obtulerunt, aurum sicut regi magno; thus sicut * Dominum verum; myrrha sepultura ejus, alleluja. *Ant.* Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, alleluja, alleluja. *Ant.* Omnes nationes venient a longe portantes munera sua, alleluia. *Ant.* Admoniti Magi in somnis ab Angelo, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. *Ant.* Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum. *Ant.* Magi viderunt stellam, obtulerunt Domino aurum, thus & myrrham. *. *Ant.* Lux de luce apparuisti, Christe, cui Magi munera offerunt, alleluia, alleluia, alleluia. *Ant.* Venient ad te qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigia pedum tuorum.

Antiph. in Octavas Theophaniæ ad Matut.

Antiph. Veterem hominem renovans Salvator venit ad baptismum, ut naturæ quæ corrupta est, per aquam recuperaret * incorruptibili, vestem circumamictans nobis. *Ant.* Te qui in spiritu & igne purificas humana contagia, Deum & Redemtorem omnes glorificamus. *Ant.* Baptista contremuit & non audet tangere Sanctum tuum, sed clamat cum tremore: sanctifica me Salvator. *Ant.* Caput Draconis Salvator contrivit in Jordane flumine; ab ejus potestate omnes eripuit. *Ant.* Magnum mysterium declaratur hodie, quia Creator omnium in Jordane expurgat nostra facinora. *Ant.* Præcursor Johannes exultat cum in Jordane baptizato Domino facta est orbis terrarum exultatio, facta est peccatorum nostrorum remissio sanctificans aquas. Ipsi omnes clamemus, miserere nobis. *Ant.* Baptizat miles Regem, servus Dominum suum, Johannes Salvatorem. Aqua Jordanis stupuit, columba protestata est, paterna vox audita est: hic est filius meus. *Ant.* Cæli aperti sunt super eum, & vox facta est de cælo dicens: hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. *Ant.* Vox de cælo sonuit, & vox Patris audita est: hic est filius meus in quo mihi complacui, ipsum audite.

Antiph. ad Crucem vel ad Fontes.

Antiph. Aqua comburit peccatum hodie, apparens liberator & roret omnem mundum divinitatis ope. *Ant.* Pater de cælo filium testificat, Spiritus sancti præsentia advenit, unum edocens qui baptizatur Christus. *Ant.* Baptizatur Christus & sanctificatur omnis mundus, & tribuit nobis remissionem peccatorum. Aqua & Spiritu omnes purificamur. *Ant.* Super ripam Jordanis stabat beatus Johannes; indutus est splendore baptizans Salvatorem. Baptiza me, Johannes. Baptizo, benedico te: & tu Jordanis congaudens suscipe me. *Ant.* Peccati * aculeu conteretur hodie, baptizato Domino; & nobis data est regeneratio. *Ant.* Fontes aquarum sanctificati sunt, Christo apparente in gloria orbis terrarum. Haurite aquas de fonte Salvatoris: sanctificavit enim nunc omnem creaturam Christus Deus noster. *Ant.* Christo datus est principatus, & honor regni. Omnis populus, tribus, & linguæ servient ei in æternum. *Ant.* Prædicator veritatis timorem supplex præceptum Domini sine peccato baptizare dubitabat, & ad eum respondebat: te Redemtorem scio: tu me, Salvator, sanctifica cum * eos, qui in fide sunt, clamant tibi: Benedictus es, Domine Deus noster.

Antiph. in Evangelio per Dominicas.

Dominica prima post Epiph.

Antiph. Fili, quid fecisti nobis sic? Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te. Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse. *Ant.* Puer Jesus proficiebat ætate & sapientia coram Deo & hominibus.

Dominica secunda.

Antiph. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat ibi Jesus cum Maria matre ejus. *Ant.* Deficiente vino jussit Jesus implere hydrias * aqua, quæ in vino conversæ sunt, alleluia. *Ant.* Omnis homo primum. *Ant.* Hoc signum fecit Jesus primum coram discipulis suis. *Ant.* Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. *Ant.* Exibant autem dæmonia a multis, clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

Dominica tertia.

Antiph. Cum autem descendisset Jesus de monte, ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis potes me mundare. Et extendens manum tetigit eum dicens: volo, mundare. *Ant.* Domine, si tu vis potes me mundare. Et ait illi Jesus: Volo, mundare. *Ant.* Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, & male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam & curabo eum. *Ant.* Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. *Ant.* Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum.

Dominica quarta.

Antiph. Abeunte Jesu in navicula, ecce motus magnus factus in mari. Et suscitaverunt eum discipuli ejus, dicentes: Domine, salva nos, perimus. *Ant.* Domine, salva nos; perimus. Impera & fac, Deus, tranquillitatem. *Ant.* Domine, salva nos, perimus: Impera & fac, Deus, tranquillitatem. Porro homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant: qualis est hic, quia & ventis imperat, & obediunt ei? *Ant.* Modicæ fidei, quare dubitasti? Quia ego tecum sum, dicit Dominus. *Ant.* Surgens Jesus imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna: & mirati sunt universi. *Ant.* Illi autem homines videntes signa quæ faciebat Jesus, mirabantur, & dicebant ad invicem: Quis est hic? *. Et mari obediunt ei.

Dominica quinta.

Antiph. Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait

* Domino vero.

* Deest Antiph. in ms.

* Forte incorruptibilitatem.

* aculeus.

* cis.

* aquis.

* Ventis & mari imperat, &c.

illis Jesus: hoc fecit inimicus homo. *Ant.* Si vis A imus & colligimus ea. Et ait illis Jesus: non, ne forte colligentes zizania. * *Ant.* In tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. *Resp.* Vere famulus Dei, in quo dolus non est inventus, qui dum esset summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad cælestia desiderans, ideoque in humilitate positus Domini Jesu Christi confessor effectus est. *Vers.* Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi. Ideoque. *Vers.* Qui dum esset summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad cælestia regna gloriosus migravit.

** Cætera desunt in ms.*

De Purificatione sanctæ Mariæ. In Vigilia ad Vesp.

Vers. Responsum accepit Simeon. *Ant.* Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, accepit eum Simeon in ulnas suas, & benedixit Deum, dicens: Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace.

Incipiunt Antiph. & Responsoria de Purificatione Sanctæ Mariæ. Ad Invitatorium.

Antiph. Regem virginum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Sicut myrrha electa odorem dedisti * suavitatem, sancta Dei genitrix. *Psal.* Cæli C enarrant. *Ant.* Ante thorum hujus Virginis, frequentate nobis dulcia cantica drammatis. *Psalm.* Domini est terra. *Vers.* Specie tua.

** Suavitatis.*

Responsoria unde supra.

Resp. Adorna thalamum tuum, Sion, & suscipe Regem Christum, quem Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo post partum, quem genuit adoravit. *Vers.* Accipiens Simeon in manibus, gratias agens, benedixit puerum Dominum. Quem Virgo. *Resp.* Senex puerum portabat, puer autem senem regebat; quem Virgo. *ut supra*. *Vers.* Accipiens Simeon. Quem Virgo. *Resp.* Responsum accepit D Simeon ab Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. *Vers.* Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace: quia viderunt oculi mei, Salutare tuum.

In secundo Nocturno.

Antiph. Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Adjuvabit eam Deus vultu suo, Deus in medio ejus non commovebitur. *Psal.* Deus noster refugium. *Ant.* Sicut lætantium omnium nostrum, habitatio est in te, sancta Dei genitrix. *Psal.* Fun- E damenta ejus. *Vers.* Diffusa est gratia.

Responsoria.

Resp. Suscipiens Jesum in ulnas suas Simeon, exclamavit, & dixit: tu es vere lumen ad illuminationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. *Vers.* Responsum accepit Simeon ab Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Ad illuminationem. *Resp.* Responsum accepit Simeon ab Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Et benedixit eum & dixit: Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace: quia viderunt oculi mei Salutare tuum, Domine. *Vers.* Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Quia viderunt. *Resp.* Videte miraculum, matrem Domini. Concepit Virgo * virilem ignorans consortium. Stans honorata nobili onere Maria, matrem se Dei cognoscit, quæ se nescit uxorem. *Vers.* Casta parentis viscera, cœlestis intrat gratia: venter puellæ bajulat secreta, quæ non noverat. Et matrem.

** Virgo.*

In tertio Nocturno.

Antiph. Hæc est quæ nescivit thorum in delicto; habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Psalm.* Cantate 1. *Ant.* Speciosa facta es & suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix. B *Psal.* Dominus regnavit. Exultet. *Ant.* Post partum Virgo inviolata permansisti; sancta Dei genitrix, intercede pro nobis. *Psal.* Cantate 2. *Vers.* Adjuvabit eam. *Vers.* Elegit eam Dominus.

Responsoria unde supra.

Resp. Beata es, Maria, quæ omnium portasti Creatorem mundi. Genuisti qui te fecit, & in æternum permanes Virgo. *Vers.* Ave, Maria, gratia plena. Genuisti. *Resp.* Benedicta & venerabilis, Virgo Maria, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum. *Vers.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Cujus. *Resp.* Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti C dum Virgo Deum & hominem genuisti, & post partum Virgo inviolata permansisti. *Vers.* Gabrielem Archangelum credimus, divinitus tibi esse affatum. Uterum tuum de Spiritu sancto credimus imprægnatum. Erubescat Judæus infelix, qui dicit Christum ex Joseph semine esse natum. Dum Virgo. *Resp.* Simeon justus & timoratus expectans redemtionem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. *Vers.* Accipiens Simeon, *ut supra Vers.* Responsum acceperat. *ut supra*. *Resp.* Tolle puerum & matrem ejus, & vade in terram Judam: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. *Vers.* Venit Angelus Domini ad Joseph in somnis, dicens. Defuncti. *Resp.* Cum essem puella in domo patris mei, des- D ponsavit me vir Judæus, & amavit me Christus Deus. *Vers.* Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et amavit me. *Resp.* Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. *Vers.* Lumen ad revelationem.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Responsum accepit Simeon ab Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Dominum. *Ant.* Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. *Ant.* Re- E vertere in terram Judam; mortui sunt enim qui quærebant animam pueri. *Ant.* Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. *Ant.* Simeon justus & timoratus expectabat redemtionem Israel; & Spiritus sanctus erat in eo. *Vers.* Responsum accepit Simeon.

In Evangelio.

Antiph. Simeon puerum portabat, puer autem senem regebat. Quem Virgo peperit, & post partum Virgo permansit. Ipsum quem genuit adoravit. *Ant.* Tolle puerum & matrem ejus, & vade in terram Juda. *Ant.* Nunc dimittis Domine, servum tuum in pace. Quia quod parasti ante faciem omnium populorum. *Ant.* Lumen ad revelationem gen-

gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. *Ant.* Cum inducerent puerum Jesum, *ut supra.* *Ant.* Puer Jesus proficiebat ætate & sapientia, coram Deo & hominibus.

Responsoria in Natali sancti Valentini.

Resp. Per beatum Valentinum fiunt hic divina mysteria. Per orationes ejus cæci illuminantur, * & natale ejus dæmoni effugantur, & infirmi sanantur. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et natal. *Resp.* Beatus Valentinus Asterio tribuno dixit: tu crede unum esse Deum, & salva erit filia tua. *Vers.* Si dictis factis compensas, faciam quæ oraveris. Tu crede.

Antiph. in eodem.

Antiph. Beata progenies unde Christus natus est, quam gloriosa est Virgo, quæ cæli Regem genuit. *ut sup.* *Ant.* Sanctus Valentinus Asterio tribuno dixit: tu crede unum esse Deum, & salva erit filia tua. *Ant.* Beatus Valentinus dedit orationem dicens: Deus qui dispersa congregas, & congregata separas, auge fidem & fiduciam servis tuis, Per Christum Dominum nostrum.

Desunt quatuor lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Responsoria cum Alleluia in Septuages.

Resp. Alleluia. Dum præsens est imitantur illam, & desiderant eam dum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat ante Dominum, allel. *Vers.* Sola namque tenes principatum in conspectu Domini, propterea revertere io thesauros tuos. Ante. *Resp.* Multiplicantur a Domino anni tui, alleluia. Per viam sapientiæ incedas, & per semitam justitiæ revertaris ad oos, alleluia, allel. *Vers.* Sola namque, *ut supra* Et per semitam. *Resp.* Allel. Revertere in thesauros tuos, te benedicent Angeli, allel. allel. *Vers.* Sola namque, *ut supra.* Te benedicent *Resp.* Allel. Sola tenes principatum in conspectu Domini; propterea revertere in thesauros tuos, te benedicent Angeli, quia placuisti Domino, allel. allel. *Vers.* Angelus Domini bonus comitetur tecum, & bene disponat itinere tuo. Quia placuisti. *Resp.* Angelus Domini boous comitetur tecum, allel. & bene disponat itinere tuo, ut iterum cum gaudio revertaris ad nos, allel. allel. *Vers.* Sola namque, *ut supra.* Ut iterum. *Resp.* Allel. Delectatio bona in operibus manuum illius, divitiæ multæ, allel. allel. *Vers.* Speciosa facta est & suavis in deliciis suis. Divitiæ. *Resp.* Allel. Nomen bonum melius est quam divitiæ multæ. Super aurum & argentum gratia bona est, allel. allel. *Vers.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel & favum ori meo. *ut sup* *Resp.* Judica judicium meum & redime me, allel. a calumniantibus me, allel. *Vers.* Vide humilitatem meam & eripe me. A calumniantibus. *Resp.* Allel. Mane apud nos hodie, & crastina proficisceris, allel. & dum ortus fuerit dies, ambulabis via tua, allel. allel. *Vers.* Angelus Domini, *ut supra.*

Antiph. in Matutinis.

Antiph. Quem vidistis, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Puer Jesus proficiebat, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Omnes sitientes, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Germinavit radix Jesse, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Benedicat terra Dominum, & omnia nascentia hymnum dicantq; allel. allel. allel. *Ant.* Apertis thesauris suis, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* In Domino laudabitur anima mea, alleluia, alleluia, alleluia.

In Evangelio.

Antiph. Allel. Sola tenes principatum in conspectu Domini, propterea revertere in thesauros tuos, te benedicent Angeli, alleluia, alleluia.

Desunt quatuor lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiph. in Evangelio infra Hebdom.

Antiph. Simile erit regnum cælorum homini patrisfamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Ant.* Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit dabo vobis. *Antiph.* Circa undecimam vero horam exiit paterfamilias foras, & invenit alios in foro otiosos, & dixit illis: ite & vos in vineam meam. *Ant.* Dicit paterfamilias operariis suis: quid hic statis tota die otiosi? At illi respondentes dixerunt, quia nemo nos conduxit. Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit dabo vobis. *Ant.* Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos in vineam meam. *Ant.* Quid hic statis tota die otiosi? Responderunt & dixerunt: nemo nos conduxit. *Ant.* Cum autem sero esset factum, cœpit paterfamilias suis mercedem dare cultoribus, incipiens a novissimis usque ad primos. *Ant.* Voca operarios, & redde illis mercedem suam, dicit Dominus. *Ant.* Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus. *Ant.* Dicit autem paterfamilias: amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti meum? Tolle quod tuum est, & vade. *Antiph.* Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. *Ant.* Tolle quod tuum est & vade, quia ego bonus sum, dicit Dominus. *Ant.* Non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum, dicit Dominus? *Antiph.* Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi. *Ant.* Erunt primi novissimi, & novissimi primi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi, dicit Dominus. *Ant.* Multi erunt primi novissimi, & novissimi primi, dixit Jesus Discipulis suis. *Ant.* Multi enim suot vocati, pauci vero electi, dicit Dominus.

Incipiunt Responsoria in Sexagesimam.
Ad Invitatorium.

Antiph. Præoccupemus faciem Domini, & in Psalmis jubilemus ei.

Responsoria unde supra.

Resp. In principio fecit Dominus cælum & terram, & creavit in ea hominem ad imaginem & similitudinem suam. *Vers.* Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Ad imaginem. *Resp.* In principio fecit Deus cælum et terram, et creavit in ea hominem ad imaginem et similitudinem suam. *Vers.* Igitur perfecti sunt cæli et terræ, et omnis ornatus.

natus eorum. Ad imaginem. *Resp.* Formavit igitur A Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; et factus est homo in animam viventem. *Vers.* Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formavit. Et factus est. *Resp.* Tulit ergo Dominus hominem, et posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. *Vers.* Formavit igitur, *ut supra.* *Resp.* Dixit Dominus Deus, non est bonum hominem * solum. Faciamus ei adjutorium similem sibi. *Vers.* Adæ vero non inveniebatur * similem sibi. Dixit vero Deus, Faciamus. *Resp.* Immisit Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus, et ædificavit costam quam tulerat Dominus in mulierem, et adduxit B eam ad Adam ut videret quid vocaret eam. Et vocavit eam virago, quia de viro sumta est. *Vers.* Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Et vocavit. *Resp.* Dixit Dominus ad Adam: de ligno quod est in medio paradisi ne comedas: in qua hora comederis, morte morieris. *Vers.* Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In qua hora. *Resp.* Dum ambularet Dominus in paradisum, ad auram, post meridiem, clamavit, et dixit: Adam ubi es? Audivi, Domine, vocem tuam, et abscondi me. *Vers.* Domine, audivi auditum tuum et timui, consideravi opera tua et expavi. Et abscondi. *Resp.* In sudore vultus tui vesceris panem tuum, dixit Dominus ad C Adam; cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos sed spinas et tribulos germinabit tibi. *Vers.* Pro eo quod * obedisti vocem uxoris tuæ plusquam me, maledicta terra in opere tuo. Non dabit fructus. *Resp.* Ecce Adam quasi * ex nobis factus est, sciens bonum et malum. Videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum. *Vers.* Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Videte. *Resp.* Ubi est Abel frater tuus, dixit Dominus ad Cain? Nescio, Domine, numquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ad eum: Quid fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. *Vers.* Maledicta terra in opere tuo, quæ aperuit os suum et suscepit * sanguinis fratris tui de manu tua. Ecce vox.

* esse solum.

* Simile.

* obedisti.

* quasi unus.

* sanguinem.

In Matutinis.

Antiph. Miserere mei, Deus, et a delicto meo munda me, quia tibi soli peccavi. *Ant.* Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me. *Ant.* Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: quia factus es adjutor meus. *Ant.* Benedictus es in firmamento cæli, et laudabilis in secula, Deus noster. *Ant.* Laudate Dominum de cælis.

In Evangelio.

Antiph. Semen cecidit in terram bonam, et attulit fructum in patientia. *Ant.* Semen cecidit in terram bonam, et tulit fructum aliud centesimum, et aliud sexagesimum. *Ant.* Jesus hæc dicens clamabat: qui habet aures audiendi, audiat. *Ant.* Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, dixit Jesus discipulis suis. *Ant.* Qui verbum Dei retinet, corde perfecto & optimo, fructum afferet in patientia. *Ant.* Si vere, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate. *Antiph.* Si culmen veri honoris quæritis, ad illam cælestem patriam quantocius properate.

Responsoria in Quinquagesimam.

Ad Invitatorium.

Antiph. Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnem terram.

Responsoria.

Resp. Quadraginta dies & noctes aperti sunt cæli, & ex omni carne * habeotem spiritum vitæ ingressi sunt in arcam. Et clausit a foris ostium Dominus. *Vers.* Noe vero & uxor ejus & uxores filiorum ejus. Ingressi. *Resp.* Dixit Dominus ad Noe: finis universæ carnis venit coram me; repleta est terra iniquitate eorum: & ego disperdam eos cum terra. *Vers.* Fac tibi arcam de lignis levigatis, mansiunculas in area facies. Repleta. *Resp.* Noe vir justus atque perfectus cum Deo ambulavit: & fecit omnia quæcumque præcepit ei Deus. *Vers.* Et fecit sibi Noe arcam ut salvaretur cum universo semine. *Resp.* Ponam arcum meum in nubibus cæli, dicit Dominus ad Noe, & recordabor fœderis mei quod pepigi tecum. *Vers.* Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus. *Resp.* Per memetipsum juravi, dicit Dominus, non adjiciam ultra aquas diluvii super terram. Pacti mei recordabor, ut non perdam aquis diluvii omnem carnem. *Vers.* Ponam arcum meum in nubibus cæli, & jurabo per dexteram meam. *Resp.* Ædificavit Noe altare Domino, offerens super illud holocaustum: odoratus est Dominus odorem suavitatis, & benedixit eis: crescite & multiplicamini & replete terram. *Vers.* Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. Crescite.

* habentium.

Responsoria de Abraham.

Resp. Locutus est Dominus ad Abraham dicens: egredere de terra, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstravero tibi: & faciam te crescere in gentem magnam. *Vers.* Benedicens benedi- D cam tibi & multiplicabo te. Et faciam te. *Resp.* Apparuerunt tres viri Abraham ad * flumen Mambre, & dixit ad eos: Domine si inveni gratiam in oculis tuis, transite & requiescite in loco isto. *Vers.* Auferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri. Et requiescite. *Resp.* Dum staret Abraham ad radicem Mambre, vidit tres pueros descendentes per viam; tres vidit & unum adoravit. *Vers.* Dixit Dominus ad Abraham: ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Isaac. Tres vidit. *Resp.* Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offeres illum ibi holocaustum super unum montium quem dixero tibi. *Vers.* Immola Deo sacrificium E laudis, & redde altissimo vota tua. *Resp.* Angelus Domini vocavit Abraham dicens: Ne extendas manum tuam super puerum, eo quod timeas Dominum. *Vers.* Et benedicentur in te omnes tribus terræ. Eo quod. *Resp.* Vocavit Angelus Domini Abraham de cælo dicens: benedicam tibi, & multiplicabo te sicut stellas cæli. *Vers.* Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Et multiplicabo. *Resp.* Deus Domini mei Abraham, dirige viam meam, ut cum salute revertar in domum Domini mei. *Vers.* Angelus qui fuit cum Abraham, ipse sit et mecum. *Vers.* Deus in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei, Domine qui pascis me a juventute mea. Ut cum salute. *Resp.* Veni hodie ad fontem aquæ, et oravi Dominum,

dicens;

dicens: Domine Deus Abraham tu prosperum fe- A cisti desiderium meum. *Vers.* Igitur puella cui dixero: da mihi aquam de hydria tua ut bibam, et illa dixerit: bibe, Domine, et camelis tuis potum tribuam: ipsa est quam præparavit Dominus filio Domini mei, Domine Deus. *Resp.* Cæcus sedebat secus viam, transeunte Domino, et exclamavit ad eum. Ait illi Dominus: quid vis faciam tibi? Rabboni, ut videam lumen. *Vers.* Et qui præibant increpabant eum ut taceret, at ille magis ac magis clamabat. Rabboni. *Resp.* Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam et curabo eum. *Vers.* Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. B Amen dico.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Secundum multitudinem miserationum tuarum, Domine, dele iniquitatem meam. *Ant.* Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te. *Antiph.* Ad te de luce vigilo, Deus, ut videam virtutem tuam. *Ant.* Hymnum dicite, et superexaltate eum in secula. Benedicite. *Ant.* Omnes Angeli ejus laudate Dominum de cælis.

In Evangelio.

Ant. Iter faciente Jesu * deambularet Jerico, cæcus clamabat ad eum, ut lumen recipere mereretur. *Ant.* Transeunte Domino, clamabat cæcus ad eum: miserere mei fili David. *Ant.* Miserere mei, fili David. Quid vis faciam tibi? Domine, ut videam. *Ant.* Et qui præibant increpabant eum, ut taceret; ipse autem magis ac magis clamabat: fili David, miserere mei. Cæcus sedebat, secus viam et clamabat: miserere mei, fili David. *Ant.* Quid vis faciam tibi? Domine, ut videam. Ait Jesus: vade, fides tua te salvum fecit. *Ant.* Cum audiret quod Jesus Nazarenus transiret, clamabat dicens: Jesu fili David, miserere mei.

* *cum deambularet.*

Feria secunda.

Ant. Cæcus magis ac magis clamabat, ut eum Dominus illuminaret. *Ant.* Omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Feria tertia.

Ant. Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam et curabo eum. *Ant.* Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. *Ant.* Domine, si tu vis, potes me mundare, et ait Jesus: volo, mundare.

Feria quarta.

Ant. Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. *Ant.* Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo, nec tinea exterminat. *Ant.* Ubi est thesaurus tuus ibi est et cor tuum.

Feria quinta.

Ant. Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt. *Ant.* Quare jejunavimus et non aspexisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti?

Feria sexta.

Antiph. Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. *Ant.* Nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio ora patrem tuum.

Sabbato.

Antiph. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: ecce adsum. *Ant.* Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem. *Ant.* Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est, dicit Dominus. *Ant.* Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est.

Responsoria de initio Quadrages.
Ad Invitatorium.

Antiph. In manu tua, Domine, omnes fines terræ. *Reg. Ant.* Si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Responsoria unde supra.

Resp. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Commendemus nosmetipsos in multa C patientia, in jejuniis multis, per arma justitiæ virtutis Dei. *Vers.* In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum. Per arma. *Resp.* Paradisi portas aperuit nobis jejunii tempus. Suscipiamus illud orantes & deprecantes, ut in die resurrectionis cum Domino gloriemur. *Vers.* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; nemini dantes ullam offensionem. Ut in die. *Resp.* Emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, ne subito præoccupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus. Attende, Domine, & miserere, quia peccavimus tibi. *Vers.* Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem D fecimus. Attende. *Resp.* In jejunio & fletu orabant Sacerdotes, & dicentes: parce, Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in perditionem. *Vers.* Inter vestibulum & altare plorabant Sacerdotes, dicentes. Parce. *Resp.* In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, ut non vituperetur ministerium nostrum. *Vers.* Ecce nunc tempus. *ut supra.* Ut non vituperetur. *Resp.* Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro vobis ad Dominum: quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. *Vers.* Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus. Quia sicut. *Resp.* Tribularer si nescirem misericordias tuas, E Domine: tu dixisti: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, qui Cananæam & Publicanum vocasti ad pœnitentiam. *Vers.* Et Petrum lacrymantem Dominus suscepit, misericors Dominus. Qui Cananæam. *Resp.* Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum. *Vers.* Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. In manibus. *Resp.* Pater, peccavi in cælum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut unum ex mercenariis tuis. *Vers.* Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo? Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei. Fac me. *Resp.*

In

In te, Domine, sperent omnes animæ, dicentes: citò Deus miserebitur nostri, quia tu, Domine, locutus es dicens: gaudeo * super unum pœnitentem, quam supra nonaginta novem justos qui non indigent pœnitentia. *Vers.* Invoca me in die tribulationis tuæ. Eripiam te & magnificabis me. Peccatori autem dixit Deus. Gaudeo. *Resp.* Dicam Deo, susceptor meus es; Deus meus, sperabo in eum: quoniam ipse liberavit me de laqneo venantium, & a verbo aspero. *Vers.* Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno. Deus meus. *Resp.* Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus. *Vers.* Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris ejus. Scuto.

* magis.

In Matutinis.

Antiph. Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. *Ant.* O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare. *Ant.* Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas. *Ant.* In spiritu humilitatis, & in anima contrita suscipiamur, Domine, ad te: & sic fiat sacrificium nostrum, ut ad te suscipiamur hodie, & placeat tibi, Domine Deus. *Ant.* Laudate Deum cæli cælorum & aquæ omnes.

In Evangelio.

Antiph. Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. *Ant.* Jesus autem cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. *Ant.* Et accedens tentator, * si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. *Ant.* Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Ant.* Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. *Ant.* Tunc assumsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit * ei super pinnaculum templi & dixit ei: si Filius Dei es, mitte te deorsum. *Ant.* Tentans diabolus Dominum, ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum: hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. *Ant.* Vade, Sathanas, non tentabis Dominum Deum tuum. *Ant.* Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. *Ant.* Reliquit eum tentator, & Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Antiphonæ [a] *de Apostolis.*

Antiph. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. In his ergo diebus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in jejuniis & vigiliis, & in caritate non ficta. *Ant.* Commendemus nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis, per arma justitiæ. *Ant.* Per arma justitiæ virtutis Dei commendemus nosmetipsos in multa patientia. *Ant.* Advenerunt nobis dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, * sed salvandas animas. *Ant.* Agite pœnitentiam, appropinquavit regnum cælorum.

* et.

Feria secunda.

Antiph. Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum qnod vobis paratum est ab origine mundi. *Ant.* Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, dicit Dominus.

Feria tertia.

Antiph. Scriptum est enim, quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus; vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo. *Ant.* Domus mea domus orationis vocabitur.

Feria quarta.

Antiph. Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini. *Ant.* Generatio hæc prava & perversa signum qnærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. *Ant.* Sicut fuit Jonas in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ. *Ant.* Sedere autem mecum, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

Feria quinta.

Antiph. Dixit Dominus mulieri Cananeæ: non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum. Utique, Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. At illi Jesus: Mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti. *Ant.* Mulier, non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Utique, Domine; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Ant.* O mulier! magna est fides tua. Fiat tibi sicut petisti. *Ant.* Vade, mulier, semel tibi dixi, si credideris videbis mirabilia Dei.

Feria sexta.

Antiph. Angelus Domini descendit de cælo. Movebatur aqua, & sanabatur unus. *Ant.* Domine, non habeo hominem, ut dum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. *Ant.* Qui me salvum fecit, ille mihi præcepit: tolle grabatum tuum, & ambula in pace. *Ant.* Vade, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ant.* Assumsit Jesus discipulos suos, ascendit in montem, & transfiguratus est ante eos. *Ant.* Domine, bonum est nos hic esse. Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Mosi unum, & Heliæ unum. *Ant.* Domine, non habeo hominem ut cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. *Ant.* Descendentibus illis de monte præcepit Jesus dicens: nemini dixeritis visionem. *Ant.* Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat. *Ant.* Visionem quam vidistis nemini dixeritis, donec a mortuis resurgat filius hominis.

Resp. in Hebdom. secunda in Quadrages.

Ad Invitatorium.

Antiph. Adoremus Deum, quia ipse fecit nos. *Item Antiph.* Dominum qui fecit nos, venite adoremus.

Responsoria.

Resp. Tolle arma tua, pharetram, & arcum, & affer de venatione tua ut comedam; & benedicat tibi anima mea. *Vers.* Cumque venatu aliquid attuleris, fac mihi inde pulmentum ut comedam. Et benedicat. *Resp.* Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni

a Forte *de Apostolo*, quia sicut superiores Antiphonæ ex Evangelio sunt collectæ, unde dicuntur *de Evangelio*, ita illæ dici possint *de Apostolo*, quia ex Epistola Pauli depromtæ, saltem plurimæ.

* ei.

pleni, quem benedixit Dominus. Crescere * faciat A Deus meus sicut arena maris, & donet tibi de rore cæli benedictionem. *Vers.* Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Et donet. *Resp.* Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ, abundantiam. Serviant tibi populi: esto Dominus fratrum tuorum. *Vers.* Et incurventur ante te filii matris tuæ. Esto Domious. *Resp.* Dum iret Jacob de Bersabee, & pergeret Aran, locutus est ei Deus dicens: Terra in qua dormis, tibi dabo & semini tuo. *Vers.* Ædificavit Jacob ex lapidibus altare Domino, fundens oleum desuper, & benedixit ei, dicens. *Resp.* Dum exiret Jacob de terra sua, vidit gloriam Dei, & dixit: quam terribilis est locus iste! non est hic B aliud nisi domus Dei, & porta cæli. *Vers.* Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Quam terribilis. *Resp.* Si Dominus Deus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo, & custodierit me, & dederit mihi panem ad edendum & vestimentum quo operiar, & revocaverit me cum salute. Erit mihi in refugium & lapis iste in signum. *Vers.* Vere Dominus est. Erit mihi. *Resp.* Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei. Et de universis quæ dederis mihi, decimas & hostias pacificas offeram tibi. *Vers.* Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo, & custodierit me. Decimas. *Resp.* Oravit Jacob & dixit: Domine, qui C dixisti mihi, revertere in terram nativitatis tuæ, erue me de manu fratris mei, quia valde eum timeo. *Vers.* Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei; Domine, qui pascis me a juventute mea. Erue me. *Resp.* Dixit Angelus ad Jacob: dimitte me, aurora est. Respondit ei: non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit eum in eodem loco. *Vers.* Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo te. Et benedixit. *Resp.* Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. *Vers.* Et dixit, nequaquam vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et salva facta est. *Resp.* Dum irem de terra mea, oravi Dominum Deum meum, & perduxit me in portum voluntatis suæ, gubernavit D me advenam. *Vers.* Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei. Et. *Resp.* Apparuit Deus Jacob, & benedixit eum, & dixit: ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi. Crescere te faciam, & multiplicabo te. *Vers.* Ego sum Dominus omnipotens. Crescere. *Vers.* Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo te. *Vers.* Minor sum cunctis miserationibus tuis, Domine Abraham. In baculo meo transivi Jordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior. Libera me, Domine, de manu Esau, quia valde contremens cor meum illum timet. *Vers.* Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me. Quia. *Vers.* Ne forte veniens E percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es quod mihi benefeceris. Libera.

In Matutinis Laudibus.

Antiph. Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. *Ant.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. *Ant.* Factus es adjutor meus, Deus meus. *Ant.* Trium puerorum cantemus hymnum, quod cantabant in camino ignis, * benedicebant Dominum. *Ant.* Statuit ea in æternum, et in seculum seculi: præceptum posuit, et non præteribit. *Vers.* Domine, refugium.

* benedicentes.

In Evangelio.

Antiph. Nemini dixeritis. *Ant.* Descendentibus illis. *Ant.* Assumsit Jesus.

Feria secunda.

Antiph. Ego principium, qui & loquor vobis. *Ant.* Qui me misit mecum est, & non reliquit me solum: quia quæ placita sunt ei facio semper.

Feria tertia.

Antiph. Unus est enim magister vester, qui in cælis est, Christus Dominus. *Ant.* Qui major est vestrum, erit minister vester, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, dicit Dominus.

Feria quarta.

Antiph. Ecce ascendimus Jerusalem, & filius hominis tradetur ut crucifigatur. *Ant.* Tradetur enim gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. *Ant.* Sedere autem non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

Feria quinta.

Antiph. Factum est autem ut moreretur. *Ant.* Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam. *Ant.* Dives ille guttam aquæ petiit, qui micas panis Lazaro negavit. Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. *Ant.* Fili, recordare quia recepisti. *Ant.* Rogo te, Pater, ut mittas.

Feria sexta.

Antiph. Malos male perdet, & vineam suam locabit agricolis. *Ant.* Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. *Ant.* Quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quia sicut Prophetam eum habebant.

Sabbato.

Antiph. Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat & revixit; perierat & inventus est in æternum. *Ant.* Vadam ad Patrem meum & dicam ei: Pater, fac me sicut unum ex mercenariis tuis. *Ant.* Pater, peccavi in cælum & coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus. *Ant.* Dixit autem pater ad servos suos: cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus. *Ant.* Dedit pater pœnitenti filio stolam primam pariter et annulum: nam et calceamenta ei tribuit. Celebravit magnum convivium. *Ant.* Fili, tu semper mecum fuisti, et omnia mea tua sunt.

Resp. de Joseph, hebdomada tertia in Quadrages.
Ad Invitatorium.

Antiph. Dominum qui fecit nos. *Ant.* Populus Domini et oves pascuæ ejus. *Resp.* Videntes Joseph a longe, loquebantur mutuo fratres, dicentes: ecce somniator venit, venite occidamus eum, et videamus si prosint illi somnia sua. *Vers.* Cumque vidissent Joseph fratres sui, quod a patre cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, unde et dicebant. Venite. *Resp.* Dixit Judas fratribus suis: Ecce Ismahelitæ transeunt; venite venumdetur, et manus nostræ non polluantur: caro enim et frater noster est. *Vers.* Cumque abiisset Ruben ad puteum, et non invenisset eum, scissis vestibus, pergensque ad fratres, ait: puer non comparet, et ego quo ibo? Caro.

Responſ. Extrahentes Joſeph de lacu vendiderunt A Iſmaelitis viginti argenteis; reverſuſque Ruben ad puteum, & cum non inveniſſet eum, ſcidit veſtimenta ſua cum fletu, & dixit: puer non comparet, & ego quo ibo? *Verſ.* At illi intincta tunica Joſeph ſanguine, & mittentes qui ferrent eam ad patrem, & dicerent: vide ſi tunica filii tui ſit, an non. Puer non comparet. *Reſp.* Videns Jacob veſtimenta Joſeph, ſcidit veſtimenta ſua cum fletu, & dixit: fera peſſima devoravit filium meum Joſeph. *Verſ.* Vide ſi tunica filii tui ſit, an non; & cum vidiſſet pater, ait: fera peſſima. *Reſp.* Joſeph dum intraret in terram Ægypti, linguam quam non noverat audivit: manus ejus in laboribus ſervierunt, & lingua ejus inter principes loquebatur ſapientiam. *Verſ.* Divertit ab B oneribus dorſum ejus. Manus. *Reſp.* Memento mei dum bene tibi fuerit, ut ſuggeras Pharaonem, ut educat me de iſto carcere, quia furtim ſublatus ſum, & hic innocens in lacum miſſus ſum. *Verſ.* Tres enim adhuc dies ſunt poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & revocet te in gradum priſtinum; tunc memento mei. Ut ſuggeras. *Reſp.* Tollite hinc vobiſcum munera, & ite ad Dominum terræ; & dum inveneritis, adorate eum ſuper terram. Deus autem meus faciat vobis eum placabilem, & reducat & hunc fratrem veſtrum vobiſcum, & eum quem tenet in vinculis. *Verſ.* Tollite de fructibus terræ in vaſis veſtris; & ferte viro munera. Deus autem. *Reſp.* Iſte eſt frater veſter mini- C mus de quo dixeratis mihi? Deus miſereatur tibi, fili mi: feſtinavitque in domum & ploravit, quia erumpebant lacrymæ, & non poterat ſe continere. *Verſ.* Attollens autem Joſeph oculos, vidit Benjamin ſtantem. Commota ſunt omnia viſcera ejus ſuper fratrem ſuum. Quia erumpebant. *Reſp.* Dixit Ruben fratribus ſuis: numquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum; & non audiſtis me? En ſanguis ejus exquiritur. *Verſ.* Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus. Idcirco venit ſuper nos tribulatio? En ſanguis. *Reſp.* Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias ani- D mæ ejus, dum deprecaretur nos; & non audivimus. Idcirco venit ſuper nos tribulatio. *Verſ.* Dixit Ruben fratribus ſuis: numquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audiſtis me? Idcirco. *Reſp.* Dixit Joſeph undecim fratribus: ego ſum Joſeph quem vendidiſtis in Ægyptum. Adhuc vivit pater noſter ſenior, de quo dixeratis mihi? Ite, adducite eum ad me, ut poſſit vivere. *Verſ.* Biennium eſt quod cœpit eſſe fames in terram, adhuc reſtant alii quinque. Ite, adducite. *Reſp.* Ite, dicite patri meo Jacob: Joſeph filius tuus vivit, & ipſe dominatur totam terram Ægypti. Quo audito revixit ſpiritus ejus & dixit: ſufficit mihi, vadam & E videbo eum antequam moriar. *Verſ.* Cumque audiſſet Jacob, quod filius ſuus viveret, quaſi de gravi ſomno evigilans, ait. Sufficit. *Reſp.* Loquens Joſeph fratribus ſuis, ait: Pax vobis, nolite timere: pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus ante vos. *Verſ.* Nolite timere, ne durum vobis eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus. Pro ſalute. *Reſp.* Salus noſtra in manu tua eſt, Domine; reſpiciat ſuper nos miſericordia tua, & ſecuri ſerviemus tibi. *Verſ.* Domine Deus virtutum, converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Et ſecuri. *Verſ.* Vivat, Domine, anima tua, ut non videamus mortem neque parvulos noſtros deficientes. Et ſecuri.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Fac benigne in bona voluntate tua, & ædificentur, Domine, muri Jeruſalem. *Ant.* Dominus mihi adjutor eſt, non timebo quid faciat mihi homo. *Ant.* Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis. *Ant.* Vim virtutis ſuæ oblitus eſt ignis, ut pueri tui liberarentur illæſi. *Ant.* Sol & luna laudate Deum, quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.

In Evangelio.

Ant. Dum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. *Ant.* Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto venit in vos regnum Dei. *Ant.* Et cum ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. *Ant.* Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non invenit. *Ant.* Accepit Jeſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.

Feria ſecunda.

Ant. Amen dico vobis, quia nemo Propheta ſuſceptus eſt in patria ſua. *Ant.* Jeſus autem tranſiens per medium eorum ibat. *Ant.* Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum * generationis. [* *negotiationis.*]

Feria tertia.

Antiph. Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum, dicit Dominus. *Ant.* Si duo ex vobis conſenſerint de * eorum [* *omnibus.*] quæcumque petierint, fiet illis a Patre meo, dicit Dominus. *Ant.* Non dico tibi ſepties, ſed uſque ſeptuageſies ſepties. *Ant.* Quamdiu in mundo ſum, lux ſum mundi, dicit Dominus.

Feria quarta.

Antiph. Audite & intelligite traditiones quas Dominus dedit vobis. *Ant.* Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. *Ant.* Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam.

Feria quinta.

Antiph. Omnes qui habebant infirmos, ducebant illos ad Jeſum, & ſanabantur. *Ant.* Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me pater. *Ant.* Exibant autem dæmonia a multis, clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei. Et increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

Feria ſexta.

Antiph. Qui biberit aquam quam ego do, dicit Dominus Samaritanæ, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. *Ant.* Aqua quam ego dedero, qui biberit ex ea, non ſitiet ultra. *Ant.* Domine, ut video, Propheta es tu. Patres noſtri in monte hoc adoraverunt. *Ant.* Mulier, venient dies quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. *Ant.* Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. *Ant.* Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. *Ant.* Meus cibus eſt ut faciam voluntatem Patris mei. *Ant.* Dixit Samaritana mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam in æternum. *Ant.* Dicit Dominus: ſi quis biberit aquam quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.

Sab-

Sabbato.

Antiph. Inclinavit se Jesus; scribebat in terra: si quis sine peccato est, mittat in eam lapidem. *Ant.* Nemo te condemnavit, mulier; nemo te condemnavit. *Ant.* Qui non colligit mecum, dispergit; & qui non est mecum, contra me est. *Ant.* Cum immundus spiritus exierit ab homine. *ut supra.*

Responsoria in hebdomada quarta in Quadrages.

Ad Invitatorium.

Antiph. Non sit vobis vanum surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus. *Ant.* Populus Domini & oves pascuæ ejus.

Responsoria.

Resp. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: descende in Ægyptum; dic Pharaoni, ut dimittat populum meum. Induratum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum meum, nisi in manu forti. *Vers.* Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto; & gemitum eorum audivi, & descendi liberare eos. Induratum. *Resp.* Stetit Moyses coram Pharaone, & dixit: hæc dicit Dominus, dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in desertum. *Vers.* Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, ait tibi. Dimitte. *Resp.* Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est: equum & ascensorem projecit in mare. Adjutor & protector factus est mihi Dominus in salutem. *Vers.* Currus Pharaonis & exercitus ejus projecit in mari. Adjutor. *Resp.* In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis. Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi & Aaron. *Vers.* Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ; commota est & contremuit terra. In manu Moysi. *Res.* Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat & custodiat semper. Observa & audi vocem ejus, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam; & præcedet te Angelus meus. *Vers.* Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum; ego enim Dominus. Et præcedet. *Resp.* Qui persequebantur populum tuum, Domine, demersisti eos in profundum, & in columna nubis ductor eorum fuisti, Domine. *Vers.* Exclamaverunt filii Israel in angustia sua ad te, Domine, & misisti eis Salvatorem. Et in columna. *Resp.* Moyses famulus Domini jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ut legem Domini mereretur accipere. *Vers.* Ascendit Moyses in montem Sinai. Ut legem. *Resp.* Splendida facta est facies Moysi, dum respiceret in eum Dominus. Videntes seniores claritatem vultus ejus, admirantes timuerunt valde. *Vers.* Descendit Moyses de monte portans duas tabulas lapideas in manibus suis, scriptas utrasque digito Dei. Videntes. *Resp.* Attendite, popule meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Vers.* Aperiam in parabolis os meum; loquar propositiones ab initio seculi. Inclinate. *Resp.* Audi, Israel, præcepta Domini, & ea in corde tuô quasi in libro scribe; & dabo tibi terram fluentem lac & mel. *Vers.* Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Et dabo tibi. *Resp.* Vos qui transituri estis Jordanem, ædificate altare Domino de lapidibus quos ferrum non tetigit, & offerte super illud holocaustum & hostias pacificas Deo vestro. *Vers.* Cumque intraveritis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ædificate ibi altare Deo vestro. *Resp.* Adduxit eos Dominus in fortitudine terræ; cibavit eos nascentibus * agros, suxerunt mel de petra, & oleum de firma petra. *Vers.* Butyrum boum & lac ovium cum adipe agnorum & filiorum taurorum & hircorum. Suxerunt.

* *in agris.*

Responsoria de Josue.

Resp. Sicut fuit cum Moyse, ita ero tecum, dicit Dominus. Confortare & esto robustus: introduces populum meum ad terram lacte & melle manantem. *Vers.* Ego sum Dominus Deus vester, qui edu-
B xi vos de terra Ægypti. Confortare. *Vers.* Quoniam tecum est Dominus Deus in omnibus, ad quæcumque perrexeris. Confortare. *Resp.* Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, dicit Dominus. Confortare populum meum, neque timeas. Ecce Dominus Deus tuus, & non te derelinquet. *Vers.* Quoniam tecum est, *ut supra.* *Resp.* Popule meus, quid feci, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Quoniam ego eduxi vos de terra Ægypti, & de domo servitutis. Quadraginta annos manna plui vobis, & obliti estis me, dicit Dominus. *Vers.* Adduxi vos per desertum quadraginta annos, ego Dominus. Et obliti. *Psal.* Adduxi vos per desertum quadraginta
C annos, ego Dominus; non sunt attrita vestimenta vestra. Manna de cælo plui vobis, & obliti estis me, dicit Dominus. *Vers.* Popule meus quid feci, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Quoniam ego eduxi vos de terra Ægypti. Manna de cælo.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, si averteris faciem tuam a peccatis meis. *Ant.* Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. *Ant.* Benedicat nos Deus, Deus noster, bene-
D dicat nos Deus. *Ant.* Potens es, Domine, eripere nos de manu mortis, liberare nos, Deus noster. *Ant.* Reges terræ, & omnes principes, laudate Deum.

In Evangelio.

Antiph. Nemo te condemnavit, mulier? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo. Jam amplius noli peccare. *Ant.* Mulier, nemo te condemnavit? Nec ego te condemnabo. Jam amplius noli peccare. *Antiph.* De quinque panibus et duobus piscibus satiavit Dominus quinque millia hominum. *Ant.* Satiavit Dominus quinque millia ho-
E minum de quinque panibus, et duobus piscibus. *Ant.* Cum sublevasset oculos Jesus, et vidisset maximam multitudinem venientem ad se, dixit ad Philippum: unde ememus panes ut manducent hi? Ipse enim sciebat quid esset facturus. *Ant.* Cum vidissent turbæ signum, quod fecerat Jesus, dicebant: vere hic est Propheta, qui venturus est in mundum. *Ant.* Hic est vere Propheta qui venturus est in mundum.

Feria secunda.

Antiph. Omnis qui petit, accipit, et qui quærit
F invenit, pulsanti aperietur. *Ant.* Auferte ista hinc, dicit Dominus; et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. *Ant.* Dicebat Jesus Judæis: solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. *Ant.* Solvite templum hoc, dicit Dominus; et post triduum excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui.

Feria tertia.

Antiph. Quid me quæritis interficere, hominem qui vera locutus est vobis? *Ant.* Unum opus feci & admiramini, quia totum hominem salvum feci in Sabbato. *Ant.* Nonne Moyses dedit vobis legem? & * nonne ex vobis facit legem. Quid me quæritis interficere? *Ant.* Et me scitis, & unde sim scitis; & a me ipso non veni, sed pater meus misit me. *Ant.* Nemo in eum misit manus, quia nondum venerat hora ejus.

* vero.

Feria quarta.

Antiph. Rabbi, * quis peccavit, homo iste quod cæcus natus est? Respondit Jesus, & dixit: neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in eo. *Ant.* Interrogatus cæcus: quis te illuminavit? At ille clamabat dicens: Filius Dei. *Ant.* Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit ex sputo, & linivit oculos meos, & modo video. *Ant.* Lutum fecit ex sputo Dominus, & linivit oculos meos, & abii, & lavi, & credidi Deo. *Ant.* Dixi vobis jam & audistis: lutum mihi posuit ille homo qui dicitur Jesus. *Ant.* A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati, nisi Christus filius Dei.

* quid,

Feria quinta.

Antiph. Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim. *Ant.* Propheta magnus surrexit in nobis, quia Deus visitavit plebem suam. *Ant.* Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam. *Antiph.* Diligebat Jesus Martham & sororem ejus Mariam, & Lazarum fratrem earum. *Ant.* Lazarus amicus noster dormit, eamus & a somno excitemus eum. *Ant.* Domine, si hic fuisses, Lazarus non esset mortuus. Ecce jam fœtet quatriduanus in monumento. *Ant.* Ad monumentum Lazari clamabat Dominus, dicens: Lazare, veni foras. *Ant.* Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. *Ant.* Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.

Responsoria de Passione Domini.

Ad Invitatorium.

Antiph. Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Resp* Isti sunt dies quos observare debetis temporibus suis. Quarta-decima die ad vesperum Pascha Domini est, & in quinta-decima * solemnitatis celebrabitis Altissimo Domino. *Vers.* Locutus est Dominus ad Moysen dicens: loquere filiis Israel, & dices ad eos. Quarta. *Resp.* Multiplicati sunt qui tribulant me, & dicunt: non est salus illi in Deo ejus. Exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus. *Vers.* Ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum. Exurge. *Vers.* Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum; persequimini & comprehendite eum, quia non est qui liberet eum. Deus meus, ne elongeris a me; Deus meus in adjutorium meum intende. *Vers.* Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum mandaverunt adversum me,

* solemnitatum.

A dicentes. Persequimini. *Resp.* Adjutor & susceptor meus tu es, Domine, & in verbum tuum speravi. Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. *Vers.* Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. Declinate. *Resp.* Judica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Ab homine iniquo & doloso eripe me, quia tu es Deus meus & fortitudo mea. *Vers.* Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Quia tu es. *Resp.* Deus meus es tu, ne discedas a me: quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet. *Vers.* Deus meus, respice in me;

B quare me dereliquisti. Longe a salute mea. Quoniam trib. *Resp.* Deus meus, eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui, quoniam tu es patientia mea. *Vers.* Eripe me de inimicis meis, *ut supra*. Quoniam. *Resp.* Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam: redime me, Domine. *Vers.* Eripe me, Domine, ab homine malo: a viro iniquo libera me. Redime. *Resp.* Tota die contristatus ingrediebar, Domine, quoniam anima mea completa est illusionibus, & vim faciebant qui quærebant animam meam. *Vers.* Et qui inquirebant mala mihi locuti

C sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Et vim. *Resp.* Non avertas faciem tuam a puero tuo, Domine, quoniam tribulor velociter exaudi me. *Vers.* Eripe me ab homine malo quoniam tribulor. *Resp.* In proximo est tribulatio mea, Domine, & non est qui adjuvet; ut fodiant manus meas & pedes meos. Libera me de ore leonis, ut narrem nomen tuum fratribus meis. *Vers.* Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea. Libera me. *Resp.* In te jactatus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu; ne discedas a me: quoniam tribulatio proxima est, &

D non est qui adjuvet. *Vers.* Erue a framea, Deus, animam meam, & de manu canis unicam meam. Quoniam tribulatio. *Resp.* Vide quia tribulor, velociter exaudi me: intende animæ meæ & libera eam, propter inimicos meos. Eripe me Domine. *Vers.* Eripe me de inimicis meis, *ut supra*. *Resp.* Pacifice loquebantur mihi inimici mei, & in ira molesti erant mihi. Vidisti, Domine, ne sileas, ne discedas a me. *Vers.* Omnes inimici mei adversum me. *Resp.* Fac mecum, Domine, signum in bono, ut videant qui me oderunt & confundantur; quoniam tu, Domine, adjuvisti me, & consolatus es me. *Vers.* Respice in me, & miserere mei, quia unicus

E & pauper sum ego. *Resp.* Doceam iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus, Deus salutis meæ. *Vers.* Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Libera me. *Resp.* Præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti inimicos meos subtus me. Et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. *Vers.* Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Et inimicorum. *Resp.* Liberator meus de gentibus iracundis, ab insurgentibus in me libera me. *Vers.* Eripe me de inimicis meis. Ab insurgentibus. *Resp.* Erue a framea, Deus, animam meam,

F & de manu canis unicam meam, humilitatem meam. *Vers.* Eripe me, Domine, ab homine. *Resp.* De ore leonis libera me, Domine, & a cornibus unicornium humilitatem meam. *Vers.* Erue a framea. *Resp.* Principes persecuti sunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua. *Vers.* Quasi qui invenit spolia multa.

ta. Lætabor. *Resp.* Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice & exaudi me, Domine Deus meus. *Vers.* Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero. Ego autem in misericordia tua speravi. Respice.

Versi Declinatorii.

Vers. Eripe me ab homine malo. *Vers.* Eripe me de inimicis meis, Deus meus. *Vers.* Erue a framea. *Vers.* De ore leonis.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Vide, Domine, afflictionem meam: quoniam erectus est inimicus meus. *Ant.* In tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine. *Ant.* Judicasti, Domine, causam animæ meæ: defensor vitæ meæ, Domine, Deus meus. *Ant.* Popule meus, quid feci tibi? Aut quid molestus fui; responde mihi. *Ant.* Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ.

In Evangelio.

Antiph. Qui est ex Deo verba Dei audit, vos non auditis quia ex Deo non est. *Ant.* Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, dicit Dominus *Ant.* Ego gloriam meam non quæro: est qui quærat & judicet. *Ant.* Amen, amen dico vobis; si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. *Ant.* Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit & gavisus est. *Ant.* Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, Ego sum. *Ant.* Tulerunt lapides ut jacerent in Jesum. Jesus autem abscondit se, & exivit de templo. *Ant.* Libera me, Domine, & pone me juxta te; & cujusvis manus pugnet contra me. *Ant.* Animæ impiorum fremebant adversum me; & gravatum est cor meum super eos.

Item ad Vesp.

Antiph. Ego sum Pastor bonus, qui pasco oves meas, & pro ovibus meis pono animam meam. *Ant.* Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. *Ant.* Narrabitur quid fecit mulier illa, in generationes seculorum. *Ant.* Sicut exaltatus est serpens in eremo, ita exaltari oportet filium hominis. *Ant.* Pater sancte, serva eos in nomine tuo, * quod dedisti mihi. *Ant.* Rogavi patrem meum, ne deficiat fides tua, Petre. *Ant.* Si mihi non creditis, operibus credite, quæ ego facio in nomine ejus. *Ant.* Pastor bonus animam suam posuit pro ovibus suis. *Ant* Si oportuerit me mori tecum, non te negabo, Domine Deus meus, & patris mei. *Ant.* Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

* quos.

Feria secunda.

Antiph. In die magno festivitatis, stabat Jesus & clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me & bibat. *Ant.* Qui sitit veniat ad me & bibat, & ventre ejus fluent aquæ vivæ.

Feria tertia.

Antiph. Tempus meum nondum advenit, tempus vestrum semper est paratum, dicit Dominus. *Ant.* Vos ascendite ad diem festum hunc, Ego non ascendam, quia tempus meum nondum advenit. *Ant.* Quidam autem Judæi dicebant, quia bonus est, alii autem dicebant, non; sed seducit turbas.

Feria quarta.

Antiph. Circumdantes Judæi Dominum, dixerunt: quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. *Ant.* Oves meæ vocem meam audiunt; & ego Dominus agnosco eas. *Ant.* Multa bona opera operatus sum vobis; propter quod opus vultis me occidere.

Feria quinta.

Antiph. Principes Sacerdotum consilium fecerunt ut Jesum occiderent. Dicebant autem: non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. *Ant.* Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. *Ant.* Mittens hæc mulier in corpus meum hoc unguentum, ad sepeliendum me fecit. *Ant.* Ubicumque fuerit prædicatum hoc Evangelium in toto mundo, erit memoria ejus. *Ant.* Magister dicit: tempus meum prope est; apud te facio Pascha cum discipulis meis. *Ant.* Si oportuerit, *ut supra*. *Ant.* Pater, si non potest hic calix, *ut supra*. *Ant.* Desiderio desideravi Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. *Ant.* Appropinquabat autem dies festus, *ut supra*. *Ant.* Principes sacerdotum, *ut supra*.

Sabbato.

Antiph. Clarifica me, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus fieret. *Ant.* Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Responsoria in hebdomada majore in Palmis.

Ad Invitatorium.

Antiph. Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. *Resp.* In die qua invocavi te, Domine, dixisti: noli timere. Judicasti causam meam, & liberasti me, Deus meus. *Vers.* Deus meus, eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui. Judicasti. *Resp.* Fratres mei elongaverunt a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me. *Vers.* Amici mei & proximi appropinquaverunt, & steterunt. Quasi. *Resp.* Attende, Domine, ad me, et audi voces adversariorum meorum. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ. *Vers.* Homo pacis meæ in quo sperabam, ampliavit adversum me supplantationem. Numquid. *Resp.* Conclusit vias meas inimicus, insidiator factus est mihi sicut leo in abscondito, replevit & inebriavit me amaritudine. Deduxerunt in lacum mortis vitam meam, & posuerunt lapidem contra me. Vide, Domine, iniquitates illorum, & judica causam animæ meæ, defensor vitæ meæ. *Vers.* Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum mandaverunt adversum me. Vide. *Resp.* Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Ne avertas faciem tuam a me: quoniam tribulor exaudi me, Deus meus. *Vers.* Intende animæ meæ, et libera eam; propter inimicos meos eripe me. Quoniam tribulor. *Resp.* Noli esse mihi, Domine, alienus. Parce mihi, Domine, in die mala: confundantur omnes, qui me persequuntur, & non confundar ego. *Vers.* Confundantur omnes inimici mei. Et non confundar. *Resp.* Ingrediente Domino in sanctam civitatem, Hebræorum pueri resurrectionem vitæ prænuntiantes,

cum ramis palmarum, hosanna clamabant in excelsis. *Vers.* Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem. Cum ramis. *Resp.* Dominus mecum est tamquam bellator fortis; propterea persecuti sunt me, intelligere non potuerunt. Domine, probans renes & corda, tibi revelavi causam meam. *Vers.* Et vim faciebant qui quærebant animam meam; & qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates. Et intelligere. *Resp.* Dixerunt impii apud se non recte cogitantes: circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Promittit se scientiam Dei habere, filium Dei se nominat, & gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus si sermones illius veri sint; & si est verus filius Dei, liberet illum de manibus nostris; morte turpissima condemnemus eum. *Vers.* Viri impii dixerunt: opprimamus virum justum injuste, & de spoliis ejus sortem mittamus. Videamus. *Resp.* Viri impii dixerunt: opprimamus virum justum injuste, & deglutiamus eum tamquam infernus vivum. Auferamus memoriam illius de terra; & de spoliis ejus sortem mittamus inter nos. Ipsi enim homicidæ thesaurizaverunt sibi malum, insipientes & maligni oderunt sapientiam, & rei facti sunt in cogitationibus suis. *Vers.* Dixerunt impii apud se non recte cogitantes: circumveniamus justum. Et rei. *Resp.* Opprobrium factus sum nimis inimicis meis; viderunt me & moverunt capita sua: Adjuva me, Domine, Deus meus. *Vers.* Persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant. Adjuva me, Domine. *Resp.* Insurrexerunt in me viri iniqui absque misericordia; quæsierunt me interficere, & non pepercerunt in faciem meam spuere. Et lanceis suis vulneraverunt me; & concussa sunt omnia ossa mea. Ego autem æstimabam me tamquam mortuum super terram. *Vers.* Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Ego autem. *Resp.* Animæ impiorum fremebant adversum me, & gravatum est cor meum super eos; & constituerunt pretium triginta argenteis, quod appretiatus sum ab eis. *Vers.* Contumelias & terrores passus sum ab eis qui erant pacifici mei. Et constituerunt. *Resp.* Contumelias & terrores passus sum ab eis, qui erant pacifici mei, & custodientes latus meum, dicentes: decipiamus eum, & prævaleamus illi. Sed tu, Domine, mecum es tamquam bellator fortis. Cadent in opprobrium sempiternum. Et videam vindictam in eos, quia tibi revelavi causam meam. *Vers.* Omnes inimici mei, *ut supra*. Dicentes. *Resp.* Sicut agnus ductus sum ut occiderer, & nesciebam; super me autem cogitaverunt consilium. Tu autem, Domine, liberasti animam meam. *Vers.* Omnes inimici mei, *ut supra*. *Resp.* Deus Israel, propter te sustinui improperium, operuit reverentia faciem meam; extraneus factus sum fratribus meis, & hospes filiis matris meæ: quoniam zelus domus tuæ comedit me. *Vers.* Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Quoniam zelus. *Vers.* Deus Deus meus, respice, *ut supra*. *Resp.* Synagogæ populorum circumdederunt me; & non reddidi retribuentibus mihi mala. Consumetur, Domine, nequitia peccatorum, & dirige justum. *Vers.* Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Consumetur.

Antiph. in Matutinis.

Antiph. Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non sum confusus. *Ant.* Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini vindicabo in eis. *Ant.* Judica causam meam, defende, quia potens es, Domine. *Ant.* Cum Angelis & pueris fideles * inveniantur triumphatores mortis clamantes: hosanna in excelsis. *Ant.* Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego, Domine, Deus meus. *Vers.* Erue a framea.

* inveniamur triumphatoris.

In Evangelio.

Ant. Turba multa quæ convenerat ad diem festum, clamabat * Dominum; benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis. *Ant.* Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel, hosanna in excelsis. *Ant.* Occurrunt turbæ cum floribus & palmis Redemtori obviam, & victori triumphanti digna dant obsequia. Filium Dei ore gentes prædicant, & in laudem Christi voces sonant per nubila. Hosanna. *Antiph.* Hodie namque Christo cum humana lingua coma servivit arboria. Et quamvis fuerint rigida, miserunt Regi spolia arborum flexus. Hosanna. *Ant.* Pueri Hebræorum vestimenta prosternebant in via, & clamabant, dicentes; Hosanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini. *Ant.* Pueri hebræorum, tollentes ramos olivarum, obviaverunt Domino, clamantes & dicentes: hosanna in excelsis. *Ant.* Tibi revelavi causam meam, defensor vitæ meæ, Dominus Deus meus. *Ant.* Invocabo nomen tuum, Domine; ne avertas * iram tuam a clamore meo. *Ant.* Missus sum ad oves quæ perierant domus Israel, dicit Dominus. *Ant.* Omnes collaudant nomen tuum, & dicent: benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis. *Ant.* Cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna, super omnibus quæ viderant virtutibus, dicentes: benedictus qui venit Rex in nomine Domini. Pax in cælo, & gloria in excelsis. *Ant.* Rex Israel hosanna in excelsis

* ad.

* faciem.

Feria secunda in Matutinis.

Antiph. Faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me. *Ant.* Framea, suscitare adversus eos qui dispergunt gregem meum. *Ant.* Appenderunt mercedem meam triginta argenteis, quod appretiatus sum ab eis. *Ant.* Inundaverunt aquæ super caput meum; dixi: perii, invocabo nomen tuum, Domine Deus meus. *Ant.* Labia insurgentium & cogitationes eorum vide, Domine. *Vers.* Erue a framea, Deus, animam meam

In Evangelio.

Antiph. Appropinquabat autem dies festus, & quærebant principes sacerdotum, quomodo Jesum interficerent, sed timebant plebem. *Ant.* Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset. *Ant.* Recordare mei, Domine, & erue me ab his qui persequuntur me. *Ant.* Infirmata est virtus mea, in manibus inimicorum meorum. *Ant.* Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.

Feria tertia in Matutinis.

Ant. Vide, Domine, & considera: quoniam tribulor, velociter exaudi me. *Ant.* Discerne causam meam, Domine; ab homine iniquo & doloso eripe me. *Ant.* Dum tribularer clamavi ad Dominum, de ventre inferi exaudivit me. *Ant.* Domine, vim patior, responde pro me, quia nescio quid dicam inimicis meis. *Ant.* Dixerunt impii: opprimamus virum

virum justum, quia contrarius est operibus nostris,

In Evangelio.

Antiph. Principes sacerdotum, *ut supra*. *Ant.* Nemo tollet animam meam, sed ego pono eam & iterum sumo eam. *Ant.* Quia ego tecum sum, de manu pessimorum liberabo te, dicit Dominus. *Ant.* Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumo eam. *Ant.* Scriptum est enim; percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis. Postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam; ibi me videbitis, dicit Dominus. *Ant.* Nunc clarificatus filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. *Ant.* Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: quid faciemus quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ne forte veniant Romani, & tollent nostrum locum & gentem. *Vers.* Unus autem ex illis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, prophetavit dicens: expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

Feria quarta in Matutinis.

Antiph. Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ; & exaltabit lingua mea justitiam tuam. *Ant.* Contumelias & terrores passus sum ab eis, & Dominus mecum est tamquam bellator fortis. *Ant.* Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam. Introibunt in inferiora terræ. *Ant.* Omnes inimici mei audierunt malum meum, Domine. Lætati sunt quoniam tu fecisti. *Ant.* Alliga, Domine, in vinculis nationes gentium, & reges eorum in compedibus. *Vers.* Erue a framea.

In Evangelio.

Antiph. Simon, dormis; non potuisti una hora vigilare mecum. *Ant.* Concilium fecerunt inimici mei, dicentes: conteramus eum de terra viventium. *Ant.* Dominus mecum est tamquam bellator fortis, propterea persecuti sunt me inimici mei. *Ant.* Tanto tempore vobiscum eram docens in templo, & non me tenuistis: modo flagellatum ducitis ad crucifigendum. *Ant.* Quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuistis. Modo flagellatum ducitis ad crucifigendum. *Ant.* Ancilla dixit Petro: vere & tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit. *Ant.* Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me in manus peccatorum quærentium me. Væ autem illi per quem tradar ego. *Ant.* Tradetur enim gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.

Antiph. & Respons. in Cœna Domini sine Invitatorio.

Antiph. Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. *Psal.* Salvum me fac, Deus. *Ant.* Avertantur retrorsum & erubescant, qui cogitant mihi mala. *Psal.* Deus, in adjutorium. *Ant.* Deus meus, eripe me de manu peccatoris. *Psal.* In te, Domine, 2. *Vers.* Deus meus, eripe me. *Resp.* In montem oliveti oravi ad Patrem: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma; fiat voluntas tua. *Vers.* Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Fiat. *Resp.* Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, & vigilate mecum: nunc videbitis turbam quæ circumdat me, vos fugam capietis, & ego vadam immolari pro vobis. *Vers.* Vigilate & orate, dicit Dominus. Nunc. *Resp.* Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem; aspectus ejus in eo non est. Hic peccata nostra portavit, & pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, cujus livore sanati sumus. *Vers.* Vere languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portavit. Cujus. *Ant.* Liberavit Dominus pauperem a potente, & inopem cui non erat adjutor. *Psal.* Deus, judicium tuum. *Ant.* Cogitaverunt impii & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt. *Psalm.* Quam bonus. *Ant.* Exurge, Domine, & judica causam meam. *Psalm.* Ut quid Deus. *Vers.* Exurge, Domine.

Responsoria.

Resp. Amicus meus * osculum me tradidit signo: quem osculatus fuero ipse est, tenete eum: hoc malum fecit signum, qui per osculum adimplevit homicidium. Infelix prætermisit pretium sanguinis, & in finem laqueo se suspendit. *Vers.* Melius illi fuerat si natus non fuisset. Qui per. *Resp.* Judas mercator pessimus, osculum petit Domino. Ille ut Agnus innocens non negat Judæ osculum. Denariorum numero Christum Judæis tradidit. *Vers.* Melius fuerat. *Resp.* Unus ex discipulis meis tradet me hodie. Væ illi per quem tradar ego. Melius illi fuerat si natus non fuisset. *Vers.* Qui intingit mecum manum in paropside, hic me traditurus est in manus peccatorum. Melius fuerat. *Resp.* Eram quasi Agnus innocens, ductus sum ad immolandum, & nesciebam: consilium fecerunt inimici mei adversum * dicentes: mittamus lignum in panem ejus, & conteramus eum de terra viventium. *Vers.* Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum mandaverunt adversum me, dicentes. *Resp.* Una hora non potuistis vigilare mecum, qui exhortabamini mori pro me. Vel Judam non videtis, quomodo non dormit, sed festinat tradere me Judæis. *Vers.* Dormite jam, & requiescite, ecce appropinquabit qui me traditurus est. Vel Judam.

* osculi.

* me.

In tertio Nocturno.

Antiph. Dixi iniquis: nolite loqui adversus Deum iniquitatem. *Psal.* Confitebimur. *Ant.* Terra tremuit & quievit, dum resurgeret in judicium Deus. *Psal.* Notus in Judæa. *Ant.* In die tribulationis meæ, Deum exquisivi manibus meis. *Psal.* Voce mea. *Vers.* Homo pacis meæ.

Responsoria.

Resp. Seniores populi consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent & occiderent. Cum gladiis & fustibus exierunt, tamquam ad latronem. *Vers.* Congregaverunt iniquitatem sibi, & egrediebantur foras. Cum gladiis. *Resp.* Revelabunt cæli iniquitatem Judæ, & terra adversus eum consurget, & manifestum erit peccatum illius in die furoris Domini, cum eis qui dixerunt Domino meo: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Vers.* Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum. Cum eis. *Resp.* Ecce turba, & qui vocabatur Judas, venit, & dum appropinquaret ad Jesum ut eum oscularetur, Jesus dixit ad eum: Juda, osculo tradis filium hominis ad crucifigendum. *Vers.* Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ homini illi per quem tradar. Ad crucifigendum. *Resp.* O Judas,

qui

qui dereliquisti consilium pacis; & cum Judæis consiliatus es, triginta argenteis vendidisti sanguinem justum, & pacis osculum ferebas, * quæ in pectore non habebas. *Vers.* Verax datur fallacibus, pium flagellat impius. Et pacis. *Resp.* Facta est lingua iniquorum fraudulenta in ore ipsorum, & loquebantur mendacium. Omnes in sanguine insidiati sunt, virum justum venumdati sunt ad mortem. Ipse autem pacifica verba loquebatur ad Judæos. *Vers.* Quid me quæritis interficere, hominem qui vera locutus sum vobis? Ipse autem.

* quam.

Antiph. Justificeris, Domine, in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris. *Psal.* Miserere mei. *Ant.* Dominus tamquam ovis ad victimam ductus est, & non aperuit os suum. *Psal.* Domine, refugium. *Ant.* Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea. *Psalm.* Deus, Deus meus. *Ant.* Exhortatus es in virtute tua, & in refectione sancta tua, Domine. *Psalm.* Cantemus. *Ant.* ipse portavit. Oblatus est, quia ipse voluit, & peccata nostra. *Psal.* Laudate Dominum de cœlis. *Vers.* Christus factus est pro nobis obediens.

In Evangelio.

Antiph. Traditor autem dedit eis signum, dicens: quem osculatus fuero ipse est, tenete eum. *Ant.* In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? *Ant.* Ait Pilatus: mundæ sunt manus meæ a sanguine hujus justi, vos videritis. *Ant.* Petrus autem sequebatur Jesum a longe ut videret exitum rei.

In Cœna Domini ad Vesp.

Antiph. Calicem Domini accipiam, & nomen Domini invocabo. *Psal.* Credidi. *Ant.* Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. *Psal.* Ad Dominum cum tribularer. *Ant.* Ab hominibus iniquis libera me, Domine. *Psal.* Eripe me, Domine. *Ant.* Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, & ab scandalis operantium iniquitatem. *Psal.* Domine, clamavi. *Ant.* Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me. *Psal.* Voce mea. *Ant.* De manu filiorum alienorum libera me, Domine. *Psal.* Benedictus Dominus Deus meus.

Vers. Declinatorii.

Vers. Homo pacis meæ. *Vers.* Acuerunt linguas suas. *Vers.* Christus factus est pro nobis.

In Evangelio.

Antiph. Cœnantibus autem, accepit Jesus panem: benedixit ac fregit, dedit discipulis suis. *Ant.* Accepto pane Judas tradidit Dominum, sicut promiserat principibus sacerdotum. *Ant.* Si male locutus sum, perhibe testimonium: si autem bene, quid me cædis? *Ant.* Cœna facta est, dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis, unus vestrum hic, qui me traditurus est in hac nocte. *Ant.* Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, dicit Dominus. *Ant.* Diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est; & qui diligit fratrem suum ex Deo natus est, & vidit Dominum. *Ant.* Si ego Dominus & Magister vester lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes? *Ant.* In diebus illis mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum unguenti; & stans retro secus pedes Domini Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. *Ant.* Postquam surrexit Dominus a cœna, misit aquam in pelvim, cœpit lavare pedes discipulorum. Hoc exemplum dedit, * reliquit eis. *Ant.* Ubi fratres in unum glorificant Dominum, ibi dabit Dominus benedictionem. *Ant.* Congregavit nos Christus ad glorificandum se ipsum. Reple, Domine, animas nostras sancto Spiritu.

* Dele *dedit.*

Antiph. & Resp. de Parasceve.

In primo Nocturno.

Antiph. Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum ejus. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. *Psal.* Deus, Deus meus. *Ant.* Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. *Psal.* Dominus, illuminatio. *Vers.* Diviserunt sibi vestimenta mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Omnes amici mei dereliquerunt me, & prævaluerunt insidiantes mihi. Tradidit me quem diligebam, & terribilibus oculis plaga crudeli percutiens, aceto potabant me. *Vers.* Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea. *Resp.* Velum templi scissum est, & omnis terra tremuit: latro de cruce clamavit, dicens: memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. *Vers.* Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Latro. *Vers.* Ait latro ad latronem: nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento. *Resp.* Vinea mea electa, ego te plantavi: quomodo conversa es in amaritudinem ut me crucifigeres, & Barabbam dimitteres? *Vers.* Ego quidem plantavi te vinea mea electa, omne semen verum. Quomodo.

In secundo Nocturno.

Antiph. Vim faciebant qui quærebant animam meam. *Psal.* Domine, ne in furore. 2. *Ant.* Confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. *Psalm.* Expectans. *Ant.* Alieni insurrexerunt in me, & fortes quæsierunt animam meam. *Psal.* Deus, in nomine tuo. *Vers.* Insurrexerunt in me.

Responsoria in eodem.

Resp. Tamquam ad latronem existis cum gladiis comprehendere me. Quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuistis. Et ecce flagellatum ducitis ad crucifigendum. *Vers.* Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo. Væ homini illi per quem tradetur. Ad crucifigendum. *Resp.* Tenebræ factæ sunt dum crucifixissent Jesum Judæi, & circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus, Deus, ut quid me dereliquisti? Tunc unus ex militibus lancea latus ejus perforavit, & inclinato capite emisit spiritum. *Vers.* Et velum templi scissum est a summo usque deorsum, & omnis terra tremuit. Tunc unus. *Resp.* Animam meam electam tradidi in manus iniquorum, & facta est mihi hereditas mea, sicut leo in silva. Dedit contra me vocem adversarius, dicens: congregamini & properate ad devorandum illum. Posuerunt me in desertum solitudinis, & luxit super me omnis terra, quia non est inventus, qui me agnosceret & faceret bene. *Vers.* Omnes inimici mei adversus me cogitabant mala mihi, verbum iniquum mandaverunt adversum me. Quia. *Resp.*

Barab-

Barabbas latro dimittitur, & innocens Christus occiditur, nam & Judas armidoctus sceleris, qui per pacem dedicit facere bellum, osculando tradidit Dominum Jesum Christum. *Vers.* Ecce turba, & qui vocabatur Judas venit. Et dum appropinquaret ad Jesum.

In tertio Nocturno.

Antiph. Ab insurgentibus in me libera me, Domine; quia occupaverunt animam meam. *Psalm.* Eripe me, Domine, de inimicis. *Ant.* Longe fecisti notos meos a me: traditus sum & non egrediebar. *Psal.* Domine Deus salutis. *Ant.* Captabunt in animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt. *Psal.* Deus ultionum. *Vers.* Captabunt in animam justi.

Resp. Tradiderunt me in manus impiorum, & inter iniquos projecerunt me, & non pepercerunt animæ meæ. Congregati sunt adversum me fortes, & sicut gigantes steterunt contra me. *Vers.* Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum. Et sicut gigantes. *Resp.* Me tradidit impius summis Principibus Sacerdotum, & senioribus populi: Petrus autem sequebatur a longe, ut videret finem. *Vers.* Et ingressus Petrus in atrium Principis Sacerdotum. Ut videret. *Resp.* Caligaverunt oculi mei a fletu meo, quia elongatus est a me, qui consolatur me. Videte, omnes populi, si est dolor similis sicut dolor meus. *Vers.* O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte. Si est. *Resp.* Viderunt in quem transfixerunt, & plangent super eum omnes tribus terræ, dicentes; Vere filius Dei erat iste. *Vers.* In humilitate judicium Dei sublatum est; generationem illius quis enarrabit? *Resp.* Principes Sacerdotum consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent & occiderent: dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. *Vers.* Omnes inimici mei. *ut supra.* Ut Jesum.

Antiphonæ in Matutinis Laudibus.

Antiph. Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. *Psalm.* Miserere mei Deus. *Ant.* Anxiatus est in me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. *Psal.* Domine, exaudi. *Ant.* Ait latro ad latronem: nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. *Psal.* Deus, Deus meus, ad te. *Ant.* Dum conturbata fuerit anima mea, Domine, misericordiæ memor eris. *Psal.* Domine audivi. *Ant.* Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. *Psal.* Laudate Dominum. *Vers.* Christus factus est pro nobis.

In Evangelio.

Antiph. Posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. *Ant.* Replevit & inebriavit me inimicus meus. E *Antiph.* Jesus clamans voce magna emisit spiritum, & velum scissum est. *Ant.* Cum accepisset acetum dixit: Consummatum est; & inclinato capite tradidit Spiritum. *Ant.* Eloi, Eloi, Lamasabacthani; Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? *Ant.* Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic & vigilate mecum. *Ant.* Recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat ei, & egressus foras flevit amare.

Sabbato sancto in primo Nocturno.

Antiph. In pace in idipsum dormiam & requiescam. *Psalm.* Cum invocarem. *Ant.* Habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo. *Psalm.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Caro mea requiescet in spe. *Psalm.* Conserva me. *Vers.* Ne derelinquas me, Domine. *Vers.* In pace in idipsum.

A

Responsoria unde supra.

Resp. Sepulto Domino signatum est monumentum, volventes lapidem ad ostium monumenti, ponentes milites qui custodirent illud. *Vers.* Ne forte veniant discipuli ejus & furentur eum, & dicant plebi: surrexit a mortuis. Ponentes. *Resp.* Jerusalem, luge, & exue te vestibus jucunditatis. Induere cinere cum cilicio, quia in te est occisus Salvator Israel. *Vers.* Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia super vos descendat. Quia. *Resp.* Plange quasi virgo plebs mea; ululate Pastores in cinere & cilicio, quia veniet dies B Domini magna & amara valde. *Vers.* Ululate Pastores, & clamate, aspergite vos cinere. Quia.

In secundo Nocturno.

Antiph. Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. *Psal.* Domini est terra. *Ant.* Credo videre bona Domini in terra. *Psal.* Dominus illuminatio. *Ant.* Domine, abstraxisti ab inferis animam meam. *Psal.* Exaltabo te. *Vers.* Tu autem Domine, miserere.

Responsoria in eodem.

C *Resp.* Recessit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujus transitum sol obscuratus est: nam & ille captus est, qui captivum tenebat primum hominem. Hodie portas mortis & seras pariter Salvator noster disrupit. *Vers.* Ante cujus conspectum mors fugit, ad cujus vocem mortui resurgunt, videntes autem eum portæ mortis confractæ sunt. Hodie. *Resp.* O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis sicut dolor meus. *Vers.* Attendite universi populi, & videte dolorem meum. Si est dolor. *Resp.* Ecce quomodo moritur justus, & nemo percipit corde. Et viri justi tolluntur, & nemo considerat. *Ant.* A facie iniquitatis oblatus est justus, & erit in pace memoria ejus. *Vers.* In pace factus est locus ejus, & in Sion habitatio ejus. Et erit.

D

In tertio Nocturno.

Antiph. Deus adjuvat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. *Psal.* Deus, in nomine tuo. *Ant.* In pace factus est locus ejus, *ut supra*. *Psal.* Notus in Judæa Deus. *Ant.* Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. *Psal.* Domine Deus salutis. *Vers.* Collocavit me in obscuro.

Resp. unde supra.

Resp. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. *Vers.* Et sicut vulnerati dormientes, projecti in monumentis, quorum non es memor E amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. Factus sum. *Resp.* Agnus Dei Christus immolatus est pro salute mundi. Nam de parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morte morsu corruit; ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. *Vers.* Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ipse lignum. *Resp.* Domine, post passionem tuam & post discipulorum fugam, Petrus plorabat dicens: Latro confessus est, & ego te negavi. Mulieres te prædicaverunt, & ego te * timui. Putas jam vocabis me discipulum tuum, ut iterum constituas me piscatorem mundi. Sed re pœnitentem suscipe

 me,

* Forte novi

me, Domine, & miserere mei. *Vers.* Ego dixi in excessu meo; omnis homo mendax. *Resp.* Scindite vestimenta vestra, & induimini saccis, & plangite, quia Princeps Jerusalem super montes ejus interfectus est; flete super eum, filii Israel, quia non timuerunt occidere Christum Domini. *Vers.* Ululate pastores & clamate. *ut supra.* *Resp.* Sicut ovis ad occisionem ductus est, & dum male tractaretur non aperuit os suum. Traditus est ad mortem, ut vivificaret populum suum. *Vers.* In pace factus est, *ut supra.* *Vers.* Vadis propitiator ad immolandum.

Antiph. in Matutinis.

Antiph. O mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne. *Psal.* Miserere mei *Ant.* Plangent eum quasi unigenitum, quia innocens Dominus occisus est. *Psal.* Judica me, Deus. *Ant.* Attendite, universi populi, & videte dolorem meum. *Psal.* Deus Deus meus. *Ant.* A porta inferi erue, Domine, animam meam. *Psal.* Ego dixi io dimidio. *Ant.* O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. *Psalm.* Laudate Dominum de cælis.

In Evangelio.

Antiph. Mulieres sedentes ad monumentum, lamentabuntur flentes Dominum. *Ant.* Sepulto Domino signatum est monumentum, ponentes milites qui custodirent illud. *Ant.* Ululate, Pastores, & clamate; aspergite vos cinere; quia completi sunt dies Domini. *Ant.* Videbunt in quem transfixerunt, & plangent super eo omnes tribus terræ. *Ant.* Joseph ab Arimathia petiit corpus Jesu, & sepelivit eum in sepulcro suo. *Vers.* Christus factus est.

Antiph. ad Vesp. de Evangelio. Sabbato sancto.

Antiph. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulcrum, alleluia. *Ant.* Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, alleluia. *Ant.* Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum, alleluia, alleluia. *Ant.* Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix, alleluia, alleluia. *Ant.* Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui, alleluia. *Ant.* Respondens autem Angelus dixit mulieribus: nolite timere; scio enim quod Jesum quæritis, alleluia. *Ant.* Scio quod Jesum quæritis crucifixum; surrexit, alleluia. *Ant.* Jesum quem quæritis non est hic, sed surrexit; recordare qualiter locutus sit vobis, dum adhuc in Galilæa esset, alleluia. *Ant.* Venite & videte locum ubi positus erat Dominus, alleluia. *Ant.* Cito euntes, dicite discipulis, quia surrexit Dominus, alleluia, alleluia.

Antiph. cum Resp. de Vigilia sanctissimæ Paschæ.

Ad Invitatorium.

Antiph. Alleluia, alleluia, alleluia. Præoccupemus faciem Domini in confessione.

Ad Nocturnum.

Antiph. [a] Ego sum qui sum, & consilium meum non est cum impiis, sed in lege Domini voluntas mea est, alleluia. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Postulavi Patrem meum, alleluia. Dedit mihi gentes, alleluia, in hereditatem, alleluia. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Ego dormivi & somnum cepi, & resurrexit quoniam Dominus suscepit me, alleluia, alleluia. *Vers.* Resurrexit Dominus.

Responsoria.

Resp. Angelus Domini descendit de cælo, & accedens revolvit lapidem; & super eum sedit, & dixit mulieribus: nolite timere; scio enim quia crucifixum quæritis. Jam surrexit. Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus, alleluia. *Vers.* Angelus Domini locutus est mulieribus dicens, quem quæritis, an Jesum quæritis? Jam. *Resp.* Angelus Domini locutus est mulieribus dicens; quem quæritis, an Jesum quæritis? Jam surrexit, venite & videte, alleluja, alleluia. *Vers.* Ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Jam. *Resp.* Dum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum, alleluia, alleluia. *Vers.* Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole. Ut venientes. *Resp.* Super lapidem monumenti edebant Angeli, & psallebant de resurrectione Domini; & ante sepulcrum Jesu stabat Maria dicens: Domine, si tu sustulisti eum, dic ubi posuisti eum, alleluia. *Vers.* At illa existimans, quod hortulanus esset, dicit ei. Domine, si.

Antiphonæ in Matutinis Laudibus.

Antiph. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum orto jam sole, alleluia. *Ant.* Et dicebant ad invicem: quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Alleluia, alleluia. *Ant.* Et respicientes viderunt revolutum lapidem: erat quippe magnus valde, alleluia. *Ant.* Nolite expavescere; Jesum Nazarenum quæritis crucifixum; non est hic; surrexit, alleluia. *Ant.* Præcedam vos in Galilæam; ibi me videbitis sicut dixi vobis, alleluia. *Ant.* Cito euntes, dicite discipulis, quia surrexit Dominus, alleluia, alleluia. Post Passionem Domini factus est conventus, quia non est corpus in monumentum Lapis sustinuit perpetuam vitam, monumentum reddidit cælestem margaritam, alleluia. *Ant.* Venerunt ad monumentum Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum, alleluia.

Versi Declinatorii.

Vers. Oportebat pati Christum. *Vers.* In resurrectione tua, Christe. *Vers.* Quem quæris, mulier. *Vers.* Cantate Domino. *Vers.* Surrexit Dominus vere. *Vers.* Ecce ego vobiscum sum. *Vers.* Jubilate Domino omnis. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro. *Vers.* Tulerunt Dominum meum. *Vers.* Noli flere Maria. *Vers.* Dicite in nationibus. *Vers.* Gavisi sunt discipuli. *Vers.* Cognoverunt Dominum. *Vers.* Resurrexit Dominus. *Vers.* Omnis terra adoret te, Deus.

Incipit Ordo ad Vesp.

[b] *Conveniente schola temperius cum Episcopis & Dia-*

a Has Antiphonas esse Antiphonarii Metensis, non vero Romani docet Amalarius, l. de Ord. Antiph. c. 45.

b Talem fere leguntur in Ordine Romano 1. quem edidit Mabillonius Musei Italici tom. 2. Vid. Pag. 36. & 37.

Diaconibus in Ecclesiam majorem [a] *ad locum crucifixi incipiunt* Kyrie eleison, *& veniunt usque ad altare: & ascendentibus Diaconibus in* [b] *Pogium, Episcopi & Presbyteri statuantur in locis suis, & schola ante altare. Finita vero* Kyrie eleison, *annuit Archidiaconus primo* [c] *scholæ, & ille inclinans se incipiat*, allel. *cum Psalmo*, Dixit Dominus Domino meo. *Post hunc annuit secundo, vel alii cui voluerit, sed & omnibus incipientibus hoc modo præcipiat. Dicatur iterum*, alleluia, *cum Psalmo*, Confitebor tibi. *Sequatur post hunc primus scholæ cum Paraphonistis in frontibus*, alleluia. *Et respondeant Paraphonistæ. Sequantur Subdiaconi cum infantibus.* Alleluia Dominus regnavit decorem: *& semper respondent Paraphonistæ, & annuunt verba infantibus. Vers.* Parata sedes tua. *Vers.* Elevaverunt flumina. *Post hos versus salutet primus scholæ Archidiaconum, & illo annuente incipiat* alleluia, *cum melodiis infantibus. Qua expleta respondeant Paraphonistæ primum: & finitur. Post hanc incipiat tertius*, alleluia, *cum Psal.* Beatus vir. *Hunc sequitur*, Pascha nostrum. *Vers.* Epulemur. *Hac expleta oratione, quo supra, incipiat Archidiaconus Ant.* Scio quod Jesum quæritis crucifixum: surrexit, alleluia. *Ant.* Jesum quem quæritis, non est hic; sed surrexit. Recordare qualiter locutus sit vobis, dum adhuc in Galilæa esset, alleluia. *Post hoc det Sacerdos orationem, & descendant ad fontes cum Antiphon. Ant* In die resurrectionis meæ, dicit Dominus, alleluia; congregabo gentes, & colligam regna, & effundam super vos aquam mundam, alleluia. *Quam ut finierint dicit primus scholæ*, alleluia *cum Psal.* Laudate pueri Dominum, *sequitur*, allel. *In Græco:* O Chirios Dynamin. &c. *Finito ordine quo supra. Postea sequitur Diaconi secundus in Evangelio. Ant.* Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus, alleluia. *Deinde dicat Sacerdos orationem, & tunc vadunt ad sanctum Johannem* [d] *ad vestem, canentes Ant.* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes alleluia. Hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, alleluia, alleluia. *Deinde* alleluia, *cum Psal.* In exitu Israel. *Deinde primus scholæ dicit cum pueris*, allel. Venite exultemus Domino. *Vers. I.* Præoccupemus. *Vers. II.* Hodie si vocem Domini. *Post hanc sequitur Diaconus Ant.* Cito euntes, dicite Discipulis, quia surrexit Dominus, alleluia, alleluia. *Deinde oret semper sine* Kyrie eleison. *Et tunc vadunt ad sanctum Andream ad crucem, canentes Ant.* Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, alleluia: & omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, alleluia, alleluia. *Post hoc dicant*, alleluia. Dilexi quoniam exaudiet Dominus. *Quo finito primus scholæ incipit*, alleluia. Venite exultemus, *ut supra Ant.* Cito euntes dicite Discipulis. *Deinde descendunt primates Ecclesiæ ad accubitum, invitante notario Vicedomini, & bibant* [f] *ter de græco vino depactisi & de procantu. Postquam biberint omnes Presbyteri & omnes Diaconi seu Subdiaconi vel omnes Acolyti per singulos titulos, redeant ad faciendum vesperos, & bibant de dato Presbyteri. Hæc ratio per totam hebdomadam servabitur usque in Dominicam in albis.*

Tom. III.

Feria secunda super Invitatorium per totam hebdomadam. Alleluia.

Psalm. Cum invocarem. *Psal.* Verba mea: *Psal.* Domine, ne in furore. *Vers.* Surrexit Dominus vere. *Vers.* In resurrectione tua, Christe. *Resp.* Maria Magdalene, & altera Maria ibant diluculo ad monumentum. Jesum quem quæritis non est hic; surrexit sicut locutus est, præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, alleluia, alleluia. *Vers.* Cito euntes dicite discipulis ejus & Petro, quia surrexit Dominus. Præcedet. *Resp.* Surgens Jesus Dominus noster, & stans in medio discipulorum suorum dixit: Pax vobis, alleluia. Gavisi sunt discipuli viso Domino, alleluia, alleluia. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno. Gavisi sunt. *Resp.* Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia quem quærebam apparuit mihi, & dum flerem ad monumentum, vidi Dominum meum, alleluia: *Vers.* Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum: si sustulisti eum, dicito mihi. Et dum flerem.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ *Hic desunt tres lineæ sæpius.*

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiph. Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? alleluia, alleluia. Respondens autem unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus; alleluia. Quibus ille dixit, quæ? Et dixerunt de Jesu Nazaræno, qui fuit vir Propheta, potens opere, & sermone, coram Deo & omni populo, alleluia. alleluia. *Ant.* Et incipiens a Moise & omnibus Prophetis interpretabatur illis Scripturas in omnibus quæ de ipso erant, alleluia. *Ant.* Et coegerunt illum dicentes: mane nobiscum, Domine, quia advesperascit, alleluia. *Ant.* Et intravit cum illis, & factum est cum recumberet cum illis, accepit panem, benedixit ac fregit, & porrigebat illis, alleluia. *Ant.* Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies, alleluia, alleluia.

Iterum ad Lateran. Ordine quo supra his all. mutatis post Psalm. cxi.

Alleluia. Domine, refugium. *Vers.* Priusquam montes. *Ant.* Nonne sic oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam, alleluia. *Data oratione descendant ad fontes cum Antiph.* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, *& reliq. Deinde post Psal.* cxii. *sequitur*, alleluia. [g] Opymenonthon, & *Vers.* Apolon & Egyptom, &c. *Ant.* Cognoverunt Dominum, alleluia, in fractione panis, alleluia. *Et data oratione cum Antiph. quale voluerit, descendant ad sanctum Andream, dictoque Psalmo* cxiii. *sequitur*, alleluia. In exitu Israel. *Vers. I.* Facta est Judæa. *Vers. II.* Mare vidit.

a Scilicet ubi Christi cruci affixi statua posita erat, ut etiam nunc est in interiori chori parte.

b Seu Podium, Intelligit Cangius lectrum, analectrum in Ecclesia, ad quod gradibus ascenditur, laudatque hunc ipsum locum ex Ordine Rom. desumptum. Juxta Mabillonium in notis ad Ord. Rom. I. Pogium est locus cancellorum, quibus sanctuarium a choro dirimitur, sic dictum quod per gradus sensim assurgeret.

c Est cantorum chorus.

d Apud Vulgatum Alcuinum, ad Fontes seu ad vestem. Hoc loco forsitan baptizandi vestem deponebant, aut baptizati vestem albam induebant.

e S. Andreæ basilica proxima erat Vaticano.

f In Ord. Rom. jam laudato de Græco de Pactis, de Procoma. Ad quem locum plurimas variantes lect. affert Mabill. His vocibus indicantur loca, ubi hæc vini genera nascebantur.

g Lege ὁ [illegible] τῷ Ἰσραήλ, qui Regis Israel: & pro Apolon Aperitaw [illegible] Vinum de Ægypto. Ita legitur in Ordine Rom. de quo jam sæpe diximus.

In Evan_elio.

Antiph. Surrexit Dominus vere, alleluia, & apparuit Simoni, alleluia. *Sequitur oratio.*

Feria tertia.

Psal. Domine Deus meus. *Psal.* Dominus Dominus noster. *Psal.* In Domino confido. *Vers.* Surrexit Dominus vere. *Resp.* Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu-Christi Domini nostri, alleluia. *Vers.* In omnem terram exivit sonus eorum. *Resp.* Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Ait ei Angelus: noli flere, Maria. Surrexit sicut dixit, præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, alleluia, alleluia. *Vers.* Cito euntes dicite discipulis ejus & Petro, quia surrexit Dominus. Præcedet. *Resp.* Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in Domino, alleluia. *Vers.* Non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Itaque.

In Evangelio.

Antiph. Obtulerunt Discipuli Domino partem piscis assi, & favum mellis, alleluia, alleluia. *Ant.* Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Jam credite, alleluia.

Ad Vesper. iterum ad Lateran.

Post psalmum cxj. alleluia. Paratum cor meum. *Vers. I.* Exurge, gloria mea. *Vers. II.* Ut liberentur.

In Evangelio.

Antiph. Stetit Jesus in medio Discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis, alleluia, alleluia. *Et data orat descendant ad fontes cum Antiph. Post Psal. cxij. sequitur* a *alleluia.*

In Evangelio.

Antiph. Videte manus meas, & pedes meos, quia ipse ego sum, alleluia, alleluia. *Data orat. itur ad S. Andream post Psal. cxiij. dicitur* alleluia. Confitebor tibi Domine. *Vers. I.* Adorabo ad templum. *Vers. II.* Super misericordiam.

In Evangelio.

Antiph. Isti sunt sermones quos dicebam vobis, cum essem vobiscum, allelluia, alleluia. *Ant.* Oportebat pati Christum, & resurgere a mortuis.

Feria quarta.

Psal. Salvum me fac, Domine. *Psal.* Usquequo. *Psal.* Dixit insipiens. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro. *Resp.* Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus; alleluia, alleluia, alleluia. *Vers.* Et unus de senioribus dixit mihi: ne fleveris, dignus est agnus qui occisus est, accipere potestatem & fortitudinem, alleluia. *Resp.* Isti sunt agni novelli qui annuntiaverunt, alleluia, modo venerunt ad fontes, repleti sunt claritate, alleluia, alleluia. *Vers.* Ecce præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Modo in omnem terram, *ut sup. Resp.* De ore prudentis procedit mel, alleluia: dulcedo mellis est lingua ejus, alleluia; favus distillans labia, ejus, alleluia, allelia. *Vers.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel & favum in ore meo. Favus.

In Evangelio.

Antiph. Et recordatæ sunt verborum ejus, & regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus, alleluia.

Ad Vesperas.

Post Psal. cxj. alleluia. Te decet hymnus Deus. *Vers. I.* Replebimur.

In Evangelio.

Antiph. Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis, alleluia, *data orat. itur ad fontes, Post Psal. cxij* alleluia. Confitemini Domino. *Vers. I.* Cantate ei. *Vers. II.* Laudamini. *Ant.* Dicit discipulus quem diligebat Jesus Petro, Dominus est, alleluia.

In Evangelio.

Data orat. itur ad S. Andream. Post Psal. cxiij. inchoantes. *Resp.* Hæc dies. *Et respondent omnes,* quem fecit Dominus. *usque in finem. Ant.* Hoc jam tertio manifestatus est Jesus, postquam resurrexit a mortuis, alleluia.

Feria quinta.

Psal. Domine, quis habitabit. *Psal.* Conserva. *Psal.* Exaudi Domine. *Vers.* Quem queris, mulier. *Resp.* Ego sum vitis vera, & vos palmites: qui manet in me & ego in eum, hic fert fructum multum, al eluia. alleluia. *Vers.* Manete in dilectione mea, dicit Dominus. Qui manet. *Resp.* Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me. Philippe, qui videt me, videt & patrem, alleluia. Jam creditis quia ego in patre, & pater in me est, alleluia, alleluia. *Vers.* Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Non ereditis. *Resp.* Surrexit pastor bonus qui animam suam posuit pro ovibus suis, & pro suo grege mori dignatus est, alleluia, alleluia, alleluia. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno. Et pro grege.

In Evangelio.

Ant. Maria stans ad monumentum plorans, vidit Angelum in albis sedentem, & sudarium quod fuerat super caput Iesu, alleluia.

Ad Vesp.

Per circulum Psal. cum all. dicant & reliq. Resp. Hæc dies quam fecit Dominus. *Ant.* Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Si tu sustulisti eum, dicito mihi, alleluia, & ego eum tollam, alleluia, alleluia. *Ant.* Venit Maria nuntians Discipulis; quia vidi Dominum, alleluia. *Ant.* Ardens est cor meum desidero videre Dominum meum, quæro & non invenio ubi posuerunt eum, alleluia.

Feria sexta.

Psal. Cæli ennarrant. *Psal.* Exaudiat te Dominus. *Psal.* Domine in virtute tua. *Vers.* Ecce ego vobiscum sum.

Resp.

a Hoc loco nihil corruptius in codice ms. Legendum ut in Ordine Rom. I. a Mabill. dato. προσέχετε, λαός μου τῷ νόμῳ μου, κλίνατε τὸ οὖς ὑμῶν εἰς τὰ ῥήματα τοῦ στόματός μου. *Attendite populus meus legem meam, &c.*

Resp. in Feria secunda istius Hebdom.

Resp. Maria Magdalene, *ut supra*. *Vers.* Cito euntes dicite Discipulis. *Resp.* Surgens Dominus noster. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro. *Resp.* Congratulamini mihi omnes. *Vers.* Tulerunt Dominum meum. *Ant.* Ecce ego vobiscum sum, alleluia, omnibus diebus, alleluia. *post psal. cxj.* alleluia. Lætatus sum. *Vers.* Stantes erant pedes nostri. *Vers.* Rogate quæ ad pacem sunt. *Ant.* Undecim Discipuli in Galilæa videntes Dominum adoraverunt, alleluia. *Data orat. descendant cum Antiph.* ......, *Resp.* Hæc dies quam fecit Dominus. *Ant.* Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra, alleluia. *In pace post orationes descendant ad fontes. Post. psal.* B cxxij. alleluia. Qui confidunt. *Vers. I.* Montes in circuitu ejus. *Vers. II.* Ut non extendant justi. *Ant.* Euntes in mundum, docete omnes gentes, baptizantes eos, alleluia, in nomine patris, et filii, et spiritus sancti, alleluia. *Ant.* Dixit Jesus discipulis suis, afferte de piscibus quos prendidistis nunc: ascendit autem Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus, alleluia.

Sabbato.

Psal. Dominus regit me. *Psal.* Domini est terra. *Psal.* Judica me, Domine, quoniam unicus, alleluia, *ut supra*. *Vers.* Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum, alleluia, allel. allel. C

Responsoria req. retro ut supra in Evangelio.

Ant. Jesum qui crucifixus est quæritis, alleluia. Non est, surrexit enim sicut dixit vobis alleluia. *post Psal cxj.* All. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus. *Vers.* Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

In Evangelio.

Ant. Gavisi sunt Discipuli, alleluia, viso Domino, alleluia. *Data orat. descendant ad fontes. Post Psal. cxij.* D

a InGreco, alleluia [a] yorinum degente doxon teupi esse detheron authn angelithon stercona. *Ant.* Accipe spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, alleluia, *absque Psal. cxij.*

Pro versibus & responsis, a Pascha usque in octavam, ad tertiam, sextam, nonamque R. G. Hæc dies, *tantum prima sine* Kyrie eleison.

Dominica Octavæ Paschæ.

Psal. Beatus vir, *usque*, Domine, in virtute tua *sicut aliis Dominicis noctibus canantur. Vers.* Jubilate Deo, omnis terra. *Vers.* Cantate Domino. *Vers.* Noli flere, Maria. *Vers.* Dicite in nationibus. *Vers.* E Dominus regnavit, decorem. *Isti sunt dicendi in omnibus diebus per totam Resurrectionem.*

Responsoria requiruntur a Pascha, usque in octav. Ipsos debes canere usque in tert. hebdom. Ant. Post dies octo januis clausis, ingressus Dominus, dixit eis, pax vobis, allel. allel. *Ant.* Pax vobis, ego sum, nolite timere, alleluia, alleluia.

Ad Vesp. Dominica in Albis.

b *Post Psalm. cx. Allel.* [b] Deutha Galtea southa A heiria alla laxamento thentho sotori ymon, *Vers.* Protasome propasome theopropason authensomo logisicen. *Vers. II.* Othuthens n egesterrius behebasyleus megas orypason tingis etmenden *Alleluia sequitur Ant.* Quia vidisti me, Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt, alleluia, alleluia. Beatus vir. *Post hanc* Alleluia. Omnes gentes plaudite. *Vers. I.* Quoniam Dominus summus. *Vers. II.* Ascendit Deus in jubilatione, *Ant.* Misi digitos meos in fixuram clavorum, & manus meas in latus ejus, & dixi: Dominus meus, & Deus meus, alleluia.

In Evangelio.

Ant. Mitte manum tuam, & cognosce loca clavorum, alleluia, & noli esse incredulus, sed fidelis, alleluia. *Ant.* Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius, allel. *Data erat. & finita* post hanc bibant [*] ecunacum primo scholæ pergant canentes ad Later. *Antiph.* Antepono.

[*] Forte bibant, una cum primo.

Ab octava Paschæ per totam Resurrect.

Super Psal. in Evangelium & versoria, & in Sanctorum, alleluia, dicenda sunt item Antiph. de Resurrectione Domini ubicumque volueris. Ant. Exeuntes duo ex Discipulis Jesu, ibant ipso die in castellum nomine Emaus, alleluia. *Ant.* Pax vobis, ego sum, nolite timere, alleluia. *Ant.* Conturbati vero & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et ait illis: quid turbati estis [*] ascendunt in corda vestra, alleluia, alleluia. *Ant.* Spiritus carnem & ossa non habent sicut me videtis habere. Jam credite, alleluia. *Ant.* Et dixit ad eos, alleluia, hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, alleluia. *Ant.* Manifestavit se Jesus ad mare Tiberiadis, alleluia, alleluia, stans Jesus in littore, vocavit discipulos suos, alleluia. *Ant.* Cum audisset Petrus quia Dominus est, tunica succinxit se, & misit in mare, & clamavit voce magna dicens: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. *Ant.* Dum flerem ad monumentum, vidi Dominum meum, alleluia. *Ant.* Inclinavit se Maria, prospexit in monumentum, vidit duos Angelos in albis sedentes, alleluia. *Ant.* Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Noli flere Maria, resurrexit Dominus sicut dixit, alleluia. *Ant.* Maria, noli jam flere Dominum Deum quem quæris, surrexit a mortuis, alleluia. *Ant.* Videntes eum adoraverunt, alleluia, Et locutus est eis, alleluia. *Ant.* Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis, allaluia. *Ant.* Una autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata, alleluia, alleluia *Ant.* Currebant duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro; & venit prior ad monumentum, alleluia. *Ant.* Gavisi sunt Discipuli, alleluia, viso Domino, alleluia. *Ant.* Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, alleluia. *Ant.* Quomodo tradiderunt justum summi Sacerdotum, & Principes nostri in damnationem mortis ejus consenserunt, & crucifixerunt eum, alleluia. *Ant.* Jesus junxit se Discipulis suis in via, & ibat cum illis: oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent, & increpavit eos dicens: O stulti & tardi corde ad credendum in his quæ locuti sunt

[*] & cogitationes.

a Lege οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ. ποίησιν δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα, ut extat in Ordine Rom. a nobis commemorata: id est, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

b Lege, δεῦτε ἀγαλλιασώμεθα τῷ κυρίῳ, ἀλαλάξωμεν τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρι ἡμῶν. προφθάσωμεν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐν ἐξομολογήσει, καὶ ἐν ψαλμοῖς ἀλαλάξωμεν αὐτῷ. ὅτι Θεὸς μέγας κύριος, καὶ βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. id est venite, exultemus &c usque & Rex magnus super omnem terram.

sunt Prophetæ, alleluia. *Ant.* Ardens erat cor nostrum, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas, alleluia. *Ant.* Surgens autem mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia, alleluia, alleluia, alleluia. *Ant.* Præcedam vos in Galilæam; ibi me videbitis sicut dixi vobis, alleluia. *Ant.* Et ingressi, non invenerunt corpus Jesu, alleluia. *Ant.* Quem quæris, mulier, alleluia. Viventem cum mortuis, alleluia. *Ant.* Noli flere Maria, alleluia, resurrexit Dominus, alleluia, alleluia. *Ant.* Surrexit Christus, & illuxit populo suo quem redemit * sanguinem suum, alleluia. *Ant.* Ardens est cor meum, desidero videre Dominum meum; quæro & non invenio ubi posuerunt eum, alleluia. *Ant.* Crucifixus resurrexit a mortuis, redemit nos, alleluia. *Ant.* Ego sum vitis vera, alleluia; vos palmites veri, alleluia. *Ant.* Dixit Jesus discipulis suis: afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit autem Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, alleluia. Tu solus peregrinus es, & non audisti de Jesu, quomodo tradiderunt eum ad damnationem mortis, alleluia. *Ant.* Et ecce Jesus occurrit illis, dicens, Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, allel. *Ant.* Tunc ait illis Jesus: nolite timere, nuntiate fratribus meis, alleluia, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt, alleluia. *Ant.* Surrexit enim sicut dixit Dominus, & præcedet vos in Galilæam, alleluia. Ibi eum videbitis, alleluia, alleluia, alleluia. *Ant.* Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam. Ibi me videbunt allel. allel. allel. *Ant.* Mitte manum tuam, & cognosce loca clavorum, alleluia, & noli esse, *ut supra*. *Ant.* Misi digitos meos, *ut supra*. *Ant.* Videte manus meas, & pedes meos, quia ipse ego sum, allel. allel. *Ant.* Christus surrexit a mortuis, jam non moritur, alleluia. *Ant.* Euntes in mundum, alleluia, docete omnes gentes, alleluia. *Ant.* Ecce ego vobiscum sum, alleluia, omnibus diebus, alleluia. *Ant.* Surrexit Christus, & illuxit populo suo, alleluia. *Ant.* Christus via, veritas, & vita, allel. allel. *Ant.* Ego sum via, veritas, & vita, allel. allel. *Ant.* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, quod non tenuimus eum in via, alleluia. *Ant.* In Galilæa Jesum videbitis, sicut dixit vobis, alleluia. *Ant.* Surrexit Dominus de sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno, alleluia. *Ant.* Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, alleluia, quæ non sunt scripta in libro hoc, alleluia. *Ant.* Cum esset sero die illo, una Sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, stetit Jesus in medio, & dixit eis pax vobis. Alleluia.

Desunt tres lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

In Pascha [a] *annotina.*

Ant. Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Nemo potest hæc signa facere nisi fuerit Deus cum eo. *Ant.* Dixit Jesus Nicodemo: tu es magister in Israel, & hæc ignoras? quia dixi vobis, oportet vos nasci denuo, alleluia. *Ant.* Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo, alleluia.

Dominica prima post octav. Paschæ.

Ant. Ego sum pastor ovium: ego sum via, & veritas, ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ, allel. allel. *Ant.* Mercenarius est.... *cetera desunt*. *Ant.* Sicut misit me pater, & ego agnosco patrem; & animam meam pono pro ovibus meis, alleluia. *Ant.* Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. Et illas oportet me adducere: & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.

Dominica secunda.

Ant. Modicum & non videbitis me, dicit Dominus, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem allel. allel. *Ant.* Amen dico vobis, plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Tristitia vestra vertetur in gaudium allel. allel. *Ant.* Amen dico vobis, mundus plorabit, & vos gaudebitis, & gaudium vestrum nemo toller a vobis, alleluia. *Ant.* Tristitia implevit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis, allel. allel. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet a vobis, alleluia.

Dominica tertia.

Ant. Vado ad eum qui misit me: sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum, alleluia. *Ant.* Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet, alleluia. *Ant.* Si enim non abiero.... *Cetera desunt.*

Dominica quarta.

Ant. Adhuc multa habeo vobis dicere, non potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem, allel. *Ant.* Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; & quæ ventura sunt annuntiabit vobis, alleluia. *Ant.* Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis, alleluia. *Ant.* Omnia quæcumque habet pater, mea sunt, alleluia; propterea dixi quia de meo accipiet & annuntiabit vobis, alleluia.

Dominica quinta.

Ant. Usque modo non petistis quidquam? petite & accipietis, alleluia. *Ant.* Petite & accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit. Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis & credidistis, allel. *Ant.* Hæc in proverbiis locutus sum vobis; venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de patre annuntiabo vobis, alleluia. *Ant.* Illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis quia rogabo patrem de vobis, alleluia. *Ant.* Rogabo de vobis patrem: ipse enim pater amat vos, quia vos me amatis, alleluia. *Ant.* Exivi a patre & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad patrem, allel. allel. *Ant.* Ecce nunc palam loqueris.... *Cetera desunt*. *Ant.* Nunc scimus, quia scis omnia, & non est opus tibi ut quis te interroget, in hoc credimus, quia a Deo existi, allel.

Dominica sexta.

Ant. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, alleluia. *Ant.* Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, allel. arbitretur obsequium se præstare Deo.

Domi-

[a] Quid sit Pascha annotina, repete ex nota 154. ad Lib. Sacram.

Dominica septima.

Antiph. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis fiet vobis, alleluia. *Ant.* Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur, alleluia.

In Letania majore.

Antiph. Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis, allel. *Ant.* Omnis enim qui petit accipit; & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur, allel. *Ant.* Quis scit si convertatur. *Ant.* Clementissime, exaudi, Domine, populum tuum. *Ant.* Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat. *Ant.* Nos sumus qui peccavimus, Domine, & inique egimus. Munda nos a peccatis nostris, quia pius es. *Ant.* Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum, allel. *Ant.* Maneat in nobis spes, fides, caritas, tria hæc; major autem his est caritas, alleluia.

Responsoria de authoritate, in Dominicam tertiam sive in quartam.

C

Resp. Dignus es, Domine, accipere librum & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo, allel. *Vers.* Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti, Christe, in sanguine tuo. *Resp.* Ego sicut vitis, fructificavi suavitatem odoris, alleluia. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini, allel. allel. *Vers.* Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Transite. *Resp.* Audivit vocem in cælo tamquam vocem tonitrui magni, alleluia. Regnavit Dominus noster in æternum, alleluia, quia facta est salus, & virtus, & potestas Christi ejus, allel. allel. *Vers.* Vidi Angelum Dei volantem per medium cælum voce magna clamantem & dicentem. Regnavit. *Resp.* Locutus est ad me unus ex septem Angelis, dicens: veni, ostendam tibi novam nuptam sponsam agni. Et vidi Jerusalem descendentem de cælo ornatam monilibus suis, allel. allel. allel. *Vers.* Ego diligentes me, *ut supra*. *Resp.* Audivi vocem in cælo Angelorum multorum dicentium: timete Dominum, & date gloriam illi, & adorate eum qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum all. allel. *Vers.* Vidi Angelum Dei, *ut supra*. *Resp.* Decantabat populus in Israel, alleluia, & universa multitudo Jacob canebat legitime, & David cum cantoribus citharam percutiebat in domo Domini, & laudem Deo canebat, allel. allel. *Vers.* Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos. Et laudem. *Resp.* Vidi portam civitatis ad Orientem positam, & Apostolorum nomina & agni super eam scripta; & super muros ejus Angelorum custodia, alleluia. *Vers.* Vidi sanctam civitatem Jerusalem descendentem de cælo, ornatam tamquam sponsam viro suo. Et super muros. *Resp.* Ostendit mihi Angelus fontem aquæ vivæ, et dixit ad me, alleluia, hic Deum adora, alleluia, alleluia. *Vers.* Vidi Angelum Dei, *ut supra*. *Resp.* Vidi Jerusalem descendentem cælo ornatam auro mundo, et lapidibus pretiosis intextam, allel. allel. *Vers.* Ab intus in fimbriis aureis circumamictam varietate et lapidibus. *Resp.* Speciosa facta es et suavis in deliciis

Alius est ordo Respons. apud Amal. lib. de ord. Antiph. c. 56.

A tuis, allel. Altitudo tua similis est palmæ insufficienti, in plenitudine caritatis, allel. allel. allel. *Vers.* Ego diligentes, *ut supra*. *Resp.* In diademate capitis Aaron lapides pretiosi fulgebant, dum perficeretur opus Dei, allel. allel. allel. *Vers.* Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis. Dum perficeretur. *Resp.* Plateæ tuæ, Jerusalem, sternentur auro mundo, alleluia: et cantabitur in te canticum lætitiæ, alleluia: et per omnes vicos tuos ab universis dicetur, allel. allel. *Vers.* Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Et per omnes. *Resp.* Veniens a Libano quam pulchra facta est, alleluia; et odor vestimentorum ejus super omnia aromata, allel. allel. *Vers.* Speciosa facta

B est et suavis in deliciis suis. Et odor. *Resp.* Hæc est Jerusalem civitas magna cælestis, ornata tamquam sponsa agni: quoniam tabernaculum facta est, allel. *Vers.* Vidi Jerusalem descendentem, *ut supra*. *Resp.* Docete filios vestros, alleluia, ut memoriter teneant, alleluia, et ore decantent, alleluia. *Vers.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Et odor. *Resp.* Candidi facti sunt Nazaræi ejus, alleluia, splendorem Deo dederunt, alleluia, et sicut lac coagulati sunt, allel. allel. *Vers.* In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Et sicut lac.

Responsoria de Dominica quinta.

Hi sunt canendi usque in Ascensione Domini.

Resp. Si oblitus fuero tui, allel. obliviscatur me dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, allel. allel. *Vers.* Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion. Adhæreat. *Resp.* Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt: multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, allel. allel. allel. *Vers.* Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit et commota est terra. *Resp.* In toto corde meo, alleluia, exquisivi te, alleluia: ne repellas me a mandatis tuis, allel. allel. *Vers.* Vide

D humilitatem meam et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus. Ne repellas. *Resp.* Alleluia. Audivimus * et in effrata, invenimus eam in campis silvæ; introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, allel. *Vers.* Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum. Ubi. *Vers.* Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Adorabimus. *Resp.* Deduc me in semitam mandatorum tuorum, allel. quoniam ipsam volui, alleluia. Inclina cor meum in testimonia tua, allel. allel. allel. *Vers.* Averte oculos ne videant vanitatem: in via vivifica me. Inclina. *Resp.* Narrabo nomen tuum fratribus meis: in

E medio Ecclesiæ laudabo te, allel. allel. *Vers.* Qui timetis Dominum laudate eum: universum semen Jacob magnificate eum. In medio. *Resp.* In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel, all. all. all. *Vers.* Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra. Domino. *Resp.* Hymnum novum cantate nobis, alleluia: quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, allel. allel. *Vers.* Super flumina, *ut supra*. *Resp.* Deus, canticum novum cantabo tibi, alleluia, in psalterio decem chordarum psallam tibi, allel. allel. *Vers.* Qui dat salutem Regibus, qui redemit David servum suum de gladio maligno. In Psalterio. *Resp.* Allel. Judica judicium meum, et redime me, allel. *Ant.* Calumniantibus me, alleluia. *Vers.* Vide humilitatem meam, *ut supra*. Et redime. *Resp.* Alleluia De- lecta-

* eum in Ephrata.

lectatio bona in operibus manuum illius, divitiæ multæ, allel. all. *Vers.* Speciosa facta est & suavis in deliciis suis. Divitiæ *Resp.* Cantate Deo, allel. Psalmum dicite, allel. *Vers.* Date gloriam laudi ejus. Psalmum. *Resp.* Alleluia. Nomen bonum melius est quam divitiæ multæ; super aurum & argentum gratia bona est, allel. allel. *Vers.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine! super mel & favum ori meo. Super. *Resp.* Alleluia. Fac cum servo tuo secundum mirabilia tua, Domine, allel. allel. allel. *Vers.* Servus tuus ego sum, da mihi intellectum ut discam mandata tua, alleluia. *Resp.* Bonum est confiteri Domino, allel. & psallere, allel. allel. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Et psallere. *Resp.* Dicant nunc qui redemti sunt a Domino, allel. *Vers.* Quos redemit de manu inimici, de regionibus congregavit eos. A Domino.

Desunt quædam lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Responsoria de Sanctis cum Alleluia.

Resp. Beatus vir qui timet Dominum, alleluia, in mandatis ejus qui cupit nimis, allel. allel. allel. *Vers.* Potens in terra, *ut supra*. In mandatis. *Resp.* Tristitia vestra, alleluia, convertetur in gaudium, allel. allel. *Vers.* Mundus autem gaudebit, vos autem plorabitis, dicit Dominus, alleluia. *Resp.* Pretiosa in conspectu Domini, allel. mors Sanctorum ejus, allel. *Vers.* In conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem. *Resp.* Filiæ Jerusalem, venite & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, in die solemnitatis & lætitiæ, alleluia. *Vers.* Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. In die solemnitatis. *Resp.* Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Domine, & æternitas temporum, alleluia, alleluia. *Vers.* Lux orta est justo, & rectis corde lætitia. Et æternitas. *Resp.* Justorum animæ, *ut supra*. *Vers.* Vidi civitatem sanctam Jerusalem ornatam & compositam decorationibus Sanctorum: & ibi cantant omnes Sancti canticum novum, allel. allel. *Vers.* Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri in monte sancto ejus.

Desunt aliquot lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiphonæ in Matutinis.

Antiph. Alleluia. Ego sum vitis vera. *Ant.* Si manseritis in me. *Ant.* [a] Non turbetur cor vestrum. *Ant.* Si cognovissetis me, & patrem meum utique cognovissetis; & amodo cognoscetis eum & vidistis eum, allel. allel. allel. *Ant.* Tanto tempore vobiscum sum, alleluia, & non cognovistis me, Philippe, alleluia. *Ant.* Non turbetur cor vestrum neque formidet; creditis in Deum, & in me credite.

A In domo Patris mei mansiones multæ sunt, alleluia, alleluia. *Ant.* Angelus Domini locutus est ad Philippum; surge & vade contra meridianum ad viam quæ descendit ab Jerusalem in Gaza, alleluia. *Ant.* Ecce quomodo computati sunt inter filios, & inter Sanctos sors illorum est, alleluia. *Ant.* Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis, allel. *Ant.* Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem meum, allel. allel. *Ant.* Philippe, qui videt me, videt & patrem meum, alleluia. *Ant.* Manete in dilectione mea sicut dilexi vos, alleluia. *Ant.* Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis fiet vobis, allel. allel. allel. *Ant.* Erat autem Philippus a Betsaida civitate, alleluia, *Ant.* Sancti & justi in Domino gaudete. *Ant.* In cælestibus regnis. *Ant.* In velamento clamabant. *Ant.* Sancti tui, Domine.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Desunt aliquot lineæ in ms.

Resp. Nomen & gloriosi [b] Georgius est martyr Christe, præstans orationibus suis beneficia hominibus, usque in præsentem diem, allel. allel. *Vers.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Usque in præsentem diem.

Desunt quædam lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

In Vigilia Ascensionis Domini ad Vesp.

Vers. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, allel. allel. allel. *Ant.* Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi, nunc autem pro eis rogo non pro mundo, quia ad te vado, alleluia.

Ad Invitatorium. Ant. deest in primo Nocturno.

Antiph. Elevata est magnificentia tua super cælos, Deus, allel. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo, alleluia. *Psal.* In Domino confido, *Ant.* A summo cælo egressio ejus, & occursus ejus, alleluia. *Psal.* Cæli enarrant. *Vers.* Ascendit Deus. *Resp.* Post passionem suam per dies quadraginta apparens eis, loquens de regno Dei, alleluia, & videntibus illis elevatus est, allel. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum, alleluia, *Vers.* Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris. Et videntibus. *Resp.* Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sydera: E species ejus in nubibus cæli, & nomen ejus in æternum permanet, alleluia. *Vers.* Nisi ego abiero, Paracletus non veniet; dum assumtus fuero, mittam vobis eum. Et nomen. *Resp.* Non turbetur cor vestrum. Ego vado ad patrem, & dum assumtus fuero a vobis, mittam vobis, alleluia, Spiritum veritatis, & gaudebit cor vestrum, alleluia. *Vers.* Nisi ego, *ut supra*.

In secundo Nocturno.

Antiph. Exaltare, Domine, in virtute tua: cantabimus & psallemus, alleluia. *Psal.* Domine in virtute

a. Hoc officium videtur esse de S. Philippo Apostolo, Kalendis Maii, quem a Philippo diacono non diversum probant quæ seq. *Angelus Domini locutus est ad Philippum, &c.*

b Ordine præpostero videtur hoc loco S. Georgii officium positum post offic. de S. Philippo: nam festum S. Georgii in lib. Sacram. & aliis vet. monumentis notatur a 9 Kalendas Maii.

tute Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, allel. *Psal.* Ipsum. *Ant.* Ascendit Deus in jubilatione: Dominus in voce tubæ; allel. *Psal.* Omnes gentes. *Vers.* A summo cælo.

Responsoria unde supra.

Resp. Ascendens in altum, allel. captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus, allel. allel. *Vers.* Ascendit Deus in jubilatione, allel. Dominus in voce tubæ. *Resp.* Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem. In voce. *Resp.* Modicum & non videbitis, *ut supra.* *Vers.* Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Quia vado. *Resp.* Psallam Domino, quia, *ut supra.* *Vers.* Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date honorem Deo. Quia. *Ant.* Nimis exaltatus est Deus super omnes cælos, allel. *Psalm.* Dominus regnavit, exultet. *Ant.* Deus in Sion, allel. magnus & excelsus, allel. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Ant.* Dominus in cælo, allel. paravit sedem suam, allel. *Psalm.* Benedic, anima mea. 2. *Vers.* Nimis exaltatus est super omnes Deos; allel. allel. allel.

Responsoria unde supra.

Resp. Ponis nubem ascensum tuum, Domine, qui ambulas super pennas ventorum, allel. *Vers.* Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem. Qui ambulas. *Resp.* Exaltare, Domine, allel. in virtute tua, allel. *Vers.* Cantabimus & psallemus virtutes tuas. In virtute. *Resp.* Tempus est ut revertar ad eum qui misit me, dicit Dominus: nolite contristari, nec turbetur cor vestrum; rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custodiat, allel. allel. *Vers.* Nisi ego abiero, *ut supra.* Rogo. *Vers.* Ascendo ad Patrem meum, *ut supra.* *Resp.* Non conturbetur cor vestrum. Ego vado ad Patrem, & mittam vobis Spiritum veritatis, & ipse vos docebit, quæ sunt præcepta vitæ, allel. *Vers.* Nisi ego, *ut supra.* *Resp.* Eduxit Dominus discipulos suos foras in Bethaniam, & benedixit eis, allel. *Vers.* Et factum est dum benediceret eos, recessit ab eis, & ferebatur in cælum, allel. *Resp.* Pacem meam do vobis, *ut supra.* *Vers.* Non vos relinquam orphanos, dicit Dominus. Veniam ad vos iterum. Pacem. *Resp.* Non vos relinquam orphanos, *ut supra.* *Vers.* Pacem meam do vobis, dicit Dominus, pacem relinquo vobis. Et gaudebit. *Resp.* Pater, cum essem cum eis, *ut supra.* *Vers.* Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non rogo.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Viri Galilæi, quid aspicitis in cælum? Hic Jesus qui assumtus est a vobis in cælum, sic veniet, allel. *Ant.* Cumque intuerentur in cælum, euntem illum, dixerunt, allel. *Ant.* Elevatis manibus benedixit eis & ferebatur in cælum, allel. *Ant.* Exaltate Regem Regum & hymnum dicite Deo, allel. *Ant.* Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum, allel.

In Evangelio.

Antiph. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum, alleluia. *Ant.* Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, alleluia. *Ant.* Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet, dum assumtus, *ut supra.* *Ant.* Non turbetur cor vestrum, allel. Ego vado ad Patrem, allel. *Ant.* Rogavi Patrem meum, & alium Paraclitum mittet vobis, allel. *Ant.* Dominus quidem Jesus, postquam locutus est, ascendit in cælum, & sedet a dextris Dei, allel. *Ant.* Pacem meam do vobis, allel. Pacem, *ut supra.* *Ant.* Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Deo cooperante, * sermonem confirmante sequentibus signis, allel. allel. *Ant.* Vado parare vobis locum, & iterum veniam ad vos, allel. & gaudebit cor vestrum, allel. allel. *Ant.* Euntes prædicate Evangelium regni. Gratis accepistis, gratis date, allel. *Ant.* Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, allel. *Ant.* Etsi mortiferum quid biberint, non eos nocebit, allel. *Ant.* O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cælos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos; sed mitte promissum Patris in nos spiritum veritatis, allel. *Ant.* Pater sancte, hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram; opus consummavi * quos dedisti mihi, ut faciant, allel. *Ant.* Pater juste, mundus te non cognovit. Ego autem te cognovi; & hi cognoverunt, quia tu me misisti; & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis. *Ant.* Nunc autem ad te venio.... *Cetera desunt in ms.*

* o.

* quod.

. . . . *Duo hinc desunt in ms.*

In Vigilia Pentecost. ad Vesp.

Vers. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, allel. allel. allel. *Ant.* Si diligitis me, mandata mea servate, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, allel. Non vos relinquam orphanos, allel. Vado & venio ad vos, allel. Et gaudebit cor vestrum, alleluia.

Ad Invitatorium.

Ant. Alleluia, spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia.

In primo Nocturno.

Antiph. [a] Factus est repente de cælo sonus advenientis spiritus vehementis, allel. *Psalm.* Magnus Dominus & laudabilis. *Ant.* Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, alleluia, allel. *Psal.* Exurgat Deus. *Ant.* Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ, alleluia, allel. *Psal.* Benedic, anima mea. a. *Vers.* Emitte Spiritum tuum.

Responsoria.

Resp. Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter dicentes, allel. & subito factus est de cælo sonus, allel. tamquam spiritus torrens replevit totam domum, allel. allel. *Vers.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui. Tamquam Spiritus. *Resp.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Et convenit multitudo dicentium, allel. *Vers.* Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei. Et convenit. *Resp.* Jam non dicam vos servos sed amicos meos, quia omnia cognovistis, quæ operatus sum in medio vestri, allel. Accipite Spiritum sanctum in vobis Paraclitum;

a Tres sequentes Antiphonas Romanos non canere, sed ex Antiphonario Metensi produxisse ait Amalar. de Ordine Antiphon. c. 37.

a Cur hac die tres tantum Psalmi canantur, ex eodem Amalario repete, ibid.

ille est quem Pater mittet vobis, allel. *Vers.* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, Accipite. *Resp.* Ultimo festivitatis die dicebat Jesus: Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, allel. allel. *Vers.* Qui sitit, veniat & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem, *Resp.* Disciplinam & sapientiam docebit eos Dominus, allel. firmavit in illis gratiam Spiritus sui, & intellectus implevit corda eorum, allel. allel. *Vers.* Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientia. Et intellectus, *Resp.* Spiritus sanctus procedens a throno, Apostolorum pectora invisibiliter penetravit, * novum sanctificationis signum, ut in ore eorum B omnium genera nascerentur linguarum, allel. *Vers.* Loquebantur variis, *ut supra*. Ut in ore. *Resp.* Dum venerit Paraclitus, *ut supra*. *Vers.* Nisi ego abiero, *ut supra*. Ille arguet. *Resp.* Non vos relinquam orphanos, *Vers.* Pacem meam, Et gaudebit. *Resp.* Ite in orbem universum, & prædicate dicentes, allel. & qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, allel. allel. allel. *Vers.* Signa eos qui in me credunt hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis. Et qui crediderit. *Vers.* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et qui. *Resp.* Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tamquam ignis, alleluia. Seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus, allel. allel. C *Vers.* Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Seditque. *Resp.* Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, allel. *Vers.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto, *ut supra*. *Resp.* Facta autem hac voce convenit multitudo, & mente confusa est, quia audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes magnalia Dei, alleluia. *Vers.* Nonne omnes ecce isti qui loquuntur Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram. Illos loquentes. *Resp.* Advenit ignis divinus non comburens, sed illuminans; non consumens, sed lucens: & invenit corda discipulorum receptacula munda, & tribuit eis charismatum dona, allel. allel. D *Vers.* Loquebantur variis, *ut supra*. Et tribuit. *Resp.* In servis suis, allel. consolabitur Deus, allel. *Vers.* Loquebantur, *ut supra*.

Antiph. in Matutinis.

Antiph. Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter dicentes, allel. *Ant.* Spiritus Domini replevit orbem terrarum, allel. *Ant.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui, allel. *Ant.* Fontes & omnia quæ moventur in aquis, hymnum dicite Deo, allel. *Ant.* Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei, allel. allel. allel. *Vers.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto. E

In Evangelio.

Antiph. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, allel. *Ant.* Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et Pater meus, *ut supra*. *Ant.* Spiritus Paraclitus, allel. Docebit vos omnia, allel. *Ant.* Verba quæ loquutus sum vobis, allel. Spiritus & vita sunt. *Ant.* Spiritus qui a Patre procedit, allel. ille me clarificabit, allel. allel. *Ant.* Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, allel. *Ant.* Spiritus sanctus, docebit vos, allel. quæcumque dixero vobis, allel. *Ant.* Sicut misit me Pater, allel. & ego mitto vos,

A allel. *Ant.* Audistis, quia dictum est, vado & venio ad vos, Si diligeretis me, gauderetis quia ad Patrem vado, quia Pater major me est, allel. *Ant.* Hi qui linguis loquuntur novis, Galilæi sunt. Et sunt. Et serpentes tollent, alleluia.

Feria secunda.

Antiph. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, allel. *Ant.* Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, alleluia. *Ant.* Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta, alleluia.

Feria tertia.

Antiph. Amen, amen dico vobis quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oves, allel. *Ant.* Ego sum ostium, dicit Dominus, per me si quis introierit salvabitur; & pascua inveniet, alleluia.

Feria quarta.

Ant. Scriptum est in Prophetis: & erunt omnes docibiles Dei, allel. *Ant.* Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam, allel.

Feria quinta.

Ant. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, allel.

Feria sexta.

Antiph. Turba autem increpabat eos, ut tacerent; at illi magis clamabant dicentes: miserere nostri, fili David, alleluia. *Ant.* Stetit Jesus, & ait: quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi: ut aperiantur oculi nostri, allel. *Ant.* Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, allel.

Sabbato.

Antiph. Si quis diligit me, *ut supra*. *Ant.* Si manseritis, *ut supra*. *Ant.* Si cognovissetis me, *ut supra*.

Antiph. in Matutinis de sancto Germano.

Antiph. Beatissimi Germani hodie solemnitas veneranda recolitur, christianis populis exultatio. *Ant.* Cum Patrem festa instaurator discipulorum corda lætificat, veneratio impensa magistri. *Ant.* Cumque beatus Germanus in omnibus Christi mandatis ambularet, circumquaque regiones, vel urbes exhortationis gratia perlustrabat. *Ant.* Ad sepulcrum beati Germani ægri veniunt & sanantur, ubi benedicunt Deum dicentes, benedictus es, Domine. *Ant.* Laudemus Dominum in beata Antistitis Germani memoria gloriosa, ad sepulcrum ejus ægri veniunt & sanantur.

In Evangelio.

Antiph. Visitavit nos Deus Patrum vestrorum, allel. Ferte vobiscum hinc ossa mea, allel. & collocate me in sepulcro patrum meorum, alleluia, allel.

Antiph. et Resp. in Vigilia sancti ac beatissimi Medardi, Quod est VI. Id. Jun. ad Vesp.

Desunt tres lineæ in ms.

Ant.

Antiph. Beatissimi Medardi Antistitis vita, quæ A per universum orbem virtutum propalatur insignibus, silentio nequivimus præterire. *Psal.* Beatus vir qui non abiit. *Ant.* Crescat in universorum pectoribus pro fidei ardore devotio, dum Sanctorum tuorum panditur magnitudo. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* Ita sanctus Medardus, hoc quod prædixerat, quasi Propheta divino Spiritu jam probavit. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea ad Dominum clamavi.

Responsoria unde supra.

Resp. Beatissimi Medardi Antistitis vita, quæ per universum orbem virtutum propalatur insignibus, solemnitatis ejusdiem veneratione expetere depositionis suæ commemoratio principalis invitat. *Vers.* Crescat in universorum pectoribus pro fidei ardore devotio, dum Sanctorum tuorum panditur magnitudo. Solemnitatis. *Resp.* Sanctus Medardus parvus & innocens, dum adhuc esset in scholis, dixit ad Eleutherium quemdam comparem suum, ipsum esse futurum summum Dei Pontificem. *Vers.* Ita sanctus Medardus, hoc quod prædixerat, quasi Propheta divino Spiritu jam probavit. Ipsum esse futurum. *Resp.* Cinctus ergo fidei fervore, dum ad templorum oracula discurreret, & patientiæ moribus temperaret propriæ voluntatis arbitrium, officium sacerdotis excepit. *Vers.* Conversus pariter animo & habitu morum caritate præcellens.

Antiph. in secundo Nocturno.

Antiph. Occurrunt sanctissimo viro Medardo, & data oratione discoriantes quæ tulerant laxari, pergunt itinera. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Nec hoc prætereat inter reliqua miranda signa: quidam, Tasio nomine, adamantis gravatur oppressus infestatione curari meruit, expressoque viri Dei signaculo, surrexit incolumis. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Sed cum jam multimodis virtutum fulgeret studiis, per diversa orbis spatia, gratia crescente, fama ejus præcelluit. *Psal.* Domine Dominus noster. *Vers.* Gloria & honore.

Responsoria unde supra.

Resp. Confestim claruit apud urbis Pontificem, conversatione præcipuus apud cunctos puritate mentis sincerus. Numquam se ubertate lætitiæ plus extulit, numquam acerbitate mœroris turbavit. *Vers.* Cunctos tamen faciat ejus intercessio potiores. Numquam. *Resp.* Beatus Medardus fuit semper tolerans in adversis, mitis in prosperis, cunctos sibi obedientiæ sedulitate præferens, egentibus larga miseratione succurrens. *Vers.* Ex omnibus calcato vitiorum fomite angusti callis tramitem sanctæ conversationis gressu surgente conscendens. Cunctos sibi. *Resp.* Sanctæ conversationis tramitem gressu surgente conscendens, Beatus Medardus quidquid pretiosum fuit, elegit ut hospes cerneretur in seculo, & jam possessor esset in cælo. *Vers.* Ecclesiastici moris tenore percurrens Presbyterii officium electus, excepit.

In tertio Nocturno.

Antiph. Defuncto namque Vermandensium Pontifice, in ejus loco beatus Medardus consecratur Episcopus. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Conversatione cælesti sanctimonia ejus officii Sacerdos extitit pretiosus. *Psal.* Domine, in virtute. *Antiph.* Sustinuit jugiter diabolo præliante calumniam, sed pervenit victor meritis ad coronam. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. Sanctissimus Medardus Ecclesiastici moris tenore percurrens presbyterii officium electus excepit, probatus obtinuit, & ita se * * * cepit in virtutibus, ut Christi merito putaretur alumnus. *Vers.* Sed cum jam multimodis virtutum fulgeret studiis, per diversa orbis spatia gratia crescente fama ejus præcelleret. Et ita. *Resp.* Beatus Medardus conversatione cælesti, sanctimonia ipsius officii Sacerdos extitit pretiosus; & nisi quod percussor corporis defuit, nam martyrium confessor implevit. *Vers.* Sustinuit jugiter diabolo præliante calumniam, pervenit victor meritis ad coronam. Et nisi quod. *Resp.* Tunc sanctus Medardus longæ vitæ B defessus, requiem deprecatus, Spiritum * amisit, & convexa cæli athleta triumphalis ascendit. *Vers.* Conversatione cælesti sanctimonia ejus Sacerdos extitit pretiosus. *Resp.* Sanctus Medardus quando accepit transitum corporis ipsius * ore momento cæli aperti sunt, & ante Sancti corpusculum divina luminaria cunctis videntibus adfuerunt. *Vers.* Moxque in terra grande luxit diluvium; itaut multum plueret aqua calida de nubilo cæli sperti. *Resp.* Cumque ad tumulandum ducerentur sancta membra beati Medardi, quidam obviam factus est damnatis aurium auditibus, dum pretiosi velaminis peplum osculans, mox recipere auditum fide promeruit. *Vers.* Psallentiumque illico stupens melos audivit. C Dum. *Resp.* Prolixum est enarrare quantis se virtutibus debilium beato Medardo clamor attollat, sed fusis precibus, quidquid expetitur incunctanter ejus effectibus, & oratione obtinetur. *Vers.* Postquam igitur devotione fidelium maximo decore præsulta ejus tumuli urna exornata surrexit. *Resp.* Inter Christicolas quos actio vexit in astris, Pars tibi pro meritis magna Medarde patet. *Vers.* Exilium tibi mundus erat cænosa * caventa. *Resp.* Exilium tibi mundus erat cænosa caventa, & modo te gaudet cive manente polus. Exutus tenebris, vestitur tegmine lucis, post obitum frueris liberiore die. *Vers.* Inter Christicolas, *ut supra*. *Resp.* Quid referam mutus verbo, qui verba dedisti, quod D gravat ejiciens, quod juvat omne locans, cuncta nec enumero; tua me præconia vincunt. *Vers.* Quidam cæcus ad eum venit, rapuit palpando salutem: In mediis tenebris fulsit aperta dies. Cuncta.

Antiph. unde supra. Ad Nocturn.

Antiph. Sanctus Medardus requiem deprecatus Spiritum * amisit, & convexa cæli athleta triumphalis ascendit. *Ant.* Postquam igitur devotione fidelium maximo decore præsulta ejus tumuli urna exornata surrexit. *Ant.* Fusis precibus quidquid expetitur, incunctanter ejus effectibus obtinetur. *Ant.* Beatus Medardus Sacerdos extitit pre- E tiosus, martyrium confessor implevit, pervenit victor meritis ad coronam.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Inter Christicolas quos actio vexit in astris, pars tibi pro meritis magna Medarde patet. *Ant.* Quidam cæcus ad eum venit, rapuit palpando salutem, in mediis tenebris fulsit aperta dies. *Ant.* Alius quidam veniens dum veherentur membra sancta, substratus meruit cæcus habere diem. *Ant.* Ad sepulcrum sancti Medardi ægri veniunt & sanantur, ubi benedicunt Dominum dicentes: benedictus es, Domine. *Ant.* Compedibus validis alter manicisque ligatus, Mox tetigit peplum, fer-

* Verbum deest in mss.
* emisit.
* hora.
* cav[illegible]
* emisit.

rea vincla cadunt. *Ant.* Conferat vinctis pro indulgentia delictorum generale præsidium, qui speciale solemnitatis suæ hodie mundo præstitit ornamentum.

In Evangelio.

Antiph. E cælo calida aqua produxit nubilo, in ejus transitu magnum fuit mysterium.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiph. Solemnitatis ejus diem veneratione expetere depositionis suæ commemoratio principalis innituit. *Ant.* Quando sanctus Medardus accepit transitum corporis ipsius * ore momento cæli prorsus aperti sunt, & ante Sancti corpusculum, quasi per tres horas divina luminaria adstiterunt; & magnum fuit mysterium. *Ant.* Cujus corporis solemne pignus Suessionensium urbs tanti muneris præmio ditata promeruit, ut cum omnium populorum * fidem solemni ambitione gratissima sancti Medardi membra tradenda essent sepulturæ amore gestandi onus leve sentirent. *Ant.* Cumque sancta membra beati Medardi tumulo * condirentur, cælum apertum est, & duæ columbæ visæ sunt descendisse, quasi nubes, & de ore ejus egressa est columba candida sicut nix. *Ant.* Beatus Medardus per Trinitatis auxilium Regis exercitum ... vestigium. *Ant.* Sanctus Medardus nobilis natus, cum esset adhuc ætate parvus, jam bonitate maturus prædixit. *Ant.* Solemnitatem beati Medardi debita veneratione percolere depositionis ejus commemoratin principalis invitat. Crescat ergo in universorum pectoribus pro fidei ardore devotio, dum sancti confessoris Dei panditur magnitudo. *Ant.* Solemne itaque pignus corporis beatissimi Medardi Suessionensium urbs tanti muneris præmio ditata promeruit, & cum omnium populorum solemni ambitione, gratissima membra tradenda sepulturæ feretro veherentur, unanimi voce vel clamore gestiendi onus leve senserunt.

* Desiderantur multa. * hora. * Forte fidelium. * conderentur.

In Vigilia sancti Johannis Baptistæ ad Vesp.

Vers. Fuit homo missus, *ut supra.* *Ant.* Ingresso Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus stans a dextris altaris incensi.

Ad Invitatorium.

Ant. Regem Præcursoris Dominum venite adoremus.

In primo Nocturno.

Antiph. Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam progredereris sanctificavi te. *Psal.* Beatus vir qui non. *Ant.* Ad omnia quæ mittam te, dicit Dominus, ibis, ne timeas & * mandavero tibi loqueris ad eos. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, dicit Dominus. *Psalm.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Posuisti, Domine.

* quæ.

Responsoria.

Vers. Fuit homo missus a Deo, cui nomen Johannes erat. Hic venit ut testimonium perhiberet de lumine, & pararet Domino plebem perfectam. *Vers.* Erat Johannes prædicans in deserto baptismum pœnitentiæ. Et pararet. *Vers.* Tu puer Propheta Altissimi vocaberis. *Resp.* Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit, Johannem Baptistam Præcursorem Domini, qui viam Domini præparavit in eremo. *Vers.* Fuit homo missus à Deo, cui nomen Johannes erat. Qui viam. *Resp.* Priusquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de ventre sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te. *Vers.* Ad omnia quæ mittam te ibis, & universa quæ mandavero tibi loqueris. Et Prophetam.

In secundo Nocturno.

Antiph. Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & Prophetam in gentibus fecit * mihi Dominus. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Ecce dedi verba mea in ore tuo, & constitui te super gentes & regna. *Psal.* Verba mea auribus. *Ant.* Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. *Psal.* Domine Dominus noster.

* me,

Responsoria.

Resp. Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus. *Vers.* Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum. Parare. *Resp.* Descendit Angelus Domini ad Zachariam dicens: accipe puerum in senectute tua, & habebit nomen Johannes Baptista. *Vers.* Iste puer magnus coram Domino; nam & manus ejus cum ipso est. Et habebit. *Resp.* Hic Præcursor directus, & lucerna ardens ante Dominum: ipse est enim Johannes, qui viam Domino præparavit in eremo, sed & Agnum Dei demonstravit, & illuminavit mentes hominum. *Vers.* Ipse præibit ante illum in Spiritu & virtute Heliæ. Ipse est. *Resp.* Innuebant Patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Johannes est nomen ejus. *Vers.* Apertum est os Zachariæ, & prophetavit dicens, Johannes est.

In tertio Nocturno.

Antiph. Posuit os meum Dominus, quasi gladium acutum; sub umbra manus suæ protexit me. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Formans me ex utero servum sibi Dominus in lucem gentium, ut sim salus ejus ab extremis terræ. *Psal.* Domine, in virtute. *Ant.* Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt Dominum Deum tuum, qui elegit te. *Psal.* Benedicam Dominum. *Vers.* Justum deduxit Dominus.

Responsoria unde supra.

Resp. Præcursor Domini venit, de quo ipse testatur: nullus major inter natos mulierum Johanne Baptista. *Vers.* Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Heliæ. Nullus. *Resp.* Gabriel Angelus apparuit Zachariæ dicens: nascetur tibi filius, nomen ejus Johannes vocabitur, & multi in nativitate ejus gaudebunt. *Vers.* Erit enim magnus coram Domino, vinum & siceram non bibet. Et multi. *Resp.* Ecce constitui te hodie super gentes & regna, dicit Dominus, ut evellas & dissipes, ædifices & plantes in nomine Domini. *Vers.* Tu puer Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus. Ut evellas. *Resp.* Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista, quia viam Domini præparavit in eremo. *Vers.* Fuit homo missus a Deo, cui nomen Johannes erat. Qui viam. *Resp.* Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ, ut convertat corda Patrum, in filios & incredulos ad prudentiam. Parare Domino plebem perfectam. *Vers.* Tu puer Propheta, *ut supra.* *Resp.* Puer qui natus est nobis, plusquam

quam Propheta est; hic est enim de quo Salvator A ait: inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista. *Vers.* Angelus ad Zachariam locutus est, dicens: uxor tua Elizabeth pariet tibi filium & vocabis nomen ejus Johannem.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit, Johannem Baptistam præcursorem Domini. *Ant.* Innuebant Patri ejus, quem vellet vocari eum; & scripsit dicens: Johannes nomen ejus. *Ant.* Johannes vocabitur nomen ejus; & multi in nativitate ejus gaudebunt. *Ant.* Johannes est nomen ejus; vi- B num & siceram non bibet, & multi in nativitate ejus gaudebunt. *Ant.* Iste puer magnus coram Domino, nam & manus ejus cum ipso est. *Vers.* Fuit homo.

In Evangelio.

Antiph. Apertum est os Zachariæ, & prophetavit dicens: benedictus Deus Israel. *Ant.* Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Heliæ, parare Domino plebem perfectam. *Ant.* Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista. *Ant.* Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis ante Domi- C num parare vias ejus. *Ant.* Angelus ad Zachariam est locutus dicens: uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Johannem. *Ant.* Nazaræus vocabitur puer iste, vinum & siceram non bibet. Et omne immundum non manducabit ex utero matris suæ. *Ant.* Fuit homo missus a Deo, cui nomen Johannes erat. *Ant.* Hic venit Johannes, ut testimonium perhiberet de lumine, & pararet Domino plebem perfectam. *Ant.* Ex utero senectutis & sterilis Johannes natus est Præcursor Domini. *Ant.* Pro eo quod non obedisti verbis meis, eris tacens, & non poteris loqui usque in diem nativitatis ejus. *Ant.* Inter natos mulierum non est major Johanne Bapti- D sta. *Ant.* Puer qui natus est nobis, plusquam Propheta est. Hic est enim de quo Salvator ait; inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista.

[* Deest linea ms.] ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Responsoria sive Antiph. in Vigilia Sanctorum Johannis et Pauli.

Resp. Isti sunt duo viri misericordiæ, qui assistunt ante Dominum dominatorem universæ terræ. *Vers.* Isti sunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum. Dominatorem. *Resp.* Vidi conjun- E ctos viros habentes splendidas vestes & Angelus Domini locutus est ad me dicens: isti sunt viri sancti facti amici Dei. *Vers.* Vidi Angelnm Dei volantem per medium cælum, voce magna clamantem & dicentem. Isti. *Resp.* Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine; qui effuso sanguine secuti sunt Dominum, contemnentes aulas regias pervenerunt ad regna cælestia. *Vers.* Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes. *Resp.* Beati martyres. Christi Johannes & Paulus dixerunt Juliano: nobis autem aliud non est, nisi unus Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus. *Vers.* Una fides, unum baptisma, unus spiritus erat in eis. Pater. *Resp.* Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. *Vers.* *. [* De∫t in ms.]

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Paulus & Johannes dixerunt ad Julianum: nos unum Deum colimus, qui fecit cælum & terram. *Ant.* Paulus & Johannes dixerunt ad Terentianum: si tuus Dominus est Julianus, habeto pacem cum illo. Nobis * aliud non est nisi unus Dominus Jesus Christus. [* alius.] *Ant.* Johannes & Paulus cognoscentes tyrannidem Juliani, facultates suas pauperibus erogare cœperunt. *Ant.* Sancti Spiritus & animæ Justorum, hymnum dicite Deo in æternum. *Ant.* Johannes & Paulus dixerunt ad Gallicanum: tu crede unum esse Deum, & eris victor * melior quam fuisti. [* melius.]

In Evangelio.

Antiph. Astiterunt justi ante Dominum, & ab invicem non separati sunt: * gloriam Domini viderunt, & amici Dei appellati sunt. [* calicem Domini biberunt.]

In Vigilia S. Petri ad Vesp.

Vers. In omnem terram. *Ant.* Beatus Petrus Apostolus vidit sibi Christum occurrere.* Adorans eum & dixit: Domine quo vadis? Venio Romam iterum crucifigi. [* Adoravit.]

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem Apostolorum Dominum, venite adoremus. *Ant.* In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Psalm.* Cæli enarrant. *Ant.* Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos. *Psalm.* Benedicam Dominum. *Ant.* Constitues eos Principes super omnem terram; memores erunt nominis tui, Domine. *Psalm.* Eructavit. *Vers.* In omnem terram.

Responsoria.

Resp. Simon Petre, antequam de navi vocarem te, novi te; & super plebem meam principem te constitui: & claves Regni cælorum tradidi tibi. *Vers.* Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Et claves. *Resp.* Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Domine, tu nosti, quia amo te, & animam meam pono pro te. *Vers.* Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et animam. *Resp.* Tu es Petrus, & fnper hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni cælorum. *Vers.* Quodcumque, *ut sup.* Et tibi.

In secundo Nocturno.

Ant. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abram. *Psal.* Omnes gentes. *Ant.* Dedisti hereditatem timentibus nomen tuum, Domine. *Psal.* Exaudi, Deus, deprecationem. *Ant.* Annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt. *Psal.* Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor. *Vers.* Dedisti hereditatem.

Responsoria unde supra.

Resp. Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. Et extendens manum apprehendit eum; & dixit ad eum: modicæ fidei, quare dubitasti? *Vers.* Cumque vidisset ventum validum venientem, timuit, & cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac. Et extendens. *Resp.* Surge, Petre, & indue te vestimentis tuis; accipe fortitudinem ad salvandas gentes, * quia ceciderunt catenæ de manibus tuis. *Vers.* Angelus autem Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris,

percussoque latere Petri excitavit eum dicens, surge velociter. Quia. *Resp.* Tu es Pastor ovium, Princeps Apostolorum: tibi tradidit Deus omnia regna mundi; & ideo tibi traditæ sunt claves regni cælorum. *Vers.* Quodcumque, *ut supra*. Et ideo.

In tertio Nocturno.

Antiph. Exaltabuntur cornua justi, alleluia. *Psal.* Confitebimur. *Ant.* Lux orta est justo, alleluia, rectis corde lætitia, allel. *Psal.* Dominus regnavit, exultet. *Ant.* Custodiebant testimonia ejus, & præcepta ejus, alleluia. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Custodiebant testimonia ejus.

Responsoria unde supra.

Resp. Quem dicunt homines esse filium hominis? Dixit Jesus discipulis suis. Respondens Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Vers.* Beatus es, Simon Petre, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Et ego dico. *Resp.* Ego pro te rogavi, Petre, * non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Vers.* Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Et tu aliquando. *Resp.* Beatus es, Simon Petre, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. *Vers.* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Resp.* Petre, amas me? *Resp.* Simon Johannis, diligis me plus his? Tu scis, Domine, quia amo te. Pasce oves meas. Domine, quia amo te. *Vers.* Etsi oportuerit, *ut sup.* Quia. *Resp.* Solve jubente Deo terrarum, Petre catenas, qui facis ut pateant cælestia regna beatis. *Vers.* Quodcumque. *Resp.* Qui regni claves & curam tradit ovilis: Qui cæli terræque Petro commisit habenas, ut reseret clausis, & solvat vincla ligatis. *Vers.* Quodcumque. *Vers.* Ipsa tua, Petre, dissipare vincula jussit, qui te mundanos jussit dissolvere nexus. Ut reseret. *Resp.* Petrus & Johannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex utero matris suæ, quem ponebant quotidie ad portam templi. *Vers.* Argentum & aurum non est mecum, quod autem habeo hoc tibi dabo. Quem ponebant.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Petrus & Johannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. *Ant.* Argentum & aurum non est mecum; quod autem habeo, hoc tibi dabo. *Ant.* Dixit Angelus ad Petrum: circumda tibi vestimentis tuis & sequere me. *Ant.* Misit Dominus Angelum suum, & liberavit me de manu Herodis, alleluia. *Ant.* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Vers.* Constitues eos principes.

In Evangelio.

Antiph. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis, dicit Dominus Simoni Petro. *Ant.* Beatus es, Simon Petre. *Ant.* Significavit Dominus Petro, qua morte clarificaturus esset Deum, alleluia. *Ant.* Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Ant.* Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Tu scis,

A Domine, quia amo te. *Ant.* Tu es Pastor ovium, Princeps Apostolorum: tibi traditæ sunt claves Regni cælorum. *Ant.* Tu es Christus Filius Dei vivi; & tu beatus, Simon Barjona. *Ant.* Simon Johannis, diligis me plus his? tu scis, Domine, quia amo te. *Ant.* Dixit Dominus Petro: tibi dabo claves Regni cælorum. *Ant.* Beatus Petrus Apostolus, *ut supra*. *Ant.* Commendo tibi oves, quas tradidisti mihi, alleluia. *Ant.* Solve jubente Deo terrarum, Petre, catenas, qui facis ut pateant cælestia regna Beatis. *Ant.* Super aquas ambulans Dominus, Petro manum porrexit mergenti in pelagus. *Ant.* Cum respexisset Petrus crucem, * lacrymis fundebat * lacrymas. * tenere desunt.
præ gaudio. *Non sum dignus. *Ant.* Petrus & Pau-
B lus militantes Romam venerunt. Circumdantes Simonem invenerunt * eum Nerone fidem permanserunt Salvatorem. *Ant.* Beatus Petrus dum penderet in cruce, alacri vultu Dominum deprecatur: Domine Jesu Christe, commendo tibi oves quas tradidisti mihi.

In die ad Vesp.

Antiph. Juravit Dominus & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum. *Psalm.* Dixit Dominus. *Ant.* Collocet eum Dominus cum principibus populi sui. *Psal.* Laudate pueri. *Ant.* Dirupisti, Domine, vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.
C *Psal.* Credidi. *Ant.* Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. *Psalm.* In convertendo. *Ant.* Confortatus est principatus eorum: & honorati sunt amici tui, Deus. *Psal.* Domine, probasti me. *Ant.* Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

Antiph. & Resp. in Vigilia S. Pauli Apostoli.

In primo Nocturno.

Antiph. Qui operatus est Petro in apostolatum; operatus est & mihi inter gentes; & cognoverunt gratiam, quæ data est mihi a Christo Domino. *Psal.* Cæli enarrant. *Vers.* Qui me segregavit ex ute-
D ro matris * suæ, & vocavit per gratiam suam. *Ant.* * mea.
Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illa die justus judex. *Psal.* Benedicam Dominum. *Vers.* De reliquo reposita est mihi corona justitiæ. *Ant.* Mihi vivere Christus est, & mori lucrum: gloriari me oportet in cruce Domini mei Jesu Christi. *Psal.* Eructavit. *Vers.* Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Vers.* In omnem terram.

Responsoria unde supra.

Resp. Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est & mihi inter gentes. Et cognoverunt gratiam Dei, quæ data est mihi. *Vers.* Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet. Et cognoverunt. *Resp.* Scio cui credidi, &
E certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. *Vers.* Reposita est mihi corona justitiæ. Quia. *Resp.* Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; ideoque reposita est mihi corona justitiæ. *Vers.* Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare. Ideoque. *Resp.* Damasci præpositus gentis Arethæ Regis, voluit comprehendere. A fratribus per murum submissus sum in sporta, & sic evasi manus ejus in nomine Domini. *Vers.* Deus & Pater Domini mei Jesu Christi scit, quia non mentior. Et sic evasi.

* Hæc ita corrupta sunt, ut vix sanari posse videantur.

In secundo Nocturno.

[illegible]

Antiph. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole, prædicator veritatis in universo mundo. *Psal.* Omnes gentes. *Vers.* Per quem omnes gentes cognoverunt gratiam Dei. *Ant.* Magnus sanctus Paulus vas electionis, vere digne est glorificatus, qui & meruit thronum duodecimum possidere. *Psalm.* Exaudi, Deus, deprecationem. *Vers.* In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ. *Ant.* Bonum certamen certavi; cursum consummavi, fidem servavi. *Psal.* Exaudi, Deus, orationem meam cum dep. *Vers.* De cetero reposita est mihi corona justitiæ. *Vers.* Annuntiaverunt opera Dei.

Responsoria unde supra.

Resp. Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. *Vers.* Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. Justus. *Resp.* Isti sunt duæ olivæ, * candelabra lucentia ante Dominum, habent potestatem claudere cælum nubibus, & aperire portas ejus. Quia linguæ eorum claves cæli factæ sunt. *Vers.* In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Habent. *Resp.* Constitues eos Principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine, in omni progenie & generatione. *Vers.* In omnem terram, *ut supra.*

* duo

In tertio Nocturno.

Antiph. Saulus qui & Paulus magnus prædicator, a Deo confortatus convalescebat, & confundebat Judæos. *Psal.* Confitebimur tibi, Deus. *Vers.* Ostendens quia hic est Christus Filius Dei vivi. *Ant.* Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus, Angelus Sathanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur a me: & dixit mihi Dominus: sufficit tibi, Paule, gratia mea. *Psal.* Dominus regnavit, exultet. *Vers.* Nam virtus in infirmitate perficitur. *Ant.* Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die Judex. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Cooperante gratia Spiritus sancti. *Vers.* Dedisti hereditatem.

Resp. unde supra.

Resp. Isti sunt duo viri misericordiæ. *Vers.* Isti sunt duæ olivæ. Dominatorem. *Resp.* Stolam jucunditatis induit eum Dominus, & coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. *Vers.* Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit eum. Et coronam. *Resp.* Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloriæ, honoris, & opus fortitudinis. *Vers.* Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Gloriæ. *Resp.* Posuit coronam capiti meo, & circumdedit me muro salutis, ad expugnandas gentes & omnes inimicos. *Vers.* Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me; apprehende arma & scutum. Ad expugnandas. *Resp.* Gloria & honore coronasti eum, Domine: & constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subjecisti sub pedibus ejus. *Vers.* Quoniam prævenisti eum

A in benedictionibus; *Resp.* Ecce ego mitto vos. *Resp.* Tollite jugum. *Resp.* Dum steteritis. *Resp.* Egregie Dei Paule, doctor gentium, & divinorum propagator præceptorum, ecce nomen tuum in libro vitæ cælestis adscriptum est, & memoriale tuum non derelinquetur in sæcula. *Vers.* Magnus sanctus Paulus vas electionis, vere digne est glorificatus.

[illegible]

In Matutinis.

Antiph. Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit, allel. *Vers.* Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum la-

B borem. *Ant.* Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. *Vers.* Quando autem infirmor, tunc fortior sum. *Ant.* Sancte Paule Apostole prædicator veritatis, & doctor gentium, intercede pro nobis ad Dominum, qui te elegit. *Vers.* Ut digni efficiamur gratia ejus. *Ant.* Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet. *Vers.* Gratia Dei sum id quod sum. *Ant.* Damasci præpositus gentis Arethæ Regis, voluit me comprehendere. A Fratribus per murum submissus sum in sporta, & sic evasi manus ejus in nomine Domini. *Vers.* Deus & Pater Domini mei JesuChristi scit quia non mentior. *Vers.*

C Constitues eos principes.

In Evangelio.

Antiph. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedem judicantes duodecim tribus Israel, alleluia. *Vers.* Dum venerit filius hominis in sede majestatis suæ. *Ant.* Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium pertuli pro Christi nomine. *Ant.* Nocte & die in profundum maris fui. *Ant.* Petrus Apostolus & Paulus prædicator gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine. *Ant.* In om-

D nem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Ant.* Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. *Ant.* Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, dicit Dominus.

Antiph. & Responsoria in Vigilia a *Beati Benedicti Abbatis.*

In primo Nocturno.

Antiph. Fuit vir vitæ venerabilis gratia Abbas

E Benedictus. *Psalm.* Beatus vir. *Ant.* Ab ipso pueritiæ suæ * cor gerens senile, ætatem moribus transiens, nulli animum dedit voluptati. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* Dum in hac terra esset, quo temporaliter uti potuisset, jam quasi aridum mundum cum flore despexit. *Psalm.* Cum invocarem. *Ant.* Nursiæ Provincia exortus, Romæ liberalibus litterarum studiis traditus a parentibus fuerat. *Psalm.* Verba mea. *Ant.* Relicta domo rebusque patris soli Deo placere *, sanctæ conversationis habitum quæsivit. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Recessit igitur scienter nescius, & sapienter indoctus. *Psal.* In Domino confido.

* tempore.

* cupiens.

F *Responsoria unde supra.*

Resp. Fuit vir vitæ venerabilis gratia Benedictus & nomine, ab ipso pueritiæ tempore cor gerens senile, ætatem quippe moribus transiens, nulli ani-

a Scilicet mensis Julii die undecima, quæ nunc ejus Translationi celebrandæ assignatur. Porro hic & passim hoc in codice Vigilia significat officium nocturnum, nec pro pridie sumi debet.

animum voluptati dedit. *Verf.* Recessit igitur scienter nesciens, & sapienter indocta. Ab ipso. *Resp.* Hic itaque cum relictis litterarum studiis petere deserta decrevisset, nutrix, quæ hunc amabat, sola secuta est. *Verf.* Recessit igitur, *ut supra*. *Resp.* Igitur beatus Benedictus, cum conspiceret nutricem suam flere, moxque secum lacrymis in orationem dedit; & ei sanum capisterium reparavit. *Resp.* Ipsum quoque capisterium in Ecclesiæ ingressu * suspenso, quatenus & præsentis & secuturi omnes agnoscerent, Benedictus puer conversationis gratia a quanta perfectione cœpisset. Moxque inito consilio venenum vino miscuere; quo accepto signavit, sicque confractum est, ac si pro signo lapidem dedisset. *Verf.* Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod non potuit portare signum vitæ. Sicque.

* *suspensum.*

In secundo Nocturno.

Antiph. Hic itaque cum jam relictis litterarum studiis, petere deserta decrevisset, nutrix quæ hunc arctius amabat, secuta est. *Psalm.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Prædicta nutrix illius, ad purgandum triticum a vicinis mulieribus præstari sibi capisterium petiit, quod casu * accidere confractum est. *Psal.* Conserva me. *Ant.* Compassus nutrici orationem dedit Benedictus puer cum lacrymis; capisterium reparavit. *Psalm.* Domine, in virtute. *Ant.* Benedictus Dei famulus, magnum fecit miraculum: preces fudit ad Dominum, rejunxit capisterium. *Psal.* Domini est terra. *Ant.* Qui dum eremum peteret, * Romanum Monachum obviavit, cujus cum desiderium cognovisset, & secretum tenuit, & adjutorium impendit. *Psalm.* Beati quorum remissæ. *Verf.* Cumque in specum positus submitti panem diabolus conspiceret; jactavit lapidem, & tintinnabulum fregit. *Resp.* Convocatis discipulis beatus Benedictus dixit: misereatur vobis sempiternus Deus; numquid non prius dixi vobis, quia meis ac vestris moribus minime conveniret? *Verf.* Itaque juxta mores vestros vobis patrem quærite, quia me habere minime potestis. Numquid. *Resp.* Quidam rusticus defuncti corpus filii in ulnis ferens, orbitatis luctu æstuans ad Monasterium venit. Benedictum Patrem quæsivit. Mox ut aspexit, clamare cœpit: redde filium meum, redde filium meum. *Verf.* Vir autem Domini in hac voce substitit dicens: numquid ego filium tuum abstuli? cui ille respondit: mortuus est, veni resuscita eum. Redde. *Resp.* Domine, non respicias peccata mea, sed fidem hujus hominis, qui rogat resuscitari filium suum; & redde in hoc corpusculo animam quam tulisti. Et completa oratione revixit, & sanum reddidit Patri suo. *Verf.* Et regrediente anima ita corpusculum omne contremuit, & sub oculis omnium qui aderant vivus apparuit. Et sanum. *Resp.* Pater sanctus dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani Episcopi, in sphæra ignea ab Angelis in cælum deferri. *Verf.* Factumque est, ut reverendissimum Germanum, is qui missus fuerat defunctum reperit. *Resp.* Eodem vero anno * quod de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conversantibus, quibusdam longe manentibus sanctissimi sui obitus denuntiavit diem. *Verf.* * Ut audita per silentium tegerent, absentibus indicens, quale eis signum fieret, quando ejus anima de corpore exiret. Sanctissimi. *Resp.* Ante sextum vero sui exitus diem aperire sepulturam sibi jubet; qui mox correptus febribus acri cœpit dolore fatigari usque ad mortem. *Verf.* Cumque per singulos dies languor ingravesceret, sexto die portari se in oratorium a discipulis fecit. Qui mox. *Resp.* Sexto namque die portari se in oratorium a discipulis fecit, ibique exitum suum Dominicis Sacramentis munivit; atque inter discipulorum * manibus expiravit. *Verf.* Erectis in cælum manibus * fecit & ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Atque. *Resp.* Hodie sanctus Benedictus per viam Orientis tramitem videntibus discipulis cælum tetendit, & ab Angelis in gloria * susceptus est. *Verf.* Tunc itaque sancti viri obitum sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes hoc signum quod eis prædictum fuerat agnoverunt. Videntibus. *Resp.* Factum est post obitum sanctissimi viri, mulier mente capta venit ad specum ejus, & ingressa mansit in eo, & sana facta est ea illa hora. *Verf.* Et in ea sanitate quam acceperat, permansit omnibus diebus vitæ suæ. *Verf.* Via recta Orientis tramite ab ejus cella ad cælum usque tendebatur; cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cui esset via quam cernerent discipulis inquisivit; ipsi vero nescire se professi sunt.

* *Dele accidere.*
* *Romanum mon.*
* *quo.*
* *Supple præsentibus indicans.*
* *manus*
* *fletu.*
* *susceptus est.*

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Intempesta nocte oravit Benedictus. * Fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa. *Ant.* Sicut discipulis ipse referebat, quasi sub uno solis radio omnis mundus collectus ante ejus oculos momento adductus est. *Ant.* Orabat sanctus Benedictus: Domine, non aspicias peccata mea, sed fidem hujus hominis, qui rogat resuscitari filium suum. Et sub oculis omnium viventem puerum reddidit patri suo. *Ant.* Frater Maure, curre velociter, quia puer Placidus in amne * flumen mergitur. *Ant.* Dumque super undas Placidus traheretur. Maurus occurrit in mediis fluctibus. Emerso pede puerum liberavit. *Ant.* Intempestæ noctis cuncta sub silentio, quasi sub solis radio omnem mundum conspexit. *Ant.* Benedictus Dei famulus per Spiritus sancti indagia præcognoscens quæ ventura sunt omnia.

* *Adjiciendum forte vidit.*
* *Redundat flumen.*

In Evangelio.

Antiph. Hodie sanctus Benedictus per viam Orientis * tramitem videntibus discipulis cælum tetendit; hodie erectis manibus inter verba orationis migravit. Hodie in gloria ab Angelis susceptus est. *Ant.* Sanctimonialis autem femina, cum negantis verba audisset, orationem fudit; & inundatio pluviarum erupit.

* *recto tramite.*

In Vigilia sancti Laurentii ad Vesp.

Verf. Justum deduxit Dominus. *Ant.* Beatus Laurentius cum in craticula supra positus ureretur, ad impiissimum tyrannum dixit: Assatum est jam, versa & manduca; nam facultates Ecclesiæ quas requiris, in cælestibus thesauris manus pauperum deportaverunt.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum, venite adoremus. *Ant.* Quo progrederis sine filio, pater? Quo, sacerdos sancte, sine ministro properas? *Psal.* Beatus vir. *Verf.* Beatus Laurentius dixit. *Ant.* Noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi, quos tradidisti mihi. *Psal.* Quare fremue-

fremuerunt. *Vers.* Quid in me ergo displicuit Paternitati tuæ? *Ant.* Non ego desero, fili, neque derelinquo: sed majora tibi debentur pro Christi fide certamina. *Psalm.* Domine, quid multip. *Vers.* Beatus Sixtus dixit. *Vers.* Gloria & honore.

Responsoria unde supra.

Resp. Levita Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis cæcos illuminavit; & thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus. *Vers.* Dispersit dedit pauperibus, justitia manet in seculum seculi. Et thesauros. *Resp.* Puer meus noli timere, quia ego sum tecum, dicit Dominus: si transieris per ignem, flamma non nocebit te, & odor ignis non erit in te. *Vers.* Donec ponam inimicos tuos, *ut supra*. *Resp.* Strinxerunt corporis membra posita in craticula. Superjectis prunis insulat levita Christi. Beate Laurenti martyr Christi, intercede pro nobis. *Vers.* Hic est vir, qui non est derelictus a Domino in die certaminis sui. Beate. *Vers.* Carnifices vero ministrabant carbones subter cratem ferream. *Resp.* Quo progrederis sine filio, Pater? quo, sacerdos sancte, sine Diacono properas? tu numquam sine ministro sacrificium offerre consueveras. *Vers.* Quid in me ergo displicuit paternitati tuæ? Numquid degenerem probasti? Experire certe utrum * ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis consecrationem. Tu numquam.

* idoneum.

In secundo Nocturno.

Antiph. Beatus Laurentius orabat, dicens: Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserera mihi servo tuo. *Psal.* Cum invocarem. *Vers.* Quia accusatus non negavi nomen sanctum tuum, interrogatus te Christum confessus sum. *Ant.* Dixit Romanus ad Beatum Laurentium: video ante te juvenem pulcherrimum; festina me baptizare. *Psalm.* Verba mea. *Vers.* Afferens autem urceum cum aqua, misit se ad pedes ejus. *Ant.* Beatus Laurentius dixit: mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. *Psalm.* Domine, Dominus noster. *Vers.* Quia ipse Dominus novit, quia accusatus non negavi, interrogatus Christum confessus sum. *Vers.* Posuisti Domine super caput ejus.

Responsoria unde supra.

Resp. Noli me derelinquere, Pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi. Non ego te desero, fili, neque derelinquo: sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina. *Vers.* Nos enim quasi senes levioris pugnæ cursum accipimus: te quasi juvenem gloriosior de tyranno triumphus expectat. Post tridnum sequeris Sacerdotem Levita. Sed majora. *Resp.* Beatus Laurentius clamavit, & dixit: Deum meum colo, & illi soli servio; & ideo non timeo tormenta tua. *Vers.* Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Et ideo. *Resp.* In craticula te Deum non negavi, & ad ignem applicatus te Dominum Jesum confessus sum. *Vers.* Probasti, Domine, cor meum, & visitasti nocte. Et ignem.

In tertio Nocturno.

Antiph. Strinxerunt corporis membra posita super craticulam; subjectis prunis insultat Levita Christi. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Vers.* Carnifices vero ministrabant carbones subtus cratem ferream. *Ant.* Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. *Psal.* Exaudi, Domine. *Vers.* Probasti, Domine, cor meum, & visitasti nocte. *Ant.* Interrogatus te Dominum confessus sum. Assatus gratias ago. *Psal.* Domine, in virtute. *Vers.* Gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas.

Responsoria unde supra.

Resp. O Hippolyte, si credis in Dominum Jesum Christum, & thesauros tibi ostendo, & vitam æternam promitto. *Vers.* Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. Et thesauros. *Resp.* Gaudeo plane, quia januas Christi ingredi merui, quia accusatus non negavi, interogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago. *Vers.* Probasti, Domine, cor meum & visitasti nocte. Assatus. *Resp.* Voluit esse hostia Levita Laurentius, qui dum assaretur non negavit Dominum, & ideo inventus est sacrificium laudis. *Vers.* In craticula depositus Deum non negavit; & ad ignem applicatus Christum confessus. Et ideo. *Resp.* Hic est vir, qui non est derelictus a Deo, in die certaminis sui: & ipse conculcavit caput serpentis antiqui. Modo coronabitur, quia fideliter vicit in mandatis Domini. *Vers.* Iste est qui contemsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Modo. *Resp.* Beatus Laurentius dixit: ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis. *Vers.* Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. *Vers.* Gratias tibi ago Domine. *Resp.* Protector tuus ego sum, noli timere, dicit Dominus: cum transieris per ignem, non combureris, & flamma non comburet te: quia tenebo manum tuam. *Vers.* Liberasti, Domine, corpus meum a perditione, & a pressura flammæ, quæ circumdedit me. Et in medio ignis non æstuatus: quia tenebo. *Resp.* Beatus vir Laurentius, qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ. Fecit enim mirabilia in vita sua. *Vers.* Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit. Fecit.

In Matutinis Laudibus.

Antiph. Laurentius ingressus est martyr, & confessus est nomen Domini Jesu Christi *Ant.* Gaudeo plane quia januas Christi ingredi merui. *Ant.* Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis cæcos illuminavit. *Ant.* Probasti, Domine, cor meum, & visitasti nocte. *Ant.* Adhæsit anima mea post te, quia caro mea igne cremata est pro te, Deus meus. *Ant.* Misit Dominus Angelum suum, & liberavit me de medio ignis, & nun sum æstuatus. *Ant.* Beatus Laurentius orabat dicens: gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui. *Ant.* Accusatus non negavi nomen sanctum tuum. Interrogatus te Dominum confessus sum. *Vers.* Posuisti, Domine.

In Evangelio.

Antiph. In craticula sanctum Dominum non negavi, & ad ignem applicatus Christum confessus sum. Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. *Ant.* Gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui. *Ant.* Gratias ago Deo meo, quia hostia Christi effici merui. Assatus non negavi, & interrogatus Christum confessus sum. *Ant.* O Hippolyte, si credideris in Dominum Jesum Christum & thesauros tibi ostendo, & vitam æternam promitto. *Ant.* Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui est in cælis, dicit Dominus. *Ant.* Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.

In Vigilia sancti Tiburtii Martyris ad Vesp.

Antiph. Inclytus martyr Tiburtius, cum nudatis plantis super prunas ferventes incederet, Fabiano præfecto dixit: videtur mihi quod super roseos flores incedam, in nomine Domini mei Jesu Christi.

De sancto Hyppolyto ad Vesp.

Vers. Justum deduxit Dominus. *Ant.* Si quis mihi ministraverit, *ut supra.*

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum, venite adoremus.

In primo Nocturno.

Antiph. Valerianus tradidit beato Hippolyto Laurentium, ut eum custodiret. *Psal.* Beatus vir qui non abiit. *Ant.* Vidit Hippolytus a Beato Laurentio cæcum illuminatum, statim credidit. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* * Impositas manus Hippolytus super oculos cæcorum, & sanabantur, *Psal.* Domine, quid multip. *Vers.* Gloria & honore.

* *Forte imposuit.*

Responsoria.

Resp. Beatissimus Christi martyr Hippolytus, dum baptismi gratiam accepisset a Beato Laurentio, ponebat manus super oculos cæcorum, & sanabantur. *Vers.* Cæco illuminato a Beato Laurentio Hippolytus credidit, & * percipi meruit baptismi Sacramentum. Ponebat. *Ant.* Multi cæci & imbecilles venientes ad custodiam Beati Laurentii, orando sanctus Hippolytus ponebat manus, & curavit eos; propterea a militibus comprehensus, ducebatur ad Decium. *Vers.* Justinus & Hippolytus rapuerunt corpus Laurentii, & sepelierunt. Propterea. *Resp.* Requisitus a Decio sanctus Hippolytus de corpore Laurentii, & quid sepelisset, respondens Hippolytus dixit: Christianus ego sum, & Christi martyrem diligenter sepelivi. *Vers.* Miror mihi valde, præses, pro quid ore polluto martyrem nominasti. Respondens.

* *suscipere.*

In secundo Nocturno.

Ant. Decius Cæsar vocavit Hippolytum, & interrogavit, corpora Sanctorum pro quid rapuisset, *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Ingressus itaque Hippolytus in domum suam, dedit pacem omnibus. A militibus comprehensus ducebatur ad præsidem. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Dum venisset Hippolytus in præsentiam Decii, subridens Decius dixit: tu magus factus es, qui abstulisti corpus Laurentii. *Psalm.* Domine Dominus noster. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. Regressus itaque Hippolytus post diem tertium, venit in domum suam, & dedit pacem omnibus servis suis, & communicavit de sacrificio altaris Laurentii martyris. *Vers.* Et posita mensa prius quam cibum sumeret, a militibus comprehensus pervenit ad prætoria. Et communicavit. *Resp.* Dum Hippolytus in domum suam * convivia cibus poneret, missi a Decio milites tenuerunt eum, & adduxerunt ad Decium: quem videns Cæsar subridens dixit: numquid tu magus effectus es, qui corpus Laurentii abstulisti. *Vers.* Decius dixit: fuere mihi licite; esto noster amicus. Hippolytus dixit: miles Christi ego sum, & jus præ-

* *Forte convivii cibos.*

A cepta custodire desidero. Quem videns. *Resp.* Expoliavit vestem Hippolytum Decius, qua induebatur in habitu Christiano, & dicit ei: sacrifica Diis & acquiesce præceptis nostris, & vive militiæ palmæ. *Vers.* Gratias ago Deo meo, qui me confortavit in conspectu principum. Et dicit.

In tertio Nocturno.

Antiph. Respondit Hippolytus ad Decium, dicens: non sum ego magus, nisi Christianus. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Quo audito Decius furore arreptus jussit Hippolytum lapidibus obtundi. *Psal.* Exaudi, Domine. *Ant.* Expoliavit Decius
B Hippolyto * qua induebatur in habitu Christiano, *Psal.* Domine, in virtute.

* *vestem.*

Responsoria.

Resp. Oravit sanctus Hippolytus voce magna, & dixit: gratias tibi ago, Domine meus Jesu Christe, quia famulos meos in conspectu tuo pati video. *Resp.* Suadens Decius Hippolyto dixit: numquid tu cultor Deorum fuisti? sacrifica Diis, fruere palma militiæ. Et respondens Hippolytus dixit: Christianus ego sum & vestigium ** .... adipisci cupio, *Vers.* Tunc Beatus Hippolytus voce clara dicebat: Militia mea fides christiana. *Vers.*
C Jussit Decius militibus dicens: exuite Hippolytum vestem, & fustibus cædite. * Ut cum cæderetur, dixit: miles Christi ego sum, & verbera tua non revereseo. *Vers.* Utere militia pristina quam semper habuisti: * respondens Hippolytus dicens. *Resp.* Postquam in præsentia Hippolyti famuli sui martyrizati sunt, dixit Hippolytus: gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia famulos meos in conspectu Sanctorum. ** *Vers.* Miles Christi Hippolytus, armatus fide in conspectu judicum dixit.

** *Verbum deest in ms.*

* *Forte & rum.*

* *respondit.*

** *Verbum deest in ms.*

In Matutinis.

Antiph. Dixit Hippolytus ad Decium: non me
D expoliasti, sed magis vestisti. *Ant.* Præses dixit ad Hippolytum: factus es insipiens ut nuditatem tuam non * erubescis. *Ant.* Dixit Cæsar ad Hippolytum: nunc magus factus es. Respondens Hyppolytus dixit ad Decium: non sum ego magus, sed servus Domini mei Jesu Christi. *Ant.* Tunc Valerianus in conspectu Hippolyti, famulos illius martyrizare præcepit. *Ant.* Exemplum meretur fieri. *Vers.* Justum deduxit Dominus.

* *erubescens.*

Cætera desunt in ms.

In Evangelio.

Antiph. Oravit sanctus Hippolytus voce magna, & dixit: gratias tibi ago Domine meus Jesu
E Christe, quia famulos meos in conspectu tuo pati video. *Ant.* Beatus Hippolytus obtulit se in conspectu Romuli, & voce clara dixit: Ego Christum confiteor. *Ant.* Hippolytus famulus Christi Dominum deprecabatur: Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum. *Ant.* Audita est vox infantium & dicentium: Gloria in excelsis Deo, allel. *Ant.* Decius Cæsar vocavit Hippolytum, & interrogavit; corpora Sanctorum pro quid rapuisset. *Ant.* Ingressus itaque Hippolytus in domum suam, dedit pacem omnibus. *Ant.* A militibus comprehensus ducebatur ad Decium. *Ant.* Dum venisset Hippolytus in præsentiam Decii, subridens Decius dixit: magus factus es, quia abstulisti corpus Laurentii.

Respon-

Responsoria sive Antiph. de Assumtione sanctæ Mariæ.

Resp. Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. *Vers.* Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Et sicut, *Resp.* Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in monte Sion; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Et sicut cinnamomum & balsamum aromatizans. *Resp.* Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedi- B xit te, Deus, in æternum. *Vers.* Speciosa facta es & suavis in deliciis tuis. Propterea. *Vers.* Myrrha & gutta, & casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo. Propterea. *Resp.* Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. *Vers.* Specie tua & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna. Quia *Resp.* Quæ est ista quæ processit sicut sol, & formosa tamquam Jerusalem? Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam. *Vers.* Quæ est ista. *ut supra.* *Resp.* Ista est speciosa inter filias Jerusalem. Sicut vidistis eam plenam * caritatem & dilectionem in cubilibus & in hortis C aromatum. *Vers.* Specie tua. *ut supra.* *Resp.* Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *Vers.* Et misericordia ejus a progenie in progenies, timentibus eum. *Resp.* Ornatam in monilibus filiam Sion, Dominus concupivit, & * dicentes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt dicentes, unguentum effusum nomen tuum. *Vers.* Adsuit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. *Resp.* Hæc est dies præclara hodie, in qua beata Virgo genitrix Christi Maria felici cursu migravit ad Christum. Et interroga..... Virginum obtinens principatum. *Vers.* D Hæc est beata Virgo Maria ad cujus transitum Apostoli præsta erunt obsequium. Et interroga. *Resp.* Gaude Maria, *ut supra.* *Vers.* Gabrielem Archangelum. *Resp.* Beata es Virgo Maria Dei genitrix, quæ credidisti Dominum. Perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi. Ecce exaltata es super choros Angelorum: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. *Vers.* Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. Intercede. *Resp.* O quam pulchra & speciosa est Maria Virgo Dei, quæ de mundo migravit ad Christum: inter choros Virginum fulget sicut sol in virtute cælesti. *Vers.* Gaudent Angeli, exultant Archangeli in Maria Virgine. Quæ. *Resp.* Beata & venerabilis. *Vers.* Be- E nedicta tu in mulieribus. *Resp.* Beata es, Maria, quæ non. *Vers.* Ave Maria. *Resp.* Ista est Sion quam elegit Dominus in hereditatem sibi, hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, dicit Dominus.

*caritate & dilectione.

*videntes.

Istæ duæ notæ in ms.

Post lineæ in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Resp. Super salutem & omnem pulchritudinem dilecta es a Domino, & regina cælorum vocari digna es. Gaudet chorus Angelorum consortes & concives nostri. *Vers.* Valde eam nobis oportet venerari quæ nunc sancta ** & intacta Virgo. *Resp.* Hæc est Virgo sapiens, prudens, & humilis, quæ in aula Regis enutriri meruit, propter quod & A meruit vocari Regina cælorum. *Vers.* Diffusa est. *ut supra.*

Verbum deest in ms.

Antiph. unde supra. In primo Nocturno.

Antiph. Exaltata es, sancta Dei genitrix, super choros Angelorum ad cælestia regna. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt, * quas hodie gloriosa cum Angelis triumphas. *Psal.* Cæli enarrant. *Ant.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Specie tua & pulchritudine tua.

*qua.

In secundo Nocturno.

Antiph. Specie tua & pulchritudine tua, intende prospere procede & regna. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Adjuvabit eam Deus vultu suo, Deus in medio ejus non commovebitur. *Psal.* Deus noster refugium. *Ant.* Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix. *Psal.* Fundamenta.

In tertio Nocturno.

Antiph. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. *Psal.* Cantate I. *Ant.* Dignare me laudare te Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos. *Psal.* Dominus regnavit, exultet. *Ant.* Post partum Virgo inviolata permansisti: Dei genitrix intercede pro nobis. *Psal.* Cantate II. *Vers.* Elegit eam Dominus.

In Matutinis.

Antiph. Assumta est Maria in cælo: gaudent Angeli; laudantes benedicunt Dominum. *Ant.* Maria Virgo assumta est ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet solio. *Ant.* In odore unguentorum tuorum currimus; adolescentulæ dilexerunt te nimis. *Ant.* Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus. *Ant.* Pulchra es & decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. *Vers.* Specie tua.

In Evangelio.

Antiph. Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? *Antiph.* Hodie Maria Virgo cælos ascendit; gaudete quia cum Christo regnat in æternum. *Ant.* Maria Virgo semper lætare, quæ meruisti Christum portare cæli & terræ conditorem, quia de tuo utero protulisti mundi Salvatorem. *Ant.* O quam pulchra & casta generatio cum claritate. *Ant.* Hæc est quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Ant.* Bonorum enim laborum gloriosus est fructus. *Ant.* Speciosa facta es, & suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix. *Ant.* Revertere, revertere Sunamitis revertere, revertere, ut intueamur te. *Ant.* Ante thorum hujus Virginis frequentate nobis dulcia * cantica dragmis. *Ant.* Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. *Ant.* Unguentum effusum est nomen tuum, Dei genitrix; & * recte diligunt te. *Ant.* Oculi tui, sancta Dei genitrix, sicut piscina in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis in æternum. *Ant.* Nigra sum, sed formosa filiæ Jerusalem; ideo dilexit me Rex, & introduxit me in cubicula sua. *Ant.* Sicut

*Cantica dramatis.

*recti.

tut myrra electa odorem dedisti suavitatem, sancta Dei genitria. *Ant.* Hortus conclusus es, sancta Dei genitria, hortus conclusus, fons signatus. *Ant.* Sub tua protectione confugium, ubi infirmi acceperunt virtutem; & propter hoc tibi psallimus, Dei genitrix Virgo. *Ant.* Paradisi porta per Evam cunctis clausa est, & per Mariam Virginem iterum patefacta est, alleluia. *Ant.* Beata Mater [a] & innupta Virgo gloriosa regina mundi. *Ant.* In flore mater, in partu Virgo, gaude & lætare Virgo Mater Domini. *Ant.* Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed a periculis libera nos semper, Virgo benedicta. *Ant.* Surge aquilo, & veni auster; perflahortum meum, & fluant aromata illius. *Ant.* Viderunt illam filiæ, & beatissimam prædicaverunt; & reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam in æternum. *Ant.* Dilecte mi, apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis precepta Domini. *Ant.* Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum. Oleum effusum nomen tuum. *Ant.* Jam hyems transiit, imber abiit & recessit: surge amica mea & veni. *Ant.* Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem. *Ant.* Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Ant.* Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei, quia amore langueo. *Ant.* Maria exultavit in spiritu, & dixit: benedico te, qui dominaris super omnem benedictionem. Benedico habitaculum gloriæ tuæ, benedico te, cui factum est habitaculum in utero meo; & benedico omnia opera manuum tuarum, quæ obediunt tibi in omni subjectione. Benedico dilectionem tuam qua nos dilexisti. Benedico omnia verba quæ exierunt de ore tuo, quæ data sunt nobis. In veritate enim credam, quia sicut dixisti sic fiet, alleluia.

Antiph. in Matutinis de sancto Symphoriano.

Antiph. Illustrabat enim eum cælestis sapientia, & spiritualibus gemmis ornata simplicitas. *Ant.* Resume constantiam, fili, timere non possumus mortem, quæ sine dubio perducit ad vitam, allel. *Ant.* Sursum corda suspende, fili, aspice illum qui regnat in cælis. *Ant.* Symphorianus traditus ad coronam martyrii, beata mater sua votum vovit Deo. *Ant.* Tu vir Symphoriane, mentem & oculos tuos ad astra suspende, alleluia, alleluia. *Ant.* In tormenta fortis inventus in infantia meruit coronam de manu Domini. *Ant.* Beata Augusta de muro sedulo orabat dicens: Domine Deus respice filium meum, quia Judæi amputaverunt caput ejus.

In Evangelio.

Antiph. Sanctus Symphorianus extra murum ductus & apertus se reproferatus voto habuit. *Ant.* Gloriosa genitrix Symphoriano dixit: sursum corda, suspende fili, tibi vita non tollitur, sed mutatur in melius. *Ant.* Beata Augusta sanctum Symphorianum exhortabatur cum lacrymis dicens: fili vade gaudens, hodie accipies coronam regni, allel. *Ant.* Petrus exorcista dixit ad Artemium: tu crede in Deum vivum Dominum Jesum Christum. *Ant.* Artemi, si credideris in unigenitum Filium Dei, salvatur filia tua. *Ant.* Tu crede in Christum & videbis opera Domini. *Ant.* Candida dixit ad Artemium: si factum fuerit quod mihi asseris, quis dubitet verum Deum esse Christum. *Ant.* Adest homo Dei Petrus exorcista habens triumphum sanctæ crucis in manu sua.

In Evangelio.

Antiph. Exclamavit Artemius: verus Deus unus est, per quem dæmonia ejiciuntur. *Ant.* Apparuit Angelus Domini Marcellino presbytero orante nudo, & induit eum vestimentis suis, & dixit ei: sequere me, ubi Petrus erat exorcista, alleluia.

De Martyrio sancti Johannis.

In Vigilia ad Vesp.

Vers. Justum deduxit Dominus.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum.

Responsoria.

Resp. Misit Herodes Rex manus, ac tenuit Johannem, & vinxit eum in carcerem, quia metuebat eum propter Herodiadem quam tulerat fratri suo Philippo uxorem. *Vers.* Herodes enim tenuit, & ligavit Johannem, & posuit in carcerem. Quia metuebat. *Resp.* Dicebat enim illi Johannes, non licet tibi accipere uxorem. Quia. *Resp.* Johannes Baptista arguebat Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo Philippo uxorem. *Vers.* Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Johannis in carcere. Propter. *Resp.* Puellæ saltanti imperavit mater: nihil aliud petas, nisi caput Johannis Baptistæ. Et contristatus est Rex propter jusjurandum & propter simul discumbentes. *Vers.* Quæ cum exisset puella dixit matri suæ: quid petam? At illa dixit: caput Johannis Baptistæ. *Resp.* Petiit puella caput Johannis in carcere, quo ablato dedit matri suæ. *Vers.* Puellæ saltanti imperavit mater: nihil aliud petas, nisi caput Johannis Baptistæ. Quo ablato. *Resp.* Metuebat Herodes Johannem, sciens eum virum justum & sanctum; & audito eo multa signa facientem, & cæcos illuminantem, & dæmones effugantem. *Vers.* Pro eo, ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. *Resp.* Quid petam, mater? Nihil aliud petas, nisi caput Johannis. Quæ cum introisset cum festinatione ad Regem, petivit dicens: precor te, Domine Rex, ut des mihi caput Johannis in disco. *Vers.* Rex Herodes ait puellæ: pete a me quid vis, & dabo tibi. Caput. *Resp.* Contristatus est Rex Herodes propter jusjurandum, & propter simul discumbentes, noluit eam contristari. *Vers.* Herodes infestus præcepit interficere & amputare jussit. Caput. *Resp.* In medio carceris stans Beatus Johannes voce magna clamavit & dixit: Domine Deus meus in manus tuas commendo spiritum meum. *Vers.* Quoniam tu es protector meus Domine. *Resp.* Misit Rex incredulus ministros detestabiles, & amputari jussit caput Johannis in carcere. *Vers.* Ego non prohibeo, si Christus te permisit capiti meo paratus. *Resp.* Misso Herodes spiculatore præcepit amputari caput Johannis in carcere; quo audito disci-

a Hæc est intellige nam aliquanto verbum nubere, significat copulam subjere, aut a virginitate excidere. Hinc Tertull. Lib. de carne Christi, c. 23. de sanctissima Virgine ait: Et Virgo concepit, in partu suo nupsit, hoc est Virgo esse desiit, quod errans Tertullianus censuit.

discipuli ejus venerunt & tulerunt corpus ejus, & A posuerunt illud in monumento. *Vers.* Accedentes autem discipuli sancti Johannis Baptistæ venerunt & tulerunt corpus ejus. Et posuerunt. *Resp.* Accedentes discipuli sancti Johannis Baptistæ tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud. *Vers.* Misso Herodes spiculatore præcipit amputari caput Johannis in carcere; quo audito discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus. Et sepelierunt.

In Matutinis Laudibus.

Antiph. Interrogatus Johannes ab Herode dicens: si licitum est fratris conjugem accipere? *Ant.* Dicebat enim Regi Johannes Baptista, non licet B tibi habere uxorem fratris tui. *Ant.* Arguebat Herodem Johannes propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo Philippo uxorem. *Ant.* Herodes enim tenuit & ligavit Johannem, & posuit in carcerem propter Herodiadem. *Ant.* Petiit puella caput Johanis in disco: quo accepto dedit matri suæ. *Ant.* Da mihi in disco caput Johannis Baptistæ. Et contristatus est Rex propter juramentum. *Ant.* Domine mi Rex, da mihi in disco caput Johannis Baptistæ. *Ant.* Major Prophetis, & minor Angelis, qui præparavit corda fidelium. *Ant.* In medio carceris stans Beatus Johannes, voce magna clamavit & dixit: Domine Deus, in te commendo Spiritum meum. *Ant.* Contristatus est Rex propter juramen- C tum, & propter simul discumbentes noluit eam contristari; caput Johannis jussit afferri. *Ant.* Puellæ saltanti imperavit mater: nihil aliud petas, nisi caput Johannis. *Ant.* Herodes funestus præcepit interficere, & amputari jussit caput Johannis in carcere. Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Johannis in carcere; quo audito discipuli ejus, venerunt & tulerunt corpus ejus, & posuerunt illud in monumento.

In die ad Vesp.

Antiph. In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit. *Psal.* Beatus vir qui timet. D *Ant.* Collocet eum Dominus cum principibus populi sui. *Psal.* Laudate pueri. *Ant.* Dirupisti, Domine, vincula mea. *Psal.* Credidi propter quod. *Ant.* Paravi lucernam Christo meo, Inimicos ejus induam confusione. *Psal.* Memento. *Ant.* Educ de carcere animam ad confitendum nomini tuo, Domine. *Psal.* Voce mea ad Dominum.

In Evangelio.

Accedentes sancti Johannis Baptistæ * tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud. *Ant.* Herodes enim tenuit, *ut supra*. *Ant.* Puellæ saltanti. *Ant.* Domine mi Rex Israel, *Ant.* Arguebat Herodem. *Ant.* Da mihi in disco. *Vers.* Posuisti Domine. *Ant.* Tenens E spiculator gladium in manibus, tertio ictu percussit caput Johannis, & amputare non potuit.

* D scipuli.

Responsoria sive Antiph. de Nativitate sancta Maria ad Vesp.

Antiph. Sub tua protectione confugimus, ubi infirmi acceperunt virtutem: & propter hoc tibi psallimus, Dei genitrix Virgo.

Responsoria unde supra.

Resp. Hodie nata est Beata Virgo Maria ex progenie David, per quam salus Mundi apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit seculo. *Vers.* Beatissimæ Virginis Mariæ nativitatem devotissime celebremus. *Resp.* Beatissimæ Virginis Mariæ nativitatem devotissime celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. *Vers.* Hodie nata est Virgo Maria ex progenie David. *Resp.* Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolentes, cujus Dominus humilitatem respiciens Angelo nuntiante concepit Redemtorem mundi. *Vers.* Beatissimæ Virginis Mariæ. *Resp.* Nativitas tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo. Ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster. Exsolvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Nativitas Virginis Mariæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. *Ant.* Nativitas est hodie sanctæ Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. *Ant.* Regali ex progenie Maria exorta refulsit, cujus precibus nos adjuvari mente & spiritu devotissime poscimus. *Ant.* Corde & animo Christo canamus gloriam, in his sacris solemniis præcelsæ genitricis Dei Mariæ. *Ant.* Cum jucunditate nativitatem Beatæ Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Deum nostrum. *Vers.* Diffusa est.

In Evangelio.

Antiph. Nativitatem hodiernam perpetuæ Virginis genitricis Dei Mariæ solemnitatem celebremus, * quam celsitudo throni processit, allel. *Ant.* Nativitas, tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster. Exsolvens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.

Responsoria sive Antiph. In Vigilia sancti Hermetis.

Resp. Ego præfecturam non perdidi, sed mutavi. Nam dignitas terrena aut tollitur, aut mutatur: dignitas vero cælestis æterna est & persistit. *Vers.* Domine Deus meus Hermes, respice præfecturam tuam: & respice patrimonium tuum. Tua domus ornata est. Dignitas. *Resp.* Domine Jesu Christe, qui me in cathedra Apostoli tui sedere fecisti, præsta mihi ut mittas Angelum tuum, qui me hodie vespertino tempore perducat ad famulum tuum Hermen. *Vers.* Et iterum matutino hic revocet nemine sentiante donec aggrediar. Ad famulum.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ Desunt sex lineæ in ms.
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
E ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

In Matutinis Laudibus.

Ego præfecturam non perdidi, sed mutavi in nomine Domini. *Ant.* Domine Deus meus Hermes præfecturam tuam tuæ domus ornatum. *Ant.* Sanctus Alexander qui tenetur in vinculis, hic me docuit præcepta tua, Domine. *Ant.* Expansis manibus orabat ad Dominum, ut eum eriperet de inimicis. *Ant.* Dignitas vero cælestis æternæ sublimitatis subsistit.

In Evangelio.

Antiph. Domine Jesu Christe, qui me in Cathedra Apostoli tui sedere fecisti, præsta mihi ut mittas Angelum tuum, qui me hodie vespertino tempore perducat ad famulum tuum Hermen.

In Exaltatione sanctæ Crucis.

Vers. Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus. *Antiph.* Helena sancta Constantini mater Jerosolymam petit, alleluia.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem magnum Dominum venite adoremus.

Responsoria unde supra.

Resp. Dulce lignum, dulcem clavum, dulce pondus sustinuit, quæ digna fuit portare pretium hujus seculi. *Vers.* Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit. Quæ digna. *Resp.* Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit. Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri. *Vers.* Cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, & cœperit judicare seculum per ignem. Tunc. *Resp.* O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum & Dominum. *Vers.* Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Quæ sols. *Resp.* O Crux gloriosa! o Crux adoranda! o lignum pretiosum, & immutabile signum, per quod & diabolus est vinctus & mundus Christi sanguine redemtus. *Vers.* Dulce lignum, dulcem clavum, dulce pondus sustinuit, quæ digna fuit portare pretium hujus seculi. Per quod. *Resp.* O Crux admirabilis, in cujus ramis pependit thesaurus & redemtio captivorum. Per quem mundus est redemtus sanguine Domini sui. *Vers.* O laudabilis Crux, quæ in corpore Christi dedicata es. Ex ejus membrorum componens.

In Matutinis.

Antiph. Helena Constantini mater, *ut supra*. *Ant.* Helena desiderio plena orabat cum lacrymis dicens: tu, Domine, ostende lignum, in quo salus nostra fuit suspensa, allel. allel. *Ant.* Tunc præcepit omnes igne cremari; at illi tenentes tradiderunt Judam. *Ant.* Helena sancta dixit ad Judam: comple desiderium meum, & vive super terram, ut ostendas mihi super terram, qui dicitur Calvariæ locum, ubi absconditum est pretiosum lignum dominicum, alleluia. *Ant.* Mors & vita appositæ sunt tibi, vide, ostende mihi crucem Christi.

In Evangelio.

Antiph. Cumque ascendisset Judas de lacu, perrexit ad locum, ubi jacebat sancta Crux, alleluia. *Ant.* Orabat Judas, Deus Deus meus, ostende mihi lignum sanctæ Crucis, alleluia. *Ant.* Cum orasset Judas, commotus est lacus ille, in quo sancta Crux jacebat, alleluia. *Ant.* Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ. Vicit Leo de tribu Juda, radix David, alleluia.

Desunt quatuor [illegible] in ms.



A *Item Antiph. unde supra.*

Antiph. O magnum pietatis opus! mors mortua tunc est, quando in hoc ligno mortua vita fuit. *Ant.* Salva nos, Christe Salvator, per virtutem Crucis, qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis. *Ant.* O Crux admirabilis, evacuatio vulneris, restitutio sanitatis. *Ant.* Nos autem gloriari oportet. *Ant.* Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit, atque cruore suo vulnera nostra lavit. *Ant.* Crucem tuam adoramus, Domine, et sanctam resurrectionem laudamus & glorificamus: quia venit salus in universo mundo. *Ant.* Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu
B Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus. *Ant.* Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis, nulla sylva talem profert fronde, flore, germine: dulce lignum, dulcem clavum, dulce pondus sustinens. *Ant.* Dulce lignum, dulcem clavum, dulce pondus sustinuit: quæ digna fuit portare pretium seculi. *Ant.* Per signum Crucis, de inimicis nostris libera nos, Deus Israel, allel. *Ant.* Tuam Crucem adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus Passionem. Miserere nostri, qui passus es pro nobis. *Ant.* Lignum vitæ, Crux tua, Domine, manifestata est: mors enim per ipsam damnata est, &
C mundus omnis per ipsam illuminatus est. Omnipotens Domine, gloria tibi. *Ant.* Super omnia ligna cedrorum, tu sola excelsior, in qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit, allel. *Ant.* Crucem tuam adoramus, Domine, & sanctam resurrectionem tuam laudamus & glorificamus. Ecce enim propter Crucem venit gaudium in universo mundo. *Ant.* Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem venit gaudium in universo mundo. *Ant.* Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum. *Ant.* O Crux
D benedicta, quia in te pependit Salvator mundi, & in te triumphavit Rex Angelorum, alleluia. *Ant.* Ecce lignum Crucis, in quo salus mundi pependit: venite adoremus. *Antiph.* Crux Jesu Christi adaperiat nobis januas cæli. Crux, solve vinculum mortis; per hoc vitæ lignum, signum sit salutis nostræ. Defende nos, Jesu Christe, hic & in futuro.

De sancto Mauritio.

Antiphonæ in Matutinis Laudibus.

Antiph. Sanctus Mauritius Legionem sanctam præmonuit, ut ad cælestia regna properarent.
E Beatus Exuperius miles, Candidus & Victor junctis meritis se sociaverunt. *Ant.* Sancta Legio * Auganensium martyrum, dum resisteret adversariis, sacro duce Mauritio interveniente, immortalitatis compendium acquisierant. *Ant.* Pretiosa sunt Thebæorum martyrum * vulnerata, sancti Mauritii cum sociis suis, qui sub Maximiano mortem decreverunt suscipere. *Ant.* Ecce factus est sacer ille * Auganensium locus, per suffragia Sanctorum salus præsentium, præsidium futurorum. *Ant.* Sanctorum corpora sacri sanguinis unda perfudit, pretiosorum martyrum societas consecravit. Quod novit Redonus, in pugnando refugit. *Ant.* Flagra-
F bat in beatissimis martyribus gloriosus odor, quia trucidati ferro, collis submissis, a Maximiano peremti sunt, quos multitudo Angelorum cum gaudio suscepit. *Ant.* Triumphant sancti martyres Christi, qui sub Maximiano mortem decreverunt suscipere, & cum sancto Mauritio regna cælestia acceperunt.

* Agaunensium.
* vulnera.
* Agaunensium.

In

In Natali Sanctorum Cosmæ & Damiani.

Antiph. Cosmas & Damianus, Artimus, Leontius, Euprepius; hi quinque fratres a Deo coronati sunt.

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiph. & Responsoria.

In Vigilia sancti Michaelis ad Vesp.

Vers. Stetit Angelus super aram templi. *Ant.* Dum sacrum mysterium cerneret Johannes, Archangelus Michael tuba cecinit: ignosce, Domine Deus noster qui aperis librum, & solvis signacula ejus, alleluia.

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem Archangelorum Dominum, venite adoremus. *Ant* Stetit Angelus super aram templi, habens turibulum aureum in manu sua. *Psal.* In Domino confido. *Ant.* Ascen[d]it fumus aromatum in conspectu Domini, de manu Angeli. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Michael Archangelus venit in adjutorium populo Dei. *Psalm.* Afferte. *Vers.* Stetit Angelus.

Responsoria unde supra.

Resp. Factum est silentium in cælo, cum committeret bellum Draco cum Michael Archangelo; & audita est vox millia millium dicentium: salus, honor, & virtus omnipotenti Deo. *Vers.* Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. *Resp.* Stetit Angelus super aram Templi, habens turibulum aureum in manu sua. & data sunt ei incensa multa & ascendit fumus aromatum in conspectu Domini, de manu Angeli. *Vers.* In conspectu Angelorum psallam tibi; adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Et ascendit. *Resp.* In conspectu Angelorum nolite metuere: vos enim in cordibus vestris adorate & timete Dominum; Angelus enim ejus vobiscum est. *Vers.* Stetit Angelus juxta aram templi, habens turibulum aureum in manu sua. *Resp.* In conspectu Angelorum psallam tibi, & adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. *Vers.* Angelus qui fuit cum Jacob, ipse sit mecum in terra peregrinationis meæ. Et benedixit vias meas Deus meus. Et adorabo.

In secundo Nocturno.

Antiph. Michael præpositus Paradisi, quem honorificat Angelorum civis. *Psal.* Magnus Dominus. *Ant.* Gloriosus apparuisti in conspectu Domini; propterea decorem induit te Dominus. *Psal.* Te decet hymnus. *Ant.* Angelus Archangelus Michael Dei nuntius de animabus justis, allel. *Psal.* Quam dilecta. *Vers.* Ascendit fumus aromatum.

Responsoria unde supra.

Resp. Hic est Michael Archangelus Princeps militiæ Angelorum, cujus honor præstat beneficia populorum, & oratio perducit ad regna cælorum. *Vers.* In conspectu Angelorum, *ut supra*. *Vers.* Angeli, Archangeli, throni, & dominationes, principatus & potestates, virtutes cælorum. *Resp.* Venit Michael Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas Sanctorum ut perducat eas in Paradisum exultationis. *Vers.* Emitte, Domine, spiritum tuum de cælis; spiritum sapientiæ & intellectus. Ut perducat. *Resp.* Locutus est ad me unus, *ut supra*. *Vers.* Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilaverint.

In tertio Nocturno.

Antiph. Concussum est mare, & contremuit terra, ubi Archangelus Michael descendebat de cælo. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Laudemus Dominum quem laudant Angeli, quem Cherubim & Seraphim: Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant. *Psal.* Cantate 1. *Ant.* Data sunt ei incensa multa, ut adoleret ea ante altare aureum, quod est ante oculos Domini. *Psal.* Benedic, anima. *Vers.* Gloriosus apparuisti in conspectu Domini.

Responsoria unde supra.

Resp. Audivi vocem in cælo Angelorum, *ut supra*. *Vers.* Vidi Angelum Dei fortem. *Resp.* Ostendit mihi Angelus. *Resp.* Docebat quæ ventura sunt. Require in Prophetis. *Vers.* Ego sum Angelus ille, qui offero orationes vestras. *Resp.* Numquid scis quare non venerint ad te? Nunc revertar ut prælier adversus Principem Persarum contradicentem tuis precibus, & * mea legationis. Verumtamen Michael Archangelus Princeps vester. Adjutor meus ad Dominum Deum tuum. *Vers.* Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, potentes * virtutes qui facitis verbum ejus. *Resp.* In tempore illo * consurgens Michael Princeps vester, qui stat pro filiis vestris, & veniet tempus quale non fuit, ex eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. *Vers.* In tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit in libro vitæ. Et veniet. *Resp.* Fidelis sermo & omni acceptione dignus. Michael Archangelus qui pugnavit cum diabolo, gratia Dei ille victor in cælis extitit, & ille hostis antiquus patuit ruinæ magnæ. *Vers.* Gaudent Angeli, exultant Archangeli, lætantur Sancti, congratulantur martyres. Et ille. *Resp.* Hic est præpositus Paradisi Archangelus Michael. Non dimittat animas, donec assignet eas ante tribunal Christi. *Vers.* Vidi Angelum Dei, *ut supra*. Non dimittat.

* mea lega- tionis.
* virtute.
* con[s]urget.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Dum præliaretur Michael Archangelus cum Dracone antiquo, dedit ei Dominus victoriam sempiternam. *Ant.* Cum committeret bellum draco cum Michael Archangelo, audita est vox millia millium dicentium: salus Deo nostro. *Ant.* Archangele Michael, constitui te principem super omnes animas suscipiendas. *Ant.* Angeli Domini, Dominum benedicite in æternum. *Ant.* Angeli, Archangeli, throni, & dominationes, principatus & potestates, virtutes cælorum, laudate Dominum de cælis, alleluia.

In Evangelio.

Antiph. Factum est silentium in cælo, dum draco committeret bellum, & Michael pugnavit cum eo, & fecit victoriam, allel. *Ant.* Michael, Gabriel, Cherubim, & Seraphim, qui non cessant clamare quotidie: dignus es, Domine, accipere gloriam, alleluia. *Ant.* Angeli & omnes virtutes laudate Dominum. *Ant.* Hic est præpositus paradisi Archangelus Michael. Non dimittit animas, donec assignet eas ante tribunal Christi.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ *Deest linea in ms.*

Antiph. Justus ut palma florebit. Præsulis summi ac doctoris egregii.

Deest

∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵

Deest pagina integra in Manuscripto.

∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵ ∵

Doctor eximius Atrebatum, Vedastus sacris præconiis celebretur: ut quos in carne verbis, exemplis instruxit, sedulus pro eis ad Dominum intercedat. Ne lupus insidians oves Christi incursare præsumat. *Vers.* Ut quos spiritali studio informavit, monitis ac miraculis animavit. Sedulus. *Resp.* Hic est Vedastus * Aulescorum sensibus ortus, quem fama celebrior verbum prædicaturum [a] Ludovico Regi socium itineris ascivit. *Vers.* Quatenus per singulos itineris sui gressus, saluberrimis ab eo imbueretur doctrinis. Quem fama. *Resp.* Vedastus igitur festinantem ad vitæ fontem deducebat Regem. Remigius Pontifex venientem abluebat. *Vers.* Ambo pene pari pietate pares, sed Vedastus monita salutis dabat. Remigius. *Resp.* Dum ergo iter caperet cum Rege sacer Vedastus, nec mortale sonans cælestia pertractaret; & occurrenti cæco lumen restituit, & cor principis in fide solidavit. *Vers.* Sensit itaque vir Dei virtutem sibi adesse supernam, & totum se in sacras effudit preces. Et occurrenti. *Resp.* Qui de rupe arida sitienti populo fontem aquæ vivæ produxit, ipse per beatum Vedastum de sicco vase vinum manare concessit, ac suos poculo mirabili satiavit. *Vers.* Cum pocula vitæ vir Domini, cuidam propinaret amico, qui in Cana Galileæ aquas convertit in vinum. * Prædicator egregius vir Domini Vedastus Urbi Atrebatum destinatus, in ipsa Urbis porta duos a clade relevavit ægrotos: nam, & claudo gressum, & cæco lumen reddit oculorum. *Vers.* Antequam verbis plueret, miraculis corusaret, quis caducis carebat, munera est superna largitus. Nam & claudo. *Resp.* Mos ubi quondam fuerat ferarum, ibi Pontifex summus Beatus Vedastus chorum fecit resonare psallentium. Nam & ursi specum in aulam vertit sacrorum. *Vers.* Ut sicut mores bestiales in usu mutavit agnorum, ita ex fœdis & turpibus pulchra reddidit & honesta. Nam & ursi. *Resp.* Invitatus ad prandium sanctus Dei Sacerdos, Christi exemplum secutus, assensum præbere non abnuit, ut verbum vitæ convivarum cordibus * artium infunderet, & dæmonum commenta fugaret. *Vers.* Extenta namque dextera crucis signum vasis impressit, fugans larvam ex liquore suso, miraculo coruscavit. Et Verbum. *Resp.* O Beatum virum Vedastum Pontificem, cujus exitum columna lucis edocuit, ut verus Israel ab Ægypti ærumnis ad promissa regna percepturus præmia festinaret. *Vers.* Visa est igitur spatio duarum horarum columna lucis a domo Pontificis usque ad cælum fastigium eminere. Ut verus.

* Forte Aulicorum sensibus.

* Ipse per Beatum.

* Forte altius.

Antiph. & Responsoria de sancto Dionysio cum sociis suis.

In Vigilia ad Vesp.

Antiph. Sanctus Dionysius, qui tradente Beato Clemente Petri Apostoli successore, verbi divini semina gentibus parturienda susceperat. *Psal.* Beatus vir qui non. *Ant.* Quo amplius gentilitatis fervere cognovit errorem, illuc intrepidus & calore fidei flammatus accessit. Ad Parisios Domino ducente pervenit. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Non veritus incredulæ gentis experiri feritatem, quia virtutem suam præteritarum pœnarum recordatio roborabat. *Psal.* Domine, quid. *Vers.* Lætamini in Domino. *Resp.* Post Passionem Domini in universis gentibus prædicatio profutura successit; itaut fide crescente multi mererentur fieri confessores, quos Catholica postmodum gaudet Ecclesia meruisse martyres. *Vers.* Qui cum imminere suas cernerent passiones, quæ Domino Jesu Christo donante didicerant, repleti spiritus sancti gratia, docuerunt. Postmodum. *Vers.* Beatus Dionysius divini verbi semina gentibus tradente Clemente profutura successit. *Resp.* Gratias tibi, Domine, qui infestantis inimici jacula probationem fidelium tuorum præstitisti esse, & non vulnera: & talem tuis martyribus tribus pro labore mercedem, ut nullum tuorum fuisse gaudeat hostis imbellem. *Vers.* Justorum antem animæ. *Resp.* Beatissimus Dionysius Christi martyr tradente Beato Clemente parturienda gentibus semina divina suscepit. Et quo amplius gentilitatis errorem fervere cognovit, illuc intrepidus & virtute fidei armatus advenit. *Vers.* Et Parisios Domino ducente pervenit, non veritus incredulæ gentis expetere feritatem. Illuc intrepidus.

In secundo Nocturno.

Antiph. Tunc memorata civitas & conventu Germanorum & nobilitate pollebat, quia aura salubris, aere jucunda, fluminibus fecunda, terris arboribus nemorosa uberrima. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Hunc ergo locum Dei famulus elegit expectando. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Tantas per illum Dominus dignabatur exercere virtutes, ut rebellium corda non minus miraculis quam prædicationibus obtineret. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Vers.* Exultate justi in Domino.

Responsoria.

Resp. Adest namque Beati Dionysii sacratissima dies, in qua triumphans agonem explevit, & coronam victoriæ accipere meruit de manu Domini. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et coronam. *Resp.* In hoc ergo loco experiuntur infirmi, quantum Dei famulos conveniat honorari; ubi recipit cæcitas visum, debilitas gressum, & obstructæ aures recipere merentur auditum. *Vers.* Hunc ergo locum Dei famulus elegit expectando. Ubi recipit. *Resp.* Per Beatum Dionysium fiunt hic divina mysteria. Per orationes ejus cæci illuminantur, & natale ejus dæmones effugantur, & infirmi sanantur. *Vers.* Justorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ.

In tertio Nocturno.

Antiph. Ecclesia illis necdum in locis erat. Populus ille novam construxit, in qua officia servientium Clericorum ex more constituit, probatasque personas honore secundi ordinis ampliavit. *Psal.* In Domino confido. *Ant.* Miroque modo inermi

a Ludovicus is est Clodoveus primus Regum Francorum, qui Christo credidit.

inermi viro non valebat plebs armata resistere. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Cinctus ergo fide, & misericordiam anteponens, paulatim sociabat Deo, quos diabolo subtrahebat. *Psal.* Domine, in virtute. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria.

Resp. Tantas per illum Dominus dignabatur exercere virtutes, ut rebellium corda non minus miraculis quam prædicationibus obtineret. *Vers.* Miroque modo inermi viro non valebat plebs armata resistere. Quam prædicationibus. *Resp.* Isti sunt viri sancti. [a] *Require in Apostolor. Resp.* Beatus Dionysius, Rusticus & Eleutherius, in hac ergo fidei pertinacia permanentes, reddentes terræ corpora, animas cælo cum gaudio intulerunt. *Vers.* Tali namque ad Dominum meruerunt professione migrare, ut amputatis capitibus adhuc putaretur lingua palpitans Dominum confiteri.

In Matutinis Laudibus.

Antiph. Hi sancti viri a Beati Dionysii numquam sustinuerunt abesse præsentia, quos in unum interrogatio percussoris invenit. *Ant.* Tali namque ad Dominum meruerunt professione migrare, ut amputatis capitibus adhûc putaretur lingua palpitans Dominum confiteri. *Ant.* In hac ergo fidei constantia permanentes, reddentes terræ corpora, beatas cælo animas intulerunt. *Ant.* Beata nimium & Deo grata societas, inter quos nec primus alter potuit esse nec tertius; sed Trinitatem confitentes, trium meruerunt decorare martyrio. *Ant.* Eligunt ** Sequanæ profundisque gurgitibus martyrum corpora perdenda committere. *Ant.* In hoc ergo loco experiuntur infirmi quantum Dei famulos conveniat honorari, ubi recipiet cæcitas visum, debilitas gressum, & obstructæ aures recipere merentur auditum. *Vers.* Justorum animæ.

In Evangelio.

Antiph. Adest namque Beati Dionysii sacratissima dies, in qua triumphans agonem explevit, & coronam victoriæ accipere meruit de manu Domini. *Ant.* O Beate Dionysi, magna est fides tua. Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. *Ant.* Metuentes igitur percussores, ne conversi populi Christiani Sanctorum corpora sibi ad patrocinium tumularent. *Ant.* Tunc matrona quædam, quæ licet paganorum implicata teneretur errore, conversione se desiderare facere aliquid cogitans Domino placitura. *Ant.* Usa subtilitate consilii ad convivium postulabat percussores, & dum copiam ablara humanitatis extendit a memoria eorum quæ susceperunt agenda discurrit. *Ant.* Sanctum Dionysium cum sociis suis contra incredulos dimicantem Parisiis repererunt. *Ant.* Deus omnipotens, qui electis tuis in agone certantibus gloriæ coronam largiris, & fortitis præmium regni cælestis tradidisti, inter quos athleta tuus Dionysius atque beatissimus Eleutherius seu Rusticus in tua confessione palma martyrii consecrasti: præsta, Redemptor mundi, ut si meritis non valemus, per eorum suffragia veniam consequamur.

Antiph. & Resp. in Vigilia Sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani.

Antiph. Oriundi sunt Romæ sancti Dei Crispinus & Crispinianus. In Galliam devoti venerunt, & sub Maximiano crudeli examinatione certaverunt. *Psal.* Beatus vir qui non. *Ant.* Sancti martyres in oratione dixerunt: potens es, Domine, ab impiis liberare tormentis, & ab hoc igne illæsos educere. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Martyres sancti inter acerrimos dolores spe gaudentes in tribulatione, orabant Dominum, & dicebant: judica, Domine, judicium nostrum, & libera nos ab homine iniquo & doloso. *Psal.* Domine, quid.

Responsoria.

Resp. Oriundi sunt Romæ sancti Dei Crispinus & Crispinianus; in Galliam devoti venerunt; & sub Maximiano crudeli examinatione certaverunt. *Vers.* ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ *Deest in ms.*
Resp. Isti sunt duo viri pretiosi martyres, qui Roma pro Christi nomine ad prædicandum venerunt, & sub Maximiano crudeli Principe mortem gloriosam decreverunt suscipere. *Vers.* Romæ nobili ortu progeniti, in Gallia autem pro Christi amore venerunt. *Resp.* Beatissimi martyres respondentes Maximiano: honores quos polliceris nobis dare, tuis dona. Nobis vivere Christus est & mori lucrum. *Vers.* Pecunia vero & honores quos polliceris nobis dare, tuis dona. Ista olim pro Christi amore nos gaudemus reliquisse. Nobis.

In secundo Nocturno.

Antiph. Quibus hæc orantibus, exiliens gutta plumbi ferventis in oculum Rictiovari, gravi illum dolore crucians excæcavit afflictum. *Psalm.* Cum invocarem. *Ant.* Mox oratione finita reduxit eos pariter Angelus Domini sine dolore ab igne. *Psal.* Verba mea. *Ant.* O mirum divinæ æquitatis judicium, ut qui multos martyres per ignem peremit ad cælestia properantes, ipse in igne vitam finivit, & ad ignem æternum cruciatus pervenit. *Psal.* Domine Dominus noster.

Responsoria.

Resp. Cum essent in tormentis martyres Christi Crispinus & Crispinianus, cælestia contemplantes dicebant: adjuva nos, Domine, ut perficiamur opus tuum sine macula. *Vers.* Respice in servos tuos, & in opera tua, Domine, & adjuva nos. Ut perficiamur. *Resp.* Judica, Domine, judicium nostrum, & libera nos ab homine iniquo. Tunc illis orantibus exilierunt sudes de ungulis eorum, & ministros percutientes interfecerunt illos. *Vers.* Martyres inter acerrimos dolores spe gaudentes, in tribulatione patientes. Tunc. *Resp.* Sancti Martyres in oratione dixerunt: potens es, Domine, ab impiis liberare tormentis, & ab hoc igne illæsos educere. *Vers.* Mox oratione finita eduxit eos Angelus Domini sine dolore ab igne. Et ab hoc.

Antiph. in tertio Nocturno.

Antiph. Impius Maximianus jussit eos ambos capite truncari. *Psal.* Exaudi, Domine, justitiam. *Ant.* * Qui juxta regis amputata sunt capita, amborum pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum. *Psal.* Domine, in virtute. *Ant.* Relicta sancta corpora Crispini & Crispiniani, quæ Christo custodiente permanserunt intacta. *Psal.* Benedicam Dominum.

* *Forte quibus jussu.*

[a] Hoc est, *Require hoc responsorium in officio de Apostolis.*

Responsoria.

Resp. O mirum divinæ æquitatis judicium, ut qui multos martyres per ignem peremit, ad cælestia properantes, ipse in igne vitam finivit, & eos de colluctatione sui certaminis ad se venire jubet propitius. Ipse. *Resp.* Relicta sancta corpora Crispini & Crispiniani, quæ Christo custodiente a morsu* orum permanserunt intacta. *Vers.* Quorum animæ cælis ab Angelis translatæ, corpora vero a carnificibus bestiis sunt relictæ. Quæ. *Resp.* Angelica admonitione sepelierunt corpora Sanctorum cum gaudio, ubi populus hodie adorat majestatem Dei. *Vers.* In quo loco Christiani postea magnam ædificaverunt basilicam. Ubi.

* Forte ferarum.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Sancti vero martyres Crispinus & Crispinianus audacter Regi impio responderunt, dicentes: pro Christi amore nos venisse fatemur, qui est verus Deus in Trinitate unus, cui servimus in fide ac dilectione devoti. *Ant.* Beatissimi martyres responderunt Maximiano, dicentes: honores quos polliceris nobis dare, tuis dona: nobis vivere Christus est, & mori lucrum. *Ant.* Cum essent in tormentis martyres Christi, cælestia contemplantes dicebant: adjuva nos, Domine, ut perficiamus opus tuum sine macula. *Ant.* Beata & gloriosa mors Sanctorum, qui deambulabant in flammarum incendia, decantabant hymnum dicentes: adjuva nos, Deus salutaris noster. *Ant.* Orabant sancti martyres dicentes: gratias tibi agimus, Domine, qui nos de hoc sæculo eripiens ad te venire præcipis.

In Evangelio.

Antiph. Sancti Dei Crispinus & Crispinianus submissa colla percussoribus tradiderunt, animas sanctas Creatori Domino reddiderunt. Et ideo coronantur & accipiunt palmam, & vivunt in æternum. *Ant.* Isti sunt sancti Dei Crispinus & Crispinianus nobili progenie robusque ditati. Egressi sunt Roma propter amorem Christi, Reliquerunt omnia, secuti sunt Dominum, & pervenerunt ad præmia regni, quæ promisit Dominus diligentibus se. *Ant.* Angelica admonitione sepelierunt corpora Sanctorum cum gaudio, ubi populus hodie adorat majestatem Dei. *Ant.* Ad locum properat senex, ubi sancti martyres decollati jacebant. *Ant.* Oblatus est a parentibus puer variis infirmitatibus cæcus, surdus, mutus, & claudus: quæ largiente Christo martyrum precibus recipit.

In Vigilia sancti Quintini.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Sanctus vir Quintinus cum Beato Lucio ab urbe Roma, se in hanc transtulerunt regionem. *Ant.* Cumque pervenissent ad loca municipii, quæ Augusta Veremandorum nuncupatur. *Ant.* Tunc Rictiovarus furore plenus, jussit eum tendi & quaternionibus cædi. *Ant.* Beatus Quintinus orabat dicens: Domine Deus, miserere mei servi tui. *Ant.* Et cum vidisset, cervices suas percussoribus obtulit, dicens: facite nunc quod vobis præceptum est.

In Evangelio.

Antiph. Et vox de cælo dicens: Quintine famule meus, veni, accipe coronam quam tibi præparavi. *Ant.* Beatus Quintinus ad Rictiovarum dixit: Christianus sum, & Christum confiteor. Et tamen si certissime scire vis nomen meum, Quintinus vocor.

Antiph. et Resp. in Vigilia omnium Sanctorum.

Ad Invitatorium.

Antiph. Præoccupemus faciem Domini in confessione Sanctorum.

In primo Nocturno.

Antiph. Ave Maria. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Laudemus Dominum. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Custodiebant. *Psalm.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Justorum animæ.

Responsoria.

Resp. Beata es Virgo Maria. *Vers.* Ave Maria. *Resp.* Audivi vocem. *Vers.* Vidi Angelum. *Resp.* Sancti tui, Domine. *Vers.* Quoniam percussit.

In secundo Nocturno.

Antiph. In omnem terram. *Psal.* Cæli enarrant. *Ant.* Clamaverunt. *Psal.* Benedicam Dominum. *Ant.* Exultabunt sancti. *Psal.* Exultate justi. *Vers.* Justi autem.

Responsoria.

Resp. Fuerunt sine querela. *Vers.* Tradiderunt corpora. *Resp.* O veneranda martyrum. *Vers.* Isti sunt qui venerunt. Isti sunt viri sancti. *Vers.* Sancti per fidem.

In tertio Nocturno.

Antiph. In odore. *Psal.* Deus noster. *Ant.* Lætamini in Domino. *Psal.* Beati quorum. *Ant.* Cantabant sancti. *Psal.* Dominus regnavit, exultet. *Vers.* Mirabilis Deus.

Responsoria.

Resp. Quinque prudentes. *Vers.* Tunc surrexerunt. *Resp.* Sancti mei. *Vers.* Venite, benedicti. *Resp.* Beati estis. *Vers.* Gaudete, & exultate.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Post partum Virgo. *Ant.* Justi autem. *Ant.* Vos qui secuti estis. *Ant.* Spiritus & animæ. *Ant.* Angeli, Archangeli. *Capit.* Benedictio & claritas. *Vers.* Lætamini in Domino.

In Evangelio.

Antiph. Laudem dicite Deo nostro. *Ant.* Fulgebunt justi. *Ant.* Adoremus Dominum, qui in sanctis gloriosus est. *Ant.* Te trina deitas unaque poscimus, ut culpas abluas, noxia subtrahas, des pacem famulis, nos quoque gloria per cuncta tibi secula. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Laudemus Dominum. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Exaltata est sancta Dei. *Psal.* Cæli enarrant. *Vers.* Lætamini in Domino.

Responsoria unde supra.

Resp. In patre manet. *Vers.* Tamquam sponsus. *Resp.* In conspectu Angelorum. *Vers.* Angelus qui fuit. *Resp.* Beata es, Virgo. *Vers.* Ave, Maria. *Resp.* Inter natos. *Vers.* Fuit homo.

In

In secundo Nocturno.

Antiph. Inter natos. *Psal.* Domine, in virtute. *Ant.* Vos amici mei. *Psalm.* Eructavit. *Ant.* Dabo sanctis. *Psal.* Omnes gentes. *Vers.* Exultent justi.

Responsoria.

Resp. Inter natos. *Vers.* Fuit. *Resp.* Cives Apostolorum. *Vers.* In omnem terram. *Resp.* O veneranda. *Vers.* Isti sunt qui venerunt.

In tertio Nocturno.

Ant. Sint lumbi vestri. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Tunc surrexerunt. *Psalm.* Cantate 1. *Ant.* Omnes sancti. *Psal.* Dominus regnavit, exultet. *Vers.* Justi autem.

Responsoria.

Resp. Sacerdotes ejus. *Vers.* Illuc producam. *Resp.* Audivi vocem. *Vers.* Media autem. *Resp.* Omnes sancti. *Vers.* Effugerunt.

In Matutinis.

Angeli, Archangeli. *Ant.* Vos qui secuti estis. *Ant.* Sacerdotes Dei. *Ant.* Prudentes Virgines, *Ant.* Fulgebunt justi.

In Evangelio.

Antiph. Istorum est enim regnum. *Ant.* Astiterunt justi ante Dominum. *Ant.* Vestri capilli capitis. *Ant.* Sancti per fidem vicerunt regna.

Antiph. et Responsoria in Vigilia sancti Martini ad Vesp.

Vers. Justum deduxit Dominus. *Ant.* Ora pro nobis, beate Martine, ut digni efficiamur promissione Christi.

Ad Invitatorium.

Ant. Regem confessorum Dominum, venite adoremus.

In primo Nocturno.

Antiph. Martinns adhuc cathecumenus hac me veste contexit. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Sanctæ Trinitatis fidem Martinus confessus est, baptismi gratiam percepit. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Ego signo crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. *Psalm.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Hic est Martinus electus Dei Pontifex, cui Dominus post Apostolos tantam gratiam conferre dignatus est, ut in virtute Trinitatis Deificæ mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus. *Vers.* Sanctæ Trinitatis fidem Martinus confessus est. Ut trium. *Vers.* Iste homo ab adolescentia sua partim meruit infirmos curare, dedit illi Dominus gratiam. Ut *Resp.* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso subire propter eos labores. Fiat voluntas tua. *Vers.* Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Fiat. *Vers.* Oculis ac manibus in cælum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Fiat. *Resp.* O Beatum virum Martinum antistitem, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit. *Vers.* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat voluntas tua. Qui nec.

In secundo Nocturno.

Confido in Domino, quod illa mea precibus tuis reddenda sit sanitati. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Tetradius, cognita Dei virtute, ad baptismá gratiam pervenit. *Psal.* Verba mea. *Ant.* O ineffabilem virum, per quem nobis tanta miracula coruscant. *Psal.* Domine Dominus noster. *Vers.* Gloria & honore.

Responsoria unde supra.

Resp. Oculis ac manibus in cælum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. *Vers.* O virum ineffabilem, nec labore victum nec morte vincendum: qui nec mori timuit, nec vivere recusavit. Invictum. *Vers.* Dum Sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus. Spiritum. *Resp.* Dum Sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus. *Vers.* Orante sancto Martino, apparuit ei Angelus Domini. *Vers.* Oculis ac manibus, *ut supra*. *Resp.* Beatus Martinus obitum suum longe ante præscivit, dixitque fratribus dissolutionem sui corporis imminere, quia judicabat se jam resolvi. *Vers.* Dixerunt Discipuli. *Vers.* Viribus corporis cœpit repente destitui, convocatisque discipulis in unum, dixit. Dissolutionem. *Resp.* Dixerunt discipuli ad Beatum Martinum: cur nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. *Vers.* Domine, si adhuc populo tuo. *Vers.* Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva tibi sunt tua præmia, nec dilata minuentur; nostri potius miserere quos deseris. Invadent.

In tertio Nocturno.

Antiph Dominus Jesus Christus non se inquit purpuratum, nec diademate renitentem se venturum esse prædixit. *Psal* In Domino confido. *Ant.* Sacerdos Dei Martine Pastor egregie, ora pro nobis Dominum. *Psal.* Domine, quis. *Ant.* Sacerdos Dei Martine, aperti sunt tibi cæli, & regnum Patris mei. *Psal.* Domine, in virtute tua. Justum deduxit Dominus. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. O beatum virum, in cujus transitu Sanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, omniumque cælestium virtutum occurrit psallentium exercitus. *Vers.* Ecclesia Domini virtutum roboratur, Sacerdotes revelatione glorificant, quem Michael assumsit cum Angelis. Virtutum. *Resp.* Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur. Martinus hic pauper & modicus, cælum dives ingreditur; hymnis cælestibus honoratur. *Vers.* Oculis ac manibus, *ut supra*. *Vers.* Martinus Episcopus migravit a seculo, vivit in Christo gemma Sacerdotum. Hymnis. *Resp.* Ora pro nobis, beate Martine, ut digni efficiamur promissione Christi *Vers.* Tu autem confessor sancte beate Martine, ora pro nobis Dominum. Ut digni. *Vers.* Dum Sacramenta. *ut supra*. Ut digni. *Resp.* O quantus erat luctus omnium, quanta præcipue mœrentium lamenta Monachorum! quia & pium est gaudere Martino, & pium est flere Martinum. *Vers.* Beati viri corpus usque ad locum sepulcri, hymnis canora cælestibus turba prosequitur. Quia. *Vers.* Tanta erat de sancti illius meritis exultatio, quam pia de morte confusio. * Ignosceris flentibus, gratulare gaudentibus. Quia. *Resp.* Cum videret beatus Martinus discipulos suos flentes, motus his fletibus, conversus ad Dominum, dixit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Dixerunt discipuli ad beatum Martinum:

num: cur nos Pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. *Ant.* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. *Ant.* O virum ineffabilem! nec labore victum, nec morte vincendum; qui nec mori timuit, nec vivere recusavit. *Ant.* Oculis ac manibus in cælum semper intentus, invictus ab oratione spiritum non relaxabat, alleluia, alleluia. *Ant.* Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur; Martinus hic pauper & modicus, cælum dives ingreditur, hymnis cælestibus honoratur, *Vers.* Ecce sacerdos magnus.

In Evangelio.

Antiph. O quantus luctus omnium! quanta præcipue lamenta Monachorum & Virginum * chorus. Quia & pium est gaudere Martino, & pium est flere Martinum. *Ant.* O sanctissima anima! quam si gladius persecutoris non abstulit, tamen palmam martyrii non amisit. *Ant.* Dum esset summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad cælestia regna gloriosus migravit. *Ant.* Beatus Martinus dixit Juliano, Christi enim sum miles: pugnare mihi non licet. *Ant.* Martine, audit nos Dominus tibi auxilium ferre, & rusticam multitudinem effugasse. *Ant.* Dum Sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus. *Ant.* Sacerdotes Dei, benedicite Dominum, servi Domini hymnum dicite Deo, alleluia. *Ant.* Imposita manu puero beatus Martinus, immundum spiritum ab eo ejecit. *Ant.* Arborius stupens ad miraculum, gratias referebat Deo. *Vers.* Ecce Sacerdos. *Ant.* O beatum virum! cujus anima paradisum possidet, unde exultant Angeli, lætantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat; mane nobiscum in æternum. *Ant.* Orante beato Martino, apparuit ei Angelus Domini, *Ant.* Tu crede in Christo, & videbis opera Domini. *Ant.* Unus est Dominus Deus invisibilis per quem dæmones ejiciuntur.

* Dele chorus, aut lege choris.

De sancto Briccio Antiph.

In Matutinis Laudibus.

Ant. Post excessum Beatissimi Martini Episcopi, Beatus Briccius Cathedram Episcopalem suscepit. *Ant.* Trigesimo ordinationis suæ anno oritur contra eum lamentabile crimen. Nam quædam mulier quæ cubicularius vestimenta abluebat, concepit & peperit & * omne crimen Episcopo objiciunt. *Ant.* Illo quoque negante, jussit afferri infantem. Cumque oblatus fuisset triginta ab ortu dies habens, ait ad eum Briccius: adjuro te per Deum, & si ego te generavi coram cunctis edicas. *Ant.* Respondens autem infans coram omni populo, beato viro dixit: non es tu, inquit, Pater meus. *Ant.* Sanctus Briccius satisfaciens populo prunas ardentes ab urbe in birro suo deferens, & ante sepulcrum beati Martini coram populo projiciens, vestimentum ejus inustum non apparuit. *Vers.* Ecce Sacerdos magnus.

* Forte & omnes.

In Evangelio.

Antiph. Populis autem non credentibus, & ab Episcopatu eum ejicientibus, Romam petit, flens

A & ejulans, atque dicens: merito hæc patior, quia peccavi in Sanctum Dei.

Antiph. & Resp. in Vigilia sancti Andreæ Apostoli ad Vesp.

Vers. In omnem terram. *Ant.* Venite post me, dicit Dominus, faciam vos fieri piscatores hominum.

Responsoria unde supra.

Resp. Dum perambularet Dominus supra mare, secus littus Galileæ, vidit Petrum & Andream retia mittentes in mare, & vocavit eos dicens: venite post me, faciam vos piscatores hominum. *Vers.*
B Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende orationi meæ. A finibus terræ. Vocavit. *Resp.* Venite post me, faciam vos piscatores hominum. At illi relictis retibus & navi, secuti sunt Dominum. *Vers.* Dum perambularet Dominus supra mare secus littus Galileæ, vidit duos fratres Petrum & Andream, & vocavit eos. At illi. *Resp.* Mox ut vocem Domini prædicantis audivit Beatus Andreas, relictis retibus, quorum usu actuque vivebat, æternæ vitæ secutus est largitorem. *Vers.* Ad unius jussionis vocem Petrus & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemtorem. Præmia. *Resp.* [a] Oravit sanctus Andreas, dum respiceret cælum; voce magna clamavit, & dixit: Tu es Deus meus quem vidi; ne me
C patiaris ab impio judice deponi, quia virtutem sanctæ crucis agnovi. *Vers.* Tu es magister meus, Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem confessus sum; tantummodo in ista voce exaudi me. Ne me permittas. *Resp.* Homo Dei ducebatur ut crucifigerent eum. Populus autem clamabat voce magna, dicens: Innocens ejus sanguis sine causa damnatur. *Vers.* Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt & claudicaverunt a semitis suis, vivit Dominus. Innocens. *Resp.* O bona crux! quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti. Accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo; ut per te me recipiat, qui per te me redemit. *Vers.* Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tamquam
D margaritis ornata. *Resp.* Doctor bonus & amicus Dei Andreas ducitur ad crucem, aspiciens a longe vidit crucem: Salve crux, suscipe discipulum ejus, qui pependit in te, magister meus Christus. *Vers.* Salve crux, *ut supra*. Qui pependit. *Resp.* Expandi manus meas tota die in cruce, ad populum non credentem, sed contradicentem mihi, qui ambulat vias non bonas, sed post peccata sua. *Vers.* Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis. *Resp.* Vir iste in populo suo mirifficus apparuit, sanctitate autem & gratia plenus. Iste est qui assidue orat pro populo, & pro civita-
E te ista. *Vers.* Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam. Pro populo. *Resp.* Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis. Dum penderet in cruce, dignum sibi computavit martyrem, quem vocavit Apostolum, dum esset in mari, & ideo amicus Dei appellatus est. *Vers.* Tu es magister meus, Christe, *ut supra*. Et ideo. *Resp.* Beatus Andreas de cruce clamabat, dicens: Domine Jesu Christe, non jubeas me deponi de ista cruce, nisi prius accipias spiritum meum. *Vers.* Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. *Resp.* Beatus Andreas vidit crucem. Exclamavit ad eam: suscipe discipulum ejus qui pepen-

a Hæc & sequentia desumuntur ex actis sancti Andreæ, de quorum antiquitate & sinceritate dubitatur. Ex solis vitiosis repugnat Andreas du Saussay.

pependit in te, quem vidi, quem amavi, quem secutus sum mundo corde: quapropter, lætus pergo ad te, quia secretum agnovi, qua de causa fixa es. *Vers.* Vidit crucem Andreas, exclamavit & dixit: suscipe, beata crux, humilem propter Dominum, suscipe discipulum ejus. Qui pependit. *Resp.* Cum videret Beatus Andreas crucem, exclamavit & dixit: salve crux, quamdiu fatigaris, expectans me sicut expectasti Dominum & magistrum meum. *Vers.* Suscipe, beata crux, humilem propter Dominum; suscipe discipulum ejus qui pependit in te. *Resp.* Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex memoris ejus tamquam margaritis ornata es, suscipe discipulum ejus qui pependit in te. *Vers.* Quoniam tu es protector. *ut supra*. *Vers.* Salve crux pretiosa, suscipe discipulum ejus, qui pependit in te magister meus Christus. Suscipe. *Resp.* Dum penderet beatus Andreas in cruce, non cessavit prædicare verbum Dei die ac nocte. Et populus irruebat ad tyrannum judicem dicentes: solve hominem justum, & mitte hominem innocentem. *Vers.* Ut & nos mereamur patria, & omnis patria habeat pacem, mihi is sum prædicare in omnibus * ut cognoscar recti corde secreta crucis Domini mei. *Vers.* Videns crucem Andreas, exclamavit dicens: O crux admirabilis! o crux, quæ per totum mundum fulgida es, suscipe discipulum Christi, non me dimittas errare sicut ovem non habentem pastorem. *Vers.* Vivens pendebat in cruce pro Christi nomine beatus Andreas, & docebat populum, *Vers.* Salve crux, *ut supra*. Non me dimittas.

* Forte ut cognoscant recti.

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Salve crux pretiosa, suscipe discipulum ejus, qui pependit in te magister meus Christus. *Ant.* Beatus Andreas orabat, dicens: Domine Rex æternæ gloriæ, suscipe me pendentem in patibulo. *Ant.* Andreas Christi famulus, dignus Deo Apostolus, germanus Petri & in passione socius. *Ant.* Maximilla Christo amabilis, tulit corpus Apostoli; optimo loco cum aromatibus sepelivit. *Ant.* Qui persequebantur justum, demersisti eos, Domine, in infernum, & in ligno crucis dux justi fuisti. *Vers.* Constitues eos principes.

In Evangelio.

Antiph. Unus ex duobus qui secuti sunt Dominum, erat Andreas frater Simonis Petri, alleluia. *Ant.* Christus me misit ad istam Provinciam, ubi non parvum populum acquisivi. *Ant.* Non me permittas, Domine, famulum tuum a te separari; tempus est ut commendes terræ corpus meum. *Ant.* Biduo vivens pendebat in cruce pro Christi nomine beatus Andreas, & docebat populum. *Ant.* Dignum sibi Dominus computavit martyrem, quem vocavit Apostolum, dum esset in mari, alleluia. *Ant.* Sancte Andreas Apostole Christi, deprecare pro nobis ad Dominum Jesum. Intercede pro nobis. *Ant.* Andreas Apostolus Domini, magnum operatus est miraculum: templum Dei prædicando jugiter, convertit populum Mirmydonem. *Ant.* Dixit Andreas Simoni fratri suo: invenimus Messiam, qui dicitur Christus. *Ant.* Videns Andreas crucem cum gaudio dicebat: quia amator tuus semper fui, & desideravi. *Ant.* Continuo relictis retibus & patre, secuti sunt Salvatorem. *Ant.* Vidit Dominus Petrum & Andream, & vocavit eos. *Ant.* Relictis retibus suis, secuti sunt Dominum Jesum Christum. *Ant.* Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis, allel. *Ant.* Salve crux quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tamquam margaritis ornata. *Ant.* Recipe me ab hominibus, & redde me magistro meo; ut per te me recipiat, qui per te me redemit, allel. *Ant.* Tu es Deus meus, in quo complacui & dilexi, quia virtutem sanctæ crucis agnovi, alleluia. *Ant.* Dum perambularet Dominus supra mare, secus littus Galileæ. *Ant.* Venite post me, dicit Dominus, faciam vos fieri piscatores hominum.

In die ad Vesp.

Antiph. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum. *Psal.* Dixit Dominus. *Ant.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. *Psal.* Beatus vir qui timet. *Ant.* Collocet eum Dominus cum principibus populi sui. *Psal.* Laudate, pueri. *Ant.* Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. *Psal.* Credidi propter. *Ant.* Confortatus est principatus eorum, & honorati sunt amici tui, Deus. *Psal.* Domine, probasti me. *Ant.* Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.

In Evangelio.

Antiph. Concede nobis hominem justum, redde nobis hominem sanctum; ne interficias hominem Deo carum, justum, mansuetum & pium.

Antiph. et Resp. in Vigilia sanctæ Cæciliæ Virginis ad Vesp.

Antiph. Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore suo, non diebus neque noctibus a colloquiis divinis, & oratione vacabat.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem Virginum Dominum venite adoremus.

In primo Nocturno.

Antiph. Cæcilia Virgo Almachium exsuperabat, Tiburtium & Valerianum ad coronas vocabat. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Expansis manibus orabat ad Dominum, ut eam eriperet de inimicis. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat. *Psalm.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Specie tua & pulchritudine.

Responsoria unde supra.

Resp. Cantantibus organis Cæcilia Virgo in corde suo soli Domino decantabat, dicens: fiat Domine, cor meum, & corpus meum immaculatum, ut non confundar. *Vers.* Biduanis ac triduanis jejuniis orans suam Domino pudicitiam commendabat. Fiat. *Resp.* O beata Cæcilia, quæ duos fratres convertisti, Almachium judicem superasti, Urbanum Episcopum in vultu angelico demonstrasti. *Vers.* Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi Urbanum. *Resp.* Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore; & non diebus, neque noctibus vacabat a colloquiis divinis & oratione. *Vers.* Est secretum, Valeriane, quod tibi volo di-

lo dicere: Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum. Et non diebus. *Vers.* Fiat, Domine, cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar.

In secundo Nocturno.

Antiph. Domine Jesu Christe, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Beata Cæcilia dixit ad Tiburtium: hodie te fateor esse meum cognatum, quia amor Dei te fecit esse * me contemtum. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Fiat, Domine, cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar. *Psal.* Domine Dominus noster. *Vers.* Adjuvabit eam.

* Forte sicut me contemtum. Vulgo legitur te fecit contemtorem idolorum; quod etiam infra habet codex.

Responsoria unde supra.

Resp. Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat, Almachium exsuperabat, Tiburtium & Valerianum ad coronas vocabat. *Vers.* Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Tiburtium. *Resp.* Cæciliam intra cubiculum orantem invenit, & juxta eam Angelum Domini, quem videns Valerianus nimio terrore correptus est. *Vers.* Angelus Domini descendit de cælo, & lumen refulsit in habitaculo. Quem videns. *Resp.* Domine Jesu Christe, Pastor bone, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæciliam seminasti. Cæcilia famula tua, quasi * ovis tibi argumentosa deservit. *Vers.* Nam sponsum quem quasi leonem accepit, tibi quasi agnum mansuetissimum sociavit. Cæcilia famula.

* ejus.

In tertio Nocturno.

Antiph. Credimus Christum Filium Dei verum Deum esse, qui te talem accepit famulam. *Psal.* In Domino. *Ant.* Nos scientes sanctum nomen omnino negare non possumus. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Tunc Valerianus perrexit ad Antistitem, & * signum quodacceperat invenit sanctum Urbanum. *Psal.* Eructavit. *Vers.* Elegit eam Dominus.

* ad.

Responsoria unde supra.

Resp. Beata Cæcilia dixit ad Tiburtium: hodie fateor te esse meum cognatum, quia amor Dei te fecit esse contemtorem Idolorum. *Vers.* Suscipe, Domine, seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti. Quia amor. *Resp.* Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum Urbanum, quia ad ipsum habeo secreta quæ perferam. *Vers.* Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Quia. *Vers.* Tunc Valerianus perrexit ad antistitem, & * signum quod acceperat invenit sanctum Urbanum. Quia. *Resp.* Dum aurora finem daret, Cæcilia dixit. Eia milites Christi, abjicite opera tenebrarum, & induamini arma lucis. *Vers.* Cæcilia valedicens fratribus, & exhortans eos ait: Eia.

* ad.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Cantantibus organis Cæcilia Domino decantabat dicens: fiat cor meum immaculatum, ut non confundar. *Ant.* Est secretum, Valeriane, quod tibi volo dicere: Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum. *Ant.* Valerianus in cubiculo Cæciliam cum Angelo o-
A rantem venit. *Ant.* Benedico te, Pater Domini mei Jesu Christi, quia per filium tuum ignis extinctus est a latere meo. *Ant.* Cæcilia famula tua, Domine, quasi ovis tibi argumentosa deservit. *Vers.* Diffusa est.

In Evangelio.

Antiph. Dum aurora finem daret Cæcilia sancta dixit: Eia milites Christi abjicite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. *Ant.* Triduanas a Domino poposci inducias, ut domum meam Ecclesiam consecrarem. *Ant.* Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum Urbanum, quia ad ipsum habeo secreta quæ perferam. *Ant.* Suscipe, Do-
B mine, seminum fructus, quos in Cæciliam seminasti. *Ant.* Cæciliam intra cubiculum orantem invenit.

In Vigilia sancti Clementis ad Vesp.

Vers. Justum deduxit Dominus. *Ant.* Dum iter maris cœpisset populus, voce magna clamabat: Domine, salva eum. Et Clemens cum lacrymis dicebat: accipe, Pater, spiritum meum.

Responsoria unde supra.

Resp. Orante sanctu Clemente, apparuit ei agnus Dei, de sub cujus pede fons vivus emanat: fluminis impetus lætificat civitatem Dei. *Vers.* Vidi supra montem Sion agnum stantem. De sub cujus.
C *Resp.* Ora pro nobis, beate Clemens, ut digni efficiamur promissione Christi. *Vers.* Sperate in eo omnis conventus plebis, effundite coram illo corda vestra. Ut digni. *Resp.* Dedisti, Domine, habitaculum martyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmorei angolicis manibus præparatum; iter præbens populo terræ, ut enarrent mirabilia Dei. *Vers.* Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Iter præbens. *Resp.* Fœbus & Cornelius discipuli beati Clementis dixerunt ad populum: oremus omnes ad Dominum, ut ostendat nobis martyris sui corpus.

D

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Orante sancto Clemente apparuit ei Agnus Dei. *Ant.* Non meis meritis ad vos me misit Dominus, ad vestras coronas participem fieri. *Ant.* Vidi supra montem agnum stantem, de sub cujus pede fons vivus emanat. *Ant.* De sub cujus pede fons vivus emanat: fluminis impetus lætificat civitatem Dei. *Ant.* Omnes gentes per gyrum crediderunt Christum Domini.

In Evangelio.

Antiph. Oremus omnes ad Dominum Jesum Christum, ut confessoribus suis fontis venas ape-
E riat. *Ant.* Invenerunt in modum templi marmorei habitaculum a Deo paratum. *Ant.* Oremus ad Dominum, ut ostendat nobis martyris sui corpus. *Ant.* Dedisti, Domine, habitaculum martyri tuo Clementi in mari in modum templi marmorei angehcis manibus præparatum; iter præbens populo terræ, ut enarrent mirabilia Dei.

a *In Vigilia sancti Andreæ ad Vesp.*

Vers. In omnem terram. *Ant.* Dum perambularet Dominus supra mare secus littus Galileæ, alleluia.

Ad

a Cur hic occurrat idem fere officium de S. Andrea, ac paulo superius, nos latet. Forte fuere duo aut olim dies S. Andreæ memoriæ dicati, unus ob martyrium, alter propter corporis translationem.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem Apostolorum Dominum, venite, adoremus.

In primo Nocturno.

Antiph. Vidit Dominus Petrum & Andream, & vocavit eos. *Psal.* Cæli enarrant. *Ant.* Venite post me, dicit Dominus, faciam vos piscatores hominum. *Psal.* Benedicam Dominum. *Ant.* Relictis retibus suis secuti sunt Dominum Jesum Christum. *Psal.* Eructavit. *Vers.* In omnem terram.

Responsoria unde supra.

Resp. Dum perambularet Dominus, *ut supra*. *Vers.* Exaudi, Deus. *Resp.* Venite post me, *ut supra*. *Vers.* Dum perambularet. *Resp.* Mox ut vocem, *ut supra*. *Vers.* Ad unius jussionis. *Resp.* Oravit sanctus Andreas, *ut supra*. *Vers.* Tu es magister meus.

In secundo Nocturno.

Antiph. Dilexit Andream Dominus, in odorem suavitatis. *Psalm.* Omnes gentes. *Ant.* Dignum sibi Dominus computavit martyrem, quem vocavit Apostolum dum esset in mari, allel. *Psal.* Exaudi, Deus, deprecat. *Ant.* Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tamquam margaritis ornata. *Psal.* Exaudi, Deus, orat. cum dep. *Vers.* Dedisti hereditatem.

Responsoria unde supra.

Resp. Homo Dei ducebatur, *ut supra*. *Vers.* Filii alieni. *Resp.* O bona crux, *ut supra*. *Vers.* Salve crux. *Resp.* Doctor bonus, *ut supra*. *Vers.* Salve crux. *Vers.* Cum pervenisset ad locum, ubi crux parata erat, videns eam a longe, exclamavit voce magna, dicens: Salve crux.

In tertio Nocturno.

Antiph. Accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo; per te me recipiat, qui per te me redemit, alleluia. *Psal.* Confitebimur. *Ant.* Tu es Deus meus in quo complacui, & dilexi, quia virtutem sanctæ crucis agnovi. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Non me permittas, Domine, famulum tuum a te separari. Tempus est ut commendes terræ corpus meum. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Annuntiaverunt opera Dei.

Responsoria unde supra.

Resp. Expandi manus meas, *ut supra*. *Vers.* Deus ultionum Dominus. *Resp.* Salve crux, quæ in corpore, *ut supra*. *Vers.* Quoniam tu es protector meus. *Resp.* Dilexit Andream Dominus. *Vers.* Tu es magister meus. *Resp.* Vir iste in populo suo, *ut supra*. *Vers.* Pro eo ut me diligerent. *Resp.* Cum vidisset Beatus Andreas, *ut supra*. *Vers.* Suscipe, beata crux. *Resp.* Dum penderet Beatus Andreas, *ut supra*. *Vers.* Ut & nos mereamur. *Resp.* Videns crucem Andreas, *ut supra*. *Vers.* Vivens pendebat. *Vers.* Salve, crux, *ut supra*.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

In Evangelio.

Antiph. Unus ex duobus, *ut supra*. *Ant.* Videns Andreas crucem, cum gaudio dicebat: quia amator tuus semper fui & desideravi. Amplector te, o bona crux. *Ant.* Ego si patibulum crucis expavescerem, crucis gloriam non prædicarem. *Ant.* Non me permittas, *ut supra*. *Ant.* Christus me misit.

In die ad Vesp.

Antiph. Juravit, *cum reliquis*, *ut supra*.

In Evangelio.

Antiph. Concede nobis, *ut supra*. *Ant.* Biduo vivens pendebat in cruce, *ut supra*. *Ant.* Andreas Apostolus Domini magnum operatus est miraculum in templo Dei. * Prædicandum jugiter convertit populum Mirmidonium.

In Vigilia sanctæ Luciæ Virginis. Ad Vesp.

Antiph. Orante sancta Lucia apparuit ei beata Agathes, & consolabatur ancillam Christi.

Responsoria unde supra.

Resp. Lucia Virgo, quid a me petis, quod ipsa poteris præstare continuo? Nam & matri tuæ fides tua subveniat, & ecce salva est, quia jucundum Domini in tua virginitate habitaculum præparasti. *Vers.* Sicut per me civitas Cathanensium sublimatur a Christo, ita per te civitas Syracusana decorabitur. Quia jucundum. *Resp.* Rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominetur mihi. Et impetravi a Domino inducias martyrii mei. *Vers.* Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. *Resp.* Grata facta est a Domino in certamina, quia apud Deum, & apud homines glorificata est. In conspectu principum loquebatur sappientiam, & Dominus omnium dilexit illam. *Vers.* Erecta namque in * virtutis tormenta derisit. Et Dominus. *Vers.* Adjuvabit eam.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Orante sancta Lucia, *ut supra*. *Ant.* Lucia Virgo, quid a me petis, quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ? *Ant.* Per te, Lucia Virgo, civitas Syracusana decorabitur a Domino Jesu Christo. *Ant.* Soror mea Lucia, Virgo Deo devota, quid a me petis quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ? *Ant.* Benedico te, Pater Domini, *ut supra*. *Ant.* Ego rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominetur mihi, sed credentibus in Domino timorem auferam passionum. *Ant.* Tanto pondere eam fixit Spiritus sanctus, ut Virgo Domini immobilis permaneret. *Vers.* Diffusa est gratia.

In Evangelio.

Antiph. Columna es immobilis, Lucia martyr Christi, quia omnis plebs te expectat, ut accipias coronam regni, allel. *Ant.* In tua patientia possedisti animam tuam, Lucia Martyr Christi. Odisti quæ in mundo sunt; & coruscas cum Angelis. Sanguinem proprium inimicis fudisti. *Ant.* Ego cognovi virtutem Domini mei Jesu Christi, secure contemno minas tuas.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

De sancto Thoma in Matutinis Laudibus.

Antiph. Apparuit Thomæ Dominus in visu nocte dicens ei: ne timeas descendere in India, quia ego non te derelinquo. *Ant.* Rex autem rogabat Apostolum: peto tibi, vir Dei, ut eas, atque benedicas puero cum filia mea. *Ant.* Thomas orabat ad Dominum: deprecor te, Domine, ut benedicas hos innocentes, & spira eis quæ agi oportet. *Ant.* Vos autem estote fortes & custodite, quæ

a me

* Forte prædicando.

* virtute.

∴ Deest linea in ms.

a me accepistis; quia non videbitis ultra faciem meam. *Ant.* Circumdet hodie famulum tuum gloria tua, Domine Jesu Christe.

In Evangelio.

Antiph. Orabat sanctus Thomas ad Dominum: respice in me, Domine, expectantem ac revertentem a nuptiis. *Ant.* Adesto, Domine, servo tuo, & cum pace dirigas me ad sedem tuam, alleluia, alleluia. *Ant.* Advenientes milites qui percusserunt cum lanceis; & ille gaudens migravit ad Dominum.

Antiph. et Resp. in Vigilia Apostolorum ad Vesp.

Vers. In omnem terram. *Ant.* Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos; & ante Reges & Præsides ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. *Ant.* Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis regnum æternum, alleluia.

Ad Invitatorium.

Ant. Regem Apostolorum Dominum, venite adoremus.

In primo Nocturno.

Antiph. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Psal.* Cæli enarrant. *Ant.* Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos. *Psal.* Benedicam Dominum. *Ant.* Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine. *Psal.* Eructavit. *Vers.* In omnem terram.

Responsoria unde supra.

Resp. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, dicit Dominus: estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Vers.* Dum lucem habetis, credite in lucem ut filii lucis sitis, dicit Dominus. Estote. *Resp.* Tollite jugum meum super vos, dicit Dominus, & discite quia mitis sum & humilis corde. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. *Vers.* Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim. *Resp.* Dum steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. *Vers.* Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Dabitur.

In secundo Nocturno.

Antiph. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. *Psal.* Omnes gentes. *Ant.* Dedisti hereditatem timentibus nomen tuum, Domine. *Psal.* Exaudi, Deus, deprecationem. *Ant.* Annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt. *Psal.* Exaudi, Deus, orat. meam cum dep. *Vers.* Dedisti hereditatem.

Responsoria unde supra.

Resp. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, & Angelus Domini locutus est ad me, dicens: Isti sunt viri sancti facti amici Dei. *Vers.* Vidi Angelum Dei volantem per medium cælum, voce magna clamantem, & dicentem: Isti sunt. *Resp.* Isti sunt triumphatores & amici Dei, qui contemnentes jussa Principum meruerunt præmia æterna. Modo coronantur & accipiunt palmam. *Vers.* Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni. Modo. *Resp.* Isti sunt qui viventes in carne, plantaverunt Ec-

A clesiam sanguine suo: non sunt de terris corpora eorum separata, quorum merito sunt in cælis animæ Sanctorum coæquales. *Vers.* In omnem terram exivit sonus eorum, *ut supra*.

In tertio Nocturno.

Antiph. Exaltabuntur cornua justi, allel. *Psal.* Confitebimur. *Ant.* Lux orta est justo, allel. rectis corde lætitia, allel. *Psalm.* Dominus regnavit exultet. *Ant.* Custodiebant testimonia ejus, & præcepta ejus, allel. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Annuntiaverunt.

Responsoria.

B *Resp.* Isti sunt viri, quos elegit Dominus in caritate non ficta, & dedit illis gloriam sempiternam, quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sol & luna. *Vers.* Sancti per fidem vicerunt regna, operati justitiam. Quorum. *Resp.* Fuerunt sine querela ante Dominum, & ab invicem non sunt separati. Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. *Vers.* Tradiderunt corpora sua ad supplicia, ideo coronantur & accipiunt palmam. *Resp.* In omnem terram exivit sonus eorum. Et in fines orbis terræ verba eorum. *Vers.* Non sunt loquelæ, neque sermones quorum non audiantur voces eorum. Et in fines. *Resp.* Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domi-
C ne, in omni progenie & generatione. *Vers.* In omnem terram, *ut supra*. *Resp.* Cives Apostolorum & domestici Dei advenerunt hodie, portantes pacem, illuminantes patrias; dare pacem gentibus, & liberare populum Domini. *Vers.* In omnem terram. *Resp.* Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Vers.* Non enim vos estis qui loquimini, *ut supra*. Et fructus vester.

. . . . *Desunt duo lineæ in ms.*

Antiph. in Matutinis Laudibus.

D *Ant.* Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos. *Ant.* Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Ant.* Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis, allel. *Ant.* Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt. *Ant.* In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Vers.* Constitues eos principes.

In Evangelio.

Antiph. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. *Ant.* Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel, allel.

E

Item Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Ego vos elegi de mundo, ut eatis & fructum plurimum afferatis. *Ant.* Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, allel. *Ant.* Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Ant.* Beati pacifici, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Ant.* Jam non dicam vos servos, sed amicos meos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

In Evangelio.

Antiph. Vos estis lux hujus mundi. In patientia possi-

possidebitis animas vestras. *Ant.* Vestri capilli A capitis omnes numerati sunt; nolite timere, multis passeribus meliores estis vos. *Ant.* Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, dicit Dominus. *Ant.* Quodcumque petieris Patrem in nomine meo, dabitur vobis a Patre meo, dicit Dominus.

Item Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Ego vos elegi de mundo, quia mundus odio vos habuit. *Ant.* Manete in dilectione mea, sicut dilexi vos, dicit Dominus. *Ant.* Tollite jugum meum super vos, quia mitis sum & humilis corde. *Ant.* Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. *Ant.* Beati qui B persecutionem patiuntur propter justitiam. *Ant.* Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt, dicit Dominus.

In Evangelio.

Antiph. Amen dico vobis, mundus plorabit, & vos gaudebitis, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. *Ant.* Ego sum via, veritas, & vita; nemo vadit ad Patrem nisi per me, allel. *Ant.* Venite, benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. *Vers.* Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Ego autem in medio vestri sum sicut qui ministrat, alleluia.

Deest linea in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiph. & Resp. in Vigilia plurimorum Martyrum ad Vesp.

Antiph. Ecce adest tempus, venite ad me omnes Sancti, quia paravi vobis regnum, ut maneatis mecum in æternum. *Ant.* Adstiterunt justi ante Dominum, & ab invicem non sunt separati, gloriam Domini viderunt, & amici Dei appellati sunt.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum, veni- D te adoremus.

In primo Nocturno.

Antiph. Secus decursus aquarum. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Prædicans. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* Filii hominum, scitote quia. *Psal.* Cum invocarem. *Vers.* Lætamini in Domino.

Responsoria unde supra.

Resp. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum; & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: quoniam priora transierunt. *Vers.* Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Quoniam priora. *Resp.* Viri E sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua; & ideo coronas triumphales meruerunt. *Vers.* Unus spiritus & una fides erat in eis. Et ideo. *Resp.* Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, & meruerunt habere coronas perpetuas. *Vers.* Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni. Et meruerunt.

In secundo Nocturno.

Antiph. Filii hominum. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Scuto bonæ. *Psal.* Verba mea. *Ant.* In universa terra. *Psalm.* Domine Dominus noster.

Resp. unde supra.

Resp. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis. Terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento. *Vers.* Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra. *Resp.* Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine, ut heredes fierent in domo Domini. *Vers.* Magnus Dominus & laudabilis valde, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Ut heredes. *Resp.* Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine, qui effuso sanguine secuti sunt Dominum, contemnentes aulam regiam pervenerunt ad regna cælestia. *Vers.* Ecce quam bonum & quam jucundum, *ut supra.*

In tertio Nocturno.

Antiph. Sancti qui in terra sunt. *Psal.* Conserva me, Domine. *Ant.* Hæc est generatio. *Psalm.* Domini est terra. *Ant.* Lætamini in Domino. *Psal.* Beati quorum. *Vers.* Justi autem.

Resp. unde supra.

Resp. Propter Testamentum Domini & leges paternas; ideoque steterunt in amore fraternitatis; quia unus fuit semper spiritus in eis & una fides. *Vers.* Ecce quam bonum, *ut supra.* C Quia unus. *Resp.* Sancti mei qui in isto seculo certamen habuistis, mercedem laborum ego reddam vobis. *Vers.* Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. *Resp.* Sancti Dei, dedit vobis Dominus locum istum ut faciatis in eo mirabilia. *Vers.* Sancti & justi, in Domino gaudete, vos elegit Dominus in isto loco. Ut faciatis. *Resp.* In circuitu tuo, Domine, lumen est quod numquam deficiet, ubi constituisti lucidissimas mansiones, ubi requiescunt Sanctorum animæ. *Vers.* Magnus Dominus, *ut supra.* *Vers.* Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Domine, & æternitas temporum. *Resp.* Certamen magnum habuerunt Sancti; D transierunt per ignem & aquam, & coronas acceperunt a Domino Deo. *Vers.* Isti sunt Sancti, qui pro Testamento Dei sua corpora tradiderunt. Et coronas. *Resp.* Coronavit eos Dominus corona justitiæ, quia passi sunt pro Domino. *Vers.* Et adjuvavit eos Dominus, & liberavit eos, & eripuit eos. Quia. *Resp.* O veneranda martyrum gloriosa certamina, qui in suis corporibus pro Christo immania pertulerunt tormenta, & ideo percipere meruerunt immarcessibilem æternæ gloriæ coronam. *Vers.* Isti sunt qui venerunt. *Resp.* Isti sunt Sancti, qui pro testamento Dei corpora sua tradiderunt, & in sanguine agni laverunt stolas suas. *Vers.* Justi in E perpetuo vivent, & apud Dominum est merces Sanctorum. Et in sanguine. *Resp.* Omnes Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt promissiones, obturaverunt ora leonum, & fortes facti sunt in bello. *Vers.* Effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate. Et fortes. *Resp.* Qui pro Christi amore minas hominum contemnentes, Christi amici facti sunt in regno cælorum. *Vers.* Sancti per fidem, *ut supra.* *Resp.* Beati estis Sancti Dei omnes, qui meruistis consortes fieri cælestium virtutum, & perfrui æternæ claritatis gloria; ideoque precamur ut memores nostri intercedere dignemini pro nobis ad Dominum Deum nostrum. *Vers.* Gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cælo.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam martyrii. *Ant.* De palma ad regna pervenerunt Sancti; coronas decoris meruerunt de manu Dei. *Ant.* Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, & vivunt nomina eorum. *Ant.* Martyres Domini, Domino benedicite in æternum. *Ant.* Martyrum Chorus, laudate Dominum, alleluia.

In Evangelio.

Antiph. Dabo Sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei. *Ant.* Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni. *Ant.* Hi sunt qui pro lege Dei sui morti se tradere non dubitaverunt. Ab iniquis interfecti sunt, & in æternum vivunt cum Christo. Agnum secuti sunt, & acceperunt palmam. *Ant.* Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt promissiones.

Item Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Justorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. *Ant.* Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum est immortalis in æternum. *Ant.* Tradiderunt corpora sua ad supplicia, ideo coronantur, & accipiunt palmam. *Ant.* Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausta accepit illos in æternum. *Ant* Spiritus & animæ Justorum, hymnum dicite Deo nostro, allel. allel. *Ant.* Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

In Evangelio.

Antiph. Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, & regnabunt in æternum. *Ant.* Isti sunt Sancti, qui pro Dei amore minas hominum contempserunt. Christi martyres in regnum cælorum exultant cum Angelis. O quam pretiosa est mors Sanctorum, qui assidue assistunt ante Dominum, & ab invicem non sunt separati. *Ant.* Nomen sempiternum dabo Sanctis meis, dicit Dominus, gaudium & lætitiam obtinebunt in æternum.

Item Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. In cælestibus regnis Sanctorum habitatio, & in æternum requies eorum. *Ant.* Dabo Sanctis meis, *ut supra.* *Ant.* Via justorum recta facta est. Sanctorum iter præparatum est in æternum. *Ant.* Sancti spiritus & animæ Justorum, hymnum dicite Deo in æternum. *Ant.* Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum. *Ant.* Sancti qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ; volabunt & non deficient.

In Evangelio.

Antiph. Ecce merces Sanctorum copiosa est apud Deum; ipsi vero mortui sunt pro Christo, & vivunt in æternum. *Ant.* Isti sunt Sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine Agni laverunt stolas suas. *Ant.* Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine. Qui effuso sanguine secuti sunt Dominum, contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna cælestia.

A *Ant.* Propter testamentum Domini, *ut supra.*

Item Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Super nivem dealbabuntur Sancti tui, Domine. *Ant.* Sanctis estis, dicit Dominus; multiplicabo numerum vestrum, ut oretis pro populo meo in loco isto. *Ant.* Sic in sancto apparuit tibi ut viderent virtutem tuam, Domine. *Ant.* In velamento Sancti tui, Domine, clamabunt dicentes; Deus Deus meus, allel. allel. *Ant.* Sancti Domini, Domino benedicite in æternum. *Ant.* Hymnus omnibus Sanctis ejus. *Ant.* In Sancti & in firmamento virtu-
B tis ejus laudate Dominum omnes Angeli ejus.

In Evangelio.

Antiph. O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti! Amicti stolis albis, sequuntur agnum quocumque ierit. *Ant.* In tabernaculis Justorum vox lætitiæ, allel. *Ant.* Sanctorum sicut aquilæ juventus renovabitur. Florebunt sicut lilia in civitate Domini. *Ant.* Sanguis Sanctorum martyrum pro Christo effusus est in terris, ideo adepti sunt præmia sempiterna. *Ant.* Istorum est enim regnum cælorum, *ut supra.* *Ant.* Bea-
C ti estis, Sancti Dei omnes, qui meruistis consortes fieri cælestium virtutum, & perfrui claritatis gloriæ; ideoque precamur, ut memores nostri intercedere dignemini pro nobis ad Dominum Deum nostrum. *Ant.* Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti. Et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideoque cum Christo exultant sine fine. *Ant.* O viri misericordiæ, quorum non acceperunt oblivionem justitiæ, & semen eorum & filii propter eos usque in æternum cum gloria permanent. Corpora eorum in pace sepulta, non derelinquentur virtutibus plena; vi-
D vunt nomina eorum in secula. *Ant.* O veneranda martyrum certamina, qui in suis corporibus pro Christo immania pertulerunt tormenta. Ideo percipere meruerunt immarcessibilem æternæ gloriæ coronam, allel. *Ant.* Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. In pace sunt ea quæ possident, allel. *Ant.* Beati eritis cum vos, oderint homines, & cum separaverint vos & exprobaverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum, propter filium hominis. Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra multa est in
E cælo. *Ant.* Sancti mei qui in isto seculo certamen habuistis, mercedem laborum ego reddam vobis. *Ant.* Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilia, & sicut odor balsami erunt ante te, allel.

Antiph. & Resp. in Vigilia unius Martyris ad Vesp.

Vers. Justus ut palma florebit. *Ant.* Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit; qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit; sed ad cælestia regna feliciter pervenit.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum.

In primo Nocturno.

Antiph. In lege Domini. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Præ-

Prædicans. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Voce A mea. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat supra firmam petram. *Vers.* Iste est qui contemsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Fundatus. *Resp.* Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Vers.* Vitam petiit a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, & in seculum seculi. *Resp.* Justus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. *Vers.* Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. B Et florebit. *Resp.* Iste cognovit justitiam, & vidit mirabilia magna; & exoravit Altissimum, & inventus est in numero Sanctorum. *Vers.* Iste est qui contemsit, *ut supra.* Et inventus.

In secundo Nocturno.

Antiph. Filii hominum. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Scuto bonæ voluntatis. *Psalm.* Verba mea. *Ant.* In universa terra. *Psal.* Domine Dominus noster. *Vers.* Gloria & honore.

Responsoria unde supra.

Resp. Stolam jucunditatis induit eum Dominus, & coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. *Vers.* Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit eum. C Et coronam. *Resp.* Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloriæ, honoris, & opus fortitudinis. *Vers.* Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa. *Resp.* Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit, qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cælestia regna pervenit. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas.

In tertio Nocturno.

Antiph. Justus Dominus. *Psal.* In Domino confido. *Ant.* Habitabit. *Psal.* Domine, quis habitabit? *Ant.* Posuisti, Domine. *Psal.* Domine, in virtute. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. Posuit coronam capiti meo, & circumdedit me vestimento salutis, ad expugnandas gentes & omnes inimicos. *Vers.* Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Ad expugnandas. *Resp.* Hic est vir, qui non est derelictus a Deo in die certaminis sui. Et ipse conculcavit caput serpentis antiqui. Modo coronabitur, quia fideliter vicit in mandatis Domini. E *Vers.* Armis divinis percutiens sævitiam persequentium supervicit. Modo. *Vers.* Iste est qui contemsit. *Resp.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *Vers.* Vitam petiit. *Resp.* Gloria & honore coronasti eum, Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus. *Vers.* Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos, Deus. Omnia. *Vers.* Quoniam prævenisti eum. *Resp.* Qui me confessus fuerit coram hominibus, dicit Dominus, & ego confitebor eum coram Patre meo qui in cælis est. *Vers.* Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego A sum, illic & minister meus erit.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. *Ant.* Qui sequitur me, non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. *Ant.* Si quis mihi ministraverit honorificabit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dominus. *Ant.* Qui mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illic erit & minister meus. *Ant.* Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. *Vers.* Justus ut palma.

In Evangelio.

Antiph. Si quis per me introierit, salvabitur, & pascua inveniet, dicit Dominus. *Ant.* Qui vult venire post me, dicit Dominus, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Ant.* Amavit eum. *Ant.* Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Ant.* Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram. *Ant.* Iste est qui contemsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. *Ant.* Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Ant.* Beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Ant.* Hic vir despiciens mundum & terrena triumphans, divitias cælo condidit ore, manu.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ *Duæ lineæ desunt in ms.*
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

In Vigilia unius Confessoris. Ad Vesp.

Vers. Ecce Sacerdos magnus. *Ant.* Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram. *Ant.* Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, & ad D portas paradisi coronavit eum.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem Confessorum Dominum.

In primo Nocturno.

Antiph. Beatus vir qui in lege Domini meditatur, voluntas ejus permanet die ac nocte; & omnia quæcumque faciet, semper prosperabuntur. *Psalm.* Beatus vir. *Antiph.* Beatus iste Sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Do- E mine. Tu exaltans caput meum, & exaudisti me de monte sancto tuo. *Psalm.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Euge serve bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. *Vers.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi; ecce alia quinque superlucratus sum. Intra. *Resp.* Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. *Vers.* Benedictionem omnium gentium dedit illi, et Testamentum suum confirmavit super caput ejus. *Resp.* Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu

tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. *Vers.* Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Secundum.

In secundo Nocturno.

Antiph. Invocantem exaudivit Dominus Sanctum suum; Dominus exaudivit eum & constituit eum in pace. *Psalm.* Cum invocarem. *Ant.* Lætentur omnes qui sperant in te, Domine; quoniam tu benedixisti justo. Scuto bonæ voluntatis coronasti eum. *Psalm* Verba mea. *Ant.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quia gloria & honore coronasti Sanctum tuum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. *Psal.* Ipsum. *Vers.* Gloria & honore.

Responsoria.

Resp. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: manus enim mea auxiliabitur ei. *Vers.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim. *Resp.* Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est. Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. *Vers.* Iste est qui contemsit. *Resp.* Iste homo ab adolescentia sua partim meruit infirmos curare. Dedit illi Dominus claritatem magnam: cæcos illuminare & dæmones effugare. *Vers.* Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Dedit.

In tertio Nocturno.

Antiph. Domine, iste Sanctus habitabit in tabernaculo tuo: operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo. *Psalm.* Qui ingreditur sine macula. *Ant.* Vitam petiit a te, tribuisti ei gloriam, & magnum decorem imposuisti super eum. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Psalm.* Domine in virtute. *Ant.* Hic accipiet benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. Amavit eum Dominus & ornavit, stolam gloriæ induit eum: & ad portas paradisi coronavit eum. *Vers.* Induit eum Dominus loricam fidei, & coronavit eum. Et ad portas. *Resp.* Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam, quia vidi te justum coram me ex omnibus gentibus. *Vers.* Iste est qui contemsit vitam mundi. *Resp.* Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit eum. *Vers.* Custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit eum. *Vers.* Justum deduxit Dominus. *Resp.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei; & dedit scientiam Sanctorum, honestavit illum in laboribus suis. *Vers.* Cibavit illum. *Vers.* Magnificavit eum in conspectu Regum, & dedit illi coronam gloriæ. Honestavit. *Resp.* Sacerdotes ejus induant justitiam, & Sancti ejus exultatione exultabunt. *Vers.* Illuc producam cornu David. Paravi lucernam Christo meo. Et Sancti.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Antiph. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo & inventus est justus. *Ant.* Beatus ille servus quem cum venerit Dominus ejus, & pulsaverit januam, invenerit vigilantem. *Ant.* Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. *Ant.* Sacerdotes Dei, benedicite Domino. Servi Domini, hymnum dicite Deo in æternum. *Ant.* Serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. *Vers.* Justum deduxit Dominus.

In Evangelio.

Antiph. Euge, serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; dicit Dominus. *Ant.* Euge, serve bone, in modico fidelis; intra in gaudium Domini tui. *Ant.* Domine, quinque talenta tradidisti; ecce alia quinque superlucratus sum.

Item in Matutinis.

Antiph. Euge, serve bone, in modico fidelis. *Ant.* Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. *Ant.* Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. *Ant.* Magnificavit illum in conspectu regum; & dedit illi coronam gloriæ. *Ant.* Servi Domini, Dominum benedicite in æternum. *Ant.* Et Testamentum suum confirmavit super caput ejus, & invenit gratiam coram oculis Domini. *Ant.* Statuit illi testamentum sempiternum; & dedit illi sacerdotium magnum.

In Evangelio.

Antiph. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. *Ant.* Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est; & omnis terra doctrina ejus repleta est. Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. *Ant.* Sacerdotes tui induant justitiam, & sancti tui exultent, Domine. *Ant.* Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, quando Dominus vester venturus sit. *Ant.* Hoc autem scitote, quia si sciret Pater familias qua hora fur veniret, vigilaret utique & non sineret perfodi domum suam.

Antiph. de susceptione Regum.

Antiph. Exaudita est oratio tua, dicit Dominus; & eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectu Domini Dei tui. *Ant.* Honora Dominum de tua substantia, & de primitus frugum tuarum da pauperibus. In conspectu. *Ant.* Famulo meo ego præstiti honorem magnum, dicit Dominus, & omnes inimicos ejus humiliavi, & coronam vitæ dedi ei. *Ant.* Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. *Ant.* Erit Dominus adjutor tuus contra omnes inimicos tuos. Et sicut argentum igne probatum mundum faciet te. Tunc orando habebis fiduciam, & dum oraveris ad eum, exaudiet te. *Ant.* Multitudinem dierum & annos vitæ apponet tibi Dominus, misericordia & veritas non te deserent, quia Dominus erit in latere tuo, & custodiet te. Et dum. *Vers.* Erit Dominus adjutor tuus contra inimicos tuos. *Resp.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei. *Vers.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit eum. *Resp.* Sicut fui cum Moise, ita ero tecum, dicit Dominus. Conforta populum meum, neque timeas. Ecce Dominus Deus tuus ante te est; non te derelinqueret. *Vers.* Quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. Et non te. *Resp.* Dominus qui ele-

elegit me, Ipse me confortavit corona justitiæ. Via enim mea recta est coram te, Domine. *Vers.* Via justorum, *ut supra*. Elegisti, Domine, principem & judicem populo tuo, ut ædificarem templum nomini tuo in civitate habitationis tuæ. *Resp.* Doctrinam sapientiæ dedi in corde tuo, dicit Dominus, & exaudivi te. Et protegam civitatem istam. Et sit pax in diebus tuis. *Vers.* Inquisivi sapientem, & Sacerdotem similem sibi non inveni. Ut video, Spiritum Dei habes in te; ideo magnus es in domo Domini: & de ore tuo audiet omnis populus, qui tibi commissus est. *Vers.* Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, beatus populus. Qui tibi. *Resp.* Elegit te Dominus Sacerdotem sibi, ad sacrificandum ei hostiam laudis. *Vers.* Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta. Ad sacrificandum. *Vers.* Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. *Resp.* Ego te tuli. *Resp.* Da mihi, Domine. *Resp.* Posui adjutor.

Deest linea in ms.

Antiph. Ecce virum prudentem qui ædificavit supra petram. Et in ore ejus non est inventus dolus, quia Deus elegit eum Sacerdotem sibi. *Ant.* Ecce vere Israelita, *ut supra*. *Ant.* Justus florebit sicut rosa plantata juxta rivos. Et sicut lilium dans suavitatem odoris. *Ant.* Plantatus in domo Domini, in atriis Dei nostri florebit. *Ant.* Iste est fidelis & prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam, ut daret illis in tempore tritici mensuram. *Ant.* Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in seculum seculi. *Ant.* Erit Dominus adjutor tuus contra omnes inimicos tuos. Mundum te faciet, & dum oraveris ad eum, exaudiet te. *Ant.* Elegisti, Domine, principem judicem populo tuo in civitate tua. *Ant.* Doctrinam sapientiæ dedi in corde tuo, dicit Dominus, & exaudivi te ut protegas gregem istum, & sit pax in diebus tuis. *Ant.* Benedictus tu in civitate. Benedictus in agro. Benedictus sermo oris tui. *Ant.* Multitudinem dierum, & annos apponat tibi Dominus; misericordia & veritas non te deserant. *Ant.* Statuit illi testamentum sempiternum, & dedit illi sacerdotium magnum. *Vers.* Justum deduxit Dominus. *Ant.* Qui me dignatus es de stercore erigere, miserere mihi servo tuo; & concede mihi gratiam ad regendam plebem tuam. *Ant.* Luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te: nomen magnum invocabunt te.

In die ad Vesp.

Antiph. Virgam virtutis tuæ. *Psalm.* Dixit Dominus. *Ant.* In concilio justorum. *Psal.* Confitebor. *Ant.* Potens in terra erit semen. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Pretiosa in conspectu. *Psalm.* Credidi. *Ant.* Justi confitebuntur: *Psal.* Eripe me, Domine. *Vers.* Ecce Sacerdos magnus.

In Evangelio.

Antiph. Hodie huic domui salus a Deo facta est, atque supra firmam petram ædificata est Ecclesia Dei. *Ant.* Architectus fundavit domum istam, & sanctificavit eam, alleluia, quia Sancta Sanctorum manebunt in ea, alleluia.

In Vigilia unius Virginis ad Vesp.

Vers. Specie tua. *Ant.* Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, & comparavit eam.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem Virginum Dominum, venite adoremus.

In primo Nocturno.

Antiph. Ante thorum. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Hæc est quæ nescivit. *Psal.* Cæli enarrant. *Ant.* O quam pulchra est. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Specie tua.

Responsoria unde supra.

Resp. Diffusa est gratia. *Vers.* Myrrha & gutta. *Resp.* Veni, electa mea. *Vers.* Specie tua. *Resp.* Pulchra facie, sed pulchrior. *Vers.* Specie tua & pulchritudine.

In secundo Nocturno.

Antiph. Specie tua & pulchritudine. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Adjuvabit eam. *Psal.* Deus noster refugium. *Ant.* Dignare me laudare. *Psal.* Fundamenta. *Vers.* Adjuvabit eam.

Responsoria unde supra.

Resp. Virgo gloriosa semper. *Vers.* Fiat, Domine, cor meum. *Resp.* Hæc est Virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit: quæ, acceptis lampadibus, sumsit secum oleum, & veniente Domino introivit cum eo ad nuptias. *Vers.* Media autem nocte clamor factus; ecce Sponsus venit, exite obviam ei. Et veniente. *Resp.* Induit me Dominus vestimento. *Vers.* Induit me Dominus cycladem in gyro textam, & immensis monilibus ornavit me. Et tamquam.

In tertio Nocturno.

Antiph. Revertere, revertere. *Psal.* Cantate Domino. 1. *Ant.* Hæc est Virgo sapiens. *Psal.* Dominus regnavit, exultet. *Ant.* Tunc surrexerunt omnes. *Psal.* Dominus regnavit, irasc. *Vers.* Elegit eam Dominus.

Responsoria unde supra.

Resp. Veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit; pro cujus amore sanguinem tuum fudisti, & cum Angelis in paradisum introibis. *Vers.* Veni, electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. Et cum Angelis. *Vers.* Propter veritatem, *ut supra*. *Resp.* Quinque prudentes Virgines. *Vers.* Tunc surrexerunt. *Resp.* Ista est speciosa. *Vers.* Ista est quæ ascendit. *Resp.* Hæc est Virgo sapiens & una. *Vers.* Media autem nocte. *Resp.* Specie tua & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem.

In Matutinis Laudibus.

Antiph. Hæc est Virgo sapiens, & una de numero prudentum. *Ant.* Hæc est Virgo sapiens, quam Dominus invenit vigilantem. *Ant.* Veni, sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum. *Ant.* Media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei. *Ant.* Benedico te Pater, *ut supra*. *Ant.* Inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparavit eam. *Vers.* Diffusa est.

In Evangelio.

Antiph. Veniente Sponso, Virgo prudens præ-

paratæ, introivit cum eo ad nuptias. *Ant.* Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias. *Ant.* Et clausa est janua. *Ant.* Prudentes Virgines, aptate vestras lampades: ecce Sponsus venit; exite obviam ei. *Ant.* Quinque prudentes.

In Dedicatione Ecclesiæ in Vigilia ad Vesp.

Vers. Domum tuam, Domine. *Ant.* Fundamenta templi hujus sapientia sua fundavit Deus, in quo Dominum cæli collaudant Angeli. Si irruant venti, & fluant flumina, non poterunt illud movere umquam. Fundatum enim est supra petram. *Ant.* Lapides pretiosi. *Ant.* Vere locus iste sanctus est, & porta cæli.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem magnum Dominum.

In primo Nocturno.

Antiph. Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales. *Psal.* Domini est terra. *Ant.* Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste vocabitur domus Dei. *Psal.* Deus noster refugium. *Ant.* Ædificavit Moises altare Domino Deo. *Psal.* Magnus Dominus. *Vers.* Domum tuam, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. In dedicatione templi decantabat populus laudem, & in ore eorum dulcis resonabat sonus. *Vers.* In hymnis & confessionibus benedicebant Dominum. Et in ore. *Resp.* Fundata est domus Domini super verticem montium, & exaltata est super colles, & venient ad eam omnes gentes, & dicent: gloria tibi, Domine. *Psal.* Benedic, Domine, domum istam, quam ædificavi nomini tuo. Et venient. *Vers.* Venientes autem, *ut supra*. *Resp.* Si Dominus meus fuerit. *Vers.* Vere Dominus est in loco. *Vers.* Surgens ergo mane Jacob tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper, dixit: Erit mihi.

In secundo Nocturno.

Antiph. Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cæli. *Psal.* Quam dilecta. *Ant.* Vidit Jacob scalam, summitas ejus cælos tangebat, et descendentes Angelos, et dixit: vere locus iste sanctus est. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper. *Psal.* Domine Deus salutis. *Vers.* Domus mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Erit mihi Dominus in Deum. *Vers.* Si Dominus Deus. *Vers.* Si reversus fuero. *Resp.* Exaudisti, Domine, orationem meam. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Domine, qui custodis pactum. *Resp.* Domine, si conversus. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Si peccaverit in te populus.

In tertio Nocturno.

Antiph. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. *Psal.* Ipsum. *Ant.* Templum Domini sanctum est, Dei cultura est, Dei ædificatio est. *Psal.* Cantate, 1. *Ant.* Benedicta gloria Domini de loco suo. *Psal.* Dominus regnavit, exultet. *Vers.* Hæc est domus Domini.

Responsoria unde supra.

Resp. Tu, Domine universorum. *Vers.* Qui regis. *Resp.* Audi, Domine, hymnum. *Vers.* Respice de Sanctuario. *Resp.* Respice, Domine, domum istam, quam ædificavi nomini tuo. Venientium in loco isto exaudi. Domine, preces in excelso solio gloriæ tuæ. *Vers.* Audi, Domine, preces quas fundit famulus tuus coram te, ut aperias oculos tuos super domum istam. Quam ædificavi. *Vers.* Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Exaudi. *Resp.* Adduxisti Sanctos tuos in præparationem, quam præparaverunt manus tuæ, Domine. *Vers.* Hæc est domus Domini, & porta cæli. *Resp.* Fundata est domus Domini super verticem montis Sion, & super cacumen ejus mater exultet Ecclesia & venient ad eam omnes gentes & lætabuntur, quia in ea decantet vox lætitiæ. *Vers.* Mater Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea. Et ipse fundavit eam Altissimus. *Resp.* Lapides pretiosi omnes muri tui, & turres gemmis ædificabuntur, & propugnacula ejus auro mundo. *Vers.* Duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, & ipsæ duodecim margharitæ lapides pretiosi. *Vers.* Hæc est domus Domini, & porta cœli. Et vocabitur aula Dei. *Resp.* In montem Dei Oreb vidit tabernaculum Dei magnam lucem fulgentem, in quo cantent Angeli, dicentes: Vere domus Dei hic, est habitatio Sanctorum. *Vers.* Magnus Dominus.

Antiph. in Matutinis Laudibus.

Ant. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudine dierum. *Ant.* Domus mea, domus orationis vocabitur. *Ant.* Hæc est domus Domini firmi ædificata: bene fundata est supra firmam petram. *Ant.* Bene fundata est domus Domini supra firmam petram. *Ant.* Lapides pretiosi omnes muri tui, & turres Jerusalem gemmis ædificabuntur. *Vers.* Fundata est domus.

In Evangelio.

Ant. O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. *Ant.* Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, & suscepit illum gaudens in domo sua. Hodie huic domui salus a Deo facta est, alleluia. *Ant.* Mane surgens Jacob, erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Deo. Vere locus iste sanctus est, & ego nesciebam. *Ant.* Sanctificavit Dominus tabernaculum suum; quia hæc est domus Dei, in qua invocetur nomen ejus de quo scriptum est: & erit ibi nomen meum, dicit Dominus. *Ant.* Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. *Psal.* Miserere mei, Deus. Ecce odor filii mei sicut odor agri quem benedixit Dominus. *Ant.* Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: Deus in medio ejus non commovebitur. *Psalm.* Deus noster.

[a] *Antiph. de Hymno trium puerorum.*

Antiph. Tres in fornace ignis deambulabant, & collaudabant Dominum regem, canentes ex uno ore hymnum dicebant: Benedictus es Deus, alleluia. *Ant.* Video virum similem Filio Dei confortantem pueros in camino ignis, alleluja. *Ant.* Tres ex uno ore canebant regi magno: gloria in excelsis Deo, allel. *Ant.* Tres ex uno ore clamabant in camino ignis, & psallebant: Benedictus Deus. *Ant.* Laudemus viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, alleluja. *Ant.* Tres video viros ambulantes per medium ignis, & aspectus quarti similitudo est Filii Dei, alleluia. *Ant.* Hymnum dicamus

[a] De his Antiphonis & sequentibus Respons. vide Amalar. lib. de Ord. Antiphonarii cap. 50. & seq.

mus, alleluia, Domino Deo nostro, alleluia. *Ant.* Benedictus es, Domine, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim, allel. *Ant.* Benedictus Dominus Sidrac, Misac, & Abdenago, qui eruit servos suos de camino igni ardentis, allel. *Ant.* Ambulabant in camino ignis pueri tres, & in medio eorum Filius Dei, & hymnum Deo dicebant, allel. *Ant.* Sidrac, Misac, & Abdenago, quasi ex uno ore hymnum canebant Regi magno, allel. *Ant.* In camino ignis pueri tres uno ore collaudabant Deum, allel. *Ant.* Ambulabant in camino ignis pueri tres, & inter illos Deus erat Rex; & dicebant: Deum Regem habemus. *Ant.* Non cessabant ministri regis succendentes flammam, ut sanctos Dei pueros comburerent. De cælo venit tamquam spiritus roris flantis: refrigerium præstabat Sanctis. *Ant.* Tres pueri in camino Trinitatem figurantes, & ignis minas conculcantes, hæc laudantes cantabant: Benedictus es Patrum nostrorum, alleluia. *Ant.* Tres pueri jussu regis in caminum missi sunt; non timentes flammam ignis, dicebant: Benedictus Deus. *Ant.* Anania, Azaria, Misael, Dominum benedicite in æternum. *Ant.* Sidrac, Misac, Abdenago magni servi Dei excelsi. *Ant.* Hymnum dicite, & superexaltate eum in secula, & benedicite. *Ant.* Laudate, & superexaltate Dominum in secula, & benedicite. *Ant.* Benedictus es in firmamento cæli, & laudabilis & gloriosus & superexaltatus in omnia secula. *Ant.* In camino ignis ardentis pueri tres, & in medio eorum Deus erat Rex. Una voce dicebant: benedictus es * Deus. *Ant.* Est Deus in cælis * cujus nos servimus. Potens est eripere nos de camino ignis, & de manibus tuis, o Rex, liberare nos.

* *tui.*

Desunt quinque lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

a *Responsoria de Libro Regum.*

Resp. Deus omnium exauditor est, ipse misit Angelum suum, & tulit me de ovibus patris mei, & unxit me unctione misericordiæ suæ. *Vers.* Dominus qui eripuit me de ore leonis, & de manu bestiæ liberavit me. Et unxit. *Resp.* Dominus qui eripuit me de ore leonis, & de manu bestiæ liberavit me, ipse me eripiet de manibus inimicorum meorum. *Vers.* Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam, animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Ipse. *Vers.* Prævaluit David in Philistæo, in funda & lapide, in nomine Domini agminum Dei Israel. *Vers.* Ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus. Agminum. *Resp.* Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dominus, & posui te * facere gregem populi mei, & fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, firmans regnum tuum in æternum. *Vers.* Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph. Et fui tecum. *Resp.* Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, ubi ceciderunt fortes Israel. *Vers.* Omnes montes, qui in circuitu ejus sunt, visitet Dominus, a Gelboe transeat ubi ciciderunt. *Resp.* Peccavi super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea; & non sum dignus videre altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatis meæ: quoniam irritavi iram tuam, & malum coram te feci. *Vers.* Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum coram me est semper: tibi soli peccavi. *Resp.* Recordare, Domine, Testamenti tui, & dic Angelo percutienti: cesset jam manus tua, ut non desoletur terra, & ne perdas omnem animam vivam. *Vers.* Quiescat, Domine, ira tua a populo tuo, & a civitate sancta tua. Ut non. *Resp.* Exaudisti, Domine, orationem servi tui, ut ædificarem templum nomini tuo. Benedic & sanctifica domum istam in sempiternum, Deus Israel. *Vers.* Qui regis, *ut supra.* *Resp.* Domine, si conversus fuerit populus tuus, & oraverit ad Sanctuarium tuum, tu exaudies in cælo, Domine; & libera eos de manibus inimicorum eorum. *Vers.* Si peccaverit in te populus tuus, & conversus egerit pœnitentiam; veniensque oraverit in loco isto. Tu exaudies. *Resp.* Audi, Domine, hymnum & orationem, quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti, & aures tuæ intentæ super domum istam die ac nocte. *Vers.* Qui regis, b *usque* appare. *Resp.* Præparate corda vestra Domino, & servite illi: & liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum. *Vers.* Auferte deos alienos de medio vestri. Et liberabit. *Resp.* Factum est dum tolleret Dominus Heliam per turbinem in cælum, Heliseus clamabat dicens: Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus. *Vers.* Oro, Domine, ut fiat duplex spiritus tuus in me. At ille, si videris, quando tollar a te, erit quod petisti. Heliseus.

Antiph. in eadem.

Antiph. Loquere, Domine, quia audivit servus tuus. *Ant.* Cognoverunt omnes a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini. *Ant.* Prævaluit David in Philistæo in funda & lapide, in nomine Domini. *Ant.* Nonne iste est David, de quo canebant in choro dicentes: Saul percussit mille, & David decem millia in millibus suis. *Ant.* Iratus Saul dixit: mihi mille dederunt, & filio Isai dederunt decem millia. *Ant.* Quis enim in omnibus * sicud David fidelis inventus est in regno tuo, egrediens & regrediens, & pergens ad imperium regis. *Ant.* Dixitque universus populus ad Samuel: ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur universi pro peccatis nostris. *Ant.* Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: ego sum qui peccavi, ego inique egi: isti qui oves sunt quid fecerunt? Avertatur, obsecro, Domine, ira tua a populo tuo, allel. *Ant.* Rex autem David cooperto capite incedens lugebat filium, dicens: Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det ut ego moriar pro te fili mi Absalon.

* *pascere.*

* *sicut. In ms.* [illegible] *& vice versa.*

c *Responsoria de Sapientia Salomonis.*

Resp. Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ; ut mecum sit, & mecum laboret: ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. *Vers.* Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam. Ut. *Resp.* Domine Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno. Ex-

a Canebantur a Dominica 1. post Pentecosten, usque ad mensem Aug. Vide Amalarium de Ord. Antiphonarii in Prolog.

b Hoc est, usque ad *appare coram Ephraim*, &c. in eodem Psal. *Qui regis.*

c Pro Dominicis mensis Aug. ex eodem Amal. loco citato, excepta tamen priori Dominica.

** de ilderum.*

Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi & * desiderio maligno avertea me, Domine. Aufer a me concupiscentiam, & animo irreverenti & infrunito ne tradas me, Domine. *Vers.* Da mihi Domine, *ut supra*. Et animo. *Resp.* Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam; & noli me reprobare a pueris tuis: quoniam servus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ. *Vers.* Domine Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno. *Resp.* Gyrum cæli circuivi sola, & in fluctibus maris ambulavi. In omni gente & in omni populo primatum tenui, superborum & B sublimium colla propria virtute calcavi. *Vers.* Ego in altissimis inhabitavi, & thronus meus in columna nubis. Superborum. *Resp.* Initium sapientiæ timor Domini; intellectus bonus facientibus eam: laudatio ejus manet in seculum seculi. *Vers.* Dispersit, dedit pauperibus. Laudatio. *Resp.* Verbum iniquum dolosum longe fac a me, Domine; divitias & paupertates ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. *Vers.* Ne forte satiatus evomam illud, & perjurem nomen Dei mei. Sed. *Resp.* Ne derelinquas me, Domine Pater, & dominator vitæ meæ, ut non corruam in conspectu adversariorum C meorum, ne gaudeat de me inimicus meus. *Vers.* Apprehende arma & scutum, *ut supra*. Ne gaudeat. *Resp.* Magna enim sunt judicia tua, Domine, & inenarrabilia verba tua: magnificasti populum, & honorasti. *Vers.* Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Mosi & Aaron. Magnificasti. *Resp.* Super salutem & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Vers.* Dixi sapientiæ: soror mea es, & prudentiam vocavi, anima mea. Venerunt. *Resp.* Quæ sunt in corde hominum oculi tui vident, Domine, & in libro tuo omnia D scribentur. Homo videt in facie, Deus autem in corde. *Vers.* Imperfectum meum viderunt oculi tui. Et in. *Resp.* Præbe, fili, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant, ut addatur gratia capiti tuo. *Vers.* Attende, fili mi, sapientiam meam, & ad eloquium meum inclina aurem tuam. Ut addatur. *Resp.* In principio Deus antequam terram faceret, priusquam abyssos constitueret, priusquam produceret fontes aquarum, antequam montes collocarentur, ante omnes colles generavit me Dominus. *Vers.* Ego in altissimis habito. Ante omnes colles.

E

Desunt tres lineæ in ms.

. . . .

Antiph. in eodem.

Antiph. Salomon fili scito Deum Patris tui, & servi ei corde perfecto, & animo humiliato. *Ant.* Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Subdidit sibi gentes, superborumque & sublimium colla propria virtute calcavit. *Ant.* Ego in altissimis inhabitavi, & thronus meus in columna nubis. *Ant.* Sapientia clamitat in plateis: F si quis diligit sapientiam, ad me declinet, & eam inveniet: & cum eam invenerit, beatus est si tenuerit illam. *Ant.* Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio: necdum erant abyssi, et ego parturiebar: A quando præparabat cælos, aderam, cum eo componens omni tempore. *Ant.* Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.

a Responsoria de Beato Job.

Resp. Si bona suscipimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. *Vers.* In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. *Resp.* Antequam comedam suspiro, et tamquam inundantes aquæ sic rugitus meus: quia timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar accidit. Nonne dissimulavi, nonne silui, et jam quievi, et venit super me misericordia tua, Domine. *Vers.* Nolo multa fortitudine contendat mecum; nec magnitudinis suæ mole me premat; æquitatem proponat contra me. *Resp.* Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera. *Vers.* Quasi arenæ maris hæc gravior appareret; unde & verba mea dolore sunt plena. Et calamitas. *Resp.* Quare detraxistis sermonibus veritatis? ad increpandum verba componitis, & subvertere nitimini amicum vestrum. Verumtamen quæ cogitastis explete. *Vers.* Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarii dies ejus. Verumtamen. *Resp.* Induta est caro mea putredine, & sordibus pulveris cutis mea aruit & contracta est. Memento mei, Domine, quia ventus est vita mea. *Vers.* Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fenum arui. Memento. *Resp.* Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea; nec aspiciat me visus hominis. *Vers.* De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam. Nec aspiciat. *Resp.* Paucitas dierum meorum finitur brevi. Dimitte me, Domine; sine; plangam paululum dolorem meum; antequam vadam ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine. *Vers.* Ecce in pulvere sedeo, & in pulvere dormio; & si mane me quæsieris, non subsistam. Antequam. *Resp.* Ne abscondas me, Domine, a facie tua. Manum tuam longe fac a me, & formido tua non me terreat. *Vers.* Voca me, & respondebo tibi; aut certe loquar, & tu responde mihi. Manum. *Resp.* Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, & abscondas me; donec pertranseat furor tuus, Domine; nisi tu qui solus es Deus: ut constituas tempus in quo recorderis mei. *Vers.* Numquid sicut dies hominis dies tui, ut quæras iniquitatem meam, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. Nisi. *Resp.* Numquid Dominus supplantat judicium, aut omnipotens subvertit quod justum est? Libera me, Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. *Vers.* Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Libera. *Resp.* Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt non dormiunt. A multitudine eorum consumitur vestimentum. Comparatus sum luto, & assimilatus sum favillæ & cineri. *Vers.* O custos hominum! quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Comparatus. *Resp.* Scio, Domine, quia morti me traditurus es, ubi constituta est omnis domus viventium: spero in te, Domine, quia non ad consumtionem meam emittis manum tuam, & si in profundo inferni demersus

a Pro Dominica 2. & 3. Septembris, ex iisdem Anal. ibid.

sus fuero, inde me liberabis. *Vers.* Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero io infernum. Inde me.

Antiph. in eodem.

Antiph. Cum audisset Job nuntiorum verba, sustiouit patienter & ait: Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque aliquid stultum contra Deum locutus est. *Ant.* In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. *Ant.* Quantas habeo iniquitates & peccata, ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tibi?

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Desunt linea in ms.

a [a] *Responsoria de Tobia.*

Resp. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me. Ne reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum: neque vindictam sumas de peccatis meis, quia eruis sustinentes te, Domine. *Vers.* Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph. Ne reminiscaris. *Resp.* Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat; & omni tempore consilia tua in ipso permaneant. *Vers.* Memor esto, fili, quoniam pauperem vitam gerimus. Habebis multa bona si timueris Deum. Et omni. *Resp.* Memor esto, fili, quoniam pauperem vitam gerimus. Habebis multa bona si timueris Deum. *Vers.* Fiducia magna est coram summo Deo eleemosyna omnibus qui faciunt eam. Habebis. *Resp.* Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiæ computarentur. Numquam fuisset pecunia illa pro qua emisisti filium nostrum baculum senectutis nostræ. *Vers.* Heu me, fili mi: ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum. Baculum. *Resp.* Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitebimur ei: quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Vers.* Tempus est ut revertar ad eum qui me misit: vos autem benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia ejus. *Vers.* Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei. Et enarrate.

Antiph. in eodem.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis. *Ant.* Memor esto, fili, quoniam pauperem vitam gerimus. Habebis multa bona si timueris Deum. *Ant.* Omni tempore benedic Deum.

b [b] *Responsoria de Judith.*

Resp. Adonai, Domine Deus magne & mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ, exaudi preces servorum tuorum. *Vers.* Qui regis, *ut supra*. *Resp.* Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, & defecimus. Timor & hebetudo mentis cecidit super nos, & super liberos nostros. Ipsi montes nolunt recipere fugam nostram. Domine miserere. *Vers.* Qui regis, *ut supra*. *Vers.* Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine, miserere. *Resp.* Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros, ut non deficiat laus tua de ore hominum. *Vers.* Benedicta es tu a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus. Ut non deficiat. *Resp.* Nos alium Deum nescimus præter Dominum in quo speramus, qui non despicit nos, nec amovet salutem a genere nostro. *Vers.* Quoniam omnes Dii gentium, dæmonia: Dominus autem cælos fecit. Qui non. *Resp.* Dominator Domine cælorum & terræ, Creator aquarum, Rex universæ creaturæ tuæ, exaudi orationem servorum tuorim. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Tu, Domine, cui humilium semper & mansuetorum placuit deprecatio. Exaudi. *Resp.* Domine Deus qui conteris bella ab initio, eleva brachium tuum super gentes, quæ cogitant servis tuis mala: & dextera tua glorificetur in nobis. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Allide virtutem eorum in virtute tua, cadat virtus eorum in iracundia tua. Et dextera. *Resp.* Vos qui in turribus estis, aperite portas. Dominus omnipotens fecit virtutem, & victoriam dedit de inimicis nostris. *Vers.* Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se; & in me adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel. *Vers.* Laudate Dominum, omnes gentes, & collaudate eum omnes populi.

Antiph. in eodem.

Antiph. Adonai Domine Deus magne & mirabilis, qui dedisti salutem in manus feminæ, exaudi preces servorum tuorum.

Responsoria de Hester.

Resp. Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. Libera nos propter nomen tuum. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Exaudi orationem nostram, & converte luctum nostrum in gaudium. Propter. *Resp.* Conforta me, Rex Sanctorum, principatum tenens, & da sermonem rectum in ore meo. *Vers.* Da nobis, Domine, locum pœnitentiæ, & ne claudas ora canentium te, Domine. Et da. *Resp.* Miserere, Domine, populo tuo: quia volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere, ne despicias partem tuam, quam redemisti ex Ægypto. Sed converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus te, Domine. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Exaudi deprecationem nostram, & propitius esto sorti & funiculo hereditatis tuæ. Sed converte. *Resp.* Da nobis, Domine, locum pœnitentiæ, & ne claudas ora canentium te, Domine. *Vers.* Ne tradas, Domine, sceptum tuum his qui non sunt: ne redeant ad ruinam nostram. Et ne claudas. *Resp.* Recordare mei, Domine, *ut supra*. *Vers.* Qui regis. *Resp.* Spem in alium numquam habui præter te, Deus Israel, qui irasceris, & propitius eris; & omnia peccata hominum in tribulatione dimittis. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Domine Deus cæli & terræ, respice ad humilitatem nostram.

Antiph. in eodem.

Antiph. Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati.

Responsoria de Esdra.

Resp. Memento mei, Deus, in bono, & ne deleas

[a] Assignantur Dominicæ ultimæ Septembris apud Amal. loco jam laudato.

[b] Ibidem Responsoria ex Judith & Esther notantur pro duabus prioribus Dominicis Octobris.

leas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremoniis ejus. *Vers.* Memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti. In. *Vers.* Recordare mei, Domine Deus meus. Et ne deleas.

Antiph. in eodem.

Antiph. Memento, Domine, & ostende nobis in tempore tribulationis.

a Responsoria de Libro Machabæorum.

Resp. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis; & faciat pacem in diebus nostris. Concedat vobis salutem, & redimat vos a malis. *Vers.* Exaudiat Dominus orationes vestras, & reconcilietur vobis. Concedat. *Resp.* Tua est potentia, tuum regnum, Domine. Tu es super omnes gentes. Da pacem, Domine, in diebus nostris. *Vers.* Qui regis. Tu es. *Vers.* Creator omnium Deus, terribilis & fortis, justus & misericors. Da pacem. *Resp.* Refulsit sol in clypeis aureis, & resplenduerunt montes abeis, & fortitudo gentium dissipata est. *Vers.* Dirumpam vincula populi mei, dicit Dominus, & disperdam omnia mala quæ induxi super eum. Et fortitudo. *Resp.* Impetum inimicorum ne timueritis. Memores estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri. Et nunc clamemus in cælum, & miserebitur nostri Deus noster. *Vers.* Mementote mirabilium ejus quæ fecit Pharaoni & exercitui ejus * projecit in mari. Et nunc. *Resp.* Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino; & facta est lætitia magna in populo. *Vers.* In hymnis & confessionibus benedicebant Deum. Et facta est. *Resp* In hymnis & confessionibus benedicebant Dominum, quia magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis Dominus omnipotens. *Vers.* Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino. Qui magna. *Resp.* Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua. Contere fortitudinem illorum, Domine, & disperge illos, ut cognoscant quia non est alius qui pugnat pro nobis, nisi tu Deus noster. *Vers.* Disperde illos in virtute tua, & destrue eos, protector noster, Domine. Ut cognoscant. *Resp.* Dixit Judas fratribus suis: elige tibi viros, & vade, libera fratres tuos in Galilæam. Ego autem & Jonathas frater meus ibimus in Galaaditim. Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. *Vers.* Et nunc clamemus in cælum, & miserebitur nostri. Sicut fuerit. *Resp.* Hic est fratrum amator, et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate Jerusalem. *Vers.* Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Et universa. *Resp.* Exaudiat Dominus orationes vestras, et reconcilietur vobis: nec vos deserat in tempore malo Dominus Deus vester. *Vers* Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis; et faciat pacem Dominus. *Resp.* Congregatæ sunt gentes in multitudine, ut dimicent contra nos, et ignoramus quid agere debeamus, Domine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Tu scis quæ cogitant in nos, quomodo poterimus subsistere ante faciem illorum, nisi tu adjuves nos, Domine Deus. *Resp.* Tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis. Conserva domum istam immaculatam in æternum, Domine. *Vers.* Qui regis. Conserva.

Antiph. in eodem;

Antiph. Lugebat autem Judam Israel planctum magnum et dicebat, quomodo cecidit potens, qui salvum * populum Domini. *Ant.* Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis, et faciat pacem. *Ant.* Tua est potentia, tuum regnum, Domine. Tu es super omnes gentes. Da pacem, Domine, in diebus nostris. *Ant.* Disrumpam vincula populi mei, dicit Dominus, et disperdam omnia mala quæ induxi super eum.

*b Responsoria de Prophetis * minoribus.*

Resp. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. Et plena erat omnis terra majestate ejus; et ea quæ sub ipso erant replebant templum. *Vers.* Seraphim quoque stabant juxta illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri. Et plena. *Resp.* Aspice, Domine, de sede sancta tua, et cogita de nobis. Inclina, Deus meus, aurem tuam et audi, aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram. *Vers.* Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph, qui sedes super Cherubim. Aperi. *Resp.* Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis. Sedet in tristitia domina gentium, Non est qui consoletur eam nisi tu Deus. *Vers.* Qui dicunt, exinanite, exinanite, quoadusque fundamentum in ea, filia Babylonis misera. *Resp.* Super muros tuos, Jerusalem constitui custodes, tota die & nocte non tacebunt laudare nomen Domini. *Vers.* Qui reminiscimini Domini ne taceatis, & ne detis silentium ei. Tota die. *Resp.* Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos semper. Libera, Domine Deus Israel, clamantes ad te. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo. Et armis. *Resp.* Sustinuimus pacem & non venit. Quæsivimus bona & ecce turbatio. Cognovimus, Domine, peccata nostra: non in perpetuum obliviscaris nos. *Vers.* Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Non in perpetuum. *Resp.* Oravi Deum meum ego Daniel, dicens: exaudi, Domine, preces servi tui; illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, & propitius intende populum istum, super quem invocatum est nomen tuum, Deus. *Vers.* Qui regis. *Resp.* Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum; & non contaminaverunt: quia coram eo justitia inventa est in me. *Vers.* Misit Deus misericordiam suam. *ut supra*. *Resp.* Angustiæ mihi undique, & quid eligam ignoro. Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. *Vers.* Si enim hoc egero mors mihi est, si autem non egero non effugiam manus vestras. *Resp.* Laudabilis populus, quem Dominus exercituum benedixit dicens: opus manuum mearum tu es, hereditas mea, Israel. *Vers.* Qui regis. Opus. *Vers.* Beata gens cujus Dominus Deus ejus, populus electus in hereditate. Opus. *Resp.* Redemit Dominus populum suum; & venient, & exultabunt in monte Sion, & gaudebunt de donis Domini, super frumentum, vinum, & oleum; & ultra non esurient. *Vers.* A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt. Et ultra. *Resp.* A facie furoris tui, Deus, conturbata est omnis terra: sed tu, Domine, miserere. Et ne facias consummationem. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Converte nos, Deus salutaris noster, & averte iram tuam a nobis. Et ne.

Ant.

* opes.

* faciebat.

* uno de majoribus.

a Pro duabus ultimis Dominicis Octobris, ex eodem Amalario.

b Pro Dominicis Novembris, teste Amalario, ibid.

Desunt tres lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiph. in eodem.

Antiph. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum; & plena erat omnis terra majestate ejus. Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. *Ant.* Aspice, Domine, de sede sancta tua, & cogita de nobis. Inclina, Deus meus, aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos & vide tribulationem nostram. *Ant.* Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos B semper. Libera, Domine Deus Israel, clamantes ad te. *Ant.* Qui cælorum contines thronos, & abyssos intueris, Domine Rex Regum; montes ponderas, terram palmo concludis. Exaudi nos, Domine, in gemitibus nostris.

Antiphon. quotidianis diebus.

Ad Invitatorium.

Feria secunda.

Antiph. Venite, exultemus Domino.

Feria tertia.

Antiph. Jubilemus Deo Salutari nostro.

Feria quarta.

Antiph. In manu tua, Domine, omnes fines terræ.

Feria quinta.

Antiph. Adoremus Dominum, quoniam ipse fecit nos.

Feria sexta.

Antiph. Dominum qui fecit nos, venite, adoremus.

Feria septima.

Antiph. Dominum Deum nostrum, venite adoremus.

Desunt duæ lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiph. ad Invitatorium de cunctis festivitatibus Sanctorum, & diebus Dominicis.

Antiph. Regem venturum Dominum, venite adoremus. *Ant.* Christus natus est nobis, venite adoremus. *Ant.* Regem magnum Dominum, venite adoremus. *Ant.* Præoccupemus * Domini, & in Psalmis. *Ant.* In manu tua, Domine, omnes fines terræ. *Ant.* Venite adoremus, & procidamus ante Deum. *Ant.* Dominum qui fecit nos, venite adoremus *Ant.* Hodie si vocem Domini audieritis, nolite. *Ant.* Ipsi vero non cognoverunt vias meas. *Ant.* Ecce venit Rex, occurramus obviam Salvatori nostro. *Ant.* Christus apparuit nobis, venite adoremus. *Ant.* Præoccupemus faciem Domini, A venite adoremus eum. *Ant.* Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes. *Ant.* Venite adoremus Dominum, qui in Sanctis gloriosus. *Ant.* Adoremus Deum, quia ipse fecit nos. *Ant.* Populus Domini & oves pascuæ ejus, venite adoremus. *Ant.* Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem.

* faciem.

In sanctissima nocte Pascha ad Invitatorium.

Antiph. Alleluia, * depræoccupemus, allel. *Ant.* Surrexit Dominus vere, allel. *Ant.* Christum ascendentem in cælum. *Ant.* Alleluia, Spiritus Domini B replevit orbem terrarum. *Ant.* Regem Apostolorum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Regem martyrum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Regem Confessorum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Regem Virginum Dominum, venite, adoremus *Ant.* Regem Archangelorum Dominnm, venite, adoremus. *Ant.* Regem præcursoris Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Mirabilem Dominum in Sanctis suis, venite, adoremus.

* Deum.

Antiph. in Evangelio de [a] Prophetia Zachariæ.

Antiph. Benedictus Deus Israel. *Ant.* Bene- C dictus Dominus, quia visitavit nos, & ab inimicis nostris liberavit nos. *Ant.* Benedictus Dominus, quia visitavit plebem suam; & benedictus Deus meus, qui liberavit eam de tenebris, & umbra mortis, allel. *Ant.* Benedictus Dominus Deus Israel: & benedictum nomen Domini Jesu de die in diem. Benedictus Deus. *Ant.* Visitavit & fecit redemtionem Dominus plebis suæ. *Ant.* Visita, & libera plebem tuam, Domine. *Ant.* Visita, Domine, plebem tuam; & libera eam a tenebris, & umbra mortis, sicut locutus es. *Ant.* Visitavit nos Dominus, & illuminavit nos, & liberavit nos ab inimicis nostris. *Ant.* Erexit Dominus nobis cornu salutis, in domo David pueri sui. *Ant.* Erexit nobis D Dominus cornu, allel. in domo David pueri sui, allel. Sicut locutus est, allel. allel. *Ant.* In domo David pueri sui fecit redemptionem Dominus plebis suæ. *Ant.* Sicut locutus es per os Sanctorum, Domine, recordare Testamenti tui. *Ant.* Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui nos oderunt, libera nos, Domine. *Ant.* Liberati ab inimicis nostris, serviamus Domino in sanctitate. *Ant.* Liberavit nos Dominus ab inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. *Ant.* De manu omninm qui nos oderunt, libera nos, Domine. *Ant.* Ad faciendam nobis, Domine, misericordiam, liberati serviamus Domino. *Ant.* Liberati serviamus E Domino in sanctitate. *Ant.* Memorare, Domine, Testamenti sancti tui; & fac nobiscum redemtionem. *Ant.* Jusjurandum quod juravit Dominus, daturum se nobis. *Ant.* Sine timore & de manibus inimicorum nostrorum liberati. *Ant.* In sanctitate serviamus Domino; & liberabit nos ab inimicis nostris. *Ant.* Ad dandam scientiam plebi tuæ, Domine, in remissionem peccatorum eorum. *Ant.* Da scientiam plebi tuæ, Domine, in remissionem peccatorum eorum. *Ant.* Per viscera misericordiæ Dei nostri, visitavit nos Oriens ex alto. *Ant.* Visitavit nos Oriens ex alto, benedictus Dominus. *Ant.* Oriens ex alto, redemit nos Deus Israel, alleluia. *Ant.* Illuminare, Domine, de his qui in tenebris sedent: & dirige pedes nostros in viam pacis, alleluia, alleluia. *Ant.* Illumina, Domine, seden-

a Non esse intelligendum Zachariam, qui inter minores Prophetas undecimus ponitur: sed Zachariam Johannis Baptistæ patrem legenti palam fiet.

tes in tenebris, & ambra mortis. *Ant.* Sedentes in tenebris, & umbra mortis, illumina Domine, Deus Israel. *Ant.* Visitare & illuminare. *Ant.* Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, Deus Israel. *Ant.* Dirige pedes nostros. *Ant.* Dirige pedes nostros in viam pacis, sicut locutus es. *Ant.* In viam pacis dirige nos, Domine.

Item Antiph. in Evang. cum all.

Antiph. Benedictus Dominus, qui visitavit. *Ant.* Visita, Domine, plebem tuam. *Ant.* Erexit nobis Dominus cornu. *Ant.* Memorare, Domine, allel. alleluia. *Ant.* Oriens ex alto redemit nos. *Ant.* Illuminare, Domine. *Ant.* Dirige, Domine, allel. *Ant.* Allel. Fecit Dominus redemtionem.

Antiph. de hymno sanctæ Mariæ.

Magnificat anima mea Dominum, & sanctum nomen ejus. *Ant.* Magnificet te semper anima mea, Deus meus. *Ant.* Magnificat anima mea Dominum, quia respexit Deus humilitatem meam. *Ant.* Magnificamus te, Domine, quia fecisti nobiscum magnalia, sicut locutus es. *Ant.* Magnificemus Christum Regem Dominum, qui superbos humiliat, & exaltat humiles. *Ant.* Exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo. *Ant.* Exultat spiritus meus, in Domino Deo salutari meo. *Ant.* In Deo salutari meo exultavit spiritus meus. *Ant.* Respexisti humilitatem meam, Domine Deus meus. *Ant.* Respice humilitatem meam, Domine. *Ant.* Respexit Dominus humilitatem meam, & fecit in me magna, qui potens est. *Ant.* Quia respexit Deus humilitatem meam, beatam me dicent omnes generationes. *Ant.* Quia fecit mihi Dominus magna quia potens est, & sanctum nomen ejus. *Ant.* Qui fecit in me magna, potens est; recordatus Dominus misericordiæ suæ. *Ant.* Recordatus mei Deus, fecit in me magna quia potens est. *Ant.* Fecit in me Deus meus magna quia potens est, & sanctum nomen ejus. *Ant.* Fac nobiscum Domine magna, quia potens es, sicut locutus es. *Ant.* Sanctum est nomen tuum, Domine, a progenie in progenies. *Ant.* Misericordia Dei & sanctum nomen ejus, super timentibus eum. *Ant.* Misericordia Domini a progenie in progenies, timentibus eum. *Ant.* A progenie in progenies misericordia tua, Domine. *Ant.* Super timentes Dominum misericordia ejus. *Ant.* Fecit potentiam Dominus in brachio suo, & exaltavit humiles. *Ant.* Deposuit potentes Sanctos persequentes, & exaltavie humiles Christum confitentes. *Ant.* Deposuit Dominus potentes de sede, & exaltavit humiles. *Ant.* Exalta, Domine, humiles, sicut locutus es. *Ant.* Esurientes, Domine, reple bonis, sicut locutus es patribus nostris. *Ant.* Suscepit Israel puerum suum: recordatus Dominus misericordiæ suæ. *Ant.* Suscepit Israel puerum suum, sicut juravit Abraham & semini ejus. Exaltavit humiles usque in seculum. *Ant.* Sicut locutus es ad patres nostros, Domine, memorare misericordiæ tuæ. *Ant.* Ad patres nostros Dominus locutus est, a progenie in progenies. *Ant.* Abraham & semen ejus usque in seculum magnificans Dominum.

Desunt duæ lineæ in ms.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Antiph. In omnem terram, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Clamaverunt justi, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Constitues eos, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Dedisti hereditatem, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Annuntiaverunt, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Exaltabuntur cornua justi, allel. allel. allel. *Ant.* Dominus Jesus postquam locutus, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Dives ille, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Sursum corda suspendi, fili, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Petrus & Johannes, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Ego pro te rogavi, Petre, allel. allel. allel. allel. allel. all. *Ant.* Et recordatæ sunt, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Significavit Dominus Petro, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Ite, dicite Johanni, alleluia, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Simon Johannis, diligis me plus his, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Gloriosa genitrix, alleluia, alleluia, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Argentum & aurum, allel. allel. allel. *Ant.* Estote fortes in bello, allel. allel. allel. all. all. *Ant.* Juravit Dominus, all. allel. allel. *Ant.* Benedictus Dominus; quia visitavit, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* In velamento clamabant, allel. allel. allel. allel. allel. all. *Ant.* Unus ex duobus, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Hymnum dicamus, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Dum venerit filius hominis, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Inter natos mulierum, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Potens in terra erit semen ejus, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Ante thorum hujus Virginis, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Media nocte clamor, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Secus decursus aquarum, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Volo, Pater, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Quem vidistis, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. all. *Ant.* Puer Jesus, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Germinavit radix Jesse, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Apertis thesauris suis, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Non in solo pane vivit homo, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Posuerunt super caput ejus, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Data est mihi omnis potestas, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Jusjurandum quod juravit, allel. allel. allel. allel. *Ant.* Nato Domino Angelorum, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Post Passionem Domini, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Misi digitos meos, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Venientes venient, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Tulit ergo lectum suum, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Ecce vir Israelita, allel. allel. allel. allel. *Ant.* O sapientia, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Beatus vent. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Ecce veniet Deus & homo, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Nesciens Mater Virgo virum, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Dabit ei Dominus sedem David, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Pastor bonus, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Illuminare, Domine, allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Memorare, Domine, allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Magnum hereditatis, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Et respicientes, allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Isti sunt sermones, allel. allel. allel. allel. allel allel. allel. allel. allel. *Ant.* Modicum & non videbitis, allel. allel allel. allel. allel. allal. allel. allel. allel. allel. *Ant.* Qui sequitur me, allel. allel. allel. allel. allel. allel, allel.

Inci-

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ A

Incipiunt Antiph. per Dominicas ab Octava Pentecosten usque ad Adventum Domini.

Dominica j.

Antiph. Homo quidam erat dives & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ. *Ant.* Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ. *Ant.* Pater Abraham, *ut supra*. *Ant.* Dives ille. *Ant.* Fili, recordare. B

Desunt duæ lineæ in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Dominica ij.

Antiph. Quidam homo fecit cœnam magnam, & vocavit multos; & misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia omnia parata sunt, dicit Dominus. *Ant.* Exi cito in plateas, & vicos civitatis; & pauperes ac debiles, cæcos & claudos compelle intrare, ut impleatur domus mea, alleluia. *Ant.* Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum gustabit cœnam meam. C

Dominica iij.

Antiph. Quis ex vobis homo qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat donec inveniet eam. *Ant.* Congratulamini mihi, quia invenio ovem meam quæ perierat, dicit Dominus. *Ant.* Quæ mulier habens drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam & everrit domum; & quærit diligenter donec inveniat. *Ant.* Dico vobis, gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. D

Dominica iv.

Antiph. Estote ergo misericordes sicut & Pater vester misericors est, dicit Dominus. *Ant.* Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, dicit Dominus. *Ant.* Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & superfluentem dabunt in sinu vestro.

Dominica v.

Antiph. Cum turbæ irruerent ut audirent Verbum Domini, & ipse stabat secus stagnum Genesar. Piscatores autem descenderant & lavabant retia in capturam. *Ant.* Ascendens Jesus in navem, & sedens, docebat turbas, allel. *Ant.* Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. *Ant.* Cum audisset Simon Petrus, quia Dominus est, tunica succinxit se, & misit se in mare, & clamavit voce magna dicens: exi a me, quia homo peccator sum, Domine. *Ant.* Dixit autem Dominus Simoni; noli timere, ex hoc enim homines eris capiens. *Ant.* Ambulabat Petrus super undas maris; venit ventus validus, turbata est aqua; præ timore clamans; Domine, jube me venire ad te: ait illi Jesus: veni modicæ fidei, quare dubitasti? E

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ *Desunt duæ lineæ in ms.*
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Dominica vj.

Antiph. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Ant.* Audistis quia dictum est antiquis: non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. *Ant.* Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. Et tunc veniens offeres munus tuum, alleluia.

Dominica vij.

Antiph. Misereor super turbam, quia jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent; & si dimisero eos jejunos, deficient in via, allel. *Ant.* Et accipiens Jesus septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent: & apposuerunt turbæ, allel. *Ant.* Erant autem qui manducaverunt quasi quatuor millia; & dimisit eos, alleluia, allel.

Dominica viij.

Antiph. Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. *Ant.* Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. *Ant.* Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in Regnum cælorum, allel. *Ant.* Si quis fecerit voluntatem Patris mei.

Dominica ix.

Antiph. Dixit Dominus villico: quid hinc audio de te, redde rationem villicationis tuæ, allel. *Ant.* Laudavit Dominus villicum iniquitatis, eo quod prudenter fecisset. *Ant.* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Dominica x.

Antiph. Videns Dominus civitatem Jerusalem, flevit super illam, dicens: quia si cognovisses & tu quæ ad pacem tibi sunt, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. *Ant.* Scriptum est enim, quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo. *Ant.* Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus.

Dominica xj.

Antiph. Stans a longe Publicanus, nolebat oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. *Ant.* Deus, propitius esto mihi peccatori. *Ant.* Descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se humiliat exaltabitur. *Ant.* Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

Dominica xij.

Antiph. Dum transiret Dominus per medios fines Tyri, surdos fecit audire, & muros loqui. *Ant.*

Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos A loqui. *Ant.* Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur dicentes: surdos fecit audire, & mutos loqui.

Dominica xiij.

Antiph. Beati oculi qui vident quæ vos videtis... *Cetera desunt.* *Ant.* Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam, allel. *Ant.* Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jerico: & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto. *Ant.*
a Accidit autem ut descenderet quidam Sacerdos eadem via, & viso illo præterivit. *Ant.* Quis tibi vide- B tur proximus fuisse illi qui incidit in latrones? & ait illi: qui fecit misericordiam in illum. Vade, & tu fac similiter, allel.

Dominica xiv.

Antiph. Dum transisset Jesus quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe, levaverunt vocem dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri. *Ant.* Decem viri leprosi steterunt a longe, levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri. *Ant.* Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, allel. *Ant.* Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt: non C est inventus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Vade, quia fides tua te salvum fecit, alleluia.

Dominica xv.

Antiph. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt, sed Pater vester cælestis pascit illa, allel. *Ant.* Considerate lilia agri quomodo crescunt. Non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. *Ant.* Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. *Ant.* Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus. Scit enim Pater vester cælestis, D quid vobis necesse sit, alleluia. *Ant.* Quærite ergo primum regnum Dei & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.

Dominica xvj.

Antiph. Accessit autem Jesus, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: adolescens tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, allel. *Ant.* Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.

Dominica xvij.

Antiph. Cum intrasset Jesus in domum principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum. *Ant.* Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, ut dicat tibi qui te invitavit: amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, allel. *Ant.* Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.

Dominica xviij.

Antiph. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, allel. *Ant.* Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? dicunt omnes: David. Respondens Jesus dixit: quomodo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis? *Ant.* Omnes enim vos fratres estis; & Patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cælis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus. *Ant.* Unus est enim magister vester qui in cælis est Christus Dominus. *Ant.* Qui major est vestrum erit minister vester, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, dicit Dominus.

Dominica xix.

Antiph. Dixit Dominus paralytico: confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, allel. *Ant.* Dixit Dominus Jesus: quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge & ambula? *Ant.* Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, allel. *Ant.* Dicit ei Jesus: fili, remittuntur tibi peccata tua: surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Ant.* Tulit ergo paralyticus lectum suum in quo jacebat, magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. *Ant.* Videntes autem turbæ timuerunt & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Dominica xx.

Antiph. Dixit autem Dominus ad cultorem vineæ: ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea & non invenio. *Ant.* Dicite invitatis: ecce prandium paravi, venite ad nuptias, allel. *Ant.* Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati sunt, non fuerunt digni. *Ant.* Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias, allel. *Ant.* Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit. Rex autem dixit: ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium, allel. *Ant.* Multi enim sunt vocati, pauci vero electi, dicit Dominus.

Dominica xxj.

Antiph. Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Jesus veniret in Galilæa, rogabat eum ut sanaret filium ejus. Domine, descende, ut sanes filium meum priusquam moriatur. Et dixit ei Jesus: vade, filius tuus vivit, allel. *Ant.* Cognovit autem Pater, quia illa hora erat in qua dixit Jesus: filius tuus vivit. Et credidit ipse & domus ejus tota.

Dominica xxij.

E *Antiph.* Dixit autem Dominus servo: redde quod debes. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. *Ant.* Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, nonne ergo oportuit, & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? *Ant.* Misertus autem Dominus servo, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

Dominica xxiij.

Antiph. Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, allel. *Ant.* Interrogatus a Pharisæis Dominus, si licet censum dari Cæsari, an non? quibus ille respondit: reddite ergo quæ sunt

sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, allel. *Ant.* Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, allel.

Dominica xxiv.

Antiph. Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. *Ant.* Dicebat enim intra se: si tetigero fimbriam vestimenti ejus tantum, salva ero. *Ant.* Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva esse potero ab infirmitate mea. *Ant.* At Jesus conversus, videns eam, dixit: confide filia, fides tua te salvam fecit, alleluia.

Dominica xxv.

Antiph. Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo zizania? Ait illis Jesus: inimicus homo hoc fecit. *Ant.* Si vis imus & colligimus ea? & ait illis Jesus: non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.

Dominica xxvj.

Antiph. Cum sublevasset oculos Jesus, & vidisset maximam multitudinem venientem ad se, dicit ad Philippum: unde ememus panes ut manducent hi? Ipse enim sciebat quid esset facturus. *Ant.* Cum vidissent turbæ signum quod fecerat Jesus, dicebant: vere hic est Propheta, qui venturus est in mundum.

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Perfecti estote: pacem habete: & Deus dilectionis & pacis erit vobiscum, alleluia. Confortamini in gratia Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, alleluia. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Vigilate & orate, viriliter agite; & omnia vestra in caritate fiant. Sit vobis cor unum in Deum, & anima una. Scitis quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto, allel. Maneat in nobis spes, fides, caritas tria hæc: major autem his est caritas, allel. Pax Domini quæ præcellit omnem intellectum, custodit corda vestra & intelligentias vestras in Christo Jesu Domino nostro. Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in morte: ut quomodo ipse surrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, allel. Deus caritas est, & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, alleluia. Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei vita æterna, alleluia.

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

In Natali Domini. [a] *Ad Tertiam.*

Resp. Verbum caro factum est, allel. allel. *Vers.* Et habitavit in nobis, allel. allel. *Vers.* Ipse invocabit.

Ad Sextam.

Resp. Notum fecit Dominus, allel. allel. *Vers.* Salutare suum, allel. allel.

Ad Nonam.

Resp. Ipse invocabit me, allel. allel. *Vers.* Pater meus es tu, allel. allel. *Resp.* Revelabitur gloria Domini, allel. allel. *Vers.* Et videbit omnis caro salutare Dei nostri, allel. allel. *Vers.* Viderunt omnes fines terræ.

Ad Vesp.

Resp. Benedictus qui venit in nomine Domini, allel. allel. *Vers.* Deus Dominus & illuxit nobis, allel. allel. *Vers.* Verbum caro factum est.

Responsoria de Epiphania. Ad Tertiam.

Resp. Adorate Dominum, allel. allel. *Vers.* In aula sancta ejus, allel. allel. *Vers.* Omnis terra adoret te Deus.

Ad Sextam.

Resp. Fluminis impetus lætificat, allel. allel. *Vers.* Civitatem Dei, allel. allel. *Vers.* Adorate Dominum.

Ad Nonam.

Resp. Adorate Dominum, allel. allel. *Vers.* Omnes Angeli ejus, alleluia, allel. *Vers.* Omnes gentes quascumque fecit.

Ad Vesp.

Resp. Omnis terra adoret te, Deus, & psallat tibi, allel. allel. *Vers.* Psalmum dicat nomini tuo, allel. allel. *Vers.* Omnes de Saba venient.

Responsoria de Ascensione Domini. Ad Tertiam.

Resp. Ascendit Deus in jubilatione, allel. allel. *Vers.* Dominus in voce tubæ, allel. allel. *Vers.* Ascendens Christus in altum.

Ad Sextam.

Resp. Elevata est magnificentia tua, allel. allel. *Vers.* Super cælos Deus, allel. allel. *Vers.* Dominus in Templo sancto suo.

Ad Nonam.

Resp. Ascendens Christus in altum, allel. allel. *Vers.* Captivam duxit captivitatem, allel. allel. *Vers.* Ascendit Deus in jubilatione.

Responsoria de Pentecoste. Ad Tertiam.

Resp. Loquebantur variis linguis Apostoli, allel. allel. *Vers.* Magnalia Dei, al. al. *Vers.* Repleti sunt.

Ad Sextam.

Resp. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, allel. allel. *Vers.* Et hoc quod continet omnia. *Vers.* Emitte Spiritum.

Ad Nonam.

Resp. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, allel. allel. *Vers.* Et cœperunt loqui, allel. allel. *Vers.* Spiritus sanctus docebit vos.

Ad

a Hic nulla ment in Primæ aut Completorii, quamvis has horas eo tempore ad cursum seu officium ecclesiasticum pertinuisse constet ex Amalario passim. Verum ad Primam & ad Completorium eadem semper recurrunt Responsoria, iidem Versus, hoc autem loco assignantur diversa pro diversitate festivitatum, ad Tertiam, Sextam, &c.

Ad Vesp.

Resp. Spiritus sanctus docebit vos, allel. allel. *Vers.* Quæcumque dixero vobis, allel. allel. *Vers.* Loquebantur variis linguis Apostoli. *Vers.* Spiritus Domini. *Vers.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto: *Vers.* Emitte Spiritum tuum. *Vers.* Confirma hoc Deus. *Vers.* Spiritus paraclitus.

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Resp. quotidianis diebus post Octav. Pentecost. usque ad Advent. Domini, & ab Octava Epiphaniæ usque initium Quadragesimæ.

B

Ad Tertiam.

Resp. Sana animam meam, quia peccavi tibi. *Vers.* Ego dixi, Domine, miserere mei. Adjutor meus esto.

Ad Sextam.

Resp. Benedicam Dominum in omni tempore. *Vers.* Semper laus ejus. *Vers.* Dominus regit me.

Ad Nonam.

Resp. Redime me, Domine, & miserere mei. *Vers.* Pes enim meus stetit in via recta, in Ecclesiis benedicam Dominum. Et miserere. *Vers.* Ab occultis meis.

C

Ad Vesp.

Resp. Adjutorinm nostrum in nomine Domini. *Vers.* Qui fecit cælum & terram. In nomine Domini. *Vers.* Qui fecit cælum & terram.

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Resp. Usque ad Vesperum, quam magnificata sunt opera tua, Domine. *Vers.* Omnia in sapientia fecisti, repleta est terra. Opera. *Vers.* Vespertina oratio, Ascendat ad te, Domine.

D

Desunt tres lineæ in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Die Dominico ad Tertiam.

Resp. Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua. *Vers.* Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. In testimonia. *Vers.* Ego dixi, Domine.

E

Ad Sextam.

Resp. In æternum, Domine, permanet verbum tuum. *Vers.* In cælo, & in seculum seculi veritas tua. Permanet. *Vers.* Cantate Domino canticum novum. Cantate.

Ad Nonam.

Resp. Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine. *Vers.* Justificationes tuas requiram. Exaudi me. *Vers.* Jubilate Deo, omnis terra.

Ad Vesp.

Resp. Magnus Dominus noster, magnaque virtus ejus: & sapientiæ ejus non est numerus. *Vers.* Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocans. Et sapientiæ. *Vers.* Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram. Et sapientiæ. *Resp.* Quam magnificata sunt opera tua, Domine. *Vers.* Omnia in sa-

A pientia fecisti: repleta est terra: Opera. *Vers.* dirigatur, Domine.

In Natali unius Martyris. Ad Tertiam.

Resp. Justum deduxit Dominus per vias rectas. *Vers.* Et ostendit illi regnum Dei. *Vers.* Voce mea.

Ad Sextam.

Resp. Gloria & honore coronasti eum. *Vers.* Et constituisti eum super opera manuum. *Vers.* Justus ut palma.

Ad Nonam.

Resp. Amavit eum Dominus, & ornavit eum. *Vers.* Stolam gloriæ induit eum. Et ornavit. *Vers.* Posuisti, Domine.

Ad Vesp.

Resp. Posuisti, Domine, super caput ejus. *Vers.* Coronam de lapide pretioso. Super. *Vers.* Amavit eum Dominus.

In Natali Apostolorum. Ad Tertiam.

Resp. In omnem terram exivit sonus eorum. *Vers.* Et in fines orbis terræ verba eorum. *Vers.* Dedisti hereditatem.

Ad Sextam.

Resp. Constitues eos principes super omnem terram. *Vers.* Memores erunt nominis tui, Domine. *Vers.* In omnem terram.

Ad Nonam.

Resp. Nimis honorati sunt amici tui, Deus. *Vers.* Nimis confortatus est principatus eorum. *Vers.* Annuntiaverunt opera Dei.

In Natali Virginum. Ad Tertiam.

Resp. Diffusa est gratia in labiis tuis. *Vers.* Propterea benedixit te Deus in æternum. *Vers.* Specie tua.

Ad Sextam.

Resp. Specie tua & pulchritudine tua. *Vers.* Intende, prospere procede, & regna. *Vers.* Adjuvabit.

Ad Nonam.

Resp. Adjuvabit eam Deus vultu suo. *Vers.* Deus in medio ejus non commovebitur. *Vers.* Diffusa.

In Natali Confessorum. Ad Tertiam.

Resp. Sancti tui lætentur propter David servum tuum. *Vers.* Sacerdotes tui. induantur justitiam, & Sancti tui exultent. *Vers.* Justi autem.

Ad Sextam.

Resp. Sancti tui, Domine, benedicent te. *Vers.* Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Benedicent. *Vers.* Gloria & honore.

Ad Nonam.

F *Resp.* Sancti tui, Domine, sicut palma florebunt. *Vers.* Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. *Vers.* Justus Dominus.

De pluribus Martyribus. Ad Tertiam.

Resp. Lætamini in Domino, & exultate justi. *Vers.* Et gloriamini omnes recti corde. *Vers.* Justorum animæ.

Ad

Ad Sextam.

Resp. Exultent justi in conspectu Dei. *Vers.* Delectentur in lætitia. *Vers.* Lætamini in Domino.

Ad Nonam.

Resp. Justi autem in perpetuum vivent. *Vers.* Et apud Dominum est merces eorum. *Vers.* Exultent justi.

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Vers. Justorum animæ. *Vers.* Justi autem. *Vers.* Ecce Sacerdos magnus. *Vers.* Justum deduxit Dominus. *Vers.* Adoremus Dominum. *Vers.* Domus mea. *Vers.* Omnis terra adoret te, Deus. *Vers.* In conspectu Angelorum.

In Natali Virginum. Ad Tertiam.

Resp. Specie tua & pulchritudine tua. *Vers.* Intende, prospere procede, & regna. *Vers.* Elegit eam Dominus,

Ad Sextam.

Resp. Adjuvabit eam Deus vultu suo. *Vers.* Deus in medio ejus non commovebitur. *Vers.* Specie tua,

Ad Nonam.

Resp. Elegit eam Dominus, & prælegit eam. *Vers.* In tabernaculo suo habitare fecit eam. *Vers.* Adjuvabit eam.

Deest linea in ms. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

In Cœna Domini ad Mandatum.

Antiph. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, dicit Dominus. *Psal.* Beati immaculati. *Ant.* Postquam surrexit Dominus a cœna, misit aquam in pelvim; cœpit lavare pedes discipulorum. Hoc exemplum reliquit eis. *Psal.* Deus misereatur nostri. *Ant.* Dominus Jesus Christus postquam cœnavit cum discipulis suis. *ut supra.* *Psal.* Laudate Dominum quoniam bonus. *Ant.* Cum surrexisset Dominus Jesus Christus a cœna, posuit vestimenta sua. Cœpit lavare pedes discipulorum suorum, & tergere linteo quo erat

A præcinctus. Imitemur ergo eum ut habeamus pacem in regno suo. *Psalm.* Benedicam Dominum. *Ant.* In diebus illis mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum unguenti. Et stans retro secus pedes Domini Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. *Psal.* Miserere mei, Deus, secundum. *Ant.* Diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est, & qui diligit fratrem suum ex Deo natus est. Et * vide Deum. *Psal.* Ecce quam bonum. *Ant.* Si ego Dominus & magister lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes. *Psal.* Quam dilecta. *Ant.* In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis in invicem. *Psal.*

* *videt.*

B Confitemini Domino, & invocate. *Ant.* Loquutus est omnipotens discipulis suis dicens: venite & videte pacem fallacem quam protulit proditor; fingit amare me labiis, & odium cordis protulit mortem. Anathema * Aramachamatale discipulum. *Ant.* Discumbens Dominus accepit panem, & dedit discipulis suis, dicens: accipite & manducate hunc panem; & sciatis quia hoc est corpus meum. Et hunc calicem, & bibite ex illo, & sciatis quia hic est sanguis meus novi Testamenti; effunditur pro universis * remissionem peccatorum. *Ant.* Locutus est Dominus discipulis suis: exemplum enim dedi vobis, ut alter alterius pedes vestros lavetis, quia in hoc cognoscent omnes homines, quod mei estis discipuli, si vos invicem dilexeritis. *Ant.* Ubi est caritas & dilectio, ibi sancta est congregatio, ibi nec ira est nec indignatio, sed firma caritas in per-

* *Maranatha.*

* *in.*

C petuum. Christus descendit mundum redimere, ut liberaret a morte hominem. Exemplum præbuit suis discipulis, ut sibi invicem pedes abluerent. *Ant.* Domine, tu mihi lavas pedes. Respondit Jesus, & dixit ei: & si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. *Ant.* Domine, non tantum pedes, sed & manus & caput. *Ant.* Vos vocatis me, Magister & Domine. *Ant.* Mulier quæ erat in civitate peccatrix. *Ant.* Maria autem unxit pedes Jesu. *Ant.* Congregavit nos Christus ad glorificandum seipsum. Reple, Domine, & animas nostras sancto Spiritu, alleluia.

HYMNI

A BEATO GREGORIO PAPA CONSCRIPTI.

DIE DOMINICO, AD NOCTURNUM.

1. PRIMO dierum omnium
Quo mundus extat conditus,
Vel quo resurgens Conditor
Nos, morte victa, liberat.

2. Pulsis procul torporibus,
Surgamus omnes ocyus,
Et nocte quæramus pium,
Sicut Prophetam novimus.

3. Nostras preces ut audiat,
Suamque dextram porrigat,
Et expiatos sordibus
Reddat polorum sedibus,

4. Ut quique sacratissimo
Hujus diei tempore
Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.

5. Jam nunc paterna claritas,
Te postulamus affatim,
Absit libido sordidans,
Omnisque actus noxius.

6. Ne fœda sit vel lubrica
Compago nostri corporis,
Per quod averni ignibus
Ipsi crememur acrius.

7. Ob hoc Redemtor, quæsumus
Ut probra nostra diluas,
Vitæ perennis commoda
Nobis benigne conferas.

8. Quo carnis actu exules,
Effecti ipsi cœlibes
Ut præstolamur cernui,
Melos canamus gloriæ.

9. Præsta Pater piissime,
Patrique compar unice

Cum Spiritu paraclito
Regnans per omne seculum.

ALIUS.

1. Nocte surgentes, vigilemus omnes
Semper in Psalmis meditemur, atque
Nisibus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.

2. Ut pio Regi pariter canentes,
Cum suis Sanctis mereamur aulam
Ingredi cæli, simul & beatam
Ducere vitam.

3. Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

AD LAUDES.

1. Ecce jam noctis tenuatur umbra
Lucis aurora rutilans coruscat:
Nisibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem.

2. Ut Deus noster miseratus omnem
Pellat languorem, tribuat salutem,
Donet & nobis pietate Patris
Regna polorum.

3. Præstet hoc nobis Deitas
beata, *ut supra*.

AD VESPERAS.

1. Lucis Creator optime
Lucem dierum proferens,
Primordis lucis novæ
Mundi parans originem.

2. Qui mane junctum vesperi
Diem vocari præcipis,
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.

3. Ne mens gravata crimine
Vitæ sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.

4. Cælorum pulset intimum,
Vitale tollat præmium,
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum.

IN QUADRAGESIMA.
AD NOCTURNUM.

1. Clarum decus jejunii.
Monstratur orbi cælitus,
Quod Christus Auctor omnium
Cibis dicavit abstinens.

2. Hoc, Moyses carus Deo,
Legisque lator factus est,
Hoc Heliam per aera
Curru levavit igneo.

3. Hinc Daniel mysteria
Victor leonum viderat,
Per hoc amicus intimus
Sponsi Johannes claruit.

4. Hæc nos sequi dona, Deus,
Exempla parsimoniæ:
Tu robur auge mentium,
Dans spiritale gaudium. Amen.

AD VESPERAS.

1. Audi, benigne Conditor,
Nostras preces cum fletibus
In hoc sacro jejunio
Fusas quadragenario.

2. Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium;
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.

3. Multum quidem peccavimus:
Sed parce confitentibus:
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.

4. Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Jejunet ut mens sobria
A labe prorsus criminum.

5. Præsta, beata Trinitas;
Concede, simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera. Amen.

IN DOMINICA.
PALMARUM.

1. Magno salutis gaudio
Lætetur omne seculum,
Jesus Redemtor omnium
Sanavit orbem languidum.

2. Sex ante Paschæ ferias
Advenit in Bethaniam,
Ubi pie post triduum
Resuscitavit Lazarum.

3. Nardi Maria pistici
Sumsit libram mox optimi,
Unxit beatos Domini
Pedes rigando lacrymis.

4. Post hæc jugalis asinæ
Jesus supernus arbiter
Pullo sedebat; inclytam
Pergebat Jerosolymam.

5. O quam stupenda pietas,
Mira Dei clementia!
Sessor aselli fieri
Dignatur Auctor seculi.

6. Ramos virentes sumserat
Palma recisos tenera:
Turba processit obviam
Regi perenni plurima.

7. Honor, virtus, imperium
Sit Trinitati unicæ,
Patri, Nato, Paraclito
Per infinita secula. Amen.

IN PASSIONE.
DOMINI.

1. Rex Christe factor omnium
Redemtor & credentium,
Placare votis supplicum,
Te laudibus colentium.

2. Cujus benigna gratia
Crucis per alma vulnera,
Virtute solvit ardua
Primi parentis vincula.

3. Qui es Creator siderum,
Tegmen subisti carneum,
Dignatus hanc vilissimam
Pati doloris formulam.

4. Ligatus es ut solveres
Mundi ruentis complices,
Per probra tergens crimina,
Quæ mundus auxit plurima.

5. Cruci, Redemtor, figeris,
Terram sed omnem concutis,
Tradis potentem spiritum,
Nigrescit atque seculum.

6. Mox in paternæ gloriæ
Victor resplendens culmine;
Cum Spiritus munimine
Defende nos Rex optime;
Amen.



INDEX OFFICIORUM.

Quæ in Antiphonario S. Gregorii Papæ continentur.

APPENDIX EX MS. COMPENDIENSI.

Dies anni, in quibus assignantur officia, juxta mss. cod. Compendiensem.



INDEX

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM, QUÆ IN LIBRO SACRAMENTORUM, &c. ET IN NOTIS CONTINENTUR.

A

Index rerum & verborum memorabilium,

quæ in libro Sacramentorum, &c. & in notis continentur

B

C

etiam

nan-

F

G

GLO-

ons

ex

Q

R

S

 voca-

SIMEO,

VER-

X

Xyst

Y

Z

FINIS.

SANCTI
GREGORII
PAPÆ I.
COGNOMENTO MAGNI
OPERA OMNIA.

Ad manuſcriptos codices Romanos, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta, & illuſtrata notis.

TOMI TERTII SECUNDA PARS.

In ſecunda parte Tomi Tertii continentur,

D E

COMMENTARIO S. GREGORII MAGNI
IN LIBRUM PRIMUM REGUM
PRÆFATIO.

Cum insigne hoc opus abjudicandum sanctissimo Doctori censuerit Petrus Gussanvillæus, idemque visum sit nonnullis viris eruditis, nostram de eo sententiam promere debemus, antequam denuo in lucem edatur.

I. De auctore Commentarii hujus tres omnino sunt sententiæ. Prima est, Gregorium magnum pro vero indubitatoque ipsius parente habendum esse. Hanc secuti sunt quotquot in edendis Doctoris eximii operibus a centum & quinquaginta fere annis, excepto dumtaxat uno Gussanvillæo omnium novissimo, desudarunt. A prioribus enim editoribus hic Commentarius in Gregorianorum scriptorum censum relatus est tamquam genuinus tanti Patris fetus. Eorum judicio adstipulantur eruditi fere omnes non solum ex nostris, sed etiam ex heterodoxis, qui operum sancti Doctoris indicem texuerunt; ex quibus potissimum commemorandus venit Gulielmus Cave in historia litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum non ita pridem in lucem emissa. De auctore hujus Commentarii. Prima sententia eorum qui ipsum Gregorio tribuunt.

II. Secunda sententia, huic omni ex parte contraria, est Petri Gussanvillæi, Commentarium hunc ex Gregorianorum operum censu prorsus expungentis, licet ipsius nomen in Gussanvillæana editione, quod hic non dissimulandum, adhuc retinuerit. Fatetur tamen vir æquissimus dignissimum esse Gregorio commentationem hanc in librum I. Regum, quod satis innuit his verbis, quibus ejus Judicium *censoriumque decretum absolvitur:* utinam tam pium, tam sanctum opus sancto Gregorio vindicare possemus, salva veritate. Secunda eorum qui abjudicant.

III. Tertia sententia inter utramque fere media, est laudatum Commentarium ex homiliis a sancto Gregorio habitis de libro I. Regum, collectum & consarcinatum esse a Claudio ejus discipulo, postea monasterii Classensis Abbate. In hanc sententiam propendent plerique viri docti, maxime Thomassinus disciplina Eccl. parte 2. l. 2 c. 28. n. 2. & Ludovicus Ellies du Pin, Biblioth. novæ Script. Eccles. tomo IV. seu seculo VI. in Gregorio magno. Hac media via tutissimi ibimus, duce præsertim ipsomet Gregorio, qui scilicet lib. XII. indict. V. Ep. 24. hæc Johanni Subdiacono scribit: Præterea quia idem carissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateucho audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo sensu dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. (Quæ cum mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde inutiliter immutatum.) Unde necesse est ut tua Experientia, omni excusatione atque mora cessante, ad ejus monasterium accedat, convenire fratres faciat, & sub omni veritate quantascumque de diversis scripturis chartulas detulit, ad medium deducant: quas tu suscipe, & mihi celerrime transmitte. *Ex his liquet sanctum Gregorium aliqua ex libris Regum non scripto, sed viva voce exposuisse; Claudium hæc tum excepisse, tum digessisse, sed non ubique Magistri sui Gregorii sensum assecutum esse, imo nec stylum; & sanctum Doctorem hæc, ne in publicam lucem prodirent, quantum potuit obstitisse, ac omnia exemplaria ad se deferri, ut in otio emendarentur præcepisse; quod utrum præstiterit suo loco aperiemus.* Tertia sententia media explicatur & probatur. Præsertim ex Gregorio.

IV. Ex his facile intelligitur qui characteres, quæve notæ Claudianæ collectioni conveniant, ex quibus eam dignoscere, & a quavis alia lucubratione discernere operosum non sit: nempe cum ex ipsis Gregorii verbis ac sententiis contexta sit, ejus stilum redolere debet, ejus doctrinam & sacræ Scripturæ interpretandæ modum, atque ad morales allegoricosque sensus inflectendæ repræsentare; ita tamen ut quandoque, labente forte memoria, Claudius de suo quædam supplere coactus sit; quod satis fuit nostro Gregorio ut fetum hunc pene repudiaret. Quæ notæ conveniant collectioni a Claudio ex Gregorii Homiliis factæ.

Fingamus celeberrimum aliquem divini verbi præconem, elegantem de pœnitentia orationem habuisse, quam a notario cursim exceptam audit postea typis mandatam & publica luce donatam. Hanc legit, & cum autographo confert. Observat quidem orationis idem esse argumentum, eamdem in varia membra partitionem, easdem sive ex sacris Litteris,

sive ex ratione depromeas probationes, transitiones non dissimiles; eadem pene ubique verba, idem fere dicendi genus: nonnullis tamen in locis observat luxatam esse orationem, & minus cohærentem. Hic occurrit vox obsoleta, hic offendis in Scripturæ sacræ locum perperam explicatum; hic unus ex sanctis Patribus pro alio laudatur; hic obscurioribus coloribus rudiorique penicillo delineata virtus. Quæ sane sufficiunt huic Oratori talem ut reprobet fetum tamquam suppositum, palamque corruptam & adulteratam fuisse queratur orationem a se elucubratam. Eodem pene modo Gregorius de suis in librum primum Regum aliasque Scripturæ divinæ partes Homiliis minus accurate exceptis loquitur. Nunc vero perspiciamus utrum Commentarius in Librum I. Regum de quo hic agitur, notas & signa quæ in Claudii collectione deprebendenda diximus præ se ferat.

Omnes in commentario reperiuntur.

V. Certe stilum sermonemque Gregorii redolere hoc opus non inficiabitur, qui ipsum non oscitanter legerit, & cum libris Moralium potissimum contuleris; quod quia negat Gussanvillæus, nunc demonstrandum.

Modus exponendi Scripturam Gregoriano similis.

Familiare est Gregorio Scripturæ sacræ quam exponit sententias mira varietate enucleare, & modo litteralem sensum, modo typicum, allegoricum, moralem exhibere; quod qui non observabit hoc in commentario, cæcutire dicendus est. In eo sane ut in ceteris Gregorii tractatibus exegeticis, eadem prorsus methodo singuli versus libri sacri exponendi sic torquentur, retorquentur, & premuntur, ut quidquid succi continent ac saporis omnino exprimatur.

Idem stilus tum in orationis contextu.

VI. Ad ipsam dictionem aut orationis constructionem quod spectat, delectatur Gregorius quodam præpostero vocabulorum contextu, frequentibus transpositionibus ac veluti hyperbatis, quorum exempla plurima exhibuimus in Præfatione ad libros Moralium, ex quibus pauca selegimus huc adducenda. Lib. 31. *Moral. num.* 4. Scimus enim rhinoceros ille, terrenus videlicet princeps, quanta prius contra Dominum crudelitate sævierit. *Pro*, scimus enim quanta prius crudelitate rhinoceros ille, *&c. Hom.* VIII. *in Ezechielem, num.* 27. In quo verbo beati Jacob mens ostenditur quomodo Jesu desiderio ardebat. *Pro*: in quo verbo quomodo beati Jacob mens Jesu desiderio ardebat, ostenditur. *Homilia* XXXII. *in Evang.* Dum enim cælorum regnum constat quia reproborum, *&c. Pro*, dum enim constat quia, *&c. Lib. Dialog. c.* 2. Quatenus.....agnoscerent Benedictus puer conversationis gratiam a quanta perfectione cœpisset. *Pro*, a quanta perfectione Benedictus puer, *&c. Quis autem neget his exemplis omnino similia esse quæ legimus lib.* I. *Comment. c.* 2. *n.* 10. Videamus jam sancta Ecclesia quibus fecunditatis suæ laudibus in Annæ voce glorietur. *Ubi alius diceret*: Videamus jam quibus fecunditatis suæ laudibus sancta Ecclesia, *&c. Et num.* 12. Sed ubi eos robur induit, libet intueri quam fortes fecit. *Cum dicendum videretur*: Sed libet intueri quam fortes eos fecit, ubi, *&c. Vide etiam lib.* 5. *c.* 2. *num.* 18. Colligite omnipotentem Deum, quam terribiliter metuere, & quam devote ei semper servire debeatis. *Pluribus referendis supersedemus.*

Tum in periodis bimembribus.

Gregorius fere semper graditur periodis bimembribus & quasi bipedibus similiter cadentibus, quod etiam in nostro libri I. Regum Commentatore observare licet, ejus lucubrationem vel a primo limine salutanti.

Tum præsertim in usurpatione nonnullorum verborum & vocum.

VII. Gregorius non raro verba deponentia, ut loquuntur Grammatici, in significatione passiva usurpat, maxime verbum, venerari, *quod abunde in præfatione generali demonstratum. Idem vero in Commentario deprebendimus, uti lib.* 4. *c.* 4. *num.* 35. Quo tardius aspicitur (*Pastor in publico*) devotius veneratur, *hoc est colitur & honoratur. Et num.* 51. Verbo itaque sapientiæ aut prophetiæ spiritu se pollere asserunt, non ut venerentur, sed ut audiantur.

Sanctus Doctor per verbum innotescere *passim significat notum facere, ut homil.* I. *in Evangelia num.* I. Appropinquantem ejus (*mundi*) terminum quantæ percussiones præveniant, innotescit, *hoc est ostendit; quod eodem sensu legitur centies in Dialogis & sæpius in Epistolis. At hoc sensu quoque non raro adhibetur a Commentarii scriptore, v. g. lib.* I. *cap.* 2. *num.* 16. Quod etiam conceptum parit, quando proximis.....innotescit. *Et cap.* 3. *num.* 8. Hoc namque insigne fortitudinis nec Moyses, nec Helias habere potuit, ut dum incomparabilia signa innotescerent, *&c. Vide quoque lib.* 2. *c.* 2. *num.* 11. Tamen tunc suis benedixisse sic innotuit.

Gregorius modo sibi fere peculiari utitur verbo debere, *quod exemplis quibusdam palam fiet. Lib.* XJ. *Ep.* 33. *scribit Mariniano*: Et ideo videtur mihi.....ut tua Fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire; *id est, veniat. Ibidem*: Et ego qui me proximum morti video.....inter tuas manus transire debeam; *hoc est, transeam. Ep.* 34. *ejusdem libri*: Id est, quadringenti solidi seorsim fieri debuissent, *ac paulo post*: Volumus ut.....Fraternitas vestra debeat erogare; *pro*, eroget. *Hom.* XVIJ. *in Evangelia*: Ut ex eadem

salis

salis petra lambere debeant. *In eadem significatione accipiendum est verbum* debere *lib.* 1. *Commentarii c.* 3. *num.* 14. Quia omnes Scripturas acceperant, ut in eis Sacramenta divinæ Incarnationis invenire debuissent: *hoc est, invenirent. Et lib.* 1. *c.* 2. *num.* 20. Ut ipsi punire neminem deberent; quod idem est *ac punirent.*

Adversitatem sæpe Gregorius accipit non in passivo sed in activo sensu, seu pro adversantium nobis actione; qua de re consule lib. 2. *Moral. n.* 51. *& notam ad hunc locum, ubi multis testimoniis id confirmamus. Addi potuisset quod legimus Libro Reg. pastor. part.* 3. *admon.* 16. *seu cap.* 15. Quid per nubes quæ moventur a vento, nisi adversitates pravorum hominum designantur? *Hoc est, pravorum nobis adversantium impugnationes & impetus. Nec dissimili sensu occurrit lib.* 5. *Commentarii c.* 1. *num.* 15. Quia sancti Prædicatores nostri majori victoria coronantur, cum adversa proximorum, (*id est adversa a proximis illata*) tolerant,

Qui Gregoriano stilo assueverunt, non ignorant quam frequenter de Christo loquens, utatur antithesi adverbiorum super *&* inter; *ut l.* 15. *moral. num.* 20. Summi Patris unigenitus cum sit Deus super omnia, homo est factus inter omnia. *Similia extant lib.* 16. *num.* 37. *Homil.* 7. *in Ezech. num.* 19. *Homil.* 23. *in Evang. & passim. Eademque ratione auctor Commentarii lib.* 1. *c.* 1. *num.* 4. Quia, *inquit*, qui inter omnes natus est, supra omnes enituit. *Ab aliis exemplis proferendis abstineo. Qui in Gregorianis operibus evolvendis & legendis non sunt peregrini, norunt ibi frequenter verbum*, reformare, *significatum habere aliis pene scriptoribus incognitum, aut saltem a paucis usurpatum. Lib.* 22. *Moral, capite & num.* 1. ne....in desperationem mens corruat, hanc per virtutum suarum memoriam ad spem reformat. *Et num.* 9. *ejusdem libri*: Et quam amiserat intelligentiam reformat. *Bis eodem sensu occurrit pene in ipso Moralium limine, & lib.* 2. *in Ezech. Hom.* 7. *num. ultimo*: ad spem animum reformat. *In Commentario vero non procul ab initio, scilicet lib.* 1. *c.* 1. *num.* 20. Surrexit namque, quia ad prædicationis instantiam animum reformavit.

In Gregorianis scriptis, maxime in Dialogis, ad nauseam usque legitur: sanctæ conversationis habitus. *Idemque familiare habet qui Commentarium scripsit. Lege præsertim l.* 4. *c.* 4. *n.* 18.

VIII. Solet Gregorius auctorem libri Ecclesiastici designare nomine cujusdam sapientis: *ut lib.* 27. *Moral. num.* 53. Per quendam sapientem dicitur: sicut glacies in sereno, *&c. Et lib.* 33. *num.* 23. Hinc enim per quemdam sapientem dicitur: ne dixeris miserationes Domini multæ sunt: *Vide quoque lib.* 7. *num.* 45. *& lib.* 20. *num.* 51. *Eodemque prorsus modo libri primi Regum Commentator & Interpres lib.* 5. *c.* 4. *num.* 2. *laudans Ecclesiastici c.* 2. *ait*: Unde bene per quemdam sapientem dicitur: Fili, accedens ad servitutem. Alia convenientia id modo laudandi librum Ecclesiasticū.

Denique S. Gregorius ex Regula S. Benedicti verba & sententias integras proferre solet, ut demonstravimus lib. 1. *ejus vitæ c.* 3. *num.* 6. *quod etiam convenire auctori Commentarii statim ostendemus.* Et sancti Benedicti Regulam.

IX. Quod spectat ad doctrinam, eadem pene est ac ipsius Gregorii. a *Christi divinitas egregie asseritur lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. 5. *&c. Incarnationis mysterium optime explicatur lib.* 1. *c.* 1. *num.* 3. *De reali Corporis & Sanguinis Christi præsentia in Eucharistia, de incruento novæ Legis Sacrificio, & de Christianæ Religionis Sacerdotio lege lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 14. *& lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 31. *De visione Dei solis cæli civibus concessa (quod sæpe probat sanctus Gregorius) vide lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. *De Pœnitentia, Confessione peccatorum, Satisfactione, atque Absolutione Sacerdotali consule lib.* 3. *cap.* 5. *num:* 13. *&* 14. a Eadem pene est in Commentario doctrina, ac in ceteris sancti Gregorii operibus.

More Gregorii ex tribus sanctis feminis unicam Mariam Magdalenam conflat lib. 4. *cap.* 4. *num.* 13. *Quod Gregorius asserit de solo Christo inter homines a diaboli servitute libero, docet hic Scriptor lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. Quæ est igitur manus Philisthiim, nisi potestas illa dæmonum, qua mortuas in peccato animas ad æterna tormenta perducunt? Ab ista Philisthiim manu solus liber fuerat qui dicebat: venit Princeps mundi hujus, & in me, *&c.*

Hæc sane pene demonstrare videntur, non alium Commentarii de quo differimus, parentem esse, quam ipsum-met Gregorium. Attamen occurrunt quædam sive in dicendi genere, sive in doctrina quæ Gregorium minime sapiunt & indicant.

X. 1. *Commentarii procœmium a Gregoriana simplicitate deviat; figuris enim turgere videtur ac supramodum luxuriare.* Quædam tum in dictione, tum in doctrina discrepantia.

2. *Commentarius ipse quibusdam vocibus inspergitur, quæ nullibi leguntur in genuinis sancti Doctoris operibus ;* ut terrenitas *lib.* 2. *c. n.* 27. sonoritas *prædicationis lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 27. carnalitas *lib.* 4. *cap* 5. *num.* 40. *& lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 14. horribilitas *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. vaneglorius *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 8. granditudo *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 25.

3. *Quod*

a Hæc omnia doctrinæ capita in Gregorianis operibus adstrui demonstravit præfatio generalis.

3. *Quod præcipue observandum, a doctrina Gregorii aliquando exorbitare videtur qui Commentarium contexuit, maxime de libero arbitrio, cui nimis tribuit. Quasi enim a Deo sola essent initia fidei & sanctitatis, & a nobis cetera; ait lib. 3. cap. 5. num. 20.* Quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur; sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus. *At sibi non constat: nam lib. 4. cap. 2. num. 9. in aliud extremum declinans docet aliquando peccatores, etiam quando volunt, a peccato surgere non posse:* Quia, *inquit*, per imitationem Pastoris, reprobi in peccati servitutem incidunt, etiam ab ejus jugo quando volunt, solvi non possunt. *Quod adhuc paulo infra confirmat num.* 10. In notitiam pravæ imitationis ejus paulatim defluitis: sed pravitatis ejus exempla, quibus vos sponte submittitis, relinquere sponte minime potestis. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati. Quibus ergo peccata dominantur per se, ab eorum jugo liberari nequeunt. Nam sæpe ad Dominum cum precibus veniunt; liberari petunt, sed exaudiri non possunt. Divino siquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare, cum possent, non possint vitare, cum volunt: & qui sponte incurrunt mala præcognita, fugere non possunt experta. *Non minus dure loquitur l. 6. cap. 2. n. 5. quamquam diffiteri non possimus eadem legi Pastoralis part. 3. cap. 15. sive admonit. 16. Et quidem possunt optimo sensu explicari de peccatoribus, qui prava consuetudine vincti, vix ejus vincula disrumpere possunt, etsi velle profiteantur.*

Johan. 8. 35.

Præterea lib. 2. cap. 1. num. 6. videtur tantum concedere Sanctis post mortem, requiem & securitatem, non gloriam; quod pugnat adversus Gregorium, maxime l. 4. Dialog. c. 25.

Inter Commentarii hujus nævos notare licet quod docet lib. 5. cap. 2. num. 15. & alibi, olim, hoc est in antiqua lege, non solum licitum fuisse odisse inimicos, sed etiam præceptum. Id enim non de populis quibusdam quos Deus internecione delere ob idololatriam aliaque scelera præceperat, intelligit, sed de quibuslibet inimicis, male interpretatus ista Christi verba: Dictum est antiquis, Diliges, &c. & odio habebis inimicum tuum; *quod non de præcepto legis veteris intelligit, sed de falsa legis interpretatione a Judæorum doctoribus qui verbum Dei adulterabantur, excogitata.*

Matt. 5. 43.

Unde efficitur illud opus a Claudio fuisse tantisper interpolatum. Lib. xii. Ep.

Igitur etsi fatendum videatur Commentarium de quo agimus, Gregorii opus esse, minime tamen est negandum hoc a Claudio ejus discipulo interpolatum esse, & aliqua ex parte vitiatum, nec a sancto Doctore postea emendatum, qui videlicet nævos istos non relicturus fuisset. Certe post scriptam supra laudatam Epistolam, Gregorio tot morbis afflicto, tot distracto & cruciato curis, vix integrum fuit opus hoc tantæ molis recognoscere, & ad incudem revocare. Hinc ejus consilium fuit illud perpetuis tenebris opprimere. Neque vero ea de causa contemnendum videatur: si enim a paucis quas indicamus maculis expurgetur, cum optimis tanti magistri lucubrationibus de præstantia certare poterit.

Cur a sancto Gregorio reprobatum fit.

XI. Cur ergo, inquies, illud reprobare cogitavit primus ejus parens, & ne publicam in lucem prodiret, quantum potuit obstitit?

Respondemus, sufficientem ut repudiaretur causam fuisse ipsius interpolationem. Præcipue tamen ratio petenda est a summa Gregorii modestia & animi demissione, quæ sane tanta erat, ut ægre ferret opera sua, quæcumque forent, legi & publicari. Qua de re legenda ex integro Epistola mox laudata. Certe in vita P. Virgilii Maronis auctore Tib. Donato, legimus Poetam hunc, cum gravari morbo se sentiret, scrinia sæpe & magna instantia petiisse, crematurum Æneida: quibus negatis, testamento comburi jussisse ut rem inemendatam & infectam. *Quis ideo de Æneide adeo male sentiat, ut flammis addicendam judicet? Idem porro de nostro Commentario dicendum. De isto igitur opere hoc esto judicium.*

De hoc opere censorium judicium.

Illud constemus ex Homiliis a sancto Gregorio habitis in l. 1. Regum a Claudio ejus discipulo collectis coaluisse, & cum nonnullis mendis memoriæ lapsui præsertim adscribendis prodiisse. Jam vero quibus machinis opinionem hanc evertere conetur P. Gussanvillæus optima fide referendum.

Objectio prima Gussan. ex sancto Gregorio & alterum silentio exploditur.

XII. Primo Gregorius qui genuina sua opera passim indicat, de hoc ubique silet. 2. Altum de illo silentium apud scriptores omnes aut æquales aut suppares, aut etiam ævi longe inferioris.

Immo vero Gregorius, de Homiliis a se habitis & a Claudio exceptis, posteaque in Commentarii modum digestis clare loquitur loco jam indicato. Nec mirum si qui ex Gregorianis sententiis fasciculos quodammodo contexuerunt, Paterius, Tajus, Alulfus, aut qui sancti Doctoris opera recensuerunt, hujus Commentarii non meminerint. Primo enim rarissima semper fuerunt ejus exemplaria, proindeque minus nota. Fatetur ipse Gussanvillæus omnem a se, sed frustra, adhibitam diligentiam, ut aliquod nancisceretur in Gallia, Belgio, Anglia, Romæ, Venetiis, ubi tamen primo excusum esse putat an. 1537. & Argentorati, ubi teste Gesnero in Bibliotheca prodiit cum Pastorali an. 1496. Secundo etiamsi nonnulli ex commemoratis Scriptoribus copiam alicujus exemplaris habuerint, Grego-

rio

rio illud minime probanti morem gerentes, ex ipso nihil decerpendum duxerunt, prætereundumque in Gregorianorum operum indice censuerunt.

Attamen Ratherius Monachus Lobiensis, & postea Veronensis Episcopus, qui circa an. 928. floruit, scribens de contemtu Canonum part. 1. paulo ante finem, aliquid ex hoc Commentario laudat his verbis: Gregorium audiat: causa, inquit, ruinæ populi, Sacerdotes mali; *quæ leguntur lib. 2. cap. 2. ad versum:* Et ait ad eos: quare facitis rem hujuscemodi? *Dissimulare quidem non debemus eadem fere occurrere lib. Regulæ Pastor. part. 1. cap. 2. At pro* causa ruinæ, *&c. legitur in Pastorali,* laqueus ruinæ; *unde liquet Ratherium ad priorem locum potius attendisse quam ad posteriorem. Nec dubium quin si bibliothecarum omnium forulos diligenter explorare liceret, ac libros ineditos legere, multa alia de hoc Commentario testimonia nobis adessent. Sane Expositionem in Cantica canticorum quæ Gregorio adscribitur, ab omnibus quoque scriptoribus, & præsertim a Paterio silentio prætermissam contendit Gussanvillæus. In germano tamen & sincero Paterio quem edituri sumus invenitur insignis locus hujus Expositionis, ut in admonitione sumus aliquando demonstraturi. Sed in Gussanvillæi objectis diluendis pergamus.*

Spicilegii Acherian. Tom. 2.

Tom. IV. parte 2.

XIII. Contendit vir doctus Commentarii auctorem Vulgata sacræ Scripturæ versione uti, Gregorium vero Italica & Hieronymiana, quod ad utriusque Scriptoris discrimen probandum sufficere credit. Infeliciter cessit viro alioquin erudito id probationis genus: nam quatuor dumtaxat vicibus ait prolatum a sancto Doctore testimonium „ istud lib. 1. Reg. cap. 15. Nonne cum parvulus esses, *&c. At in nullo ex assignatis a Gussanvillæo locis legitur. Præterea solis oculis opus est ut intelligatur non semper usum esse Vulgata versione Scriptorem nostrum; imo sæpissime ab illa recedit. Ipso in limine legitur:* fuit vir unus de Ramatha. *In vulgata,* de Ramathaim. *In Commentario,* filius Hieroboam; *in Vulgata,* filius Jeroam. *In Commentario,* filii Thau; *in Vulgata,* filii Tohu. *In Commentario versu* 4. deditque Phenennæ & filiis & filiabus ejus; *in Vulgata,* deditque Phenennæ uxori suæ & cunctis filiis ejus & filiabus partes. *Cetera prosequi superfluum videtur. Ex Habacuc cap. 3. hæc laudantur in Commentario lib. 1. cap. 3. num. 4.* Domine Deus virtus mea, constitue pedes meos in consummatione, & super excelsa statue me; ut vincam in claritate ipsius; *quæ omnino a Vulgata versione discrepant. Infra ex Ps. 97. multa proferuntur prorsus aliter, quam leguntur in Vulgata. Lib. 1. c. 1. n. 10. legitur ex Ps. 85.* Et adorabunt coram te, Domine, & honorificabunt nomen tuum, *Vulgata habente,* & glorificabunt. *Cap. 2. num. 47.* pro, & calix meus inebrians, *quod habet Vulgata Ps. 22. exstat,* & poculum meum inebrians. *Verum in re tam clara frustra tempus tereremus. Neque tamen inficior aliqua ex sacris Litteris, aliter hic legi quam in aliis Gregorianis. Nimirum Claudius hæc cursim excipiens non potuit tanta fide reddere, ut in repræsentandis Scripturæ testimoniis ne unam quidem syllabam peccaret. Contra vero multa observavimus in hoc Commentario prolata secus ac legi debeant; quod fortasse movit sanctum Gregorium ut hoc opus tamquam adulterinum respueret. De iis autem hoc loco monere operæ pretium est, ne errandi occasionem præbeant.*

Respondetur alteri objectioni ex diverso modo citandi sacram Scripturam petitæ.

Multa sacræ Scripturæ testimonia hoc in Commentario secus proferuntur ac legi debeant.

In fine libri 1. cap. 1. vers. 28. capitis 1. lib. 1. Regum ita legitur: Commendavi eum Domino; *& legendum,* commodavi. *Lib. 2. cap. 4. hic versus 3. cap. 3.* Oculi ejus [Heli] caligaverant, nec poterat videre. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel, *&c. Ita effertur corrupte:* nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur; *cui lectioni nullæ suffragantur versiones. Ita tamen legerunt Beda, Rabanus, Maurus, Angelomus, falsus Eucherius; auctoritate forte Gregorii, cujus nomen huic præfixum commentario legerant, abrepti. Et hoc sane validissimum est argumentum, laudatis scriptoribus notum fuisse hoc opus: a quo enim antiquiori scriptore hanc Scripturæ lectionem vitiosam desumsissent? Lib. 5. col. 306. A. legitur:* apparuit itaque stationi; *ubi legi debet ut in Vulgata,* Apparuit uterque stationi. *Verum vitium librariorum est, non auctoris; nam in explicatione hujus versus ait:* Quidnam est quod apparere Jonathas Philisthæis cum armigero dicitur? *Ergo legis:* Apparuit uterque. *Infra etiam legitur:* apparuit itaque uterque, *&c. Reliquas Gussanvillæi objectiones prosequamur.*

XIV. Neque vero, *inquit,* stilus ipse Gregorianum sapit, licet in quibusdam eum imitari conatus sit auctor; quod fortasse erroris occasionem præbuit. Verum quantum stilo Gregorii sit dissimilis sola Homiliarum in Ezechielem lectio comprobabit. *Brevis quidem probatio, sed imbellis, cum solius adversarii testimonio nullis exemplis roborato nitatur; maxime si quæ in contrarium protulimus relegantur.*

Expenduntur aliæ objectiones.

Sed quid plura, *inquit Gussanvillæus?* Si auctoris verba expendantur, luce meridiana clarius apparebit fuisse Monachum aliquem: qui frequenter de Monachis monasteriorumque regimine ac disciplina sermonem habet; *quod pluribus probat.*

Ratio

Ex concessis a Gussanvillæo Commentarius Gregorio maxime convenit.

Rationum ponderi non inviti cedimus. At quid ex his contra sententiam quam tuemur, militat? Negatne Gussanvillæus Gregorium fuisse Monachum, & Monachorum Abbatem, cui proinde incumbebat frequenter de disciplina monastica sermonem habere? Si vero quæ de monastica vita dicit hic Scriptor, cum Regula sancti Benedicti conferantur, vix suberit dubitandi locus, quin ejusdem Regulæ observationi fuerit addictus. Etenim col. 78. legimus, fervore novitio; quod invenitur S. Benedicti Regulæ cap. 1. Sub initium col. 93. occurrit, in malo inobedientiæ mors prævaluit; quibus verbis alluditur ad hæc Regulæ S. Benedicti cap. 2. tunc demum inobedientibus pœna sit eis prævalens ipsa mors. Col. 95. de obedientia differens auctor, ob oculos habere videtur quæ de eadem virtute docet sanctus Benedictus sum cap. 5. Reg. cum c. 7. Lib. 4. cap. 4. n. 17. legitur: Qui arctissimam conversationis viam noviter accedentibus facile non impendant; quæ fere ad verbum ex Regula S. Bened. cap. 58. eruuntur. Imo S. Benedictum laudare minime dubitandum est, quando ait: Quare & ejusdem arctissimæ vitæ magister optimus summæ veritatis discipulus eruditus præcipit, dicens: Probate spiritus, si ex Deo sint. Et item: Nuntientur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum, ut sciat ad quod intrat; quæ capite 58. Reg. totidem fere verbis extant.

Quo tempore elucubratus.

Ex his non levis suboritur conjectura, Gregorium non ad populum, ut gratis fingit Gussanvillæus, Homilias de lib. Regum habuisse, sed ad Monachos sibi subditos, eo dumtaxat tempore, quo post reditum ab urbe regia, majori otio in monasterio fruebatur: quas ejus filius, seu alumnus & discipulus Claudius excipere curavit.

Quædam de Opere observanda.

XVI. Composita quæ de Commentarii auctore erat controversia, de ipso opere quædam, etsi pauca, supersunt observanda. Mutilum illud esse, aliqua licet minima ex parte liquet, quod lib. 1. cap. 2. num. 3. meminerit scriptor explicationis nominis Helcanæ supra allatæ, quæ nullibi tamen legitur. Lacunam suspicamur esse inter num. 4. & 8. c. 1. lib. 1. ubi ab explicatione verborum illorum: De Ramatha Sophim, de monte Ephraim, transitur ad ista: Qui habebat duas uxores; omissis illis & nomen ejus Helcana filii Hieroboam, filii Heliu, filii Thau, filii Sup. de quibus ne minimum quid in Commentario delibatur.

Multa occurrunt de nominibus Hebr. quæ notis illustrari potuissent. At vero quæ de iis dicenda sese offerebant intra metas his in notis nobis præscriptas, contineri vix potuissent. Præterea qui de his erudiri volent, numquam Commentarium hunc lecturi sunt, sed potius consulent Origenem & Hieronymum, præsertim in libris de nominibus Hebraicis & de situ ac nominibus locorum Hebr. Ceterum, loquendo de Hieronymo in nota b. ad proœmium col. 2. incaute nobis excidit quod diximus de libro Samuelis ab ipso exposito; nam qui ex nostris edendo huic sancto Doctori strenuam navant operam, Expositionem libri Samuelis Hieronymo abjudicant. At hæc nondum vulgata erant quando ad novam Gregorianorum operum editionem schedas nostras disposuimus.

XVII. Quid vero nostræ operæ hac in editione collocatum sit nunc breviter aperiendum. Cum alicujus codicis manuscripti, in quo contineretur hic Commentarius, copiam habere nobis non fuerit integrum, quavis licet adhibita diligentia: illum tantum recensuimus ad meliores editiones, Gilotianam præsertim & Vaticanam, quarum ope non paucos errores expunximus, omissaque nonnulla restituimus. Aliquando quoque ubi editi omnes vitiosi sunt, non dubitavimus eos emendare. Sic lib. 1. c. 1. n. 1. legebatur prius: hunc ... per manus ini-


Ad. 1. quorum affligentes; ubi proculdubio legendum, affigentes, quam lectionem amplexi sumus. Libro quoque 2. c. 1. num. 2. prius legebatur, ejus se oculis inhæsisse; at series sermonis ostendit legendum, osculis pro, oculis; ut etiam nunc legitur. Quando vero solis conjecturis assecuti sumus qua ratione medendum corruptæ orationi foret, lectionem quæ nobis visa fuerit melior, inscribere margini satis habuimus.

Nostro quoque more capita, ut pote longiora, plures in articulos appositis notis numeralibus distinximus, adhibitis in margine brevibus notis, quibus articulorum summaria comprehenduntur. Similibus etiam notis quidquid observatione dignum occurrit indicavimus. At aliis in notulis paginæ subjectis, vel varias lectiones exhibuimus, vel quædam Commentarii loca illustravimus. Utinam laboris nostri sane improbi optimos & jucundos fructus lector carpere possit & degustare.

Lib. 12. ep. ultima.

De expositione in Cantica canticorum quæ excipiet hunc Commentarium, & de aliis operibus subsequentibus hic dicere nihil attinet, cum singulis præfationes, aut admonitiones præfixerimus. At in præfat. ad Expositionem Cantici non debuit omitti testimonium sancti Columbani, qui inter sancti Gregorii Opera eam recenset cum Libro Regulæ Pastor. & Homiliis in Ezechielem, ut videre est in ejusdem Columbani Epistola inter Gregorianas.

SAN-



SANCTI GREGORII PAPÆ IN LIBRUM PRIMUM REGUM, QUI ET SAMUELIS DICITUR, VARIARUM EXPOSITIONUM LIBRI SEX.

PROOEMIUM.

Liber primus Regum quotus sit in SS. Script. Canone.

I. POST Moysi, & Jesu Nave libros, & Judicum, [a] octavus sive nonus in canone sanctarum Scripturarum, primus liber Regum ostenditur. Qui profecto liber, sicut & pleraque volumina sacri eloquii, quod a [b] sanctæ Ecclesiæ Doctoribus nondum sit expositus, nonnulli simpliciores hunc non esse mysticum arbitrantur, & eo sublimiora per spiritum nulla dicere, quo planiora per litteram videtur enarrare. Sed si ea, quæ in aliis explanationum libris doctores sancti locuti sunt, legerent, hujus quoque historiæ quam sit immensa profunditas, invenirent. Nam plerumque in illorum expositionibus, quod hic planum per litteram dicitur, valde esse arduum per spiritalem intelligentiam declaratur: & aperte insinuant, quia longe sublimius de sacra historia intelliguntur, quam in ejus superficie foris leguntur. Planum namque est, quod Helcana vir Ephrathæus, uxores duas habuisse describitur: quod Heli sacerdos, dum a censura correptionis filiorum affectione dissolvitur, de sella cadit, & fracta cervice interit: quod rex Saul obedire Deo in Amalechitarum demolitione noluit, sed non multo post & vitam & regnum amisit. Sed hæc nimirum plana, sicut placet simplicioribus, Doctores sancti, ut digna sublimitate perciperent, eorum intellectum non in simplicitate quæsierunt litteræ, sed in volatu allegoriæ. Hinc est enim, quod cum sanctus [a] Augustinus duas Helcanæ uxores per historiam legeret, in planitie lectionis spiritalem altitudinem intuens, synagogæ typum una; altera vero, quia figuram sanctæ Ecclesiæ haberet, exposuit. Sanctus quoque [b] Hieronymus Heli sacerdotis & Saul mortem, non ad hoc solum in sacra historia positam, ut inobedientes præpositos eorum terreret pœna, sed etiam ut dum veterum & transgressorum rectorum repulsio legitur, antiquæ Legis & sacerdotii interius designetur. Sacra igitur Regum historia non idcirco spiritalibus sacramentis vacua credenda est, quia a venerabilibus patribus seriatim non est exposita; sed eo altior & profundior, quo velut immensi vastitas fluminis, ex parte quavis exigua hauriri exponendo potuit, & repletis eorum vasculis, suæ plenitudinis impetu quotidie implendis aliis decurrit. Dum ergo quædam hujus sacræ historiæ ad robur suorum operum tollerent, plenitudinem vero illius in suæ sublimitatis secreto indiscussam præterirent, quid aliud agere visi sunt, quam de immenso amne aliquid capere, quod sitientibus fidelium mentibus propinarent?

Hujus historiæ immensa profunditas.

1. Reg. 1. v. 1. 2. — *Ibid. 4. 18.* — *1. Reg. 15. 9.* — *1. Reg. 31. 5.*

[a] *L. 17 de Civit. Dei. c. 4.*

[b] *Advers Pelag. lib. 1. c. 8. & contra Jovin. lib. 1. c. 10.*

Hæc Scriptura [illegible]

Quo-

a Liber primus Regum sive Samuelis, si liber Ruth a Judicum libro distinguatur, est nonus in Canone. Si vero historia Ruth pro appendice libri Judicum habeatur, est octavus.

b Si Quæst. in Libros Regum quæ inter opera S. Hieronymi hactenus vulgatæ sunt, vere essent Hieronymi, mirum esset id excidisse huic Script. sed has quæstiones S. Doctori etiam abjudicat editio [illegible]

Auctoris hac in expositione institutum.

2. Quorum profecto morem nos quoque in præsenti opere sequimur, qui ad ingentem hanc historiam gratia aperiendæ intelligentiæ ejus accedimus, cujus tamen universitatem exponendam suscipere non audemus: hoc videlicet a præfatis venerabilibus patribus distantes, quia non sparsim, & de diversis locis eligimus quod expositiuri sumus, cum illi non ex ordine aliquam sacræ hujus historiæ partem, sed sparsim testimonia quædam susciperent, quæ ad eruditionem fidelium exponere [a] habuissent. Dei ergo omnipotentis adjutorio confisi, a principio voluminis usque ad David regis unctionem explanare proponimus: ut brevi isto, quod cernitur, experiri possimus, si ultra progredi exponendo debeamus. Plerique etenim dum immoderata proponunt, executores propositi sui fieri numquam possunt: maxime cum tractator sacri eloquii morem gerat viri in alta specula consistentis, Scriptura vero sacra silvæ vastioris similitudinem. Qui profecto vir in alto situs, etsi acuta visione nemoris vastitatem considerat, tamen dum summa montium, dum extrema collium, dum arborum celsa, in quadam æqualitate sibi convenientia respicit, quam magnæ valles, quam distentæ planities in medio lateant, non attendit. Sed si perambulare, quod ei breve videtur, cœperit, repente cognoscit, quia qui se totum vidisse putaverat, valde plura remanserant, quæ non viderat. Unde & sæpe immoderatus viator decipitur, ut tanto periculosius iter expleat, quanto & eum in via, expleto die, noctis error intercipit, qui velut in parvi itineris spatio nec dici partem se explere cogitavit. Sic sic nimirum, dum sacræ historiæ intellectum in quadam sensuum ejus summitate consideramus, omnipotentis Dei gratia, velut altos opacioris silvæ vertices de quadam sublimitate attendimus. Sed quia dum iidem sensus subtilius considerari & proferri cœperint, alios se multipliciores gignunt, velut in superficie, ut videtur, totius inspecti nemoris; at vallium concava, & distenti [b] Matini latent spatia, quæ non videntur. Diutius ergo gradimur, si sic metimur ea quæ cernimus, ut etiam ea quæ procedendo visuri sumus, percurrenda esse cogitemus. Itaque dum ingentis historiæ parvam partem explanare proponimus, pro modulo imbecillitatis nostræ cursum itineris in vicinio terminamus, tam videlicet ingenii tenuitate diffisi, quam sacri voluminis profunditate perterriti.

Sacrarum Scripturarum interpres sp... ... ... similis.

Scriptura sacra ex mensura tractatorum non æstimanda.

3. Sed & primum non tam instituere, quam obsecrare lectorem censui, ut inanitate expositionis meæ pondus sacræ historiæ nequaquam penset: quia divina eloquia ex mensura tractatorum numquam æstimanda sunt. Nam nec idcirco sunt vilipendenda, quia non subtiliter considerantur: nec celsa & venerabilia ideo, quia facunde & subtiliter exponuntur. Alia quippe virtus est, quæ apud seculi sapientes tanta habetur, quantum eam extollere possunt præclara ingenia. Sacra vero Scriptura, quia divinitus inspirata est, tanto sublimius etiam præclara hominum ingenia superat, quanto ipsi præclari homines Deo inferiores sunt, & nihil in illa spiritali sublimitate conspiciunt, nisi quod eis ipsius divinæ dignationis bonitate revelatur. Nemo igitur in ejus scientia ita perfectus est, ut proficere ultra non possit: quia inferior est omnis profectus hominis, divinitatis altitudine eam inspirantis. Unde & per Psalmistam de Domino dicitur: *Qui tegit in aquis superiora ejus.* Si enim aquarum appellatione illæ supernæ designantur profundæ intelligentiæ Angelorum: dum sacri eloquii altitudinem Deus in aquis tegere dicitur; constat nimirum, quia homo semper illa sit inferior, cui solum ejus inferiora revelantur. Hinc etiam per Moysen præcipitur, ut agni residuum igne comburatur: quia videlicet Scripturæ sacræ, quæ ad cognoscendum Redemtorem sunt editæ, pro sublimitatis suæ dignitate venerandæ tunc etiam sunt, cum non intelliguntur. Itaque etsi nihil pensatur, quod a me dicitur, nihilominus pensandum est, quia hæc sacra Scriptura, quæ a me indigne exponitur, ei, cui omnipotens Deus secreta aperire voluerit, bona & sublimia multa dicit. Scriptura etenim sacra tam mirabiliter ab omnipotente Deo condita est, ut etsi multipliciter videatur exposita, non desunt tamen ei secreta, quibus servet occulta: quia fere numquam sic exponitur, ut ei non plura remaneant, quæ quotidie exponantur. Qua profecto ejus incomprehensibilitate omnipotens Deus humanæ mutabilitati magna dispensatione consuluit: nam, ut vilescere nota non possit, sic mire disposita est, ut cognita nesciatur: & eo legatur gratius, quo quotidie discitur: ac dum semper recentia intimat, suavius oblectet.

In ejus scientia nemo ita perfectus, ut ultra proficere nequeat. Ps. 103. 3.

Exod. 12. 10.

Veneratione digna est etiam cum non intelligitur.

Eo gratius legitur, quo quotidie discitur.

4. Historia ergo Regum, quia eo spiritu condita, quo & cetera Scripturæ sanctæ volumina cognoscuntur, non debet credi eis esse minor sacramentis, quibus non est inferior titulo auctoritatis. Nam omnes scriptores ejus Prophetæ fuisse referuntur: qui cum historica narrant, spiritualia signant: exteriora loquuntur, & intima innuunt: terrena promunt, ut cælestia exequantur. Unde & hic liber primus & secundus ejusdem historiæ, ad hoc Prophetæ Samueli adscribitur, ut ex auctoris titulo sentiatur historia, quam scribit, non tam historia, quam prophetia: simplex veraque littera, sed alta nimis, & multiplicitate occultorum sensuum profunda. Nos autem de tanto ejus pondere pro modo pusillitatis nostræ assumimus ferenda, quæ possumus. Nam cum suavis sit in superficie litteræ, altior in typis allegoriæ, moribus instruendis utilis, lucida in exemplis exhibendis, in locis tamen singulis & historica asserere, & typica proferre, & conferre moralia, & proponere exempla refugio: quamquam alia sub uno intellectu, adjuvante Domino, sim expositurus, alia vero sub pluribus. Maxime cum his temporibus scribendi operam dare censuerim, in quibus dum cordibus quorumdam Ecclesiasticorum virorum vetus sollicitudo mundanæ intentionis immergitur, nova scribendi studia, eo esse superflua judicant, quo & doctorum venerabilium abundare vetera non ignorant. Qui nimirum ratione convincendi essent, nisi signum calumniæ, exposita fronte, prætenderent. Nam qui nova velut nova contemnunt: illa quæ probant vetera, curarum secularium saturitate fastidiunt. Quos sane plures sub unius denotatione Scriptura exponit, dicens: *Anima saturata calcabit favum.* Favus quippe mel novum continens. Quasi ergo dicat: Dum terrenarum rerum cura immoderatius pascitur, in

Regum historia ceteris Scripturis, nec sacramentis minor, nec auctoritate inferior.

Libri Reg. primus & secundus Samueli adscribuntur.

Uterque prophetia est potius quam historia.

Prov. 27. 7.

ea

a Giloe. *debuissent.*

b Matinus mons est Calabriæ. *Horat. Epod. 16.*

——— *quando*

Pudus Matino invenit carmina.

ea quæ valde placere solet, recenti Scripturarum dulcendine non lætatur. Sed quia hujus sacræ historiæ commenta veterum nulla reperiunt, rectius agunt, si opus nostri laboris ex caritate, quia ad utilitatem parvulorum sanctæ Ecclesiæ impenditur, amplectantur, & pro reprehensionum molestia, nobis in tanta Scripturæ profunditate velut altissimo pelago laborantibus, præsidia orationum ferant. Hinc nimirum nostri sudoris fructum suum faciunt: quia dum ex benignitate diligunt, ad æternæ remunerationis sibi cumulum vertunt, & quod tantis temporibus tam clausa & inexposita Scriptura ad communem intelligentiam ducitur; & quod parvuli sanctæ Ecclesiæ dum in veteris Scripturæ tegminibus novæ religionis splendorem suscipiunt, in profectu suæ devotionis adjuvantur.

Qua lege scriptor vet. Patres sit secutus.

5. Sed quia in diversis sanctorum Patrum operibus, diversa hujus historiæ testimonia inveniuntur exposita, notare lector debet: quia aliquando eorum sensus tractando subsequor, aliquando autem enodare historiam aliter insudo; ut & opus, quod spe divinæ inspirationis aggredior, & antiquorum patrum auctoritate sit validum, & lectori nequaquam fastidiosum: dum inter ea, quæ novit vetera, ea etiam ei quæ non novit, nova repræsentat. Ad quam profectò sententiarum pronuntiationem aliquando ex necessitate ducor: quia & patres venerabiles si seriatim cuncta exponerent quæ ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis, quam tenere visi sunt, observare nequaquam potuissent. Dum igitur sanctorum patrum intellectus prætereo, necessitate aliquando, aliquando commoditate utor: quia & fastidium lectori amoveo, & dum totum seriatim discutio, multa ex mediis contra me veniunt, quæ illorum sequi sententias non permittunt. In quo sane opere lectorem flagito, ut non verba ex eloquentium oratorum sanctæ Ecclesiæ comparatione consideret, sed sententiarum intellectus ex Ecclesiasticæ disciplinæ rationibus penset: quia etsi juxta Dei prohibitionem in ejus domo nemus plantare nescio; regulam tamen, qua sancta Scriptura fideliter exponitur, in nullo derelinquo. Sed & ubi A minus placet, quod peritus lector invenerit, consideret quod dum spiritalem historiam & altis sensibus profundam, velut magni pelagi procellas nauta peregrinus aggredior, reprehensibile valde non est, si gubernaculum dicendi pulchre non ducitur, cum spumantes undarum vertices irruunt, qui peritissimum regimen sæpe solvere clavum cogunt. Sic sic nimirum, nec silvosa colere devotus arator ingrediens, rectas sulcorum disponit lineas, si ea prius reducto vomere sæpius non rescindat: quia artem facilitas nulla sequitur, si eamdem arandi peritiam consuetudo culturæ præire nulla videatur. Verum nec planitiem historiæ quis hac æstimatio- B ne consideret; quia plerumque tanto difficilius ad spiritalium sensuum secreta pertingimus, quanto in litera planiori secretorum aditum situm longius videmus: & eo ejus tangere summa non possumus, quo gradus est inferior, unde tangere summa cogitamus. Quid enim est intellectus divinitatis, nisi ineffabilis quædam summa celsitudinis? Et quia omnipotens Deus per Scripturas agnoscitur, quid est eadem sacra Scriptura, nisi gradus quidam, qui conscenditur ut illa sublimitas contingatur? Quoties ergo historia planior est, sed altior intellectus; quid est aliud, nisi quia talem gradum illa sublimitas habet, à quo facile contingi non C potest? Si ergo aliquid indecens etiam in planioris historiæ explanatione lector inspexerit, tanto benignius dare veniam poterit, quanto rationabilius agnoscit, quia dum a plano quod cernitur, ad illa sublimia ultra non tendimus, facile vacillamus. Priora igitur voluminis, quia tam sanctæ Ecclesiæ sacramenta continent, quam mores electi hominis demonstrant, positi in studio bonæ conversationis, sub utroque intellectu sigillatim edissero: ut cum in actibus veterum, novæ fidei rationes agnoscimus, in eis etiam conversationis nostræ ædificationem capiamus. Sed & quia in salute fidelium fides operibus prior est, typicam signifi- D cationem, velut solidum fundamentum, præmittimus, cui totius suscepti operis fabrica in morali, vel historica expositione imponatur, vel subsequatur.

Scriptura sacra gradus est ad Deum.

Hoc in opere non quærenda oratorum eloquentia.

Deut. 16.21.

Typicum sensum cæteris præmisit interpres.

EXPOSITIONUM

IN LIBRUM PRIMUM REGUM,

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Lib. 1. Reg. Cap. 1. v. 1.

Fuit vir unus de Ramatha Sophim, de monte Ephraim, & nomen ejus Helcana, filius Hieroboam, filii Heliu, filii Thau, filii Suph, Ephrathæus.

Alleg. sensus.

His verbis Christus designatur.

Vir a virtute dictus.

1. QUem ergo vir iste nobis insinuat, nisi Dominum ac Redemtorem nostrum, qui & in infirmitate nostræ carnis apparuit, & tamen eamdem susceptæ naturæ infirmitatem vitæ remissioris blanditiis non subegit? Vir quippe a virtute nominatur: Homo autem in Paradiso conditus, bellum cum apostata Angelo habuit, cui tamen per conditionalem virtutem resistere non curavit. E Fortis ergo conditus, sed hosti enerviter subjugatus, vir non fuit ex congressione, qui fuit ex munere. Sic itaque factus est fortis, ut damnata humana natura, victori hosti prævalere non posset, si hanc ille non assumeret, qui supra homines extitisset. Factus est itaque prœliator noster, Conditor noster. Sed utrum vir fuerit, noscitur, si ex ostensa virtute consideretur. Assumsit nostram naturam, quæ dum in ipso vinceret, nobilitatem conditam repararet, & fieret in Redemtore infirma valida, quæ in Adam facta fuerat fortis infirmà. Cui nimirum, dum jejunaret, in eremo tentator adfuit, antiquæ victoriæ suæ tela reparavit,

Matth. 4. v. 1. &c.

Antiqua diaboli tela gula & elatio.

gulæ, elationis, ac superbiæ jacula intorsit: sed eum sibi per omnia resistentem reperit. Vir ergo claruit per victoriam, qui fortem jam victorem apostatam Angelum superans, non ei potentiam suæ divinitatis exhibuit, sed infirmitatem humanitatis. Hunc virum Propheta Jeremias considerans, ait: *Femina circumdabit virum*. Hunc Zacharias monstrat, dicens: *Ecce vir, Oriens nomen ejus*. Hunc beatus Petrus Apostolus Judæis prædicans, dicit: *Jesum Nazarenum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis: hunc præfinito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes, interemistis*. Hinc eidem Redemtori in via colloquens Cleophas, ait: *De Jesu Nazareno, qui fuit Propheta, potens in opere & sermone*. Vir etenim fuit, qui & in hoc mundo ab Ecclesia expulit antiquum hostem & in inferno, moriens, alligavit. Et quia qui moriens inferni vires comminuit, resurgens nobis aditum reseravit æternitatis, magnitudinem virtutis suæ non solum vivendo monstravit nobis, sed etiam moriendo & resurgendo. Quia ergo Redemtor noster per humanitatem, quam assumsit, magnæ virtutis opera egisse cognoscitur, recte is, qui eum typo significat, vir fuisse perhibetur.

Jerem. 31. 22.
Zach. 6. 12.
Act. 2. v. 22. & 23.
Luc. 24. 19.

2. Sed quærendum est, cur dicatur *vir unus*. Nam si unitas hæc referatur ad numerum, superfluum videtur: unusquisque enim unus, & non duo, est. Et sanctus Samuel, a quo ista scribuntur, contra morem scriptorum sanctæ Ecclesiæ frustra inchoasse nullatenus credendus est. Nam scriptor illius voluminis, cum beati Job vitam ad exemplum fidelium duceret, sic exorsus est: *Vir erat in terra Hus, nomine Job*. Evangelista etiam Lucas, cum in principio sui Evangelii justi sacerdotis præconia diceret, ait: *Fuit in diebus Herodis regis sacerdos nomine Zacharias*. Nam nec ille ait: Vir unus; nec Evangelista: Fuit sacerdos unus. Quid est ergo quod electus Propheta contra usum scriptorum, scribendi tale cœpit exordium? Sed quia non solum scriptor erat, sed etiam Propheta, noverat de quo historia diceret: & qui per historiam dicebatur, noverat quem signaret. Quod ergo de historia præter usum narrat historiæ, hoc ad usum catholicæ fidei, in intellectu loquitur allegoriæ. Unde & hac nova consuetudine, simul tota confitetur Ecclesia, [a] quia, *Deus & homo unus est Christus*. Dicit ergo: *Fuit vir unus*: quia de Deo homine loquebatur, ut deitatem, & humanitatem ejus assereret, & non aliam suscipientis verbi, & suscepti hominis personam, sed Dei & hominis unam, eamdemque esse apertius demonstraret: quæ tamen unitas, ad excellentiam dignitatis ejus referri convenienter potest. Nam etsi Redemtorem alium sancta Ecclesia non habuit, ex virtutis ostensione viros nonnullos habuit. Dum ergo unus dicitur, incomparabilis demonstratur.

Cur Christus, vir unus.
Job 1. 1.
Luc. 1. 5.
In Christo non alia suscipientis verbi, alia suscepti hominis persona.

3. Nam æqualem non habuit, qui dum humano generi excellenti vita, & verbo consuluit, singulari munere dare potuit dona Redemtionis. Unde & Paulus ait: *Abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes: in vita regnabunt per unum Jesum Christum*. Hanc excellentiæ suæ dignitatem per semetipsum Judæis improperans, ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Excellentiam quoque pulchritudinis ejus Psalmista considerans dixit: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*. Singulare bonum Redemtionis Isaias in eo testificans, ait: *Vere languores nostros ipse tulit, & iniquitates nostras ipse portavit*. Singularem quoque dignitatem ejus, æternus genitor ostendens, a magnifica gloria clamavit dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Unus vir erat, quem Petrus confitens, ait: *Non est aliud nomen datum sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri*. Hanc excellentiæ ejus magnitudinem Paulus asserit, dicens: *Dominus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Et quia excellentia virtutis ejus non solum electos homines, sed etiam cunctos beatos Angelos superat, Hebræis hunc prædicans Paulus, dicit: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*. Recte ergo vir unus dicitur, cui nemo comparatur. Sed quem tantum agnovimus, audiamus jam unde esset.

Christi præcellentia.
Rom. 5. 17.
Johan. 15. 24.
Ps. 44. 3.
Isa. 53. 4.
Matt. 3. 17. & c. 17. v. 5. 2. Pet. 1. 17.
Act. 4. 12.
Philip. 2. 9.
Hebr. 1. v. 3. 4. 5.
Ps. 2. 7.
2. Reg. 7. 14.

4. *De Ramatha Sophim, de monte Ephraim*. Ramatha, Sophim, & Ephraim, Hebraica nomina sunt, quorum primum in lingua nostra sonat, Visio consummata: secundum vero, Specula: tertium denique, Frugifer, sive fructificans, interpretatur. Quæ autem est visio consummata, nisi Dei omnipotentis cognitio perfecta? Hanc profecto consummatam visionem doctor Gentium insinuat, dicens: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. Et quid specula, nisi illa Angelorum sublimitas intelligitur? Specula quippe in sublimi, ad clariorem visionem eligitur. Ramatha autem Sophim recte dicitur: quia illa Conditoris nostri perfecta cognitio, a solis illis beatis civibus haberi potest, qui in superna illa sublimitate consistunt. Jubar quippe æterni luminis in sui plenitudine, non in imo præsentis exilii, sed de statu respicitur æternæ sublimitatis. Unde bene Ramatha Sophim in monte Ephraim sita perhibetur. Quis est enim mons Ephraim, nisi cælum? Mons quippe est frugifer, qui æternæ pulchritudinis flores, & fructus indeficientis gaudii, semper profert. Bene autem, & Ramatha, & Sophim in Ephraim monte sita perhibetur, quia illa omnipotentis Dei æterna visio, & altitudo illa civium beatorum, non in terra habetur, sed in cælo. De Ramatha namque se esse insinuans, ait: *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*. Hinc iterum dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater, & Patrem nemo novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. De specula, hoc est sublimis fuit, qui & Judæos increpans, dicit: *Vos de deorsum estis, ego autem de supernis sum: vos de hoc mundo estis, ego autem non sum de hoc mundo*. De monte Ephraim fuit, qui dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. De monte Ephraim eum fuisse Johannes Baptista affirmans, ait: *Qui de cælo venit, super omnes est*. Hinc Psalmista ait: *A summo cælo egressio ejus*. Hinc Gentium doctor ait: *Secundus homo de cælo cælestis*. Vir ergo, qui unus fuisse asseritur, de Ramatha Sophim de monte Ephraim extitit.

Visio consummata est perfecta Dei cognitio.
1. Cor. 13. 12.
A solis cæli civibus obtineri potest.
Johan. 10. 15. Matth. 11. v. 27. &c. Luc. 10. 22.
Johan. 8. 23.
Joan. 6. 51.
Johan. 3. 31.
Ps. 18. 7.
1. Cor. 15. 47.

a Indicare videtur confessionem seu symbolum fidei sub Athanasii nomine editum, quod in Ecclesia decantatur.

titisse perhibetur, quia qui inter omnes natus supra omnes enituit, inde tantus in terra apparuit, quia de cælo venit. De Ramatha quippe Sophim fuit, quia etsi incomparabilis hic refulsit, magnitudo tamen excellentiæ ejus non capitur, nisi ubi ejus perfecta cognitio æternis civibus exhibetur. Nam hic eum in excellentia virtutis aspexerat, qui dicebat: *Quod vidimus, & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*. Sed quia magnitudinem excellentiæ ejus non viderat, in Ramatha eam nobis repromittit, dicens: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*.

1 Johan. 1. 1.

1. Joan. 3. 2.

Mons fuit Maria, quæ Angelis omnibus excelsior.

5. Potest autem hujus montis nomine, beatissima semper virgo Maria Dei genitrix designari: mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit. Nam sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Mons quippe & domus apte dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinem, hanc divina fecunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, si in ejus ventre, per assumtam humanitatem, verbi divinitas non jaceret. Sed recte mons frugifer dicitur, de qua optimus fructus, id est novus homo generatur, quam certe in fecunditatis suæ gloria pulchram, ornatamque Propheta respiciens, ait: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*. De hujus namque montis fructu, David Deo exultans, ait: *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum*. Terra quippe fructum suum dedit, quia quem Virgo peperit, non concepit materiali opere, sed sancti Spiritus obumbratione. Hinc eidem regi, & Prophetæ a Domino dicitur: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Hinc Isaias ait: *Erit fructus terræ sublimis*. Nam quem Virgo genuit, non solum homo sanctus fuit, sed etiam potens Deus. De hoc fructu ad eamdem beatam Virginem, Elisabeth salutante, dicitur: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*. Recte igitur mons Ephraim dicitur, quæ dum ineffabili dignitate divinæ generationis attollitur, in ejus fructu, arida humanæ conditionis germina revirescunt. Vir igitur de Ramatha Sophim factus est de monte Ephraim: quia qui per divinitatis suæ potentiam Angelos condidit, de carne præcelsæ Virginis, formam suscepit humanitatis. Et quia per humanitatem, quam assumsit, non ex infidelibus, sed ex fidelibus nasci voluit, sequitur: *Filius Hieroboam, filii Helju, filii Thau, filii Suph*.

Isa. 2. 2.

Isa. 11. 1.

Ps. 66. 6.

Luc. 1. 35.

Ps. 131. 11

Isa. 4. 2.

Luc. 1. 42.

In Christo quatuor virtutum cardinalium præstantia.

6. Quatuor quippe patrum nomina assignantur; quia dum ex fideli populo Dominus carnem sumsit, eos per humanitatem patres habuit, quos totidem principalium virtutum gloria illustravit. Unde & non ad infidelem aliquem, sed ad fidelem Abraham divina promissione dicitur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*. Hinc Evangelista Matthæus generationis ejus ordinem texens, ait: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham*. Hinc per semetipsum Samaritanæ mulieri loquitur, dicens: *Salus ex Judæis est*. Hinc Paulus ait: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Quibus profecto, quia & prudentia adfuit in cognitione rerum: justitia, qua cognita disponere recta cuperent: fortitudo, qua exequi quæ vellent, bona potuissent: temperantia, per quam discrete cuncta perficerent, apte quaternario numero designantur.

Gen. 22. 18

Matth. 1. 1.

Johan. 4. 22.

Rom. 9. v. 4. & 5.

Christus arbor, cujus poma sunt electi.

7. Sequitur: *Ephrathæus*. Qui autem de Ephraim monte asseritur, cur Ephrathæus esse perhibetur? Sed hoc ad litteram patet, quia videlicet de Ephraim monte esse aliquis potuit, qui de tribu Ephraim natus non fuit. Dicitur ergo Ephrathæus, ut qui ex loco ostenditur, de stirpe etiam propaginis agnoscatur. Quia vero Ephrathæus fructificans dicitur, recte hoc personæ Redemtoris adscribitur, qui Prophetæ vaticinio prædicatur: *Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Nam in præfinita apparens plenitudine temporum, cælestis doctrinæ flores, in poma vertit electorum: & quotquot sibi conjunxit ex humano genere, quasi tot fructus protulit ad æternitatem: quo in loco dum Redemtoris vita describitur, latenter etiam diaboli perditio demonstratur. Nam de monte Ephraim fuit, & tamen Ephrathæus non fuit: quia de cælo quidem cecidit, sed arbor pessima bonum fructum non dedit.

Psal. 1. 4.

Qui habebat duas uxores, nomen uni Anna, nomen secundæ Phenenna: fueruntque Phenennæ filii, Annæ vero non erant liberi.

Vers. 2.

In duabus Helcanæ uxoribus, adumbratæ Synagoga & Ecclesia.

8. Quid per Phenennam, nisi Synagoga exprimitur? Et quid per Annam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Phenennæ quippe filii fuisse referuntur; quia cum Redemtor noster in carne apparuit, per Legem, quam dederat, per Prophetas, quos miserat, editos in fide Synagogæ filios invenit. Annæ autem non erant liberi, quia novitia tunc, & cælesti sponso nuper conjuncta sancta Ecclesia, prædicando adhuc nequaquam pariebat. Unde & ei ejusdem sponsi voce in Cantico dicitur: *Soror nostra parvula est, & ubera non habet*. Vel certe non pro inæqualitate ætatis filios non habuisse dicitur, sed per infecunditatem sterilitatis. Quæ est ergo sterilitas Annæ, nisi obduratio Judææ? Quæ enim dura corda Judæorum ad Redemtoris fidem convertere non potuit, nimirum sterilis fuit. Sed notandum, quia Phenenna, quæ prius parere dicitur, uxor secunda nominatur. Prius quippe synagoga in fide filios edidit, sed tamen dignitate sanctæ Ecclesiæ minor fuit. Secunda igitur uxor extitit, non tempore conjugalis copulæ, sed inæqualitate prærogativæ. Sequitur:

Cant. 8. 8.

Et ascendebat vir ille statutis diebus de civitate sua, ut adoraret, & immolaret Domino Deo exercituum in Silo.

Vers. 3.

Sancta Scriptura tot arma nobis ministrat, quot præcepta, & consilia.

9. Quæ enim spiritalis civitas Redemtoris, nisi Scriptura sacra extitit? Hæc nimirum civitas suis civibus tot defensionum munimina contulit, quot præcepta: tot arma eis præbuit, quot consilia salutis. Quid autem fuit Redemtori nostro ascendere, nisi in humanitatis forma, divinitatis suæ alta revelare? Et quia in sacra Scriptura cognoscitur,

de civitate sua recte ascendere perhibetur: Statuti vero dies sunt promissiones de se, in sanctis Scripturis positæ. Dies quippe sunt, quia ad cognoscendum eum, electis lucent. Statuti quoque dies sunt, quia ab antiquis Patribus in eodem sacro eloquio eos esse positos non ignoramos. Diem namque ascensus ejus præfigebat Moyses, cum dicebat: *Prophetam vobis suscitabit Dominus de filiis vestris, tamquam me ipsum audietis.* Diem quoque statuebat, qui dicebat: *Non deficiet sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Diem hujus ascensus statuens, ait Michæas: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Hinc Isaias ait: *Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quotquot enim de illo Legis, & Prophetarum promissiones sunt, tot statutos dies ad ejus ascensum intuemur. Nam velut in statutis diebus ascendebat, cum Judæis dicebat: *Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis æternam habere vitam, quia ipsæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Hinc iterum dicit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Statutis ergo diebus ascendit, quia promissionum insignia, quæ in sanctis Scripturis posuit, apparendo monstravit. Possunt autem statuti dies intelligi promissi in adventu ejus splendores miraculorum. Quos nimirum dies Propheta Isaias statutos intuens, ait: *Dicite pusillanimis: confortamini, & nolite timere; Ecce Deus noster ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient: tunc saliet, sicut cervus, claudus: & aperta erit lingua mutorum.* Sed qui dies statutos ad ascensum Redemtoris agnovimus, utrum in eis ascenderit, videamus. Requisitus namque a Johanne, si ipsum, an alium expectarent, respondit missis discipulis, & ait: *Ite & dicite Johanni, quæ vidistis & audistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes evangelizantur: & beatus homo, qui non fuerit scandalizatus in me.* Statutis ergo diebus ascendit, qui ut ab electorum suorum cordibus vetusti erroris caliginem pelleret, tot promissorum miraculorum splendoribus radiavit. Sed ascendit, ut adoraret, & immolaret, quia ad hoc cognosci voluit, ut moriendo redimeret, quos vivendo docuisset. Adoravit quippe, quia in exemplum electorum se Deo Patri totum humilem, & abjectum per obedientiam præbuit. Immolavit autem, quia qui nobis exempla humilitatis vivendo dedit, se Deo Patri in ara crucis oblationem, & hostiam tradidit, & quos vivendo docuit, moriendo redemit. Utrumque enim nobis valde necessarium novit, & ideo alterum sine altero non impendit. Nam cum natus esset in Bethlehem Judæ, eum fraude Herodes ad interficiendum quæsivit: sed si tunc Redemtor moreretur, immolaret utique, & non adoraret: quia victima moriendo fieret, sed quos morte debebat liberare, nequaquam vivendo docuisset. Et si vivendo nos docens, mori contemneret, profecto adoraret, & non immolaret. Ut ergo adoraret, persequentem se regem in Ægyptum fugit, & ut immolaret, dissuadenti Petro exprobravit, dicens: *Vade retro satana, non enim sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Adorare namque se insinuans, ait: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Hinc item dicit: *Quæ ei sunt placita, facio semper.* Immolare etiam se insinuans, ait: *Propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam, et iterum sumam eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam.* Et paulo ante: *Ego sum Pastor bonus, qui pono animam meam pro ovibus meis.* Immolare eum Paulus intuens ait: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Ascendit ergo, ut adoraret, & immolaret: quia ad hoc se tot miraculis ostendit, ut nos verbis & exemplis instrueret, & mortem nostram moriendo superaret.

Deut. 18. 18. — Gen. 49. 10. — Mich. 5. 2. — Isai. 7. 14. — Joh. 5. 39. — Ibid. v. 46. — Isai. 35. 4. — Luc. 7. 19. &c. — Christus in exemplum electorum humilis & obediens. — Matth. 2. 13. — Cur Christus Herodis gladium evasit. — Matth. 16. 23. — Johan. 6. 38. — Ibidem. 8. 29. — Johan. 10. 17. 18. — Ibid. v. 11. — Ephes. 5. 2.

10. Sed notandum, quia cum ad immolandum Ephrathæus ascendere dicitur, Deus omnipotens, cui immolat, Deus exercituum nominatur. Cur hoc fieri cognoscitur, nisi quia Redemtoris morte non onus Judaicus populus, sed omnes Gentes redimebantur? Quid enim sunt fideles multitudines nationum, nisi Dei omnipotentis exercitus? Hos nimirum exercitus ad regis sui triumphum Psalmista exultare cohortans, ait: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.* Hos convenire item intuens, dixit: *Omnes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, et honorificabunt nomen tuum.* Dicitur ergo Dominus exercituum, quia profecto per mortem Dominicam non solum electa Judæa colligitur, sed omnes gentes ad Dei omnipotentis servitium perducuntur: quæ dum contra occultos hostes fideles acies virtutum armis robustas ducunt, per gloriam triumphi ad superna regna perveniunt.

Christus non Judæorum tantum Redemtor, sed omnium etiam Gentium. — Psal. 46. — Psalm. 85.

11. Locus etiam immolationis declaratur, quia dicitur: *In Silo.* Silo enim missus, sive missio interpretatur. Quid namque per hanc missionem, nisi summi Patris injunctum unigenito præceptum obedientiæ designatur? quid est etiam quod in Silo immolare dicitur, nisi quia non aliter se morti dedit, quam a Patre mandatum habuit? Non quippe immolaret in Silo, si aliter moreretur, quam præceptum a Patre habuisset. Unde & per semetipsum dixit: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Hinc Paulus ait: *Factus obediens Patri usque ad mortem crucis.* In Silo igitur & adoravit, & immolavit: quia tam vivendo, quam moriendo, Patris sui voluntatem fecit. Sequitur:

Christo injunctum a Patre moriendi præceptum. — Johan. 14. 31. — Philip. 2. 8.

Erant ibi duo Filii Heli, Ophni, et Phinees, sacerdotes Domini.

Ibid.

12. De quibus recte quæritur, cur dicantur sacerdotes Domini, qui non valde inferius Belial filii esse [a] referantur? Sed si ad litteram simpliciter istud de Heli filiis quæritur, facile respondetur: quia eo tempore sacerdotes Domini dicti sunt, quando simulacrorum sacerdotes ex deorum falsorum nominibus censebantur. Cum ergo dicuntur sacerdotes Domini, per insignia fidei, a simulacrorum cultoribus discernuntur. His enim verbis eorum fides, & non vita prædicatur: quia & pravitatem exercebant operis, sed non errabant in fide Conditoris. Quod tamen & tempore divinæ incarnationis Judææ prælatis convenienter adscribitur. Qui nimirum sacerdotes duo esse referuntur, & hoc ipsum non refertur ad virtutis laudem, sed ad calliditatis reprehensionem. Unde & per semetipsum Dominus eis comminatur, dicens: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris videntur pulchra, intus sunt plena ossibus mortuorum.*

Ophni & Phinees, etsi pravi, sacerdotes tamen Domini erant. — Matth. 23. 27.

Sed

a Al. referuntur.

Sacerdotes Judæorum in Christum sæviendo, Dei consilium impleverunt.

13. Sed quid est, quod ibi esse referuntur? Si enim Silo, id est missio: illam summi Patris præceptionem significat, quomodo prælati Judææ ibi fuerunt, qui eum, cui injuncta fuit, non recipiendo venerati sunt, sed expellendo peremerunt? Ibi tamen fuerunt, quia etsi crudeliter sævierunt in mortem Domini, ex illa tamen crudelitate non sunt consecuti, quod sæviendo statuerunt, sed æterni Patris consilium in ejus unigeniti morte complebant. Consilium namque eorum fuit, ut eum ideo morti traderent, ne in ipsum populus credere potuisset: sed qui persecutores suos injunctæ sibi paternæ præceptionis adjutores habebat, mortuus resurrexit, & omnis mundus in eum credidit. Ibi enim erant filii Heli, Ophni, & Phinees, id est in missione: quia Redemtor noster ad implendam Patris sui voluntatem, Judæorum prælatos fautores habuit: quamquam ipsi se ei nequaquam favere crederent, quem occidere non pavissent. Unde & sequitur:

Vers. 4.

Venit ergo dies, & immolavit Helcana, deditque Phenennæ, & filiis, & filiabus ejus partes.

Helcanæ sacrificio Christi passio figurata.

Isai 53. 7.

14. Quem diem istum esse credimus, nisi quem Scripturæ sacræ testimonio Isaias statuit, dicens: *Tamquam ovis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram se tondente ᵃ obmutescet, & non aperiet os suum?* Venit quippe dies, cum claritas promissi oraculi tempus ostendit Dominicæ passionis. Tunc immolavit Helcana, quia se Redemtor noster æterno Patri in sacrificio nostræ absolutionis per mortem crucis obtulit. Tunc Phenennæ, & filiis, & filiabus ejus dedit partes, quia nimirum electos Judææ, quos apud inferos reperit, ad Paradisi gaudia reportavit. Partes quippe eorum, sunt dona gaudiorum perennium. Unde & Psalmista sortis suæ situm eligens, ait: *Portio mea Domine sit in terra viventium.* Bene autem seorsum Phenenna, & filii & filiæ seorsum in accipiendis partibus nominantur. Phenenna quippe doctores Judææ significat, filii vero validiores auditores ejus, filiæ autem infirmiores, ipsius subditos designant. Seorsum ergo mater, & filii, & filiæ memorantur: quia propter disparia electorum veterum merita, æqualia eorum præmia non fuerunt. Sequitur:

Pf. 141. 6.

Vers. 5.

Annæ autem dedit partem unam tristis: quia Annam diligebat.

Unica sponsæ Christi pars est temporalis afflictio.

15. Quid est, quod cum partes Phenennæ, & filiis, & filiabus dedit, tristis nequaquam fuit: cum vero partem unam Annæ tribuit, tristis fuisse perhibetur? Sed quid est una pars Annæ, nisi temporalis afflictio sanctæ Ecclesiæ? Hanc namque ei partem dabat, cum dicebat: *Amen amen, dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini.* Hanc partem ei dabat, cum Ananiæ Paulum commendaret, dicens: *Vade, quia vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel: ego enim ostendam ei, quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Unde in ejus acceptione idem doctor Gentium gloriatur, dicens: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in corpore meo.* Hinc iterum dicit: *Ego stigmata Jesu in corpore meo porto.* Hinc ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Unam quippe partem a sponso susceperat, qui gloriari in sola cruce disponebat. Cum ergo partes Phenennæ tribuit, Helcana tristis non fuit; quia Redemtor noster electos Synagogæ, post mortis triumphum, paradisi gaudiis jam lætus reddidit. Annæ autem partem tristis tribuit, quia non compati ei non poterat; quam morti conjugem relinquebat, & crucis heredem. Unde & patiente Stephano, apertis cælis, Jesus stare perhibetur. Stare enim ejus compati est.

Joh. 16. 20.

Act. 9. v. 15. & 16.

Col. 1. 24.

Galat. 6. 17.

Ibidem v. 14.

Ecclesia mortis conjux & crucis heres.

Act. 7. 55.

Crucem patientibus quanta retribuantur.

16. Quod autem subditur, *quia Annam diligebat*, utriusque rei causa intelligi convenienter potest. Nam sive hunc ideo tristem esse quis accipiat, quia Annam diligebat, sive idcirco ei partem unam tribuisse, a bono intellectu non vacat. Si enim non diligeret, compati ejus passionibus nequaquam vellet. Nam cur illa de Ægypto educitur, nisi quia ad passionem invitatur? Sed ei lacte, & melle emanantia loca promittuntur. Bene igitur cum ei partem unam dare dicitur, diligere eam perhibetur: quia nimirum Redemtor noster sanctæ Ecclesiæ, etsi crucis suæ laborem credidit, excellentiora ei valde in cælo constituit dona retributionis. Cujus nimirum passionis incrementa edisserens subdit, atque ait:

Vers. 6. & 7.

Dominus autem concluserat vulvam ejus. Affligebat quoque eam æmula ejus, & vehementer angebat in tantum, ut exprobraret ei, quia concluserat Dominus vulvam ejus.

Æmula Ecclesiæ Synagoga.

17. Vulvam quippe sanctæ Ecclesiæ Dominus clausit, quia summo ejus judicio repulsum Judæorum populum in Redemtoris nostri fide generare non potuit. Quam nimirum ejus æmula afflixit, quia contra eam Synagoga minis, atque exprobrationibus sævit. Sed ei, quam nec minæ, neque contumeliæ fregerant, etiam tormento pœnas inferebat. Bene itaque eam non solum affligere, sed vehementer angere perhibetur: quia repulsa Judæa, contra electam Ecclesiam cum terrore minarum, motus, & plagis cædit. Unde & de persequente tunc Saulo, in Apostolorum Actibus dicitur: *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum, ut si quos invenisset hujus viæ viros, vinctos perduceret in Jerusalem.* Qui enim minas, & cædes spirabat, nimirum eam, quam non bene æmulabatur, Ecclesiam non solum affligebat, sed etiam angebat. Nam ejus æmulum se fuisse fatetur, dicens: *Audistis enim aliquando conversationem meam in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Et quia in tantæ damnationis profundum Judæa cecidit, ut inde lætentur, quod æterna Dei animadversione projicitur, subjunctum est: *In tantum, ut exprobraret ei, quod Dominus conclusisset vulvam ejus.* Adhuc quippe pro magno habebat, quod converti ad fidem non prævalebit. Quasi ergo magnitudinem cæcitatis ejus Propheta admirans, ait: Tanta caligine erroris deprimitur, ut inde bonis insultet, quod ipsa bona fieri ultra non potest. Cui profecto pereunti quia sancta Ecclesia condoluit, sequitur:

Contra eam sævit.

Act. 9. v. 1. & 2.

Gal. 1. v. 13. 14.

Vers. 7.

Porro Anna flebat.

Rom. 9. 2. 3.

18. Nam & doloris sui lamenta protulit, dicens: *Tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo; optabam quidem & ipse anathema fieri pro fratribus meis a Christo, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Et quia de eorum conversione gaudium non recepit, subditur:

ᵃ Al. *Tondente sine voce non aperiet os suum?*

Quid Deus etiam remunerat quod sine profectu reprobis impenditur.

Et cibum non capiebat.

Cibum demque caperet, si de Judææ integra conversione lætitiæ refectionem habuisset. Quæ ergo flevit, cibum non accepit, quia quæ de pereunte Judæa doluit, de ejus salute gaudium non recepit. Sed cibus lætitiæ, quæ de Judæorum conversione non datur sanctæ Ecclesiæ, per sponsi cohortationem porrigitur. Nam verba prædicationis ejus, etsi auditores non recipiunt reprobi, non tamen vacant a mercede retributionis. Omnipotens enim Deus, & hoc remunerat, quod sine reproborum profectu reprobis impenditur: & quod electis prædicatoribus adversitatis ingerunt, per libram æqui examinis in lucro eis pensat retributionis. Unde apte subinfertur:

Vers. 8.

Dixit ergo ei Helcana vir suus: Anna cur fles? Et quare non comedis? Et quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior sum tibi, quam decem filii?

[illegible]

19. Quasi ergo per internæ inspirationis solatium menti doctoris Redemtor dicat: Frustra de amisso lucro prædicationis quereris, quæ eo abundantiorem fructum recipis, quo affectum caritatis etiam inimicis impendis. Inde igitur doles, unde gaudere debuisses. Et quia ipse est electorum præmium, interrogat dicens: *Numquid non ego melior sum tibi, quam decem filii?* Decem namque filios Anna pareret, si primitiva Ecclesia Judæorum populum sub decalogo Legis positum in fide genuisset. Et quia nonnulli prædicando prosint aliis, qui per multa displicent Conditori, ratione ostenditur, quia melior vir suus Annæ, quam decem filii sunt. Potest autem & per hoc quod cur fleat, inquiritur, ipsius Judææ perditio designari. Quasi dicat: Otiose plangitur, cui justorum prece nequaquam indulgetur. Cum ergo subsequenter interrogat: *Quare non comedis?* Profecto ei gaudium de conversione gentilitatis intimatur. Quasi ergo dicat: Cum orbem universum parere debeas, frustra non gaudes, quod ea, quæ projecta est, erroris tenebras non relinquat. Sequitur.

De Judæorum reprobatione consolatur Ecclesiam Gentilium conversio.

[illegible]

Surrexit ergo Anna, postquam comederat, & biberat in Silo, Heli sacerdote sedente super sella ante postes templi Domini: & cum esset amaro animo oravit ad Dominum flens largiter.

Inter adversa interna consolatione satiatur.

20. Quid enim fuit tunc sanctæ Ecclesiæ manducare, nisi cibum solatii divina cohortatione suscipere? Et bibere ei quid extitit, nisi de infusa sibi internæ consolationis suavitate gaudere. Nam si cibus confortat, potus exhilarat; cibum ergo sumimus, quando visis æternis præmiis, inter adversa roboramur. Et quasi post cibum bibimus: quia ubi se mens electi in æternorum bonorum [a] cogitatione roborat, eo copiosius gaudet inter magna adversa quæ sustinet, quo magnis laboribus ampliores repositas in cælo retributiones videt. Audax quippe superna refectione tunc reddita, vires renovat, ut tanto fortius terrena despiciat, quanto eam supernorum amor exaltat. Bene itaque postquam manducavit & bibit, surgere Anna memoratur. Surrexit namque, quia ad prædicationis instantiam animum reformavit.

Quale fuerit Judaicum sacerdotium & magisterium.

21. Et quia Judaicus populus adhuc sacrificiorum ritus, adhuc & honorem legalis magisterii, & sublimitatem pontificalis dignitatis habebat, super sellam Heli sacerdos sedere perhibetur.

a Gilot. *fructu roborat*.

b Eadem dicit Bernardus in Tract. de diligendo Deo, cap. 11. col. 597. & 598. novæ editionis.

A Quod tamen Legis magisterium, quia non spiritaliter, sed carnaliter exhibere poterat, non intra templum, sed ante postes templi sedebat. Quid est enim templum Domini, nisi spiritalis Intelligentia sanctarum Scripturarum? Postes autem templi sunt Lex & Prophetia. Unde & in monte Dominus in medio Moysi & Heliæ transfiguratus apparuit: quia tunc divinitatis ejus splendor aspicitur, cum non in occidente littera, sed in spiritalis Legis & prophetiæ significatione, ejus sacramenta requiruntur. Heli ergo sedebat ante postes templi, id est foris, quia doctores synagogæ a spiritali Scripturarum intelligentia expulsi erant, & tamen in subversione subjecti populi auctoritatem habebant magisterii, & dignitatem prælationis. Anna autem amaro animo flevisse scribitur.

Matth. 17. 3. Luc. 9. 30. 2. Petr. 1.

Ecclesiæ gaudium & luctus.

22. Et quia potum Annæ ad lætitiam retulimus sanctæ Ecclesiæ, quæ lætari ostenditur, amaro animo flevisse quomodo narratur? Sed rationabiliter intelligi potest, quia ad lætandum hanc contemplatio supernæ retributionis extulerat, & compassio repulsæ Judææ in amaritudinem animi afficiendo concitavit. Inter turbines quippe magnæ persecutionis deprehensa, revelatis sibi supernis præmiis, exultavit, sed in amaritudinem incidit, quia electum prius populum perire conspicit. Unde & orans largiter flere describitur, ut tantæ affectionis munere, populi sui salutem a Domino impetrare potuisset. Potest & hoc totum aliter intelligi. Nam in Silo, id est in ministerio, quo missa est, manducavit; quia etsi omnem Judæorum populum lucrifacere non potuit, plures tamen ex eo ad Redemtoris fidem prædicando convertit. Unde & prædicante Petro, una die quinque millia hominum, altera vero, tria millia crediderunt. [b] Et quia quod bibimus, facilius glutire possumus, quam quod manducamus, manducavit Anna & bibit, quia difficile alios, alios vero facile prædicando convertit. Nam & ad prædictam Petri prædicationem plura millia uno momento crediderunt, sed Paulus non ante credidit, quam ipsis prædicatoribus per minas, & cædes vehementer obstitit. Postquam autem manducavit, & bibit in Silo Anna, surrexit: quia ut eos, qui erant prædestinati ad æternam vitam, de Judæa abstulit, sese ad prædicationem Gentium præparavit. Sed qualem gignere appetebat, ostenditur per hoc, quod additum est:

Plurimos ex Judæis lucratur.

Act. 4. 4. Act. 2. 41.

b

Vers. 11.

Et votum vovit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ, & novacula non ascendet super caput ejus.

Quos parit Ecclesia, fortes esse cupit.

23. Quid est, quod Anna virilem sexum a Domino postulat, nisi quia eos, quos sancta Ecclesia parere prædicando appetit, Evangelica perfectione fortes esse concupiscit? In comparatione quippe Evangelicæ perfectionis, opera illa Legis, quæ videbantur fortia, non fuerunt fortia, sed infirma. Ibi enim mandatum est: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* In Evangelio autem Dominus præcipit, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Ibi [c] immunditia fornicationis a corpore reciditur, ut fortitudo conversationis, quasi virili sexu præcellat, etiam

Levit. 19. 18.

Matth. 5. 44.

c

a

c Quædam hic deesse videntur. Legendum fortasse: *Ibi immunditia fornicationis a corpore reciditur: hic, ut fortitudo, &c.* ut scilicet ostendatur Legis Evangelicæ ac Mosaicæ discrimen.

Matt. 5. 28. Evangelica lex mulata longe perfectio.

a corde immunda cogitatio resecatur, *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Sinagoga igitur, quæ infirmitate præceptorum Judaicum populum genuit, non peperit sexum virilem, sed potius muliebrem. Anna itaque dum virilem sexum sibi dari a Domino postulat, quid aliud exoptare cernitur, nisi tales per Evangelium gignere, qui fortes appareant, & exteriori munditia corporis, & interna caritate?

Quos genuit prædicator Deo dat, qui da eorum generatione nihil sibi tribuit.

24. Et quia de conversione Gentilium humanam gloriam prædicatorum ordo non appetit, subjectum est: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ*. Domino namque filium dat, qui de eo, quem prædicando gignit, aliquid suis laudibus non usurpat. Omnibus quoque diebus vitæ suæ hunc Domino tribuit, qui de virtutibus, in quibus subditus meliorando proficit, propriis favoribus nihil adscribit. Dies namque vitæ electi subditi sanctæ virtutes sunt, quæ ejus animam coruscando illuminant, ne in via cælestis patriæ vitiorum nocte tenebrescat.

Subditorum bona temporalia non ambiat.

25. Sed perfectus ordo prædicatoris, dum favores de lucro prædicationis habere despicit, subditorum temporalia bona ambiendo, non tollit. Unde bene quoque illic subditur: *Et novacula non ascendet super caput ejus*. Novacula cum super caput ascendit, capillos radit. Quid enim per capillos, qui corpori superfluunt, nisi abundans terrenæ substantiæ copia designatur? Et quid per novaculam, nisi malorum Pastorum cupiditas exprimitur? Qua novacula nati filii caput raditur, cum bona subditorum per prędicatorum cupiditatem rapiuntur. Hinc namque & delinquenti Judææ per Prophetam dicitur: *Pastores tui lupi vespere non relinquentes in mane*. Vespere namque pastores lupi fiunt: quia intenebrescente, atque decrescente in fine isto seculo, rapere subditorum dona non metuunt. Qui in mane non relinquunt, quia dum temporalibus inhiant, inalbescente adventu futuri judicii, danda sibi præmia non reservant. Quos nimirum Michæas denotat, dicens: *Prophetæ, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium*. Prophetæ quippe populum Domini seducunt, cum prędicatores reprobi auditorum suorum judicia confundunt. Et mordentes dentibus pacem nuntiant: quia in appetitu suę rapacitatis, dum terrena flagitiosorum dona suscipiunt, eis divinę indulgentię securitatem pollicentur. Super ipsos autem prælium sanctificant, qui in ore eorum aliquid non dant: quia justos etiam districtis sententiis terrent, qui eis pro voto terrena non exhibent. Qui nimirum super caput filii novaculam ponunt, dum prętextu caritatis cęlestia prędicant, ut eis terrena per cupiditatem tollant. Hanc certe novaculam, quod sancta Ecclesia in prędam subditorum non habeat, doctor egregius in semetipso ostendit; dicens: *Non quæro datum, sed quæro fructum*. Hinc item dicit: *Qui Evangelium annuntiat, de Evangelio vivat. Ego autem non sum usus hac potestate*. Qui enim necessaria non curat a subditis alimenta percipere, ostendit plane, qua mundani contemtus sublimitate, lucra turpia, & illicita dona confutaret. Anna igitur dum novaculam non ascensuram super caput filii vovet; aperte mores sanctę Ecclesię insinuat, quę ad ęternam vitam electos loquendo parturit, sed temporalia bona eorum per avaritiam numquam tollit. Sed quia hoc de Anna adhuc vovente, & non pariente dicitur, apte subinfertur:

Soph. 3. 3.

Mich. 3. 5.

Flagitiosorum dona non suscipienda.

Philip. 4. 17.

1. Cor. 9. v. 14. & 15.

Vers. 12. *Factum est autem, dum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus*.

Assidue Ecclesiæ preces prædicationi insidiatur Synagoga.

26. Quid fuit sanctę Ecclesię pro pariendi desiderio preces coram Domino multiplicare, nisi assiduis orationibus pro convertenda Synagoga insistere? Et quid Judaico sacerdotio os ejus observare, nisi prædicationi sanctæ Ecclesiæ insidiari? Os namque ejus observavit, quia rectam prędicationem fidei reprehendere vehementer studuit. Bene autem tunc os ejus observasse dicitur, cum illa preces multiplicaret: quia tanto callidius ei nocere studuit, quanto majora ejus desideria in prędicationis instantia recognovit. Denique os ejus non observaret, sed attenderet, si prædicationem fidei nostrę ad salutis suæ fructum audire voluisset. Sequitur:

Vers. 13. *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia ejus movebantur, & vox penitus non audiebatur*.

Quid sit cor Ecclesiæ.

27. Quid est aliud cor sanctæ Ecclesię, nisi ea quę intra se est, devota, & erudita beatitudo fidelium? In corde autem suo Anna locuta est: quia sanctę Ecclesię prędicatio eis tantum profuit, qui vero lumine illustrandi erant ex divina prædestinatione. Quid vero est motus labiorum, nisi signorum promotio in sanctis prędicatoribus? Qui profecto, etsi velut foris loquentia labia, & in imo stare videbantur, dum cęcis visum, auditum surdis, vitam mortuis dabant, magnos utique meritorum motus exhibebant. Unde & illud ingens labium sanctę Ecclesiæ, dum loquens velut in imo stare videretur, quia non solum verbo, & conversatione humilis erat, sed & signorum potestate sublimis, ut motus sui, usque ad cęlum se extulit, dicens: *Nostra conversatio in cælis est*. Heli itaque tantum Annę labia mota conspexit, & vocem penitus non audivit: quia [a] Judaicum sacerdotium opera Apostolorum miratum est, sed ex eorum prędicatione non est promotum in salutem. Vox itaque Annę non audiebatur, quia etsi signorum ostensione sancta Ecclesia mirabilis erat, dum prędicationis verba protulit, ad amorem Redemtoris extraneos accendit. Sed quid de ea sentiat Heli, quam non intelligit? Sequitur:

Philip. 3. 20.

Judaici sacerdotes, Apostolorum opera mirati sunt, nec tamen conversi.

Ibidem. *Æstimavit eam igitur Heli temulentam*.

Spiritualis Ecclesiæ ebrietas, qua mutatur cor, mens alienatur.

Act. 2. 4.

28. Hoc nimirum etiam juxta historiam Actuum Apostolorum agnovimus, quia diebus Pentecostes sancti Apostoli ebrii crediti sunt, cum accepta sancti Spiritus plenitudine, Christi magnalia omni lingua loquerentur. Spiritualiter autem sancta Ecclesia ebria creditur, quam Judæa non ęstimat vera asserere, sed hæretica, & falsa prędicare. Ebria tamen erat, non potatione erroris, sed repletione Spiritus sancti. Etenim mutare cor, mentem alienare consuevit ebrietas. Mutato autem corde pergebat, qui nuper domos intrans, fideles quosque minis terrens, cędibus lanians, jam eum, quem persecutus Jesum fuerat, verum esse omnipotentis Dei filium prędicabat. Unde & superioris sensus insaniam sese perdidisse glorians, dicit: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*. Aliud cor se accepisse testificans, ait: *Nos autem sensum Christi habemus*. Unde & tanto attentius prędicabat, quanto in sensu Christi vim majoris dilectio-

Act. 9. v. 5. & 20.

1. Tim. 1. 13.

1. Cor. 2. 16.

a In editis, *Judaicum sacerdotium opera Apostolorum miratur est, sed, eorum prædicatione non est promotus,* &c. quod retinere non potuimus;

nis acceperat. Sed dum ardenter sancta Ecclesia diligeret, dum fiducialiter ea, quæ diligebat prædicaret, Judæorum sacerdotium ejus verba in onere impatientiæ, non in suavitate devotionis habuit. Quare & sequitur:

Vers. 14. Videm.

Dixitque ei: Usquequo ebria eris?

Et quia ei silentium indicere tentavit, adjunxit:

Ecclesiæ constantia & libertas.

Digere paulisper vinum, quo mades.

29. Vinum quo madebat Anna, digereret, si a fervore prædicationis sancta Ecclesia Judæorum minis victa, tenuisset. Et quia ultro prædicationis sensum ei subtrahere nitebantur, vinum Anna paulisper digerere jubetur. An non digerere Annam Heli tunc jussit, cum Judæorum principes, cæsis Apostolis denuntiaverunt, dicentes, ne ultra loquerentur in nomine Jesu? [a] Sed quia illud, quo madebant, digerere vinum noluerunt, respondentes, dixerunt: *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus*. Et iterum: *Non possumus quæ vidimus, & audivimus non loqui*. Sed quia sancta Ecclesia inter verba libertatis, virtutem mansuetudinis custodivit, sequitur:

Act. 5. 29. Ibid. 4. 20.

Vers. 15. Mansuetudinis comparatio.

Nequaquam, Domine mi.

30. Dominum namque vocavit, cui ministerium prædicationis exhibuit, sed Dominum vocans, ebriam se esse abnegat, ut superiori ordini ex humilitate se subderet, & falsæ objectioni ex veritate contrairet. Dominum namque eum vocans, honoravit; & ebriam se esse abnegans, quod non erat, satis humiliter ostendit. Potest autem ebrietatis objectio erga sanctam Ecclesiam aliter accipi. Nam dum ministerio Evangelicæ prædicationis insisteret, dum ex lucro credentium, in magnam populorum gloriam veniret, etiam sacerdotes Judæorum non putabant æternorum bonorum culmen appetere, sed terrenæ sublimitatis gloriam desiderare. Dum ergo ebria vocatur, everso statu mentis, cælestia postponere, & appetere terrena reprehenditur.

Ecclesia terrena contemnit.

31. Sed quæ labentia bona seculi [b] despexit, dicit: *Nequaquam domine mi. Nam mulier infelix nimis ego sum*. Quasi dicat: Tu me labentis mundi felicitatem appetere cogitas, sed ego tanto infeliciorem me video, quanto felicitatis meæ gaugia hinc longius recognosco: Quia vero illic me futuram felicem credo, hic eo valde me infelicem arbitror, quo ad gloriam nullam concupisco. Mulier quippe sancta Ecclesia dicitur pro fecunditate, infelix nimis pro fortitudine; quia & orbem verbo paritura erat, & orbis gloriam non posset perfecte despicere, si non eam supernus amor, mira fortitudine roboraret: vel nimis infelix fuit, quia de perditione populi sui non parum doluit. Quam profecto sapiens Salomon vehementer admirans, ait: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quo in loco etiam notandum est, quia non dicit mulier infelix, sed nimis ego sum. Nimis namque infelix fuit, cui nullum de seculo blandimentum placuit. Vel certe nimis infelicem se asserit, quæ se ab æternæ vitæ gaudiis expulsam, per primæ culpæ meritum meminit, ad quæ redire non prævalet, nisi per multas vitæ hujus tribulationes. Non enim nimis infelix existeret, si ad perdita paradisi gaudia sine præsenti tribulatione reverti potuisset. Hinc namque Paulus, nimiæ hujus infelicitatis ærumnam inevitabilem ostendens, dicit: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*. Ac si ergo detrahenti sibi Judaico sacerdotio, sancta Ecclesia respondens, dicat: Tu mihi regnum adscribis in felicitate temporis, sed meum illud est, ad quod non pertingitur, nisi ex afflictione multæ tribulationis. Sequitur:

Prov. 31. 10.

Act. 14. 21.

Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibi.

Ibidem. Ecclesiæ innocentia.

32. Vinum namque non bibit, quia de prædicationis officio temporalia lucra non petit. Aliud quod inebriare potest, non bibit, quam in lapsum vitiorum, carnis concupiscentia non evertit. Juxta superiorem vero sententiam vinum non bibit, quæ aliquid pravitatis hæreticæ non habuit in refectione. Aliud quod inebriare potest, biberet, si de verbi facundia decepta tumuisset. Quia vero recta intentione vera docuit, subdens, ait:

Sed effundi animam meam in conspectu Domini.

Ibidem. Quid sit animam in conspectu Domini effundere.

33. In conspectu namque Domini animam effundere, est conceptam in mente verbi Dei scientiam, pro solo Conditoris amore prædicare. Anima quippe effunditur, cum innatus verbi Dei intellectus, ad utilitatem audientium divulgatur. Quisquis enim pro humanis favoribus, quisquis pro terreno commodo, verbum Dei prædicat, quia res alia de prædicatione attenditur, in conspectu Domini verbum illud animæ non profertur. Quare & doctor Gentium asserit, dicens: *Non sumus, sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed sicut ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur*. Anna ergo in conspectu Domini animam suam effudit; quia sancta Ecclesia in virtutum omnium culmine perfecta, in eruditione fidelium magna facundiæ verba protulit; sed ex vitæ verbis soli Deo placere desideravit. Cujus prædicationis etiam ministerium commendat, dicens:

2. Cor. 2. 17.

Ne putes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris & mœroris mei locuta sum usque in præsens.

Vers. 16.

34. Quasi dicat: Quæ tibi æternæ vitæ bona loquitur, velut [c] idololatra despici non meretur. Ancillam quoque suam se esse asserit, ut cognoscat ex nomine ministerii, quis ad æterna ei appetit lucra famulari. Sequitur: *Quia ex multitudine mœroris & doloris locuta sum usque in præsens*. Quasi apertius loquatur, & dicat: Hinc agnosce, quod nihil a malo spiritu habeam, quia ex multa pœna persecutionis, ad loquendum venio, & prædicationis instantiam, nullis pœnis victa derelinquo. Potest etiam dolor Annæ ad affectionem sanctæ Ecclesiæ, mœror ejus referri ad passionem. Ex multitudine quidem [d] doloris locuta est, quæ pereunti Judaico populo, verbum prædicationis protulit ex affectu compassionis. Quod Paulus insinuat, dicens: *Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo: optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis a Christo, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ*. Sed qui se ex multitudine doloris loqui insinuat, an ex multitudine loquatur, dicat: *A Judæis quinquies quadragenas, una minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum*. Sancta vero Ecclesia patienter adversa tolerans, humiliter innocentiæ, & veritatis suæ virtutem manifestans, quibusdam Judææ sacerdotibus bonum prædicationis suæ loquendo persuasit. Quare & subditur:

Unde Ecclesiæ dolor.

Rom. 9. v. 1. 2. &c.

2. Cor. 11. 24.

Tunc

a Gilot. Sed qui.
b Gilot. despiceret.

c Gilot. & Vatic. idolatra.
d Deest doloris, in editis Regiis: tamen ex sola lectione liquet.

Vers. 17.

Tunc ait Heli: Vade in pace, det tibi Deus Israel petitionem quam rogasti eum.

Pars Jud. sacerdotum obstitit fidei, aliis impugnantibus.

35. Prius quippe Heli oranti Annæ prolatis contumeliis contradixit, postea vero in ejus sibi devotione complacuit. Quid est hoc, nisi quod Judaicum sacerdotium, & per alios sui officii ministros prædicanti Ecclesiæ obstitit: & per alios cognitæ demum fidei nostræ veritati consensit? Nam de obsistentibus dicitur, qui cæsis denuntiaverunt Apostolis, dicentes, ne ultra loquerentur in nomine Jesu. De consentientibus autem, idem Lucas meminit, dicens: *Plurima turba sacerdotum obediebat fidei*. Tunc ergo Heli pro voto fecunditatis Annæ precatus est, cum sacerdotum plurima illa turba fidei obediens, per prædicationem sanctæ Ecclesiæ electorum numerum multiplicari desideravit. Quam certe in pace ire optavit: quia fructum prædicationis eam desideravit consequi, sine dolore passionis. Et quia in eorum voto sancta Ecclesia sibi complacuit, sequitur:

Act. 5. 40. Ibid. 6. 7.

Vers. 18.

Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.

Quasi dicat: Juxta intuitum desiderii tui, opus ministerii mei subsequatur gratia divinæ dispensationis. Sequitur:

Ibidem.

Et abiit mulier in viam suam, & comedit, & bibit: vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati.

Multos fructus tulit apud Gentes, Evangelii prædicatio.

36. In viam suam mulier abiit: quia sancta Ecclesia verbum fidei Gentibus prædicavit. Quod & Apostoli Judæis comminantes, dicunt: *Quia indignos* [a] *vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes*. Quæ bene mulier tunc dicitur, cum recedit, quia per prædicationem Redemtoris, exhibitura erat in Gentibus fructum magnæ fecunditatis. Comedit autem, & bibit, & tamen vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati, quia magna lucra de conversione Gentium habuit, sed persecutionem quam in Judæa passa fuerat, etiam in Gentibus invenit. Sed ordine quo abierit edisserens, ait:

Act. 13. 46.

Vers. 19.

Et surrexerunt mane, & adoraverunt coram Domino: reversique sunt, & venerunt in domum suam, in Ramatha.

Christus electos suos per spiritalem præsentiam numquam deserit.

37. Quid est autem quod supra de sola Anna singulariter dicitur: *Abiit mulier in viam suam*: nunc vero pluraliter: *Surrexerunt mane*, nisi ut cum viro descendere cognoscatur? Et quia vir sanctæ Ecclesiæ Redemtor humani generis est, qui jam ad cælos ascenderat, cum ipsam Judæam incredulitatis suæ caligine obrutam relinquebat, quomodo de Anna, & de viro suo Helcana intelligi in Christi & Ecclesiæ typo nunc potest, quod simul mane surgerent, & in civitatem suam pariter redirent? Sed quia civitatem Ramatha, cælestem patriam designare jam diximus, quomodo hoc sanctæ Ecclesiæ convenit, quæ statim ut a Judæorum prædicatione cessavit, ad cælestem patriam [b] non ascendit? Verum quia resurgens a mortuis Dominus, missis in prædicatione doctoribus loquitur, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*: absurdum non est, ut cum eo sancta Ecclesia surgere, & reverti sentiatur. Qui enim electos suos per spiritalem præsentiam numquam deserit, & cum stantibus permanet, & cum abeuntibus recedit. Ramatha vero cælestem patriam designare diximus, sed quod nihil aliud significare possit, non diximus. Quid ergo aliud hoc in loco significat, nisi adimpletionem prophetiæ in Gentium vocatione? Ramatha quippe visio consummata dicitur, ut jam diximus. Quid vero est Gentium jam impleta vocatio, nisi prophetarum visio consummata? Nam visione asserebat, sed non consummatam, qui de futuro adhuc, quod viderat, pronuntiabat, dicens: *Omnes Gentes, quascumque fecisti venient, & adorabunt coram te, Domine*. Hinc item repromittit dicens: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes Gentes servient ei*. Visio igitur consummata recte Prophetarum promissio dicitur, quia nimirum, auctore Deo, juxta eorum oracula, in Redemtorem humani generis omnes Gentes crediderunt. Mane autem cum viro suo Anna surgere dicitur: quia sancta Ecclesia in exortu interni luminis ad Gentes transiit cum verbo prædicationis. Vel mane surgit, quod Judæam in nocte infidelitatis deseruit. Mane etiam surgit, quia prosperum iter in conversione Gentium invenit. Et coram Domino adoravit, quia in repulsione Synagogæ incomprensibile judicium venerata est omnipotentis Dei. Adoravit quippe, & recessit: quia cum a gentis suæ prædicatione pro sola Dei omnipotentis ordinatione recederet, divino judicio per obdientiam obsecuta est, quod penetrare intelligendo non potuit. Adorans autem reversa est, quia ministerium prædicationis in vocatione Gentium adimplere proposuit, sed tantum ejusdem prædicationis modum in superna contemplatione quæsivit. Reverti enim prædicatoribus, est ad divinæ contemplationis lumen recurrere. Inde quippe lucem hauriunt, qua & ad venerationem fidelium luceant, & quam loquendo, auditorum suorum mentibus infundat. Hinc namque est, quod prædicator egregius ante ad tertii cæli secreta sustolitur, & sic terrena disponere perhibetur, & paradisi secreta ingrediens verba percipit, quæ non licet homini loqui, ut discernere, & loqui utiliter foris possit. Anna ergo reversa memoratur: quia sancta Ecclesia dum terrena disposuit, qualiter sint eadem terrena disponenda, in ea, ad quam sæpe revertitur, Dei contemplatione instruitur. Et tunc demum in domum suam venit: quia in auditorum devotione collocare se potuit, cum accedendi ad eos modum, sursum revertendo cognovit. Domum namque sanctæ primitivæ Ecclesiæ Gentium devotio exstruxit, quam, dum sibi in eis condidit, custodiæ solicitudine inhabitavit. Quæ videlicet domus posita in visione consummata describitur: quia non ante condi potuit, quam vocationis ejus prædictum a Prophetis tempus advenit. Sequitur:

Matth. 28. 20.

In Gentium vocatione prophetiæ implentur.

Ps. 85. 9.

Ps. 71. 11.

Revertuntur prædicatores, cum ad divinæ contemplationis lumen recurrunt.

2. Cor. 12. 2.

Cognovit autem Helcana Annam conjugem suam, & recordatus est [c] *ejus Dominus. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna & peperit filium.*

Ibid. & Vers. 20.

Ecclesiæ fecunditas ex superni amoris gratia.

38. Helcana Annam conjugem suam tunc cognovit, cum Redemtor noster præfinitum tempus vocandæ gentilitatis aspexit, quo dum novæ sponsæ, sanctæ videlicet Ecclesiæ gremio gratiam superni amoris infunderet, novam ex ea prolem fidelium generaret. Nam velut nondum cognoscebat eam, cum volentes transire in Asiam prædicatores, a Spiritu sancto prohibiti sunt. Hinc est, quod cum ad prædicationem Judææ discipulos suos mitteret, per semetipsam veritas prohibet, dicens: *In viam Gentium non abieritis, & in civitates Samaritanorum non intraveritis*. Quando autem cogno-

Act. 16. 6.

Matth. 10. 5.

a Gilot. vos fecistis.
b Gilot. & Vatic. non ascenditur.
c Deest ejus in Gilot. & Vatic. Omittitur quoque, Et factum est, &c. qui versus infra explicatur, unde eum attexendum esse judicavimus.

vit Annam conjugem suam Helcana, tunc recordatus est ejus Dominus, quia gentilitas tunc venisse in Dei memoriam visa est, cum sancta Ecclesia verbo Dei per amoris gratiam conjuncta, in salute visitatur. Quid est hoc loco circulus dierum, nisi innumeris sancti Spiritus ostensa radiis manifestatio divinæ voluntatis? Quæ profecto dum prædicatorum suorum mentibus, in contemplatione suspensis, claritates supernæ dispositionis innumeras exhibet, nimirum veluti plures dies, temporum circulus clausas tenet. Circulus quippe dierum Annæ conceptum prævenit, quia sanctæ Ecclesiæ verbum Dei ad docendum non ante infunditur, quam ab ea supernæ dispositionis radii plenius agnoscantur. Quæ concipiens filium peperit, quia ii, quos in fide Redemtoris parit, nova conversatione robusti sunt.

Ibidem.

Et vocavit nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum.

Samuelis nomine intelligentius prædicatorum ordo.

39. Samuel interpretatur, nomen ejus Deus. Quem ergo nobis Samuel convenientius insinuat, quam prædicatorum ordinem, qui ad fidem vocatus est ex gentilitate? Quia enim fortis conversatione est, potestate sublimis; & dum in eo speciale signum gratiæ divinæ conspicitur, ad venerationem prædicationis ejus, devote auditorum turbæ deducuntur: recte nomen ejus nuncupatione declaratur. Hinc est, quod ad Moysen a Domino dicitur. *Posui te in deum Pharaonis.* Hinc item in Lege prohibens, ait: *Diis non detrahes.* Et notandum, quia cujus nomen Deus dicitur, filius, non filia fuit: quia certe pastoralis dignitas, cum infirma conversatione deprimitur, splendore tam celsi nominis non ornatur. Quia igitur ordo doctorum ad evangelizandi ministerium ex gentilitate promotus, excellentiæ dignitatis suæ, meritorum gratia impar non fuit, recte nunc dicitur: *Vocavit nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum.* Et notandum, quia hoc loco postulare dicitur, quod postulando promeruit. Apertis ergo verbis ostenditur, cur Annæ primogenitus tanto nomine censeatur. Quod tale est, ac si dicat: Idcirco ei tantum nomen imposuit; quia is, qui superno munere nascitur, meritorum gratia magnus fuit. Sed ut ostendatur, quo studio eum provida mater foveat, sequitur:

Exod. 7. 1.
Ibid. 22. 28

Vers. 21. & 22.

Ascendit autem vir ejus Helcana, & omnis domus, ut immolaret hostiam solemnem, & votum suum, & Anna non ascendit. Dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur [a] infans.

Christus electos Synagogæ ad cœlestia vexit.

40. Quæ est autem immolatio solemnis hostiæ, nisi illa sanctæ Ecclesiæ amoris oblatio, qua conditori conjungitur in æterna contemplatione? Ad hanc autem Helcana tunc ascendit, cum Redemtor noster jam de morte triumphans, jam possibilitatis nostræ tenebras superans, carnem, quam pro nostra salute suscepit, ad cælestia sublimavit. Cum quo & omnis domus ejus ascendit, quia priores electos Synagogæ in altitudinem immortalitatis extulit. Tunc immolavit solemnem hostiam, cum se æterno Patri per glorificatæ carnis materiam in cælo exhibuit, & Angelorum naturam, sicut de redemtione nostra, itam etiam de eorum reparatione lætificavit. Ad hanc solemnem hostiam Anna invitatur: quia sancta Ecclesia superni sponsi spirituali cohortatione ad æternam contemplationem divinæ claritatis per quotidiana desideria amoris accenditur. Quæ tamen ab ascensu suo abstinet, ut filium lactet: quia ut prosit hic Christi parvulis, dilationem suæ gloriæ patienter sustinet. An non ad immolationem hujus solemnis hostiæ mater illa invitata fuerat, quæ dicebat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo?* Sed quæ per amoris desideria ad sponsi speciem trahitur, an amet lactare filium, dicat: *In carne mihi manere necessarium est propter vos.* Quo etiam cibo se Corinthios aluisse insinuat, dicens; *Lac vobis potum dedi, non escam.* Lactare quippe parvulos sanctæ Ecclesiæ est pastoribus, infirmorum sive simplicium auditorum corda planioris Scripturæ pabulo enutrire. Quibus profecto idem doctor egregius dicit: *Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum, & hunc crucifixum.*

Ut parvulis prosit, gloriæ dilationem libenter patitur Ecclesia.

Phil. 1. 23.

Ibid. v. 24.

1. Cor. 3. 2.

1. Cor. 2. 2.

Parvulorum Ecclesiæ ablactatio quæ fit.

41. Ablactantur autem infantes, cum parvuli sanctę Ecclesię tam spiritualis eruditionis, quam bonę conversationis incrementa suscipiunt; & jam non planiora sacri eloquii, sed alta ejus sacramenta requirunt. Et ablactatus infans ante conspectum Domini, ut appareat, ducitur, cum per adhortationem prædicatorum quisquis subjectus bene proficiens, bonis operibus adornatur. Qui enim ad hoc ducitur, ut appareat, non tantum ut videat, defertur, sed etiam ut videatur. Quia enim in fine a Domino multi audituri sunt: *Nescio vos*, apparere in conspectu Domini Samuel dicitur: quia electus, & humilis subditus, dum perfecte præsentia despicit, adveniente extremo judice, nequaquam reprobatur. Quos autem seculum in sui amore defixos retinet, in honore rerum transeuntium videri elatiores appetunt, hoc profecto superbiendo agunt, ut ab eo, quo solo videri debent honorabiles, numquam videantur. Unde & rex electus, & in rerum culmine positus, ne in flore seculi deciperetur, obsecrat, dicens: *Ne projicias me, Domine a facie tua.* Anna ergo & ablactare filium repromittit, & ante conspectum Domini, ut appareat, ducere: quia sancta Ecclesia electos subditos, quos erudit, pręsentia perfecte despicere docet, & bona agere, & ad ęterna bona per humilitatem festinare. Et notandum, quia ab ablactationis loco ductus asseritur, qui apparere debere in conspectu Domini perhibetur: quia videlicet, non parum interest spiritualis itineris, cum ab eo, quod de cælesti magisterio discimus, in usam perfectæ tendimus operationis. Quia vero a studio ejusdem boni operis numquam cessandum est, sequitur:

Matt. 25. 12.

Psal. 50. 13.

Et appareat ibi jugiter.

Vers. 22.
Ablactati jugiter conspectui Dei sistantur.

42. Jugiter namque ibi apparemus, unde numquam discedimus. Jugiter ergo in conspectu Domini apparere, est decorem bonæ conversationis nullis vitę tenebris obscurare: quia qui ad illicita nulla defluit, a secreto divini intuitus numquam exit, & quasi in luce positum, hunc divina bonitas respicit; quia eas, quas damnavit peccatorum tenebras, electione sui examinis non attendit. Donec igitur ablactetur infans, ad immolandam solemnem hostiam se non ascensuram Anna denuntiat: quia sancta Ecclesia tamdiu custodire filios proponit, quamdiu de eorum perfectione secura fieri valeat, quia ipsi ab accepta bonitate ulterius non recedant. Potest tamen ascensus solemnis hostię ad altitudinem sanctę prædicationis referri. Nam de ascensu viri ejus per Prophetam scriptum est: *Ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum.* Super Cherubim quippe Dominus ascen-

Psal. 17. 11.

a Abest *infans*, a Gilot. & Vatic.

ascendit, quia in sublimibus prædicatorum suorum mentibus ascendit, & scientiæ suæ altitudinem ponit. Et super pennas ventorum volat: quia coram spiritualibus eorum oculis in altitudinem miræ intelligentiæ se sancti Spiritus flatibus elevat. Et tenebras latibulum suum ponit: quia majestatis suæ sublimitatem reprobis abscondit. Sed in circuitu ejus tabernaculum suum: quia quos per sublimia dona elevat, eis suæ majestatis etiam gloriam manifestat.

Ibid. v. 12. — *Ibidem.*

43. Bene autem cum Helcanæ ascensus asseritur, omnis domus ejus ascendisse perhibetur: quia illos, quorum mentibus eminet, in altitudine suæ contemplationis velut domesticos, & familiares tenet. Quæ est autem Helcanæ, id est Redemtoris nostri hostia solemnis, nisi Sanctorum suorum cordibus ineffabilis illius internæ amor eruditionis? Nam eorum quisque sibi ineffabiliter complacet in eo, quod se ostensa Redemtoris sublimitas, tam sublimiter docet. Anna ergo se cum viro suo ascendere abnegat, donec filium lactat: quia sancta Ecclesia tam invitavit alta prædicando contingere quamdiu cognovit rudes auditores suos valut parvulos, alta capere nequaquam posse. Hinc namque in ipsis sanctæ Ecclesiæ primordiis factum est, ut velut parvulo adhuc Annæ filio, per trium Evangelistarum scripta, Matthæi scilicet, Lucæ, & Marci lac propinaretur, qui humanitatis Dominicæ historiam scribentes, pauca de ejus divinitate tractaverunt: sed cum parvulus Ecclesiæ populus eresceret, & in mensuram ætatis plenitunis Christi proficeret, cui lactis potus non sufficerat, pasci cibo solido perquirebat. Compulsa itaque mater Ecclesia ascendere est, ut ipsa quoque Cherubim fieret, volansque super se Redemtori appropinquaret, pennas assumeret, ambulantem super eas in sacramentorum altitudine teneret, atque ex ejus majestate caperet, quod poscenti unico alimentum daret. Unde factum est, ut rogatus a fratribus Evangelista Johannes, non solum humana sed etiam angelica superans, condita cuncta transcenderet, & quem videre meruit, unigenitum in sinu Patris prædicaret, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Tunc ergo Anna ascendit, cum sancta Ecclesia se in celsitudinem divinæ prædicationis tam sublimiter extulit. Tunc etiam immolavit solemnem hostiam, quia de cognitione divinitatis in auditorum suorum cordibus flammam miræ devotionis accendit. Solemnis quippe hostia fuit, de incomparabili eloquio, singularis oblatio devotionis. Tunc in conspectu Domini filium adduxit, cum auditorum suorum cordibus perfectam cognitionem summæ divinitatis intimavit. Quæ profecto Dei cognitio, quia non solum fide tenenda est, sed confessione: & quod credimus, & confitemur, nec ignorare ulterius, nec silere permittimur, puer ablactatus, qui ad domum Domini adducitur, jugiter in conspectu Domini manere declaratur. Sequitur:

Ad contemplationis suæ celsitudinem evectos facit Dei domesticos & familiares.

Ascendere non præsumunt parvuli.

Ephes. 4. 13.

Johan. 1. 1.

Vers. 23.

Et dixit ei Helcana vir suus: fac quod tibi bonum videtur; mane, donec ablactes eum.

44. Quid est, quod Annæ consilium viri sui auctoritate roboratur, nisi quia propositum sanctæ Ecclesiæ non ex humano præsumitur judicio, sed ex divino? Nam quidquid sancta Ecclesia in subjectis sibi nationibus disponere voluit, tunc demum id ratum habuit, cum ex internæ veritatis judicio, quid disponendum esset, agnovit. Et quia advocatum habemus apud patrem, qui interpellat pro nobis, subjungit, atque ait:

Ecclesiæ propositum non ex humano, sed ex divino judicio.

1. Johan. 2. 1.

Precorque ut impleat Dominus verbum suum.

Ibidem.

45. Quod est verbum, quod implendum asseritur nisi prædestinata conversio gentilitatis? Et quia per ejus sanguinem reconciliamur Deo, ipse pro implendo verbo precatur, cujus obtentu salus nostra perficitur. Precari etiam ei, est se in humanitate assumta, pro salute nostra æterno Patri continue exhibere: quod dum sic se offerre non desinit, receptioni nostræ aditum ad vitam facit. Quia vero dispositionis suæ consilium exquirendo perfecit, apte subinfertur: *Mansit ergo mulier, & lactavit filium suum donec amoveret eum a lacte.* Deinde sequitur:

Pro nobis precatur Christus, in humana natura se Patri exhibendo.

Et adduxit eum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum in domum Domini in Silo.

Vers. 24.

46. Quid namque per vitulum hoc loco significatur, nisi propositum imitandæ vitæ perfectorum? Sed vitulus est, cum in corde exoritur proficientis: bos autem, cum per robur virtutis ad affectum perducitur magnæ conversationis. Quo in loco valde quærendum est, cur non unus vitulus sed tres ad tabernaculum adducti perhibentur. Sed in tribus vitulis infans delatus ostenditur, ut eorum formam insinuet, qui ad prædicationis ministerium instruuntur. Perfectus etenim doctor, & peccatoribus convertendis, & custodiendis justis invigilat. Quasi enim colonus summi patrisfamilias utrumque bovem aratris inserit; ut non solum vigilare stantibus, ne corruant, sed etiam lapsos possit erigere, ut subsistant. Sed qui duos boves habet in subjectorum sollicitudine, ut esse perfectus valeat, bovem tertium jungat in divina contemplatione: ut & corda proximorum integro jugo, loquendo, velut arando aperiat, & semetipsum per singularem amoris fortitudinem, ad Conditoris sui speciem semper extendat. Samuel ergo in vitulis tribus ad domum Domini ducitur, cum bene quisque proficiens, proponit, ut ex labore prædicationis prodesse valeat proximis, & ex secreto quietis, inhærere intimæ visioni Conditoris. Et quia id bene exhibere animus imperitus numquam poterit, in tribus etiam farinæ modiis offertur. Ex farina quippe cum panes fiunt, præparatio refectionis perficitur. Quod vero non in panibus, sed in farinæ modiis offertur, bonam devotionem, doctrinam proponere ostenditur, non ipsius doctrinæ commodum exhibere. Modios ergo farinæ, sanctæ prædicationis præparationem significat. Sed in tribus modiis farinæ infans adducitur: quia dum prædicare proponimus, verbum scientiæ, præparamus peccatoribus ad conversionem, justis ad statum perseverantiæ, & nobis ad supernam contemplationem: vel certe unus modius est, ut diximus, pro conversione peccatoris, alius pro disciplina conjugati, tertius vero pro excellenti puritate continentis. Et modii quidem dicuntur pro mensura discretionis. Unde & beatus Paulus perhibet, dicens: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

Ad perfectionem contendentium.

Duplex doctoris munus, peccatores convertere, & custodire justos.

Ita prosit proximis, ut Deo tamen adhæreat.

Peccatoribus conversionem, justis perseverantiam, & sibi contemplationem quærat.

Rom. 12. 3.

47. Quod profecto, quia prædicatorum ordo * electus exigentibus, non ex levitate vanitatis habuit, sed ex virtute bonæ intentionis, sequitur: *Et amphora vini.* Virtus vero bonæ intentionis est caritas Dei, quæ in electorum cordibus diffunditur, per donum Spiritus sancti. Quod nimirum caritatis donum, recte vini appellatione figuratur,

Hæc ex caritate prædicanda.

** Forte electus ex Gentibus.*

quia mentem occupat, & a terrenis affectibus alienat, ut intentionem ad seculum non habeat, quam ad appetenda sola cælestia inflammat. Verum, ut hujus quoque virtutis non perfectio, sed initium designetur, amphora vini, & non poculum fuisse ostenditur. In amphoram quippe reponimus, quod quandoque per poculum propinemus. Hinc est enim, quod is, qui supernæ caritatis perfectionem gustaverat, Deo omnipotenti confitebatur, dicens: *Impinguasti in oleo caput meum, & poculum meum inebrians, quam præclarum est?* In amphora ergo vini Samuel oblatus ostenditur; quia electus quisque, eum ad Evangelicæ prædicationis ministerium præparatur, ipsius prædicationis bonum proponit, non pro vana hujus seculi ambitione, sed pro sola caritate impendere. In vitulis ergo adducitur, pro proposito fortitudinis; & in farinæ modus, pro doctrina verbi; in amphora vini, pro intentione caritatis.

Psal. 22. 5.

In Scripturis sacris Ecclesia fundatur.

48. Quæ profecto virtutum initia, ubi sint perficienda, edocet, eum subjungit: *Et adduxit in domum Domini in Silo.* Domus Domini sancta Ecclesia recte intelligitur, quæ nimirum in Silo sita esse perhibetur. Silo autem locus est, in quo arca Dei mansisse perhibetur. Quid ergo aliud Silo isto in loco significat, quam veteris Legis traditionem? Nam velut arcam Dei continet, dum carnalem litteram foris exhibet, quæ in suis secretis spiritalem scientiam clausam tenet. Quid est ergo, quod domus Domini in Silo sita esse perhibetur, nisi quia sancta Ecclesia in sacramento Scripturarum, velut in loco fundata cognoscitur? Illuc Samuel adductus asseritur, illic oblatus: quia præter sanctam Ecclesiam locus non est, ubi merita virtutum crescant, & ad culmen perfectionis veniant. Sed cum ipse, qui adductus est, asseritur, ejus quoque dilationis causa memoratur, cum subditur:

Ibidem.

Puer autem adhuc erat infantulus.

Nam si infantulus tunc non esset, dum per se posset accedere, duci hunc ab alio non oporteret. Sequitur:

Vers. 25.

Et immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.

Sine sponso Christo nihil potest.

49. Superius de sola Anna dicebatur: *Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat.* Nunc autem de Helcana pariter, & de Anna subjungitur: *Et immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.* Tunc immolatus est vitulus, cum adductus est Samuel, & oblatus. Si ergo ibi erat tunc Helcana, & eum ducebatur, & cum offerebatur, quare non dictum est, adduxerunt eum secum, sicut dictum est, immolaverunt, & obtulerunt? Sed quia hæc ad Ecclesiam, & ad Christum retulimus, illi lactare, illi adducere pertinet; offerre, & immolare sibi, & Christo. Ipsa quippe instituit verbo prædicationis, sed quibus doctrinam insinuat, virtutem adimplendæ operationis nequaquam subministrat. Litteram quippe Scripturæ loquendo exhibet, sed ipsum bonum se petentibus, nonnisi cum sponso dare potest. Immolatur ergo vitulus, cum divina gratia cordi bona petentis infunditur, ut bona, quæ destinando deliberat, studio boni operis hilariter impendat. Vitulus enim tunc immolatur, quia victima boni operis propositi, ab omnipotenti Deo devotæ mentis oblatione suscipitur, si id, quod ei vovendo mens exhibet, totum Deo mactatur per hilaritatem. De hac immolatione vituli Dominus in Evangelio ait: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater meus cælestis dabit spiritum bonum petentibus se?* Hinc Paulus ait: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Quid namque est destinare in corde, nisi proponere ex deliberatione? Dum ergo destinavit, dixit, quasi vitulum adductum asseruit. Sed dum addidit, non ex tristitia, aut ex necessitate, quia hilarem datorem diligit Deus, adductum vitulum, qualiter immoletur, exposuit. Adducuntur ergo vituli, cum ad agenda fortia bene proponenda præparamur: sed vitulus immolatur, cum deliberatio boni propositi Deo impenditur, in oblatione magnæ devotionis. Uterque autem, id est vir & uxor, vitulum immolasse perhibentur: quia eadem hilaritas fidelibus subditis prædicatoris voce ostenditur, atque in eorum cordibus divina gratia propagatur. Pariter ergo vitulum immolant, cum in corde bene proficientis subditi, divina convenit cum humana prædicatione. Tres autem vituli adducuntur, quia cum auxilium lapsis, & stantibus ferre, & nobis ipsis opem custodiæ proponimus, dum una bona intentione hæc attendimus, tria quidem sunt respectu operis, sed unum in munere oblationis. Tria quidem sunt, quia erga nos, & proximos nostros diverso respectu, & diversis temporibus exhibentur: sed unus sunt vitulus, quia simul proponuntur, & pari devotione oblationis Deo impenduntur, & una in eis hilaritas, & alia non habetur.

Oblatio nostra ex devotione fiat.

Matth. 7. 11. & Luc. 11. 13.

2. Cor. 9. v. 6. 7.

50 Sequitur: *Et obtulerunt puerum Heli.* In Heli non solum personæ doctorum veterum, sed etiam doctrinæ figurantur. Quid est ergo, quod puer Samuel Heli oblatus asseritur, nisi hoc, quod aperte cognoscitur, quia quisquis prædicando aliis prodesse nititur, non solum nova scribere debet, sed etiam vetera? Unde & Dominus in Evangelio per parabolam dicit: *Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.* Samuel ergo Heli tunc offertur, cum mens bene proficientis subditi Legis & Prophetarum scientia eruditur, ut in libris antiquorum occidentem litteram legat, sed etiam secundum spiritum vivificantem intelligat, & sic quod foris sonat, accipiat, ut præter elementorum sonum, quod intus insonet spiritus, recognoscat; & ad fidem nova habeat, sed quoties necesse fuerit, ad novi Testamenti confirmationem Scripturas veteres adducat. Tunc quippe defendere nova poterit, cum eorum rationem ex veteribus agnoscit. Aperte igitur Samuel Heli oblatus asseritur, quia solum sufficienter nova prædicat, qui eam rationem, qua intelligenda sunt vetera, non ignorat. Et quia easdem Scripturas veteres intelligere sine præceptore non possumus, & doctor nihil in nobis docendo proficit, si quod ipse foris loquitur, in cordibus nostris per divinam gratiam non infundatur, mater non sola puerum obtulit, sed cum viro. Ei autem, cui filium tradit, se cum verbo præconii Anna insinuavit, dicens:

Veteris & novæ Legis scientia necessaria.

Matth. 13. 52.

Obsecro, mi Domine, vivat anima tua, ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic.

Vers. 26.

51. Coram Heli Anna stetit, quia sancta Ecclesia doctorum Synagogæ nullis persecutionibus corruit. Quod tale est ac si dicat Ecclesia glorians Synagogæ præpositis: Idcirco orbem parere per Evangelium Deo potui, quia adversa, quæ mihi intulistis, invicta toleravi. Nam si pœnis victa vetusta-

In gravioribus persecutionibus semper stat Ecclesia.

ti

um me subderem, novam Redemtori tot nationum sobolem nequaquam genuissem. Et quia humiliter loquitur, obsecrando Dominum vocat. Quia vero ei vitæ æternæ pignus in fide Redemtoris dari appetit, dicit: *Vivit anima tua*. Sed quæ se stetisse gloriata est, magna de se protulit. Et quia eadem magna humiliter, non superbe dixerat, ea protinus ad laudem omnipotentis Dei retulit, dicens:

Vers. 27. *Oravi, & dedit mihi Dominus petitionem, quam rogavi eum, idcirco & ego commendavi eum Domino.*

Pastoris officium. 52. Divina gratia ad hoc sanctæ Ecclesiæ filios tribuit, ut eos doctrina veritatis instituat, bonis moribus exornet, pia super eos custodia vigilet, a malo declinare perfecte faciat, & ad æternam patriam sufficientem bonorum operum copiam præparare. *Quod nemo [illegible] possit confidat.* Hæc profecto ministerii pastoralis sunt: sed electus prædicator ea suis viribus implere posse diffidit. Quia ergo nec sua virtute aliquos per Evangelium potest gignere, nec quos generat custodire: recte per Annam in Ecclesiæ typo nunc dicitur: *Oravi, & dedit mihi Dominus petitionem, quam rogavi eum. Idcirco & ego commendavi eum Domino, cunctis diebus, quibus fuerit commendatus Domino.* Nam ut gignere possit, obsecrat: & ut hi, quos orando obtinet, in sancta conversatione permaneant, eos item omnipotenti Deo precibus commendat. Et quia ab eisdem precibus numquam desinit, cunctis diebus se commendare filium Deo dicit. Cunctis namque diebus Domino filium commendare, est ei pro eorum salute, quos generat, omni hujus vitæ tempore supplicare. Dies namque, quibus Domino commendamur, tempora præsentis vitæ significant. *Ad id continuæ preces necessariæ.* In quibus profecto diebus tanto validioribus divinæ protectionis auxiliis indigemus, quanto gravioribus spirituum malignorum tentamentis impetimur. Quia vero in plerisque codicibus non *commendatus*, sed *commodatus* legitur, a bono intellectu non vacat. A matre quippe Ecclesia in hac vita filii commodantur. Quidquid vero commodamus, id reddi nobis in fide excipientis expectamus. Dies vero virtutum spiritalium, claritates sunt. Quibus profecto diebus Annæ filius Domino commodatur: quia ei sancta Ecclesia electos offert in claritate virtutum, ut eos postmodum ad augmentum sui æterni gaudii sibi omnipotens Deus exhibeat in splendoribus præmiorum. Et notandum, quia omnibus diebus commendatus asseritur, ut ei de eo, quod habendum est de spirituali conversatione, nihil desit, quem prædicator electus in æterna vita recipere tenebrosum ex aliqua parte non poterit. Sequitur:

Vers. 28. *Et adoraverunt ibi Dominum.*

Et nos membra sanctæ Ecclesiæ, cum per Scripturas testamenti veteris, veneratione, & præcepto Conditoris [a] submittimur, ibi profecto Dominum adoramus: quia Patrum veterum fidem tenemus, & eamdem fidem per dilectionem in bono opere exercemus.

CAPUT II.

Sensus moralis. HÆC de principio typica expositione protulimus: nunc in ejusdem verbis historiæ, eruditionem nostram post moralem significationem requiramus.

1. Reg. Cap. 1. v. 1. *Fuit vir unus*, inquit, *de Ramatha Sophim.*

1. In hoc viro uno, quid rectius, quam unusquisque novus secu'i contemtor designatur? *Perfecti viri est uni Deo vacare.* Vir namque dicitur, quia proposito fortis est: unus vero, quia amore singularis: vir namque est, quia ex magna virtute cuncta præsentia despicit: sed unus, quia sola omnipotenti Dei specie frui concupiscit. Quisquis enim perfecte terrena despicit, vir est ex fortitudine, sed si Conditorem suum ardenter videre non cupiat, non est unus ex intentione. Perfectio igitur viri, in præconio ponitur unitatis, ut qui seculum potenter despicit, mentem non dividat, solis supernis inhiet, ad ea tantum, quæ de visione Conditoris sunt, æterna gaudia suspiret. Talis profecto erat, qui Deo confitens, ait: *Quid mihi restat in cælo, & a te quid volui super terram?* *Psal. 72. 25.* Hinc item dicit: *Vultum tuum Domine requiram.* *Psal. [illegible]. 8.* Qui enim in terra nihil voluit, profecto vir fuit: sed qui neque in cælo, neque in terra aliquid præter ipsum voluit, qui, spretis omnibus, solum ejus vultum quæsivit, non solum vir, sed etiam unus extitit. De hac unitate Dominus in Evangelio, Marthæ loquitur, dicens: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium.* *Luc. 10. v. 41. & 42.* Hinc Lucas de perfecto credentium numero loquens, ait: *Erat eis cor unum, & anima una.* *Act. 4. 32.* Unum quippe eis cor erat, quia per intentionem rationis, solum Conditorem aspexerant: unam animam habebant, quia per affectionem amoris, solum ejus faciem videre desiderabant. Hinc est, quod diligens Propheta secum reputat, dicens: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* *Psal. 41. 3.* Pro hac unitate obtinenda, Veritas docens, ait: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* *Luc. 14. 33.*

Unde Monachi dicti. 2. Quæ etiam nostra sunt: quia hi, qui abrenuntiantes seculo, remotioris vitæ secretum petivimus, Monachi vocamur. *Monos* quidem Græce, Latine autem unus dicitur. Hoc quippe titulo appellationis inscribimur; ut vox nominis nostri nobis insinuet altitudinem dignitatis, & animus noster tantum ardentius ad Conditoris visionem se erigat, quanto sublimitatem claritatis, in qua semper debet consistere, quasi in fronte prælatam portat. Sed divini amoris sublimitas in sola Catholica Ecclesia veris electis impenditur. Bene ergo vir, qui unus dicitur, de Ramatha Sophim, de monte Ephraim fuisse perhibetur. Ramatha quippe, ut jam dixi, Hebræum nomen est, sed Latina locutione, dicitur Visio consummata. Quæ profecto appellatio sanctæ Ecclesiæ convenit, quæ antiquitus a Prophetis prævisa est, sed in finem seculorum in Redemtoris fide disposita. Consumma a ergo visio sancta Ecclesia dicitur: quia per Redemtorem humani generis erecta est in religionis culmine, quæ olim tantum prævisa erat spiritu prophetiæ. * Hæc autem Sophim esse describitur in monte Ephraim ædificata: quia contemplatione Dei celsissima est, & spiritualibus virtutibus fecunda. ** Supra initio expositionis allegoricæ.* Sophim quippe specula dicitur, Ephraim fructificans. Quæ profecto vocabula situm sanctæ Ecclesiæ recte insinuant, quæ non solum intentione visionis alta est, sed excellentia conversationis. Quibus etiam vocabulis, & hæreticorum dementia, & ceterorum improborum sterilitas reprobatur. Illi quidem, dum a rectitudine fidei deviant, speculationem sublimitatis non habent: isti vero, quia recta vident quæ agant, & ea facere semper dissimulant, speculam quidem habent, sed virtutum

mon-

a in Gus. & Vatic. *submittitur*.

montem excellenti vita non obtinent. Sancta vero Ecclesia quia in Sophim, id est in speculatione sublimis est, gloriatur, dicens: *Nostra conversatio in cælis est.* Quia etiam in virtutum monte per boni operis fructum constituta est, elisam reproborum fidem reprobans, ait: *Fides sine operibus mortua est.* Hinc item prædicans, dicit: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Vir ergo, qui unus dicitur, de monte Ephraim esse memoratur: quia & terrena despicere, & superna desiderare, ei solum prodest, qui per fidem catholicam intra sanctam Ecclesiam sese continet. Sequitur:

Phil. 3. 20. — *Jacob. 2. v. 21. & 26.* — *Galat. 6. 10.* — Bonum operari solis Ecclesiæ filiis prodest.

Et nomen ejus Helcana, filius Hieroboam, filii Heliu, filii Thau, filii Suph.

Ibidem.

3. Hoc etiam nomen * superius ostendimus, quia ab Hebræa lingua in nostram, Dei fervor, verteretur. Quod profecto nomen viri bene congruit ordini spiritalis expositionis. Qui enim vir unus dicitur, necesse est ut ex Dei fervore censeatur. Quis enim aut temporalia despicere, aut amare cælestia sine divina gratia possit? Necesse quippe est, ut hunc gratia divina præveniat: quatenus Spiritus sancti igne succensus, quanto ardentius summa diligit, tanto fortius ima contemnat. Cui etiam in genealogiæ ordine quatuor patrum nomina perscribuntur: quia in fide Redemtoris, eorum prædicatione genitus est, qui in eumdem humani generis Redemtorem, per quatuor Evangelistarum scripta, de omni mundi parte credidere. Qui etiam Ephrathæus dicitur. De monte Ephraim, & Ephrathæus est, qui in fertili terra sterilis non est. Nam plerique intra sanctam Ecclesiam nomine censentur fidei, cujus nullos proferunt fructus actionis. Qui nimirum dum de Ecclesia prodeunt, velut de monte fructifero esse sentiuntur: sed quia ipsi bonorum operum non habent fructum, non sunt Ephrathæi. De monte ergo Ephraim est, & Ephrathæus non est, qui fidem catholicam in Ecclesia didicit, sed opera digna fidei non impendit. Talibus profecto veritas in Evangelio comminatur, dicens: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.* Hinc sub ficulneæ specie, colono sanctæ Ecclesiæ repulsionem infructuosæ animæ imperans, ait: *Succide eam, ut quid terram occupat?* Hinc Johannes Baptista comminans, ait: *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* De monte quoque Ephraim eos esse ostenderat, sed non Ephrathæos, de quibus Veritas in Evangelio per parabolam dicit: *Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Vir ergo de monte Ephraim, dicitur Ephrathæus: quia quicumque intra sanctam Ecclesiam fidem catholicam tenemus, dum per ardorem affectionis terrena abjicimus, cælestia amamus, oportet & ut a terrenis, quæ despicimus, per boni operis laborem separemur, & ad ea, quæ diligimus, cælestia præparemur. Esse ergo in Ecclesia, & opera bona non facere, quia ad acquirendæ æternæ salutis bonum non prodest: vir qui de monte Ephraim asseritur, etiam Ephrathæus fuisse memoratur.

* *Superius nulla occurrit explicatio hujus nominis.* — Plerique intra Ecclesiam nullos ferunt fructus. — Dei adversus eos minæ. *Matt. 21. 43.* — *Luc. 13. 7.* — *Matt. 3. 10.* — *Luc. 3. 9.* — *Matt. 21. 41.*

4. Unde & duas uxores habere describitur: quia activæ vitæ per fecunditatem boni operis, & contemplativæ vitæ conjungitur per amorem internæ delectationis. Quamobrem Phenennæ filii fuisse dicuntur, Annæ autem filii non fuisse. Quid enim sunt activæ vitæ filii, nisi bonorum operum fructus? Et quid est, quod Anna filios non habet, nisi quia rudis contemplatio, ea, quæ jam amare cœpit, internæ contemplationis gaudia cito non obtinet? Filii quidem sunt contemplativæ vitæ gaudia internæ visionis. Sed mens, quæ contemplari æterna inchoat, ad eorum gaudia excipienda, tanto difficilius pervenit, quanto etiam illorum pulchritudinem non attendit. Quis ergo in gloria ejus pulchritudinis gaudere prævalet, quam non videt? Mens autem, quæ in æternorum bonorum contemplatione se noviter elevat, ad ea tanto tardius assurgit, quanto humanitatis suæ familiares tenebras velociter non deponit: quia dum a se abjicere mundanas curas non prævalet, velut in oculis gestat pulverem, quo id quod cupit, videre non potest. Prius ergo abjiciendus est pulvis ex oculo, deinde oculus refovendus. Pulvis quippe abjicitur, cum ab intentione mentis cuncta rerum corporearum phantasmata removentur; & oculus refovetur, cum usu continuæ meditationis, eadem mentis intentio ad æterna sustollitur. Quæ profecto cum diuturna consuetudine in supernis morari didicerit, eadem diuturnitate consuetudinis, puritatem obtinet: qua dum clarius æterna respicit, in eorum gloria exultare plenius possit. Anna ergo non habuisse filios dicitur, ut non solum inchoantis imperfectio designetur, sed etiam vitæ contemplativæ celsitudo. Magno enim meritorum sita est culmine, quæ in fecunditatis suæ gaudio facile haberi non potest. Hinc est enim, quod Jacob Rachelem conjugem habere desiderat, sed tamen ei prius Lia substernitur, ut pro obtinenda illius specie, septenarius annorum numerus in soceri servitio geminetur: quia amator vitæ contemplativæ, hanc in ubertate æterni gaudii cito adipisci desiderat, sed tamen ei omnium donorum largitor Spiritus cito non tribuit, ne habitam quasi vilem despiciat, si facilitas ei hanc pro voto repræsentat: sed tanto ea fruatur dulcius, sollicitiusque custodiat, quanto hanc difficilius promeretur. Quare & sequitur:

Activæ simul & contemplativæ vitæ incumbendum. — Hæc non nisi gravi labore comparatur. — *Gen. 29. v. 18. & seq.* — Nec facilius habita vilescat.

Et ascendebat vir ille statutis diebus, ut adoraret, & immolaret Domino exercituum in Silo.

Vers. 3.

5. Statutis quidem diebus ascendit: quia in splendoribus æternæ visionis paulatim proficit. Quid enim sunt illæ manifestationes interni luminis, nisi dies electæ mentis? & statuti namque dies sunt: quia in profectu spiritalis vitæ positis, divina ordinatione disponuntur, statuti etiam dies sunt, quia in eorum claritate non possumus admitti, cum volumus, sed cum divina dignatione sublevamur. Aliquando namque nos in contemplatione internæ lucis excipit, quandoque labi usque ad præferendas humanitatis tenebras relinquit. Quasi enim statutis diebus elevat, quibus amœnitatem internæ lucis non jugiter aperit, sed per tempora suæ dispositionis ostendit. Dies ergo nostri sunt, quia in magnis splendoribus excipimur, cum internæ gloriæ nobis pulchritudo revelatur. Statuti vero dies idcirco nominantur: quia ut intima luce fruamur, non est nostri conaminis, sed divinæ dignationis. Sæpe namque diuturno silentio, instantibus supplicationibus, crebris gemitibus, illam nobis internæ lucis gloriam aperiri flagitamus, & in ejus amœnitate recipi non meremur. Sæpe nil tale pro ejus desiderio agimus, sed subito nos divina gratia prævenit, ab imo nostræ infirmitatis erigit, in superna rapit, insperantibusque nobis gloriam suæ lucis ostendit. Diebus ergo statutis ascendimus, quia in con-

In æternæ visionis splendoribus paulatim proficiendum. — Quod divinæ dignationis est & gratiæ, non hominum viribus.

tem-

templationem cælestium sublimari non possumus nostro conamine, sed divina dispositione. Ascensus quoque dies sunt: quia quando illa sublimi luce non fruimur, in imo sumus: & cum in illius alta visione assumimur, quam in imo jacuissemus ante assumtionis nostræ horam, cognoscimus. Displicemus nos tunc nobis, in quo fuimus, placemus autem, in quo sumus: quia absorpta jam mens amore cælestium, dum lætatur luce, qua fruitur, cuncta terrena horrore nimio dedignatur. Unde & beatus Petrus, dum in montem assumitur, dum nube lucida obumbratur, dum ei transfigurati gloria Salvatoris ostenditur dicit: *Bonum est nos hic esse, Domine*. Nam quia jam Dei omnipotentis munere meretur [a] interesse sublimibus, incomparabile illic bonum ineffabiliter diligit, ex cujus pulchritudine, cuncta quæ transeunt, velut fœda reprehendit.

In le terrenorum despectus.

Matth. 17. 4.

6. Sed quid est, quod idem vir de civitate sua ascendere dicitur? Quid vero est aliud civitas, nisi cohabitantium munimentum? Quæ autem est hæc civitas, nisi muniti cordis perfecta custodia circumspectionis? Hæc nimirum velut cohabitantes cives altis mœnibus protegit: quia dum custodiendis virtutibus solerter invigilat, internam eorum pacem hostis callidus non conturbat. In hac certe civitate nos consistere sapiens ille præcepit, qui ait: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit*. Hinc etiam Dominus discipulis præcipit, dicens: *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. In civitate quippe sedemus, cum per quotidianam sollicitudinem in internæ custodiæ defensione requiescimus. In qua sedentes, virtute induimur ex alto: quia præparati jam in habitaculum sancti Spiritus per ejus gratiam, in supernæ gloriæ contemplationem sublevamur. In hoc igitur, quod vir Ephrathæus de civitate sua ascendere dicitur, quid aliud, quam negligentiæ nostræ culpa indicatur? Nam per contemplationem rimari cælestia volumus, qui non solum cordis, sed etiam corporis custodiam non habemus. Et quidem sæpe indecenter aspicimus, otiosa audimus, superflua loquimur, somnum, cibum non ad refectionem corporis habemus, sed ad usum delectationis. Itaque cum discutere ambigua volumus, superna conspicere, tenebras nostras deserere, internæ dulcedinis saporem gustare, ab illius secreto tanto dignius repellimur, quanto munitionis nostræ fortitudines negligentius dissipamus: jamque nobis tanto est ascendere difficilius, quanto ad nosmetipsos relapsi, in altitudinem custodiæ erigere non curavimus cordis munitiones. Ascendat ergo vir de civitate sua, uti per internam contemplationem appetit proficere, exteriores sensus ordinet, mentem regat, & quasi in altis receptus munitionibus expectet, ubi eum superna illustratio visitet. Ad statutorum quippe dierum ascensum jam qui paratus invigilat, dignus custodia puritatis efficitur, ut sæpius divina dignatione visitetur. Sed dum ascendere dicitur, ascensionis etiam causa memoratur, cum subditur: *Ut adoraret, & immolaret Domino exercituum in Silo*.

Cor perfectæ circumspectionis custodia munitur.

Prov. 4. 23

Luc. 24. 49.

7. Quisquis divinæ contemplationis arce sustollitur, in illa cuncta, illuminante luce, respicit & quod se admirabiliter terreat, & quod ineffabiliter delectet. Nam illa summa visio, ut electæ menti se aperit, & imperscrutabilem abyssum judiciorum Dei, & bonitatis ejus abundantiam misericorditer ostendit: ut videntem magno pavore dejiciat: & ingenti gaudio sustollat, & terrore quidem dejicitur, ut statum mundanæ affectionis deserat: & mulcetur gaudio, ut quod prægustare de Conditoris bonitate inchoat, ardentius concupiscat. Tunc quippe adorat, cum considerata illa immensitate omnipotentiæ se Conditori submittitur, ut contra spiritualem conversationem carnalis concupiscentiæ impulsibus non levetur. Adorans autem immolat: quia quo humilius divina veneratione prosternitur, summæ claritatis illius blandimento suavius resovetur. Adorare igitur ascendenti, est divinæ omnipotentiæ magna casti amoris veneratione submitti: immolare vero, divinæ lucis suavitatem ineffabiliter delectari. Electa enim mens, velut spirituali immolationi Deo se consecrat, dum in illa ineffabili elevationis suæ lætitia, eam ignis divinæ caritatis ardentius inflammat. Dum ergo electi cujusque studium sub Ephrathæo viro ostenditur, & adorare dicitur, & immolare: quia sie mens electa appetit superna conspicere, ut spirituali visione proficiens, & omnem statum conterat carnalis vitæ, & plenidinem capiat æternæ lætitiæ. Nam etsi ad hanc summæ contemplationis altitudinem carnalis aliquis non assumitur, quantum tamen ad illam spiritualem conversationem, in quam illo ascensu contemplationis proficit, antequam proficiat, quodam modo carnalis est. Hoc enim ipsum quasi carnale est, per altitudinem visionis a corporearum rerum intentione separari non posse.

In Deo per contemplationem videmus & quod terreat, & quod delectet.

8. Sed, ut temeritas humanæ audaciæ comprimatur, prius adorare dicitur, postea immolare. Ordinatus quippe contemplantis ascensus est, si a timore incipiat. Timor autem ipse, quid est aliud, quam electæ mentis ad divinam gloriam speculandam transeuntis præordinata purgatio? Eo enim purius divinæ lucis radios intueri merebatur [b], quo validiori timore dejecta, visioni majestatis intimæ purgatior exhibetur. Sic ergo Ephrathæi hujus conversatio foris nobis ostenditur, ut ad perfectionem tendentibus, quid intus agendum sit, rationabiliter demonstretur. Igitur dum summæ gloriæ respergi claritate appetimus, præsumtionis nostræ ausum in hoc timoris transitu præfigamus: ut quo venerabilius omnipotentem Dominum metuimus, eo perspicacius benignitatis ejus gloriam videamus. Cujus etiam timoris magnitudo, electæ menti aliquando post ostensionem lætæ visionis incutitur. Quod profecto dum fit, non fit ut mentem ad gloriæ visionem purificet, sed ut custodiat ab elatione. Unde & Petrus, & Jacobus, & Johannes prius transformati Domini gloriam viderunt, deinde incusso eis timore cecidere, ne elati perderent, quod humiliter assumti videre meruissent. Aliquando ergo adoratio immolationem præcedit; aliquando immolatio adorationem: sed nimirum divina dispositione, non nostro conamine. Vir quippe Ephrathæus, ut prius adoraret, & postea immolaret, ascendisse describitur: quia profecto ordo ita perfectus est, ut a veneratione, quæ ex pavore divinæ districtionis nascitur, ad speculationem lætæ majestatis efferamur. Divina tamen clementia electas mentes aliquando sic suæ dulcedinis infusione exhilarat, ut eas in timoris magnitudinem non inducat. Unde & subditur:

Ordinatus contemplationis ascensus, et a timore incipere.

Aliquando tamen contemplationem sequitur timor.

Matt. 17. v. 6. 7.

Venit ergo dies, & immolavit Helcana.

9. Quid est quod dicit: Venit dies, & immolavit; & non dixit: Adoravit, & immolavit: nisi quia,

Aliquando etiam nec antecedit timor, nec subsequitur.

a Gilot. *inesse*.

b Gilot. *merebitur*.

quia, ut superius dixi, sic sæpe divina dignatione ad videndum gloriam divinæ claritatis extollimur, ut nulla tunc judiciorum immixta consideratione turbemur. Et quamquam sine magna veneratione omnipotenti Deo electa anima numquam assistat, tamen velut immolat, & non adorat, dum sic illa summi gaudii felicitate fruitur, ut dejectione timoris nulla quatiatur. In hunc quippe affectum venerat, quæ dicebat: *Osculetur me osculo oris sui*. Quem timoris affectum prætendit, quæ osculari appetit? Hinc etiam de Moyse scriptum est: *quia Deo loquebatur, sicut solet loqui vir* [a] *ad amicum suum*. Nam velut veniente die, hunc Scriptura sacra sic immolare ostendit, ut eum adoratio timoris nulla prostravisset. Quo in loco hoc notandum video, quod ut adoraret, & immolaret, ascendere dicitur: non tamen adorasse & immolasse, veniente die, sed immolasse solum. Alii ergo sunt dies, quibus ascendimus, ut adoremus, & immolemus; alius ille dies, qui dum venerit, immolamus. Dum enim nostro conamine in divinarum rerum meditatione suspendimur, quasi statuti ascensus nostri dies sunt: quia quosdam spiritualis luminis radios intuemur, quosdam nos ipsi nobis ordinamus, ab imo nostræ humanitatis quadam altitudine sublevamur. Sed quia his meditationibus sine divina gratia nihil agitur, & quia nec timorem nobis prævalemus incutere, nec divinæ dulcedinis suavitatem exhibere, ascensus quidem dies sunt, in quibus adorare, & immolare statuimus, sed tamen in eis nec adoramus, nec immolamus. Dies autem alius venit, & immolamus: quia subita luce gratiæ divinæ respergimur, & de gloria majestatis ejus ineffabilem percipimus abundantiam dilectionis. Hic ergo dies non est illorum aliquis, sed illos sequitur: quia nimirum si nostra dispositione hanc divinæ gratiæ largitatem accipere non valeamus, tamen eam numquam promeremur, nisi omnino curemus, ut & meditando, & quotidie legendo, & orando, & in iis, quæ possumus, spiritualibus claritatibus immoremur. Venisse autem dies dicitur, ut superna dignatio designetur: quia cum electas animas visitat, non est facultatis nostræ, sed bonitatis suæ. Sequitur:

Cant. 1. 1.
Exod. 33. 11

Ibid. & Vers. 5.

Deditque Phenennæ, & filiis & filiabus partes. Annæ autem dedit partem unam tristis: quia Annam diligebat.

Bonis operibus eo magis studendum, quo altius in contemplatione ascenditur.

10. Filii namque Phenennæ sunt mentis sacræ consilia, quæ per studium pietatis activæ vitæ subcrescunt. Qui nimirum filii cum matre partes accipiunt, cum consilia pietatis ad splendorem supernæ gratiæ, in operum bonorum pinguescunt devotione. Pia etenim mens, quo sublimius tollitur in divina contemplatione, eo devotius se extendit in sancta operatione. Partes namque matris hujus, & filiorum, præparationes sanctorum operum sunt. Unam vero partam Anna tristis exhibet: quia per contemplationem, qua superna desiderat, quamdiu in hac ærumna temporis impedita, superna, quæ amat, non obtinet; in solis fletibus pastum refectionis habet. Jejunam quippe se tenet, quoties se projectam ab æternis gaudiis memorans, flere non potest. Partem igitur unam a tristi accipit: quia numquam pro voto reficitur, nisi cum flendo satiatur. Quam ei vir Ephrathæus tristis tribuit, qui cum partem Phenennæ tribueret, tristis non fuit: quia videlicet lætatur in præparatione bonorum operum, quia supernis, quæ amat, quamdiu differtur, gaudiis non lætatur. Hanc certe partem Annæ tribuerat, quia æternis se intuens expulsum bonis loquebatur, dicens: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?* Sed inchoantis adhuc imperfectio designatur, dum Ephrathæi conjux altera, alteram affligere, & vehementer angere perhibetur. Perfecto enim cuique eo nequaquam pugna committitur uxorum, quo firma jam experientia novit, discrete disponere indigentiam operis, & intentionem contemplationis. Nam velut in pace utramque uxorem possidet, qui nec tempora operis contemplationi deputat, nec contemplationis otia per intentionem operis inquietat.

Lacrymis pia anima reficitur.

Psal. 41. 43.

Vers. 6.

Affligebat quoque eam æmula ejus, & vehementer angebat: in tantum, ut exprobraret ei, quod conclusisset Dominus vulvam ejus.

Duarum uxorum, id est vitæ activæ & contemplativæ rixæ in nondum perfectis.

11. Ab æmula Anna affligitur, cum immoderata intentio boni operis turbat quietem internæ visionis. Affligitur, cum ei illa præponitur, quæ esse nobilior comprobatur, & vehementer angitur, quia electæ mentis contemplatio angustatur, dum is, qui in contemplatione sublimium esse desiderat, sese in activæ vitæ operibus immoderatius dilatat. Angere quippe, stringere est. Mentis quippe visio stringitur, cum impedita occupationibus operum, in illa internæ lucis immensitate nequaquam dilatatur. Et quia hanc vehementer angere dicitur, notandum est, quia etiam boni operis immoderata sollicitudo contemplationi non nocet. Phenenna quippe Annam vehementer angit: quia mens dum activæ vitæ immoderate impenditur, valde difficile est, ut cum ad disponenda terrena se occupat, in visione celestium potenter surgat. Cui etiam velut sterili Phenenna exprobrat: quia dum ex activa vita bonorum operum fructus cito proferimus, & ad internæ contemplationis gaudia facile pertingere non valemus, sterilis ista cernitur, dum rudes de ejus fecunditata superamus. Dum argo fecunditate Phenennam diligimus, Anna affligitur, angitur, & sterilitatis opprobrio notatur, quia dum bonarum actionum sollicitudinem non ea qua debemus discrictione restringimus, puritatem contemplationis, tanto nobis difficiliorem reddimus, quanto nobiliorem vitam excellenti studio nequaquam retinemus. Sed quia ad altiora inchoavit ascendere, si fortis est in suo proposito, hujusmodi tentamenta tolerans, non desperat. Nam ad ea, quæ cœpit, alta contemplationis innititur: & de actionis cibo consolari despicit, qui in sola Conditoris specie delectari concupivit. Apte itaque subditur.

Contemplativæ sterilitas exprobratur.

Porro Anna flebat, & non capiebat cibum.

Vers. 7.

Ex terrenæ lætitiæ despectu, quales deliciæ degustemur.

12. In fletu quippe ardens desiderum divinæ contemplationis ostenditur: in dedignatione vero cibi, [b] despectus lætitiæ transeuntis. Mens enim, quem ferventibus desideriis interna desiderat, dum terrenæ letitiæ blandimentum respuit, dum instantibus gemitibus infundi sibi supernæ lucis amœnitatem expetit, flevitque, & cibum non capit. Hunc namque cibum fastidiebat, qui dicebat: *Renuit consolari anima mea*. Sed qui cibum solatii capere de oblectamento rerum conditarum dedignatus est, epulas deliciarum suarum, quia in solo Conditore invenerit, dicit: *Memor fui Dei, & delectatus sum*. Ad has profecto epulas flentem conjugem hortabatur, cum diceret: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam*

Psal. 76. 3.
Ibid. v. 4.
Psal. 43. 5.

[a] Gliot. cum amico suo.

[b] Alii editi, despectum.

nam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei & Deus meus. Quæ nimirum exhortatio hic quoque cognoscitur, quia a viro suo cur fleat, & quare non comedat, & afflictum cor habeat, interrogatur. Quasi dicat: Cur de non habita contemplationis perfectione contristatis, quam si rudis non obtines, proficiens obtinebis? Unde & quæ afflicta ab æmula comedere noluit, a viro cohortata manducavit: quia quæ [a] saniori consilio ima despicit, perfectionem contemplationis habet in spe, quam nondum habet in virtute experientiæ. Fere enim deficienti, & collapsæ contemplationi spei renovatæ gaudium cibus est. Ad viri ergo sui vocem Anna reficitur, cum contemplationis intentio concussa per tentationem, ab eo, qui se amare cœperat, ad spem sui profectus exercitatur. Unde sumto cibo surrexit, omnipotenti Deo preces fudit, atque ei sexum virilem, si hunc ab eo accipere mereretur, vovit.

Gaudium contemplationis ad fructum mentis expetendum, non ad vanam gloriam.

13. Natum filium omnipotenti Deo vovet, qui gaudium contemplationis ad fructum mentis expetit, non ad favorem vanitatis. Sed bene potentibus, in contemplationis desiderio carnales præpositi obsistere vehementer solent: eo quippe ineptius agere secretiorem vitam appetentes cogitant, quo ipsi vim internæ dulcedinis ignorant. Qui si aliquando in spirituales subditos voce asperæ invectionis sæviunt, ab eis humillima ratione sedandi sunt. Nam si se irrationabiliter contra recte agentes erigunt, reverentia superioris ordinis exigit, ut tunc honorentur, cum modum rationis excedunt. Quos sane utrosque & carnales scilicet prælatos, & spiritales subditos, bene Heli, & Anna insinuant: nam cum ille ante postes templi Domini sederet, & Anna oraret, os ejus Heli observavit: & eam ebriam vocavit. Sed hæc, quæ injurias patienter sustinuit, humilitatem responsi exhibuit cum veritate rationis. Ancillam se ejus asseruit ex multo dolore & mœrore loqui, & fruentem in se animum non solum sedavit, sed etiam pro consequando fructu sui desiderij, ad orationem convertit.

Carnales prælati, etiam cum modum rationis excedunt honorandi.

14. Sed quia hæc ultima ad historiam diximus, non ab re agimus, si in his sacræ historiæ verbis eruditionem nostram paulo subtilius requiramus. Si ergo rerum ordo requiritur, prius manducavit, & bibit, dehinc amarum animum habuit, oravit Dominum flens largiter, postea votum vovit, & preces multiplicavit. Quid multiplicatio precum Annæ, nisi illam electorum perfectionem significat, ad quam nos Doctor egregius hortatur, dicens: *Sine intermissione orate?* Sine intermissione namque orare, nisi perfectus vir potest: orare enim sine intermissione, est per affectum supplicationis Conditori semper assistere. Qui autem imperfectionis adhuc infirmitate deprimitur, eo sine intermissione Dominum non obsecrat, quo in ipso etiam orationis tempore a conspectu ejus mentis elabitur vagatione. Bene autem ante precum multiplicationem, votum vovisse sancta mulier dicitur: quia nisi quis se totum cælitem per propositi rigorem exhibeat, eo sæpius ab affectu supplicationis educitur, quo mobilitate mentis in gyrum mundanæ intentionis vertitur, & in conspectu Domini per fortem custodiam non tenetur. Sed spirituali proposito sese vovere electi mens cælestibus gaudiis poterit, si largiter flere jam novit, si fletuum largitate supernæ dulcedinis saporem gustare jam didicit: atque in illius internæ refectionis suæ gaudio

Sine intermissione orare quid sit. 1. Thess. 5. 17.

Ad id quid præstandum.

A occupata, respicere terrena fastidit. Aperte igitur ante votum suum flevisse largiter Anna describitur: quia totum sese quis exhibere sic cælitem, terrena obliviscendo, non poterit, nisi magnis accensus fletibus, in mortuæ jam mundo mentis solatio, delectationis intimæ recipere suavitatem novit. Et quia in gaudio animæ hoc lacrymarum solatium non recipitur, si se prius non afficit per amaritudinem compunctionis: & quidquid in se de labenti vivit lætitia, salubris tristitiæ pugione transfigit, Anna amaro animo ante flevisse relata est, & sic largiter flere potuisse. Quod bene Salomon insinuat, dicens: *Cor, quod* B *novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscetur extraneus*. Extraneus quippe est, qui adhuc de bonis exterioribus intentionem delectationis habet. Qui certe in gaudio amaricati cordis non recipitur: quia non potest experiri, quæ sit interna lætitia, nisi qui perfecte contemnere exteriorem curat. Sed notandum adhuc, quia ante ista omnia surrexisse relata est: & antequam surgeret, comedisse, & bibisse. Quis est cibus electæ animæ, nisi juxta veritatis vocem: *Omne verbum, quod procedit de ore Dei?* & quid est ei surgere, nisi se ad statum supernæ intentionis eri- C gere? Ante ergo surrexisse, quam amaro animo fuisse dicitur, & antequam surgeret, manducasse, & bibisse: quia electa anima de ærumna vitæ præsentis dolere non poterit, si sese ad illa, quæ in cælestibus perdidit, non extendit: & se ad illa summa non elevat, si a Scripturæ sacræ pabulo jejunat. Ut surgamus ergo, manducamus, & bibimus: quia tum ad altitudinem superni amoris erigimur, cum Scripturæ sacræ profundis, & planioribus sensibus roboramur. Dehinc si surgamus, amaritudinem cordis acquirimus: quia dum in superna per amorem ferimur, quæ in imo sunt, non nobis præbent blandimenta gaudii, sed asperitatem afflictionis. Sed jam ab amaro animo D ad fletuum fluenta conscendimus: quia cum jugi, validaque compunctione transfigimur, ea mala, quæ in hac valle lacrymarum incurrimus, & futura, quæ timemus, & æterna bona, quæ amisimus, flere copiosius valemus. Hinc vero ad vovendorum votorum secreta procedimus: quia dum ab omni, quod foris libet, fletuum nos largitas sepelit, velut totos effectos cælites, supernis obtutibus ostendit, & vota vovemus, quibus sic æterna bona placent, ut mens nostra per nulla terrena, atque carnalia se inquinet. Dehinc profectus nostros precum multiplicatio sequitur: quia eo jam libentius, sæpius, & instantius æterna orando quærimus, quo in solo futurorum bonorum solatio respiramus. Mane autem adorant, & in civitatem suam revertuntur.

Prov. 14. 10.

Interiorem lætitiam experiri nequit, qui non ab eo exteriorem.

Matth. 4. 4.

Fletu ex compunctione.

E 15. Post multiplicationem precum cum Anna conjuge mane adorare, est inter magna virtutum dona, humilitatis virtutem custodire: & quia in illa sublimi visione diutius stare non potest anima, quæ adhuc ista corruptionis sarcina prægravatur, apte in civitatem suam reversi referuntur. Electa anima, cum infirmitate prægravante, a Dei contemplatione repellitur, ut redire in eamdem visionis altitudinem valeat, debet habere constructa ædificia munitionis, quatenus ad semetipsam relapsa, in alto se teneat, unde iterum ad eamdem intimæ caritatis altitudinem consurgat. Quod & sub typo Jerusalem, electæ animæ per Prophetam dicitur: *Sta in excelso, & vide jucunditatem, quæ ve-*

Inter magna virtutum dona, custodienda humilitas.

Eiß in ex elso standum sit. Baruc. 4. 36. & 5. 5.

a Alii editi, *senioris consilio ima despicit*.

niet tibi a Deo tuo. Quasi dicat, etsi manere jugiter in Dei contemplatione non potes, ne usque ad ima deponaris: ut ab altis custodiæ tuæ turribus, ad cum contemplandum, sine difficultate conscendere, quem desideras, possis. In Ramatha quidem civitatem suam revertitur, si cum a divinæ majestatis visione repellitur, in sanctorum Angelorum cotemplatione retinetur. Sed cum de ista subtiliori natura, id est angelica, cogitare non prævalet, si ad beatos martyres, vel electos alios, qui jam æternitate recepti sunt, meditando recurrit, quia de perfecta eorum gloria cogitat, nimirum tunc in sua civitate recipitur, qui morari in sublimibus prohibetur. Bene autem eadem Ramatha civitas sua dicitur: quia quam familiariter diligit, suam esse indubitanter credit: suam namque hanc civitatem esse cognoverat, qui dicebat: *Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quia ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, sed æternam in cælis*. Hinc iterum dicit: *Jerusalem, quæ sursum est, mater nostra est*. Sed qui in illa sublimi civitate reverti non potest, redeat nihilominus in civitatem suam Ramatha: & qui ab altissima illa deponitur, in istius Ecclesiæ adhuc in imo peregrinantis, sed sublimis vitæ fulgore radiantis, visione teneatur. Eo quippe hinc iterum redire ad revisendum jubar alti verique luminis poterit, quo eum sensum, quem carnis sarcina ab internæ lucis secreto retrahit, usque ad terræ [b] infima non deponit.

2. Cor. 5. 1.

Gal. 4. 26.

a

b

In contemplatione divina lumen ad mensuram dispensatur.

16. Quid est autem, quod post dierum circulum Anna concipit, & parit: nisi quia gaudium perfectæ devotionis contemplatio ad Conditoris pulchritudinem semel elevata non suscepit? Post dierum ergo circulum concepisse, & peperisse dicitur: quia dum ex consuetudine contemplatio ad superna rapitur, in visione superni luminis munus accipit desideratæ fecunditatis. Circulus namque dierum, est infusio divinæ lucis. Quæ profecto in suo ambitu diebus pluribus cingitur, dum una sua claritate mentem irradiat, sed sui splendoris radios per vices dispensativæ manifestationis ei insinuat, quousque perfectius gaudium de ampliori manifestatione comprehendat. Vel certe post dierum circulum Anna concipit: quia nimirum quamdiu mentis aciem contemplationis ruditas in gyrum mutabilitatis concutit, ipsa mens ad percipiendum plenum internæ majestatis gaudium non assurgit. Velut enim in quodam circulo dies transeunt, cum mens inchoantis in contemplationis se culmen elevat, sed vix per respecti jubar luminis eam adhuc rotantem, ac discurrentem, fixam in sua luce servat. Post dierum ergo circulum concipit, quia prius a mutationis suæ vertigine in standi robur anima ducitur, & cum stare fixa ex usu in contemplatione didicerit, gaudium perfectæ devotionis in fructu suæ fecunditatis apprehendit. Quod etiam conceptum parit, quando proximis ad gloriam supernæ majestatis innotescit.

De accepto munere agendæ gratiæ.

17. Natus vero puer in tribus vitulis ad tabernaculum ducitur: quia de largitate spiritualis muneris gratias referre debemus summæ Trinitati. De quibus vitulis Dominum obsecrans Propheta dicit: *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum*. Quasi dicat: Pro largitate munerum reddemus sacrificia laudis, per obsequium labiorum. In domum vero Domini

Osee 14. 3.

A puer offerendus adducitur, cum sacræ mentis profectus, sanctæ Ecclesiæ doctoribus revelatur, ut dum collatione sapientium discutitur, fraude hostis callidi nequaquam maculetur. Potest & domus Domini æternam patriam designare. De hac quippe Psalmista exultans, dicit: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te*. In domum Domini puer adducitur, cum electa mens in alta sustollitur, & de omni, quod spiritualiter proficit, omnipotenti Deo gratias referre satagit, a quo profectus sui sibi impensa munera recognoscit. Bene autem unus vitulus immolatur, cum res delati referantur: Quia etsi personarum Trinitas, confessione fidelium in divinis laudibus canitur, earumdem personarum inseparabilis unitas prædicatur. Sed qualis, aut quanta sit laus, si devota non sit? Apte itaque tribus vitulis, totidem farinæ modii conjunguntur, ut de eo, quod in Dei laudibus ore dicimus, per devotionem satiemur. Nam sine farina vitulum offert, qui in Dei laudibus verba quidem edit, sed mente vaga ad ea, quæ loquitur, non intendit. Sed si verba Dei laudando, vel orando proferentes hilarescimus, dum intelligentiæ miscemus gaudium, illius vini, quod lætificat cor hominis, amphoram farinæ sociamus. Hoc profecto insinuat, qui exoptans ait: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ*. Quasi tres vitulos ad tabernaculum duxit, qui Deum laudans divinitatis ejus nomen repetendo, personarum proprietates exposuit. Sed cum *metuant*, non eos, sed *eum* dixit, profecto qui tres adduxit vitulos, unum immolavit. Et quia farinam vitulis, & farinæ vinum miscuit, gloriatur, dicens: *Ad ipsum ore meo clamavi, & exultavi sub lingua mea*. Dum enim clamavit, quasi ad immolandum sacrificii vitulum duxit, sed sub lingua sua exultare non posset, si alta precis suæ verba non intelligeret. Cum clamavit ergo intellexit quæ clamavit, & cum exultavit in oblatione omnipotentis Dei, non solum vitulum habuit, sed etiam farinę modi, & amphoram vini. Igitur vitulus, farina, & vinum, laus est Dei: intellectus laudis, & lętitia devotę mentis. Cur autem modius, & amphora in Dei oblatione nominantur, nisi quia mensurę sunt nomina? Hoc etiam quid spiritualiter indicet, Paulus exponit, dicens: *Unusquisque [c] proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius vero sic*. Hinc Veritas dicit: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum*. Hanc nobis mensuram custodire sacra Scriptura præcepit, dicens: [d] *Supra te onus ne levaveris*. Sed electæ animæ valde cavendum est, ut hęc tria omnipotenti Deo ardore pię devotionis offerat, & studio manifestæ veritatis. Unde & ejusdem Annæ filius sacerdoti oblatus asseritur. Quod profecto & nos agimus, si cum in sancta conversatione proficimus, cum fecundis jam mentibus spiritualium gaudiorum fructum proferimus, ad prælatorum nostrorum examen ducimus omne, quod in nobis ex superna contemplatione generatur. Et quia electi viri inter dona sublimia, humilitatis suę bonum non deserant, sequitur:

Psal. 83. 5.

Psal. 66. 7. & 8.

Psal. 65. 17.

1. Cor. 7. 7.

c

Luc. 6. 38.

d

[illegible] judicio profectus noster subjiciatur, a quorum nutu pendere debemus in omnibus.

Et adoraverunt ibi Dominum.

18. In domo Domini Dominum adorant, qui & alta

Vers. 28.

a Abest, *sed æternam in cælis*, in Gilot.
b Vatic. *suprema non deponit*.
c In Gilot. deest *proprium*.

d Ubi hæc in sancta Scriptura? Forsasse Ecclesiastici 3. 22 quo loco legimus, *altiora te ne quæsieris*, quod idem significat.

Contemplationem comitatur humilitas.

alta mente in supernæ patriæ contemplationem se elevant, sed per humilitatem omnipotenti Deo substernuntur, & omni corde in virtute Spiritus tam sublimiter elevantur. Hæc non ex ordine, sed summatim ad historiam, sive moralem intelligentiam exponendo perstrinximus, ut verba spiritalis cantici quod subsequitur, secundum moralem, typicamque explanationem paulo latius indagamus.

CAPUT III.

1. Reg. 2. Vers. 1.

Et oravit Anna, & ait: Exultavit cor meum in Domino.

Ecclesiæ pro conversione Gentilium exultatio.

1. In Annæ persona sanctæ Ecclesiæ typum latere jam ostendimus. Quæ nimirum nato jam puero, in Domino exultare se perhibet: quia de eo, quod ad fidem Redemtoris gentilem populum traxit, vane tumuit, sed in eo lætitiæ suæ intentionem tenuit, a quo fecunditatis suæ dona suscepit. Quibus nimirum verbis sic lætitiæ suæ situm indicat, ut causam pariter exultationis ejusdem ostendat. Sterilis quidem flevit, pariens exultavit, ut sanctæ Ecclesiæ mores protenderet, quæ se in hanc vallem lacrymarum a Paradisi gaudiis projectam dolet, sed pro lucrandis animabus exilii sui ærumnas patienter sustinet. In hoc tantum exultare consuevit, si in ærumna temporis, qua premitur, per fecunditatis suæ gloriam, multiplicatis electis, cælestis patriæ damna reparentur. Dicit ergo: *Exultavit cor meum in Domino*, quia fructus sui propositi consecuta est. Quo in loco notandum est, quia hoc, quod glorians loquitur, orasse perhibetur. Nam præmissum est: *Et oravit Anna, & ait: Exultavit cor meum in Domino.* Quæ autem nihil a Deo petere flagitando cognoscitur, cur orasse perhibetur? Sed quia hoc futurum esse per prophetiæ spiritum sancta mulier noverat, & id fieri vehementer optat, & exultando loquitur, & orando. Exultabat quidem certitudine futurorum, vehementer expotans fieri, quod noverat, revelatione sacramenti. Sancta quoque Ecclesia inde divina beneficia amando & venerando recolit, prædicat, & orat: quia nimirum id foris loquendo exequitur, quod intus miro desiderio fieri cupit, & factum magna devotione veneratur. Dicit ergo: *Exultavit cor meum in Domino*: quia munera, quæ ad æternæ lætitiæ fructum accepit, ad temporale gaudium non convertit. Sequitur:

Ibidem.

Et exaltatum est cornu meum in Deo meo.

Ecclesiæ potestas a Christo collata.

2. Quid est cornu Annæ, nisi potestas sanctæ Ecclesiæ? Quod profecto cornu tunc mirabiliter se extulit, cum Dei Filius per assumtam humanitatem naturæ nostræ participem se fecit. In eo igitur cornu sanctæ Ecclesiæ exaltatum est, in quo humana natura jam splendet supra Angelos elevata. Sed in hoc, quod hunc Deum suum & salutarem sancta Ecclesia singulariter asserit, Synagogæ repulsionem latenter ostendit. In Deo igitur salutari nostro exaltatum est cornu nostrum: quia sublimitas Ecclesiasticæ potestatis in humanitate nobis erecta est Redemtoris. Unde & de eodem Redemtore per Zachariam dicitur: *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum Prophetarum suorum*: quia exaltatum cornu suum refert, latenter indicat, quia ante cornu habuerat, quod exaltatum non erat. Sancta quippe Ecclesia ante Redemptoris adventum cornu habuit; quia in Patriarchis, & Prophetis tam recte

Luc. 1. v. 69. 70.

vivendi ordinem, quam delinquentes corigendi potestatem divinitus accepit. Sed tamen cornu exaltatum non habuit: quia etsi vivere juste poterat, tamen ad Paradisi gaudia sine Redemtoris præsentia redire non poterat. Nunc autem sanctæ Ecclesiæ cornu exaltatum est: quia jam mundi Redemptorem venientem recepimus, per cujus gratiam non solum recte possumus vivere, sed & ad Paradisi gaudia transire: quia ille jam pro nobis mortuus resurrexit, in cujus morte mors obiit, & Paradisus se ejus fidelibus reseravit. Exaltatum est ergo cornu nostrum in Deo nostro: quia effusa jam gratia sancti Spiritus, in electorum multitudine impressam Redemtoris imaginem videmus, dum qui terrena omnia despiciunt, carnis voluptates fugiunt, propria derelinquunt, tanto altiori potestate radiant, quanto hæc tanta virtutis insignia, in veterum multitudine sancta Ecclesia non habebat. Exaltatum est cornu nostrum in Deo salutari nostro: quia quotquot eum recipimus, dedit nobis potestatem filios Dei fieri. Hoc cornu exaltare volebat Salutaris noster, cum dicebat: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici.* Hinc item asserens, ait: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Hinc iterum repromittit, dicens: *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel.* Dicat ergo Anna: *Exaltatum est cornu meum in Deo meo*, ut videlicet sanctæ Ecclesiæ gloria designetur, quæ singulare culmen potestatis obtinet de præsentia Redemtoris. Et quia jam in toto mundo distenditur, quæ quondam intra Judæam persecutionibus angebatur, sequitur:

Paradisus clausus ante Christum.

Johan. 1. 12.

Luc. 10. 19.

Matt. 16. 19.

Ibid. 19. 28.

Dilatatum est os meum super inimicos meos.

Ecclesia per orbem [illegible] dilatatur.

3. Qui enim inimici Ecclesiæ alii, quam Judæi intelligendi sunt? Supra quos nimirum dilatatum os habet: quia contra eorum perfidiam omnium Gentium jam fidelium linguas movet. Os ergo sanctæ Ecclesiæ dilatatum est, quia per universum orbem diffunditur, & dum nationes universas prædicatione veritatis erudit, Judæorum stultitiam, veluti dilatato ore, reprehendit. Et quia hoc inde patuit, quia venientem in carne mundi Redemtorem gaudenter excepit, causam dilatati oris exponit, dicens:

Quia lætata sum in salutari meo.

Ibidem. Unde Ecclesiæ gaudium. Isa. 52. 10 Ps. 97. 3.

4. Jam quis sit salutaris Dei cognovimus. De quo etiam Isaias vaticinans, [a] ait: *Videbit omnis caro Salutare Dei: videbunt omnes fines terræ Salutare Dei.* Jesus autem nostro eloquio Salutaris dicitur: De quo etiam Habacuc sibi gaudium repromittit, dicens: *Gaudebo in Deo Jesu meo.* Ecce veterum Judæorum vocibus Dominus Jesus Deus asseritur. Sed nunc Judæi Salvatorem expectant, quem Deum esse nequaquam credunt. Sed fortasse hoc Judæi in ore suo reprobare contendunt, & dum Jesum Salvatorem interpretantur, Deum Salvatorem non unigeniti personam, sed Patris intelligunt: veruntamen in eodem loco subditur, unde unigeniti persona apertius demonstretur: *Domine Deus, inquit, virtus mea, constitue pedes meos in consummatione, & super excelsa statue me, ut vincam in claritate ipsius.* Ecce, Deo loquitur, dicens: *Statue me super excelsa.* Sed quia dicit: *Vincam in claritate ipsius*, alius utique est, de quo dicit. Quis ergo est, de quo dicit, nisi unigenitus Dei Filius, quem non solum verum hominem, sed etiam Deum credit? Dum ergo Deo loquitur, dicens: *Gaudebo*

Habac. 3. 18.

Ibid. v. 19.

Christus verus Deus.

[a] Hæc Isaiæ omittuntur in Vatic. & in Gussanv.

in Deo Jesu meo, & vincam in claritate ipsius, non Deum alium, sed Deus personam aliam demonstrat. Hę sunt sanctę Ecclesiæ rationes, hæ contra Judæorum perfidiam invincibiles assertiones per universum orbem diffusæ. Dilatum ergo os habet sancta Ecclesia super inimicos suos: quia jam, auctore Deo, ubique cognoscitur, unde & Judæorum perfidia convincatur. Causam igitur dilatati oris audiant, qui Salutare Dei negant, & de gaudio Salutaris nostri feriantur argumento confusionis suæ. Sed feriri possunt, a blasphemiis vero suis cessare nolunt. Jam Dei Salutare mundus excepit, omnis caro vidit, Judæus non credit: quia, ut dixi, salvatorem expectat, qui Deus non sit. Audiant ergo maledictionem Prophetæ dicentis: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & a Domino recedit cor ejus*. In hominem Judæi confidunt, qui credere in Redemtorem refugiunt, dum Antichristum in fine mundi præstolantur. In quorum confusionem Psalmista prædicat, dicens: *Viderunt omnes fines terræ Salutare Dei*. Quasi perfidiam Judæorum confundat, dicens: quid in posterum visiones differtis? Quem expectatis, jam venit; quem promissum habuistis, jam omnibus finibus terræ apparuit, cum clausistis oculos transiit; imo sic cæci facti estis, quod coram vobis tanta lux stetit, & non vidistis. Ergo, *jubilate Domino omnis terra, cantate, & exultate, & psallite: psallite Deo nostro in cithara, & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Jubilate in conspectu regis Domini, moveatur mare, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo. Flumina plaudent manu in idipsum, montes* [a] *exultabunt ante faciem Domini, quoniam venit, quoniam venit judicare terram*. Quasi dicat. Quia tam immensa cæcitate premuntur, ut nequaquam videre meruerunt, vos gaudete abundantius, qui vidistis. Sed quam mirabiliter, atque ineffabiliter gaudendum sit, signa gaudii coacervans, ait: *Jubilate, cantate, & psallite*. Celebritatem quoque lætitiæ insinuare gestiens, instrumenta ejus enumerans, dicit: *Psallite Domino in cithara, & cithara, & voce psalmi, in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ, jubilate in conspectu regis Domino*. Quid in conspectu regis, nisi in cognitione Redemtoris? Sed a quantis hæc gaudiorum solemnitas sit agenda, exponit, dicens: *Moveatur mare, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*. O infelix Judæa, fines terræ viderunt Salutare Dei, omnis terra commota jubilat, gaudet universus orbis, flumina plaudunt manibus, montes exultant: sed impia Judæorum corda non credunt, & in cæcitatis suæ tenebris livoris pœna feriuntur. Sed quam blasphemare non metuunt, sancta Ecclesia attentius commendat, dicens,

Judæorum insania Salvatorem, qui Deus non sit, expectantium.
Jerem. 17. 5.
Psal. 97. 1.
Ibid. v. 4. &c.

Non est sanctus, ut est Dominus.

Vers. 2.
Christus Moyse & Abrahamo longe major.

5. In descriptione Redemtoris omnia incomparabilia designantur. Inde enim verus Redemtor ostenditur, quod in omni quod ad ejus gloriam dicitur, et nomen comparatur. Ille enim omnes redemit, qui omnibus excellit. Quod recte contra Judæam dicitur, quæ eo audacius Redemtorem despicit, quo multos se habuisse viros recolit, qui magna claruerunt laude sanctitatis. Hinc est enim, quod illuminato cæco exprobrantes dicunt: *Tu sis discipulus illius, nos autem Moysi discipuli sumus. Scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc nescimus unde sit*. Hinc item gloriantur, & dicunt: *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus umquam*. Sed homo fuit Moyses, homo Abraham, homo Christus. Verumtamen illi assumti ad locutionem Dei, iste assumtus in divinitatem. Illi assumti ad ministerium, iste ut unigenitus assumtus ad regnum. Unde & loquitur, dicens: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*. NON *est sanctus, ut est Dominus*. Hoc etiam sacra Scriptura testatur, dicens: *Cui se infundit omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Hinc Johannes, ait: *De plenitudine ejus omnes accepimus*. NON *est sanctus, ut est Dominus*. Quia in eo, quod Dominus asseritur, sanctitatis ejus excellentia commendatur. Sed Judæi Christum, quem expectant, purum hominem asserunt, & tamen suum Dominum futurum, & singulariter sanctum credunt. Sed Psalmista illos reprobans, nos ad fidei gaudium cohortatur, dicens: *Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia. Intrate in conspectu ejus in exultatione, scitote quoniam Dominus ipse est Deus*. Illi Dominum vocant, qui Deus non sit. Nobis ergo jubilandum, nobis in lætitia serviendum, qui talem habemus Dominum, qui etiam Deus veraciter credatur, qui majestatem divinitatis, quam in se asseruit, incomparabilibus miraculis comprobavit. Qui ergo invisibilem ejus divinitatem abnegant, patentibus operibus credant. Sed quam mira sanctitas illa est, quæ peccatores sanctificat? Unde & de peccatrice muliere dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Hanc excellentiam sanctitatis, illa in fluxu sanguinis posita cognoscens: ait: *Si tetigero vel fimbriam vestimenti ejus, salva ero*. Sed quis fidem ejus assereret, si effectus fidei non pateret? Nam ut vestimentum ejus tetigit, sanguis stetit. Non est ergo sanctus, ut est Dominus: quia quisquis potuit sanctus existere, ejus accepit munere, ut sanctus esse potuisset. Hoc namque sancta Ecclesia subsequenti verbo insinuans, ad eumdem Redemtorem ex nimia caritate convertitur, dicens:

Joh. 9. v. 28. & 29.
Joh. 8. 33.
Joh. 16. 15.
Col. 2. 9.
Joh. 1. 16.
Psal. 99. v. 1. 2. & 3.
Luc. 7. 47.
Matt. 9. 21.

Neque enim est alius extra te.

Ibidem.
Et ejus munere Sancti omnes fiunt.

6. Subauditur, sanctus. Extra eum sanctus aliquis esset, si absque dono unigeniti, sanctificationis spiritum habere potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat? Scriptum quippe est: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Verbum Domini est unigenitus Dei. Quem profecto Evangelista Johannes insinuans, ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Si ergo etiam Angeli sanctificati creduntur in Filio, multo magis de hominibus creditur, quia extra eum sanctificationis gratiam invenire non possunt.

Psal. 32. 6.
Joh. 1. 1.

7. Potest etiam hoc sine aliqua subauditione intelligi. Cum ergo dicit, *Nec est alius extra te*, quid aliud in Redemtore, quam divinæ essentiæ incommutabilitas designatur? Unde & Judæis blasphemantibus, dicit: *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Idipsum in Genesi Moysi insinuans, ait: *Ego sum, qui sum*. Deo enim unigenito esse, est dissimiliter numquam esse. Qui certe status tanto longe est a cunctis mortalibus, quanto clarius cognoscitur, quia momentis singulis per multa variantur. Potest hoc & ad justitiæ statum pertinere, quia electorum esse, est in Deo per justitiam manere. Et quia unigenitus Dei Deus est, extra eum non est aliquis, quia nemo electorum, nisi in ipso est. Quod si refertur ad divinitatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis ejus evacuet: quia justus esse

In Redemtore divinæ essentię incommutabilitas.
Joh. 8. 58.
Exod. 3. 14.

non

[a] Gilot. exultaverunt ante faciem Domini.

non potest, qui fidem non habet divinæ Incarnationis: Judæi ergo per hæc singula verba feriuntur, qui dum Redemtorem contemnunt, Antichristum expectant, qui Deus non esse liquido comprobatur. Unde & per beatum Job dicitur: *Habitent in tabernaculo ejus socii ejus qui non est*. Tabernaculum Antichristi, est amor perfidiæ, quo fidei contradicit Redemtoris. In quo nimirum tabernaculo Judæi nunc permanent: quia dum perfidiæ suæ situm amanter inhabitant, contra Redemtorem pugnant. Qui etiam ejus qui non est, socii esse referuntur: quia in proposito suo diabolum adjuvant, qui dum a summæ illius essentiæ amore corruit, verum esse protinus amisit. Cui nimirum non esse est, ad summam illam beatam essentiam per amoris participationem reverti non posse. Et quia Judæorum populus, non solum arduam patrum veterum conversationem, sed etiam miraculorum ostensionem, ad augmentum elationis habuit, subditur:

Job 18. 15.

Et non est fortis sicut Deus noster.

Ibidem. Synagogæ gloriatio retunditur.

8. Quasi inaniter gloriantem Judæam reprimat, dicens: Quos magna fecisse adstruistis, puri homines fuerunt: quem prædico, non solum homo sanctus fuit, sed etiam potens Deus. Dum ergo fortitudo respicitur, excellentia indicatur: quia nimirum omnino infirma est omnis fortitudo hominis in comparatione deitatis. Quo tamen in loco assertio divinitatis non probat excellentiam operis: sed incomparabilitas fortitudinis ostendit veritatem deitatis. Quasi dicat: In hoc cognoscitur, quia vera protulit: quia deitatem, quam in se asseruit, incomparabilibus operibus comprobavit. Unde per semetipsum dicit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Jam vero ipsa opera discutienda sunt. Moyses mare, Helias flumen divisit: Dominus noster Jesus super mare ambulavit. Quid ergo est elegantius, in sicco profundi alveo viam transeunti populo exhibere, an ipsam maris faciem viam facere? Illi quippe, quia humanitatis deprimebantur pondere, in profundi solido viam, qua pergerent, requirebant: sed qui infirma humanæ naturæ in celsitudinem divinitatis assumsisse cognoscitur, super aquas virtute propria ferebatur. Moyses de consortio sermonis Domini splendorem vultus obtinuit. Josue orationibus solem fixit: sed quia Deus est Jesus, coram discipulis in solis virtute resplenduit. In illius faciem filii Israel intendere non poterant: istius gloriam qui meruerunt cernere, ceciderunt: ut aperte cognosceres, quia divinum existeret, quo humana transiret. Huic, in monte illis assistentibus, ab eterno Patre dicitur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*. Et idcirco etiam Helias, qui, ne plueret, cælum clausit, & ut plueret, reseravit, in ejus comparatione quid est, qui, apertis cælis, Patrem exhibuit testem suæ divinæ generationis? *Non est ergo fortis ut Dominus:* quia quidquid virtutis Moyses ostendere potuit, Dominus, non ipse fecit. Jesus autem omnia, quæ mire gessit, propria virtute exhibuit, quia Dominus etiam Moysi fuit. Non enim Moyses populo per deserta gradienti, sed Dominus manna pluit. Non Moyses, sed Dominus in columna ignis per noctem, & nubis in die populum præcessit. Non Moyses, sed verbum, quod factum est ad eum, aquam de rupe produxit. Non Moyses, sed Dominus volatilia concupiscentibus exhibuit. Unde & Dominus Judæos in patrum fortitudine gloriantes, reprimit, dicens: *Non Moyses, sed Pater meus dedit vobis panem de cælo*. Hinc Psalmista non Moysen inaniter efferens, sed Dominum laudabiliter extollens, dicit: *Fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Thaneos, interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in utre. Eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Eduxit aquam de petra, & deduxit tamquam flumina aquas. Et mandavit nubibus desuper, & januas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris, volatilia pennata*. Dominus autem Jesus fortis incomparabiliter non in aliena virtute apparuit, sed in sua. Unde & ex seipso potens, paraclyto imperans, ait: *Tibi dico surge*. Hinc etiam scriptum est: *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant a quocumque languore tenebantur*. Et iterum: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Hoc namque insigne fortitudinis, nec Moyses, nec Helias habere potuit: ut, dum incomparabilia signa innotescerent, adventum unigeniti apertissime designarent. Recte ergo Synagoga perpetuo silentio damnatur, cum subditur:

Job 15. 24. Exod. 14. 21. 4. Reg. 2. 8. Matt. 14. 24. Exod. 34. 29. Josue 10. 12. 13. Matt. 17. 5. 3. Reg. 17. 1. Quidquid virtutis Moyses ostendit, non Moysis sed Dei fuit. Exod. 16. v. 13. &c. Ibid. 14. 19. Ibid. 17. 6. Ibid. 16. 7. Joh. 6. 32. Psal. 77. 12. &c. Matt. 9. 6. Marc. 6. 56. Luc. 6. 19.

Nolite multiplicare loqui sublimia. Recedant vetera de ore vestro.

Vers. 3.

A Christo effecti sunt Prophetæ.

9. Quasi dicat: Dum incomparabiliter nova cernitis, gesta antiquorum reprehensibiliter effertis. Quasi enim umbra, illa præcesserant. Sed nunc palam veri fideles hæc Redemtoris nostri opera venerabiliter adorant: quia quod umbrabatur ibi oculratione sacramenti, in adventu Redemtoris patuit, expectasse corpus revelandæ veritatis. Ergo si ad nova referuntur, vetera non sunt: quia in Spiritu sancto intellecta, vetustatem aliquam non recipiunt. De illo quippe renovante omnia spiritu, Psalmista precatur, dicens: *Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Vetera ergo sunt, si Redemtoris operibus conferantur: sed cum ad confirmanda hæc, spiritaliter illa proferimus, eo spiritu, quo hæc intelligimus, illa renovantur. Sancta ergo Ecclesia dum Judæos de veterum narratione reprehendit, quid aliud, quam eos acta Patrum spiritualia carnaliter intelligere designatur? Synagoga etenim contra sanctam Ecclesiam se tanto temerius erigit, quanto Legis, & Prophetarum scientia superbius extollitur, quam suis patribus divinitus inspiratam, sibi autem materialiter exhibitam didicit. Unde sequitur: *Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes*. Et ut tumere desinant, subjungit, dicens: *Recedant vetera de ore vestro*. Jam quippe ei vetera sunt, quæ, ut dixi, per renovantem spiritum non intelliguntur. Tale est igitur, ac si dicat: Dignum est, ut ab eorum narratione sileas, quorum novos, & splendidos sensus ignoras. Quæ nimirum etsi subtiliter intelligis, tumorem arrogantiæ tibi præstare non debent: quia Deus scientiarum Dominus est. Redemtor quippe humani generis, quia summi Patris est Verbum, Dominus est utique omnium scientiarum. Alta quippe, & magna locutus est Isaias, magna locutus est Jeremias, sed profecto nihil dicerent, si hoc Verbum scientiarum Dominus, non eis, antequam loquerentur, scientias indicaret. Unde & frequenter in libris ejusdem Isaiæ Prophetæ legitur: *Verbum, quod factum est ad Isaiam Prophetam*. Frequenter & in libro Jeremiæ scribitur: *Verbum, quod factum est ad Jeremiam Prophetam*. Hoc verbum scientiarum Dominum, Johannes in altissimo summi Patris sinu aspiciens, ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Hinc Paulus scientiarum Dominum Redemtorem nostrum

Psal. 103. 30. Joh. 1. 1.

ſtrum inſinuans, dicit: *Quia in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Dum ergo dicit: RECEDANT *vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt:* quid eſt aliud dicere, niſi Synagogæ aperta ratione monſtrare, ut tanto ſollicite tacere debeat, quanto non ſolum quod ſint, ſed etiam a quo ſint ea, quæ dicit, ignorat? Quaſi dicat: illam ſcientiam, quam Patrum tuorum fuiſſe adſtruis, tanto tibi dare arrogantiam non debuit, quanto non ipſorum, ſed unigeniti Filii Dei fuit: & ipſam eamdem ſcientiam non intelligis. Dicit ergo: *Recedant vetera de ore veſtro.* Ut Judæi nequaquam depravent, quod intelligere recte non prævalent. Deus ſcientiarum, dicit, Dominus eſt, ut quod veraciter Dei eſſe comprobant, hominibus fallaciter non adſcribant. Sed dum de verbis jactantiæ Judæa reprehenditur, quia nullo timore compungitur, ei etiam de occultis perfidorum cordium motibus tormenta nuntiantur. Nam ſequitur.

Col. 2. 9.

Et ipſi præparantur cogitationes.

10. Quaſi dicat: Quem plaſphemare non metuis, non ſolum linguæ habebis judicem, ſed & cordis. Unde & per Iſaiam comminatur, dicens: *Ego opera, & cogitationes eorum venio ut congregem.* Hinc per Moyſen Dominus comminans, ait: *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* Et quia his verbis ſilentium Synagogæ præcipitur, videamus jam, ſancta Eccleſia quibus fecunditatis ſuæ laudibus in Annæ voce glorietur. Subdens namque ait:

Ibidem. Chriſtus non linguæ ſolum judex, ſed etiam cordis. *Iſai. 66. 18. Deut. 32. 34.*

Arcus fortium ſuperatus eſt.

11. Quidnam eſt arcus fortium, niſi fraudulenta ſævitia Judæorum? Ex occulto quippe, quaſi ex arcu Redemtori vulnus inflixerant, quem Gentium manibus occidebant. Sed ſuperatus eſt arcus fortium: quia qui eorum vulnere obiit, a mortuis reſurrexit, in cælum aſcendit, promiſſum Spiritum ſanctum diſcipulis miſit. Unde ſubditur:

Verſ. 4. De Judæorum ſævitia, per reſurrectionem triumphavit.

Et infirmi accincti ſunt robore.

12. Appellatione quidem roboris, virtus oſtenditur Spiritus ſancti. Unde & eumdem Spiritum Dominus diſcipulis repromittens, ait: *Vos autem ſedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Robur autem, gratia ſancti Spiritus recte dicitur, quam ut electi recipiunt, contra omnia adverſa hujus ſeculi fortes fiunt. Qui vero infirmi hoc loco, niſi Apoſtoli intelligendi ſunt? Sed infirmi profecto, cum arcus fortium tenditur, non cum virtute ex alto veſtiuntur. Nam in hora Dominicæ comprehenſionis ſcriptum de eis eſt, quia *relicto Domino, omnes fugerunt.* An non valde infirmi tunc Petrus erat, cum interrogantis ancillulæ vocem timuit, & Redemtorem negavit? Jam quippe ſuperatus erat arcus fortium, annihilata ſævitia Judæorum, quia Redemtor morte victa ſurrexerat: & tamen adhuc infirmi Apoſtoli, ſuperatos fortes, clauſis januis, metuebant. Sed ubi eos robur induit, libet intueri quam fortes fecit. Repentino quippe ſonitu ſuper eos Spiritu ſanctus venit, & eorum infirmitatem in miræ caritatis virtutem permutavit. Cœperunt enim Chriſtum jam robore induti prædicare, qui perſecutorum minas non erubeſcebant delitefcendo fugere: & qui mulierum verba timuerant, auctoritatem principum, libertate frangebant. Vicit robur formidinem, terrores, minas, & cædes ſuperavit: & quos ſuperveniendo induit, in cæleſti militia mirabilis audaciæ inſignibus illuſtravit, ut inter flagella, cædes, & opprobria non metuerent, ſed exultarent. Scriptum quippe de eis, hoc jam robore indutis, eſt: *Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Hinc jam prædicantes, dicunt: *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Bene ergo dicitur: *Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore.* Quia prius a mortuis reſurrexit, & ſic ad cælum Redemtor abiit, & Spiritum ſanctum diſcipulis miſit. Prius namquem ſuperandus erat arcus fortium, & poſt infirmi robore accingendi. Unde & ſcriptum eſt: *Nondum erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum fuerat glorificatus.*

Ibidem. Infirmos accinxit robore, hoc eſt gratia Spiritus ſancti. *Luc. 24. 49.*

Matth. 26. 56. Luc. 22. 71. 74.

Joh. 20. 19.

Act. 2. &c.

Act. 5. 41.

Iacob. 1. 2.

Joh. 7. 39.

13. Quo in loco notandum eſt: quia hoc contra Judæam dicitur, quæ miracula Redemtoris tanto ſuperbius deſpicit, quanto inter ſupplicia mortuum recognoſcit. Dicit ergo: *Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore.* Quaſi mortem Redemtoris calumnianti Synagogæ reſpondeat, dicens: Noli deſpicere, quod mori potuit: ſed mirare potius, quia mortuus reſurrexit, & Gentis tuæ ſævitiem reviviſcendo ſuperavit. Et quia hoc de præterito oſtendit, non ſolum denuntiando ei loquitur, ſed inſultando. Quaſi enim inaniter inſultanti improperet dicens: Quid vobis profuit occidiſſe, quem mortis laqueus noo potuit tenere? Vos occidiſtis, ne poſt eum totus mondus iret: ſed idcirco poſt eum totus mundus vadit, quia verum ſe Dei Filium probavit, dum moriendo humanum genus redimeret, & dum reſurgendo viventem ſe monſtraret, & ad cælum conſcenderet, & Spiritum ſanctum promiſſum diſcipulis deſtinaret. Et quia pro incredulitatis ſuæ merito, Synagoga a participatione promiſſæ gratiæ repulſa eſt, id ipſum ſancta Eccleſia improperans ei, ſubdens, ait:

Judæi non deſpiciant Chriſtum, quod mori potuerit; ſed mirentur, quod reſurrexit.

Repleti prius, pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt.

Verſ. 5.

31. Qui fuerunt prius repleti, niſi qui cognitionem Dei, antequam ceteri populi, habuerunt? Qui ergo repleti prius, intelligendi ſunt alii, quam Judæi, qui in fide Conditoris fere ab ipſo fuerunt principio mundi eruditi? Ipſi quidem pro panibus ſe locaverunt. Quid enim panes hoc loco ſignificant, niſi myſteria divinæ Incarnationis? Locus autem inveniendorum panum ſacra eſt Scriptura. Unde & panis, qui de cælo deſcendit, ad inveniendum ſe, ignorantibus, dicit: *Scrutamini Scripturas, quia ipſa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Pro panibus ergo ſe locaverunt, quia omnes Scripturas acceperant, ut in eis ſacramenta divinæ Incarnationis invenire debuiſſent: ſed cum panis venit, Synagoga, quæ ſe pro pane locaverat, locum reliquit, in quo invenire panem debuit, quem quæſivit. Scripturas quidem, ut dixi, ad cognoſcendum Redemtorem habuit, ſed qui ſecundum Scripturas venerat, venientem confutavit. Famelici ergo ſaturati ſunt: quia qui crediderunt de Gentibus, dum myſteria divinæ Incarnationis veneranter accipiunt, cæleſtem cibum habent ad internæ delectationis uſum. Famelici quidem dicti ſunt, quia ante adventum Redemtoris infidelitatis fame projecti, ſpiritualis refectionis cibum nullum habuerunt. Vel certe famelici dicuntur, quia ſpiritualis cibi dulcedinem cum magna aviditate ſuſcipiunt. Repleti vero, qui ſe pro pane locaverunt, audiant quem expectabant: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.* Sed quia non merebantur agnoſcere, reſpondebant: *Nonne hic eſt filius Joſeph? quomodo dicit, quia de cælo deſcendi?* Ipſe autem, qui omnia

Judæis Scripturarum cibus ablatus. *Joh. 5. 39.* Gentilibus oblatus. *Joh. v. 6. 39. 41. &c.* *Luc. 4. 22. &c. Joh. 6. 42.*

Matt. 8. v. 11. 12.

omnia noverat, ad delectationis suæ recubitum famelicos venturos prophetabat, dicens: *Amen dico vobis, quia ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum, filii autem regni projicientur in tenebras exteriores.* Repleti ergo se locaverunt pro panibus, sed famelici saturantur, quia Synagogæ filii in Scripturis sanctis pastum fidei de futura Incarnatione Redemtoris habuerunt: sed nunc projectis illis, dum Gentiles in eum veraciter credunt, divinitatis & humanitatis ejus sacramenta, in delectationis intimæ refectione suscipiunt.

Judæi manducarunt, sed non sunt saturati.
1. Cor. 10. v. 3. 4.

15. Quia vero per egregium Doctorem dicitur: *Omnes eamdem escam manducaverunt, & omnes eumdem spiritalem potum biberunt: (bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus:)* potest rationabiliter colligi, quia illi manducaverunt, & non sunt saturati, isti manducaverunt, & saturati sunt. Quod nimirum contra Synagogam a sancta Ecclesia recte dicitur, ut ii, qui sunt sub gratia, mira celsitudine præeminere sub Lege positis designentur. Quid enim illis fuit se pro panibus locare, nisi sacramenta venturi Redemtoris in Scriptura sacra perquirere? Quorum profecto unusquisque manducavit, & saturatus non est: quia futuram summi unigeniti Incarnationem credidit, sed præsentem non vidit. Manducare quidem ei fuit, divinam Incarnationem in mentis desiderio dulciter retinere: & non saturari ei fuit, desideratam ejus præsentiam non videre. Sed infirmi, qui robore accingendi erant, saturitatis suæ præconia ab eo, quo saturabantur pane audiebant: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Amen dico vobis, quia multi reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt.* Qui enim videre volebant, jam intimæ delectationis panem per desiderium manducabant; sed quia videre non poterant, habebant gaudium desiderii, sed non habebant per fruitionem saturitatis. Nam etsi Scriptura dicat. *Quia panem omnem suavitatem habentem, & omnem dulcedinem, Deus eis dedit.* sic dicitur ab eis accipi, sicut nosci, sicut per fidem notus ab eis, per caritatis desiderium poterat concupisci. Synagogæ igitur in primis patribus glorianti, ii accincti robore [a] præferuntur, dum novum culmen electorum conspicitur præcelsum, nequaquam inaniter ultra glorietur. Et quia a discubitu sanctæ Ecclesiæ cibus vitæ numquam tollitur, tam futura, quam præterita insinuans, ait:

Matt. 13. v. 16. & 17.
Sap. 16. 20.

Ibidem.

Donec sterilis peperit plurimos; & quæ multos habebat filios, infirmata est.

Ecclesiæ prius sterili fecunditas collata.
Matt. 28. 20.

16. Quæ est sterilis, nisi sancta Ecclesia, ut supra latius in Annæ typo jam diximus? Quid est ergo famelicos saturari, donec sterilis pariat, nisi usque in mundi finem panem vitæ possidere? Quod & ipse repromittit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi.* Non enim sunt nisi famelici, quos sancta Ecclesia parit. Ergo donec parit, famelici saturantur, quia usque in mundi finem Deo filios generat: qui dum venisse in carne Redemtorem credunt, panem vitæ, quem desiderant, comedunt, & plenitudine replentur. Sed donec sterilis plurimos parit, ea, quæ multos habebat filios, infirmatur. Infirmari Synagogæ, est institutione Legis veteris parere non posse. Quæ enim fidem viri prioris perdidit, diabolo jam, & non Deo parit. Bene autem dicitur: Quæ multos habebat filios: quia dum in veritate Scripturarum subjectum sibi populum antiquitus erudiret venturi Redemtoris adventum concupiscere, de complexu cælestis sponsi filios pariebat. Nunc autem, quæ habebat filios, infirmata est, & filios non habet. Scripturas quidem suis auditoribus exhibet, sed quia Redemtorem negat, Deo filios numquam generat. Infirmari ergo dicitur, cui spiritualis fecunditas negatur. Et quia tam Synagogæ repulsio, quam electio gentilitatis incomprehensibili Dei judicio facta est, sequitur:

Synagoga sterilitatem patiens.

Vers. 6. 7. 8.

Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & sublevat. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.

Judæorum rejectio, & Gentium electio, mysteria sunt non discutienda.
Rom. 9. v. 20. 21.

17. Quasi obstupescenti alicui de tam electæ gentis repulsione respondeat, dicens: Quid in his rationem quæris, quæ summa ratio incomprehensibiliter facit. Quod etiam genus quærendi, doctor egregius reprehendens, ait: *Homo, si tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum factori suo: Quid me fecisti sic? Aut non habet potestatem figulus ex eodem luto aliud quidem vas facere in honorem, aliud vero in contumeliam.* Tale est ergo, ac si dicat: Quia omnium Dominus recte cognoscitur, opus illius, & in Judææ abjectione, & in Gentium electione venerandum, & non discutiendum esse sentiamus. Mortificat quidem Dominus: quia incomprehensibili judicio quondam electum Judæorum populum a cognitione veritatis separat, & in perpetuum damnat. Vivificat: quia gentilitatem ad agnitionem sui unigeniti temporaliter per fidem recipit, & ad ejus contemplandam gloriam æternaliter perducit. Ad inferos ducit: quia districto ejus judicio, ultrix gehenna eos puniendos in perpetuum recipit, qui per culpam perfidiæ a veneratione se dividunt Redemtoris. Reducit ab inferis: quia gentilem populum ad filii sui fidem devote accedentem suscipit, cui velut altus abyssi carcer extitit, immensa obscuritas erroris. Pauperem facit, & ditat, quia & pulsam Judæam spiritalibus virtutibus spoliat: electam gentilitatem, tam pretio fidei, quam bonorum operum fulgoribus exornat. Qui etiam humiliare, & sublimare dicitur: Etenim Synagoga a Redemtore recedendo, sublimitatis suæ alta deposuit: & sancta Ecclesia Redemtorem venerando, ab imo infidelitatis, ubi projecta jacuerat, in altitudinem rectæ fidei, & Christianæ potestatis celsitudinem surrexit. Quia ergo Dei Filium Judæa contemsit, gentilitas promeruit, recte & illa humiliata, & ista creditur exaltata. Sequitur: *Suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.*

Gentiles de pulvere suscitati, & de stercore erecti.

18. Egenus & pauper, gentilis populus intelligitur, qui de pulvere suscitatus, & de stercore erectus dicitur: quia cum recipitur in fidem Redemtoris, & ei minima, & graviora peccata remittuntur. Quia enim facile pulvis excutitur, & quem stercora inquinant, horribiliter fœdant: pulvis leviora, stercus graviora peccata significat. Bene etiam de pulvere suscitatus egenus dicitur, & de stercore pauper erectus. In illis siquidem dormiebat, a quibus levi tactu gratiæ suscitari poterat. In illis vero jacebat, quia lapsus in gravioribus, manu magni auxilii indigebat. Sed jam egenus, qui de pulvere suscitatur, & is, qui de stercore pauper erigitur, audiamus, quo culmine præferatur.

a Vatic. & Gilot. proferuntur.

Ex ipsis quidam prædicatores electi sunt, & ad apostolicæ auctoritatis culmen provecti.

Ps. 44. v. 17. 18.

19. *Ut sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat.* Qui vero principes hoc in loco, nisi sancti Apostoli designantur? De quibus nimirum principibus, Deo per Psalmistam dicitur: *Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui Domine.* Quid est, quod pauper cum principibus sedet, nisi quia ordo prædicatorum, de Gentibus electus, in sancta Ecclesia culmen Apostolicæ auctoritatis obtinet. Cum principibus quippe sedet: quia de throno cælestis magisterii doctrinam salutis exhibet. Et solium gloriæ tenet: quia bonæ famæ odorem spargit, quibus dignitate præeminet. Vel certe solium gloriæ tenet, & cum principibus sedet, quia sublimitatis honore radiat, & miraculis coruscat. Sed qui tam sublimi dignitate sustollitur, qualiter uti ea debeat, indicat, cum subjungit:

Vers. 8.

Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

Cardines terræ qui possunt.

20. Cardines terræ sunt extrema terræ. Nomine autem cardinum, ipsos prædicatores electos de Gentibus voluit designari. Extrema quidem terræ dicuntur, quia de vili quodammodo & abjecta gentilitate producuntur. Qui profecto cardines Domini esse dicuntur pro mortificatione propriæ voluntatis. Domini quidem sunt, quia non sua quærunt, sed quæ Jesu Christi. Sed dum Domini esse dicuntur, singularis quædam in eis sanctitas designatur. Qui vero Domini sunt, videant, qui super eos orbis ponitur, non sub eis. Quid enim orbis nomine, nisi sanctæ Ecclesiæ subjecta designatur plenitudo fidelium? Super cardines quidem terræ Deus orbem posuit: quia prædicatores ad hoc sanctæ Ecclesiæ [a] præponuntur, ut eorum infirmitatem relevent, & debiles quoque ad cælestem patriam, velut superimpositum onus portent. Non igitur se semper prælatos debent aspicere, sed quandoque subjectos: ut disciplina cohibendis vitiis præsint, sed æstimatione, & obedientia ministerii sæpe subsint eis, quibus præeminent cura prælationis. Et quia magna sunt onera, quæ prædicatores sustinent, subdit, atque ait:

a

Prælati se subjectos aliquando cogitent.

Vers. 9.

Qui Deus pedes Sanctorum servet.

Pedes Sanctorum suorum servabit.

21. Quasi dicat: Inter onera tam immensa corruerent, si eorum pedes Dominus non servaret. Pedes quidem Sanctorum suorum sunt affectus mentium. Qui profecto a Domino servantur: quia ab ipsis gratia miræ devotionis infunditur, qua onus tantum gratanter ferunt. Servare quidem pedes Sanctorum Dominus dicitur: quia tanti ponderis molem fugerent, si hoc intolerabiliter grave, non eis infusa desuper caritas levigaret. Possunt etiam & status fortitudinis pedum appellatione signari. Pedes vero Sanctorum suorum Dominus servat, quando eos mira fortitudine roborat, ut inter tam immensa onera nequaquam cadant. Et quia non pedem, sed pedes servare dicitur, quid in utroque pede Sanctorum intelligimus, nisi fortitudinem, & humilitatem? Ne enim ruamus, in utroque pede consistimus. Quicumque enim fidelibus gregibus præsunt, in via, qua ad supernam patriam tendunt, modo prospera, modo adversa inveniunt. Ipsa enim prospera quia elationem menti excitant, eam ad casum valde impugnant: verumtamen ne electa mens cadat, hinc subsistere nititur pede fortitudinis, inde consistit pede humilitatis. Firmum quippe statum inter utramque tentationem retineret, si tam solida humilitate consisteret: ut nulla hanc prosperitas elevaret, adversitas nulla dejiceret.

Sanctorum pedes humilitas & fortitudo.

A Quid est ergo, quod dicitur: *Pedes Sanctorum suorum servabit*: nisi quia debilis est omnis virtus hominis, sine auxilio Conditoris? Infirma quippe humilitas nostra, dum prosperitatis favore mulcetur, ab ineptæ lætitiæ impulsu prosternitur. Infirma fortitudo nostra, dum adversitate impingitur, leviter superatur. Sed tristibus elidimur, lætis enervamur: cum nos nobis omnipotens Deus deserit, non cum auxilium suæ protectionis impendit. Dicit ergo: *Pedes Sanctorum suorum servabit*: quia omnipotens Deus infirmitatem nostram in ferendis subditorum nostrorum oneribus adjuvat: ut nos nec adversa atterant, nec læta seducant. Tunc quidem a Domino pedes nostri servantur, cum divino au-

B xilio roborati obviantia mundi læta contemnimus, adversa nulla formidamus: cum stabili patientia gratanter mala ferimus, & inconcussa humilitate sublimem animum a vana delectatione refrenamus.

Debilis est omnis hominis virtus sine Dei auxilio.

22. Possunt autem pedes Sanctorum, fides, & amor Redemtoris intelligi. Quibus profecto pedibus gradiuntur, cum eum, quem per fidem fideles credunt, amore consequuntur. Hos profecto pedes servari sibi a Domino postulabat, qui precabatur, dicens: * *Super excelsa statue me, ut vincam in claritate ipsius.* Super excelsa statuitur, cui Redemtoris divinitas revelatur. Et in claritate ejus vincit: quia dum ejus [b] claritatis radiis illustratur,

C cuncta maligni spiritus tentamenta destruuntur. Statutos quidem in monte pedes tenet, qui veritatis contemplatione arduus est, & ejus, quem credit summi Patris unigenitum, amore succensus. Super excelsa quidem Petrus statutus erat, qui cum Domino confiteretur, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, protinus audivit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis.* Fundatus enim fide, accensus caritate, eum, quem amabat, etiam prædicabat. Bene ergo de reprobis subjunctum est:

Sanctorum pedes, fides & amor Christi.

* *Habac. 3. 19. Ibi quidem legitur in Cantico etis, τῷ νικῆσαι ἐν τῇ ᾠδῇ. At aliquis, legere potuit, ἐν τῇ αὐγῇ in splendore.*

b

Matt. 16. 9. 16. & 17.

Et impii in tenebris conticescent.

Ibidem.

Judæorum tenebræ, in quibus jacent.

23. Qui enim impii hoc in loco, nisi Judæi intelliguntur, qui a pietate veræ fidei sunt extranei,

D & Redemtoris morte cruenti? De quibus recte dicitur: *In tenebris conticescent*: quia Sancti super excelsa statuti, Redemtorem mundi, quem in divinæ majestatis claritate conspiciunt, æternis laudibus confitentur. In tenebris ergo tacent impii: quia Judæi ideo Redemtorem non prædicant, quod ineffabilis eos illa claritas divinitatis non illustrat. Scriptum quippe est: *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini.* His quippe tenebris damnatos eos intuens, Johannes ait: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Hinc David non optans, sed prophetans, dicit: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* In tenebris ergo tacent impii: quia etsi Judæi divinæ Scriptu-

E ræ verba in Dei laudibus proferunt, dum Filium negant, Deo Patri nulla vocum obsequia consecrant. Deo enim silet, qui Patrem laudans, unigeniti laudem tacet. Sed quem crucifixum despiciunt, quando judex venerit, expavescent. Unde etiam subditur:

Isai. 26. 10.

Joh. 1. 5.

Ps. 68. 24.

Quia non in fortitudine sua roborabitur vir, Dominum formidabunt adversarii ejus.

Ibidem & Vers. 10.

23. Nunc autem durus in infidelitate, fortis in errore est: & quem credere Deum contemnit, audacter blasphemare non metuit. Velut vir siquidem nunc vinci non potest: sed tunc sicut vir nequaquam roborabitur, cum is, qui eorum insidiis cru-

Eorum formido, quando crucifixi majestatem conspicient.

a Goss. proponuntur.

b Valic. & Gilot. caritatis radiis illustratur.

crucifixus est, in sua majestate conspicietur. Tunc formidabunt ejus adversarii, quando crucifixi virtute omnia moveri conspexerint, cum ejus judicio universa summitti, cum per excelsos cęlos tonantia judicia audierint æternæ suæ damnationis. Unde & subditur:

Ibidem. Et Apostolis judicibus adhaerunt.

Et super ipsos in cælis tonabit.

25. Qui enim cælorum nomine, hoc loco, nisi sancti Apostoli designantur? Quibus profecto cælis sublimitatis suæ gloriam Dominus repromittens, ait: *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel*. (Matt. 19. 28) Horum profecto cælorum tonitrua Judæis Dominus insinuans, ait: *Ipsi judices vestri erunt*. (Luc. 11. 19.) Super Judæos igitur impios tunc in cælis tonabit: quia a sanctis Apostolis tunc terribilia judicia suæ damnationis audient: ut eorum examine sententiam æternæ mortis accipiant, quos prædicantes humiliter vitæ æternæ bona, persecutionibus affligebant. Quia vero de extremo judicio ista intelligi debeant, sequitur:

Ibidem. Nihil aut impunitum aut irremuneratum Deus relinquit.

Dominus judicabit fines terræ.

26. Qui sunt fines terræ, nisi ultima hujus mundi? Fines vero terræ Dominus judicat, ut æquitatis ejus sententia, impunita, aut irremunetata nulla derelinquat: quia dum in judicio extrema concludit, aliqua discutienda non deserit.

Ibidem. Electis in cæl. gloria collectis cornu Christi extollitur.

Tunc sublimabit cornu Christi sui.

27. Quando omnes electos in ęterna contemtemplatione sui unigeniti recipiet, ut eis æterna illa, & ineffabili majestate præsideat, qui dum in præsentis vitæ peregrinatione viverent, secum [a] non erant. *Tunc sublimabit cornu Christi sui*: quando in celsitudine sua respicietur sublimitas Redemtoris. De hac sublimitate per Johannem dicitur: *Videbimus eum, sicuti est*. (1. Joh. 3. 2.) Nam potestas, sive regnum Domini nostri Jesu Christi semper æquale est: sed tunc sublimari dicitur, quando tales erimus, ut ejus sublimitatem intueri valeamus: quidquid enim nunc de illa sublimitate humana mens sibi potest fingere, omnino nihil est in illius gloriæ comparatione. Nam scriptum est de illa: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*. (Isai. 64. 4. & 1. Cor. 2. 9.) Prius ergo Christo datur imperium, deinde cornu ejus sublimabitur: quia tunc sublimitatis ejus celsitudo respicitur, cum nostra quoque natura a corruptionis suæ imo sublevatur, cum renovationis suæ integritatem resurgendo suscipit, qua præcelsum lumen contemplari valeat Redemtoris.

Et Ecclesia ad æterna gaudia tandem sublevabitur.

28. Si vero in cornu aliquis vult regnum intelligi, per regnum Christi sancta Ecclesia designatur. Quod profecto cornu sublimabitur, quia ima nostra ad Angelorum æqualitatem perducentur. Quare & de electis in Evangelio Dominus dicit: *Erunt sicut Angeli Dei in cælo*. (Matt. 22. 30.) De ista cornu sui sublimitate iterum dicit: *Fulgebunt justi, sicut sol in regno Patris eorum*. (Ibid. 13. 43.) Sublimabitur ergo cornu Christi: quia sancta Ecclesia in ęterna contemplatione sui Redemtoris extolletur; & quæ nunc in hac valle miseriæ depositionis suæ pœna deprimitur, absorpta tunc morte, renovata æterni gaudii culmine, sublevabitur. Sed hæc jam typica explanatione protulimus; restat, ut in sequenti volumine moraliter exprimamus.

a Gilot. & Vatic. non erat.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Sensus Moralis.

1. SUperiori libro, dum sacræ historiæ textum moraliter discuteremus, Annæ fecunditatem in summæ contemplationis perfectione posuimus; quia concipere menti, est de summa Dei omnipotentis contemplatione ineffabiliter gaudere: parere autem, in mente conceptæ caritatis insignia occultare non posse. Nunc autem parienti canticum dicere quid est, nisi Conditorem, quem ineffabiliter diligit, veris præconiis prædicare? Dicit ergo:

I. Reg. 2. 1. Exultat anima, cum contemtis omnibus solum Deum amat.

Exultavit cor meum in Domino

2. Sed ea, quæ manducavit, & bibit, quæ amarum animum habuit, quę flevit largiter, quæ votum vovit: quia illa mens omnipotentem Deum digne laudare potest, quæ dignis agonibus ad caritatis ejus summa pervenit: hęc quidem diuturno usu contemnere omnia didicit; & dum cuncta creata ab intentione abjicit, tanto amplius in visione ęternę majestatis gaudet, quanto alicujus creaturę species in sui amore hanc retinere non pręvalet. Hęc ergo dicit: *Exultavit cor meum in Domino*, quæ eum, contemtis omnibus, solum amat. In hunc profecto affectum venerat, qui dicebat: *Quid mihi restat in cælo, & a te quid volui super terram?* (Ps. 72. 25.) Hinc in Deo exultans, dicit: *Vultum tuum, vultum tuum Domine requiram*. (Ps. 26. 8.) Hinc sponsa in Canticis petit, dicens: *Osculetur me osculo oris sui*. (Cant. 1. 1.) Dum ergo dicit: *Exultavit cor meum in Domino*, quid aliud, quam in ejus se [a] osculis inhæsisse, quem ardenter diligit, gloriatur? Et idcirco illa sola hęc dicit, quę experta novit, quę vis amoris sit in thalamo Sponsi. Cunctis quippe passionum victoriis illustrata, & prælata virtutum culmine ad illam sublimitatem pervenit, ex qua per gaudium mirę devotionis exultationisque cor suum in Deo posuit. Et quia cor suum dicit, quid aliud, quam mentis suæ libertatem asseruit? Reprobi quidem corda sua non habent, quia ea diabolus possidet. Unde & de proditore dicitur: *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas [b] Simonis Iscariotes*. (Joh. 13. 2.) Si enim Judas cor suum, & non diabolus possideret, ipse potius in eo bonum, quam diabolus malum poneret. Quo contra electus vir loquitur, dicens: *Animam meam porto in manibus meis*. (Job. 13. 14.) Quid enim aliud manus electi est, quam potestas internæ libertatis? Quid ergo ei est, animam in manibus portare, nisi internæ libertatis gloriam in potestate retinere? Quotiescumque ergo graviter delinquimus, cor nostrum nos non habemus. Quare & Jeremias Judaico populo graviter delinquenti improperans, ait: *Audi popule stulte, & qui non habes cor*. (Jerem. 5. 21.) Hinc item conversus alter Propheta Deo confitetur, dicens: *Invenit servus tuus cor suum*. (2. Reg. 7. 27.) Dicit ergo: *Exultavit cor meum in Domino*, ut libertatem mentis assereret, sine qua Deum digne laudare non posset. Sequitur:

Hinc animi libertas.

Reprobi cor suum non possident.

Ibidem.

Exaltatum est cornu meum in Deo meo.

a Ita proculdubio legendum, non oculis, ut habent alii editi.

b Gilot. & Vatic. Scariotes.

Ad excelsa gaudia electorum intentio, repropitum, ad ima deprimitur.

5. In cornu electæ mentis intentio designatur, quæ mirabiliter extollitur, cum ad eum gaudendo pervenit, qui super universa consistit. Unde & cornu suum non in alio aliquo exaltatum asserit, sed in Deo. Qui enim transeuntia bona diligit, hujus profecto intentio depressa, non exaltata est: quia in imo figitur, ubi per desiderium locatur. Hinc est, quod in Evangelio Dominus dicit: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. Exaltare ergo cornu nostrum volebat Dominus, cum dicebat: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*. Exaltatum cornu habebant ii, quibus se Paulus conformabat, dicens: *Nostra conversatio in cælis est* Sed qui cælestia tantum diligit, si illam intimæ dulcedinis suavitatem gustare non novit; quamquam valde exaltatus sit, ad hujus tamen exaltationis sublimitatem non pervenit. Ille ergo hac exaltatione sublimis est, qui per incrementa virtutum proficiens, sublimitatem summæ contemplationis obtinuit, non solum, ut perfecte cælestia diligat, sed etiam, ut amoris perfectione in sola omnipotentis Dei contemplatione requiescat. In Deo exaltatum cornu habet, qui interni luminis alta visione fruitur, in qua familiari quadam singularitate gloriatur. Quare non ait: In Deo nostro, sed *in Deo meo*. Meum namque de eo dicit, quem familiariter, ac singulariter diligit. Ad quam certe divinæ familiaritatis dignitatem pervenerat, qui dicebat: *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te*. Hinc Isaias ait incredulos increpans: *Numquid parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Quæ ergo exaltatione cornu in Deo sustollitur, Deum suum singulariter fatetur: quia summa illa infusio divinæ dulcedinis, exaltatam mentem, & sui susceptibilem, & valde familiarem facit. Sequitur:

Matth. 6. 21. & Luc. 12. 34. — Matth. 6. 20. — Philip. 3. 20. — Psal. 117. 28. — Isai. 7. 13.

Dilatatum est os meum super inimicos meos:

Ibidem. Per sapientiam & caritatem a Deo collata os electi hostes suos superant.

4. Qui sunt inimici electæ mentis, nisi spiritus maligni? Quid ergo est dilatatum os super inimicos habere, nisi omnes malignorum spirituum suasiones, amplissima sibi infusæ gratiæ largitate reprobare? Angustum quippe os habet, qui cunctis fraudibus malignorum spirituum, per considerationem rationis, contraire non prævalet. Os quippe mentis ejus, ratio est; & loqui, deliberare. Os namque repletur, cum mentis ratio per infusam sibi gratiam in contemplationem summæ veritatis attollitur. Repleri quidem ei est, illustratione summæ veritatis imbui. Ibi quippe discit, & quod æternaliter appetat, & quod temporaliter contemnat. Et quia summa veritas amor est, subtilitate veritatis attollitur electa anima, ejusque rei caritate, quam didicerit, inflammatur: & tanto strictius servat magisterium, quanto ferventius id sibi inviscerat vis amoris. Cui nimirum etsi maligni spiritus mala suggerunt, dilatatis oris apertione confunduntur: quia veritate summæ sapientiæ instructa, & summi amoris facibus accensa, habet jam contra suggestionem erroris immensam lucem sapientiæ habet & contra oblatam mundi hujus pompam, ineffabilem caritatem. In immensitate lucis videt, quæ reprobet, sed per vim summæ caritatis amat inepta reprobare, quæ novit. Per sapientiam mala suggesta reprehendit, sed in virtute caritatis deprehensa redarguit. Os ergo super inimicos dilatat, quia ex abundantia rationis, contra dæmones multa deliberat: & eo acutius eorum objecta destruit, quo id, unde mala suggesta reprobet, in sublimibus agnoscit. Unde protinus causam insinuans, ait:

Quia lætata sum in salutari tuo.

Ibidem. Inde in Salutare Dei lætantur.

5. Quod profecto tale est, ac si dicat: Quia exaltatum est cornu meum in Deo meo. Hoc certe est lætari in Salutare Dei, quod exaltatum cornu habere in Deo suo. Quod non de qualibet lætitia salutaris accipitur, sed de illo perfectissimo gaudio, quo electa, perfectaque anima more sponsæ gaudet in sponso. De qua nimirum lætitia David obsecrat, dicens: *Redde mihi lætitiam Salutaris tui, & spiritu principali confirma me*. Quæ ergo dilatatum os habere super inimicos suos se gloriatur, in Salutare Dei prius læta fuisse describitur; quia illa beata mens valide reprobare malignorum spirituum suasiones poterit, quæ in Redemtoris divinitate per contemplationem sublimiter assumta, ex eo & sapientiæ accipit magnitudinem, & plenitudinem caritatis. Quem profecto dignis laudibus prædicat, dicens:

Psal. 50. 14.

Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te, & non est fortis, sicut Deus noster.

Vers. 2.

A Deo sanctificamur, ad requiem ducimur, & glorificamur.

6. His namque Annæ vocibus quæque electa anima hoc redemtori clamat in laude, quod ab ipso credit in munere. Sed ex hoc piæ confessionis ordine, ordo innuitur, quo eadem muneris bona, quæ seriatim protulit, confequamur. Sanctus itaque Dominus & fortis asseritur, a quo sanctificamur, ad requiem ducimur, & glorificamur. Sanctificationem a Domino accipimus in virtute regenerationis; esse autem, id est quietem ab hujus mutabilitate corruptionis in terminatione exilii, fortitudinem in triumpho resurrectionis. Primum itaque horum munerum in ista vita consequimur, cum electi cujusque anima in carne est, sed utraque adhuc in agone operis posita: sequens autem in sola anima præter carnem, post carnis vitam, & jam de hujus vitæ laboribus assumta; ultimum vero, in carne, & anima, sed utraque jam per gloriam æternitatis innovata. Prius itaque sanctus dicitur, quia regeneratis per salutis lavacrum, caritas Dei cordibus nostris infunditur, per cujus gratiam ad æternæ patriæ bona præparamur: ut dum hæc vita per decursionis suæ tempus elabitur, ea nos vita suscipiat, cujus gaudio hinc electorum egredientes animæ, sine mortis pavore potiantur. Deinde esse ei adscribitur, quia securi consummationis nostræ diem, videlicet claritatem ultimæ resurrectionis expectamus, dum in illo munere acceptæ requiei discimus, extremi examinis discussionem non metuere, sed promissæ gloriæ lætitiam expectare. Ultimo autem loco fortis asseritur: quia in gaudio futuræ resurrectionis infirma nostra roborantur, cum caro surgit de pulvere: sed idem carnis nostræ pulvis translatus in perpetuæ incorruptionis gloriam, ad fragilitatis suæ miseriam ultra non redit. Sed & notandum, quia in his tribus ab altero ad alterum ducimur, sed cum habere non habitum cœperit, qui hoc accipit quod non habuit, quod ante habuerat non amittit. Nam cum de sanctificatione ad requiem perducimur, & de quiete animæ perducimur ad robur æternæ incorruptionis: & sanctificatio caritatis augetur nobis in illa requie, & requies, & amor excrescit valde in resurrectione. Conditorem namque suum, unaquæque anima per amorem conjuncta, in tantis muneribus intuens, Annæ vocibus dicat, quam bene sapit sibi donum perfectæ regenerationis, & vis amoris. Dicat, *Non est sanctus, ut est Dominus*. Dicat, quam melior munus sibi est, promissio quietis in hora sui transitus: *Neque est alius extra te*. Dicat, quam optimum sibi pla-

Procuratæ nobis post mortem requie, securi consummationis nostræ diem expectamus.

placens præmium sit, ultima renovatio sua, in gaudio perfecti spiritus sui, & glorificatæ carnis. Dicat: *Et non est fortis, sicut Deus noster*. Et notandum quia hoc in precis cantico Anna loquitur. Electæ etenim menti hæc in cantico poscere est, dona tam grandia cum gaudio desiderare. Petere quippe ei, desiderare est; & gaudere, cantare. Sed quæ tam gaudenter dignitatis suæ munera conspicit, quam fortiter occultis hostibus exprobret, innotescit. Sequitur enim, & dicit:

Vers. 3. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes; recedant vetera de ore vestro.*

Qui ea cogitat, blandimenta seculi despicit. 7. Sublimia quippe, & vetera spiritus maligni loquuntur, cum alta, quæ videntur, hujus seculi appetenda, fidelibus suggerunt. Qui ergo cornu suum in Deo exaltare jam didicit, qui teneri in gaudio majestatis novit, quidquid offertur sibi de blandimento seculi labentis, exprobrando despicit, dicens: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro*. Ac si aperte loquatur, & dicat: Eo mihi ea, quæ offeruntur displicent, quo per desiderium alia video, quæ valde placent.

Superbe sapientes tacere jubentur. 8. Quod profecto dicere, quia ei competit, qui jam idoneus ad ministerium prædicationis agnoscitur: aptè quoque contra arrogantes sapientes, & contra negligentes sanctæ vitæ professores, ista prolata sentiuntur. Alta quippe glorians loquitur, qui per scientiam, quam accepit, se intelligere sublimiter gloriatur. Vetera vero loquitur, qui postpositis sanctæ Scripturæ eloquiis, secularibus verbis occupatur. Dicitur itaque arrogantibus: *Nolite loqui sublimia gloriantes*. Quibus profecto verbis ostenditur, quia non modum locutionis prohibet, sed affectum intentionis. Quasi aperte dicat: sublimia loquimini, sed de eo, quod altum dicitur, gloriari refugite. Unde & Paulus pie discipulum admonet,
Rom. 11. 20. dicens: *Noli altum sapere, sed time*. Non dixit: *Noli altum loqui*, sed, *Noli altum sapere*: sicut & hic non dicitur, *Nolite loqui sublimia*: sed, *Nolite gloriantes loqui*, quia sacra eloquia altius exquirenda sunt, sed quo altius exquirens proficit, semetipsum cohibere a vanæ gloriæ fastu
Et otiose loquentes. debet per custodiam humilitatis. Dicitur etiam otiose loquentibus: *Recedant vetera de ore vestro*. Vetera quippe sunt verba seculi, quia dum in eis loquentis animus per intentionem figitur, devotionis suæ decore spoliatur. Quare illi sublimia gloriantes loqui non debent, & cur ab eorum ore vetera debeant recedere, hæc causa demonstrat, quæ subjungitur.

Ibidem. *Quia Deus scientiarum Dominus est.*

Qui sibi de sapientia blanditur, sciat quia non est ipsius Dominus, sed Deus. 9. Audiat itaque sciens & arrogans, quia non ipse scientiarum Dominus est, sed Deus. Nam recte glorians diceret, si ejus, qua tumeret scientia, non omnipotens Deus, sed ipse Dominus extitisset. Audiamus & nos, quando loquimur verba seculi, quia Deus scientiarum Dominus est. Jam quippe electorum mentes non solum novi, sed etiam veteris testamenti
Isa. 43. 19. scientia innovat: venit namque qui diceret: *Ecce nova facio omnia*. Cum ergo tot nova habeamus, quæ loqui possumus, vetera loqui sine culpa nullatenus valemus. Recedant igitur de ore nostro vetera, ut cum damnatæ vetustatis culpa etiam a sermone compescitur, in novi hominis pulchritudinem transeamus. Quod profecto si contemnimus, audiamus:

Ibidem. *Et ipsi præparantur cogitationes.*

10. Quasi a minori culpa, subintellecta comparatione, nos terreat, dicens: Hine otiosa loquentes cogitent, quam metuere culpam locutionis debeant, si is, cui loquendo delinquitur, etiam cogitationum excessus ad judicii sui examen servat. Audiant item arrogantes, quod sequitur: *Non solum verba, sed etiam cogitationes a Deo judicantur.*

Vers. 4. *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.*

In Angelis lapsis discat homo quid timeat. 11. Jam quippe in allegorica expositione diximus, quia immundi spiritus horum fortium appellatione designantur. Qui nimirum quia a cælesti gloria superbiendo ceciderunt, apte elatis doctoribus ad terrorem proponuntur; ut de se tanto jam humiliter sentiant, quanto etiam Angelos superna gloria lapsos, per appetitum vanæ gloriæ contemplantur. Quod etiam Redemtorem nostrum in elatis discipulis egisse recolimus, qui cum se subjecta dæmonia habere jactarent, ab eo protinus audiere: *Videbam satanam, quasi fulgur, de cælo cadentem*. Arcus itaque fortium superbia *Luc. 10. 18* est spirituum malignorum. Dicuntur autem fortes, vel quia de se magna senserunt, vel quod humanum genus magnarum tentationum impetu vincant. Quem profecto arcum dum intentio impia tetendit, jacere malitiæ jacula supra se in Conditorem studuit. *Ponam*, inquit princeps eorum, *sedem meam ad Aquilonem, similis ero Altissimo*. Sed *Isa. 14. v. 13. & 14.* superatus est arcus fortium, quia Deus apostatarum spirituum superbiæ restitit, de cœlo præcipitavit, conditionali gloria virtutis exuit, ut in lapsis Angelis homo disceret quid timeret. Nam *Si Deus nec vasis aureis pepercit, de æreo quid fiet.* quid de æreo vase fiet, si Deus nec aureis superbiæ fœtore plenis ignoscit? Unde & Petrus in epistola sua loquitur, dicens: *Deus peccantibus Angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in judicium reservari*. Quasi ergo electus, *2. Petr. 2. 4.* & humilis prædicator superbientibus dicat: Ut cessetis ab elatione, in conformibus vobis Angelis, videlicet lapsis, damnationis debitæ pœnas aspicite.

Sancti Angeli suæ infirmitatis conscii, a Deo sunt roborati. 12. Et quos imitari debeant, proponens, ait: *Et infirmi accincti sunt robore*. Si ob præsumptionem æstimationis mali Angeli fortes vocantur, infirmorum appellatio recte beatis spiritibus convenit, qui de se nulla præsumentes, virtuti sui opificis perpetua humilitate subjecti sunt. *Infirmi accincti sunt robore*. Quia voluntariæ subjectionis merito, sancti Angeli interni amoris vinculo, Conditori suo conjuncti sunt. Quibus apte accinctionis nomen congruit, quia accinctus quilibet, eo, quo cingitur cinctorio, ex omni parte retinetur, quia videlicet beatissimi illi spiritus sic sunt in æternitate solidati, ne ab ea cadere umquam possint. Hinc est, quod ad Danielem in Babylonia prædicantem Angelus mittitur, qui accinctus obrizo perhibetur. Hinc est, quod Angelum, cum quo in Apocalypsi Johannes colloquium habuit, aurea zona ad mammillas circumdatum conspexit. Quia vero iidem beati spiritus *Dan. 10. 5.* ab humilitatis merito, in amoris gloriam surrexerunt, sed quia eamdem gloriam in complexu æternitatis habent, & in timore amissionis non habent, gloriosi siquidem ineffabiliter sunt, sed ineffabilem illam gloriam amittere numquam possunt. Ut itaque desinat gloriari, audiat arrogans: *Ab humilitatis merito in amoris gloriam surrexerunt.* *Arcus fortium superatus est*. Et ut damnata culpa superbiæ proficiant in humilitate, dicitur sibi: *Infirmi accincti sunt robore*. Robur namque infirmis impenditur, cum subjectionis merito mitibus infunditur virtus supernæ caritatis. Accingimur etiam, cum ad verbi ministerium præparamur. Bene itaque accincti robore infirmi, in alta locutione glo-

gloriantibus præponuntur: quia ii, qui in ministerium mittuntur spiritus, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, priusquam accingerentur ad ministerium humiles fuerunt. Ante enim memoratur infirmitas, post vero accinctio roboris. Hos profecto nobis accinctos Paulus insinuat, dicens: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* De quibus & Propheta etiam loquitur, dicens: *Millia millium ministrabant ei.* Quasi ergo dicat: Prius vos agnoscite, & sic vos ad aliorum salutem præparate: quia bonum prædicationis tunc bene impletur, cum prædicator, qui sublimis est verbo, humilis esse satagit ministerio. Sed quia superbos & arrogantes prædicatores loquendo redarguit, subdit, dicens:

Ad ministerium facturi, accingat humilitas.

Hebr. 1. 14.

Dan. 7. 10.

Vers. 5.

Repleti prius, pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt.

Superbi divino munere repleti nequeunt.

13. Repleti prius illi sunt, qui dum tumoris cibos in mentis refectione suscipiunt, delicias sanctarum virtutum, velut cibo jam pleni, capere non possunt. Sed tamen pro panibus se locant, quia in Scripturis quas intelligunt, juxta magnitudinem sapientiæ se percipere spiritualia munera virtutum putant. Sed saturari nequeunt, quia repletioni arrogantiæ dona sancti Spiritus addere nequaquam possunt. Ipse namque *Spiritus disciplinæ effugit fictum, & non habitat in corpore pleno peccatis.* Hinc etiam scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Frustra ergo, quæ Dei sunt, accipere gestiunt, qui in eo, quod superbiunt, largitorem munerum sibi adversantem reddunt. Saturari ergo nequeunt, quia munera spiritualium gratiarum non adipiscuntur. Qui vero sunt famelici, nisi a cibis vitiorum vacui, a tumore jejuni? Famelici ergo saturati sunt, quia sancti viri humilitatis arce præditi, dum de se alta non sentiunt, alta virtutum dona promerentur. Nam per humilitatis bonum, sancti Spiritus sedes fiunt, quem dum in se manentem recipiunt, ejus donis plenius replentur. Unde & per Prophetam Dominus dicit: *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* Valde ergo saturantur famelici, quia in donorum plenitudine super humiles sanctus Spiritus requiescit.

Sap. 1. 5.

1. Pet. 5. 5.

Isa. 66. 2.

Nec saturantur, qui a ne Eucharistia, si a peccato non prævent.

14. Quod tamen contra negligentes sacri altaris ministros, atque audaces Dominici corporis susceptores dici non inconvenienter potest. Repleti vero prius sunt, vitiorumque cibo saturati, qui pro pane se locant: quia corpus ad susceptionem Eucharistiæ præparent. Qui nimirum comedunt, & saturari non possunt: quia etsi sacramentum ore percipiunt, virtute sacramenti nequaquam replentur. A virtute ergo illa sacramenti ideo jejunant, quia prius repleti fuerant. Salutis quippe fructum non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, qui ea, quibus se repleverant, flagitia portant in mente. Non saturantur ergo, nisi famelici: quia a vitiis perfecte jejunantes, divina sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sint peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans, ait: *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quid enim est hoc loco probare, nisi evacuata peccatorum nequitia, se probatum ad Dominicam mensam, & purum exhibere? De repletis etiam subdit: *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus: quia ipsa sola virtus est, quæ evacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc vere famelici saturantur; quia quo studiosius mundamur lamento pœnitentiæ, eo uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in spiritali refectione. Quæ nimirum electorum saturitas, quia usque in mundi finem extenditur, subdit, atque ait:

Nec electi quidem sine peccato esse possunt.

1. Cor. 11. 28.

Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.

Ibidem.

15. Quæ itaque hujus appellatione sterilis signatur, nisi ea de qua Paulus loquitur, dicens: *Quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ mater nostra est?* Unde & paulo post Isaiæ vaticinium ei coaptavit, dicens: *Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quam ei, quæ habet virum.* Sed quomodo Jerusalem sterilis, beatorum scilicet Angelorum sancta societas intelligitur, cum juxta vocis suæ significatum de æterna pacis visione perenni gaudio sit fecunda? Sed si mater est electorum hominum, sterilis profecto erat, quando humanum genus in Adam perierat. Velut enim parturire non potuit, cum eum, in quo fecunditatis suæ extendere sinum debuit, lapsi spiritus suasionibus amisit. Tamdiu accinguntur infirmi, donec sterilis pariat; quia Angelorum humilium valido ministerio eousque indigemus, donec quotquot ad vitam prædestinati sunt de humano genere, usque in mundi finem colligantur. *Mittet namque filius hominis Angelos suos, & colligent electos suos a quatuor ventis.* Ad eos namque colligendos tunc mittendi sunt, in quorum salute quotidie mittuntur; quia ad regnum non colligent, nisi quibus per robur accinctionis suæ nunc adjutorium præbent. Usque etiam in mundi finem famelici saturantur. Sed & bene plurimos hæc sterilis parere dicitur: quia non omnes homines, sed electi solummodo ad æterna gaudia perducuntur. Apte igitur etiam parere dicitur: quia Angelorum ministerio docemur superna petere, ut ad eorum valeamus bona pervenire. Sed cum hæc sterilis parit, ea, quæ multos habebat filios, infirmatur: quia quo pleniora lucra electorum, per Angelorum ministeria superna regna percipiunt, hujus Babyloniæ filii minuuntur. Velut enim infirma in partu suo est, quæ inordinato amore rerum transeuntium, ut solet, filios gignere nequaquam potest. Ubique enim jam cælestia regna prædicant, quæ profecto dum fidelium mentes audita diligunt, dum ea etiam bonis moribus inquirunt, velut in partu suo Babylonia stringitur: quia mater nostra Jerusalem eos per orbem Deo parturit, quos illa lasso perditionis utero parere gehennæ consuevit. Quorum tamen accinctorum robur, non ipsis, sed ei, a quo accinguntur, adscribitur. Apte itaque subditur:

Jerusalem, id est Ecclesia mult. privata filiis.

Galat. 4. 26. 25. & 27.

Isa. 54. 1.

Matth. 24. 31.

Marc. 13. 27.

Et filii Babyloniæ minuuntur.

Dominus mortificat, & vivificat.

Vers. 6.

16. In quibus profecto verbis, etiam ordo notandus est. Prius quippe mortificare dicitur, deinde vivificare; quia nisi seculum amare desistimus, Deo per amorem vivere non valemus, Johanne attestante, qui ait: *Qui diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* Unde & is, qui se mortificatum, & vivificatum, qui se prostratum & erectum meminerat

Non vivificatur nisi qui mundo mortuus.

1. Johan. 2. 15.

Galat. 6. 14. Ibid. 2. 20.

minerat, loquebatur, dicens: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Vivebat, sed non mundi vita, quia dicebat: *Vivo jam, non ego, vivit vero in me Christus*. Non ergo accinctorum aliquis, sed Dominus mortificat, & vivificat. Mortificatum quippe, & vivificatum esse, est præsentia nulla concupiscere, & æterna desiderare. Cui itaque de his muneribus referendæ sint gratiæ, exponit, dicens: *Dominus mortificat, & vivificat*. Unde & sæpe jam nominatus Gentium prædicator dicit: *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus*. Sed quo ordine omnipotens Deus ista in electis operetur, exponit, dicens:

1. Cor. 3. 7.

Ducit ad inferos, & reducit.

Ibidem. Deus ad inferos ducit peccatorum cruciatuum consideratione terrendo.

17. Ut mortificet quippe, ducit ad inferos; & ut vivificet, reducit ab inferis. Omnipotenti etenim Deo ad inferos ducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Ei quoque ad inferis reducere, est territas pœnitentium, atque commissa lugentium mentes, spe vitæ indeficientis attollere. Tunc quippe peccare desinemus, cum superna grat a mollitis cordibus, futura tormenta formidamus. Et ab inferis reducimur cum interno visitati solatio, ad spem veniæ de pœnitentiæ lamento respiramus. Apte itaque Dominus ducere ad inferos, & reducere dicitur: quia humana duritia in hominis solius prædicatione, nec terrore concutitur, nec amore sublevatur. Nam si doctorum esset mortificare, quotquot eorum prædicatio tangeret, peccare desinerent; & si eorum esset vivificare, quicumque ab eis cælestia audirent, ad ea nos protinus omni conatu perquirenda, intimi affectus sui amor accenderet. Nunc autem, cum sæpe peccatoribus æterna supplicia minentur, cum ea, quæ possunt eis cælestia bona prædicent, & nec supplicia metuant, nec læta concupiscant, clamemus Annæ vocibus in laudibus Dei, & ei etiam illud, quod per eos quidam proficiunt imputantes, dicamus: *Dominus mortificat, & vivificat*. Dominus itaque ducit ad inferos, & reducit: quia illi possunt futura tormenta metuere, illi superna gaudia diligere, in quibus per eas voces, quas foris homo loquitur, intus Dei pietas operatur. Est autem in quo sese quisque cognoscat, si jam ad inferos ductus, & reductus sit, si mundo obiit, cælis vivit: nam si electus est, proficit. De eodem vero profectu subdit:

Reducit ab inferis, spe veniæ consolando.

Dominus pauperem facit, & ditat.

Vers. 7. Pauperes facit secularium bonorum contemtum inspirando.

18. Seculi divites idcirco de larga facultate gloriantur, quia alto, & incomprehensibili judicio Dei cælestia eis bona abscondita sunt. Dominus itaque facit pauperes, quia dum æterna electis bona insinuat, eo se pauperiores tenent, quo a veris sese divitiis pulsos vident. Unde & rex ille, qui seculi possessione latissimus erat, quia ei veras divitias Dominus ostenderat, clamabant ad eum, dicens: *Respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego*. Hinc Propheta Jeremias, electi cujusque illuminationem in se exprimens, ait: *Ego vir videns paupertatem meam*. Pauperem itaque Domino facere, est in contemplatione bonorum perennium, electorum mentes ad contemtum rerum omnium visibilium excitare. Sed cui summa revelat, quia eadem summa diutius laboris pretio sint quærenda, insinuat, dicat: quia qui pauperes facit, etiam ditat: quia nimirum dum omnipotenti Deo bonorum cælestium cognitionem percipimus, ab ipso etiam virtutem consequimur, digno pro

Psal. 24. 16. Thr. 3. 1.

Ditat, bona cælestia offerendo.

eis labore certemus. Bene autem subditur:

Humiliat, & sublevat.

Ibidem. Qui humiliet ac sublevet.

19. Quia in contemplatione cælestium, quam abjecti sunt in terra, conspiciunt: sed in eadem abjectione temporalis inopiæ, per Dei gratiam meritorum se pennis sublevant ad gaudia perennis vitæ. Humilitatem ergo percipiunt in æstimatione exilii, sublimitatem vero in præparatione sanctæ operationis. Sequitur:

Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus.

Vers. 8.

20. Pulvis namque est subtilis deliberatio cogitationis illicitæ, quæ eam mentem, cui insederit, fœdam reddit. Quid namque in stercore, nisi fœda [a] perpetratique flagitii audacia designatur? Unde & Propheta vitam carnalium cœno fœdi operis obrutam intuens, ait: *Computruerunt jumenta in stercore suo*. Apta igitur serie dona Dei in flagitiosorum conversione numerantur. Prius namque suscitatur de pulvere egenus, quam pauper de stercore: quia a corde ante deliberatio immundæ cogitationis abscinditur, & postmodum ab actione culpa resecatur. Apte quoque suscitari de pulvere egenus dicitur, pauper de stercore erigi: quia intus prava deliberans dormit a contemplatione justitiæ, foris illicita perpetrans, in iniquitate per actum jacet. Et quia jam cum fortibus de malignis spiritibus trophæa consequitur, suscitatus egenus, & erectus pauper, quid mereatur, exponit, dicens: *Ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.*

Pulvis est illicita cogitatio, stercus pravus actus.

Joel. 1. 17.

21. Sedere quippe triumphantis est. Unde & in Apocalypsi Johannis, victoriæ nostræ dignitatem Dominus ostendit, dicens: *Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus*. Quod & Paulus intuens, suscitationis, atque sessionis nostræ dona in Dei laudibus numerans, ait: *Conresuscitavit, & consedere nos fecit in celestibus in Christo Jesu*. Cum eo itaque principes sedent: quia qui ejus auxilio malignorum spirituum vires reprimunt, in eorum triumpho dignitatem sessionis habent, quibus ex præsidentis sibi virtute dominantur. Cum eo item principes sedent: quia etsi stare per corpus in hac vitæ labentis ærumna cernuntur, meritorum tamen sedem cum Redemptore in sublimibus habent, a cujus conformitate claritatis, nec in ista fœditatis valle separantur. Egeni quoque rebus, & pauperes sunt, qui propter Evangelium ea, quæ in seculo habere poterant, cuncta reliquerunt. Qui certe ut cum principibus possint sedere, de pulvere suscitari debent, & de stercore erigi. Quid enim favores linguæ, quid sunt aliud labentium dignitatum infulæ, nisi pulvis? Nam eam, quam blandiendo sordidant, a veris splendoribus mentem cæcant. Et quid divitiæ pereuntes, & transitoriæ facultates, nisi stercora, æterna diligentibus sunt? Stercora quippe sunt, quæ sanctæ animæ in contemtu utilitatis habent, non in appetitu desiderii. Unde & Salomon in amissione bonorum temporalium contristatum seculi divitem intuens, ait: *De stercore boum lapidandus est piger*. Quasi dicat: De eo verbera doloris sustinet, quod is, qui pro æterna vita laborare appetit, velut stercora contemnit. Hinc Paulus ait: *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. De pulvere itaque egenus suscitatur, & de stercore pauper erigitur, cum mens seculo abrenuntians, quidquid sibi placere

Qui vicerint, cum Christo in throno sessuri sunt. Apoc. 3. 21.

Ephes. 2. 6.

Et qui omnia reliquerint.

Stercora sunt divitiæ ...

Eccli. 22. 2.

Philip. 3. 8.

[a] Goss. & Gilot. *perpetratique flagitii audacia designatur?*

cere solebat de linguæ humanæ favoribus, de honore dignitatum, & de abundantia rerum, calcat, dum ad sola æterna respicit, quæ sola ardenter amat. Eis namque suscitari, & erigi, est ea quæ corpore derelinquit, mentis sublimitate despicere. Et cum principibus ei sedere est, supernæ patriæ civibus per gaudium æternæ quietis interesse. Qui certe tunc gloriæ solium tenet, quia qui tam sublimiter præsidet, a Conditoris sui laudibus numquam silet. Hanc namque gloriæ sedem Psalmista admirans Domino loquitur, dicens: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Hanc sedem gloriæ Isaias prædicat, dicens: *Gaudium & lætitia invenietur in ea: gratiarum actio, & vox laudis.* Hanc item sanctus Tobias ostendens, ait: *Et omni lapide pretioso & mundo plateæ ejus sternentur, & per omnes vicos ejus Alleluia cantabitur.* Sed ea, quæ sequuntur, ereptus pauper aspiciat: quia ad principum sessionem, ad gloriæ solium non statim, ut fuerit erectus, adducitur:

Beati a Dei laudibus numquam silent. — *Psal. 83. 5.* — *Isa. 51. 3.* — *Tob. 13. 22.*

Domini, inquit, *sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* *Ibidem.*

22. Quia terræ nomine peccatores in sacro eloquio designantur, cardines terræ hi accipi convenienter possunt, in quibus per inepta desideria seculum circuit, & de alio ad alium ducit. Cum igitur conversos peccatores aspicimus, in laudem Creatoris his Annæ verbis erumpamus. Quasi enim aliis verbis tunc dicimus: Jam Domini esse per ejus gratiam cœperunt, qui diu in rota rerum transeuntium per mundi concupiscentiam tenti sunt. Et cum, jam derelictis vitæ secularis blandimentis fortia tentamenta fortiter tolerant, dicamus: *Posuit super eos orbem.* Orbem quippe super eos posuit, qui antequam eis imponeretur sub eis fuit. Nam eum jam in onore tentationum habent, qui eis blandiendo velut subjectus serviebat, cum in eo delicias, & voluptates sequendo recumberent. Et quia magnas ex eo tentationes habent, qui magna in illo oblectamenta habuerunt, adjungitur:

Qui delectant ut terrenis, in rota rerum transeuntium vertuntur. — *Cum seculi blandimenta despiciunt, eis oneri est mundus.*

Pedes sanctorum suorum servabit. *Vers. 9.*

23. Quibus profecto verbis sic auxilium divinæ protectionis, propitiationisque ostenditur, ut pericula tentationum gravia designentur. Quasi etenim dicat: Tam grandia de eo, cui adhæserant, seculo tentamenta sustinent, ut solus ad adjuvandum ille sufficiat, qui deesse fidelibus suis in tribulatione non potest. Pedes namque Sanctorum suorum servare, est concussos in tentatione affectus electorum, ne corruant, per gratiam roborare. Unde & qui ad casum nutaverat, & tamen a Domino conservatus erat, Propheta dixit: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.* Hinc iterum: *Tulsus sum, & eversus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me. Fortitudo mea, & laudatio mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Et de hostium infirmitate subjunxit, dicens:

A quo gratiæ tentationes exsuperantur. — *Psal. 72. 2.* — *Psal. 117. v. 13. 14.*

Et impii in tenebris conticescent.

24. Quid est autem, quod cum servare Sanctorum pedes Dominus dicitur, silentium memoratur impiorum, nisi quia ad peccati lapsum nequaquam impellimur, nisi cum perversa nobis malignorum spirituum tentamenta suggeruntur? Cum ergo pedes nostros Dominus servat, in tenebris tacent impii: quia dum gratia divina protegimur, vocem, qua nos præcipitent, dare nobis immundi spiritus nequaquam possunt. In tenebris quippe tacent, quia caliginosa reproborum corda possident, a quorum ad nos progredi obscuritate non audent. Quare autem Sanctorum pedes servet, exponit, dicens:

Nisi Deus eum silere ac quiescere præcipiat.

Quia non in fortitudine sua roborabitur vir. *Ibidem.*

25. Quasi dicat: Idcirco tenet, quia sine ipso stare non possent. Nam etsi vir virtutis agnoscitur, in fortitudine sua timorem lapsus habet, statum [a] roboris non habet, & toties illicita concupiscendo labitur, quoties interna ejus vestigia a Domino tenere deseruntur. An vero non vir erat cui in juvencularum choro cantabatur: *Saul percussit mille, & David decem millia?* Qui nimirum cum inter onera fortitudini suæ relinquitur, in carnis suæ culpam impulsus corruit, atque in se expertus est, quia vir in se non habeat statum roboris, sed lapsum infirmitatis. Unde & relabi metuens, eum a quo teneri ad statum debeat, exposcit, dicens: *Non me derelinquas usquequaque.* Nemo ergo se fallat, quasi in se robur standi inveniat: quia etsi magna sæpe occultorum hostium bella superamus, si digne eos in suis suasionibus reprobando, velut in fugam versos insequimur, non nos tunc refugi spiritus, sed eum, quem in nobis aspiciunt, expavescunt. Vel certe si nos etiam timent, idcirco profecto timent, quia in divinæ gratiæ robur assumtos vident. Apte ergo subjungitur:

Sine Deo stare non possumus. — *1. Reg. 18. 7.* — *Psal. 118. 8.*

Dominum formidabunt adversarii ejus, & super ipsos in cælis tonabit. *Vers. 10.*

26. Cæli namque tunc sumus, cum in altitudinem divinæ gratiæ præsidentis nobis sublevamur. Et tonitrua contra ejus adversarios habemus, cum validis sanctorum desideriorum vocibus, omne, quod nobis de eorum suggestione spirat, elidimus. Quidquid enim tonitruum ferit, interficit. Tonitrua ergo cælorum, sunt perfecta desideria electorum. Nam velut a cælorum altitudine terribiliter sonando prodeunt, cum ab eo mentis culmine malignos spiritus feriunt, cui omnipotens Deus sic præsidet, ut amore præsidentis facile superet omne, quod ad pugnam moveri poterat, hostis audacia mala suggerentis. Sed præmonente Redemtore novimus, quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Eodem quoque Domino promittente, didicimus: *Quia quacumque hora peccator convertitur, salvus erit.* In extremo itaque sui cantici addat Anna, & dicat unde peccantem terreat: dicat, quo justum cautiorem reddat,

Ejus ope vires adversariorum elidimus. — *Matt. 10. 22.* — *Ezech. 18. 21.*

Dominus, inquit, judicabit fines terræ. *Ibidem.*

27. Non ait terram, sed fines terræ. Fines quippe terræ sunt, qui vitæ sua ultima cum culpæ perpetratione clauserunt. Nam qui peccat, & corrigit quod delinquit, terra est per peccatum, & finis terræ non est: quia delinquendo, redemtionis suæ alta deposuit, sed ab imo depositionis suæ ante judicium resurrexit. Flevit namque quod fecit, & venturum judicem eo lætius sustinet, quo in damnatione terrenitatis, per pœnitentiam ipse in se flagella ultionis tenet. Quia ergo fines terræ Dominus judicat, conversus peccator ad Dominum priora, sive media, non expavescat. Quia item fines terræ Dominus judicat, justus inchoata justitia, non præsumat. Nam si hunc ab ea, qua cadere potest, adhuc æquitate, labentem subita mors intercipit: quia in suis extremis culpa clauditur, finium teræ lege judicatur. Sequitur:

Deus finem vitæ judicat, non initium.

Et dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. *Ibidem.*

28. Hoc profecto superius, quia ad Redemtorem retulimus, in hujus quoque explanationis ordine

Christus pax nostra.

[a] Forte legendum *statum roboris*, ut paulo infra: *non habeat statum roboris, sed lapsum infirmitatis.*

Ephes. 2. 14. 1. Petr. 2. v. 4. 5. & 6.

dine non mutamus. Ipse namque est pax nostra, qui fecit utraque unum. Ipse quoque est lapis angularis, in quo dum electorum paries uterque copulatur, æternæ civitatis structura disponitur. Teneat itaque morem suum locutio nostra, ut prolato jam sacri cantici & morali, & allegorico intellectu, in eo uterque conveniat, quem fide credimus, moribus promereamur.

CAPUT II.

Vers. 11.

SEquitur enim divinus sermo, & dicit: *Et abiit Helcana in Ramatha, in domum suam.*

** Sup. in allo. Jesu c. 1.* Christus aliquando adest Ecclesiæ, aliquando se subtrahit.

1. Quem profecto virum, humani generis Redemptorem; Annam vero conjugem, ejus Ecclesiam; puerum Samuelem, credentium de Gentibus populum; Ramatha quoque civitatem, cælestem patrem designare * ostendimus. Quid ergo est, quod post conjugis canticum, abiisse in Ramatham civitatem suam Helcana dicitur: cum post natum puerum, Deo canticum Anna dixerit, atque ante ad cælos Redemtor ascenderit, quam gentilem populum sancta Ecclesia in fide genuisset? Quod profecto ab eis solummodo quæritur, qui tantum Domini nostri corporalem præsentiam scire noscuntur. Numquid enim tunc non eum secum Paulus habebat, qui ad Patrem ascenderat, cum dicebat: *An experimentum quæritis ejus, qui in me habitat Christus?* qui item fatetur dicens: *Sicut ex Deo, coram Deo, & Christo loquimur.* Quid est ergo, quod sanctæ Ecclesiæ aliquando adfuit per gratiam muneris, aliquando ei se subtraxit per dispensationem probationis? Adfuit namque, ut in acquisitione Gentium vitæ verba abundanter effunderet: sed aliquando ei velut absens se abscondit, ut verbi munere sublato, cognosceret sine ejus præsentia, qualis esset. Post finem itaque cantici dicitur: *Abiit Helcana in domum suam:* quia sancta Ecclesia ex ejus præsentia alta prædicat, qui cum mortalibus per dispensationem se subtrahit, æternis se civibus jugiter repræsentat. Domus namque sua illa supernorum civium, quam amando, replendo, & sociando Dominus inhabitat, æterna societas est. In eam igitur vadit, cum Annam deserit: quia qui se nobis adhuc proficientibus salubriter subtrahit, perfectis atque consummatis æternæ patriæ civibus, eo se incessanter jungit atque exhibet, quo probari jam probatos eius absentia, ulterius non oportet. Apte itaque post Annæ canticum, dicitur: *Abiit Helcana in domum suam:* quia sancta Ecclesia, quæ tam sublimia electos edocet, sicut pia semper Domini dispensatione deseritur, ita & eadem alta quæ doceat, non semper habet. Sed plerique verba audiunt, præteritam malitiam detestantur, & correctionis visæ opera proponunt: sed cum audire desierint, ac si numquam eadem vitæ verba audissent, ad iniquitatem redeunt. Auditor sanctæ Ecclesiæ gentilis populus devotus ad audiendum fuit, & ad operandum promtus. Apte itaque subditur:

2. Cor. 13. 3. 2. Cor. 2. 17.

Ut qui minus firmi simus eo absente experiamur.

Ibidem.

Puer autem Samuel erat minister in conspectu Domini, ante faciem Heli sacerdotis.

Gentiles post conversionem, & ad audiendum proni, & promti ad operandum.

2. Ac si aperte diceretur: Ex eo quod audivit, omnipotenti Deo placere studuit. Qui apte puer dicitur: quia etsi grandia pro defensione fidei nostræ agenda susceperat, tamen in eadem fidei generatione adhuc novus erat. Et quia placidum omnipotenti Deo ministerium præbuit, minister in conspectu Conditoris fuit. In conspectu etenim Domini est, quem in oblatione obsequiorum, divina dignatio libenter aspicit. A quo nimirum Domini conspectu expelli valde metuens quis, orat, dicens: *Ne projicias me a facie tua.* In quo item recipi vehementer cupiens, dilationis suæ moram secum reputat, dicens: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Hinc Elias gloriatur, & ait: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* Minister itaque erat Samuel in conspectu Domini: quia in novæ religionis obsequiis, omnipotenti Deo gentilis populus valde acceptus fuit. Quo nimirum verbo Judææ quoque repulsio latenter innuitur, dum solus Samuel, in quo Gentium fidelis populus exprimitur, ante Dominum ministrare perhibetur. Solus itaque in ejus conspectu erat, quia profecto ei Judaicus populus placere desierat. Quod utrumque per Malachiam Dominus loquitur. Nam Judææ repulsionem insinuans, ait: *Non est mihi voluntas in vobis, & sacrificium non suscipiam de manu vestra.* Sed qui a facie sua Judaicam perfidiam expulit, quem libenter intueatur, subjungens, ait: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Sed subtiliter est videndum quod dicitur: *Ante faciem Heli Samuel Domino ministravit:* quia prædicatorum sanctæ Ecclesiæ ministerium, gentilis populi conversionem, amorem, & reverentiam circa Redemtoris obsequium, veterum ordo doctorum longe ante videndo cognovit, & prophetando prædicavit. Hunc namque pronum in Domini ministerio noverat, qui dicebat: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes Gentes servient ei.* Hinc Aggæus loquitur, dicens: *Veniet desideratus cunctis Gentibus, & replebitur domus Domini.* Hinc Isaias dicit: *Erit radix Jesse, qui exurget regere Gentes: in ipsum Gentes sperabunt.* Hinc Psalmista ait: *Laudate omnes Gentes Dominum, & collaudate eum omnes populi.* Hinc Patriarcha Jacob ait: *Ipse erit expectatio Gentium.* Ante faciem ergo Heli minister Domini Samuel puer fuit, quia quod dignum Deo postmodum gentilis populus habuit, doctorum ordo veterum per prophetiæ spiritum prævidit. Et statim de projectis subditur:

Psal. 50. 13.

Psal. 41. 3. 3. Reg. 17. 1.

Repulsis Judæis soli populi Dei ministraverunt.

Malach. 1. 10.

Ibidem v. 11.

Illas a Prophetis etiam prævisa.

Psal. 71. 11.

Aggæi 2. 8.

Isai. 11. 10. Rom. 15. 12.

Psal. 116. 1.

Gen. 49. 10.

Porro filii Heli nescientes Dominum, & officium sacerdotis ad populum.

Vers. 12. & 13.

Judæis de Scripturarum scientia gloriantibus Christus in Scripturis latens ignotus est.

3. Subaudis, *erant.* Qui namque filii Heli sunt alii, nisi Israelitæ secundum carnem, qui Scripturam sacram noverant a patribus editam, & tamen quem Scriptura promiserat, nesciebant? quos nimirum per semetipsam Veritas in Evangelio increpat, dicens: *Abraham exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Et item: *Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi: de me enim ille scripsit.* Nescierunt ergo Dominum, qui venientem in carne nostra Redemtorem spreverunt. Unde per Isaiam queritur, dicens: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit.* Quasi dicat: Et incarnationis meæ vias, ei longe ante per Prophetas aperui, & tamen id quod promiseram, exhibitum non accepit. Quare & officium sacerdotum ad populum nescit. Officium sacerdotale quippe cognosceret, si ad redemtionem humani generis eum, qui a Lege, & Prophetis fuerat promissus, jam venisse prædicaret. In quem profecto quia non solum non credidit, sed etiam persequendo insanivit, & Dominum nescit, & ad populum officium sacerdotum. Cujus tamen malitia minor esset, si qui prodesse minoribus Redemtoris adventum prædicando noluit, nocere timuisset. Sequitur ergo, & dicit:

Johan. 8. 56. Ibid. 5. 46.

Isai. 1. 3.

Vers. 13 & 14.

Sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat in lebetem, vel caldarium, aut in ollam, sive in cacabum, & omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdotibus.

[illegible]

4. Quid enim est immolare victimam, nisi veræ fidei omnipotenti Deo offerre confessionem? Et quid vasa in quibus immolando caro coquitur, nisi fidelium mentes sunt? Quæ dum Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum esse verum summi Patris unigenitum credunt, nimirum in his caro coquitur, quæ Deo per devotionis intimæ obsequium immoletur. Quis puer sacerdotis est alius, quam perfidis Synagogæ Pastoribus per obsequium subjectus populus? Qui apte puer dicitur, quia dum infirma Legis ad litteram tenere maluit, in virum perfectum crescere per Evangelium recusavit. Quid vero est, quod ad inferendos ciborum raptus destinatur? Quid est iterum, quod in illata violentia tenere tridentem fuscinulam dicitur? Sed cibus electæ animæ persona est Redemtoris. Qui profecto cibus in sacris vasis eoquitur, dum per calorem sancti Spiritus ad suavitatem refectionis in electis mentibus præparatur. Caro etenim coquitur, dum per Spiritus sancti gratiam, humanitatem Dominicam in divinitatis naturam assumtam, & firmiter credimus, & efficaciter confitemur. Unde & per Moysen agni paschalis carnes comedendas insinuat, dicens: *Non comedetis ex eo crudum quid, aut coctum aqua.* Crudum quippe ex eo manducare est, præter Spiritus sancti gratiam, Redemtorem nostrum purum hominem credere. Aqua vero coquitur, cum Redemtoris essentia per humanam sapientiam ventilatur. Crudum ergo Judæi comedunt, aque coctum hæretici, quia illi ejus divinitatem negant, isti per humanam sapientiam & divinitatis & humanitatis ejus sacramenta evacuant. Puer itaque sacerdotis ad tollendum fidelium cibos mittitur: quia Judæorum populus a fide Redemtoris expulsus, amorem fidei ejus a corde fidelium auferre vehementer studuit. Qui apte fuscinulam tridentem in manu habuisse perhibetur, quibus carnis partem, quam posset infigere, eductam coqui prohiberet. Fuscinula quippe in manu pueri, illata sanctæ Ecclesiæ Judaici populi persecutio est. Et quia blandimentis, pœnis, atque terroribus nocere fidelibus tentavit, tres utique fuscinula dentes habuit. Bene autem dicitur, quia quod levabat fuscinula, tollebat puer sacerdotibus: quia magna epulatio iniquorum prælatorum erat, si eum blandientium, sive furentium satellitum turba subverteret, quem in fidei nostræ sublimitate stare per confessionem cognovissent. Sequitur:

Exod. 12. 9.

Vers. 14. & 15.

Sic faciebant universo Israeli venienti in Silo, etiam antequam adolerent adipem.

Christi cen... [illegible]

5. Adeps quidem interna pinguedo est, in qua nimirum illa devotio mentis exprimitur, qua electorum mentes Conditori suo in perfectiori caritate copulantur. Qui recte jam cocta carne immolant: quia assurgere quis ad sublimitatem caritatis non poterit, nisi prius quæ credit, amet mysteria incarnatæ divinitatis. Humanitatem quippe Domini Jesu in divinitatem assumtam, per sanctum Spiritum credere, quæ immoletur Deo, carnem coquere est. Ante igitur, quam adoleretur, adeps, puer carnem præripere studuit in universo Israele; quia apparitores Synagogæ, novos Christi confessores putaverunt evertere prius, quam eos omnipotenti Deo caritas perfecta sociaret. Quod apertius ipsa sacræ historiæ verba indicant, quibus dicitur: *Dum coquerentur carnes.* Per quæ nimirum verba non profectio coctionis, sed apparatus innuitur. Sed ordo nefariæ hujus exactionis ostenditur per ea quæ sequuntur.

Vers. 15.

Veniebat puer sacerdotis & dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam.

Redemtoris divinitatem negare suggesserunt.

6. Carnem crudam puero daret, qui coram persecutoribus humanitatem Christi puram assereret, & eam puer sacerdoti eoqueret: quia per ignem malitiæ Judaicus populus hoc putaret, quod ejus prælati in mentis suæ refectione libenter exciperent. Venit ergo puer sacerdotis, & crudam carnem petit, quando Judaicus populus litteræ Legis serviens, divinitatem Redemtoris negare fidelibus suggessit. Veniens ergo dicit: *Non accipiam a te carnem coctam, sed crudam.* Quia puer purum hominem fidelis compulit confiteri, esse Deum nec audire voluit. Cujus profecto populi importunitas ostenditur, cum verba sacrilega in nefaria exactione geminantur. Nam sequitur: *Non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam.* Quia Jesum Dominum, ac Redemtorem nostrum, non Dominum, & hominem, sed purum tantum hominem audire valde desideravit. Sed quos quasi imperfectos in carne tentavit, perfectos reperit. Nam qui divinitatem Redemtoris negare compulsi sunt, non solum Redemtorem noluerunt negare, sed compulsores eurabant ad vitam trahere. Unde & sequitur:

Vers. 16.

Dicebatque illi immolans: Incendatur primum juxta morem hodie adeps, & tolle tibi, quantum desiderat anima tua.

Abnuente Ecclesia.

7. A bestiali siquidem appetitu, cruda postulantem avertere nititur, qui ei ad libitum cocta pollicetur. Quasi male esurientibus Judæis sancta Ecclesia responsum præbeat, & pro humanitate simplici, quam vorare per desiderium cupiunt, divinitatis cibus repromittat, dicens: Prius coqui sinite, quod ad refectionem vitæ habeatis in Spiritu sancto intellectum. An non tunc puer sacerdotis crudam carnem petit, cum illuminatio a [a] Domino, ei qui cæcus fuerat natus, diceretur: *Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est?* Quid est dicere, *da gloriam Deo*, nisi non huic curationis tuæ laudes tribuas, quia Deus non est? [b] & qui peccator asseritur, non solum Deus esse negatur, sed etiam homo justus. Cui profecto crudam, quam petebat carnem, præbere noluit, coctam obtulit: quia quem salutis suæ auctorem instanter asseruit, [c] ex ostenso tantæ admirationis signo, non solum hominem sanctum, sed verum Deum esse monstravit. Qui autem sequi bestias, amissa ratione, populus cœperat, crudam sibi carnem exhiberi importune postulabant. Nam sequitur:

Johan. 9. 24.

Nunc dabis, alioquin tollam tibi vi.

Ibidem.

Sequitur:

Vers. 17.

Erat enim peccatum puerorum grande nimis coram Domino.

Et causam, qua grande fore hoc peccatum demonstraretur, adjungit, dicens:

Ibidem.

Quia detrahebant [d] homines a sacrificio Domini.

8. Gran-

a Gilot. & Vatic. *Domino eo qui cæcus fuerat natus.*
b Iidem, *& quia.*
c Guss. *ex offenso tantæ admirationis.*
d In Vulg. *retrahebant.*

Alios a Dei cultu avertere peccatum est quod vix pœnitentia deletur.

8. Grande nimis peccatum esse cognoscitur, quod pœnitentiæ lacrymis non deletur. Hoc namque nimis grande peccatum Synagogæ Propheta intuens, ait: *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino*. Vel certe grande nimis coram Domino peccatum erat: quia ad peccandum alios pertrahebat. Quare & subditur: *Quia detrahebant homines a sacrificio Domini*. Detrahebant quippe a sacrificio homines: quia ad confessionem rectæ fidei progredi infirmotum corda prohibebant. Et notandum, quia qui detrahuntur a sacrificio, homines dicuntur: quia nimirum si in fidei nostræ vera confessione persisterent, hos divinus sermo filiorum Dei appellatione signaret. Quibus profecto per Psalmistam Dominus dicit: *Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini*. Sequitur autem:

Ierem. 17. 1.

Psal. 81. 6. 7.

Vers. 18.

Samuel autem erat minister in conspectu Domini, puer accinctus ephod lineo.

Lex vetus, carnalis, spiritualis, nova.

9. Subtilior quam lanea vestis, linea esse cognoscitur. Apte autem Samuel lineo ephod indutus asseritur, per quem sacerdotum ordo electus ex Gentibus designatur. Nam in comparatione legalis vitæ, nova Evangelii conversatio lini subtilitas est. Ibi enim aliquid animale præceptum est; ibi omnis maledicitur, a quo semina propaginis in Sion nulla relinquuntur. In novo autem Testamento, quia subtiliora sunt omnia, quisquis ejus præceptis utitur, velut delicatiori lini veste decoratur: ibi quippe connubii abstinentia damnatur, hic miris laudibus colitur: illic sacerdotes carnaliter generant, hic fructum spiritalis propaginis tanto copiosius afferunt, quanto etiam per conjugale bonum, pudicitiæ detrimenta sentire non possunt. Bene autem dum Samuelis vestis exponitur, linea fuisse perhibetur, ut novi sacerdotii gloriam aperte ostenderet, quod novæ pudicitiæ nitoribus splenderet. Sed dum in conspectu Domini esse minister Samuel dicitur, ephod lineo accinctus memoratur: quia divina obsequia tunc bene exhibentur, cum exhibentis persona carnalis voluptatis sordibus non fœdatur: & acceptum Deo tunc est munus ministerii, cum per sanctæ conversationis munditiam Deo placita est persona ministri. Et quia inter primordia novitatis suæ proficiebat, adhuc sequitur:

Hujus Legis sacerdotum cœlibatus.

Vers. 19.

Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat ei, cum ascendebat cum viro suo, ut immolaret Domino hostiam solemnem.

Sacrificii species est prædicatio.

10. Sanctæ Ecclesiæ hostiam immolare, est per eloquia prædicationis auditotum suorum corda in amorem Conditoris accendere. Tunc itaque Samueli parva vestis delata perhibetur; quia dum adhuc per novitatis suæ incrementa proficeret, ab Ecclesia apta suæ parvitati accepit monumenta justitiæ, cujus splendore radiaret. Sequitur:

Vers. 20.

Et benedixit Heli Helcanæ, & uxori suæ, dicens: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore, quod commendasti Domino.

Patrum veteris & novi Testamenti consensus.

11. Quia in persona Heli sacerdotis etiam boni doctores populi veteris designantur, Helcanæ & uxori ejus benedixisse cognoscitur; quia nimirum eorumdem veterum doctotum ordo, Christi & sanctæ Ecclesiæ spiritalem copulam prævidit, & eorum electorum prolem futuram, cælo dignam, cum devotione prædicavit. Quod quamvis longe ante actum fuerit, tamen tunc fecisse benedixisse innotuit, cum revelata jam nostræ Redemtionis gratia, credere unusquisque fidelis poterat: quia tot bona patres nostri veteres de hac renovatione præcinebant. Et ut ordo, quo fiebat, agnoscatur, subjunctum est:

Ibidem.

Et abierunt in locum suum.

A vita activa ad contemplativam aliquando confugiendum.

12. In locum suum cum viro suo sanctæ Ecclesiæ abire, est vitæ activæ molestias interdum fugere, & supernæ vitæ gaudiis per contemplationem vacare. Puerum quippe ad horam reliquerat mater illa, quę dicebat: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*. Si cum puero erat, quando eumdem egregium doctorem usque ad tertium cęlum vis amoris extulerat? Si tunc erat cum puero, quando in Paradiso exceptus, verba quæ non licet homini loqui audiebat, & in locum suum rapiebatur, quia ostendit, dicens: *Non habemus hinc manentem civitatem, sed futuram inquirimus*? Sed quæ cum viro abibat in locum suum, reverti hanc materna viscera cogebant ad filium. Nam loquebatur & dicebat: *In carne manere est mihi necessarium propter vos*. Sequitur:

Philip. 1. 23.

2. Cor. 12. v. 2. 3. & 4.

Hebr. 13. 14.

Philip. 1. 24.

Vers. 21.

Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios et duas filias.

In Ecclesia non tantum perfecti, sed etiam infirmi felicitatem consequuntur.

13. In tribus filiis perfectiores quique sanctę Ecclesiæ designati sunt, qui pro fide Trinitatis fortia semper egisse cognoscuntur. Sed si solos perfectos sancta Ecclesia gigneret, nostra infirmitas ad æternæ vitæ pręmia pervenire non posset. Robur ergo filiorum duarum filiarum fragilitas sequitur: quia sancta Ecclesia etsi contra superbientem hostem humani generis fortes protulit, tamen ad æternæ patreę gaudia etiam infirma ejus membra per duo caritatis præcepta perducuntur. Et quia in inchoationis suæ initiis non semper mansit quisquis eo tempore erudiri ad sacerdotale ministerium cœperat, sequitur:

Ibidem.

Et magnificatus est puer Samuel in conspectu Domini.

Amissa humilitate, quæ non essent exaltata.

14. Quo in loco valde notandum est, quod puer Samuel dicitur, & magnificatus. Sed & cum magnificatus asseritur, hoc virtutis suæ præconium non in conspectu hominum, sed in conspectu Domini habere perhibetur. Cur ergo puer, [a] nisi quia ad perfectionis erat celsitudinem sublimatus? Puer itaque, & magnificatus in conspectu Domini Samuel dicitur: quia novus ordo prædicatorum, etsi ad magnæ conversationis celsitudinem pervenit, humilitatis suæ virtutem non perdidit. Magnificari quippe ante Deum non prodesset, si puer esse desisteret; quia amissa humilitate, placere omnipotenti Deo de conversationis altitudine non valeret. Denique magnificati jam fuerant, qui in nomine Jesu ab obsessis dæmonia ejiciebant: sed quia pueritiæ suæ bonum perdiderant, hos veritas arguit, dicens: *Videbam satanam, quasi fulgur de cælo cadentem*. Hinc iterum denuntians, ait: *Nisi conversi eritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Quia ergo novorum prædicatorum vita & sublimis est merito, & plana per humilitatem, Samuel apte magnificatus, & puer asseritur. Et quia ex utroque valde accepti Deo sunt, magnificatus non simpliciter, sed in conspectu Domini fuisse perhibetur. Sequitur:

Luc. 10. 18.

Matth. 18. 3.

Vers. 22.

Heli autem erat senex valde, & audivit omnia, quæ faciebant filii sui in universo Israel, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad hostium tabernaculi.

Senuerat Synagoga, quæ in

15. In persona Heli non solum vetus sacerdotium, sed etiam antiquotum patrum doctrinæ figurantur

[a] Forte addendum, *& magnificatus*; quæ enim in explicatione subjiciuntur, potius ad hoc membrum pertinent, quam ad aliud, *puer*.

tanta Christi luce caligabat.

rantur: quia ex hoc, quod spiritali dignitate præfuit, hoc suscepit officii, ut salutari prædicatione instrueret, pro quibus placabiles hostias Domino offerret. Quid est ergo, quod Heli senex asseritur, nisi quia in reproborum Judæorum cordibus vis infirmatur cælestium mandatorum? Juvenis quidem fuit Heli, quamdiu sacra Scriptura in electis Synagogæ vim magnæ auctoritatis obtinuit: quia videlicet promissiones venturi Redemtoris acceperat, & eum cum magno desiderio expectabat. Tunc ergo Heli senuit, quando Judæa devotionem observandæ promissionis amisit; ut desideratum a patribus suis Redemtorem coram se miraculis se probantem cerneret, & omnino cæca in tanta ejus luce, de veritatis præsentia dubitaret. Valde etiam fuisse senex dicitur, ut profecto omnis vis fidei in Synagogæ emarcuisse doceatur. Vere autem dicimus, quia si valde senex erat Heli, omnino debilis vivebat. Quid enim tunc erat seni Scripturæ vivere, nisi debilem valde aspirationem fidei Synagoge ministrare? Senex quidem valde esse, & vivere poterat, cum Judæorum corda nutabant, ut Dominum Jesum nec Redemtorem verum esse crederent, nec quasi blasphemum aperte damnarent. Hujus namque senectutis debilitatem Evangelista Johannes ostendit, dicens: *Alii dicebant, quia bonus est, alii vero, non, sed seducit turbas*. Hinc Judæi ipsi calliditatis suæ versutiam proferentes, dicunt: *Usquequo animas nostras tollis, si tu es Christus, dic nobis palam*. Hinc item dicunt: *Magister volumus a te signum videre*.

Johan. 7. 12. *Ibid. 10. 24.* *Matth. 12. 38.*

16. Sed Heli valde senex audivit omnia, quæ faciebant filii sui universo Israeli. Audivit certe hæc, quia novit. Quod autem [a] cognovimur, intra aulas memoriæ clausum tenemus. Consulta vero sacra eloquia, intra se omnem Judæorum perfidiam scriptam foris proferunt, & velut diu servatam memoriter ostendunt. Hujus profecto auditus notitiam Amos, velut Heli adscribens, ait: *Non faciet Dominus verbum super terram, quod non revelaverit servis suis Prophetis*: Hinc Habacuc Deo unigenito confitetur, dicens. *Domine audivi auditum tuum, & timui: consideravi opera tua et expavi: in medio duorum animalium innotesceris*. Veteribus quippe Synagogæ doctoribus filiorum [b] scelera audire, præcognoscere est. Sed quid præcognoverit, exponit, quia dicit: *Omnia, quæ faciebant filii sui universo Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi*. Cum mulieribus quippe Judæis dormire, est variis hæresibus pollui. Bene autem ipsæ mulieres ad ostium tabernaculi observare referuntur. Quid enim est ostium tabernaculi, nisi littera Legis spiritalis? Judæi autem dum sacram Scripturam juxta litteram solam intelligunt, ibi hæreses statuerunt, unde ad secretum veræ fidei intrare potuere. Nam sicut per ostium ad interiora tabernaculi, ita per litteram sacræ Scripturæ ad spiritalem intratur cognitionem Redemtoris. Quia ergo per observantiam litteræ Judæa decipitur, mulieres ad ostium, non intra tabernaculum, observare referuntur. Et quia in omnibus Scripturis Judæi Redemtori nostro contradicunt, non una mulier fuisse dicitur, sed plures. Hæc quidem sibi filii Heli faciunt, quia juxta Prophetæ vocem: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*; sed universo Israeli ea facere dicuntur: quia dum in erroris sui nocte prælati intereunt, caliginis suæ minoris cæcitate involvuntur. Cum mulieribus ergo filii Heli dormiunt: quia reprobi Judæi hæresum suarum admixtione usque in mundi finem polluuntur. Dormiunt etiam: quia etsi gravissima sunt erroris sui nocte obruti, per Heliam tamen sunt in fine mundi ad fidem Redemtoris excitandi. Sequitur:

Filiorum Heli scelera Judæorum corruptelas significant. *Amos. 3. 7.* *Hab. 3. 2. et interp. et. Sex.* *Ezech. 18. v. 4. & 20.* *Matt. 17. 11.*

Et ait ad eos: Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo?

Vers. 23.

17. Ecce senex erat Heli, & acuta loquebatur; quia virtus sacri eloquii, etsi in reproborum corde deficit, tamen coram recte intelligentibus, Judæorum culpas subtiliter exquirit. Districte enim discutiens, dicit: *Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo?* Sed qui exquirens interrogat, *Quare facitis?* profecto ostendit eos impingere noctem hæresis sine discretione rationis. Ipsa autem fecisse res pessimas, quas audiebat, dicit: & ipsas res pessimas ab omni populo esse asserit. Quid est hoc, nisi quia universitas Judaici populi in hæresum profunda corruerat? sed ipsius ruinæ causa reprobi sacerdotes erant. Unde & Oseas prophetans, ait: *Causa ruinæ populi sacerdotes mali*. Nam ideo subjectus populus cecidit, quia ruentes prælatos studuit imitari. Cum ergo dicit: *quas ego audio res pessimas ab omni populo*, ipsæ res a populo agi debent, intelligi, non referri. Quod tale est, ac si dicat: Res pessimas, quas fieri ab omni populo audio, quare facitis? Unde & statim quid dixerit, apertius insinuans, ait:

In ruinam populum pertrahunt mali sacerdotes. *Osee. 5. 1.*

Nolite filii, non est bona fama, quam ego audio de vobis, ut transgredi faciatis populum Domini.

Vers. 24.

18. In quo autem populus Domini mandata transgrederetur, si ipsi dormirent cum mulieribus? Sed quia hoc in figura contingebat illis, hoc profecto, quod Dominicæ Incarnationis tempore debebat fieri præsignabat. Nam quando sacerdotes cum mulieribus dormiunt, subditi mandata Domini transgrediuntur: quia dum prælati hæresum admixtione maculantur, reproba subjectæ Synagogæ multitudo in eisdem fœtoribus mergitur. Ait ergo: *Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo?* Quod tale est, ac si dicat: Tanto gravius delinquitis, quanto fœdius universum populum vestro crimine maculatis. Simile etiam aliquid per Prophetam dicitur: *A Dan*, inquit, *auditus est fremitus curruum, & equorum ejus*. In quo nimirum loco, non est intelligendum, quod a Dan auditum sonitum referat, sed quod ipse curribus, & equis sæviens, eumdem sonitum qui audiatur agat. Quo in loco hoc etiam notandum est, quia qui res pessimas ab omni populo se audisse retulit, mansuetæ affectionis verba subjunxit, dicens: *Nolite filii; non est bona fama, quam audio de vobis, ut transgredi faciatis populum Domini*. Et acute quidem reprehendit Heli, & mansueto admonuit: quia Scriptura patrum veterum, & errorem Judaici populi denuntians, increpat, & ab ejusdem erroris sui nocte, benigno affectu ad veræ fidei diem vocat. Filios quidem eos appellat, ut se debere esse heredes paternæ promissionis agnoscant, & tanto devotius mundi Salvatorem recipiant, quanto promissionem ejus fuisse factam patribus non ignorant. Sed & de peccati audacia eos revocare gestiens, rationem subjungit, dicens:

Hinc gravissime delinquunt. *Jer. 8. 16.*

Si peccaverit vir in virum, pacari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo.

Vers. 25.

19. Vir in virum peccare, est homo in hominem perversa agere. Quid est ergo quod dicit: *Pacari ei potest*

Judæorum peccatum nullis hominum precibus condonari poterit.

a Al. *cognoscimus*.

b Omittitur, *scelera*, in Gussf.

potest Deus, nisi quia talia peccata levia erant in illorum comparatione, quæ Judæi committere in Dei Filium cogitabant? In Deum quippe peccabant: quia eum, quem moliebantur occidere, Deum se esse apertissima miraculorum luce monstraverat. Hoc quippe per semetipsum Dominus ostendit, dicens: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Et ut ostenderet implacabilitatem Dei Patris, subjungit dicens: *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo: quia viderunt & oderunt me, & Patrem meum*. Tale est ergo, ac si dicat: Cujus prece illud peccatum indulgetur, quod in ipsum indultorem committitur: quis pro eo omnipotentem Patrem obsecrat, qui coæternum unigenitum in mortem damnat? Nihil enim apertius diceret, si fateretur, dicens: Hic, quem velut purum hominem persequimini, etiam Deus est. Rationis ergo lex exigit, ut qui Conditorem persequitur, venia defraudetur. Sed [a] ducit divina pietas districtionem rationis: legis enim æquitatem ostendit, sed prolatæ assertionis [a] vigorem in promulgati juris executione non tenuit. Æquitatis enim rigore decretum est, ut ad indulgentiæ obtentum nulla prece pertingeret, sed quibus oratio hominis nulla sufficit, pietas Redemtoris non defuit. Omnis homo, qui pro transgressionibus oret, tollitur: sed quibus homo sufficiens erat nullus, ipse Deus homo factus est intercessor pius. Nam in cruce suspensus, oravit, dicens: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. Pacatus est ergo Deus iis, qui in Deum peccaverunt, non aliena prece, sed sua. Sed pacatus est Deus non omnibus, sed quibusdam. Quidam namque persecutores Domini prædicantibus Apostolis conversi sunt, ceteri vero periere. De istis enim Lucas meminit, dicens: *Factus est numerus eorum quinque millia*. De reprobis vero subjungitur:

Joh. 15. 24. — *Ibidem.* — *a Forte legendum decidit, vel vicit. Licet in omnibus editis legatur ducit.* — *Idireo divina pietas subvenit.* — *Luc. 23. 34.* — *Act. 4. 4.*

Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.

Ibidem. — *Quos peccatores Deus occidere velit.*

20. Per Prophetam Dominus denuntians, ait: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*. Quomodo ergo ei competit velle occidere peccatorem, & mortem peccatoris nolle? Sed in præfato testimonio sequitur, unde veritas agnoscatur, ait enim: *Sed ut convertatur & vivat*. Qui enim peccatorem vult vivere, ut convertatur, si hunc convertibilem divina præscientia noscit, occidit. Vult ergo Dominus occidere, sed eos, quos prænoscit converti nolle. Misericors enim & justus asseritur dum a Propheta flagitatur: *Domine*, inquit, *libera animam meam; misericors & justus Deus noster*. Per misericordiam vero conversionem peccatorum expectat: per justitiam non conversos damnat. Per misericordiam converti vult peccatores & vivere, sed per justitiam eos, qui converti noluerunt, vult punire: misericorditer non salvat, nisi volens: per justitiam nolens damnat. Dum ergo occidere velle dicitur, peccatorum impietas maxima, & inemendabilis ostenditur, quæ voluntarie divinæ justitiæ executione puniatur. Sic utique & piissimos secularium negotiorum judices agere videmus, qui vellent ut nemo delinqueret, ut ipsi punire neminem deberent: sed dum ab iniquis audacter scelera committuntur, voluntarie eos puniunt, quos libentius non commisisse punienda voluerunt. Quo contra illud hoc in loco cernitur, quia non dicit: Quia corrigentis patris vocem audire noluerunt; sed, Non audiere: quia voluit eos Dominus occidere. Sed qui divini examinis æquitatem recte considerat, interesse nihil putat, an occidatur aliquis, an illo in scelere dimittatur, in quo æterna reprobatione perimatur. Tale est, ac si dicat: Tanta fuit magnitudo culpæ, ut & conversionis monumenta susciperent, & a mortis suæ fovea surgere nequaquam possent: & qui iræ Dei pelagus biberant, in damnationis suæ cumulum haberent non solum pœnam commissi sceleris, sed etiam additam vindictam contemtæ prædicationis. Sed cur hoc de præterito miramur, quod nunc usque fieri cernimus; Heli videlicet monentem, filios contemnentes, Dominum occidere volentem? Quid enim sacra Scriptura quotidie Judæis aliud, quam caliginem sui erroris insinuat? Non equidem sic per latentes & spiritales intellectus Redemtorem prædicat, ut ejus Incarnationem, Nativitatem, Passionem, Resurrectionem, & ad cælos Ascensionem non patenter ostendat. Nec ipsi tam irrationabiles sunt, ut tam excellentia bona Redemtori convenire non videant: sed tamen cæci sunt, ut promissa patribus suis signa in Redemtorem effulsisse audiant, & non credant. Cæci ergo sunt [b] non modo videndo promissa, sed non credendo exhibita. Cur vocem Scripturæ monentis non audiunt, nisi quia eos Dominus occidere vult? Nec mirum tamen, si ejus judicio pereunt, cujus unigenitum occidere. Intimæ enim æquitatis districtione cum Judæorum populo agitur, ut monita vitæ quotidie, Scripturis loquentibus, audiant, & ipsi Scripturis monentibus nequaquam credant. Sed repulsa Judæorum perfidia, quibus successibus sanctorum prædicatorum ordo potiatur in Gentibus, exponit, dicens:

Ezech. 18. 23. & 33. 11. — *Ps. 114. 5.* — *Ad scelus a Judæis in Christum commissum accessit prædicationis contemtus.*

Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Deo, quam hominibus.

Vers. 26.

21. Proficiebat quidem lucro prædicationis, crescebat numero ministrorum. Nam de profectu ejus Apostolus [c] gloriatur, dicens: *Ab Jerusalem usque Illyricum replevi Evangelium Christi*. Crescendi quoque modum Lucas meminit, dicens: *Crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio viduæ eorum*. Et paulo post: *Elegerunt*, inquit, *Stephanum plenum fide & Spiritu sancto, et Procorum, et reliquos. Hos statuere ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus*. Item de profectu isto novorum prædicatorum scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*.

Proficiente prædicatione, crevit ministrorum numerus. — *Rom 15. 19.* — *Act. 6. 1.* — *Ibid. v. 5.* — *Ps. 18. 5.*

22. Sed subtiliter est intuendum, quod dicitur: *Placebat tam Deo, quam hominibus*. Hominibus placet doctor, cum se sub istis venerabilem, & bonis moribus ornatum præbet: Deo autem placet, cum de bona conversatione inaniter gloriari refugit, & solius Dei laudem promereri concupiscit. Dicit ergo: *Placebat tam Deo, quam hominibus*: Quia nonnulli prædicatores prætextum sanctitatis præferunt, quam non habent. Hi ergo, quia etsi hominibus placent, Deo displicent, in typo novi, & electi prædicatoris de Samuele nunc dicitur: *Placebat tam Deo, quam hominibus*. Venerabiles quidem se exhibent subditis, & Deo offerunt puritatem intentionis. Hominibus quidem placere studuerat, qui dicebat: *Christi bonus odor sumus in omni loco*. Et item: *Omnia omnibus factus sum, ut*

Qui sacri ministri Deo & hominibus placeant. — *2 Cor. 2. 15.* — *1 Cor. 9. 22.*

 omnes

a Gilot. & Vatic. *vigore in promulgati juris executione non tenuit.*

b Fortasse legendum, *non modo non videndo promissa.*

c Additur *Paulus*, in Gilot. & Vatic.

1. Cor. 10. v. 32 34. *omnes facerem salvos*. Hominibus etiam placere auditores suos docebat, dicens: *Sine offensione estote Judæis & Gentibus, sicut et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis*. Sed qui se hominibus placuisse insinuaverat, puritatem cordis commendat, dicens: 2 Cor. 1. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. PLACEBAT *tam Deo, quam hominibus*. Qui novus ordo prædicatorum venerabilem se suis auditoribus ad imitationem foris præbuit, & intus acceptum Deo, per innocentiam voluntatis. Sequitur.

Vers. 27. *Venit vir Dei ad Heli*.

Apostolici coetus mira sanctitas.

23. Quid per hunc virum Dei, nisi sanctorum Apostolorum ille cœtus venerandus exprimitur? Qui certe vir Dei dicitur, pro excellentia sanctitatis: quia culmen ordinis, quod in universi orbis prælatione conscenderat, æquali sublimitate virtutis disponebat. Qui profecto ad Heli tunc venit, quando ad annuntiandam repulsionem Synagogæ ejus pontificibus accessit. Sequitur:

Vers. 27. et 28. *Et ait ad eum: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis, et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me, et dedi domui patris tui cuncta de sacrificiis filiorum Israel*.

Judicii adversus Judæos lati æquitas.

24. Quia divino judicio Judæa repellitur, ipsius judicii districtio, quam mira æquitatis dispositione illata sit, demonstratur. Prius enim collata Heli dona numerantur; ut dum tam benignus dator omnipotens Deus ostenditur, contemtorem suum quam juste feriat, cognoscatur. Revelatum se domui patris ejus asseruit: ut ignorantiæ excusationem habere non possit. Eadem vero suæ revelationis cognitionem se ei in Ægypto exhibuisse edocet, ut se ei suis meritis Heli obtinuisse nequaquam putet. Quasi aperte dicat: Illic me ad cognoscendum præbui, ubi mei oblivisci poterat, reminisci nesciebat. Et ne ipsa cognitionis divinæ dona reprobo parva fortasse viderentur, de ceteris tribubus Israel ad culmen sacerdotii assumtus asseritur. Quasi dicat: Eis eum prætuli, quibus non superior, sed æqualis fuit.

Tria quæ ad sacerdotium pertineant.

25. Notandum vero est, quod in officio ipsius sacerdotii tria denotantur: *Ut ascenderet*, inquit, *ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me*. Quid vero in hoc altari, nisi ille lapis ostenditur, quem Patriarcha Jacob in Gen. 28. 18. titulum erexit? Et quis lapis iste alius, nisi ille exprimitur, quem Paulus in laude fidelium prædicat, dicens: *Ædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*? Eph. 2. 20. Pater ergo Heli ideo in sacerdotium electus a Domino est, ut ad altare ascenderet: quia ordo doctorum veterum ad hoc subjecto sibi populo præfuit, ut humani generis reparationem in Redemtoris adventu futuram prædicaret. Et incensum adolevit: quia ei, quem futurum Redemtorem prædicat, per desiderium auditorum corda conjunxit. Ephod quoque portavit: quia desiderio tantæ expectationis, dignæ conversationis ornatum præbuit. Adoleret utique incensum, & ephod non portaret, si auditorum corda in desiderium venturi Redemtoris accenderet, a quo ipsa fœdæ conversationis inæqualitate differret. Et quia omnipotens Deus veritatem religionis, & non prætextum quærebat coram se, & non coram populo, ephod se ei portare præcepisse perhibuit. Coram Domino quid ephod portare, est de vitæ innocentia solius divinæ bonitatis retributionem quærere. Aperte autem ista contra Heli per improperium dicuntur. Ad altare quippe non ascendit: qui sacerdotium illud, quod manifestatæ veritatis tempore Synagogę præfuit, eum, qui tanta signorum magnitudine Redemtor humani generis claruit, subjectis plebibus nequaquam prædicavit. Et incensum Deo non adolevit: quia in persecutionem ejus populum, & non in amorem concitavit. Ephod etiam coram Domino portare contemsit: quia nulla religionis veritate resplenduit. Nam etsi nonnulla honestatis insignia pręferebat ornatus illo vitæ, ex prętextu fallaciæ erat, non ex intentione caritatis. Unde & hoc ipsum in eis Dominus reprehendit, dicens: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi: quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris videntur hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum*. Matt. 23. 27. Sed cui tam multa & spiritalia præbuit, minus contulisse videretur, nisi etiam temporalia exhiberet. Unde & subditur: *Et dedi domui patris tui cuncta de sacrificiis filiorum Israel*. Quasi ei aperta objectione * reputet, dicens: In nullo ei defui; spiritualis honoris, potestatisque culmina præbui, & ad temporalea usus terrenæ abundantię copiam ministravi. Sed qui tam rationabiliter collata dona enumerat, audiamus jam transgressionis ejus audaciam, qua instantia discussionis exquirat. Nam sequitur:

* Forte reputat.

Vers. 29. *Quare calce abjicitis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi ut offerrentur in templo?*

Judaici sacerdotes victimam Dei & munera repellunt.

26. *Quare* enim non dicit judex, nisi qui instanter discutit. Et qui calce repulisse victimam Dei, & munera reprehenditur, ei injuriam sine consilio rationis fecisse [a] judicatur. Notandum vero est, quia plurali numero dicit: *Quare calce abjecistis victimam meam*: ut non tantum ad Heli, sed ad filios, quod dicitur, pertinere videatur. Fera quippe animalia solent sibi adhærentia calce repellere. Quæ enim fidelibus victimæ aliæ fuerunt, quam Redemtoris sui laudibus insistere, Christum Jesum pro salute mundi in mortem occubuisse prędicare, & resurgendo, humani generis vitam reparasse? Et quæ alia eorum munera erant, nisi pro tantis sibi collatis beneficiis gratiarum actiones omnipotenti Deo incessanter offerre? Quæ profecto Heli filii calce repulerunt: quia in repulsione novę prædicationis, non consilium rationis per sacra eloquia secuti sunt, sed impetum feritatis. Ab irrationabili namque sævitia ad rationalis consilii intentionem eos Veritas revocare cupiebat, dicens: *Scrutamini Scripturas: quia vos in ipsis putatis vitam æternam habere, et illæ testimonium perhibent de me*. Joh. 5. 39. Unde & hic quoque dicitur: *Quæ præcepi, ut offerrentur in templo*. In Lege namque, Psalmis, & Prophetis scriptum de Passione, Resurrectione Domini, & universalis Ecclesiæ statu fuerat. Calce ergo Synagogæ præpositi victimam & munera Domini in templo Domini offerri jussa repulerunt: quia profecto prædicationem sanctæ Ecclesię, non Scripturæ sanctæ auctoritate discutere, sed solo feritatis suę impetu reprobare, atque abjicere conati sunt. Nam si pręcepta Dei in sacro eloquio illuminata mente consulerent, sanctos prædicatores, quos ferociter abjecere, quasi ad se missos divinitus, recepissent. Sed qui Heli filios, id est veteres doctores minoris ordinis, de irrationabili feritate

a Gilot. & Vatic. *indicatur*.

ritare reprehendit, ipsum etiam patrem de negligentia arguit, dicens:

Ibid. v. *Honorasti filios magis quam me.*

27. Quasi aperte reprehendens dicat: Illi repulerunt, & tu repulsores honorasti. Magis quam Deum, filios honoravit: quia dum aperta eorum opera ostensa contemneret, lucra temporalia iisdem providebat. Unde & subdit:

Ibid. v. *Ut comederetis primitias omnis sacrificii mei.*

Judæorum Doctorum major ordo, lucri gratia, mortem Christo intulit. *Joh. 11. v. 47. 48.* 28. Quibus nimirum verbis arguere majorem ordinem doctorum videtur, qui idcirco in Redemtoris morte consensit, quod oblationum veterum lucra amittere formidavit. Unde & inito consilio cum Pharisæis, dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent nostrum locum & gentem.* Et iterum: *Videte, quia nihil proficimus; ecce mundus totus post eum vadit.* *Ibid. 12. 19.* Ideo igitur filios honoravit, ut comederent: quia a prædicationis intentione conticuit; nedum veritatem novę oblationis assereret, habere ulterius ad voluptatis suæ luxuriam vetera non valeret. Quia ergo magnitudinem, qualitatemque reatus exposuit, videamus jam quanta æquitate examinis modum insinuet ultionis. Nam subdens ait:

Vers. 30. *Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo, amodo & usque in sempiternum. Nune autem absit hoc a me.*

Ideo jura primitiarum quæ sibi conservare cupiebant, ipsis ablata. 29. Quasi aperta congruaque sententia feriens, dicat: Tu filios tuos honorasti, ut omnis sacrificii primitias ederetis; sed ideo vobis primitiarum jura auferentur, quia indigne honorati sunt. Quid enim est dicere: *Absit a me ut domus tua ministret in conspectu meo*, nisi: ab illo vos dejicio culmine, cui primitiarum jura debebantur? Mira igitur æquitatis executione comprehensus est, qui unde primitiarum esum inhianter appetiit, inde a primitiarum perceptione jejunavit. Nam Redemtorem mori pertulit, ne sacerdotalia lucra perderet, sed ille de triumpho mortis accepit, unde sacrificii veteris emolumenta destruxit. Dicit autem: *Loquens locutus sum, ut domus tua, & patris tui ministraret in conspectu meo: nunc autem absit hoc a me.* Quasi verbis apertioribus dicat: Ut in tanto culmine dignitatis stares, ta frequenter admonui, sed modo talis non es qualem esse desideravi. Quod quia in Judaici populi reprobatione dicitur, de ordine novorum prædicatorum subjunctum est:

Ibidem. *Sed qui glorificaverit me, glorificabo eum.*

Qua gloria sublimati qui Christum glorificarunt. 30. Jam quippe glorificantis gloriam cernimus: quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ magno splendore vitę, omnipotentis Dei laudes concinunt, atque in universali orbis prælatione gratulantur. Ecce jam sacerdotum vestigiis gentilitas universa substernitur, & eos, quibus se gaudet obediendo subjicere, patronos gloriatur in cælestibus possidere. Glorificantem se ergo Dominus glorificat: quia a quibus devotas quotidie laudes accipit, ad universi orbis honorem sustollit. An non glorificati gloria est, in terra manere, & cælum claudere? Vitam communiter homines vivere, atque supernas cælorum sedes subditis auctoritate potestatis exhibere? Glo-

Matt. 16. 16. rificabat quippe Dominum, qui dicebat: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Sed glorificantem se Dominus glorificavit, quia ei respondit, dicens:

Ibidem. v. 19. *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.*

Sed de projectis Judæorum reprobis subditur:

Ibid. v. *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Quo affecti dedecore qui ipsum contempsisse habuerunt. *Luc. 19. 14.* 31. Ipsi quidem contemnunt, qui nequaquam hunc esse mundi Redemtorem credunt: de quibus profecto ipsa Veritas in Evangelio queritur, dicens: *Cives autem ejus oderant illum, & miserunt legationem post eum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.* Sed eorum jam [a] ignobilitatem cernimus: quia & genere, & conditione proscribuntur. Genere quidem ignobiles sunt, quia ab ipsa Veritate audierunt: *Vos ex patre diabolo estis.* *Joh. 8. 44.* Conditione etiam ignobiles sunt: quia amissa libertate, & regno, perpetua Gentium servitute deprimuntur. Sed pœnarum ordinem clarius ostendit, dicens:

Vers. 31. *Ecce dies venit, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua.*

Judæis ablatum templum, tabernaculum, & sacerdotium. 32. Jam quidem sine brachio est: quia qui templum & tabernaculum perdidit, manum ad oblationem sacrificii veteris non extendit. Et quia Heli, id est majoribus Synagogæ sacerdotibus loquebatur, non solum brachium ejus, sed etiam domus ejus se præcidere minatur, ut profecto universalem ritus veteris destructionem insinuet: & hoc quod novo tempore jam factum cernimus, antiquitus fuisse dispositum sentiamus. Et brachium itaque ejus, & domus ejus Dominus præcidit: quia & summos Judææ pontifices, & minores sacerdotes ab imolatione veteri penitus amovit. Unde & convenienter adjungitur: *Ut non sit senex in domo tua.* Senes quippe intelligendi sunt sacerdotes, quorum officium, quia gravitate magnæ honestatis impenditur, a religionis pondere nulla puerili levitate vacatur. Brachium igitur ejus, & domus patris ejus ita præcisum est, ut in domo sua senex non sit: sic veteris sacerdotii ritus evanuit, ut omnino nemo remanserit, qui veteri more immolare jam possit. Nam postquam Redemtor humani generis pro peccatis nostris, novo sacrificii more se obtulit, esse sacerdos consuetudine antiqua cessavit. Sed qui amissi sacerdotii damna sustinet, habet tormentum majoris pœnæ de dolore invidiæ. Quare & subditur:

Vers. 32. *Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel.*

Qui ad eos æmulos transierunt. 33. Intra templum quippe æmulum suum videt: quia ipse jam foras expulsus est. Nam quis æmulus sacerdotii veteris alius est, quam ordo novorum prædicatorum? Qui profecto dum veterum & electorum patrum studia vivendo, atque docendo adæquare nititur, bona Heli nimirum in bono æmulatur. Hinc Paulus admonet, dicens: *Bonum æmulamini in bono omnes:* *Gal. 4. 18.* Quæ autem Israel prospera, nisi felicitates hujus transeuntis temporis intelliguntur, in quibus Israel secundum carnem valde lætabatur? In universis ergo Israel prosperis æmulum suum videt, qui in sancta Ecclesia prædicatores veritatis felices aspicit, & rerum opulentia & celsitudine dignitatis. Hoc etiam, quod in templo videndus asseritur, perfectiori intelligentia declaratur. In omnibus quippe prosperis in templo est æmulus: quia ordo prædicatorum, omne quod sibi famulatur de felicitate temporis, in contemplatione disponit æternitatis. Sequitur:

Vers. 33. *Veruntamen non auferam penitus ex te virum ab altari meo.*

34. Peni-

a Gilot. & Vatic. nobilitatem cernimus.

Christi quoque passio imitatur. Joh. 6. 51. Isai. 53. 4. Prov. 23. v. 1. & 3. sec. lxx.

43. Panis namque nomine ille exprimitur, qui de semetipso ait: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Torta itaque panis, Redemtoris caro est, affecta suppliciis. Hunc namque totum panem Propheta intuens, ait: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Et quia per quemdam sapientem dicitur: *Si sederis ad mensam potentis, sapienter attende, quæ apponuntur tibi: quia similia oportet te præparare;* tortam panis, & nummum argenteum Judæa tunc offert, cum Redemtorem nostrum aperta confessione prędicat, & pro ejus amore, quem prædicat, sustinere tormenta a perfidis non recusat. In qua nimirum imitatione passionis, & refectione dulcedinis, quia valde delectatur, sequitur:

Ibidem.

Dicatque dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem.

Veris sacerdotibus sociari desiderabunt.

44. Dimitte me ait: Quasi dicat: Noli me, quasi infamem, & morte Redemtoris cruentatam repellere. Unam quoque partem sacerdotalem sibi concedi obsecrat: quia veris sacerdotibus sociari desiderat, ut eorum valeat admisceri gaudiis, quorum oblationes appetit, seipsam offerens, imitari. Unde & refectionis suæ exponens desiderium, dicit:

Ibidem. Et cęlesti pane vesci.

Ut comedam buccellam panis.

Qua in re notandum est, quia tortam panis in devotione oblationis habitura prædicitur, & buccellam in appetitu comestionis. Cur ergo ad comedendum non torta panis, sed buccella concupiscitur? Et cur non buccella, sed torta offerenda perhibetur? Sed quia in rotunditate buccella conficitur, rotunditas autem ipsa quodam modo nec principio, nec fine dignoscitur, recte per panis buccellam Redemtoris æternitas designatur. Torta igitur panis a nobis offerri, & non buccella potest: quia qui passionem Dominicam imitari moriendo, sive carnem affligendo possumus, æternitatem in nobis, quam præsentemus ejus conspectui, non habemus. Et buccella nobis in perfectione desiderii esse, non torta panis debet: quia qui humani generis Redemtorem compatiendo temporaliter sequimur, in superna patria non mortalem jam, nec patientem, sed æternum atque regnantem possidere desideramus. Eam igitur, quam offerre tortam panis desiderat, dicit: *Ut comedam buccellam panis:* quia conversi de Judæa, Redemtorem nostrum in æternitate refectionis possidere desiderant, cujus passionem imitati hic sunt ad strenuitatem militiæ, non ad præmium retributionis.

CAPUT III.

Sensus Moralis.

1. HÆc de sacra historia typica explanatione percurrimus, ut in eisdem sacræ historię verbis moralis intelligentiæ aliquid perquiramus. Itaque puer Samuel in conspectu Domini minister asseritur: quod tamen ministerium non absolute, sed ante faciem Heli Domino exhiberi memoratur. His igitur verbis non ostenditur perfectio ministerii, sed humilitatis. Facies namque Heli uniuscujusque institutoris ratio est arbitrii. Ille namque ante præceptoris sui faciem Domino ministrat, qui in exhibitione ministerii sui, proprii arbitrii rationem non sequitur, qui eo operis itinere graditur, quod ei magistri sui cognitione prævidetur. Nam perfecti quique viri, & docibiles Dei, ministri quidem in conspectu Domini sunt, sed ante faciem hominis ministri ejus non sunt: quia ipsa eos intus divinitas erudit, qualiter foris etiam vita & moribus, ac doctrina disponantur: Unde & præcursori Redemtoris paterni oraculi laude promittitur: *Tu quidem puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Ante faciem quidem Domini præire describitur, qui in ministerio suo non erat secuturus arbitrium superioris hominis, sed inspirationem divinitatis. Ante faciem ergo Heli Samuel Domino ministrare dicitur, ut subjecti quique ejus exemplo doceantur, quatenus de ministerio suo sic placere Conditori studeant, ut præter prælatorum suorum arbitrium, agere aliquid non præsumant. Nam qui ante institutoris sui faciem Domini minister asseritur, si ejus faciem præire per tumorem despicit, minister in conspectu Domini non existit: quia omnipotentem ignorare convincitur, cui per ejus arbitrium placere despicit, cujus se imperio, ut ei placeret, subjugavit. Unde & Heli, & filii Belial esse, & nescire Dominum dicuntur, & ad populum officium sacerdotum. Filii namque sunt, qui spiritualibus patribus ad eruditionem subiguntur. Qui profecto eum eorumdem patrum sequi consilia superbiendo despiciunt, Belial filii recte nominantur: quia ejus, qui per superbiam de cælo cecidit, apostatæ spiritus imitatores fiunt. Qui certe tanto deterius Dominum nesciunt, quanto ejus sibi cognitionem arrogantius adscribunt. Eo namque agitur, ut quod scire debent, periculosius nesciant, quod id, quod se scire existimant, nescientes discere non curant. Et quia invisibilem Conditorem amare nequeunt, quem ignorant, in appetitu visibilium, ipsa, quæ sibi usurpant Dei ministeria, dissipant. Unde & ii, qui ignorare Dominum sacerdotes relati sunt, & sacerdotum quoque officium ad populum nescire perhibentur.

Job. 6. 45. & Isai. 54. 13. Nonnulli ministri sunt in conspectu Dei, non hominum. Luc. 1. 76. Præter prælatorum arbitrium nihil præsumendum. Nulla deterior ignorantia, quam nescire se nescientium.

Tres peccati gulæ species.

2. Et ut reprehensionis ejus causas aperiat, ad omnem immolantem ignorantis sacerdotis puer cum tridente fuscinula venire memoratur, & crudam carnem violenter exigere. Quibus profecto verbis in aviditate suæ rapacitatis tres gulæ species notantur. Nam is, cujus puer, antequam coquerentur carnes, ad inferendam pro eis violentiam veniebat, legitimam refectionis horam sustinere non poterat: & cui carnes quærebantur, simplicibus cibis uti nesciebat, & quia coctam renuens, crudam carnem exigebat, communi præparatione eamdem carnem edere fastidiebat. Verum cum sacerdotum voluptati servierit perversitas famulorum, quid est quod non ipsorum sacerdotum, sed puerorum peccatum grande nimis, etiam coram Domino, fuisse memoratur? Sed eisdem verbis sacerdotum culpa major ostenditur: nam qui minorum peccatum grande nimis coram Domino fuisse asserit, majorum iniquitatem in quem damnationis cumulum excrevisse cognovit? Quæ tamen magnitudo reatus asseritur, non solum pro appetitu illicitæ comestionis, sed etiam pro violentia rapacitatis.

Qui Deo ministrat, pudicitia succingitur.

3. Sed ad electi pueri narrationem divinus sermo regreditur, ut in eo, non quod reprobandum, sed quod imitandum est, attentius consideremus. Itaque ephod lineo accinctus, & in conspectu Domini esse perhibetur. Quid ergo in ephod lineo, nisi continentiæ candor ostenditur? quo nimirum ephod accingimur, cum ad nitorem pudicitiæ ex omni parte retinemur; cum animæ, & carnis pars nulla a districtionis lege absolvitur, per quam ad luxuriæ caliginem diffluamus. Talis itaque minister in conspectu Domini est: quia de omnipotenti Dei sperata visione non fallitur, cui cum tanto accinctionis suæ nitore famulatur. Cui profecto

puero, ascendens mater cum viro ad immolandum solemnem hostiam, attulisse parvam tunicam dicitur. Mater quidem cum viro ascendit, quando mens prædicatoris per præscientiam interni sponsi sese ad contemplanda sublimia illa æternitatis gaudia erigit. Tunc quippe immolat solemnem hostiam: quia, dum per illius amoris ineffabilem suavitatem Conditori conjungitur, supernis altaribus devotio festiva præsentatur. Et tunc quidem parvam tunicam defert; quia, etsi per magnam internæ visitationis gratiam, Pastoris anima ad superna sustollitur, parvulus tamen non ad modum subtilitatis suæ, sed pro eorum viribus imponere præcepta conversationis debet. Unde & Moyses a monte in immenso vultus sui splendore regrediens, faciem velavit, ut in cum populus intendere visum potuisset. Parvam itaque tunicam ea, quæ spiritalis mater est, filio deferat, ut parvulis adhuc initia quædam, & plana præcipiat, & non fortitudinis suæ onus imponat. Nam sæpe inter magna opera corruunt, qui per minora vincere hostem possunt. Unde & David contra Allophylorum fortissimum in pugnam progrediens, loricam, clypeum, & militaria quæque instrumenta deposuit: & qui se in eorum pondere contra hostem exercere non potuit, in uno eum fundæ lapide prostravit. Ad immolandam solemnem hostiam mater illa ascenderat, quæ dicebat: *Scio hujusmodi hominem, qui raptus est in paradisum.* Sed de tanta magnitudine magnam vestem parvulis non adduxit, quia dicit: *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Item: *Lac vobis potum dedi, non escam.* Parvam itaque parvo filio tunicam mater deferat, & pro modo corporis, mensura indumenti teodatur: quatenus dum temperatæ conversationis virtute dimicat, hunc hostis inæquali armorum sarcina non substernat.

Adhuc infirmis, perfecta non sunt præcipienda, sed plana.

Exod. 34. 33.

Sæpe inter magna corruunt, qui per parva vincere potuissent.

1. Reg. 17. v. 39. 40. &c.

2. Cor. 12. 4.

Ibidem.

1. Cor. 3. 2.

4. Et quia ex discreto curæ pastoralis studio, prædicatori Deus conversorum lucra multiplicat, visitata à Domino Anna perhibetur, atque per gratiam divini muneris in filiis, & filiabus meruisse gratiam fœcunditatis. Quæ filios quidem parit, cum eos verbo lucratur, per quos prædicationis semina aliis tribuat. Filias vero parit, cum eas mentes ad omnipotentis Dei servitium revocat, quæ etsi ad prædicationem idoneæ non sunt, verbi Dei tamen semen diligenter a prædicatoribus acceptum nutriunt: quod velut parturientes postmodum filiæ per bona opera in exemplum proximorum gignunt. Sed quia prius Samuel lineo ephod accinctus asseritur, dehinc fecunditas matris in pluralitate liberorum, potest rationabiliter intelligi hoc, quod fieri quotidie cernimus: quia videlicet ex bona opinione electi discipuli, magistro succrescunt lucra conversorum. Unde & post ortum fratrum & sororum, magnificatus Samuel apud Dominum fuisse perhibetur: quia profecto coram Domino jam magni sunt, qui per exempla piæ conversationis, proximorum corda ad omnipotentis Dei servitium convertunt.

Pastoralem curam discrete exercenti Deus conversionum lucra multiplicat.

5. Magnus vero nobis timor incutitur: quia Heli filiorum culpa damnatur, cujus peccata propria nulla referuntur. Nam bonis subditis bene vivere ad salutem sufficit: prælatis vero propria vita non sufficit. Valde etenim senex est, qui vivere irreprehensibiliter semper studet. Unde etiam scriptum est: *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Sed quidam bene vivendo præeminent, qui auctoritatem, quam prælatio exigit, nullam habent. Nam etsi ad agenda bona excitare subditos satagunt, tamen contraire delinquentibus per zelum rectitudinis erubescunt. Qui nimirum etsi ad redarguendos eos aliquando exeunt, nocent potius loquendo, quam prosunt: quia eorum obstinationem non digna severitate confundunt. Nam idem Heli filiorum scelera, & quomodo ad tabernaculi ostium cum mulieribus dormirent, audivit [a]. qui velut ab aspera invectione auctoritatis incipiens, res pessimas ab omni populos se audisse perhibuit. Sed qui insequi eas, quas exposuit, culpas debuit, per subsequentia verba lævigavit, dicens: *Nolite filii.* In qua nimirum propinquitatis appellatione, quantum a Domini voluntate dissentiat, liquet: quia illos filios appellavit, quos divinus sermo supra Belial, idest spiritus nequam filios esse perhibuit, dicens: *Porro filii Heli, Belial.* [a] Cum mulieribus quippe dormire, est secure & sine metu futuræ vindictæ peccare, Mulieres quippe meretrices sunt concupiscentiæ seculares. Quæ bene ad tabernaculi ostium observare perhibentur: quia ad introitum regni cælestis tendentibus insidiantur. Qui vero sic mundi concupiscentias sequitur, ut sæpe divini metus consideratione terreatur, polluitur quidem cum mulieribus, sed non dormit: quia etsi transgrediendo labitur, in perpetratis tamen facinoribus per securitatem nequaquam requiescit. Dormiens itaque cum mulieribus nomine propinquitatis honorandus non est: quia qui projecto jam Dei timore in suis sceleribus obstinati sunt leviori increpatione arguendi non sunt, ne leve pondus peccati esse putent id, in quo corruunt, dum grave eis illud non sonat, quod ex auctoritate prædicatur. Sed remissi Pastores inter fomenta verborum quædam proferre solent argumenta rationis. Unde & Heli voce dicitur;

Prælatis qui propriis peccatis non tenentur, pro alienis formidandum.

Sap. 4. 8.

Si mollius subditorum peccata redarguant.

Unde leve putant peccati pondus.

Si peccaverit vir in virum, pacari ei potest Deus: si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?

Vers. 25.

6. Vir in virum peccare, est de rebus labentibus alterutrum sibi homines nocere. In Deum vero peccare, est ea ei, quæ ad æternitatem condidit, auferre. Quicumque igitur aut suam, aut alterius fidelis hominis animam ad peccandum pertrahit, in Deum peccare convincitur: quia sua ei auferre propria nititur. Quod nimirum tanto gravius peccatum esse ostenditur, quanto & qui pro ejus absolutione dignus intercessor existat, rarius invenitur. Nam sub interrogatione: *Quis orabit pro eo?* non dicitur ut talibus etiam pœnitentiæ remedia denegentur, sed quia altiora peccatorum vulnera difficilius curantur.

Quam grave scandali peccatum.

7. Quod tamen idcirco dictum potest intelligi, quia sacerdotes arguuntur. Vir enim in virum peccat, cum ille delinquit, cujus culpa corrigenda ad hominis superioris judicium respicit. Quia igitur peccata subditi populi, quæ ad sacerdotes respiciunt, ipsorum sacerdotum precibus delentur, cum sacerdos in culpa labitur, superior persona non est, cujus precibus expietur. Quod & ipsa Veritas per se insinuat, dicens: *Si sal evanuerit, in quo salietur?* Dicat ergo: *Quis orabit pro eo?* Quasi dicat, quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitat, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? Quo profecto culpæ magnitudo monstratur: quia plerique eorum a Domino in impœnitentis cordis caliginem projiciuntur, & nulla hominis adhortatione resipiscunt. Quare apte subjunctum est:

Sacerdotum delicta difficile curantur.

Matt. 5. 13.

Non audierunt vocem patris sui, quia voluit eos Dominus occidere.

Ibidem.

8. Puer

a Quædam hic deesse videntur; præmitti enim debuit quod legitur V. 22. *quomodo dormiebant*, &c.

Placere Deo & hominibus consummatæ est perfectionis.

8. Puer autem Samuel & proficere & crescere memoratur, & tam Deo, quam hominibus placere: ut electi auditoris studium designetur, qui rectæ vitæ itinere, suos conatus ad supernam patriam dirigit, ut ad majora convalescat. Unde & per Psalmistam dicitur: *Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Profectus itaque conversationis est, crescere meritis; placere Deo & hominibus, consummatæ perfectionis. Et quia ad opera conversatio pertinet, meritumque provenit ex caritate, illi auditores proficiunt, & non crescunt, qui bona opera pro studio vanitatis exhibent, & caritatem non habent. Proficimus ergo, & crescimus, si cum sublimiori conversatione per opera meliora sustollimur, ex eadem sublimitate operis ad sola intendimus gaudia æternitatis. Placere autem tam Deo, quam hominibus magnæ virtutis est: quia plerumque de bono opere nostro proximos nostros offendimus, si eadem bona opera non cum magna cautela faciamus. Tam Deo igitur, quam hominibus placet, qui in bono opere, quod omnipotentis Dei obsequiis impendit, cautus est: qui sic Deo placere curat, ut de Dei ministerio aliquem non offendat.

Psal. 83. 8.

Pueri Samuelis exemplo cœnobitæ erudiuntur.

9. Et quia de Samuele adhuc puero, & sub aliena instructione posito dicitur, communiter viventium per hoc vita eruditur. Nam quidam in sacris locis communiter viventes fervore novitio sub colore magnæ operationis sibi vacare appetunt, qui contubernalibus fratribus quo minus sunt utiles, hoc minus placent. Electus itaque puer Samuel communiter viventibus forma proponitur, cui imprimantur. Deo itaque, & hominibus quisque eorum placet, cum fratribus utilis est, Deo devotus. Sic ergo agant curam sui, ut ea quæ sunt proximi, non omittant; quatenus ex benignitate his placeat, qui secum in imo sunt: supernis vero oculis ex devotione, fortitudinis suæ robur caute exhibeat, ut infirmorum corda non atterat, dum fortitudinis suæ impetu ad superna festinat.

Pastorum culpæ severius judicantur.

10. Vir autem Dei ad Heli venisse describitur, qui profecto divinæ sententiæ severitatem prolaturus, quanta ei dona contulerat, diligenter enumeravit. Et quia tandem vindictæ, quam merebatur, pœnam denuntiat, quid dat intelligi, nisi quia Pastorum culpæ subtilius judicantur? & non solum peccata eis pœnam ultionis aggravant, sed etiam munera concessa. Item quia sigillatim eadem dona replicat, aliquid gravius designat: quia singula ad tormentum veniunt, quæ male fuisse servata comprobantur. Male namque in se omnipotentis Dei munera custodit, qui nitorem pastoralis culminis per maculas polluit pravæ actionis. Unde & apte Heli domus munera, & victimas Domini calce abjecisse reprehenditur. Calx quidem ea pars corporis est, qua terram tangimus. In hac igitur inferiori parte corporis animæ affectus ostenditur, quo terrena concupiscuntur.

Quas victimas & quæ munera Deo offerre debeamus.

11. Et quia, ut quibusdam visum est, pro consecuta, vel consequenda victoria victimæ offerri consueverant, & munera amicis dari, quid in victimis, & muneribus, nisi proficientium adhuc vota, & perfectorum devotiones in omnipotentis Dei laudibus designantur? Qui enim per occultorum hostium tentamenta proficimus, cum ad eorum conflictum virtutem præparamus, profecto victimas in omnipotentis Dei laudibus tenemus. Sed devictis jam iis, quæ ingeruntur nobis, præliis, cum de victoria consecuta omnipotenti Deo gratias agimus, eidem Domino nimirum victimas immolamus. Qui autem ei familiaris amoris affectum offerunt, quasi amico munera impendunt. Munera igitur sunt affectiones caritatis, quibus corda electorum in desiderium sui Conditoris inardescunt. Et quia cum Rector terrena sequitur, plerisque in spirituali conflictu positis, plerisque etiam jam anhelare incipientibus nocet, calce nimirum Dei victimas, & munera abjicit; quia exemplo suæ pravitatis, eorumdem utrorumque studia expellit. Abjiciuntur itaque victimæ: quia sæpe a rudibus Christi militibus pugnæ spiritualis labor relinquitur, cum principes Christianæ expeditionis in terrenorum blandimentorum requie sequi corporis otia videntur. Calce abjiciuntur munera; quia affectiones caritatis a plurimorum jam superna diligentium mente frigescunt, dum prælatos suos aspiciunt supernam patriam per nulla amoris desideria quærere, sed corporis frigore constrictos infimis delectationibus jacere. Quorum profecto nonnulli sunt, qui ipsos spiritales honores carnaliter exhibent, & quod meritis debetur, propinquitati tribuunt. Qui profecto præsumtionis suæ reatum expavescerent, si hoc, quod de Heli sacerdote Dominus queritur, attente pensarent.

Prava Pastorum exempla quantum noceant.

Honorasti, inquit, *filios tuos, magis quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii populi mei Israel.*

Vers. 29.

Periculum eorum qui propinquos ad Ecclesiasticam dignitates evehunt.

12. Filios quippe, & propinquos magis, quam Dominum honorat, qui ad sacros ordines personas eligit non ex conversationis honestate, sed amore propinquitatis. Idcirco filii honorati referuntur, ut sacrificii primitias ederent: quia carnales prælati spiritualis honoris culmina carnalibus propinquis ideo tribuunt, ut ecclesiasticis facultatibus ditentur, & in altitudine ordinis cumulentur abundantia ubertatis. Nec curant, quales sunt, qui ad spirituale ministerium veniunt: sed tantum, ut temporali dignitate præferant, quos carnali affectione complectuntur. Queritur ergo honorasse filios, sed scelestos, qui & carnali propinquitate proximi habendi non sunt, si ecclesiasticæ doctrinæ conversatione nequaquam fulgescunt. Sed qui reprobos provehunt, ipsum promotionis ordinem confundere designantur, cum idcirco honoratos filios refert, ut sacrificii primitias ederent. Non enim prædicat sacerdos, ut comedat, sed ideo, ut prædicet, manducare debet. Quod & Paulus insinuat, dicens: *Qui Evangelium annuntiat, de Evangelio vivat.* Hinc iterum dicit: *Bovi trituranti non claudatur os*: ut videlicet prædicator sanctæ Ecclesiæ ideo comestionem subministret corpori, ut ferre valeat laborem prædicationis. Rectum itaque promotionis ordinem pervertere comprobantur, qui propinquos provehunt, non ad intentionem ministerii, sed ad propositum dignitatis. Quod profecto non facerent, si se, & eos in spiritali culmine carnaliter non amarent. Sed si Heli repulsionem intelligunt, sui quoque reatus judicia pertimescant. Nam divina voce dicitur: *Honorasti filios tuos magis quam me, ut comederetis omnes primitias populi mei Israel.*

1 Cor. 9. 14. Ibid. v. 9. 1 Tim. 5. 18. Deut. 25. 4.

Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem absit hoc a me.

Vers. 30.

Qui Ecclesiastica potestate abutuntur, ea carere debent.

13. Ecce Heli celsitudine dignitatis sententia divina deponitur, qui pro primitiarum esu scelestos filios honorasse convincitur: ut profecto sanctæ Ec-

clesiæ prædicatores intelligant, quia si carnali A amore reprobis spiritalia ministeria scienter committunt, ab illo, in quo foris stare videntur culmine, interni arbitrii, æquitate ceciderunt. Et quia subsequenter adjunxit:

Ibidem.

Sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.

Ora Deum decore af[illegible] quem bonis operibus honorare tenentur.
Rom. 2. 24.

14. Etiam inhonoratum fuisse eorum audacia, latenter innuit. Quibus profecto & Paulus idipsum improperans, ait: *Nomen Dei per vos blasphematur inter Gentes.* Quia enim decorem acceptæ dignitatis per miseræ famæ sordes maculant, profecto Dominum inhonorant. Digne enim ab honoris arce repellitur, qui ei facit injuriam, a quo honoratus fuisse comprobatur. Quo contra generali promissione affirmat, di- B cens: *Sed qui me glorificaverit, glorificabo eum.* Deum quippe Pastor glorificat, qui exemplo bonorum operum ad imitationem fidelium coruscat, qui de sublimitate regiminis, ingenti lumine radiat magnæ conversationis, qui ad speculum sacrorum ordinum, reproborum ministrorum personas non accipit: sed eos ad formam subjecti gregis eligit, quos omnis, qui imitationem respicit, quia verum in eis lumen sequitur, non offendit. Quibus nimirum per semetipsam Veritas loquitur, dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Glorificantes quidem se Dominus glorificat; quia quod electi Pa- C stores sanctæ Ecclesiæ exterius portant de gloria culminis, hoc intus accipiunt ex gratia divinæ bonitatis: & honorem, quo sublimes sunt in oculis hominum, digno studio in interiori ab internæ majestatis largitate promerentur. Quo contra inhonorantium se gloriam a se non esse eis impensam queritur, dicens: *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego ignoravi.* Ex se namque, & non ex electione summæ ordinationis regnant, quia ad gloriam ecclesiastici culminis non vocantur divinitus, sed per cupiditatem perducuntur. Quos profecto Dominus ignorat: quia eos per internæ æquitatis judicium reprobat. Tale est ergo, ac si dicat: Etsi meus D esse videtur honor, quem habent, non illum meruerunt obsequio, sed per cupiditatem respuerunt. Unde & subsequenter adjungit.

Matt. 5. 16.

Osee 8. 4.

Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Ibidem.
Ita de æterna retributione serio [illegible]andum.

15. Quasi aperte loquatur, dicens: Etsi nobilitatem dignitatis præferunt prætextu religionis, ignobiles tamen sunt: quia excellentiæ ejus, quam habent gloriæ, non concordant per sublimitatem vitæ. Sed quia hoc totum expressione futuri temporis promittitur, potest non inconvenienter ad venturæ retributionis meritum referri. De qua nimirum Johannes dicit: *Cum apparuerit, similes ei erimus.* Hinc Evangelista Marcus asserens, ait: *Tunc videbunt filium hominis cum* E *potestate multa, & gloria.* Cum autem glorificantem se glorificaturum asserit, profecto ei suæ similitudinis gloriam repromittit. Glorificantem quippe se Dominus glorificat: quia eos æterna sublimitate remunerat, qui nunc intra sanctam Ecclesiam per exempla bonorum operum in electorum oculis coruscant. Contemtores autem erunt ignobiles: quia in electorum gloria recipi non merentur. Nam quia modo per conversationem reprobam lapsi Angeli imaginem vestiunt, ignobiles cum eo tunc erunt, quando ei in æterna pęna sociantur. Horum namque glorificationem, atque illorum ignobilitatem Propheta intuens, ait: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Exultationes Dei in faucibus eorum, & gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Glorificantem se quippe Dominus glorificat: quia humiles electi cum eo in æterna gloria exultant. Qui nimirum, quia glorificationis claritatem ex modo propriæ conversationis accipiunt, in cubilibus suis lætari de gloria consecuta perhibentur. Contemtores autem ejus perpetua ignobilitate feriuntur; quia nationum reges & nobiles ferreis, æternis videlicet vinculis, ad pęnam vinciuntur. Reges autem nationum, & principes, sunt superbi & gloriosi prælati carnalium. Ignobiles autem tunc erunt, quando ferreis vinculis ligantur; quia qui modo se adversus parvulos temporaliter erigunt, a fulgore honoris, & ausu suę tyrannidis æterna pęna cohibentur. Unde & hic quoque subditur:

1. Joh. 3. 2.

Marc. 13. 26.

Psal. 149. v. 5. 6. & 7.

Ecce dies [a] *veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui.*

a Vers. 31.

16. Brachium quippe contemtoris, est fortitudo temporalis. Et quia de summi patris familia transgrediendo exiit, lapsum Angelum a cælesti gloria habere jam partem cępit. Domus itaque patris ejus est ea, quæ sibi favet in malo societas subditorum. De quibus profecto superius dicit: *Honorasti filios tuos, magis quam me.* Brachium ergo contemtoris, & domus patris ejus præciditur, cum interveniente morte carnis, prælatus & subditi violentiam suæ tyrannidis pariter amittunt. Tunc quippe sine brachio est, cum in oppressione parvulorum exercere violentiam nequaquam potest. Unde & æterni judicis æquitate decernitur: *Ligatis*, inquit, *manibus, & pedibus, projicite in tenebras exteriores.* In cujus etiam domo senex non erit. Damnati quippe hominis domus, infernus est. Senectus autem vera est maturies sapientiæ. In domo itaque ejus senex non erit: quia in inferno nulla inveniri poterunt consilia salutis. Unde & ad veræ sapientiæ opera sacra Scriptura excitat, dicens: *Quodcumque potest manus tua, instanter operare: quia nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas.* Hinc Paulus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* In domo itaque contemtoris senex non erit: quia quisque recte sapit, non in inferno, sed in cælo sibi mansionem paravit. Qui etiam contemtor ad augmentum pęnæ suę æmulum suum videt in templo in universis prosperis Israel. Templum etenim Dei, superna patria est, de qua etiam per Prophetam dicitur: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes ejus.* Israel autem, qui videns Deum interpretatur, Angelorum illa felix multitudo signatur, de qua Dominus in Evangelio dicit: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Israel autem prospera sunt, beatorum illorum spirituum gaudia sempiterna. In templo igitur ęmulum suum contemtor aspiciet: quia prædicator reprobus jam damnatus ordinem humilium jam gaudere in cęlestibus recognoscit. Cui nimirum æmulo universa Israel prospera tribuuntur: scriptum quippe est: *Erit Deus omnia in omnibus.* Cuncta igitur Israel prospera, omnia, quæ Deus est, illis beatissimis civibus designantur. Nam cum æterna illa essentia summum videlicet & simplex bonum in semetipso sit, tamen quia revelatione majestatis

Et de morte in qua eorum brachium est præcidendum.

Matt. 22. 13.

In inferno nulla adsunt consilia salutis.

Eccle. 9. 10.

2. Cor. 6. 2.

Invidia laborans, sibi pœna est.

Psal. 10. 4.

Matth. 18. 10.

1. Cor. 15. 25.

a Oldot. & Vatic. veniunt.

suę

suæ omnia illorum beatorum spirituum desiderari satiat, hanc esse Doctor egregius demonstrat. Unde & caute non in semeptipso Deus omnia, sed in omnibus omnia esse prædicat: quia qui in natura sua unum, & simplex bonum ineffabiliter existit, tot bona est bonis omnibus, quot ipsi omnes de contemplatione gloriæ adimplentur gaudiis. Universa igitur Israel prospera æmulo tribuunt: quia ordo humilium electorum inter Angelorum choros excipitur, ut divinæ contemplationis gaudiis æterna perceptione satietur. Qui recte æmulus contemtoris esse perhibetur: quia electi Dei etiam superborum atque negligentium prædicatorum bonæ admonitionis hortamenta suscipiunt. Unde & Dominus præcipit, dicens: *Quæcumque dixerint vobis facite, secundum opera illorum facere nolite*. Hinc Paulus ait: *Bonum æmulamini in bono omnes*. Sed cum Scriptura dicat: *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini*, contrarium videtur, ut ii, qui in inferno damnati sunt, eos, qui in cælo gaudent, videre intelligantur. Sed quia videre etiam ad cognitionem pertinet, in templo æmulum videt: quia etsi inferni pœnis constrictus tenetur impius, electos humiles, quos oculis non videt, in cælo non dubitat Angelorum gaudiis interesse. Et notandum, quia bis dicitur: *Non erit senex in domo tua*: quia nec de pœnarum experientia, quam damnatus habet, nec de scientia alienæ felicitatis, nec de pœnarum experientia, quam non habet, ad salutem eruditur. Aliquando autem a Pastoribus reprobis electi per doctrinam filii nascuntur. Quos nimirum obligatos Pastorum culpa non retinet: quia bonæ prædicationis ejus hortamenta sequuntur quæ audiunt, & non perversa opera, quæ vident. Unde & subditur:

Electi, a negligentibus & superbis Doctoribus admoniti, humiliter obsequuntur. Matth. 23. 3. Gal. 4. 18. Isai. 26. 10.

Vers. 33. *Veruntamen non auferam penitus ex te virum ab altari meo*.

Non eorum exemplis abduci se sinunt.

17. Viri namque sunt, qui ardua rigidæ conversationis arce fulgescunt. Quasi ergo dicat: Idcirco eos ab altari meo non aufero, quia viri sunt. Nam pro merito conversationis, servatur eis fortitudo, & celsitudo potestatis. Unde & per Prophetam Dominus æquitatis edicta promulgat, dicens: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii*. Ab altari itaque suo ex eo virum Dominus juste auferret, si filius patris iniquitatem portaret. Sed ex eo ipso, quod electus auditor in gloria cernitur, reprobo doctori pœna cumulatur. Quare & subditur:

Ezec. 18. 20.

Ibidem. *Sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua*.

Proficientibus subditis, reprobo Pastori pœna cumulatur.

18. Oculi namque ejus deficiunt: quia ex ejus vita, qui sua perfecit exhortatione, confunduntur. Anima quoque ejus tabescit: quia abundantius dolere compellitur, dum bonum, quod docuit, per gloriam retributionis florere noscit in subditis, & ipse hoc agere non curavit. In quibus etiam verbis notandum est: quia qui penitus ex eo virum ab altari suo se non ablaturum promittit, ratus invenitur esse, quem recipit: quia profecto doctoris reprobi plures auditores sunt, qui sequantur prava, quæ agunt, quam recta, quæ docent. Unde & hic quoque magna pars domus ejus in virili ætate moritura perhibetur.

Indigne ad ministerium sacerdotale accedentium interitus.

19. Ætas namque virilis, tempus est administrandi sacerdotii. Imitator itaque doctoris reprobi ad virilem ætatem ducitur, cum ad sacri ordinis celsitudinem promovetur. Ad quam profecto ætatem cum pervenerit, moritur: quia ad tantum ministerium quisquis indignus accesserit, vel in eo indigne vixerit, condemnatur. Unde & Paulus Dominici corporis, & sanguinis mentionem faciens, ait: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit*. In virili ergo ætate moriuntur, quia de præsumtione & ausu ministerii sublimioris intereunt. Hinc ergo, hinc jam quique præcipites colligant, & tanti ministerii subire onera non ambiant, sed expavescant. Nam qui mori prædicitur quando ad virilem ætatem pervenerit, donec ad eam perveniat, vivit: quia nimirum infirmi quique, & illi tanto ministerio impares, si pusillitatis suæ modum considerant, habent in sancta Ecclesia locum, in quo se custodientes vivant. Unde & per Moysen Dominus denuntiat, dicens: *Bestia, si montem tetigerit, lapidetur*. Hinc est etiam, quod cum Loth exiret de Sodomis, ab ascensu montis abstinuit, & in Segor parvulam civitatem declinavit: ne dum parvulus adhuc ad altiora nititur, virilem ætatem impingens moriatur. Sodoma quippe eximus, cum ardentis concupiscentiæ incendia declinamus. Qui statim ad sublimia non ascendimus: quia superioris ministerii summa non tangimus, dum infirmitatem propriam metiendo consideramus: ne si infirmæ ætatis nostræ tenere modum contemnimus, qui parvuli viximus, in virili ætate moriamur. In signum vero morituræ domus, ambo Heli filii una die mori prædicuntur. Quos nimirum filios illos signare diximus, qui ad sacros ordines a propinquis carnalibus promoverentur, non ad intentionem administrandi ordinis, sed ad gloriam mundanæ dignitatis. In una ergo die ambo moriuntur: quia in appetitu mundanæ felicitatis intereunt. Gloria secularis, honoris reverentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentium, affluentia rerum seculariter amata, dies est, sed quæ interficit.

1. Cor. 11. 29. Exod. 19. 12. Hebr. 12. 20. Gen. 19. 20. &c.

Audiant qui filius Heli suna bu les.

20. Audiant ergo filii Heli: quia in una die ambo moriuntur. Qui enim de accepto pastorali culmine, labentis vitæ felicitatem diligunt, intentionem quidem habent gaudii, fructum vero lamenti, propositum in exultatione vitæ, & perventionem in mortis mœrorem. Ad mortem itaque properant, quoties vane de temporali felicitate gratulantur. Quod & Apostolus probat, cum apostatantis viduæ meminit, dicens: *Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est*. In die namque hac mori perhibuit, qui causam mortis viduæ esse delicias ostendit. Sed mors filiorum minus pessima esset, si ipsa causa mortis alienæ non fieret. Unde & non simpliciter mori, sed in signum morituræ domus mori prædicuntur: quia cum ii, qui de vicino doctorem reprobum imitantur, in eodem præcipitio corruunt, & sectatores sequentium in ruina cumulantur. Hoc itaque de officio suscepti culminis, temporalem felicitatem amantes audiant, & reatus sui magnitudinem pertimescant. Tanto denique graviori pœna digni sunt, quanto aperte conspiciunt, quia de vanitate, quam diligunt, non soli moriuntur; quia dum in prætextu mundanæ lætitiæ mortem ebibunt, potus sui pestem ad sequentium se multitudinem transmittunt. Quibus tamen verbis, potest doctoribus reprobis præsentis vitæ brevitas intimari. In una quippe die moriuntur: quia cum ad terminum hujus vitæ perveniunt, breve eis omnino fuisse cernitur, quod vixerunt. Unde per quemdam sapientem dicitur: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*. Hinc iterum de hujus mundi amatoribus beatus Job loquitur, dicens: *Ducunt in bonis*

1. Tim. 5. 6. Job. 20. 5. Ibid. 21. 13.

dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Sed raptis ad pœnam reprobis, ad gregis Dominici curam sapientes & electi Pastores excitantur. Quare & subsequenter adjungit:

Vers. 31. Non est dignus sacerdotio, nisi qui Dei voluntatem ex Scriptura sacra didicit.

Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem.

21. Fidelem namque sacerdotem sibi Dominus excitat: quia videlicet eum summus locus ad sui curam exigit, qui non solum recte intelligat, sed qui fideliter ministret. Ministrare autem tunc recte poterit, cum ministerii sui modum de sacro eloquio recognoscit. Unde & cum fidelis sacerdos promittitur, juxta cor & animam omnipotentis Dei facturus esse perhibetur. Quid enim cor & animam Dei, nisi sacram ejus Scripturam accipimus? Nam corde cogitamus ad deliberationem, anima vero afficimur ad amorem. Quia ergo in sacro eloquio consilia omnipotentis Dei agnoscimus, ibique amorem, quo humanum genus dilexit, invenimus; ipsum eloquium cor & anima ejus rationabiliter designant. Illum itaque omnipotens Deus ad suum ministerium sacerdotem eligit, qui juxta cor ejus, & animam facit: quia profecto non alius tanto ordine dignus est, nisi qui voluntatem ejus de sacro eloquio didicit, & hoc, quod didicit, proximorum utilitatibus per studium caritatis impendit. Sed vigilanter est adhuc intuendum, quod dicitur:

Ibidem. Is ex caritate implet.

Juxta cor & animam meam.

22. Nam quædam in Scriptura sacra inveniuntur præcepta, quæ dispensatione quidem Dei præcepta sunt, & non amore Dei. Quæ profecto si sacerdos, qui excitandus promittitur, adimpleret, juxta cor quidem Dei, & non juxta animam faceret, dum consilium divinæ dispensationis, & non amoris præceptum operibus reddidisset. An non de dispensatione Dei illa mandata ejus fuerant, de quibus loquitur, dicens: *Dedi eis mandata non bona?* Et cum Pharisæi, de dando repudii libello, cum ipsa Veritate disputarent, audierunt: *Ad duritiam vestram dedit vobis Legem Moyses.* Quia itaque de dispensatione consilii ejus illa fuere, quisquis eisdem præceptis usus est, juxta cor quidem Domini, & non juxta animam fecit. Nam cordis & animæ præceptum illud est, de quo dicitur: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quia hoc, quod per consilium præcipit, per amplexum caritatis apprehendit. Hinc item dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Hinc item præcipit, dicens: *Quæ vultis, ut faciant vobis homines, hæc facite eis.* Hæc itaque & hujusmodi, cordis & animæ Dei præcepta sunt: quia hoc revelatione ostenditur secreti ejus consilii, quod in ejus conspectu suscipitur probatione caritatis. Sacerdos ergo fidelis per hoc indicium noscitur, si videlicet juxta cor & animam ejus operatur: quia profecto tunc vere fidelis est, si non dispensationis ejus licentiam, sed præcepta sequatur amoris. Sed quia non frustra, sed ad lucrum subjectæ plebis eligitur, subdit, atque ait:

Ezec. 20. 25.

Matt. 19. 8.

Joh. 15. 12.

Luc. 6. 27.

Ibidem. Huic Deus domum fidelem ædificat, subditis obedientiam inspirando.

Et ædificabo ei domum fidelem.

23. Domus namque sacerdotis est amplitudo, in qua conversantur populi subjecti. Quæ profecto domus ei fidelis a Domino ædificatur: quia ad obedientiæ studium divina inspiratione erigitur. Infidelis namque domus est ea subditorum societas, quę boni Rectoris quotidie prædicationem suscipit; cui tamen obedire per studium boni operis non intendit. Infidelis enim domus esse cognoscitur: quia verbi Dei pecunia, quæ ei prædicatoris sui ministerio creditur, per negligentiam prodigæ vitæ dissipatur; & quod sibi ad negotii lucrum committitur, nequaquam in tempore reddendæ rationis invenitur. Bono itaque prædicatori fidelis a Domino domus construitur, cum ad obediendum voci ejus, subjectæ plebis divinitus corda præparantur: ut non solum id, quod in ea reconditur, de verbi talento custodiat, sed lucro multiplici cumulatum, ad mensam æternæ susceptionis ducat. Et notandum, quia fidelis domus a Domino ædificari dicitur, ut de bona conversatione subjecti populi prædicator nequaquam inaniter glorietur. Notandum quoque, quia sacerdotem fidelem sibi Dominus excitat, ut subjectorum corda hoc ipsum, quod optimo Rectore reguntur, tribuere suis meritis non præsumant. Notandum etiam, quod sacerdotem, quem excitat Dominus, dicit fidelem sibi; domum autem, quam ei ædificat, fidelem ipsi sacerdoti dicit futuram: quia profecto prædicator Deo obedientiam debet, subjectus prælato. Sed ante subjectus tunc recte prælatus graditur, si ad omnia dirigenda vitæ suæ itinera veritas ipsa videatur. Sequitur ergo:

Ibidem. Ut recti sint gressus nostri, intus ad Christum respiciamus.

Et ambulabit coram Christo meo omnibus diebus.

24. Christus autem Domini Redemtor est generis humani. Qui nimirum, quia jam ad cælos ascendisse creditur, a fidelibus suis nunc non oculis corporeis, sed mente videtur. Coram ipso itaque omnibus diebus ambulat, qui cogitatione subdita nihil operatur. Nam ut rectos gressus foris ponat in opere, intus ad Christum respicit, quem per considerationem portat in corde. Sed quia adhuc reprobo Pastori loquitur, subjungens, ait:

Vers. 36. Qui propriis precibus mundari diffidimus, alienas quæramus.

Futurum est autem, ut quicumque remanserit de domo tua, veniat ut oretur pro eo.

25. Remansurus namque de ejus domo aliquis dicitur: quia magna pars illius moritura perhibetur. De domo namque reprobi Pastoris remanet, quem conscientia peccati a spe consequendæ veniæ non extinguit. Remanet ergo: quia pondus conscientiæ per pœnitentiæ propositum lævigatur spe consequendæ vitæ. Qui profecto, ut oretur pro eo, venit, & ad Deum pœnitendo properat, a quo peccando recessit. Ut oretur itaque pro eo venit: quia qui indignum Deo se fecit, dignum intercessorem exigit, ut alienis precibus expietur, qui propriis mundari non posse cognoscitur. Unde & pie Jacobus admonet, dicens: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini.* Hinc iterum: *Multum valet oratio justi assidua.* Sed pro eo oratio valet: qui dum se a peccati immunditia cohibet, ad Dei se similitudinem redigit, qua se peccando spoliavit. Unde & hic quoque subditur:

Jacob. 5. 16.

Ibidem. Quæ tunc proderunt: cum per pœnitentiam ad Dei similitudinem peccando amissam, redierimus.

Ut offerat nummum argenteum.

26. In nummo igitur imago Domini sculpitur, ut ejus esse cognoscatur, a quo formari præcipitur. Nummus itaque Dei, similitudo ejus accipitur. Unde in Genesi loquitur, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et quia de sacro eloquio Dei imaginem & similitudinem, ad quam redigamur, agnoscimus; argenteus nummus esse perhibetur. Qui ergo a peccati via, ut pro se oretur, venit, nummum, argenteum offerre debet: quia nihil ei prodest, quod pœnitendo compungitur, nec quod flendo confitetur, si inemendata & incorrepta, interius pulchritudine bonæ voluntatis luce Dei imaginis nequaquam radiare cognoscitur. Imago etenim & similitudo Dei, est inclyto odio malum odire, & amore perfecto Deum diligere. Unde & Propheta claritatem divinæ similitudinis ab humano genere periisse intuens, ad

Genes. 1. 26.

eum

eum qui cum inclyta reparationis nostræ luce de A cælo venit, respicit, dicens: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem*. Hinc se jam de ejus contemplatione in perfectionis formam renovatum considerans, ait: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*. Qui ergo de domo reprobi per confessionem venit, qui per humilitatem pro se orari Dominum petit, curet omnino necesse est, ut nummum argenteum offerat, quatenus sumto splendore bonæ voluntatis, perfecte oderit malum, quod fecit, & bonum integro amore diligat, quod neglexerit. Unde & justi judicis examine, propitiationis edicta promulgantur. *In quacumque die, vel hora*, ait, *peccator convertitur, vita* B *vivet, & non morietur*. Conversio autem peccatoris non est in humilitate confessionis, sed in renovatione interioris hominis, cum peccatori, jam divina inspiratione correcto, & malum displicet, quod amavit, & bonum placet, quod odit. Nam sunt nonnulli, qui se & de nequitia accusant criminis, & pravitatem non corrigunt voluntatis. Qui profecto converti ad Dominum non creduntur: quia vera conversio in ore non accipitur, sed in corde. Converti etenim simul verti est. Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cum ad Creatoris nostri beneplacitum uterque C noster homo reducitur: cum & caro nostra per iniquitatis odium cohibetur a perpetratione facinoris, & per amorem justitiæ mens se extendit ad intentionem bonæ operationis. Sed quia nonnulli intra Ecclesiam sunt, qui tantum in vitæ suæ terminum ad pœnitentiæ satisfactionem veniunt, & judicio Veritatis dicitur: * *Quacumque hora peccator convertitur, vivit*: a nonnullis valde quæri solet, si statim vitam post carnis mortem inveniant, qui magnæ vitæ tempore peccata perpetrant, & tantum in vitæ exitu se nequiter egisse accusant. Ad quod dicendum est: Quia ex vi conversionis magnitudo deletur criminis. Vis autem conversionis est affectio caritatis, cordi infusæ, visitatione sancti Spiritus. Et scriptum est de eodem Spiritu: * *Quia ipse remissio peccatorum est*. Nam D cum electorum corda dignanter visitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat: quia ut se menti infuderit, eam protinus in peccatorum, & vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabiliter excitat. Facit eam statim odisse, quod amabat, & quod odio habuerat, ardenter diligere, atque in utroque valde ingemiscere: quia & mala, quæ odit, se damnabiliter amasse recolit, & bona quæ diligit, odisse. Quis enim audeat dicere, licet omnimoda peccatorum sarcina prægravetur, quod perire possit aliquis visitatus gratia Spiritus sancti? Quia ergo peccator nulla hora convertitur, nisi qua a sancto Spiritu illustratur, quid restat, nisi quia sicut peccati mortem execrando deserit, [a] ita vita justitiæ, ad quam se desideranter convertit, vivat? Qui statim post mortem in vita recipitur, si tantum amoris ignem recipit in conversione, qui consumere in anima possit omnem E congestam peccati rubiginem. Unde & de peccatrice muliere dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Hinc ab eadem veritate in cruce pendente dicitur: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. In vitæ igitur exitu hi solummodo salubriter resipiscunt, qui & per internam visitationem perfecte bona diligunt, & mala oderunt, quæ amaverant. Qui tamen si sufficienter pro admissis iniquitatibus dolere non possunt, nihilominus & isti in hora, qua convertuntur, vivunt. Nam qui perfectionem bonæ voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoria pœna peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquam habuerunt. Unde & Paulus dicit: *Sic salvi fient, quasi per ignem*. Sed peccator, qui ibi salvari per ignem meruit, hic per afflictionem carnis adimpleat hoc, quod sibi de vi amoris deesse cognoscit.

Psal. 44. 8. — Psal. 118. 113. — Ezech. 18. v. 21. & 27. — Conversio, est interioris hominis renovatio. — Fiat in carne & in mente. — * Istorum verborum sensus repetitur etiam Ezechiel. 33. 12. — * Nullibi hoc legitur conceptis verbis, in Scriptura sacra. 1. Johan. 2. 2. legimus: ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Multa laudant sancti Patres quæ tamen memoriter proferunt. — Luc. 7. 47. — Ibid. 23. 43. — Purgatorii pœna, postquam ad vitam perveniunt. — 1. Cor. 3. 15.

Et tortam panis.

Ibid. m.

27. Panis namque nomine aliquando terrenæ delectationis refectio designatur. Quare & Propheta Jeremias in appetitu seculari corruptæ Judææ populum memorans, ait: *Omnis populus ejus gemens, & quærens panem*. Panem itaque peccator conversus torquet, cum præteritam delectationem cruciat per afflictionem pœnitentiæ. Panem namque torquere, est carnem pro perpetrata delectatione affligere. Qui ergo sine tormento ignis ad salutem transire desiderat, cum nummo argenteo tortam panis offerat: ut qui per bonam voluntatem peccata deserit, ea nimirum valida carnis afflictione penitus extinguat. Nummum namque argenteum offerebat, qui recepta jam Dei similitudine, confitendo execrabatur quod fecerat, dicens: *Computruerunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*. Et item: *Incurvatus sum, & humiliatus usquequaque*. Sed qui nummum argenteum sibi non sufficere ad oblationem timuit, panis tortam addere curavit. Nam confitetur, & dicit: *Rugiebam a gemitu cordis mei*. Rugitus enim fletum magni doloris insinuat in afflictione pœnitentis. Hunc tortum panem argenteo nummo socians idem ipse loquitur, dicens *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*. Pro peccato etenim cogitare, est delectationi præteritæ dignam carnis afflictionem proponere. Offerendum ergo panem torquebat, qui & flagitia perpetrata pronuntians, qualiter ea delere posset, cogitabat. Et quia de austeritate conversationis pœnitentibus subrepere aliquando solet cupido laudis, intentio vere conversi peccatoris insinuatur per hoc, quod subditur:

Qui hanc pœnam evadere cupit, per pœnitentiam se affligat. — Thren. 1. 11. — Psal. 37. 6. — Ibid. v. 9. — Ibid. v. 19.

Dicatque: Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem.

Ibidem.

28. Pars namque sacerdotalis uniuscujusque, est in æterna vita retributio electi. Sacerdotes etenim Dei omnes electi ejus sunt, quia cui per oblationem ministerii sui incessanter serviunt, sacra semper offerre munera non desistunt. Unde etiam illi in regno tripudiantes, dicunt: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes*. Dicere ergo peccatori conversio: *Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem*, est de austeritate ditæ & pœnitentiæ, solam partem æternæ beatitudinis expectare: ut videlicet securitatem delectationis inveniat, quam & perenni perfruitione possideat, & post se tortiones pœnitentiæ numquam trahat. Quare & subditur:

Sacerdotes sunt omnes electi. Quo sensu — Apoc 5. 9. 10.

Ut comedam buccellam panis.

Ibidem.

29. Si enim panis in sacro eloquio pro delectatione accipitur, buccella panis est indeficiens delectamentum æternæ vitæ. De quo nimirum oblectamento per Prophetam dicitur: *Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis*. Hinc item jam ad mensam non tortæ panis, sed buccellæ invitatos convivas intuens, ait: *Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt*. Hinc Psalmista voce correpti pœnitentis pronuntians, dicit: *Notas mihi fecisti vias vitæ, ad-*

imple-

Æternæ vitæ quale convivium. — Isai. 51. 3. — Ibid. 35. 10. — Psal. 15. 10.

[a] Gussanv. in vita, omisso ita.

Viæ vitæ, afflictio pœnitentiæ.

implebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in A *dextera tua usque in finem*. Viæ etenim vitæ sunt afflictiones pœnitentiæ. quibus nimirum a damnationis suæ barathro peccator ad supernam patriam ducitur, dum pro commissis iniquitatibus sponte cruciatur. Unde & cum correptum se esse

Psal. 15. 5.

peccatorem insinuat, præsumit, dicens: *Tu es Domine, qui restitues hereditatem meam mihi*. Et

Ibid. v. 10.

item confidens, ait: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*. Viæ namque vitæ peccatori notæ fiunt, quando afflictiones pęnitentiæ ei divinitus insinuantur, quando videlicet illuminata mente considerat, quam vitæ amaritudinem singulis præteritæ culpæ delectationibus ap- B ponant. Qui nimirum cum vultu omnipotentis Dei jucunda lætitia adimpleri [a] gloriatur: quia de manifesta divinæ contemplationis satietate reficitur: & qui in lęva vitæ præsentis ad tempus pęnitendo compungitur, in dextra æternę vitæ usque in finem delectationibus satiatur. Qui ergo tortam panis obtulit, ad buccellæ comestionem perducitur: quia qui amore supernæ vitæ noxias delectationes cruciat, in discubitu æterni gaudii sibi perpetuam refectionem parat. Sequitur:

CAPUT IV.

Cap. 3. Vers. 1.

PUer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli.

1. Illud autem hoc in loco repetiisse ostenditur, quod de electo puero superius memoratur, ubi dicit: *Puer autem Samuel erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli*. Hoc quidem est ministrare Domino coram Heli, quod esse ministrum Domini ante faciem Heli. Et quia ibi istud, Domino adjuvante, plenius exposuimus, in iteranda ejus expositione penitus non moramur. Verum quia divinus sermo est, qui hoc in isto loco, & in illo loquitur, sine utilitate rationis nequaquam hoc egisse monstratur. Pro fastidio itaque lectoris explanationem tacemus, repetitionis vero causam dicimus ad ejus utilitatem. Quidam D namque prælatorum sanæ Ecclesiæ magisterio subditi rudes obediunt; sed cum paulo altius per conversationem proficiunt, in eadem obedientiæ humilitate nequaquam persistunt. Quos bene Agar Saræ ancilla spiritaliter designat, quæ cum de Abraham viro ejus concepisse se vidit, dominam despexerit. Agar quippe concipit, quando reproba mens subditi, aut per eruditionem scientiæ se proficere, aut per vitę conversationem, credit. Quę profecto pręgnans dominam suam despexisse dicitur: quia jam præsidenti sibi prępositi sui voluntati per obedientiam subdi dedignatur. Sed quæ dominam despicit, ancilla esse perhibetur: quia superbi subjecti, & infirmi sunt per elationem, & ad filiorum Dei numerum non pertingunt. Samuelis autem profectus exponitur: quia superius dictum est: *Puer autem Samuel proficiebat* [b] *& crescebat, & placebat tam* E *Deo, quam hominibus*. Quę profecto tria qua sublimitate conversationis percurrerit, supra expositum est. Quia ergo etiam nunc coram magistro ministrare memoratur, quid est, nisi quia electis auditoribus formam prębet, ut, quo altiori vita proficiunt, servare bonum obedientię numquam obliviscantur? Nam tunc vere proficiunt, si ad altitudinem meritorum & fortitudine conantur operis, & virtute humilitatis.

Quidam cum rudes sunt obediunt, qui eruditi ab obedientia resiliunt. Gen. 16. 5. Quod etiam per Agar probatur.

2. Kings 2. 26.

Vere proficiunt, qui meritorum cumulo virtutem humilitatis conjungunt.

2. Quo in loco est aliud, quod notari debeat: A quia tunc Samuel coram Heli, Domino ministrare ostenditur, quando ipse de filiorum negligentia a Domino objurgatur. Nonnulli namque subjecti, dum fortitudinis suę modum considerant, prelatorum suorum malunt esse severi judices, quam auditores pii. Qui nimirum quia exaggerare & discutere eorum vitas consueverunt, si in eorum conversatione vel levioris delicti maculas intuentur, subdi eorum præcepto obediendo renuunt. Sed vere fortes existerent, si majorum, quæ infirma existimant, humiliter sustinerent. Nam ante Deum ille magnus per meritum noscitur, qui ei in bono præcepto subjici- B tur, qui ex parte aliqua venerabilis non videtur. Ecce enim Heli aperta Dei sententia de negligentiæ suæ perpetrata culpa reprehenditur, sed puer Domini Samuel coram eo ministrare Domino memoratur: ut profecto apud se colligat, qualis sit, qui in leviori culpa sibi prælatum despicit, si ei se Samuel obediendo subdidit, quem omnipotens Deus sui examinis tanta districtione reprobavit. Sed quia Heli non valde supra peccantes subditos honorasse reprehenditur, ipsæ sacrorum ordinum dignitates pensandæ sunt. Nam Rector peccantem subditum, nisi correptum honorare debet: subjectus autem nec tunc præ- C latum despicere, cum se justum, & illum agnoverit peccatorem: quia æternus judex subditorum judicium sanctæ Ecclesiæ Rectoribus tribuit, sed eosdem Rectores discutiendos suo examini reservavit. Hoc tamen ipsum Rectoribus valde timendum est, quod Dei servantur examini: quia tanto subtiliores rationes vitæ, & doctrinæ suæ parare debent, quanto sapientior est judex quem sustinent. Nec tantum ejus futurum judicium in futura vita, quasi in longinquo positum, timeant: ne qui ubique præsens est, incautum feriat de vicino. Negligentes namque Pastores ad evadendam futuræ vindictæ pęnam, longa vitæ præsentis spatia ad pœnam cogitant: sed judex, qui ubique est, de vicino pœnitentiam irrogat: D quia prius eis lumen contemplationis subtrahit, deinde ad tormenta per mortem rapit. Unde & de eodem Heli, qui paulo inferius, fracta cervice, moritur, subjunctum est:

Nonnulli malunt prælatorum suorum judices esse quam auditores.

Deus Pastores suo judicio reservat, non permittit alieno.

Ideo magis timere debent.

Ibidem.

In diebus illis non erat visio manifesta.

3. Nam dum Rector agenda, quæ novit, despicit, agitur cum eo districto judicio, ut agenda non videat: quia implere noluit, quod videbat. Manifesta namque visio negligentis Pastoris non est, sed amantis. Unde & per seipsam Veritas dicit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Claritas namque manifestæ visionis, est revelatio amatæ veritatis. Quæ profecto veritas si merito dilectionis ostenditur, iis, qui torpent a bono opere, dignissime occultatur: quia signum amoris non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis. Unde & in Evangelio Dominus præmisit, dicens: E *Qui habet mandata mea, & facit ea, hic est, qui me diligit*. Quia ergo de negligentia operis caligo incurritur internæ visionis, apte nimis dum de contemtu mandatorum sacerdos arguitur, visio occultata memoratur. Sequitur.

Obcæcatio eorum qui bonum quod cognoscunt, implere nolunt.

Johan. 14. 21.

Ibidem.

Et sermo Domini erat pretiosus.

Ibidem.

4. Quantum ad sacrę historiæ veritatem pertinet, pretiosum pro raro posuit. Pretiosus itaque sermo erat: quia dum rarus esset, qui summa contemplando cerneret, frequens esse non poterat, qui bona loquendo prædicaret. Quod nunc quoque in

Pretiosum aliquando rarum in sacra Scriptura significat.

sancta

a Mendose legitur in omnibus nostris editis, *gloriantur*.

b Omittitur in Gussanv. *& crescebat & placebat tam Deo*.

sancta Ecclesia fieri videmus: quia dum plerique de reverentia culminis, gloriam affectant honoris, dum sacri ordinis ministeria negligunt, summa quæ videre nequeunt, subjectis plebibus prædicare non possunt, atque in eorum familia pretiosus sermo esse cognoscitur: quia raro bonæ prædicationis hortamenta audiunt, quorum prælati ex desiderio non quærunt superna, quæ dicant, sed terrena, quæ agant. Quos profecto sacra Scriptura notat, quæ dicit: *Canes muti non valentes latrare*. Non dixit, non volentes: sed non valentes: quia certe dum mundi gloriam ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente & virtute diligunt, vellent populo sublimia dicere, ut etiam de sublimitate verbi possent gloriam habere. Canes ergo muti volentes latrare, non possunt: quia dum pravo corde terrena meditantur, occulta veritatis, quæ proferant, revelatione nulla comprehendunt. Sed quia quod pretiosum est, magna cum diligentia custodiri solet, potest hoc quod dicitur: *Non erat visio manifesta*, ad carnalium prælatorum negligentiam referri.

Isa. 56. 10.

Terrena toto corde amantibus veritas occultatur.

5. Quod vero additur: *Et sermo Domini erat pretiosus*, ad bonorum ardens studium subditorum, cum fideles subjecti etsi non habent, qui eis frequenter de thesauro sacri eloquii superna prædicet, hoc tantum, quod aliquando scire potuerunt, mira devotione complectuntur: & velut rem ineffabiliter pretiosam custodiunt, dum per bona opera in cælo collocant, ubi fures, qui id auferre valeant, nequaquam appropinquant. Unde & in Evangelio de emtore bonæ margaritæ dicitur: *Inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua & comparavit eam*. Cum itaque in occultatæ visionis tempore pretiosus sermo esse describitur electorum, subditorum laudes nuntiantur: quia tanto sublimiori gloria prædicandi sunt, quanto id bonum, quod de eminentiori loco periit, perfectione magnæ caritatis in inferioribus remansit. Quorum profecto bona conversatione plerumque agitur, ut ea quæ occultata fuerat visio, manifestetur, ut qui devote custodiunt minima, scire debeant quæ faciant, & majora. Unde & subditur:

Verbum Dei quo excipiendum & custodiendum studio.

Matth. 13. 46

Factum est igitur in die quadam, Heli jacebat in loco suo, & oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur. Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. Et vocavit Dominus Samuelem.

Vers. 2. 3. & 4.

6. Samuel quippe puer a Domino vocatur, quoties humilibus subjectis divini consilii arcana revelantur, & humilitatis suæ merito lumen contemplationis acquirunt, quod superbiæ suæ retributione elati prædicatores perdunt. Sed notandum, quia ad quadam die factum ostenditur, [a] qua videlicet Heli & in loco suo jacere, & videre non posse perhibetur. In die namque vocatur, qui pro sua, & aliorum salute, ad supernæ sapientiæ scienda secreta sustollitur. Quo contra, & Salomon sapientiam in nocte percepit, ut caligo temporis indicaret, quia eamdem sapientiam non perseveraturus acciperet. Quod intelligi & aliter potest: quia videlicet Heli caligo memoratur. Positione itaque diei, ejus ostenditur magnitudo cæcitatis: quia profecto magnas tenebras habuit, qui in die non vidit. Nunc quoque si ad Ecclesiæ statum respicimus, generalis gratia luminis est. Venit namque, qui veræ claritatis radios spargens, diceret: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris*. Et quia interni splendoris ejus gloria ineffabilis est, non dicitur de die isto, vel illo, sed die quadam: cujus profecto diei * claritas non est; claritatis vero magnitudo incognita. Magnas ergo tenebras Pastor sustinet, si is, qui Ecclesiæ oculus esse per officium noscitur, in gratia tantæ lucis visionem non habet. Quare & ejusdem oculi tenebras per semetipsam veritas magnas ostendit, dicens: *Ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Sed jam, unde sibi tanta caligo oriatur, insinuat, quia dicit: *Jacebat in loco suo*. Locus namque prædicatoris, standi non jacendi officium habet. Unde & de seipso Dominus formam [b] ejusdem prædicatoribus præbet, dicens: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat*. Stare enim in medio fratrum, est per laboriosam conversationem se in exemplum minoribus præbere. Stare itaque ad laborem operis pertinet, & ad pugnæ necessitatem. Unde & agonotheta spiritualis certaminis præcipit, dicens: *State ergo succincti lumbos in veritate*. Et quia jacere quiescentis est, in loco prælii & laboris, quietis teporem sequi reprehenditur, qui in loco jacere memoratur. Stare etiam justi est. Unde & Paulus dicit: *Fide enim statis*. Jacere ergo etiam ad remissioris vitæ negligentiam pertinet. Tunc itaque Heli jacet in loco suo, cum per lapsum pravitatis reprobus prædicator requiescit in sede justi. Jacentis ergo in loco suo oculi caligant: quia summa videre nequeunt, qui in arce pastoralis culminis non exequuntur virtutis opera, sed remissioris vitæ blanditiis immerguntur. Qui profecto lucerna Dei jam non veritate laudis, sed per improperium appellatur derisionis. Nam qui lucernæ Dei appellatione fungitur, & videre non posse perhibetur, deridetur potius tanto nomine, quo censetur. Nam in vera justi laude dicitur: *Ipse erat lucerna ardens & lucens*. Nam veri luminis jubar, quod amando hauserat, loquendo fundebat. Prædicator etiam carnalis, dicitur lucerna per officium, cæca per intentionem: quia dignitate fungitur præbendi luminis, sed mentem figit in tenebris vanitatis.

Humilitatis merito lumen contemplationis acquiritur.

3. Reg. 3. v. 5. & 12.

Quantam eorum cæcitas qui in die non vident, etsi Ecclesiæ sint oculi.

Johan. 8. 12.

* Non melior, ele ita est Claritatis vero, &c.

Matth. 6. 23.

Unde tanta ipsorum caligo.

Luc. 22. 27.

Eph. 6. 14.

2. Cor. 1. 23.

Jacent ubi stare debebant.

Johan. 5. 35.

7. Cujus profecto consummata perversitas designatur: quia non dicitur, non videbat, sed videre non poterat. Quare & malæ arboris mentionem faciens Dominus, ait: *Non potest arbor mala fructus bonos facere*. Lucerna itaque Dei videri non potest, cum is, qui pastorali dignitate præeminet, tanta spissitate secularis amoris premitur, ut ad internæ claritatis intuitum nulla gratiæ inspiratione sublevetur: cum jam videlicet justa Dei indignatione projectus, in caliginis suæ cæcitate relinquitur, ut ulterius per infusionem superni luminis numquam visitetur. Bene autem dicitur: *Antequam extingueretur*. Non videre enim, pœna peccatoris est in hoc tamen adhuc seculo viventis: videre autem non posse, est mortui impii in alio jam seculo æterna pœna damnati. Unde & Conditoris judicio in exterioribus tenebris claudi præcipitur, ut videlicet ad lucis intuitum numquam reducatur. Cum ergo antequam extingueretur, videre non posse dicitur in isto adhuc seculo vivens prædicator reprobus, damnato jam in perpetuum impio, in cæcitate similatur. Extinguitur autem lucerna, cum Pastor moritur. Vel certe lucerna extinguitur: quia cum reprobus prædicator per mortem carnis interit, quidquid in eo lucere videbatur, de gloria culminis amittit: & velut sola lucernæ testa sine lumine remanet, cum ad æternum judicium servari perso-

Non solum non vident, sed nec videre possunt.

Matth. 7. 18.

In eis sola lucernæ testa sine lumine remanet.

a Vatic. *quia videlicet Heli & in loco suo jacere*.

b Gilot. *eisdem*. Toletani potest, *ejusdem*, scilicet *loci*.

na cogitur, quæ omni penitus seculi fulgore spoliatur. Antequam igitur extinguatur lucerna Dei, videre non potest: quia & meritum futuræ damnationis per æternitatem suæ cæcitatis possidet, & tamen adhuc coram hominibus per splendorem acceptæ dignitatis fulget.

Vers. 3.

Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.

Aliud est dormire, aliud jacere.

8. Bene autem reprobus prælatus non dormire, sed jacere dicitur, puer autem subditus & electus non jacere, sed dormire: quia dormire aliquando in bonam partem accipitur, jacere autem fere semper in malam. Unde & Sponsa in Cantico canticorum dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. In somno itaque pueri perfecti, uniuscujusque electi subditi a pravo opere requies designatur. In templo quippe, & ubi est arca dormit, qui in cælesti desiderio, atque in sacræ Scripturæ meditatione occupatus, ad ea quæ ad perversitatem pertinent, non intendit. Quidam namque in templo dormiunt, sed in loco ubi est arca Dei, non dormiunt: quia nonnulli simplices in cælesti contemplatione per amorem requiescunt, sed sacri eloquii occulta meditari nesciunt. Samuel autem, qui non solum in templo, sed coram arca Dei dormire dicitur, eruditos pariter & electos subditos designat: quia dum amoris sui flammas de sacro eloquio frequentius meditando hauriunt, ad supernæ patriæ desiderium altius assumuntur, & velut intima templi ad somnum eligunt, dum eo longius separantur a publico terreni operis, quo secretius per meditationem reconduntur in sacrario internæ visionis.

Cant. 5. 2.

Aliud in templo dormire, aliud in loco ubi est arca Dei.

Vers. 4.

Et vocavit Dominus Samuelem.

Vocat Deus cum per vim majoris gratiæ excitat.

9. Vocare etenim Dei, per vim majoris gratiæ excitare est. Dormientem namque Dominus vocat: quia a terrena intentione quiescentes, ad augmentum supernæ cognitionis excitat. Nam dum ad ea, quæ foris sunt, per sollicitudinem vigilamus, interna & spiritualia non sentimus. Repulsio itaque terrenæ curæ, præparatio est nostra ad perceptionem supernæ gratiæ: quia in electis fit uberior infusio divini muneris, quo mens fuerit purior per custodiam internæ meditationis. Sequitur:

Vers. 4. 5. &c. usque ad vers. 9.

Et vocavit, inquit, *Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego, & cucurrit ad Heli, & dixit: Vocasti enim me, qui dixit: Non vocavi te, fili mi; revertere & dormi. Et abiit & dormivit. Et adjecit Dominus vocare rursum Samuelem. Consurgensque abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit: Non vocavi te, fili, revertere & dormi. Porro Samuel non sciebat Dominum, neque revelatus ei fuerat sermo Domini. Et adjecit Dominus, & vocavit Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, & dixit. Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit igitur Heli, quia Dominus vocaret puerum, & ait ad Samuelem: Vade & dormi, & si deinceps vocaverit te, dices: Loquere Domine: quia audit servus tuus.*

In Samuel perfectissimæ obedientiæ forma.

10. Quid est ergo, quod omnipotens Deus vocationem suam tanta arte insinuat, ut vocati mens teneatur, ne se vocantem cognoscat? Deum audiens, magistrum hunc esse hominem putet? Vocationem emittat, & causam taceat? Ire ad magistrum sinat, toties ad somni quietem redire, & tamen dormientem quiescere non permittat? Numquid enim qui ad secreta sua cognoscenda vocavit, quem voluit, voce tantum Heli simili, & non potuit voce, qua voluit? Et qui quando voluit vocavit, causam vocationis statim indicare non potuit: & qui excitare voluit, ut audiret, nisi per magistrum eum docere non potuit, quemadmodum audire debuisset? Sed hac in re magna omnipotens Deus dispensatione utitur, ut profecto electorum corda duplici eruditione doceantur: quatenus & in superficie historiæ quod sequantur obedientiæ bonum quique subjecti videant, & prælati intueantur occulta mysteria, quæ ad lucem intelligentiæ discutiendo perducant. Sed quod primo loco dicendum arbitror, puer qui loquentem Dominum esse magistrum putavit, vocem corpoream audivit. Non itaque per semetipsum Deus, sed[a] per Evangelicum spiritum puero locutus est: quia qui non stringitur forma corporea, instrumento corporis non angustatur ad sonum vocis. Quod nimirum & puerili audientiæ convenit. Nam etsi magna sunt merita inchoantis subditi: quia tamen adhuc non in perfectione esse, sed in profectu conversationis agnoscitur, ad eam locutionem, qua omnipotens Deus per semetipsum loquitur, non pertingit. Per se quidem omnipotens Deus, summus videlicet & incircumscriptus spiritus magnis viris, & spiritualibus spiritualiter loquitur, cum spirituali locutione eorum mentibus indicat, & agenda quæ agant, & loquenda quæ sciant. Exteriorem itaque vocem per Evangelicum spiritum movit, sed gratiæ suæ præsentia Creator spiritus, quæ voluit indicavit. Vocans itaque voce, dum Heli putatus est, cognitione latuit, ut ad magistrum percurreret, & dum se non fuisse vocatum audiret, deceptus ostenderet in quanto culmine virtutis staret. Puer ergo humiliter homini subjectus, atque obedientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit, jussus redit; quid aliud nobis exemplo præbet, nisi altissimæ formam obedientiæ?

Solis perfectis Deus per semetipsum loquitur.

Vera obedientia nec præpositorum intentionem, nec præcepta discernit.

11. Vera namque obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim judicare quisquis perfecte didicerit obedire: quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat. Sed in tanta perfectæ conversationis ejus gloria, vita nostra confunditur. Ecce etenim ad supernam patriam sub ducibus Christiani exercitus proficisci decrevimus, sed opera diversa etiamsi diversis temporibus jubemur agere, murmuramus. Quis enim sese a murmuratione compesceret, quis ab ira temperaret, si vocatum se bis & ter audiret, & tamen ex vocantis responso perciperet, quia vocatus minime fuisset? Quam profecto desidiæ nostræ caliginem patimur: quia tantæ virtutis bonum, qua præmii sui claritate respondeat, non videmus. Unicum etenim bonum est ad recuperationem vitæ, si inobedientiæ culpa malum sufficiens fuit ad perpetrandam mortem. Si ergo in malo inobedientiæ mors prævaluit, toties vitæ reddimur, quoties obedimus. Puer itaque Samuel nec vocatus, nec repulsus offenditur: quia vocantis aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc solo gaudere noverat, quod obedivit. Et quia surgere ad laborem, redire autem ad dormiendum pertinet ad quietem, quid insinuat, nisi quia utrumque nobis vitam præparet, si obedientis animus in eo, quod agit, nonnisi obedientiæ bonum pensat? Præceptum namque in hoc solo pensari debet, quod majoris præceptum est, & qui obedientiæ bonum exequitur, non injunctum opus debet considerare, sed

Per solam obedientiam vita, quia per solam inobedientiam mors.

a Forte legendum *per Angelicum spiritum*, & paulo post: *Exteriorem itaque vocem per Angelicum spiritum movit, sed &c.*

In obedientia quæratur mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis.

1. Cor. 7. 19.

sed fructum: quia ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis. Unde & Paulus ait: *Circumcisio nihil prodest, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Jam ergo apud omnipotentem Deum nec ea, quæ ad laborem, neque ea, quæ ad quietem pertinent, parva sunt, si æternam vitam parare obedientibus possunt. Quisquis ergo alieno imperio subjectus est, hoc solum consideret: quia quod sibi secundum Deum injungitur, valde magnum & excelsum in lucro est menti, quod vitam præparet in mercede retributionis. Quo contra inobedientes aspiciant: quia primus humani generis parens a paradisi gaudiis nec furto, nec rapina, nec adulterio, nec homicidio, sed pomi vetiti inobedientia corruit. Unde & apte colligitur: quia si parva, quæ videntur, majorum imperia contemta ab internis gaudiis separant, etiam minima, quæ perficiuntur, vitam parant.

Gen. 3. 6.

Cœnobitæ meritum ex obedientia metiendum.

12. Operator itaque strenuus vitæ socialis, & communiter secum Deo servientium pius æmulator, si æterni meriti ampliorem retributionem per obedientiæ bonum adipisci desideret, in hoc solo se cognoscat excellere, si præ ceteris arbitrio majoris propriam subdiderit voluntatem. Nam nec magna lucra jejunii, nec asperæ vitæ studia devotis Christi militibus in majorum præcepto valde pensanda sunt. Majoris etenim est meriti caritatis injuncta refectio, jejunio propria deliberatione suscepto. Qui enim jussus carnem reficit, invitus jejunii præmium devotione promeruit: & ampliorem mercedem obedientiæ manducando conquisivit. Vocavit ergo Deus puerum, sed voce magistro simili: ut profecto modum suæ locutionis indicaret. Causam vocationis tacuit, ut electus puer, qua humilitate obedientiæ esset, sublimis ostenderet. Ire ad præceptorem pertulit, ut devotionis suæ munus offerret. Redire ad somni quietem finitur, ut profecto nec ea, quæ sunt minima, contemnamus. Iterato excitat, ut eum, quem in forma electorum ponere volebat, ostenderet, quia nec imperiorum instantia fatigaret. Per eum, qui reprobandus erat, audire quemadmodum debuisset, didicit: ut profecto sciamus, quia majorum imperia tunc etiam veneranda sunt, cum ipsi laudabilem non habent vitam: quia eorum doctrina, quæ prava operatione potest superbis vilescere, humiles auditores facit ad divinæ familiaritatis celsitudinem pervenire.

Majorum imperia reverenda, etiamsi minus laudabiliter vivant.

13. Sed quia sequitur: *Porro Samuel nec dum sciebat Dominum*; & superius ministrare Domino perhibetur, valde contrarium videtur esse, quod dicitur: quia nescire non poterat, cui ministrabat. Quis enim ei serviat, quem ignorat? Sed profecto per id quod subjunctum est, liquet id, quod sonat contrarium, qua intelligi convenientia rationis debeat. *Neque revelatus ei fuerat sermo Domini.* Per quod nimirum datur intelligi: quia quem amore & ministerio noverat, sermonis ejus revelatione nesciebat. Nondum enim sic vocantem audierat, quem se cognovisse & devotione ministerii, & virtute testabatur amoris. Sed in conversatione fidelium convenienter accipitur: nam plerique sub aliena institutione bene proficiunt, qui novitatis suæ tempore omnipotenti Deo ministeria persolvunt; & tamen puritate contemplationis ad internæ pulchritudinis ejus speciem non pertingunt. Qui cum subjectionis suæ merito etiam donum divinæ contemplationis accipiunt, & experientia internæ vi-

Deus nonnumquam diligentibus & sibi ministrantibus sermonem suum non revelat.

A sionis intelligunt, quia sic nondum sciebant, cui ministrabant. Quod bene Jacob ad accipiendam conjugem proficiscens, designat, qui post laborem itineris, per soporem quietis Dominum vidit, sed a somno evigilans, ait: *Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Neque enim illic esse Dominum, antequam dormiret, dubitare poterat, qui esse hunc ubique sentiebat; sed quia tunc eum perfectius didicit, ignorasse se illum perhibuit, cum familiarius non agnovit. Via namque qua ad conjugem pergitur, intentio devotæ obedientiæ est, qua fecunditas internæ caritatis consequi desideratur. Jacob itaque dormit in via, cum fidelis subjectus maligni spiritus supplantator, per laborem obedientiæ ad quietem B suscipitur internæ visionis. Qui profecto tunc Dominum se agnovisse fatebitur: quia dum eam, ad quam noviter est assumtus, internæ lucis miratur speciem, quantum ante nescierit, experientia revelatæ pulchritudinis agnoscit. Fide etenim, velut fama, Deum cognoscimus: amore autem contemplationis is, qui fama innotuit, nobis velut ex ostensione præsentiæ revelatur. Bene autem per obedientiam proficiscens subditus, dum ad contemplationis altitudinem ducitur, dudum ignorasse Dominum perhibetur: quia is quasi ex præsentiæ veritate invenitur, qui fama velut incognitus, & non præsentia, velut cognitus ante videbatur.

Gen. 28. 16.

Aliud nosse Deum per fidem, aliud per amorem.

14. Sed quia separatim dicitur: *Nondum scie-*
C *bat Dominum, neque revelatus ei fuerat sermo Domini*, potest subtilius intelligi. Nam in una eademque interna Dei contemplatione, & mira caritas contemplanti infunditur de fructu tantæ gloriæ, & stupor magnus in secreti verbi revelatione. Quidam ergo Dominum sciunt, & sermonis ejus revelationem percipiunt: quia & mira dulcedine replentur, ex ea, quam ex consuetudine hauriunt, infusione tantæ caritatis, & magna erudiuntur sapientia revelatione verbi. A nonnullis vero scitur Dominus, quibus sermo Domini nequaquam revelatur: quia simplices quique, sed magna conversatione perfecti viri, de contemplationis divinæ gloria ineffabilem quidem amoris dulcedinem contemplando percipiunt, sed tamen ad revelati verbi ejus altitudinem non
D pertingunt: quia ad amantium ordinem assumti sunt, non ad celsitudinem prædicationis. Revelatur quidem ei verbum, ut ametur: & ne prædicetur, absconditur. Bene autem de eo, qui ad ministerium prædicationis elevatur, dicitur: *Nondum sciebat Dominum, neque revelatus ei fuerat sermo Domini*: ut dum ea, quæ nondum habet rudis, insinuat; quibus bonis ditari prædicator debeat, patenter ostendat. Nam qui illam intimi amoris virtutem nondum percepit, profecto omnipotentem Dominum, quem fide velut fama novit, præsentia illius magnæ caritatis
E nescit. Et si ardenter diligit, & arcana mysteriorum discutere per spiritum nondum novit, jam quidem Dominum cognoscit, sed ad sermonis ejus revelationem non pervenit. De obediente autem puero statim subditur:

Diversi modi contemplationis explicantur.

Verbum Dei [illegible] ametur, [illegible] revelatum [illegible] prædicetur.

Abiit ergo Samuel, & dormivit.

Vers. 9

15. Jam quippe ad divinæ locutionis notitiam puer instructus mittitur, cum electus subditus majoris consilio ad spiritalia cognoscenda præparatur. Et dormire quidem ei est in desiderio æternæ vitæ quiescere, cum videlicet animæ jam sola superna sitienti cuncta præsentia in dedignatione sunt: ut quo studiosius ab intentione sua corporeum omne

[illegible] quietem [illegible] & superfluarum cogitationum abjectionem præparari debemus.

repe-

repellitur, amore invisibilium abundantius repleatur. Et notandum, quia jam quater ad somni quietem redire præcipitur: quia dum negligenter utimur isto seculo circa visibilia, opere, locutione, & cogitatione vigilamus. Ter ergo dormire præcipimur, ut ad cognitionem supernorum per quietem operis, oris silentium, & cogitationum superfluarum abjectionem præparemur. Quarto autem loco ad somnum mittimur, cum majorum nostrorum licentia, ab utili etiam ministerio cessare præcipimur: ut dum nulla præpedimur cura sollicitudinis, totam se mens colligat ad intuitum supernæ visionis.

Inspirationes & re elationes divinæ, superiorum judicio subjiciendæ.

16. Et notandum, quia quiescentem puerum, nesciente Heli, Dominus excitat, sed tamen excitato, nisi eodem Heli præcipiente, vocationis suæ causam nequaquam manifestat: quia electos subditos occulta inspiratione ad supernæ patriæ desiderium erigit: sed per quietem vocare eos ad eam, quam diligunt, patriam, sine majorum licentia non permittit. Quia ergo quoties vocatur peur, toties ire ad magistrum finitur, quid est aliud, nisi quia ipsa divinitus inspirata subjectorum desideria majorum judicio submittuntur? Opus namque subjecti divinitus inspiratum, tunc Deo gratum esse cognoscitur, si majoris imperio aut permissione peragatur. Quater ergo vocatur puer a Domino, quatee somni quies præcipitur a magistro: quia ad temperamentum operis, silentium oris, abjectionem internæ sollicitudinis, cessationem ministerii, pro amore secretioris vitæ per divinam inspirationem succendimur, & tamen amoris nostri desideria adimplere sine majorum nostrorum permissione prohibemur. Vocat itaque Dominus, & vocationis causam tacet, ut permittente magistro semetipsum vocato subjecto insinuet. Nam qui non jusso audire, postquam vocavit siluit, ubi doctor homo præcepit, vocans Deus vocationis causam indicavit. Sequitur enim:

Ibid. v. 10. & 11.

Abiit ergo Samuel, & dormivit in loco suo. Et venit Dominus, & stetit: & vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel. Et ait Samuel: Loquere Domine: quia audit servus tuus. Et ait Dominus ad eum.

Quod humana Deo accommodentur, nostræ est inopiæ.

17. Quibus profecto verbis, quia de incorporea, & invisibili divina substantia illud dicitur, quod ad corpus pertinere cognoscitur, necesse est ut rationabiliter intelligatur. Nam quo veniat, qui ubique est? Quo pacto stare, & loqui dicitur, qui corporea substantia non formatur? Sed in illa omnia dictante substantia, ponuntur verba inopiæ nostræ, per quæ surgere valeamus ad cognoscenda mysteria operationis suæ. Nam venire Domino, est præsentia gratiæ suæ corda electorum tangere: stare ejus, est manenti ejusdem gratiæ suæ dono, eas, quas tangit mentes, inconcessæ gratiæ suæ dono retinere. Vocare autem ejus, est electam mentem ad augmentum majoris gratiæ excitare. Venit namque Dominus, & non stat, cum corda negligentium tanguntur per gratiam, & tamen in affectu, & amore tangentis gratiæ nequaquam perseverant. Velut enim præsens, est veniens; & non stans, recedens; cum ex præsenti tactu divinæ gratiæ, repente bona facere proponunt, & statim derelicti, ejusdem boni propositi intentionem deserunt. Quod si ad vim contemplationis refertur, venit, & stat Dominus, cum electorum corda & repente per gratiam tangit, & tacta repente non deserit, ut veniendo visitet, stando confirmet, & qui ad gaudium sibi dilectæ mentis ostenditue, non recedat ipse prius, quam illa videndo satietur. Sed quia stare dicitur, discessurus quandoque designatur: quia etsi aliquando electas animas in sua revelatione per aliquantulam moram satiat, præsentiæ suæ dulcedinem subtrahit, ut subtractam ardentius concupiscant. Venit ergo Dominus visitans, stat suaviter se demonstrans, vocat ad amorem ostensæ suæ gloriæ per ardentissimum desiderium excitans. Unde & toties excitatus puee repetito nomine vocatur: quia vocatio ex nomine designat affectum magnæ caritatis & familiaritatis. Unde & Moysi loquitur, dicens: *Novi te ex nomine.* Vocati igitue nomen iteratur, cum in magnam jam familiaritatem internæ majestatis mens videntis excipitur, & ferentibus desideriis ad amorem se vocantis elevatur, ut præter id quod audit, nil habeat, atque in lætitia auditus sui immorari perpetuo concupiscat. Unde & hic aperte subjungitur:

Cur aliquando se subducat.

Dei cum anima sancta familiaritas.

Exod. 33. v. 12. & 17.

Ait ergo Samuel: Loquere Domine, quia audit servus tuus. Qui ergo, *loqueres*, posuit, ex necessitate conclusit. Quasi enim verbis apertioribus dicat: Ego respondit, *Loquere*, qui aliter respondere non potui. Nam quid aliud desiderare potest mens in illo gaudio loquentis majestatis assumta? Dicere enim menti Deo, *Loquere*, illam ineffabiliter dulcem locutionem semper audire, desiderare est. Dicit ergo: *Loquere*, qui vellet ut numquam taceret. Unde & subditur: *quia audit servus tuus*. Quasi dicat: quia hoc quod experientia interni affectus excipio æterna frui perceptione concupisco. Petit ergo ut loquatur, qui hunc numquam in internis suis affectibus silere desiderat, ne qui tam sublimi exultatione Domino loquente sustollitur, ad proferendas damnatæ humanitatis angustias, eo tacente deponatur. Nam si a corruptionis nostræ tenebris, ipso loquente, assumimur, cum nobis per subtractionem gratiæ tacet, eisdem tenebris subjugamur. Merito igitur tanto subvectus culmine, Domino dicit: *Loquere*. Quia eo interni auditus gaudio sibi complacet, quo in exterioribus suis nihil placet; & manere cum colloquente secum tanto ardentius cuperet, quanto ad infirma sua libentius numquam deponi voluisset.

Animæ Deum se vocantem audientis amor & lætitia.

Quæ verbis explicari non possunt.

18. Etiam, auctore Deo, cum Domino dicimus, *loquere*, ipso donante dicimus, sed tamen quo affectu id ei perfectiores electi dicant, dicere non valemus: quia quod desiderii est ineffabilis, non exprimitur locutione rationis. Quem profecto affectum bene Petrus insinuat, qui cum transformato Domino in monte assisteret, refulgentemque faciem ejus, sicut sol, cerneret, & ad instar nivis albentia vestimenta ejus conspexisset, ait: *Bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Heliæ unum.* Qui enim dicit: *Bonum est nos hic esse*, si posset, ab illa visione tantæ gloriæ numquam deponi voluisset. Dum enim dicit Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse*: & Samuel dicit: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*; voces quidem diversæ sunt, affectiones æquales. Hoc enim significat Petrus in monte, transfigurato Domino, quod Samuel a veniente, a stante, & stante Domino secundo vocatur. Sed etsi quasi nesciens Petrus quid diceret ab Evangelista reprehenditur, huic tamen sensui contrarium non videtur. Evangelista quippe non affectum Petri, sed rationem reprehendit: quia cum Domino assumtus in gloria seorsum, sic esse semper cupiebat, & pro redemtione communi eum ad ignominiam crucis descendere nolebat. Nesciebat ergo quid diceret, sed ardenter, quod videbat, amabat: quia pro-

Matth. 17. 4. Luc. 9. 33.

Quot modis [illegible] veniat.

profecto tantum bonum videbat, quod sic non amari nullatenus poterat. Unde etsi juste Petrus reprehenditur, ei tamen rationabiliter indulgetur: quia amore tantæ majestatis per fruitionem vincebatur. Verumtamen cum de dicendi ignorantia Petrus arguitur, ejusdem ignorantiæ causa memoratur. Nam subdens Evangelista, ait: *Erant enim timore exterriti.* Illa enim internæ majestatis ineffabilis pulchritudo electam mentem, cui se delectabiliter ostendit, aliquando mirabili pavore concutit, ne de visionis magnitudine ad elationem prosiliat, si eam, quam blanda contemplatio ad tam summa evehit, provector suus spirituus timoris moderamine non refrenat. In una quidem, & eadem revelatæ gloriæ visione, & bonitas Redemtoris aspicitur ineffabiliter blandiens, & æquitas illius ineffabiliter terrens; ut quo videntis animus de respectu Dei bonitate dulcius pascitur, consideratione æquitatis territus caveat, ne inaniter satietur. Unde & Samuel, cum ad divinæ locutionis familiaritatem sustollitur, ei non læta de electorum profectu, sed de magnorum defectu [a] terribilia nuntiantur. Nam subditur:

Divinæ majestatis pulchritudo electam mentem aliquando mirabili pavore concutit.

Vers. 11.

Et ait Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.

Ab elatione pro donis acceptis compescitur, visa similium reprobatione.

19. Inter dona quippe sublimia electa mens eo cautius ab elatione compescitur, quo per omnipotentis Dei justitiam etiam illos repulsos aspicit, qui donis sublimioribus fulti esse videbantur. Quare & de verbo, quod facturum se esse Dominus minatur, tinnire aures audientium prædicuntur. Aures quippe corporis tinniunt, quando intollerabili sonitu impetuntur. Nam cum ultra auditus capacitatem ei clamor infunditur, hunc quem officii angustia sonitum rejicit, in tinnitum convertit: quia dum per aurium antra vos sibilat, quæ infusa simul, ad interiora non intrat. Ad aures vero mentium intolerabilis clamor, est alicujus magni repulsio prędicatoris. Clamoris ergo effusi magnitudo non capitur: quia dum sublimia dona prædicatori reprobo concessa recoluntur, quo divinæ æquitatis examine projicitur, ignoratur. In tinnitum ergo aurium effusæ vocis magnitudo convertitur: quia etsi quo Dei judicio fiat, mentis intentione non capitur, dum diu per considerationem pensatur, corda considerantia timore consternantur. Velut enim de clauso magnæ vocis sonitu aures tinniunt, quando de diu considerata magnorum virorum reprobatione, justorum corda pertimescunt. Sed ambæ aures tinnire referuntur, dextra videlicet, & sinistra. Et quia per dextram æterna vita, per sinistram vero præsens designantur; & per aurem ea, quæ dicuntur, audimus: quid per sinistram aurem nisi intentionem piæ opertationis: & quid per aurem dexteram, nisi intentionem supernę visionis accipimus? Ambæ itaque audientis aures tinnient: quia cum summorum virorum ruina ostenditur, electorum intentio utraque turbatur: quia & paveuti corde ad contemplanda æterna se erigunt, & sine ingenti formidine temporalia non disponunt. Hunc namque aurium tinnitum passus fuerat, qui Domino loquebatur, dicens: *Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa.* Montes quippe Dei, summi & electi viri intelliguntur. Quibus profecto montibus Dei justitia æquatur, cum ardua ejus mandata opere perficiunt, sed tamen divina judicia abyssus multa sunt: quia etsi in sanctorum virorum oculis recta sunt ea quę agunt, ante omnipotentis Dei oculos qualia sunt, scire non possunt. Unde & bona quę prævalent, incessanter agunt, & super se tonantem illam judiciorum abyssum pertimescunt: quia de facto Domini verbo, quod audiunt, tinnitu magni terroris eorum corda quatiuntur. Apte autem non nisi audientium aures tinnire prædicuntur. Nam & in Evangelio hoc admonet, dicens: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Qui enim tota intentione ad ea, quæ foris sunt, vigilant, hunc timoris tinnitum nesciunt: quia super se divinorum judiciorum altitudinem nequaquam pensant. Sed ecce, qui subtilia Dei judicia super se pensare noluit, de eo judiciorum sententiæ quam acutæ replicantur. Nam subdens dicit:

Ps. 57. 5. Montes Dei sunt summi viri.

Luc. 8. 8.

Vers. 13. & 14.

Prædixi enim quod judicaturus essem domum ejus usque in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat filios suos indigne agere, & non corripuit eos. Idcirco juravi domui Heli; quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus in æternum.

Si propter aliena peccata, quanto magis propter propria damnantur.

20. Quia enim plerumque justæ severitatis sententia per clementiam temperatur, magnæ districtionis hoc judicium est, ubi animadversionis sententia replicando asseritur. Prædixit enim superius Heli, cum per virum Dei, suppresso nomine dejectionis ejus sententiam nuntiavit. Quia vero & nunc idem se acturum jurat, profecto damnationis judicium replicat. Qua in re etiam notandum est: quia qui inique agentes filios non corripuit, iniquitatem fecisse reprehenditur: quæ in æternum victimis & muneribus nequaquam expietur. Quæ ergo erit districtio iniquitatis propriæ, si irremediabilis culpa est negligentia curæ alienæ? Nam si subditorum peccata incorrepta perenni reatu nos obligant, audacia iniquitatis propriæ, quibus nos pœnis ligat? Merito ergo audientis aures tinniunt: quia nimirum electorum mentes, quæ hoc attente considerant, de tanta districtione contremiscunt. Merito audientis hoc aures tinniunt, quia profecto immensiratem clamoris, habet, quam electa corda vix sustinent. Et dextera quidem audientis auris tinnit; quia etsi perfectionis suæ merito se quisque ad superna contemplanda erigit, tamen de vitæ suæ celsitudine non confidit. Sinistra etiam auris tinnit: quia etsi dono scientiæ habet, ut temporalia quis perfecte ordinet, tamen de perfectione ministerii sui fiduciam nullam habet. Inter dona quippe sublimia verbum audiunt, de cujus clamore auris utraque tinnitum patitur, sub quo donec ista incertitudinis vita ducitur, pavere non desinit. Unde & apte subjungitur:

Vers. 15. Quid sit Sanctorum somnus.

Dormivit Samuel usque mane.

21. Usque mane enim dormit, qui quousque venturi Redemtoris splendor appareat, in inceptę bonæ operationis conversatione requiescit. Usque mane dormit, qui totam præsentis vitæ nocte per propositum inchoatę justitiæ expectat, ut ad gaudium emeritæ retributionis claritas sibi promissi Redemtoris effulgeat. Verbum enim promissum in Israel audivit, de quo aures ejus tinnire non desinunt: quia de conspecta districtione divinæ justitiæ timoris spiritum hausit, sub cujus pondere ad seculi amorem evigilare non poterit. Sed fortasse usque mane dormire dicitur, pro tinnitu auris dexteræ. Nam dextera auris tinnit: quia dum perfectus interioris vitæ amator de perfectione contemplationis dubitat, magis ac magis proficere in ea, qua cępit vitæ sublimitate, appetit. Sed quamdiu in hac

[a] Gilot. *terribiliter nuntiantur.*

mortali carne sumus, maligni spiritus ad summa tendentibus insidiantur; & ut eos ab internæ gloriæ visione retrahant, ineptarum cogitationum figmenta congregant, quæ internis eorum oculis proponant. Bene itaque dicitur: *Dormivit Samuel usque mane*. Tentatio immundorum spirituum nox est; qui vero usque mane dormit, oculos tota nocte non aperit. Dormit ergo in nocte, qui figmenta dæmonum dedignatur aspicere in tentatione. Tota nocte etiam dormit: quia caligine tentationis non vincitur, sed viriliter sustinet, donec per adventum gratiæ, claritatis supernæ luce visitetur. Et tunc profecto velut mane evigilat: quia oblectamento refusi sibi post tenebras luminis hilarescit. Quasi evigilans quippe tunc oculos aperit: quia lucem, qua respergitur, lętanter aspicit, qui aspicere sibi illatas tenebras non curavit. De tinnitu quidem dexteræ auris obtinet, ut qui supernis innititur, videre reproba dedignetur, & certitudinem sui profectus insinuat, dum quod pace proficit, per aperta & violenta bella non perdit. Sequitur:

Ibidem.

Et timuit indicare visionem Heli.

Ad prælatorum reprehensionem non facile proruendum.

22. Illud namque ei indicare timuit, quod sibi Dominus ostendit, ut temeritatem humanę audaciæ refrenaret vigore disciplinæ. Quidam namque adeo sunt præcipites, ut ad prælatorum suorum reprehensionem facile proruant, atque eorum erratibus minari futura supplicia non pavescant. Qui nimirum, quia sanctę Scripturæ morem nesciunt, loquentem sibi Dominum nequaquam audierunt. Nam quibus omnipotens Deus loquens, prælatorum suorum pęnas insinuat, ea quæ audierunt, eis dicere formidant. Hinc ergo præpositorum suorum reprehensores colligant, quanta se inconsideratione præcipitent, & lapsus in profunda pertimescant. Si enim ii, quibus omnipotens Deus loquitur, pręlatis suis loqui metuunt, ii quibus nequaquam locutus est Deus, recondere se sub linguæ suę silentio quanto terrore debuerunt? Timor ergo Samuelis non pavorem servilem insinuat, sed reverentiam debitam culmini pastorali. Nam etsi negligens prædicator reprehensionem, & minas ex reatu meretur proprio, timorem reverentia exigit ejus ordinis celsitudo. Sequitur:

Ibidem.

Aperuitque ostia domus Domini.

Obedientia prælatis dupliciter impendenda.

23. Quidnam est, quod is qui loqui timuit, domus Domini ostia reseravit, nisi quia obedire non erubuit, qui indicare tristia expavit? Nam superius dictum est: *Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei*. Puer enim, qui in templo Domini dormisse, & nunc ejusdem aper.re ostia dicitur, injunctum ministerium habuisse ostenditur, ut honoris congruentibus aperiret ostia, & obseraret. Qui ergo visionem indicare expavit, & ostia domus Domini aperuit, reverentiam magistro dupliciter impendit, videlicet cura ministerii, & custodia locutionis. Quam pr fecto loquendi custodiam quam districte tenuisset, ostenditur, si ea quæ sequuntur subtiliter attendantur. Nam repente subinfertur.

Vers. 16, 17. & 18.

Venit ergo Heli ad Samuelem, & dixit: Samuel fili mi. Qui respondit: Præsto sum. Et interrogavit eum: Quis est sermo quem locutus est Dominus ad te: oro, ne celaveris mihi. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus, quæ dicta sunt tibi. Indicavit ergo ei Samuel universos sermones, & non abscondit ab eo.

24. Qui enim tanta imprecationis instantia ad loquendum coactus asseritur, magna districtione silentii obligatus fuisse declaratur. Et quia non tam pro custodia puritatis, quam obstinatione protervia quidam tacere subjecti solent, Samuel electi subditi formam ostendit, qui reverenter tacuit, sed tacere loqui jussus expavit. Itaque gemina luce conversationis enituit, dum qui filialis timoris virtute siluit, loquendi utilitatem loquendo conquisivit. Sequitur:

Qua lege, sive silendum, sive loquendum.

Vers. 18.

Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat.

Minis à Deo intentatis quomodo utendum.

25. Qui simplicius, quam debet, istam Heli responsionem considerat, tam recte hunc respondisse, quam humiliter putat. Nam sicut auditur exterius, quid humilius respondisse potuit, qui reprobationem suam audivit, & minanti Deo, immo reprobationis suæ sententiam promulganti, quidquid de se facere vellet, obtulit. Sed profecto ista responsionis humilitas si subtiliter inspiciatur, vera humilitas non est. Vera namque esse cognoscitur, quæ bonum obedientiæ in majoris imperia consequenda comitatur. Vere itaque esset humilis, si sese ad emendationem culpæ, pro qua arguebatur, obtulisset. Sed & fortasse verius esset humilis, si reprehensus nequaquam responderet, sed neglectam correptionem scelestis filiis adhiberet, si vel tunc pastorali zelo insisteret, & flagitiosorum sacerdotum scelera digna ultione vindicaret. Dum ergo dicit: *Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat*, electionis suæ verbum apertius protulisse cognoscitur, quam responsionem humilitatis: quia nimirum potius elegit minarum Dei causas incurrere, quam de perpetratis iniquitatibus filios condemnare. O quanti sunt adhuc imitatores Heli, qui cum minantem sibi omnipotentem Deum quotidie de sacro aloquio sentiant, & tamen hominibus displicere trepidant, & divinæ indignationis minas incurrere non formidant: & dum inimicitias hominum, velut implacabiles metuunt, de Dei misericordia etiam peccando confidunt.

Inordinata de misericordia Dei fiducia.

26. Sed inordinata fiducia apud omnipotentem Deus vindictæ locum habere potest, indulgentiam vero obtinere non potest. Incorrepto enim peccatori, & in culpæ suæ proposito perduranti, quid est de minanti sibi Deo dicere: *Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat*, nisi de ordinatissima Dei misericordia inordinate confidere? De omnipotentis etenim Dei misericordia ordinate confidit, qui hoc quod peccando delinquit, pœnitendo corrigit, flendo tergit. Peccare ergo, & de Dei Creatoris clementia præsumere, pelago justitiæ ejus exponi est. Sic nimirum peccata perpetrata non tergere pœnitendo, & de Dei misericordia præsumere, in judicium districtionis ejus offendere est. Dum ergo Heli vita in reproborum prædicatorum forma describitur, non solum culpa lapsus ostenditur, sed etiam culpæ in præcipitatione securitas. Nam qui timore pœnitentiæ, divinæ indignationis magnitudinem placare potuit, dum neglexit quod audivit, incurrit quod meruit.

Iratus Deus & extrema supplicia comminans, flectitur.

Psal. 9. v. 21. & c.

Johan. 3. v. 1. 2. & c.

4. Reg. 20. v. 1. & c.

Isa 38 v. 1. & c.

27. Omnipotens enim Deus, etsi æquitate justus est, abundantior tamen creditur miseratione pius. Unde & per Prophetam dicitur: *Miserationes ejus super omnia opera ejus*. Hinc est id, quod per Jonam Prophetam Ninivitis minas subversionis protulit, & tamen pœnam evertendæ civitatis pœnitentibus indulsit. Hinc est enim quod Ezechiæ regi per Prophetæ oraculum mortis pœna promittitur, sed quia rex mori metuens, coram Domino se

pœna

pœnitentiæ lacrymis afflixit, mortem, qua moreretur, apud eum, quem timuit, non invenit. Et supra quidem se [a] Dominus locutum fuisse asseruit, ut domus Heli & patris ejus in conspectu suo usque in sempiternum ministraret, sed qui de bono agente, bona locutus fuerat, de domo reproba jam effecta, sententiam permutavit, dicens: *Nunc autem absit hoc a me*. Si ergo bona promissa revocat omnipotens Deus: quia ii, quibus promiserat, male permutantur, quanto magis minarum effectus retrahit, cum bene conversos eos aspicit, quibus pro admissis iniquitatibus pœnam animadversionis intimavit? Quid ergo ad hæc dicimus, qui quotidie delinquimus, atque in reatus nostri obligatione securi sumus? Hoc igitur ipsum, quod districtionem divinæ justitiæ non tenemus, nobis valde timendum est: quia ecce, qui divina indignatione projicitur, pro culpa perpetratæ negligentiæ, nullo timore sollicitus fuisse perhibetur. Sed quia ad timorem reprobi prædicatoris repulsionem novimus, electi profectum audiamus. Nam sequitur:

1. Reg. 2. 30.

Crevit autem Samuel, & Dominus erat cum eo.

Vers. 19. Cavendum ne virtutibus crescendo, elationis corruamus.

28. Hoc profecto si ad historiam legitur, crevisse puer Samuel ætate corporis designatur: si vero ut cetera spiritali investigatione ista perquirimus, cum eo Dominus esse describitur, qui crevisse memoratur. Crescit autem qui in virum perfectum mentis ætate proficit. Unde & per Prophetam de electis proficientibus dicitur: *Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*. Hinc Paulus ait: *Donec occurramus ei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Verum nonnulli sunt, qui dum virtutibus crescunt, elatione corruunt. Hi nimirum crescere videntur, sed tamen cum eis Dominus non est: quia a se eum, alta sentiendo de se, ejiciunt, quem in profectu virtutum positi, per humilitatem secum habere potuerunt. Vel si per exteriorem dignitatem crevisse intelligitur, Dominus cum eo esse memoratur: quia profecto plerique in humiliori ordine religiosi sunt; sed cum subito ad culmen dignitatis pervenerint, prima opera cum humilitate derelinquunt. Samuel igitur & proficit, & proficiens Dominum secum habuit: ut profecto electorum prędicatorum morem præferret, qui cum dona & dignitates, quibus prosint aliis, assequuntur, de semetipsis placere Deo non negligunt: & ex eo illa, quę pro aliis acceperunt dona, multiplicant, unde in semetipsis ostendunt bonum, quod in eis loquendo propagare concupiscunt. Quare & subditur:

Psal. 83. 8.
Ephes. 4. 13.

Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.

Ibidem. Verbum dicitur in terram cadit, cum ex prædicatoris vita vilescit.

29. In terra quippe verbum prędicatoris cadit; cum ex reproba prędicatoris conversatione vilescit. Unde & Veritatis voce dicitur: *Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Et notandum, quia ex omnibus verbis ejus non cecidisse in terram dicitur, ut profecto prędicatori nihil agere liceat, quod licet reprobare. Nam quidquid agi prohibet, is profecto si agit, verbum in terram cadit: quia dum a loquente contemnitur, hoc audientes nequaquam venerantur. Verbum namque aliquod in terram cadere prohibebat Dominus, eum negligentibus prędicatoribus negligentię suę verbum exponebat, dicens: *Quicumque solverit unum ex mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum*. Mandatum namque nec mini-

Matt. 5. 13.
Ibid. 5. 19.

A mum prædicator solvit, cujus verbum ex verbis omnibus in terram non cadit. Dum autem ex omnibus verbis Samuelis, verbum in terram non cecidisse dicitur, cujus mores insinuat Samuel, nisi qui merito & prædicationis & operis magni sunt in regno cælorum? Itaque ex omnibus verbis ejus in terram non cadit: quia omne, quod altum sanctæ Ecclesiæ perfectus prædicator loquitur, ab eo etiam sublimi prædicatur conversatione; cum velut in ardua specula positus, & sapientes verbo erudit, & simplicibus iter, per quod ad æternam patriam ingredi debeant, operibus ostendit. Unde & subditur:

B *Et cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.*

Vers. 20.

Simplicibus & sapientibus, peccatoribus & justis pr[illegible] sit prædicatoris vita.

30. Quid enim per Dan, nisi simplices, & quid per Bersabee, nisi sapientes designantur? A Dan usque Bersabee fidelis Samuel Propheta Domini recognoscitur, quando electi prædicatoris vita simplicibus ad salutis exemplum proponitur, & sapientibus per doctrinam ejus sanctæ Scripturæ arcana revelantur. Qui vero Bersabee puteus septimus interpretatur, possunt per Bersabee non solum sapientes, sed etiam justi designari. Puteus enim septimus quid est, nisi gratia Spiritus septiformis? Per Dan peccatorum vita ostenditur: quia per veterem Prophetam dicitur: *Fiant Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulam equi, ut cadat ascensor ejus retro*. A Dan itaque usque Bersabee Samuel Domini Propheta cognoscitur, dum electi prædicatoris vita, atque doctrina, peccatoribus est venerabilis, & justis: ut in eo videlicet & lapsi bonum videant, in quo se pœnitendo corrigant, & boni mirentur vitæ celsitudinem, ad quam quotidie proficiendo convalescant. Sequitur:

C
Gen. 49. 17.

Et addidit Dominus, ut appareret in Silo.

Vers. 21. Hinc Deus [illegible] sua consilia manifestat.

31. Superius de tempore reprobi Pastoris dicitur: *In diebus illis non erat visio manifesta*. Cum itaque ex sacro eloquio optimus prædicator ostenditur, apparere iterum Dominus perhibetur: quia nimirum cognitio divini consilii, quæ absconditur reprobis, puritatis merito revelatur electis. Si enim & hominum consilia nisi familiaribus non credunt, omnipotens Deus secreta suæ dispositionis æstimandus est suis patefacere inimicis? Prius ergo justi doctoris vita prædicatur, deinde addidisse, ut appareret Dominus, dicitur: quia profecto, divinæ lucis ostensio reprobos & fictos fugit, quæ se electis, & mundis cordibus aperit. Unde & per semetipsam vera lux loquendo, nos illuminat, dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Igitur, *ut appareret Dominus*, addidit: quia mundum prædicatoris sui oculum vidit. Sed cum addidit: *Ut appareret in Silo*, in eodem loco illum apparuisse vice alia designatur. Quia autem dixit, ubi apparuit, ne Heli apparuisse crederetur, subsequenter & personam ejus, cui apparuit, ostendit dicens:

D
Matt. 5. 8.
E

Quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, juxta verbum Domini.

Ibidem.

32. Tunc namque se ei revelavit, cum ei secretum sui consilii, de repulsione reprobi prædicatoris aperuit. Quod profecto juxta verbum Domini factum asseritur, ut hoc quod non valde superius per virum Dei ad Heli dictum fuerat, etiam secundum historiam impletum esse sentiatur: *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciat, & ambulabit coram Christo meo omnibus diebus*. Et item: *Videbis æmulum tuum intem-*

Deus postquam comminatione justitiæ terruit, consolatur ostensione misericordiæ.
1. Reg. 2. 35.
Ibid. v. 32.

a Gilot. & Vatic. *se dominum locutum fuisse asseruit.*

in templo, in universis prosperis Israel. Quod si A juxta spiritalem intelligentiam perscrutamur, modo addit Dominus, ut electis appareat, nisi quia qui electos suos de contemplatione justitiæ suæ mirabiliter terreat, etiam de ostensione gloriæ ineffabiliter demulcet. Qui enim apparendo justus corda Sanctorum terrore concutit, ut appareat addit; quando cordi territo dulcedo refunditur suæ pietatis. Hinc est enim, quod Moysi non semper in igne apparuit, sed in igne aliquando, aliquando in nube. In igne quippe terror
Psal. 49. 3. judicii est. Unde & de secundo Redemtoris nostri adventu per Psalmistam dicitur: *Ignis ante eum præibit, & in circuitu ejus tempestas valida*. B In nube autem protectio miserationis exprimi-
Marc. 13. 26. tur: quia ejusdem protectionis suæ blandimentum electis suis promittens Dominus, ait: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube*. In igne itaque & nube per deserta gradientibus Dominus apparet: quia mentes contemplantium se in hac exilii peregrinatione, etsi aliquando terret de justitia, pavore dejectas erigit blandimento protectionis. Dominus itaque Samueli apparuit, &, ut appareret, addidit: quia qui ab electorum mentibus in igne terroris aspicitur, in nube etiam dulcedinis exhibetur. Ignis namque visionem intus viderat, qui nuntiabat foris, di- C
cens: *Sanctum & terribile nomen ejus*. In igne item eum visum ostendere cupiens, ait: *Venite & videte opera Domini, terribilis in consiliis super filios hominum*. Sed qui ei in igne apparuit, ut appareret addidit: quia suavitatem gloriæ, & dulcedinis suæ, ei etiam de nube propinavit.
Psal. 30. 20. Quare & exhilaratus, qui territus fuerat, dixit: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domi-*
Psal. 72. 1. *ne, quam abscondisti timentibus te*. Hinc item additam apparitionem admirans, ait: *Quam bonus Israel Deus iis, qui recto sunt corde*.

33. Sed attente considerandum est, quod subjungitur: *Juxta verbum Domini*. Verbum ergo Domini cognoscendum est, antequam ad D apparitionem Domini pertingere mereamur: ne injusta & indiscreta visio ignis & nubis, non solum nobis perfectionem non ostendat cælestis itineris, sed ad submersionem erroris nos impellat. Origenes quippe, dum apparentem Dominum, sine verbo Domini videre voluit, visionem nubis inordinate conspexit: [a] quia ignis apparitionem horruit. Nam dum abnegata vel minuta justitia Dei, superfluam ejus clementiam prædicaret, asseruit quod non solum omnibus damnatis hominibus parceret, sed etiam de æterna pœna reprobos Angelos quandoque liberaret. Novatus autem ignis aspicere visionem amplius amavit, qui dum severam omnipotentis Dei justitiam implacabilem diceret, spe veniæ consequendæ, & pœnitentiæ omne remedium peccatoribus abstulit. Nec Novato igitur, nec illi alii Dominus apparuit: quia uterque eorum juxta quod per veritatem sacri eloquii cernitur, omnipotentem Dominum non conspexit. Tunc ergo juxta verbum Dominus apparet, cum ea ostensione se menti revelat, quam sacræ Scripturæ fides non reprobat. Unde & apte subjungitur:

Et venit sermo Samuelis in universo Israeli.

Hæreticorum quibus Deus apparet verus sermo, non hæreticorum.

34. Hæreticorum quippe sermo non venit. Novati enim sermo fuit: quia justus Deus semel lapsis fidelibus nequaquam parcit. Origenis sermo fuit: quia misericors Dominus nullam creaturam rationalem perire per æternam damnationem finit. Sed quia conversi ad Dominum peccatores, nequaquam pereunt, & semel lapsi Angeli, & in peccato suo mortui peccatores numquam salvantur, hæreticorum profecto sermo non venit. Sermo igitur Samuelis venit in universo Israeli: quia Catholici viri prædicatio completur, quæ in veritate sacri eloquii recte cognoscitur. Et notandum, quia ejus sermo venisse dicitur, cui visionem suam Dominus addidisse perhibetur: quia nimirum ejus prædicatio vera est, cui sic divinæ justitiæ terror ostenditur, ut benignitatis ejus abundans gratia non celetur: videlicet ut mentem videntis sic conspecta veritas terreat, ut etiam ostensa benignitas mentem territam in desperationem cadere non permittat: ut sic de benignitate præsumat, quatenus ad prævaricationis ausum non proruat.

Hæc autem in secundo libello præsentis operis disputata sufficiant: ut dum ea, quæ sequuntur, novo principio incohare disponimus, dicendi etiam studium per devotionem renovetur.

[a] De iisdem Gregorius agit, l. 34. Moral. num. 38. ubi vide notas.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

1. CUm sacræ historiæ sensum qualiter ele- E ctorum moribus conveniret studiose quæreremus, allegoriæ ordinem repetere exponendo distulimus. Ut ergo ea, quæ omisisse cernimur, suppleamus, quæritur: Quid est, quod dum Samuel ministrare Domino coram Heli memoratur, pretiosus sermo Domini esse describitur? Sed, sicut superius est dictum, per Samuelem prædicatores sanctæ Ecclesiæ, per Heli etiam electi Patres Testamenti veteris designantur. Puer ergo Samuel ministrabat Domino coram Heli, cum novus doctorum ordo Redemtoris fidem prædicabat. De quo nimirum ministerio Paulus loquitur, dicens:
Rom. 11. 13. *Quamdiu sum Gentium Apostolus, ministerium*
2. Cor. 11. 22. *meum honorificabo*. Hinc iterum dicit: *Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: ministri Christi sunt, & ego*. Ministrare ergo Domino, in laborem prædicationis pergere est. Quod profecto ministerium Samuel coram Heli Domino impendisse dicitur: quia quidquid de religione novæ fidei, novus prædicatorum ordo asseruit, hoc Patrum veterum auctoritate roboravit. Domino quippe ministrabat Samuel, quando novus prædicator asserebat, dicens: *Dico enim Chri-*
stum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter Rom. 15. 8.
veritatem Dei, Gentes autem super misericordia honorare Deum. Qui propheto ut ministerium, quod Domino exhibebat, coram Heli quoque impenderet, adjunxit dicens: Sicut scriptum est:
Laudate omnes Gentes Dominum, & collaudate eum Ps. 116. 1.
omnes populi. Et ut se arctius coram Heli in ministerio Domini cohiberet, adjunxit: *Isaias*
enim dicit: Erit radix Jesse, qui exurget regere Rom. 15. 12. et Isa. 11. 10.
Gentes, in eum Gentes sperabunt. Puer Samuel Domino ministrabat, cum Dominicæ Resurrectionis

Act. 2. v. 22.

nis gloriam Petrus assereret, dicens: *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis signis & prodigiis, traditum per manus impiorum interemistis; hunc Deus suscitavit a mortuis præfinito consilio tertia die, sicut impossibile erat teneri eum doloribus inferni.*

Movent fidem veterum Patrum auctoritate confirmant. Act. 2. 27. Psal. 15. 10.

2. Sed hoc ministerium, quod Domino exhibuit, etiam coram Heli exhibuit, quia subjunxit, dicens: *David enim dicit: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Coram Heli itaque Samuel ministrare Domino apte dicitur, quia electi sanctæ Ecclesiæ prædicatores, dum statum novæ fidei prædicando erigerent, quod ratione asserere conati sunt, Patrum veterum auctoritate firmaverunt.

Quale sit verbi divini pretium.

3. Et tunc quidem sermo Domini pretiosus fuisse perhibetur. Pretiosa quippe res parvo pretio emi non potest. Pretium autem, quo sermo Dei emitur, labor est sanctæ operationis. Velut enim rem, quam habere volumus, pretio emimus, cum per sermonem prædicationis quem accipimus; laborem operis exhibemus. Tunc autem erat sermo pretiosus, cum pro qualicumque labore operis non dabatur: cum omnis, qui emtorem sermonis inter ficiebat, obsequium Deo se præstare cogitabat. Eo igitur tempore sermonis emtor multo pretio eguit: quia sine magno labore verbum fidei servare non potuit, C qui pro eo, quod credidit, ad tormenta pervenit. Tempus namque tunc erat, quo is, qui emebatur, sermo non [a] typo figuratæ moralitatis, sed apertæ locutionis præcepto hortabatur, dicens:

Matth. 16. 24. Ibid. 10. 37. Luc. 14. 33.

Qui vult venire post me, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Hinc item dicit: *Qui autem amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Et: *qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Itaque cum ministerium Samueli asseritur, pretiosus sermo Domini esse perhibetur: quia profecto inter initia fidei, illi qui prædicantibus æternæ vitæ doctoribus crediderunt, pro accepto verbo fidei, magni laboris opera expendisse credendi sunt. D Et quia Judaicus populus jam lumen divinæ cognitionis amiserat, sequitur:

1. Reg. 3. 1.

In diebus illis non erat visio manifesta.

4. Manifesta namque visio ejus esset, si in Redemtorem, quem ad visitationem suam venisse audierat, credidisset. De qua nimirum ejus cæcitate subjungitur:

Vers. 2.

Factum est autem, Heli jacebat in loco suo, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.

Judæorum sacerdotium litteram Legis habens, cæcitatem incurrit.

Visio namque Heli manifesta non est, quia Judæorum sacerdotium in perfidiæ suæ cæcitate sepultum est. Heli ergo jacet in loco suo, quia & litteram Legis habet, & in Lege & Prophetis non habet statum luminis, sed lapsum cæcitatis. Locus namque Heli, videlicet Judaici prædicatoris, sacra Lex est. Quia ergo Judaicum sacerdotium adhuc sacram Scripturam habet, in loco suo est. Et quia virtutem sanctæ Scripturæ nesciens, ad statum fidei non erigitur, nimirum in loco suo non stare, sed jacere perhibetur. Quia item usque ad mundi finem projectus est, lucernam Dei videre non posse memoratur. Unde & cum quotidie tot a sancta Ecclesia prædicationis hortamenta suscipiant, cum tot sacræ fidei assertionibus Judæi victi non credant: quid aliud, nisi hoc, quod in sancta Scriptu- A ræ eis legimus, & etiam per experimentum tenemus, quia videlicet projecti sunt, non solum ut non videant, sed etiam ut videre non possint? Unde & Apostoli superfluum laborem reputantes eorum, qui videre non poterant, in Actibus suis dicunt: *Quia indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Sed qui videre non posse relatus est, Dei lucerna vocatur. Synagogæ namque ministerium Dei lucerna fuit, quando in electis Patribus & per veræ prædicationis lumen, & per venturi Redemtoris promissionem luxit. Quæ profecto lucerna, ministrante Samuele, videri non potuit: quia tempore novæ prædicationis, Synagogæ magisterium pœnam perpe- B tuæ repulsionis incurrit.

Projecti Judæi, ut nec videant, nec videre possint.

Act. 13. 46.

5. Et notandum, quia non dicitur, lucere non poterat: quia profecto adhuc lumen sanctæ Scripturæ pro nobis portat: sed quod portat, ignorat. Unde & antequam extingueretur, videre non posse dicitur. Nondum enim extinguitur, & videre non potest, quia certe, ut jam dixi, lumen gerit, quod non attendit: ante enim quam extinguatur, est, donec lucet. Et quia ab eo usque ad mundi finem sacra Scriptura non tollitur, si antequam extinguatur, non videt, cum mundi fine extenditur in cæcitate. Quod si accensio ejus refertur ad zelum perfidiæ, idcirco non potest videre, quia non ex- C tinguitur. Nam si ignem perfidiæ de mente extingueret, ablato impietatis zelo, ad placitum veræ fidei lumen, mentis oculos aperiret. Sed dum videre non posse dicitur, indigna lucerna perhibetur, & ad videndum, ea, quæ digna est, quæritur. Nam subdit, dicens:

Lumen sacræ Scripturæ pro nobis portant, & ignorant.

Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Domini, & vocavit Dominus Samuelem.

Vers. 3.

6. Confirmata cæcitate Heli, Samuelem Dominus vocavit: quia damnato Judæorum sacerdotio ad majorem gratiam novum prædicatorum ordinem assumsit. Sed qui exposuit, quem vocavit, unde etiam vocaret, ostendit; quia in templo Domini, ubi erat arca, Samuelem dormi- D re perhibuit. Templum enim Dei est locus ubi habitat Deus. Unde & per Psalmistam dicitur: *Dominus in templo sancto suo: Dominus in cælo sedes ejus.* Quem profecto locum Paulus insinuat, dicens: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Templum itaque Dei, uniuscujusque est anima electi. Templum ubi arca Dei reconditur mentis est, in qua divini eloquii sacramenta per intelligentiam reservantur. Quid ergo ei aliud dormire in templo, nisi per intentionis custodiam in propria circumspectione persistere? Samuel itaque dormiebat in templo Dei, quia novæ gratiæ unusquisque prædicator, dum cuncta, quæ mundi sunt, perfecte contemsit, in electæ E suæ mentis intima circumspectione requievit. Et quia in sacramentis divinæ Scripturæ eruditus fuit, in templo dormiebat, ubi erat arca.

Damnato veteri sacerdotio, ad majorem gloriam novi prædicatores assumti.

Psal. 10. 5.

1. Cor. 3. 17.

7. Et notandum, quia non dicitur, dormivit, sed dormiebat: quia nimirum eamdem mentis suæ circumspectionem non in transitu servare studuit, sed in diuturnitate perseverantiæ. Somnus itaque Samuelis perfectum mundi contemtum designat in mente doctoris. Dormit ergo prædicator in templo, dum repulsa a se penitus mundana sollicitudine, sese per considerationem rerum spiritalium recondit in mente. Hujus namque somni quietem Petrus elegerat, cum dicebat: *Non est bonum re-*

Perfectus mundi contemtus in eis quasi somnus.

Act. 6. 2.

a Vnitisi in Gilot. & Vat. typo figurato moralitatis.

linquere verbum Dei & ministrare mensis. Hinc Jetro Madianita Moysen cognatum suum juste arguit dicens: *Stulto labore consumeris tu: sed audi verba mea, & erit Dominus tecum. Esto tu populo in iis, quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum.* Hinc Paulus ad templi somnum Corinthios revocat, dicens: *Jam quidem delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis fraudem patimini?* Dormire quippe in templo Dei non posse conspexerat, quos judiciorum occupatio a spiritali meditatione retrahebat. Dormiens ergo in templo vocatus a Domino dicitur; quia ille tunc doctor ad cognoscenda divina secreta assumtus est, qui per cordis intentionem non in exterioribus, sed in interioribus morabatur. Sequitur:

Exod. 18. v. 17. & 19.

1. Cor. 6. 7.

Qui respondens, ait: Ecce ego. Et cucurrit ad Heli & dixit: Vocasti enim me. Qui dixit: Non vocavi te, Fili mi, revertere & dormi.

Ver. 4. & 5.

In Scripturis sanctis non Prophetarum & Patriarcharum, sed Dei vox loquitur.

8. Cur is, qui vocantem se Dominum audivit, ad Heli cucurrit, nisi quia se ab Heli vocatum putavit? Et quia explanationis typicę ordinem tenemus, quomodo Heli putatur, cum vocato puero Deus loquitur? Sed quæcumque in Scripturis sanctis Patres nostri veteres locuti sunt, ad Heli referuntur locutionem. Qui nimirum, quia a semetipsis non sunt locuti, dum Deus per eos, quæ voluit locutus est; ea, quę in Scripturis sanctis auditur, vox Dei esse cognoscitur, quæ per Heli profertur. Puer autem, quia loquente Deo, ad Heli cocurrit, vocem profecto Deus Heli similem protulit. Quid ergo est, quod divinæ locutionis vox ab Heli voce non differt, nisi quia & per patres veteres ipse locutionem profert? Vox namque Heli Dei esse cognoscitur: quoniam electi Patres quidquid per sacra eloquia loquuntur, non a semetipsis, sed a Domino acceperunt. Unde & in Prophetis per omnem fere locutionem repetitur: *Hæc dicit Dominus:* ut ea, quæ Prophetæ oraculo vox resonat, sentiamus non esse loquentis hominis, sed præcipientis Dei.

Non solum per Scripturam, sed etiam per occultam revelationem Deus loquitur electis.

9. Aliquando autem per Scripturam loquitur Deus, aliquando per occultam inspirationem. Revelatione autem occulta loquitur, cum electę menti per Spiritum, aut agenda, aut docenda panduntur. Samuel itaque, cum vocantem se Dominum audivit, ad Heli cucurrit: quia electus ordo prædicatorum sanctæ Ecclesiæ, hoc quod, Deo revelante, cognoverat, quale esset in sacro eloquio perquirebat. Regula quippe rectæ intelligentiæ in Scripturæ sacræ libris expressa est, quia divina consilia ibi per venerabiles Patres nostros exposita sunt, qui Spiritum sanctum habuerunt. Vocatus ergo [a] tam sæpius a Domino Samuel, ad Heli cucurrit: quia ordo prædicatorum in omni, quod spiritali revelatione didicit, Patrum veterum dicta consuluit, ne tunc demum a Domino sibi fuisse revelatum crederet, cum ab eo, quod in sacra Scriptura legebat, nequaquam differre cognovisset. Nam facile fallitur, qui hoc, quod occulta contemplatione colligit, in præclara sanctæ Scripturę veritate nescit discutere quale sit. Unde & Apostolus denuntiat, dicens: *Transfiguras se satanas in Angelum lucis.* Quomodo autem falsa in veræ lucis claritate discernuntur? Ad Heli ergo currit Samuel, quoties a Domino vocatur: quia sancti prędicatores, ne falsę lucis imagine in intima contemplatione fallantur, modum occultæ revelationis in aperta Scripturæ sanctæ veritate discutiunt.

Revelationes internæ ex Scriptura explorandæ.

2. Cor. 11. 14.

Deus solus mentes gratia excitare potest.

10. Qua in re quærendum est, quomodo Heli dicere competat: *Non te vocavi fili mi.* Sed Patres nostri, qui per sacrum eloquium novis prædicatoribus loquuntur, non eos vocant, sed qualis sit interna eorum revelatio indicant. Vocare etenim Dei, electorum suorum mentes aspiratione suæ gratiæ excitare est. Antiqui vero Patres per Scripturam quidem sacram loquuntur, sed tamen aspiratione divinę gratię corda audientium excitare non possunt. Consulta ergo sacra eloquia, dum se donum spiritualis gratiæ dare non posse [b] indicant auctoritate Samuelis sese Heli, velut quibusdam locutionibus excusant. Sed hoc nimirum, quod dare non possunt, insinuare qualiter acquiri debeat, possunt. Unde & Heli voce ad Samuelem dicitur: *Revertere, & dormi.*

Ad gratiam percipiendam prædicatores per mentis quietem se parent.

11. Quid est, quod vocatum puerum redire Heli ad somnum præcipit, nisi quia prædicatoribus ostendit, ut ad percipiendum donum internæ gratiæ se mentis quiete parent? Et notandum, quia dicitur: *Revertere.* Samuel namque revertitur, cum electus prædicator a meditatione sacri eloquii ad secretum redit internæ contemplationis. Reversus ergo dormivit: quia in internæ contemplationis intentione requievit. Quo in loco etiam hoc notandum est, quia Samuel a Domino ter vocatur, ter iterum ab Heli dormire pręcipitur.

Tres dilectionis gradus. *Matt. 22. 37.*

12. Quid est hoc, nisi quia tres gradus dilectionis esse, ipsa Veritate docente, didicimus? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Sed quid in corde accipimus, nisi consilium? Quid autem in mente, nisi voluntatem? Quid vero in virtute, nisi amoris affectio designatur? Sed & per consilium, quid aliud quam veritatis certitudinem investigamus? Et per voluntatem quid diligentes, nisi bona valde concupiscimus? Per affectionem, quid nisi veri gaudii perfruitionem quærimus? Per gradus namque dilectionis ad summa sustollitur, cum cordis nostri consilio veritas revelatur, & voluntati mentis bonitas vera conciditur, atque affectioni virtutis nostræ per infusionem divinæ gratiæ, spiritale & verum gaudium datur.

Trina Samuelis vocatio, quid significet.

13. Ter igitur est Samuel vocatus a Domino, quia dum ordo prædicatorum rudis adhuc Ecclesię ad superna se studia extendit, & veritatem de ratione consilii, & bonitatem de electione voluntatis, & verum gaudium appetiit de intentione affectionis. Ter etiam ad Heli vocatus accessit: quia de omni appetitu suo sacram Scripturam meditationis festinatione consuluit. Ter item, quia ab eo non vocaretur audivit: quia meditando didicit, quod Patres nostri ad eruditionem nostram, sacra nobis eloquia scripta tradiderunt; verumtamen dona nobis spiritalia dare minime possunt. Quid est ergo dicere: *Non te vocavi*, nisi desiderium donorum spiritalium ego non dedi? Nam si sacra Scriptura, aut aliquis scriptorum dona spiritalia conferret, quotquot sacra eloquia legerent, quotquot sanctæ Scripturæ tractatores audirent, donis spiritalibus ornarentur. Nunc vero cum multi sacram Scripturam legant, & tractantes prædicatores audiant, & post studium lectionis, & prædicationis adhortationem, alii in pristino frigore vitiorum suorum remaneant, alii per gratiam in amorem sanctarum virtutum ferveant: aperte liquet, quia ordo

Cur a Deo non ab Heli vocatus.

a Gilot. jam sæpius a Domino Samuel.

b Gilot. judicant.

ordo Patrum venerabilium dona nobis virtutum per editas Scripturas ostendit, sed amorem virtutum, quas insinuat, solus nobis Conditor tribuit. Quare & Jacobus pie admonet, dicens: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Hinc Paulus ait. *Neque qui plantat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus.* Quid est ergo aliud dicere: *Non te, vocavi*, nisi aperta eruditione ostendere: quia hoc, quod fidelis anima ad superna desideria erigitur, ex sola divinæ gratiæ infusione generatur? Quia ergo ter vocatur a Domino, ter ad dormiendum a magistro reverti præcipitur, tres ille gradus dilectionis insinuat, qualiter acquirantur. Nam quia cordi consilium aptavimus, consilium vero invenire veritatem desiderat, magnus utique sopor est necessarius, ne prius amans evigilet, quam quæsita veritas inveniatur. Revertatur ergo puer, & dormiat: ut qui veritatis lucem invenire desiderat, per quietem caveat, ne ad se errorum tenebras non admittat. Secundo etiam dormiat, ut amoris obsequium omnipotenti Deo ex tota mente impendat, ut bona, quæ amat, purâ simplicitate, nulloque malorum velamine pallientur. Quod profecto quia non nisi magna discretionis subtilitate cognoscitur: vocatus puer a Domino, ab Heli reverti, ut dormiat, jubetur. Nam si dormire, pro accendendo isto amoris gradu negligit, hoc, quod de virtute appetit, non acquirit: quia etsi jam bona, Deo aspirante, amare possumus, nisi magna mentis quiete, qualia sint ipsa bona, quæ volumus, non dijudicamus. Ter ergo ad dormiendum Samuel mittitur: quia profecto novus prædicatorum ordo, ut ex tota virtute diligat, admonetur. Et quia virtutem ad affectionem retulimus, affectio autem mentis de gaudio spiritali perficitur, magnam somni quietem Samuel habuit: & dum spiritualia per quietem ordo prædicatorum certus didicit, sub specie veri gaudii gaudium extraneum non recepit. Nam sicut de virtutibus ceteris, ita & de profectu contemplationis, mens contemplantis plerumque inaniter hilarescit. *Dormivit ergo iterum Samuel:* quia nimirum ordo doctorum nisi caute se in contemplatione circumspiceret, aliquando vane gaudendo, se vero gaudio gaudere existimaret. Primo itaque dormivit: quia dum cognoscendæ veritati animum intendit, magna consilii subtilitate, erronea cuncta reprobavit. Secundo dormivit: quia cum Conditorem diligere ex tota mente didicit, magna apud se quiete disposuit, ut bonis quæ cuperet, aliqua reproba non misceret. Tertio etiam dormivit, ut dum supremum gaudium de divina contemplatione perciperet, vanam lætitiam reprobare consulta mente potuisset. Et quia hoc de Samuele adhuc proficiente dicitur, apte subjungitur:

Jac. 1. 17.
1. Cor. 3. 7.
Ad contemplationem provectis cautio metuenda.

Vers. 7.

Porro Samuel necdum sciebat Dominum, nec revelatus ei fuerat sermo Domini.

a
Alta & profunda, quæ cautione rudibus abscondi debeant.

14. Dominum namque [a] tunc ordo prædicatorum nescit ea perfectione, qua postea profecit. Vel fortasse idcirco nescire Dominum dicitur, quia alta, & profunda, quæ noverat, infirmis adhuc, & rudibus auditoribus non pandebat. Unde & volentibus diem Dominici adventus agnoscere, ea, quæ omnia noverat, & indicare nolebat, Veritas dicit: *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi solus Pater.* Quid est quod sciens omnia Filius, judicii diem nescit, nisi quia inter cuncta, quæ noverat, diem sciens, nesciebat enim, ut diceret: sed ejus tempus, & qualitatem sciebat? Hinc Johannes Baptista, qui Dominum perfecte noverat, ad eum quasi nesciens discipulos mittebat, dicens: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Velut enim Dominum nesciens Samuel prædicabat, cum Evangelista Matthæus divinitatem Redemtoris præteriens, a sola humanitate ejus inchoavit, dicens: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.* Sed sciebat profecto Dominum, & revelatus erat ei sermo Domini, cum Johannes divinitatem ejus alta exponendo suspiciens, ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Nesciebat Dominum, cum Paulus loqueretur, dicens: *Factus sum omnia omnibus, ut omnes facerem salvos.* Qui enim infirmis infirmus, & parvulis fiebat parvulus, & omnibus omnia, nimirum cum ignorantibus etiam ignorabat. Nam ut ejusdem ignorantiæ verbo uteretur, Corinthiis loquens, ait: *Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum.* Nam cum sapientibus & Dominum noverat, & sermonem ejus revelatum habebat. Unde & dicit: *Nos autem revelata facie Domini gloriam speculantes, in eamdem imaginem transformamur, tamquam a Domini spiritu.* Hinc item loquitur, dicens: *Sapientiam loquimur inter perfectos, non sapientiam hujus mundi, neque principum hujus seculi, loquimur Dei sapientiam, quæ in mysterio abscondita est.* Hinc item eum, quem noverat Dominum, prædicat, dicens: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dextram majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Nescire ergo Dominum dicitur, non ignorantia cognitionis, sed prætextu simplicitatis. Sequitur:

Matt. 13. 32.
Luc. 7. 20.
Matt. 1. v. 1. & seq.
Joh. 1. 1.
1. Cor. 9. 22.
Ibid. 2. 2.
2. Cor. 3. 18.
1. Cor. 2. 6.
Hebr. 1. 4. & 1.

Vers. 9.

Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum.

Deus futuram Ecclesiæ constructionem Prophetis revelavit.

15. Nam si non intelligeret, per sacra eloquia ei salutis consilia nequaquam ministrasset. Intellexit namque, quia prævidit. Quidquid enim omnipotens Deus in constructione futuræ Ecclesiæ agere disposuit, hoc veteribus Patribus per sanctum prophetiæ spiritum revelavit. Nam per Amos Prophetam dicitur: *Non faciet Dominus Deus verbum, quod non revelaverit servis suis Prophetis.* Quid enim aliud, quam novorum prædicatorum vocationem intellexerat, qui dicebat: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Sed ei, quem vocandum intellexit, etiam consilium subministravit, dicens:

Amos 3. 7.
Psal. 44. 17.

Ibidem.

Vade & dormi, & si deinceps vocaverit te, dicito: Loquere Domine, quia audit servus tuus.

Perfecte cognoscenti, non examinanti & probanti, docere licet.

16. Jam quidem de somno Samuelis satis, ut arbitror, quia internæ meditationis quietem designet, ostensum est. Qui profecto somnus ab Heli Samueli præcipitur: quia ad contemplanda interna mysteria vacare doctor per sacrum eloquium docetur. Sed quid est, quod Samuel quoties vocatur, toties ad dormiendum remittitur, & tamen ei adhuc nequaquam jubetur, ut dicat Deo: *Loquere Domine, quia audit servus tuus?* Ibi enim dormire jubetur, non tamen loqui; hic autem etiam cum obedientia somni, etiam licentia in-

[a] Gilot, usque ordo prædicatorum nescit ea perfectione.

jungitur locutionis. Ibi etiam ad dormiendum misso, non dicitur: *Vade*, sed, *Revertere*: hic quoque nequaquam dicitur: *Revertere*, sed *Vade*. Quid enim sibi vult tanta præcipiendi varietas? Quam nimirum varietatem clarius agnoscimus, si illud quod hoc in loco Samuelis somnus significat, attendamus. Et quia superiores somni modos, ad probationem donorum sanctæ dilectionis retulimus, quid est hoc loco Samueli, idest novo prædicatori dormire, nisi probata jam, & cognita eadem dona cum securitatis quiete possidere? Merito igitur ei prius non dicebatur: *Vade*, sed *Revertere*: nunc autem non, *Revertere*, sed *Vade*. Qui enim adhuc examinabat, reverti jubebatur, ut mentis tranquillitate aliud donum discuteret, qui aliud jam eadem mentis quiete cognovisset. Ei autem quia jam cuncta examinando probaverat, *Vade*, dicitur: quia ad possidenda cognita, secura jam intentione mittebatur. Cur ergo prius somnus sine locutione præcipitur, nunc autem somnus cum locutione, nisi quia non licebat dicere: *Loquere*, nisi ei, qui vera cognitione certus existeret, quia is, qui loqueretur mentis suæ affectibus, Deus esset? Examinanti ergo non dicitur: quia nisi loquentem intus perfecte dijudicet, locutionem spiritalem sibi adhuc incertam non debet cupere, & excipere quasi certam. Dicere enim menti Deo, *Loquere*, est internam ejus aspirationem secure excipere. Igitur perfecte cognoscenti hoc competit, non probanti: quia ante judicium interni examinis, sicut divina locutio non probatur, ita quod de Deo nobis est incognitum pro certo & cognito non excipitur. Dictum namque est Samueli: *Vade, & dormi*, quia cum ordo sanctorum prædicatorum dona spiritalia per sacri eloquii probationem didicit, ejusdem sanctæ Scripturæ eruditione cognovit, ut in ejusdem donis eo securius per amorem requiesceret, quo eorum virtutem apertiori ratione cognovisset. Præceptum quoque est ei, ut vocanti Deo diceret: *Loquere Domine*. Quia sacræ locutionis studio doctus est, non solum per internæ visitationis gratiam loquentem Dominum devote audire, sed silentem etiam, ut loqui dignaretur, magnis desideriis implorare.

Supra Num. 11. & 12.

Ibidem. *Abiit ergo Samuel, & dormivit in loco suo.*

17. Tot habet loca prædicator sanctæ Ecclesiæ, quot profectus vitæ. Unde & profectus sui loca divinis laudibus consecrans, beatus Job dicit: *Per singulos gradus meos pronuntiabo eum*. Non enim jam in loco examinis sed certæ cognitionis sistitur, cum ad altiora sublevatur. Locus namque prædicatoris, rerum cognoscendarum certa cognitio est. Nam de reprobis prædicatoribus Dominus dicit: *Tenentes Legem meam, nescierunt me*. In loco igitur suo Samuel dormivit, cum ordo doctorum, spiritalium rerum cognitionem, cum certitudine veritatis retinuit. Sed in quem gradum proficiat, ostenditur, quia repente subinfertur.

Varii profi[illegible] gra[illegible]. Job. 31. 37. Jer. 2. 8.

Venit ergo Dominus & stetit:

18. Quia non redire, sed venire Dominus dicitur, Judææ destitutio, & sanctæ Ecclesiæ visitatio designantur. Unde non solum venire, sed stare perhibetur. Ad Judææ [a] visitationem se venisse insinuat, dicens: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Sed veniens non stetit, quia salutis suæ bonum contemnentem deseruit. Unde & Synagogæ principibus minatur, dicens: *Relinquetur vobis domus vestra deserta*. Hinc item denuntians, ait: *Amen dico vobis, quia auferetur a vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Ad Samuelem itaque venit, & stetit: quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ semel assumsit, a quibus per custodiam suæ gratiæ ulterius non recedit. Nam ad Samuelem venerat, cum novos præferens orbi prædicatores, dicebat: *Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. Sed si stare debeat qui venit Dominus, dicat: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. Venerat ergo Dominus, non ut recederet, sed ut staret: quia novos fidei ministros elegit, quos usque in mundi finem per sanctarum virtutum sibi patrimonium succedentes protegit. Sed qui venit, per gratiam visitans; qui stat, per electionis suæ immutabilitatem perseverans, quid adjungat, audiamus:

Vers. 10. Deus ad Synagogam veniens, non stetit. Matt. 15. 24. Ibid. 23. 38. Ibid. 21. 43.

In Ecclesia usque in finem mundi permansurus est. Marc 16. v. 15. &c. Matt. 28. 20

Ibidem. *Et vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel, Samuel.*

19. Secundo quippe vocavit, quia ei in ministerio prædicationis officium duplex præbuit: ut videlicet Synagogæ superbiam repellendo contereret, & humilitatem gentilitatis ad fidem vocando sublevaret. Vel certe secundo vocatur: quia in destructionem veteris hominis, atque in novi ædificationem excitatur. Vocatus est ergo semel, cum per spiritum instruebatur, qualiter peccata & vitia in peccatorum cordibus delere potuisset: secundo vocatus, cum interni magisterii eum Deus documento instruxit: ut destructa in mente conversorum impietatis ædificatione, novam sanctarum virtutum fabricam erigere deberet. Quod profecto magisterium, quia ordo sanctorum prædicatorum & libenter didicit, atque ad obediendum devote se obtulit, subditur:

Duplex ministrorum Ecclesiæ officium.

Ibidem. *Ait ergo Samuel: Loquere Domine, quia audit servus tuus.*

20. Audire loquentem Deum, præcepta ejus operibus adimplere est. Quod contra in Evangelio reprobis per semetipsam Veritas dicit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Sed audienti quod insinuare appetit, subdit: namque sequitur:

Audire Deum quid sit. Johan. 8. 47.

Vers. 11. *Et ait Dominus ad Samuelem: Ecce facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.*

Et idem verbum aperiens, ait:

Vers. 13. & 14. *Prædixi enim ei, quod judicaturus essem domum ejus usque in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, & non corripuit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus in æternum.*

21. Quid enim his verbis aliud, quam toties jam explicata Judæorum repulsio designatur? Domus namque prædicatoris, est multitudo populi subjecti; quam velut possidendo inhabitat, dum per suæ sollicitudinis curam servat. Domus ergo Heli, idest sacerdotii veteris Judæa fuit, quam dum per conversationem reprobam coluit, pravitatis suæ maculis immundam fecit. Qui profecto filios suos indigne agere conspexit, quia summum sacerdotium minoris ordinis sacerdotes in Redemtorem sævientes vidit, & eos non corripuit, nec ab effusione tanti sanguinis ulla eos auctoritate revocavit. Idcirco ea divina comminatione promittitur, quod domus ejus in æternum judicetur. Judicare etenim Dei, damnare est. In æternum ergo judi-

Judæorum repulsio, ejusque causa.

a Gilot. *visitationem se venisse insinuat*.

judicatur, quia perire æterna pęna decernitur. Et quia hoc æterna Dei animadversione fit, jurejurando se affirmasse perhibuit, quod iniquitas domus Heli in æternum precibus & muneribus non expietur. Quod profecto aperta veritate impleri conspicimus: quia Judaicus populus in suę perfidię obstinatione perseverat. Quid enim est præsens duritia, & cæcitas quondam tam electi populi, nisi jusjurandum divinæ animadversionis? Nam digno supplicio se sub æterna morte cohibuit, qui ad mortem temporis, æternam vitam cogere non expavit. Sed hoc, quod jurejurando asserit, prædixisse se dicit: quia nimirum sanctæ Ecclesiæ doctoribus subsequentibus de Judææ repulsione illud innotuit, quod eorum prædecessoribus ante manifestavit: quia hoc per Samuelem ad Heli nunc dicitur, quod ei per virum Dei superius dicebatur. Sequitur:

Vers. 15. *Dormivit Samuel usque mane.*

Samuelis diversi somni quid significent.

22. Quid est, quod per sacrum eloquium Samuelis somnus tam attente describitur? Et quia jam quater repetisse somnum dicitur, multum desipit, qui a Dei Spiritu hoc non spiritualiter dictum credit. Nam etsi dormisse toties recte intelligitur pro veritate historiæ, ad hoc scribitur, ut in veritate litteræ intellectus proferantur allegoriæ. Quid ergo designat Samuelis hæc quinta dormitio? Sed quia primum somnum retulimus ad exquisitionem veritatis, secundum ad probationem veri operis, tertium ad explorationem veri gaudii, quartum ad perfruitionem inventæ & probatæ, cognitæque perfectionis: quinta somni species refertur ad studium disponendæ locutionis. Samuel igitur quinta repetitione dormivit: quia ordo prædicatorum, etsi per cordis consilium veritatem didicit, per voluntatem mentis bona elegit, per affectionem virtutis verum gaudium recepit, per certitudinem inventæ & cognitæ beatitudinis in virtutum sublimium securitate requievit: hoc tamen, quod in semetipso cognovit, sine magni dispensatione consilii subditis prædicare non potuit. Plerumque etenim doctor & quæ prædicet, apud semetipsum habet, sed tamen ea, quæ habet, prout debet, prędicare ea non potest: quia si ea quæ dicat, jam Domino revelante, didicit; modum, quo ad populum sunt proferenda, non novit. Dormivit ergo Samuel iterum, quia ordo prædicatorum apud se magna quietis intentione disposuit, ne prædicando, verbi Dei semen inutiliter spargeret, quod utili contemplatione collegisset. Nam dum prędicator considerare compellitur quid & quantum, sive quando loquitur, quæ dicat simul omnibus, qualiter moneat aliquos seorsum, quia magna sanctæ meditationis quiete utitur, apte nimis in typo novi prædicatoris Samuel iterum dormire perhibetur. Dormire quippe ei tunc, est dicendi modum tranquilla mente disponere. Et evigilare ei, est a quiete meditationis ad loquendum exire. Et quia rationabiliter non evigilat, antequam dicenda disponat, sequitur: *Usque mane*. Mane etenim perfecta pronuntiandi verbi cognitio in mente doctoris est. Unde & præcipites doctores Propheta arguit, dicens: *Vanum est vobis ante lucem surgere*. Ante lucem quippe surgunt, qui usque mane non dormiunt: sed in vanum evigilant, quia inutiliter verbum proferunt, quod qualiter proferri debeat, meditatione nulla didicere. Unde & consilium eis ostendit, dicens: *Surgite postquam sederitis*: ut vide-licet per quietem meditando, verbum colligant, quod per laborem locutionis non in vanum, sed in audientium lucrum spargant. Sequitur:

Aliud est nosse quæ prædicentur, aliud modum prædicandi.

Psal. 126. 2.

Ibidem. *Et timuit indicare visionem Heli.*

23. Quidnam est, quod timebat, nisi quia hoc dormiendo didicerat? Nam qui meditando verbum ordinat, ratione statuit, quando etiam verbum dicat. Visionem quippe Samuel vidit, & Heli indicare timuit, quia doctorum ordo sanctę Ecclesiæ, & Judææ repulsionem debitam conspexit, atque ei eam objicere ante repulsionis suæ tempora formidavit. Unde & ad pœnitentiæ remedium eam potius cohortatur, dicens: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*. Quare & subditur:

Aliud etiam scire quando prædicandum.

Act. 2. 38.

Ibidem. *Aperuit ostia domus Domini.*

24. Quænam est alia domus Domini, quam sancta Ecclesia? [a] Et quę sunt hujus domus ostia, nisi spirituales virtutes? Ostia namque domus Domini Samuel aperuit, quando concurrentibus ad unitatem veræ fidei prędicatorum ordo virtutum spiritalium dona patefecit. Velut enim clausa erant domus ostia, cum sanctæ Ecclesiæ virtutes ignorabantur. Bene autem, cum visionem Heli indicare Samuel timuit, domus Domini ostia aperuisse memoratur: quia prius quam apertam Judææ repulsionem prædicatorum ordo indicaret, dum ad pœnitentiam monuit, electis ad fidem currentibus, virtutum spiritalium occulta reservavit. Nam qui misericordiæ tempore dicere visa timuit, tempore exquirendæ justitiæ visionem justitiæ indicavit: dicens: *Quia indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes*. Ex qua profecto ratione quæstio oritur: quia videlicet visionem Samuelis prece magis, & imprecatione Heli indicatam fuisse perhibetur. Nam subditur:

Domus Dei scilicet sanctæ Ecclesiæ quæ ostia.

Act. 13. 41.

Vers. 16. 17. & 18. *Venit ergo Heli ad Samuelem, & dixit: Samuel fili mi. Qui respondit: Præsto sum. Et interrogavit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro, ne celaveris mihi. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus, quæ dicta sunt tibi. Indicavit igitur ei Samuel universos sermones, & non abscondit ab eo.*

25. Quomodo enim ab executore divinæ sententiæ visionem suæ repulsionis didicit, qui hoc non tam a comminante, quam ab eo, qui magis precibus cogebatur, audivit? Sed, qui istud quærunt, primo intelligant, quia non ad litteram, sed ad spiritalem & typicam significationem ista discutimus. Hoc enim loco venire Heli, neque ad motum corporis Judaici sacerdotii refertur, neque ad affectum mentis: sed tamen venire ei fuit, hoc ipsum, quod rationalis Dei creatura est, prædicatoribus apparere. Venit itaque, cum in humana natura visus est, doctorumque corda sibi ad [b] miserandum movit. Venire ergo Heli non est in veteri populo accessus mentis, aut corporis, sed ostensio humanæ conditionis. Vel fortasse venire ei fuit ex eo, quod ex omnibus populis ad Dei cultum electus fuit. Eum quoque filium appellavit, qui ab illo respicitur, qui in electis Patribus institutor sanctæ Ecclesiæ fuisse memoratur. Vocat ergo filium non affectu appellationis, sed ostensione amissæ dignitatis. Et quia in caligine cæcitatis aspicitur, indicari sibi visionem postulasse perhibetur. Obsecrare etenim ei est respectu communis naturæ, prædicatorum mentes ad misericordiam provocare. Qui etiam imprecatio-

In typica significatione non tam accurata quærenda est convenientia.

a Gilot. *& quæ sunt hujus domus Domini Samuel aperuit, quando concurrentibus ad unitatem veræ fidei prædicatorum, &c.*

b Al. *miserendum movit.*

cationem precibus addidit: quia ordo prædicantium, dum in tanta miseria positum Judæorum sacerdotium attenderet, irasci sibi omnipotentem Dominum timuit, si non ei verbo subveniret. Unde & apte subjungitur: *Indicavit ei Samuel universos sermones, & non abscondit ab eo.* Omnia quippe ei visa indicavit; ut audito quod meruit, magnitudo formidinis ad sollicitudinem eum converteret impetrandæ divinæ miserationis. Universos ei Domini sermones indicavit; ut dum in vetustate sua se projectum cognosceret, per pœnitentiæ lacrymas ad veræ fidei renovationem festinaret. Qui profecto respondit, dicens:

Terret eos, ut sollicitos reddat, ter-

Vers. 18.

Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat.

Judæorum Ecclesiæ minas irridentium perfidia.

26. Quibus nimirum verbis, quid aliud, quam Judaici populi perfidia clarius agnoscitur? Nam qui omnipotentem Deum Dominum vocat, adhuc ei servire se existimat. Cum igitur Judaico populo repulso sua a sanctæ Ecclesiæ doctoribus insinuatur, dicit: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Quia dum Deo se placere per veterem institutionem credit, sanctæ Ecclesiæ nequaquam minas expavescit. Quasi enim apertiori voce Judaica perfidia asserat, & comminantibus sibi sanctæ Ecclesiæ prædicatoribus dicat: Eo nobis minis vestris terrorem nullum incutitis, quo circa fidem ei nos ministrare credimus, a cujus gratia nos decidisse prædicatis. Cum ergo adjungit: *Faciat quod bonum est in oculis suis:* sanctæ Ecclesiæ doctores subsannat potius, quam se divinæ sententiæ offerat. Quasi alia intentione loquatur, & dicat: Eo nobis tale aliquid non facit, quo noster est Dominus ille, quem nobis ad vindictam proponitis. Sequitur:

Vers. 19.
Ecclesiæ incrementa.

Crevit autem Samuel, & Dominus erat cum eo.

27. Quid est, quod postquam Heli visionem exposuit, crevisse Samuel dicitur, nisi quia doctorum nostrorum ordo, postquam verbo Synagogæ filios repulit, majoris reverentiæ gloriam apud gentilitatem invenit? Crevit ergo, quia qui per verbi ministerium se prius in una gente cohibuit, postmodum sanctitatis, atque doctrinæ famam in universo mundo dilatavit. Unde & per Psalmistam dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hinc iterum sanctæ Ecclesiæ loquens, ait: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Crevit itaque, cum in universo mundo radiavit. Cum quo etiam Dominus esse perhibetur: quia omne, quod de fama sanctitatis redoluit, omne quod clarum per verbum luxit, de præsentia Redemtoris accepit, quem secum habuit. Nam etsi verbo Paulus non solum infirma & terrena, sed etiam summa & cælestia penetrat, ex eo hanc dicendi virtutem obtinet, quem secum esse affirmat, dicens: *An experimentum ejus quæritis, * qui in me habitat Christus?* Qui enim in se loquebatur, secum erat. Redolet omni mundo per vitam, sed ex eo vitæ odorem trahit, quem ostendit, dicens: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Omnes esse de præsentia Redemtoris Johannes insinuat, quia dicit: *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Samuel ergo cum crevisse dicitur, cum eo Dominus esse memoratur: quia doctorum ordo cum magnæ sanctitatis, atque doctrinæ gratia omni mundo resplenduit, ex eo tam magnus apparere potuit, qui eum in mundo positum non reliquit. Sequitur:

Psal. 18. 5.
Ps. 44. 17.
Ut cresceret, ex Christi præsentia accepit.
2. Cor. 13. 3.
Ibid. 2. 15.
Johan. 1. 16.

Vers. 20.

Et cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.

Prædicatorum ordini credendum.

28. Quibus profecto terræ nominibus, Judææ universitas designatur. Quid ergo in universa Judæa, nisi omnis designatur Ecclesia? Universitas itaque Israel, quia Samuel Propheta est Domini, recognoscit: quia profecto omnis, qui fidelis est, credit, quod sanctorum prædicatorum ordo vera de futuris dicit. Prophetæ namque officium est, & futura prædicere, & occulta revelare. Prædicatores autem sanctæ Ecclesiæ dum latentia quæque vitia in mente deprehendunt, dum spiritalium virtutum secreta aperiunt, dum sanctarum Scripturarum latentes intellectus ad communem notitiam proferunt, dum futura cælestis patriæ gaudia electis fidelibus repromittunt, Prophetæ ministerio utuntur. Ab universo igitur Israele Propheta Domini fidelis Samuel esse cognoscitur, quia omnipotentem Dominum fide videre non potest, qui sanctæ Ecclesiæ doctoribus fidem non adhibet. Et quia eadem divinæ cognitionis gloria in sancta Ecclesia remansit, quæ se doctoribus primis aperuit, subditur:

Prophetarum ministerio funguntur.

Vers. 21.
Ipsi Deus clarius manifestatur.

Et addidit Dominus, ut appareret in Silo.

29. Silo quippe missus interpretatur. Et quia usque in mundi finem in prædicationis ministerium mittit, in Silo Dominus apparet: quia se eis clarius ostendit, per quos lucis suæ gloriam aliis aperit. Bene autem dicitur: *Addidit, ut appareret:* quia incessanter eliguntur, quibus claritas divinæ lucis infunditur. Unde & causam cur auditam visionem asserat, subdit, dicens:

Ibidem.
Deus Ecclesiæ suam præsentiam non subtrahit.

Quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli.

30. Idcirco enim ut appareat addit, quoniam qui revelatus fuerat Dominus, se iterum atque iterum revelat, & suæ ostensionis donum a sancta Ecclesia nequaquam subtrahit, quam ei exhibere ex ejus exordio non cessavit. Sed qui Samueli revelatus asseritur, quoties apparere addiderit, non refertur: quia nimirum usque in mundi finem sancta Ecclesia ducitur, cui prædicatores præsunt, qui ex eo in infimis alta æternitatis gaudia prędicent, quo summa quæ prędicant, in alta Dei manifestatione vident. Quam profecto apparitionem juxta verbum Domini factam perhibetur. Quid est autem verbum Domini, nisi promissio Redemtoris? Addidit ergo, ut appareret juxta verbum Domini, quia promissionis suæ veritatem exhibere non desinit. Verbum namque Domini in additione apparitionis est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Sequitur:

Matth. 28. 20.

Ibidem.
Sermonis Dei veritas.

Et venit sermo Samuelis in universo Israeli.

31. Sermo etenim venire cognoscitur, cum prędicatorum nostrorum promissio adimpletur. Promissio enim verbi est gaudium sine fine mansurum. Universo igitur Israeli sermo Samuelis venit: quia omnis multitudo sanctæ Ecclesiæ ad gaudium æternæ beatitudinis pervenit: & quod nunc in fide sermonis a sanctis ejus prędicatoribus repromittitur, per rei veritatem eidem in regnis cælestibus exhibetur. Verbum namque doctorum in repromissione fidelium est: *Omnis, qui credit in ipsum, non perit, sed habebit vitam æternam.* Vel certe sermo doctorum in repromissione munerum est: *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Sermo itaque Samuelis in universo Israeli venit:

Promissa ejus certa & indubitata.
Johan. 3. 15.
Isa. 64. 4.
1. Cor. 2. 9.

a Forte legendum, *qui in me loquitur*, ut extat in Græco fonte & in Versionibus. Hinc Gregorius explicans hunc locum subdit: *qui enim in se loquebatur, secum erat.*

venit: quia quisquis sanctis prædicatoribus, & vitæ præsentis religiosam conversationem suadentibus, & æterna gaudia justis promittentibus credit, ad ea, quæ pie vivendo expectavit, gaudia æterna, carne moriendo transivit. Unde & is, in cujus fide promiserat, affirmat, dicens: *Amen dico vobis, cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Vel certe sermo Samuelis in universo Israeli jam venit: quia per effectum divinæ animadversionis, generalis impleta cognoscitur repulsio Judæorum. Unde & ordinem, quo idem sermo in universo Israeli venerit, latius exponens, ait:

Marc. 13. 31.

CAPUT II.

1. Reg. 4. Vers. 1. 2. & 3.

EGressus namque est Israel obviam Philisthiim in prælium, & castrametatus est juxta Lapidem Adjutoris. Porro Philisthiim venerunt in Aphec, & instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros quatuor millia virorum. Et reversus est Israel in castra.

Spiritalia Christianorum certamina. *Eph. 6. 12.*

1. Esse spiritalia prælia beatus Apostolus ostendit, dum sanctæ Ecclesiæ castra ad victoriam cohortatur, dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, & contra spiritales nequitias in cælestibus*. De quibus profecto præliis etiam consequendæ victoriæ consilium præbens, ait: *Et scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei*. Hinc Petrus exhortans, dicit: *Solliciti estote, & vigilate in orationibus, quia adversarius vester diabolus circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide*. Dum ergo Israelitis prælia per litteram referuntur, interna & spiritalia designantur. Philisthiim namque cadentes poculo interpretantur: quo nimirum nomine reprobi Angeli exprimuntur; quia per abundantiorem potum superbiæ, statum perdiderunt æternæ vitæ. Eis quippe valde poculo cadere fuit, potum superbiæ sine omni mora retractionis assumere. Nam quod potatur, facile sumitur. De quorum profecto cadentium principe velut de potante Dominus dicit: *Quia in veritate non stetit*. Velut enim potu corruit, qui superbiæ suæ velocitate ebrius, in ea, qua fuerat conditus, veritate, nec ad momentum stetit.

Ibidem v. 16. & 17. *1 Petr. 4. 7. & 5. 8.* *Philisthiim quid significent.* *Joban 8. 44.*

Contra diabolum pugnare se fa so putarunt Judæi.

2. Sed valde quærendum est, quomodo Israel secundum carnem egredi in prælium contra istos cadentes poculo intelligatur. Nemo enim pugnat cum eo, qui sibi subjicitur. Judaicus ergo populus, qui malignis spiritibus per infidelitatem subjectus, contra eos in prælium quomodo egredi dicitur? Pugnare tamen asseritur non veritate fortitudinis, sed fallacia æstimationis. Veritate quippe fortitudinis a malignis spiritibus victus est, sed tamen dum Patrum veterum traditiones servat, cum malignis spiritibus se certamen habere existimat. Unde & sub captivitatis suæ vinculis tanto strictius ligatur, quanto ipsa libertatis, quam non habet, fiducia ab eorum sibi calliditate suggeritur. Versuti namque adversarii occultis suggestionibus ei falsæ libertatis fortitudinem prædicant, ut eam, qua premitur, caliginem non attendant: & eo securius jam eum deceptum possideant, quo ab eis, quibus tenetur, infidelitatis vinculis solvi, in Redemtorem nostrum credendo non curat. Et notandum, quia de repulso populo dicitur: *Egressus est Israel*. Tunc recte exiit, cum sacræ fidei monumenta dereliquit. Unde & de iis, qui a Scripturæ sanctæ mysteriis errando deviaverant, Johannes dicit: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*. Exire igitur Israeli secundum carnem est, rectæ fidei terminos errando præterire. Sed quia alium Christum expectare non desinunt, juxta Adjutorii Lapidem castra ponunt. Merito igitur terga vertisse Israel dicitur, quia & egressus fuisse perhibetur. Nam si intus maneret, vinci nequaquam potuisset, quia si se intra munitiones servaret fidei, armatos spiritus debellaret erroris. Et quia fraude superatur, Philisthiim in Aphec aciem instruxisse perhibentur. Malignis namque spiritibus aciem instruere, est incautis Judæorum cordibus argumenta deceptionis ordinare. Sed inito certamine, terga vertit Israel, quia dum mori metuit, malignis spiritibus non resistit. Ideo quippe pugnæ profugi terga hostibus vertunt, ne resistentes moriantur. Quia vero, si in Redemtorem Judæi credant, mori trepidant; idcirco non resistunt, ut vivant, quia in Redemtorem non credunt, ut in veteri circumcisione salventur. Resisterent quippe malignis spiritibus, si arma suæ fortitudinis, in Redemtoris nostri fide tenuissent. Sed ideo, ne moriantur fugiunt, & ideo quia fugiunt, moriuntur. Hostis namque insequens eo facilius fugientem interficit, quo is, qui fugiendo percutitur, imminentis victoris sui gladio non resistit. Unde & in eodem certamine quatuor Judæorum millia cæsa memorantur. Quæ enim sunt hæc quatuor millia, nisi qui recipere quatuor Evangeliorum veritatem noluerunt? Quare & in agris mori perhibentur, quia in errorum suorum latitudine immorantur. Et quia erroris sui latibula adhuc nequaquam derelinquunt, Israel in castra reversus asseritur. Nam, ut jam dixi, cum malignis spiritibus adhuc habere certamen se æstimat, cum eorum voluntati potius obediat, quam repugnet.

Statim ac in Christum credere noluerunt. *1. Johan. 2. 19.*

Vana futuri Christi expectatione deluduntur.

3. Quia vero etiam in bona significatione poculum accipitur, cadentes poculo, intelligi sanctæ Ecclesiæ prædicatores possunt. De quo nimirum poculo Propheta gloriatur, dicens: *Impinguasti in oleo caput meum, & poculum meum inebrians, quam præclarum est*. Poculum namque inebrians, abundans est gratia Spiritus sancti: quæ apte poculum dicitur, quia ejus plenitudine electorum corda in momento inebriantur. Unde & de primis sanctæ Ecclesiæ Pastoribus dicitur: *Factus est repente de cælo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes*. Quo nimirum poculo prædicatores cadunt: quia dum sancti Spiritus gratiam abundanter excipiunt, statum vitæ carnalis ex toto derelinquunt. Quotidie namque per hoc poculum, velut nimie potantes cadunt, quia etsi eos aliquando carnales motus ad perpetrandas culpas erigunt, virtute tamen potati spiritus in statu peccati non inveniuntur. Cum quibus profecto, quia Judaicus populus certamen habet fidei contra Philisthæos istos, carnalis Israel quotidie egreditur ad campum belli.

In prædicatores Christianos ad præsens gradiuntur. *Psal. 22. 5.* *Act. 2. 2.*

4. Possunt autem Philisthinorum appellatione idcirco sanctæ Ecclesiæ prædicatores intelligi, quia de errore Gentilium ad gratiam fidei per Dei misericordiam sunt perducti. Cum quibus nimirum Israel prælians terga vertit, quia loquenti per ora prædicatorum spiritui non resistit. In prælium namque Israel contra Philisthiim exierat, cum prædicanti Stephano Judæi obsisterent, & de fidei nostræ ratione disputarent. Sed prælians terga vertit, quia

Ecclesiæ prædicatores Philisthæis comparantur.

reli-

resistere dissimulando non potuit. Nam de terga vertentibus in Apostolorum Actibus dicitur: *Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.* (Act. 6. 10.) Cædi autem Israelitis est, ab infidelitatis vita separari. Bene quoque in agris mori perhibentur: agri enim certaminis, sunt sacri eloquii virentes intellectus. In agris igitur cæsa pugnatorum Israelitarum millia assignantur: quia, qui sanctorum prædicatorum ministerio de Judæa conversi sunt, in Redemtorem humani generis per sanctarum Scripturarum docomenta crediderunt. Quatuor vero millia cæsorum fuisse memorantur: quia eamdem sacri eloquii auctoritatem de Lege, Prophetis, Psalmis, atque de Evangelio voverunt. Sed & cæsis aliis, alii in castra revertuntur: quia de Judæa nonnulli prædicatorum ministerio ad cognitionem Redemtoris perducti sunt, sed ejusdem Gentis plenitudo sanctæ Ecclesiæ assertionibus tanto audacius adversatur, quanto in infidelitatis suæ tenebris profundius ajecta, ad veritatis lumen non ducitur. In castra quippe ei reverti est, adversari non desistere. Et quia eos, qui crediderant, velut stultos, & nulla sufficienti ratione superatos arguunt, sequitur:

Vers. 3. *Dixeruntque majores natu Israel: Quare percussit nos hodie Dominus coram Philisthiim?*

Ab eis debel… Judæi obstupescunt.

5. *Quare* enim hoc loco non est inquisitionis interrogatio, sed querela admirationis. Sub admiratione ergo de percussione interrogant: quia ad eam rationem, qua religionis suæ homines fidem Redemtoris excepisse conspexerant, pertingere non valebant. Et notandum, quia qui admiranter interrogant, majores natu de Israel fuisse memorantur: quia profecto superbi quique in sua sapientia gloriantes, ad divinorum mysteriorum cognitionem pertingere nequaquam potuerunt. Unde & in Evangelio Dominus ad Patrem loquitur, dicens: *Confiteor tibi Pater, rex cæli & terræ, quia abscondisti hæc a prudentibus & sapientibus, & revelasti ea parvulis.* (Matth. 11. 25.) Qui profecto se percussos fuisse conqueruntur: quia dum per eos qui crediderunt, veterem Legis consuetudinem solvi conspicerent, quædam percussionis vulnera incomprehensibili judicio Dei inflicta sibi arbitrati sunt, quæ communi dolore declamarent. Sed qui cecidisse alios conqueruntur, quo se consilio ad resistendum præparent, subdunt:

Ibidem. *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medio nostri, [a] & salvet nos de manu inimicorum nostrorum.*

Et de affectu ejusdem consilii protinus subinfertur:

Vers. 4. *Misit ergo populus in Silo, & tulit inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim.*

Varia Judæorum consil… Legem ant… quam nobis opponentium.

6. Hoc est certe consilium, hoc opus [b] Israelis contra certamen cadentium poculo, sed profecto consilium, & opus inauditum: quia non est Israelis secundum spiritum, sed Israelis secundum carnem: videlicet non [c] Deum videre videntis, sed Deum, quem despicit, se videre arbitrantis. Quid est enim ad Silo mittere, nisi ad Legem Moysi recurrere, cui a Domino dicitur: *Veni mittam te ad Pharaonem?* (Exod. 3. 10.) Quid est afferre arcam Domini, nisi veteris Legis sacramenta, ad reprobandam novæ fidei veritatem recolendo adducere? Et quia eamdem Legis scientiam suorum neminem ignorare patiuntur, in medium eorum arca adduci præcipitur. Quid est item, quod dicunt: *Et salvet nos de manu inimicorum nostrorum*: nisi quia dum pertinaciter defendunt vetera, repellunt nova, & hoc habent in fiducia salutis, si ad veræ fidei rationem bonorum prædicatorum studio trahi non possunt? Quia igitur veritatem divinæ cognitionis per veterem Legem habere se jactant, eamdem arcam, quam ad salvationem suam deferri præcipiunt, Domini exercituum esse confirmant. Et quia incomparabili scientia ejusdem Legis se pollere arbitrantur, dum arca deferri dicitur, Domini exercituum sedentis super Cherubim esse perhibetur.

Vers. 5. *Cumque arca venisset, omnis Israel grandi clamore vociferatus est.*

Contra Christianos inaniter garriunt.

7. Quia profecto de eo, quod carnaliter scientiam Legis accipiunt, in sanctæ Ecclesiæ exprobratione garriunt, sine ostensione rationis. Qui enim clamasse, & nihil dicuntur dixisse, hoc profecto exprimunt, quod agunt: quia dum loqui spiritualia carnaliter satagunt, clamorem quidem in garrulitate habent, sed rationem veritatis non habent. Voce quidem multa dicunt, sed sine ratione loquentes, sanctæ Ecclesiæ electis in nullo obsunt, & in semetipsa Synagoga loquens, inani devotione concutitur, quia ejus verbis sancta Ecclesia non movetur. Unde apte nimis terra tantum sonuisse relata est. Terra quippe Judæa nunc dicitur, non quia Deo fructificet, sed propter carnalitatem; quia nimirum, dum Redemtoris fidem recipere noluit, cælestem conversationem penitus amisit. Sed dum vociferatione sua concutitur, ea existimatione, qua semetipsam considerat, esse se terribilem sanctæ Ecclesiæ prædicatoribus exultat.

Vers. 6. *Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam est hæc vociferatio in castris Hebræorum.*

Eorum garrulitas & inanis conatus irridentur.

8. Terræ quippe sonitum, & castrorum vociferationem Philisthiim audiunt: quia ii, qui in sancta Ecclesia poculo sancti Spiritus refecti sunt, Judææ quidem & garrulitatem, & vanam perfidiæ devotionem cognoscunt. Et quia eorum æstimationem in contemtu derisionis habent, subditur:

Ibid. & Vers. 7. *Et cognoverunt, quod arca Domini venisset in castra, timueruntque Philisthiim dicentes: Venit Deus in castra, & ingemuerunt.*

Arca in castra Hebræorum venisse, & cadentes poculo timuisse, atque ingemuisse per ironiam dicitur: quia ad conflictum sanctæ Ecclesiæ, sacramenta Legis veteris a Synagogæ carnalibus defensoribus carnaliter exponuntur. De eo namque disputant, quod si secundum Dei spiritum saperent, hostibus suis, si quos haberent, in veritate terribiles esse potuissent. Dum ergo pertimuisse & ingemuisse cadentes poculo dicuntur, non passiones mentium in sanctis prædicatoribus Scriptura ostendit, sed subsannationem Judaicæ disputationis; quæ tanto contemtibilior, & risu dignior noscitur, quanto ad spiritalem conversationem Judaicus populus Legem a Domino spiritalem accepit, & hoc quod spiritu donante acceperat, in spiritu non attendit. Quare & ejusdem Judaicæ derisionis verba addentes dicunt:

Vers. 8. *Væ nobis, non fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius.*

Et quia abundantius deridendi sunt, subdentes dicunt:

Ibidem. *Quis nos liberabit de manu deorum istorum sublimium?*

9. Et

a Vatic. *& salvet nos de manu inimicorum nostrorum.*
b Gallic. Israelitis.
c Forsan legendum, *Deum videre volentis*; vel potius, *non Deum vere videntis, sed … se videre arbitrantis.*

De veteribus Patribus, a quorum fide recesserunt, frustra gloriantur.

Psal. 81. 6.

9. Et notandum, quia deorum appellatione deridentur, qui a fide veterum Patrum recedentes, se in veritate fidei existere, atque in filiorum Dei numero confidunt. In se quidem illa divinæ laudationis præconia prolata asserunt, quæ per Prophetam Dominus pronuntiat, dicens: *Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes.* Si itaque mendaci existimatione omnes Israelitæ secundum carnem nuncupative dii sunt, sublimes dii ejusdem Judaicæ existimationis mendacio sunt sapientes Judæorum. Et quia periti Synagogæ ad sanctæ Ecclesiæ conflictum veniunt, ipsi sanctorum prædicatorum voce deridentur, qui de ea, quam non habent, doctrinæ virtute gloriantur. Et quia de antiqua Patrum veterum conversationa superbiunt, verba subsannationum supponuntur.

Ibidem.

Hi sunt dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.

Amissa patrum virtutum successione, sunt ignobiles.

10. Ipsi namque essent, si nobilitatem, quam trahunt ex carnis origine, rectæ fidei virtutibus illustrarent. Nunc autem quia per carnis propaginem eorum sunt filii, quorum virtutes non habent, de amissa earumdem virtutum successione, per contraria verba deridentur: *Hi sunt*, inquiunt, *dii*. Quasi aperta derisione Judæorum sapientes, doctorum nostrorum ordo reprobet, dicens: Carne quidem magnorum virorum se filios esse gloriantur, sed eorum, de quorum generatione superbiunt, nobilitatem fidei non consequentur. Ipsi ergo sunt dii subsecutione generis, sed quia ipsi non sunt imitatione virtutis, cum ipsi esse dicuntur, qui virtute claruerunt, deridentur potius, quam laudantur. Et quia eorum assertiones sanctæ Ecclesiæ doctores pro nihilo ducunt, sequitur:

Vers. 9.

Confortamini, & estote viri, Philisthiim, ne serviatis Hebræis, sicut ipsi servierunt vobis.

Ab Ecclesiæ doctoribus quam contemti.

11. Contra Judæorum quippe vanas assertiones, sanctæ Ecclesiæ doctores eo nihil fortius noviter præparant, quo quidquid a Judæis de Redemtoris contemtu falso asseritur, pro nullo pensant. Contra eorum quippe congressionem confortarentur, & quasi virili fortitudine decertarent, si velut a sapientioribus, & rationabiliter disputantibus assertionis suæ munimenta infringi timuissent. Quasi enim dicat: Contra eorum objectiones eo robusta & acuta aliqua nobis exquirenda non sunt, quo ipsi nequaquam subtilia & timenda, sed debilia & contemnenda objiciunt. Sed, ut dixi, prædicatores sanctæ Ecclesiæ etsi contra Judæorum vaniloquia noviter nulla præparant, plana tamen, & humili veræ fidei nostræ ratione, quocumque modo defensorum Synagogæ impetum debellant. Unde & subdit:

Vers. 10, & 11.

Pugnavit ergo Philisthiim, & aversus est Israel, unusquisque in tabernaculum suum, & facta est plaga magna nimis, & arca Dei capta est. Duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni & Phinees.

Ab iis devicti, & in fugam versi.

12. Philisthiim, id est poculo cadentes pugnant, cum doctores sanctæ Ecclesiæ cum catholicæ fidei vexillo Judæis impugnantibus obviant. Israel autem avertitur: quia in omni disputatione, Judæorum versutia superatur. Averti enim ei, est ex pari virtute adversari non posse. Qui autem præliando avertitur, in prælio quidem est, sed fugiens, etsi virtute deficiens, nocendi tamen desiderium non amittens. Sic namque est omnis repulsus Israel. Fugit quippe, quia doctoribus sanctæ Ecclesiæ respondere non sufficit: sed fugiens vellet resistere, quia victus & confusus cuperet sibi suppetere, unde veritati, qua vincitur, refragari potuisset. Bene itaque cum aversus Israel dicitur, caute subjunctum est: *Unusquisque in tabernaculum suum.* Tabernaculum quippe uniuscujusque Israelitæ, est cor perfidiæ conclusione circumseptum. Quia igitur victi a sanctæ Ecclesiæ prædicatoribus, erroris sui latibula repetunt, singuli fugientes de prælio, in suum tabernaculum revertuntur. Et quia hoc totum de adimpletione verbi Samuelis, videlicet de Ecclesiæ primitivæ comminatione dicitur, plaga magna nimis facta fuisse perhibetur: quæ profecto plaga, pro lectoris arbitrio, & secundum spiritalem percussionem, & secundum materialem accipi convenienter potest.

Erroris sui latibula repetentium cor perfidia circumseptum.

Spiritualis eorum plaga.

13. Nam de spiritali eorum plaga, ad discipulos in prædicatione destinatos Dominus dicit: *Quicumque non receperint vos, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Hinc iterum dicit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Secundum materialem quoque percussionem plagam magnam insinuat, cum ad Jerusalem loquitur, dicens: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique & filios tuos, & ad terram prosternent te, & non relinquetur in te lapis super lapidem.* Hinc compatientibus sibi atque lugentibus mulieribus, ad passionis suæ dignationem proficiscens loquitur, dicens: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: quoniam ecce venient in te dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, et ubera, quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quibus profecto verbis ea, quæ Judæorum populo a Romanis principibus Vespasiano & Tito illata est, & mors, & captivitas designatur. Tunc quippe plaga magna facta fuit, quando cum internecione populi Judæorum civitas & capta extitit & eversa; quando pro ultione divini sanguinis, & hostili gladio populus corruit, & qui evadere ferrum potuit, pœnam sustinuit æternæ captivitatis. Quæ profecto plagæ immensitas, averso jam Israeli perhibetur: quia Judaicus populus ante fuit a sanctæ Ecclesiæ doctoribus & victus & reprobatus, quam a Romano exercitu expugnatus, peremtus, & in captivitatem ductus. Nam inde expugnari, occidi, & in captivitatem duci temporaliter potuit: quia æternæ libertatis securitatem oblatam sibi a sanctæ Ecclesiæ doctoribus non recepit. Sed & eadem plaga in Israelem veterem alta divinæ bonitatis dispensatione decernitur; ut arca Dei a Gentilibus caperetur, & divinorum sacramentorum intellectus, sanctæ Ecclesiæ fideles tanto securius sub spiritali explanatione perciperent, quanto in Judæa nihil remanere cernerent, quod carnaliter exhiberet. Volente namque Deo, civitatem, templum, arcam fœderis vetus populus perdidit; ut nova plebs sanctæ Ecclesiæ eo plenius veri & novi sacrificii mysterium recognoscat, quo apud Judæos novis apparentibus, vetera penitus defecisse considerat. Arca itaque Dei a Philistheis capta asseritur: quia destructo more veteris Scripturę sacramenta a Gentilibus secundum veritatem spiritus fideliter accipiuntur. Capit quippe arcam Dei, qui divinę cognitionis mysteria in sacro eloquio per verita-

Matth. 10. 14.

Marc. 16. 16.

Luc 19. v. 43. & 44.

Luc 23. v. 28. &c.

tem intelligentiæ, mentis devotione comprehendit. Sed capta arca, duo protinus Heli filii moriuntur: quia profecto & majoris ordinis sacerdotes, atque minoris, in officio immolationis veteris nusquam vivunt. Mori namque perhibentur, qui offerre sacra omnino desiere. Sequitur:

Vers. 12, 13. *Currens autem vir unus de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illo, scissa veste, & conspersus pulvere caput. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sella, spectans contra viam. Vir autem ille, postquam ingressus est, nuntiavit urbi, & ululavit omnis civitas.*

Fugiens perfidiam [illegible] Christiani [illegible].

14. Quid per virum istum exprimitur, qui de acie fugit, nisi ea pars Judaici populi, quæ ad Redemtoris cognitionem veniendo, Judaicam perfidiam dereliquit? Currere namque ei fuit, a pravitate erroris sui, devotionis velocitate desistere. Quis vero fortia agere in Redemtoris professione disposuit, vir fuit. Qui nimirum eo die, quo victus est, de prælio currit: quia ea fidei illuminatione, qua perfidiæ tenebras deseruit, ad prædicandum veritatem, quam noverat, accessit. Unde & in Silo venisse perhibetur, [a] quia ad prædicationem mittitur. Qui vestem scidit, quia veterem se hominem exuit: caput pulvere conspersit, quia de splendore novi hominis, quo se induit, nequaquam superbivit. Scissa namque vestis ad decorem sanctæ conversationis pertinet; conspersio pulveris, ad æstimationem humilitatis. Quia ergo sanctis prædicatoribus, nec vitæ munditia sine humilitate, nec humilitas sufficit sine sancta conversatione; vir, qui in doctorum typo ad annuntiandum Israelis interitum venit, & vestem scidit, & caput pulvere conspersit. Hoc namque pulvere caput conspersum portabat, qui Domino loquens, ait: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis?* Conspersso item capite loquebatur Propheta, cum supplicaret, dicens: *Memento Domine, quia pulvis sumus.* Vellem quoque sciderat, qui confitens, dixit: *Conscidisti saccum meum, præcinxisti me lætitia.*

Scissa veste & capite pulvere consperso.

Prædicatoribus [illegible] vitæ munditia [illegible] humilitas.

Gen. 18, 27.

Psal. 102. 14.

Psal. 29. 12.

[illegible] Doctorum superbia.

15. Sed cum ecclesiastici prædicatoris humilitas commendatur, pariter & superbia Judaici doctoris exprimitur: quia videlicet Heli super sella sedere perhibetur. In isto quippe loco Heli non Pontifices, sed Legisperitos Synagogæ insinuat. Quid est autem, quod sedet super sella, nisi quia superbe extollitur de doctrina? Et quid est, quod spectat contra viam, nisi quia dum superbe Scripturas accipit, ei, per quem ire ad æternam patriam debuit, contradicit? Via quippe salutis illa est, quæ semetipsam asserit, dicens: *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Non itaque viam, sed contra viam respicit: quia Redemtorem non cognoscit, cui contradicit. Et bene mortuis filiis, pater super sella sedere dicitur: quia qui veteri more sacrificent, Synagoga non habet, & tamen qui veteri more doceant, adhuc habet. Et quia per sapientes doctores ad ministerium erudiebantur, dum cessavit qui sacrificaret, & adhuc qui doceat remaneret, apte filii referuntur mortui, & pater super sella sedere: sed de ea, quam audivit, annuntiatione Redemtoris, multitudo Synagogæ non gaudium, sed mœrorem habuit. Unde & postquam vir de prælio venit, & captionem arcæ annuntiavit, ululasse omnis civitas dicitur. Quæ nimirum tristitia, quia usque ad doctores pervenit, sequitur:

Johan. 14. 6.

Vers. 14. *Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus hujus?*

16. Tumultus est vociferatio populi, sed confusa, cum videlicet sine disciplina audiendi, multis simul loquentibus, magnitudo fit murmuris sine ostensione rationis. Heli ergo cum ululatum civitatis audivit, dixit: *Quis est sonitus tumultus hujus?* Quia videlicet magisterium Synagogæ, subjectis sibi perfidis, de prædicatione Jesu Christi dolentibus, dum causam doloris audire voluit, non percepit responsionem rationabilem, sed confusionem querelæ. Ut autem excusationem ignorantiæ habere non posset, qui de circumcisione ad ministerium Ecclesiasticæ prædicationis accesserat, ei rei veritatem aperuit. Unde & subditur:

Eorum tumultus & vociferatio.

Ibidem. *At ille festinavit, & venit, & nuntiavit Heli.*

Sed quia idem Heli statim mortuus, annuntiationem suscepit viri venientis, qualis sit ipse audiens, subsequenter innotescit:

Vers. 15. *Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi ejus caligaverant, et videre non poterat.*

17. Perfectæ namque senectutis esset, si centenarium numerum annorum vivendo peregisset. Cui profecto numero, quia duo anni deesse conspiciuntur: quid est aliud, nisi quia perfectæ maturitatis existeret, si sacramentum geminum in Redemtoris nostri incarnatione cognovisset; videlicet veram divinitatem in humanitate ejus, & veram humanitatem in divinitate? Nunc autem, quia multa de Lege veteri, plurima de mandatis cælestibus recte intelligit, nonaginta & octo annorum est. Et dum Deum credit, & ex virgine nasci potuisse per carnem, & humanitatis ejus naturam suscipi abnegat in divinitate, centum annorum non est. Unde & audita viri relatione, juste moritur: quia sine fide Redemtoris ei bona quæ cognoscit, & alia nequaquam prosunt. Et quia alto & incomprehensibili judicio Dei cæcitas ignorantiæ ejus menti incutitur, caligasse, & videre non potuisse memoratur. Sequitur:

Quid ipsis ad veram fidem deesset.

Judæorum cæcitas.

Vers. 16. *Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio: ego qui de acie fugi hodie.*

18. Quasi in prælio se fuisse memorabat ille, qui dicebat: *Audistis conversationem meam aliquando in Judaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos, in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Sed de prælio venit, qui dicit: *Qui prius fui blasphemus & persecutor; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Fugere ergo de acie Judæo quid est aliud, quam a perfidorum errore separari? & de prælio venire, quid est, nisi rectæ fidei bonum aliis nuntiare? Fugere namque metuentis est; venire, volentis. Quo in loco, quia prius dicitur venire de prælio, quam ex acie fugere; cum prius deseratur perfidia, quam veritas prædicetur, mirum non est. Nam hoc, quod de acie se fugisse posterius dicit, non ad ordinem, quo factum est, dicitur, sed ad certitudinem verbi, quod præmisit. Quod etiam secundum historiæ ordinem demonstratur; quia nisi prius de acie fugisset, venire de prælio nequaquam potuisset.

Prius deserenda perfidia, quam prædicetur vera fides.

Gal. 1. v. 13. & 14.

1. Tim. 1. 13.

19. Nos autem, qui secundum spiritum spiritalia, etiam in rebus Judæorum carnaliter gestis inquirimus, illum virum, quem loquentem paulo superius introduximus, attendamus. Nam auditum est ab Ecclesia, quia is, qui quondam persequebatur, evangelizaret, sicut scriptum de eo jam evangelizante est: *Cum autem venisset Jerusalem, tentabat*

Quod ex historia conversionis Pauli demonstratur.

Act. 9. 26.

a Aliter, qui.

bat se jungere discipulis, & omnes timebant eum, A
non credentes, quia esset discipulus. Hinc item ad
Ananiam discipulum Dominus Damasci appa-
Ibid. v. 11. & 12. rens, ait: *Surgens vade in vicum, qui vocatur Re-*
ctus: & quære in domo Judæ Saulum nomine Tar-
sensem, & impone sibi manum, ut visum recipiat.
Qui nimirum confestim Domino respondit, di-
Ibid. v. 13. & 14. cens: *Domine audivi a multis, quanta mala san-*
ctis tuis fecerit in Jerusalem, & potestatem habet a
principibus sacerdotum, alligandi omnes qui invocant
nomen tuum. Cum ergo illum Judæis prædica-
bat, quem impugnare minis solebat & cædibus,
nimirum de prælio veniebat. Sed dum ei præ-
dicanti discipuli omnes se jungere timerent, de
acie eum fugisse dubitabant. De prælio quippe B
veniebat, cum a vocante Domino in terram
Ibid. v. 9. prostrato dictum fuerat: *Surge, & ingredere ci-*
vitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Sed
fugisse eum de acie, Ananias non credidit, qui
ea mala, quæ sanctis in Jerusalem fecerat, &
potestatem, quam acceperat, Domino præcipien-
ti intimavit. Ut ergo eum venisse de prælio, &
fugisse de acie veraciter demonstraret, eidem A-
Ibid. v. 15. naniæ Dominus præcipit, dicens: *Vade, quia vas*
electionis est mihi iste, ut portet nomen meum co-
ram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel. Et no-
tandum, quia eodie, quo hæc nuntiabat, se ve-
Johan. 12. 35. nisse de prælio, & fugisse de acie asserebat. In die
quippe fugiunt: quia attestante Veritate: *Qui in* C
tenebris est, nescit quo vadat. Hinc etiam scriptum
1. Thess. 5. 7. est: *Qui dormiunt, in nocte dormiunt: & qui ebrii*
sunt, in nocte ebrii sunt. Et quia in exemplo bea-
ti Apostoli Pauli, virum de acie fugientem vide-
re cœpimus, hoc quod in die fugiat, attendamus.
Nam nox erat quando aciem contra sanctam Ec-
clesiam construebat, quando acceptis epistolis a
Act. 9. v. 1. & 2. principibus sacerdotum ad Damascum, minarum
& cædis spirans in discipulos, festinabat. Sed qui
in nocte bellum paravit, in die fugit: quia in iti-
nere lux de cælo eum subito circumfulsit, in ter-
ramque prostravit, ineffabili pavore terruit, ut
tenebras immensi erroris agnosceret, & pro ea,
quam expugnabat nocte Ecclesia, in diei lumine di- D
micaret. In die igitur fugit, quem ut perfidiæ no-
ctem desereret, de cælo ostensa Redemtoris clari-
tas circumfulsit. Quid est ergo quod eo die se fate-
tur venire de prælio, quo de acie fugerit, nisi quia
rectæ prædicationis intentio designatur? Quidam
namque eo die de acie fugiunt, sed alio veniunt
de prælio: quia errores pristinos amore æternæ vi-
tæ derelinquunt: sed cum ad prædicationis mini-
sterium assumuntur, de sua prædicationis facun-
dia, temporales retributiones appetunt. Alio igi-
tur die, quam eo quo fugerant, veniunt: quia
nimirum recti sunt conversatione, sed prædica-
tionis intentione perversi. Sancti ergo prædica-
tores, qui per Redemtoris nostri gratiam de E
circumcisione crediderunt, non alio die, sed eo
quo de acie fugerant, de prælio venerunt: quia
profecto utrumque donum in superni amoris
splendore consecuti sunt, veritatem scilicet con-
versationis, cum prædicatione verbi. Et quia
Judaicum magisterium, etsi non intentione co-
gnoscendæ veritatis, curiositatis tamen sollici-
tudine sanctorum prædicatorum assertiones au-
dire voluit, sequitur:
Ibid. 16. *Cui ille ait: Quid actum est, fili mi?*
Jud. doctores non cognoscendæ veritatis studio, sed curiositate tenebantur. 20. Sub unius quippe descriptione, omnibus lo-
quitur, quia Gentis suæ homines vidit, quos ali-
quando doctrina Legis instruxit. Vel fortasse filium
vocavit, non affectu amoris, sed adulatione calli-
ditatis: ut eo hunc facilius per deceptionem cape-
ret, quo se eum paterno affectu diligere demon-
straret. Eum itaque filium vocat, a quo quid
actum fuerit, scire appetit: ut profecto ille pro
impenso honore adulationis, seriem perverteret
veritatis. Honor igitur appellationis non ad amo-
rem refertur, sed ad calliditatem. Sed qui præ-
latæ laudis favorem respuit, constanter vera pa-
tefecit. Unde & subditur:
Respondens autem qui nuntiabat: Fugit, inquit, Vers. 17.
Israel coram Philisthiim, & ruina magna facta est
in populo. Insuper & duo filii tui mortui sunt, Ophni,
& Phinees. Et arca Dei capta est.
21. Hoc namque vir fugiens nuntiavit, quod Quid Judæos docuerit Paulus.
experientia didicit. Quid est igitur, quod fu-
gisse Israelem asserit, nisi quia constanter affir-
mas, quod dum Judaicus populus Legis sensum
carnaliter retinet, spiritalibus sanctæ Ecclesiæ do-
ctoribus resistere disputando non potest? Et quid
est, quod magnam ruinam factam fuisse in po-
pulo prædicat, nisi quia omnes, qui de Judai-
co populo verbum fidei repulerunt, æterna mor-
te periisse confirmat? Et quid est quod duo
Heli filii mortui referuntur, nisi quia uterque
ordo veteris sacerdotii defecisse asseritur? Et quid
est, quod arcam Dei captam fuisse dicit, nisi
quia cognitionem divinorum sacramentorum a
Judæis ablatam, atque a Gentibus fideliter ap-
prehensam asserit? quia a Gentibus jam, Dei
gratia vocante, fidelibus divina mysteria cognos-
cuntur. Sequitur:
Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit Heli Vers. 18.
de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervici-
bus, mortuus est.
22. Quid est, quod Heli audita Israelis fuga, Apprehensa a Christianis Jud. sacramentorum scientia, Judæi cadunt & corruunt.
relata sibi ruina populi, intimata filiorum morte,
de sella nequaquam cadit: cognita autem arcæ
captione, & de sella cadit, & vitam perdit? Sed quia
in Heli sapientes Judæorum, & legisperitos desi-
gnari diximus, audita Israelis fuga, de sella non ce-
cidit: quia quod simplices Synagogæ filii, a san-
ctæ Ecclesiæ doctoribus in prædicatione superen-
tur, pro parvo ducit. Non cadit relata sibi rui-
na populi: quia dum perire audit eos, qui in
Judaismo moriuntur, nequaquam expavescit.
Intimata filiorum morte non cadit: quia & o-
bjecta sibi sacerdotii utriusque cessatione, super-
bire non desinit. Illata autem sibi arcæ captio-
ne cadit: quia dum sacramenta Scripturæ suæ
profunde & spiritualiter sciri a sanctæ Ecclesiæ
prædicatoribus & fidelibus videt, de ea, quam
carnaliter tantum intelligit, sacri eloquii eru-
ditione superbire non audet. De sella igitur ca-
dit: quia spiritali cognito, superbire de carna-
li magisterio non præsumit. Sed quia vera præ-
dicari sublimiter audit, & nequaquam credit,
dum confunditur, & non salvatur, cadit & mo-
ritur. Cadit quippe de sella, quia extolli desi-
nit de doctrina. Sed cadens moritur, quia si ra-
tione vincitur, ejusdem tamen rationis judicio,
pervenire ad æterna gaudia non meretur.
23. Qua in re notandum est, quia qui cadens Corruentes in Christum impingunt.
moritur, juxta ostium cadit. Quid est enim quod
cadit juxta ostium, nisi quia dum cæcus errat, im-
pingit in Redemtorem? Qui nimirum de semet-
ipso asserit, dicens: *Qui ceciderit super lapidem istum,* Matt. 21. 44.
confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum.
Ipse quoque de semetipso ait: *Ego sum ostium: per* Johan. 10. 9.
me si quis introierit, salvabitur, & egredietur, et
regredietur, et pascua inveniet. Juxta ostium ergo
mortuus est Heli, quia Synagogæ magisterium id-

circo perist, quia in Redemtorem offendit. Ibi enim cecidit, ubi deliquit. Qui etiam cadens, cervices fregit. In cervice tumor temporalis potentiæ designatur. Fracta ergo cervice moritur, qui presidiæ magnitudine, amissa regni potentia, condemnatur.

Sacræ Scripturæ littera ipsum est ostendiculum.

24. Potest quoque per ostium, sacræ Scripturæ littera designari. Nam velut per ostium ad æterni templi atria ducimur, dum per sacri eloquii litteram, ad allegoricam & spiritualem intelligentiam sublevamur. Intus quoque rex cernitur: quia promissus Redemtor humani generis, in spirituali sacræ Scripturę intelligentia invenitur. Heli ergo juxta ostium mortuus cecidit; quia profecto Synagogę magisterium idcirco interiit, quia per spiritalem Scripturam eum qui in spiritu promissus fuerat Redemtorem humani generis, non spiritaliter sed carnaliter quęsivit. Juxta ostium namque mortuus est: quia de eo interiit, quod spiritalem Redemtoris promissionem, non secundum intelligentiam spiritalem, sed secundum simplicem locutionem historiæ intellexit. Et quia per doctrinę suæ studium multo tempore, Judęę, non amore bona operanti, sed timore a malo declinanti, pręfuit, sequitur;

Vers. 18.

Senex enim erat, & grandævus: & ipse judicavit Israel quadraginta annis.

Lex vetus, timoris non amoris.

25. Senex etenim fuit, & grandęvus diuturnitate temporum. Quadraginta vero annis pręfuit, per timorem legalium mandatorum. Quadragenarius quippe numerus ad peccatores pertinet. Unde & Quadragesimę tempus in sancta Ecclesia eodem dierum numero consecratum est, ut videlicet ea, quę committimus, peccata tergere pœnitendo studeamus. Quadragenarius quippe numerus ex denario & quaternario conficimatur. Et quia peccando, Decalogum divinæ Legis transgredimur, ipsam vero peccandi facultatem ex ea, qua consistimus, quatuor elementorum compactione contrahimus: sub numero quadragenario, quamdiu in peccato existimus, continemur. Heli ergo quadraginta annis Israelem judicavit; quia Synagogæ magisterium, & austeram Legis disciplinam ad timorem subjectæ plebis exhibuit: ut materiam humanę conditionis per concupiscentiam fragilem, in statu justitiæ per timorem retineret. Sed jam mortuus est Heli, jam fractis cervicibus juxta ostium jacet, sed tamen pravæ doctrinæ ejus virus in semine remanet. Jam quippe, qui non credit de Judæorum sapientibus, judicatus est: sed quia in ejus instructione pravitatis semina mentes concipiunt; qui ejus doctrina filii nascuntur, perfidiæ ejus væsaniam non relinquunt. Quare & subditur:

Vers. 19. & 20.

Nurus autem ejus uxor Phinees prægnans erat, vicinaque partui: quæ, audito nuntio, quia capta esset arca, & mortuus socer suus, & vir suus, incurvavit se, & peperit. Irruerunt enim in eam dolores subiti. In ipso autem momento mortis ejus dixerunt ei, quæ stabant juxta eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit, neque animadvertit.

Synagogæ infelix partus.

26. Quæ autem fuit nurus Heli, nisi plebs Judæorum, reprobis sacerdotibus subjecta? Quæ quia per eorum prædicationem semina perfidiæ in mente susceperat, prægnans erat. Et quia conceptam malitiam ipsa quoque cogitabat effundere, non solum prægnans fuisse dicitur, sed etiam partui vicina. Quid est autem, quod audita arcæ captione, & soceri atque viri sui morte, peperisse dicitur, nisi quia Judaicæ plebis residuum, dum spiritalia sacramenta Scripturarum, ad Gentium eruditionem transisse cognoscit, dum sapientes Synagogæ cum utroque sacerdotio interisse jam conspicit, ea quæ concepit, hæresis suæ semina, loquendo effundere non desistit? Parere autem ei, est conceptam pravitatem loquendo aliis aperire. Et quia reproba prædicat, dum parere asseritur, incurvata memoratur. Velut enim non se curvantes pariunt, qui cælestia loquuntur: quia in statu fidei auditorum suorum corda ad studium erigunt bonæ operationis. Quæ igitur prava asserit, incurvata parit: quia profecto hoc sibi loquendo agitur, ut quo attentius loquitur, in damnationis suæ barathro profundius deponatur. Recte igitur dum ad partum incurvatur, mori dicitur. Pariens namque moritur, quia in blasphemiæ suæ merito condemnatur. Et quia mortis suæ tormenta non prævidet, subiti dolores in eam irruere dicuntur. Subiti namque dolores sunt repentinæ afflictiones mortis sine prævisione venientis. Subito enim dolores irrunt, cum Judaicæ plebi suppliciorum perennium retributiones obviant: quæ nunc in contemtu veritatis posita, non formidat. Quia enim pro paternarum traditionum observatione, ad æternam vitam moriendo se transire æstimat, in subitos dolores tunc corruit, cum sustinere tormenta inchoat, quæ non speravit. Et notandum, quia de moriente dicitur: *Irruerunt in eam dolores subiti*: quia videlicet dum per carnis molestias ad exitum vitæ cogitur, tunc flagella dolorum irruere in eam temporaliter incipiunt, quibus ejus impietas æterna vindicta puniatur; & quia vicino exitu reprobæ Judæorum mentes se alterutrum ad perfidiam cohortantur. In ipso autem momento mortis ejus, dixerunt ei, quæ stabant juxta eam: *Ne timeas, quia filium peperisti.* Filium quippe peperit: quia durum in nequitia, & insuperabilem populum erudivit. Quæ autem mulieres juxta stant, nisi mentes æquali ordine impietatis adstrictæ? Stant quippe non veritate & rectitudine fidei, sed præsumtione & jactantia religionis. Idcirco eam, ne timeat, cohortantur, quia filium perperit: ut videlicet tanto securius in veteri traditione mori non timeat, quanto illos etiam in ea obduratos & inconvertibiles aspicit, quos suo magisterio eruditos cognoscit. Sed dum in se abundantius dolore compellitur, pro nihilo ducit, quidquid alii sua eruditione profecerunt, unde & subditur: *Quæ non respondit, neque animadvertit.* Nam dum æterni doloris experiri amaritudinem inchoat, hoc, quod temporaliter aliis præfuit, non delectat. Vel certe idcirco de nato puero non lætatur: quia is, qui gignitur sua institutione, in captivitate conspicitur. Unde & subditur:

Ad partum incurvata doloribus enecatur.

Vers. 21. & 22.

Et vocavit puerum Hichaboth, dicens; Translata est gloria Domini, quia capta est arca Dei.

Israel gloria non perit, sed ad Ecclesiam translata est.

27. Arca quidem capitur: quia jam, auctore Deo, a veris fidelibus, sanctæ Scripturæ sacramenta, veræ intelligentię capacitate retinentur. Et gloria Israel translata est: quia postquam a vera religione cecidit, redolere per bonæ famę opinionem cessavit. Bene autem non perire Israel gloria dicitur, sed transferri; quia religionis fama, quam perdidit, ad Gentilitatem transivit. Translata quippe est gloria; quia in sancta Ecclesia verę religionis fragrantia redolet, quę in fide Redemtoris posita, pro ęterni splendoris certitudine, quem expectat, donum sancti Spiritus pignus tenet. Idcirco de nato filio lętari refugit: quia profecto dum

ad

ad Gentes transisse præteritam gloriam conspicit, A ad captivitatem se parere ingemiscit. A translatione etiam gloriæ filium nominat; quia profecto impietatem, in qua permanet, quasi prælato nomine perpetuo repræsentat. Potest autem per hoc, quod a matre ei nomen imponitur, aperte intelligi quod videmus. Ex ea enim nomen suscepit, a qua ei meritum impietatis venit, Sequitur:

CAPUT III.

1. Reg. 5. Verf. 1. 2. & 3.

Philisthiim autem tulerunt arcam, & asportaverunt a Lapide Adjutorii in Azotum. Tulerunt Philisthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & surrexerunt Azotii altera die, & invenerunt Dagon jacentem ante arcam, pronum in terra. B

Arca Dei templis idolorum illata, quando fides Gentilium mentibus inserta est.

2. Quid est, quod arca a Lapide Adjutorii asportatur, nisi quia præcones veritatis ab eo, quem Judæi falsa opinione expectant, Christo mysteria Scripturarum auferunt? Dum enim ad veri Redemtoris cognitionem, sanctæ Scripturæ testimonia convertunt, ab eo nimirum, in quem sui auxilii spem Judæi posuerant, arcam tollunt. Et quia Gentibus fidei mysteria creduntur, arca Dei in Azotum perducitur. Quæ profecto arca in templum infertur. Quid ergo fuit templum Dagon, nisi unaquæque anima infidelis, quondam idololatriæ superstitione polluta? Quid simulacrum Dagon, nisi totius idololatriæ superstitionem designat? Quid igitur erat aliud, mysteria fidei cordibus Gentilium intimare, quam arcam Dei in C templum Dagon inferri. Velut enim juxta Dagon statuebatur arca, dum prædicatores sanctæ Ecclesiæ Gentiles admoneret, ut ad probandam fidei veritatem & prædicationem, quam audiebant, & idololatriæ, quam tenebant, errores discuterent.

Prædicationis & fidei progressus in eorum cordibus.

Bene itaque die alia Dagon pronum in terra ante arcam jacentem Azotii repererunt. Unam quippe diem Azotus habuit, in audita prædicatione veritatis, alteram in cognitionem fidei. Primo namque die arca Dei juxta Dagon statuitur, quia in audita prædicatione Redemtoris, erroris vetusti tenebras deprehendunt. Altera vero die surgentes, pronum in terra ante arcam jacentem Dagon invenerunt: quia & in cognitione veritatis statum idololatria perdidit. Unde & bene cum lapsus Dagon asseritur, jacere pronus in terra memoratur. D Ante arcam quidem cadit, quia ex mysteriorum divinorum scientia innotescit. Sed pronus in terra jacet, quia, auctore jam Deo, ad aspectum fidelium simulatæ rationis imaginem non habet. Qui enim pronus in terra jacet, faciem in terra deprimit. Per faciem vero simulacri, simulatio exprimitur rationis. Pronum itaque in terra jacere, est jam vera cognoscentibus, simulationis suæ fraudibus illudere nequaquam posse. Sed tamen, ut certius Gentiles vera cognoscerent, eamdem fidei nostræ auditam rationem, & superstitionis suæ vetustam consuetudinem magis ac magis discutere conati sunt. Apte itaque sequitur:

Verf. 3.

Tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. E

Præcedit probatio, cognitio successit: sequitur certitudo & fidei professio.

2. Idest, in templo, ubi arca Dei posita fuerat. Quid est ergo Dagon in locum suum restituere, nisi juxta jam cognitam spiritualium sacramentorum veritatem, idololatriæ statum subtili consideratione perquirere? Et quia quo subtilius idololatriæ error aspicitur, verius condemnatur, subjunctum est:

Verf. 4.

Rursusque diluculo surgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam coram arca Domini.

Diluculo iterum surgunt: quia ad amorem auditæ bonitatis jam certitudine deliberationis se erigunt. Primus itaque dies probationis est, sequens cognitionis, tertius vero deliberatæ jam certitudinis, & oblatæ professionis. Qui profecto dies, quia illuminatis conversorum mentibus, in splendore perfectæ & consummatæ fidei illuxit, sequitur:

Ibidem.

Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen. Porro Dagon truncus remanserat in loco suo.

Hinc idololatriæ caput & brachia conteruntur.

3. Quid enim Dagon, idest idololatriæ caput, est aliud, nisi ipsum initium omnis iniquitatis diabolus? Et quæ sunt palmæ manuum ejus, nisi universa opera idololatriæ? Caput itaque Dagon amisit: quia per idolorum culturam regnare maligni spiritus in corde Gentilium desinunt. Palmæ etiam manuum ejus abscissæ sunt, quia idolis vanis sacrificia nusquam offeruntur. Et quia a cunctis fidelibus ejus deformitas ubique conspicitur, truncus Dagon in loco suo remansisse memoratur. Caput vero & manus abscissæ, & super limen positæ memorantur: quia profecto quisquis ad veram fidem ingreditur, principia diabolicæ suasionis repellere, atque universis ejusdem satanæ operibus renuntiare præcipitur. Posita ergo hæc sunt in limine, ut ab introeuntibus conculcentur: quia vere fidelis esse non poterit, qui & pravis maligni spiritus consiliis adversari, atque iniquis operibus non proponit. Nam qui Dagon caput atterere, & manus vitat, etsi fidelium numero contineri videtur, idololatra quodam modo esse convincitur. In oblectatione etenim dæmonum non solum exteriora sacrificia, sed etiam iniqua desideria ab eorum cultoribus offeruntur. Qui ergo in veræ fidei cognitione receptus est, & ab immundis desideriis & pravis operibus non remotus, quia Dagon collidere caput & manus despicit, maligno spiritui, quem in oblatione cærimoniarum despicit, per internæ concupiscentiæ, & exterioris vitæ immunditiam, oblationem facit. Quare & subditur:

Verf. 5.

Propter hoc non calcant sacerdotes Dagon super limen usque in hodiernum diem.

Hæc calcare quod sacerdotes Dagon refugiunt, docentur Christiani.

4. Sacerdotes quippe Dagon se esse insinuant, qui super limen non calcant. Quibus in verbis caute inspiciendum est, quia non dixit, limen, sed super limen, ut caput & manus Dagon calcanda esse doceantur, quæ super limen abscissa esse referuntur. Idcirco autem Sacerdotes super limen non calcant, quia abscissas ejus manus & caput pede conterere vitant. Sacerdotes namque Dagon usque in hodiernum diem remanent: quia qui per immunda desideria antiquo hosti sacrificent, adhuc sunt. Qui profecto super templi limen calcare refugiunt: quia nec immundis suggestionibus, nec malis operibus resistunt. Dagon itaque sacerdotes sunt, quia etsi manufactis se idolis non humiliant, concupiscentiarum tamen simulacris per nefaria opera se incurvant. Sequitur:

Verf. 6.

Aggravata est manus Domini super Azotios.

Aggravata Dei manus super Gentiles, eorum conversionem operata est.

5. Manus Domini est virtus divinæ potestatis. Et quia in Azotiis primordia gentilitatis designata sunt, quid est quod manus Domini super Azotios aggravata perhibetur? Sed manum super Azotum aggravavit, cum Gentilium corda virtute suæ potentiæ ad conversionem movit. Nam dum per internam aspirationem eis vim æternæ mortis innotuit, de perpetratis iniquitatibus, Gentium mentes mirabili terrore percussit. Quia ergo dum manus Domini agravata dicitur, interfici Azotii perhi-

bentur, gravedo hęc manus accipitur in multiplicatione conversorum. Nam mori Gentilibus fuit, ab infidelitate separari. Manu quoque Domini occidi, est eamdem veræ fidei cognitionem non ministerio hominum, sed divina virtute promereri. Levis itaque erat manus Domini super Azotum, cum adhuc per paucos ministros fidei pauci errorem deserent gentilitatis. Unde & quasi de aggravatione manus orare verbi ministros Dominus admonet, dicens: *Messis quidem multa est, operarii autem pauci: rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Quasi aliter dicat: Qui per paucos ministros, velut levi manu paucos ab infidelitate separat, rogate ut ministros multiplicet, ut quasi in conversorum multitudine manum gravet. Sed & modus interfectionis exponitur: quia quisquis mori hac interfectione dicitur, dum ad purgandum ventrem exiret, in secretiori parte natium morderi a muribus perhibetur. Ad litteram una percussio hic ostenditur, sed in typica expositione geminatur. Nam per litteræ significationem, & gravationem manus Domini, & murium morsus ad ejusdem mortis effectum pertinet: quia ad hoc dicitur manus Domini super Azotios aggravari, quod per murium morsus interfici.

Matth. 9. 37.

6. Quia vero per spiritalem significationem duas mortes agnovimus, unam videlicet, qua peccatores justitiæ peccando moriuntur: alteram, qua justi a peccatis, in quibus vixerunt, pœnitendo se erigunt: unam, quæ ad humana corda, diabolo suadente, ingreditur: alteram, quam omnipotentis Dei virtus operatur: necesse est ergo, ut utramque mortem in hoc loco spiritualiter attendamus. Mors quidem, qua peccatores a peccatis pœnitendo resurgunt, designatur, quia dicit: *Aggravata est super Azotios manus Domini*: Illa autem mors, qua Gentiles se immunditiæ, & iniquitati servos exgibuerunt, designatur, cum morderi a muribus, & interfici dicuntur. Mus quippe immundum est animal, & per Legem edi prohibitum. Quid ergo per mures, nisi dęmonia designantur? Et quid est morderi a muribus, nisi peccati pœna lacerari? Sed mordebantur a muribus, cum ad purgandum ventrem egrediebantur. Quid est ergo purgare ventrem, nisi expletione peccati, miserę famæ fœtorem proferre? Qui ergo ad purgandum ventrem egreditur, murium morsu perimitur: quia qui peccando ad aliorum notitiam per exemplum pravitatis extenditur, ad æternam quoque mortem gravi dæmonum obligatione retinetur. In secretiori enim parte natium percussi perhibentur: quia peccator quisque ex ea parte vulnus accipit animæ, quam incurvat ad peccati delectationem. Cum ergo manus Domini super Azotum aggravatur, a muribus percussus asseritur: quia prædicantibus ęternæ vitæ doctoribus dum ab infidelitate Gentiles conversi sunt, qua peccatorum morte, suasione dæmonum, obligati essent, cognoverunt. Morderi igitur Azotiis post aggravatam manum Domini, est post veræ fidei cognitionem, dæmonibus non subjici, sed quibus se peccati fœtoribus pœnæ mortis obtulerant, per fidei illuminationem intueri. Quasi enim tunc morsi sunt, quando peccatorum suorum morsus agnoverunt. Sequitur:

Duplex mors, una qua justitiæ per peccatum morimur; altera qua peccato per pœnitentiam.

Levit. 11. 29.

Quid sit peccati consc. i... mor. ders.

Vers. 7.

Videntes autem viri Azoti hujuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei apud nos, quoniam dura est manus ejus super nos, & super Dagon deum nostrum.

7. Nam cum cernerent templa destrui, sacrificia cessare, uxores a viris & viros ab uxoribus dividi, a genitoribus filios & patres a filiis separari; quid aliud, quam & super se, & super superstitionem suam, manum Domini duram esse putaverunt? Sed quid deinde factum fuerit, sequitur:

Prædicationis Evangelii stupendi effectus.

Vers. 8.

Et mittentes congregaverunt omnes Satrapas Philisthinorum, responderuntque Gethæi: Circumducatur arca Dei.

8. Quia Satrapas Philisthinorum congregaverunt, dicitur: quare autem congregaverunt, non dicitur. Sed quia respondisse Satrapæ dicuntur, & circumducendæ arcæ consilium tribuisse: quia ad tribuendum pro eadem arca consilium vocati essent, aperte cognoscitur. Qui ergo sunt Satrapæ Philisthinorum, nisi electi prędicatores Gentilium? Satrapę quidem principes dicuntur. De quibus profecto principibus per Psalmistam dicitur: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham*. Populorum namque appellatione Gentes designantur. Qui ergo populorum nomen & principum posuit, nimirum eos, de quibus loquitur, Philisthinorum Satrapas designavit. Qui certe populorum principes cum Abraham Deo convenerunt, quando ad salutem convertendarum Gentium, hoc prædicatores sonuerunt verbo, quod omnipotens Deus interno eis aspirabat desiderio. Quasi enim in auditorum Gentilium cordibus mira erat convenientia Dei & principum, cum simul & a sanctis prædicatoribus rationem rectæ prædicationis acciperent, atque a Domino fructum bonæ voluntatis. Et quia adversarii esse cognoscuntur, qui dixerant: *Non maneat arca Dei apud nos*: quomodo principes mittentes congregant? Sed mittere, & principes congregare, est sanctorum predicatorum mentes ad prædicationis instantiam provocare: quia illic erat attentius prædicandum, ubi Gentilium corda in errore profundius mergebantur. Hinc est quod egregius doctor nobiliorem de indomitis hostibus se elegisse victoriam gloriatur, dicens: *Ab Jerusalem usque Illyricum per circuitum replevi Evangelium Christi: sic autem hoc prædicavi Evangelium, non ubi de eo annuntiatum fuerat, ne super alienum fundamentum ædificarem*. Provocati ergo sunt principes non desiderio, sed errore infidelium, cum inde Deo lucrum majus facere arbitrati sunt, unde caligo errorum per flatum superbię sublimius ferebatur. Quare & sanctę prædicationis instantia designatur, cum subditur: *Responderuntque Gethæi: Circumducatur arca Dei*. Illi dicunt: *Non maneat arca Dei apud nos*: & isti dicunt: *Circumducatur*. Quid est enim arcam Dei circumducere, nisi veræ fidei mysteria publice prædicare? Manet enim arca apud eos, qui veræ fidei sacramenta, quæ audiunt, per amorem amplectuntur. Qui autem, *Non maneat apud nos arca*, dicunt, prędicationem fidei a se averti concupiscunt. Satrapæ ergo e contrario dicunt: *Circumducatur arca Dei*; quia illis attentius divina prædicabant, quos ad odium veritatis gravis error accenderat. Et quia per sanctorum prædicatorum ministeria etiam talium magna lucra regnis cælestibus illata sunt, sequitur.

Arca apud Philisthæos circumducta Evangelium apud Gentiles prædicandum & circumferendum signabat.

Psal. 45. 10

Rom. 15. 19. 20.

Vers. 9.

Illis autem circumducentibus eam fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis, & percutiebat uniuscujusque urbis a parvo, usque ad majorem, & computrescebant prominentes extales eorum.

9. Arca quippe circumducitur, cum mysteria fidei palam & sine timore prædicantur. Et quia inter initia fidei innumeri convertebantur, interfectio

Gentilium conversio, eorum interfectio & percussio fuit.

ctio

ctio magna nimis per civitates singulas facta perhibetur. Item quie non solum simplices, sed sapientes conversi sunt: eadem interfectio a parvo usque ad majorem facta asseritur. Sed per eamdem percussionem computrescere extales referuntur. Extales quippe putrescere, est peccati meatus ab effusione consueti fœtoris penitus interire. Bene namque percussus est, cujus prominentes extales computrescunt: quia nimirum nonnulli sunt, qui post munditiam conversionis, pristina involvuntur sorde flagitii. Horum profecto prominentes extales minime computrescunt, quia ad consuetum peccatorum fluxum per iniqua opera recurvantur. Hos nimirum ab imperfecta percussione male senos ille redarguit, qui ad fœtores pristinos devolutos insinuat, *Canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti*. Quasi enim ad computrescendum extales percutiebat ille, qui verbi gladium ingerens, ait: *Non regenet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*.

Prov. 26. 11. & 2 Pet. 2. 22

Rom. 6. 12.

10. Potest autem per hoc, quod Azotii dicunt: *Non maneat arca apud nos*, eorum, qui de eisdem Gentibus & verbum fidei audierunt, & ad æternam vitam minime prædestiueti credere noluerunt, perversitas designari. Circumducere ergo arcam Dei Satrapis fuit, sanctis prædicatoribus ejus verbum veritatis subtrahere, atque illis, qui digni erant, mysteria fidei revelare. Circumducta ergo est arca: quia fidei nostræ sacramenta ab aliorum notitia sublata sunt, atque aliis revelata. Unde & cum circumduceretur, interfectio magna nimis per singulas civitates fieri perhibetur: quia ubicumque verbum ducebant fidei, gratia multiplicabatur conversionis. Et quia ubicumque prædicabant, inter eos, qui credebant, erant qui prædestinati ad æternam vitam non erant, sequitur:

Eorum qui verbum fidei audierunt & non crediderunt perversitas & reprobatio.

Miserunt arcam Dei in Accaron. Cum venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes: Miserunt ad nos arcam Dei, ut interficiat nos, & populum nostrum. Miserunt ergo & congregaverunt omnes Satrapas Philisthinorum: qui dixerunt: Dimitte arcam Domini in locum suum.

Vers. 10. & 11.

11. Satrapæ, ut diximus, sancti prædicatores intelliguntur: Accaronitæ, qui interpretantur steriles, Gentiles designant inconvertibiles. Qui nimirum prædicatores dimittendæ arcæ consilium tribuerunt; ut si salutem suam de divine prædicatione recusarent, fidelibus ad æternam patriam cum sacramentis fidei tendentibus, non obsisterent. Locus namque arcæ divinorum videlicet sacramentorum ibi esse cognoscitur, ubi quidquid de omnipotente Deo nunc per Scripturarum mysterium dicitur, aperta postmodum nobis cognitione revelatur. Proprium quippe arcæ locum cognoverat, qui dicebat: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*. Consilium itaque Satraparum fuit, in locum suum reverti arcam Dei permitterent: ut videlicet, qui de verbi prædicatione nullum fidei fructum ferebant, eam saltem illis dimitterent, qui ex ea fructum sibi in æternitate præpararent. Bene igitur, qui remittendæ arcæ consilium accipiunt, Accaronitę nominantur. Accaronitæ quippe interpretantur steriles. Quia enim de audita fidei veritete, nullum credulitatis, aut boni operis fructum dederant, steriles erant. Tollendæ ergo arcæ principi consilium præbuerunt, sed a sterilibus; ut videlicet verbi Dei semen, quod in pessima terra germinare non poterat, terræ optimæ servaretur, quæ de hoc labore hyemis, in perenni vita fructum centesimum proferret æstatis. Et causam protinus relaxandæ arcæ ostendunt, cum prędicatores subdunt:

His credere nolentibus, alii fidem receperunt.

1 Cor. 13. 12.

Ne interficiat nos, cum populo nostro.

Vers. 11.

12. Accaronitæ clamaverunt: *Miserunt arcam Dei ad nos, ut interficiat nos, et populum nostrum*. Satrapæ consilium tribuunt, dicentes: *Dimittite arcam Dei Israel, ut non interficiat nos cum populo nostro*. Quis est populus, de quo Satrapæ, idest principes, dicunt: *Et non interficiat nos cum populo nostro?* Quis est populus, nisi populus Christianus? Dicunt ergo principes, *Dimitte arcam Dei Israel, ut revertatur in locum suum*. Quasi dicat hoc: Unde vos mori pertimescitis, nobis ad æternæ vitæ meritum exercere non prohibeatis. Sed quod addunt: *Ut non interficiat nos cum populo nostro*, Gentilium quidem reproborum corda in errore suo per hanc responsionem confunduntur, dum inde se isti affirmerent mortem evadere, unde illi trepidarent mori. Arcam quoque Dei sancti prædicatores auferunt: quia dum contemtoribus spiritalia panduntur, ad damnationem indiscreti prædicatoris agitur, si eadem divina mysteria, non imitanda perfidis, sed irridenda, & conculcanda b deferantur. Nam quasi transferendæ arcæ non tam Satrapæ, quam Satraparum Dominus præceptum ponebat, dicens: *Nolite sanctum dare canibus, neque ponatis margaritas ante porcos, ne conversi conculcent eas pedibus suis*. Hinc iterum dicit: *Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Arcam itaque, ne moriantur, auferunt: quia contemtoribus idcirco spiritualia abscondunt, ne de eorum contemtu ii qui temere ea proferunt, ex indiscretione puniantur. Sed quia Accaronitis arca pręcipitur dimitti, hoc profecto insinuat, quod pręmisi: quia tempore persecutionis sanctorum prędicatorum exhortatio facta est, ut ipsi crederent; aliquando autem, ut si ipsi vitę verbum non reciperent, illud recipientibus non obstarent: & si ipsi tormentorum metu, salutis viam non arriperent, eis impedimento non essent, qui ad regna cęlestia festinare nec minis, nec pœnis destitissent. Sequitur:

Sterili terræ semen verbi non mandandum, sed uberi, ac optimæ.

Matt. 7. 6.

Ibid. 10. 23.

Fiebat enim timor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Domini.

Vers. 12.

Hoc quidem de exteriore persecutione qualiter accipiatur, supra expositum est. Sequitur:

Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum.

Ibidem.

13. De natium quidem percussione, quia superius diximus, dicendum hic non esset, si hic aliud, quam ibi nequaquam diceretur. Quid est ergo, quod dicit: *Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur?* Numquid vero ii, qui mortui fuerant, morderi iterum pro arcæ pœna debuerunt? Sed & cum percussorum clamor in cęlum ascendisse dicitur, satis ostendi poterat, quia de vivis, & non de mortuis diceretur. Nequa enim iu cęlum ascendere clamor poterat virorum mortuorum. Sed quia percussionem natium superius retulimus ad cognitionem peccatorum, sunt profecto viri, qui non sunt mortui. Viri quippe sunt, qui pro ęterna vita quam appetunt, agere fortie decreverunt. Sed viri adhuc non sunt mortui, qui agere magna deliberant

Aliqui ad cognitionem suorum peccatorum percutiuntur tantum, non moriuntur.

a Fortasse legendum, conculcanda. Sane, concludendo, nihil hic significat, Optimus autem est sensus legendo *conculcanda*. Præterea quod hic ait scriptor, confirmat hoc Matth. testimonio *Nolite sanctum, &c. conversi conculcent eas*.

liberant, & tamen ad dolorem compunctionis mala præterita nequaquam pensant. Mordentur ergo a muribus, ut moriantur: quia in quibus nequiter ceciderunt, recolunt, & pro præteritis actibus se promereri æternæ vitæ amissionem credunt. Quia ergo viri sunt, de Dei misericordia non desperant: & quia mordentur, ut moriantur, de eo quod magni esse incipiunt, se non exaltant.

Conversorum gemitus Deus clementer accipit.

14. Quorum profecto clamor in cęlum ascendit; quia omnipotens Deus conversorum gemitus clementer accipit. Et quia in tempore conversionis Gentium magnus erat ad fidem concursus, non ab aliqua una, sed a pluribus civitatibus clamor ascendisse perhibetur. Unde & in persona universalis Ecclesiæ Propheta deprecatur dicens: *Intende orationi meæ; a finibus terræ ad te clamavi*. Et in cælum ascendisse clamorem a finibus terræ clamantis ostendit, ait: *Exaudivit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus*. Cum ergo unaquæque civitas in cęlum clamasse dicitur, universalis pœnitentia conversionis commendatur. Quod si percussio ad conversionem, clamor autem refertur ad divinæ laudis devotionem; hoc profecto in mysteriis Scripturarum legimus, quod videmus. In Dei namque omnipotentis laudibus unaquæque civitas clamat: quia Redemtoris præconia orbis universus nequaquam tacet; quem non absconse prędicat, sed ineffabilis lætitię jubilatione collaudat. Quid enim aliud, quam universas civitates ad clamorem cohortabatur, qui dicebat: *Omnes Gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis, quoniam Deus summus & terribilis, & rex magnus super omnes deos*. Hinc iterum admonens, ait: *Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia*. Hinc rursum, tam plagam mordentium murium, quam clamorem civitatum exprimit, dicens: *Commoveatur a facie ejus universa terra, dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit*. Præmiserat enim: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra*. Commotio quippe terræ pertinet ad dolorem pœnitentiæ: cantare Domino, sive annuntiare in Gentibus, quia Dominus regnavit, ad studium prędicationis, & ad devotionem divinæ laudis. Uniuscujusque civitatis clamor in cęlum ascendit: quia in universo orbe tam prædicationis veritas, quam devotionum laudes a fidelibus sanctæ Ecclesiæ declamantur, quæ ad superni auditus celsitudinem per susceptionem divinæ dignationis assumuntur.

Ps. 60. v. 2 3

Psal. 17. 7

Dei laude ex universo orbis universitu canit.

Ps. 46. v. 2. 3

Psal. 99. 2.

Psal. 95. v. 9. & 10.

Ibid. v. 1.

CAPUT IV.

1. Reg. 6. Vers. 1.

FUit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.

1. Gentilium salute, non improborum voluntas impleta, sed Dei dispensatio.

1. Quid septem menses isti, nisi totam vitę præsentis prolixitatem designant? Quamquam Azotii, & Accaronitæ clamarent, *Circumducatur arca Dei Israel, & non maneat arca Dei apud nos*: veritate tamen sanctæ historiæ dicitur, quod in typo sanctæ Ecclesiæ cognoscamus, quia in regione Philisthinorum arca Dei septem mensibus fuit. Non ergo malorum & impiorum hominum voluntas, sed Dei dispensatio in salute Gentilium adimpleta est. Jam quidem de gentilitate sublati sunt impii, jam mortui sunt, qui Christi confessores persequebantur, & tamen arca Dei a Philisthinorum regione non tollitur: quia divina sacramenta apud Gentes, sancti Spiritus poculo debriatas, per studiosam sollicitudinem reservantur. Bene autem dicitur septem mensibus, quia sanctarum Scripturarum mysteria usque in mundi finem cum Christi fidelibus perdurabunt. Sed quisquis ejusdem sanctæ Scripturæ mysteria per gratiam intimæ caritatis apprehendit, non de loco, in quo temporaliter arca dimittitur sed de eo, in quo æternaliter sistitur, sollicitus fuit. Quare & subditur:

Et vocaverunt Philisthæi sacerdotes, & divinos dicentes: Quid faciemus de arca Dei? Indicate nobis. Et quomodo remittamus eam in locum suum. Vers. 2.

Pastori adsint sanctitas vitæ & eruditio sapientiæ

2. Qui sunt, qui sacerdotes & divinos consulunt, nisi fideles sanctæ Ecclesiæ, qui æternæ salutis viam sine errore tenere concupiscunt? Et qui sacerdotes, & divini, nisi sanctæ Ecclesię prædicatores intelliguntur? Sacerdotes quippe sunt ob oblationem sacramenti: divini vero, ministerio prædicationis. Nam duo ista in Pastoris persona conveniunt, si ei adsit & sanctitas vitæ, & eruditio sapientiæ: quia ad purganda peccata subditorum constitutus est, & ad errorum caliginem prędicationis luce depellendam. Pastor ergo sanctæ Ecclesiæ, qui vitæ sanctitatem habet, & divinę prędicationis virtutem non habet, sacerdos quidem, & non divinus est. Item si verbi facundiam retinet, sine vitæ sanctitate, etsi divinus esse cernitur; sacerdotii honore nequaquam decoratur: quia quod sublimiter prædicat, terrena actione conculcat. Qui autem de arcæ loco, & de remittenda arca Dei interrogant, & sacerdotes & divinos vocant: quia nimirum ii, qui de cognitione divinę prędicationis, venturę vitę gaudia diligunt, ad salutis consilium, nec carnales sapientes, nec multum simplices religiosos Pastores quęrunt. Sacerdotes itaque & divinos vocant: quia eis se committunt, qui & superni rectitudinem itineris demonstrant sublimitate scientiæ, & pro subditis omnipotenti Deo idonei intercessores sunt, per puritatem vitæ. De remittenda igitur in locum suum arca interrogant: quia de ista cognitione Scripturarum, quam in misteriis verborum accipiunt, transire ad perfectam Dei cognitionem in ęternitate concupiscunt. Velut enim arca remittitur, cum parva ista cognitio per vitę præsentis transitum adimpletur. Et in loco suo ostensę arcę Dei gloriam cernimus, quando ab altis figuratam tegminibus speciem divinę majestatis revelata facie contuemur. De ista quippe in loco suo arcę relatione per Prophetam dicitur: *Et non docebit vir ultra proximum suum, dicens: Cognosce Dominum: a minimo usque ad maximum cognoscent me*. Hinc Johannes repromittit, dicens: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est*. Sed jam remittendę quod consilium sacerdotes & divini quęrentibus tribuant, attendamus. Nam sequitur:

Iis tegendos facile se credunt fideles

Eosque libenter consulunt.

Jer. 31. 34.

1. Joh. 3. 2.

Qui dixerunt: Si dimiseritis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini, & scietis quare non recedat manus ejus a vobis. Vers. 3.

Ad Dei cognitionem mens virtutis operibus vacua non pervenit.

3. Quidnam est arca vacua, nisi divina scientia, sine bona operatione? Vacuam namque arcam remittere, est de cognitione spiritualium sacramentorum, fructum boni operis nullum ferre. Vacua ergo arca remittitur, cum mens ad fidem veniens, ad ęternam Dei contemplationem jam transire desiderat, & tamen in hac vita bonis operibus insudare nequaquam curat. Prędicatorum ergo voce pręcipitur, ut arca cum dimittitur, vacua non relaxetur, ut, si bona opera, quisquis fidelis est, non multiplicat, ad ęternam Dei omnipotentis cognitionem, quod transiturus sit, considere non pręsumat.

mat. Vacua autem arca non dimittitur, si illud ei pro peccato redditur, quod debetur. Quid est quod pro peccato debetur arcæ, nisi afflictio devotæ pœnitentiæ? Quo in loco notandum est, quia eis loquitur, qui a muribus morsi sunt. Qui enim sunt morsi a muribus, nisi qui in fidei catholicæ illuminatione positi, ante ejusdem fidei cognitionem, sive post, prava egisse se recolunt? Nam qui ante gratiam regnerationis nulla crimina admisit, & regenerationis donum digna conversatione retinuit, arcæ quidem debet, sed ei pro peccato non debet. Cognitione quidem divini eloquii, boni operis redere fructum cogitur, sed ad pœnitentiæ satisfactionem ex scelerum, quæ respuit, debito non urgetur. Qui ergo mordentur adhuc, debitum arcæ pro peccato redant; ut pro criminum memoria, humilem pœnitentiæ oblationem omnipotenti Deo restituant. Et tunc quidem curantur; quia tum conscientiæ vulnus obducitur, cum afflicta mens per pœnitentiam ad sperandæ veniæ securitatem relevatur. Tunc etiam sciunt, quare manus Domini non recedat ab eis? quia tunc utilitatem compunctionis, seu afflictæ carnis bonum intelligunt, cum de fiducia divinæ indulgentiæ ineffabiliter lætantur. Quid est enim dolor pœnitentiæ, nisi plagæ molestia ex dæmonum percussione? Nam quasi in dolora plagæ adhuc acriter pungentis suspirabat conversus ille, cum diceret: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*. Quid enim ærumna, nisi afflictionem insinuat pœnitentiæ? Sed in eadem ærumna conversum se asserit, dum spinæ confixuram sentit. Quasi dicat: dum recordatione flagitii mordeor, arcæ debitum reddere non desisto. Spina quippe configitur, dum per omnipotentis Dei dispensationem, ad lacrimas conversorum anima criminum recordatione inflammatur. Et arcæ debitum solvitur, quando jam pro qualitate criminis, mensura extenditur lamentationis: cum post diuturnas lacrymas afflictæ diu menti, interni solatii lux infunditur, atque a percussionis intimæ pondere divino dono levigatur: cum jam purgatæ menti per gratiam suæ inspirationis omnipotens Deus appropiat, atque ex fiducia consecutæ indulgentię eam exhilarat, quam ei ex præsentię suę gratia sumministrat. Quasi enim de percussione tunc sanatur, cum per refusę indulgentię gratiam magnitudo doloris de pœnitentis afflicta mente removetur.

Pœnitentiæ dolor humiliter Deo pro peccatis offerendus.

Psal. 31. 4.

4. Unde & is, qui in ęrumna convertebatur, dum configeretur spina, in eodem Psalmo omnipotentem Deum curationis suę auctorem lętanter alloquitur, dicens: *Tu es mihi refugium a pressura, quæ circumdedit me, exultatio mea*. Pressuram quippe vocat gravissimam valde manum Domini. De qua percussione gravissimę manus etiam Paulus loquitur, dicens: *Ipse enim spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus*. Qui ergo a pressura invenisse Domini refugium, & exultationem insinuat, ab interni doloris percussione, gaudio divinæ indulgentiæ curatum se esse manifestat. Hinc item dolens adhuc confitetur, dicens: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*. Sed quia de curatione pręsumit, insinuans, ait: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata*. Debitum ergo arcę redditur pro peccato, cum peccatores ex Scripturę sacrę cognitione affliguntur, & cruciatu tergere culpas satagunt, quas carnis delectatione traxerunt. Curantur autem, quando jam expleta mensura afflitionis, ad fiduciam divinæ indulgentiæ per auxilium relevantur interni solatii. Unde & Psalmista loquitur, dicens: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura*. Lacrymarum quippe potus ad mensuram datur: quia profecto peccator, etsi ex interna Dei aspiratione pro culpa compungitur, ex eadem compunctionis afflictione eodem consolante relevatur. Unde & per Moysen Dominus dicit: *Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo*. Percutit namque, & sanat: quia quos per compunctionem sauciat, per indulgentiæ securitatem curat. Bene itaque curatis jam dicitur: *Et scietis, quare manus ejus non recedat a vobis*. Nam antequam curet, quare manus Domini ab eis non recedat, scira non possunt: quia tunc pœnitentię bonum intelligunt, cum in purificato jam corde sancti Spiritus gratiam recognoscunt, & divinæ indulgentiæ dona concupiscunt, de quibus ineffabili exultatione gratulantur. Nam curantis jam manus Domini causam, qua ab afflictione non recesserat, eos scisse conspexerat, qui percussorum exultationes exprimit, Deo loquens & dicens: *Repleti sumus mane misericordia tua, exultavimus & delectati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala*. Velut enim in nocte pœnitentię luctum exceperant, qui mane, videlicet divinæ dignationis apparente claritate, se repletos misericordia congaudebant, qui se delectatos pro diebus, in quibus humiliati fuerant, asserunt, per donum curationis, gravitatem manus Domini, quare ab eis non recesserat, scire demonstrantur. Sed quia a principibus adhuc per consilium dicitur, ut quod debetur pro peccato arcę reddatur; & quid sit illud quod debetur, non exponitur, adjunctum est:

Pœnitentiæ laborem excipit lætitia pro recuperata salute.
Ibid. v. 7.
Rom. 8. 26.
Psal. 50. 6.
Ibid. v. 7.
Psal. 79. 6.
Deut. 32. 39.
Psal. 89. v. 14. & 15.

Qui respondentes dixerunt: Quid est, quo pro delicto reddere debeamus? Responderunt illi: Juxta numerum provinciarum Philisthiim quinque anos aureos facietis, & quinque mures: quia plaga una fuit vobis & Satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam, si forte relevet manum suam a vobis, & a diis vestris, & a terra vestra.

Vers. 4. & 5.

5. Quid est, quod quinque anorum similitudines, & totidem similitudines murium, juxta provinciarum numerum, fieri jubentur, & sic arcæ debitum solvitur? Hæc profecto, si more Judaico secundum litteræ vilitatem pensantur, non solum despicienda sunt, sed nec auditu digna. Quæ profecto digne accipit, qui quo viliora per litterę sonum audit, eo ea per spiritalem significationem utiliora esse intelligit. Nam sanctus Spiritus, quo inspirante, tota hęc sacra historia scribitur, numquam tam vilia promeret, si in hujus vilitatis arcano magna quędam, & pręciosa valde mysteria non signaret. Unde doctor egregius fatetur, dicens: *Omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum devenerunt*. Eo igitur per spiritum altius requirenda sunt, quo in exposita velut carne litterę vile cernitur, quod loquuntur. Quę ergo sunt anorum similitudines, quæ murium imagines? Et quia hæc tam ad tentantia dęmonia, quam ad membra peccatorum fœtoribus exposita, superius retulimus, similitudines anorum & murium, qua significatione deaurantur? Sed profecto tunc arcę debitum pro peccato bene solvitur, si anorum & murium similitudines ex auro fabricentur. In ani quippe similitudine emittendi

Peccatum, ut ad pœnitentiam accedamus, mente recogitandum.
1. Cor. 10. 6.

tendi fœtoris membrum cernitur: & tamen, quia similitudo, non veritas est, fœtore jam nullo maculatur. Et quia de auro efficitur, hoc profecto insinuat: quia ex splendore pulchritudinis species commutatur deformitatis. Peccator ergo conversus ani similitudinem facit, cum quibus peccati fœtoribus membra sua deposuerat, ad memoriam ducit. Ani ergo similitudinem fabricare, est membrorum suorum nuper peccantium turpidinem pœnitenti corde recolere. Non itaque anum, sed ani similitudinem fabricat, qui & a peccati fœtoribus membra abluit, & eadem membra, quibus peccatis subdiderit, recolere non omittit. Et quidem ex auro fieri ani similitudo cernitur, quia ad pretium æternæ salutis peccatorum turpitudines atterunt. Vel fortasse memurando similitudines anorum fiunt, flendo deaurantur: quia & recolendo, quæ fecimus, fingimus: & dum commissa attentius lugemus, in justitiæ splendorem membra deauramus. Anorum ergo similitudo, non veritas cernitur, quia tunc peccator suæ deformitatis ignominiam respicit, cum prava opera non solum committendo non exercet, sed etiam in præterito se commisisse vehementer dolet. Quinque autem ani fieri jubentur, quia universalis omnium Gentilium satisfactio imperatur. Unde & caute notatum est: *Juxta numerum provinciarum Philisthiim.* Quare enim quinque sunt Philisthinorum provinciæ, nisi quia carnalis vita Gentilium designatur? Quia enim quinque sensus corporis non ad laudem Creatoris, sed ad carnalem vitam contulit, per quinarium numerum Philisthinorum provinciæ exprimuntur. Quinque anos aureos præcipiuntur ut faciant, ut de omnibus compungatur sensibus: & quia omnes peccaverunt, ideo ad supernæ vitæ claritatem membra omnia redigant, quę per oblectamenta carnis omnimoda polluerunt sorde flagitii. In auro quippe supernæ conversationis fulgor ostenditur, quia per Johannem de superna civitate dicitur: *Ipsa vero civitas aurum mundum similis vitro mundo.* Membra igitur deaurantur, cum corpus terrena & cœnosa concupiscentiarum fœditate deforme, in splendorem commutatur æternæ vitæ: cum videlicet per sanctæ conversationis pulchritudinem radiat, quod in appetitu mundanę delectationis peccatorum fœtore sordebat. Ad istam namque deaurationem beatus Paulus auditores suos admonebat, dicens: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeatis membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Et quasi ad anorum similitudines eos respicere compellens, intulit, dicens: *Quem ergo fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors.* Anorum ergo similitudines ad ruborem fiunt: quia profecto fœditatis nostræ maculas ad memoriam ducimus, ut de eisdem maculis confundantur. Sed deaurantur ad securitatem: quia profecto dum deformitatem supernæ vitæ claritate obducimus, divini examinis discussionem quadam securitate præstolamur.

In omnibus sensibus, quibus peccavimus, compungantur.

Apoc. 21. 18.

Aurea sanctificatione, quæ prius aurea fuerunt iniquitati. Rom. 6.

6. Mures etiam, qui terram demoliti sunt, de auro fieri jubentur: quia & immundi spiritus, qui carni nostrę corruptionis oblectamenta suggerunt, ad justificationem nostram memorantur. Quid est enim similitudines murium facere, nisi eas, quas de nobis maligni spiritus habuerunt victorias, memorari? Sed murium quoque similitudines deaurantur, cum nos eorum elisos viribus suspiramus. Nam dum ipsorum nos fraudibus victos plangimus, similitudines profecto murium aureas tenemus, dum præterita consilia dæmonum non habemus in blandimento operis, sed in contemtu reprobationis. Ex auro itaque similitudines murium fiunt; quia præteritæ fraudes dæmonum ad fulgorem nobis bonæ vitæ proficiunt. Tanto enim humiliores jam sumus, quanto membra nostra per supernæ conversationis fulgorem radiant; & ipsi qui jam Dei omnipotentis auxilio fortia agimus, immundorum spirituum prostratos fuisse fraudibus nosmetipsos videmus. Quod profecto consilium, quia pluribus tribuunt, ejusdem quoque rationem ostendunt, quia dicunt: *Quia plaga una fuit vobis & Satrapis vestris.* Quasi aperte dicant: Quia omnes peccato subditi fuistis, necesse est, ut ad melioris vitæ studium corda pariter præparetis: Unde & Paulus dicit: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius.*

Quid sit ... murium ... pulsum.

Maxime ad humilitatem.

Rom. 3. 23.

7. Et ut attentius meliorandæ vitæ propositum commendent, inculcando repetunt, dicentes: *Facietis similitudines anorum vestrorum, & murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam, si forte relevet manum suam a vobis, a diis vestris, & terra vestra.* Eis, quæ prædictæ sunt, similitudinibus factis, Deo gloriam dare, est de studio boni operis, & de æstimatione humilitatis, in semetipso inaniter non gloriari; sed Dei omnipotentis laudibus omne, quod agitur, impendere. Et quia dicunt: *Si forte relevet manum suam a vobis*: quid aliud in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminosorum? Unde & per Jonam dicitur: *Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus?* Quia ergo, si forte relevet manum, dicitur, commoveri ad pœnitentiæ lacrimas cum magna fortitudine debemus: quia etsi hi qui pœnitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inveniunt, negligentes salvi fieri quando possunt? Quæ profecto reconciliationis difficultas si in pœnitentium æstimatione tenetur apud omnipotentem Deum nequaquam invenitur: quia & dum Ninivitæ velut pro difficili reconciliatione gravi pœnitentia se dejiciunt, omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt. Et cum Prophetæ Joelis voce acri se Deo populus lamento prostraret, egit profecto, ut qui videbatur ad placandum difficilis ejus iram levigaret. Nam statim in eo scriptum est: *Zelatus est Dominus terram suam: & pepercit populo suo.* Manus itaque relevatur, cum mens in pœnitentia valide compuncta ad consecutæ misericordiæ donum, divina aspiratione sustollitur. Et quia, ut dixi, ab initio nascentis Ecclesiæ, sicut generalis peccatorum conversio, ita & generalis erat reconciliatio conversorum: manus Dei, quæ relevanda asseritur, & ab auditoribus, & a diis eorum, & a terra relevanda perhibetur. Per deos namque, sublimes & sapientes viri designantur. Nam & ad Moysen Dominus dicit: *Posui te in deum Pharaonis.* Et in Legis etiam mandato præcipitur: *Diis non detrahes.* Per terram vero, simplicium vita exprimitur: quia dum prędicatione superiorum, velut cæli pluviam in se cadentem, recipiunt, de irrigatione verbi fructum proferunt bonę operationis. A diis ergo, & a terra manus Domini relevatur, cum tam sapientes, quam simplices ad certitudinem divinæ indulgentiæ aut occulto & spiritali solatio, aut prædicatorum judicio reducuntur. Unde & is, qui paulo superius deaurari membra monuerat, dicens: *Exhibere membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*, quasi relevatæ manus

De studio boni operis & humilitate, non in nobis, sed in Domino gloriandum.

1. Reg. 6. 5.

Jonæ 3. 9.

Reconciliationis a Deo consequendæ facilitas & difficultas.

Joel 2. 18.

Exod. 7. 1.

Ibid. 22. 28.

Rom. 6. 19.

Domi-

Ibid. v. 22.

Domini judicium proferens, ait: *Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Hinc iterum conversis a nequioris vitæ deformitate, integrum auri fulgorem mirabatur, dicens: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hinc idem suos collaudans, ait: *In medio nationis pravæ & perversæ, in quibus lucetis, quasi luminaria in mundo.* Factis igitur ex auro similitudinibus anorum & murium, & data Deo gloria, manus Domini relevatur: quia post pœnitentiæ luctum, post meliorationem vitæ, & æstimationis humilitatem, ad plenam omnipotentis Dei misericordiam peccatores reducuntur. Et quia ista omnia ahuc per consilium præcipiuntur; prædicatorum vero consilium alii devote perficiunt, alii vero contemnunt, qui de bonæ vitæ splendore bonos laudibus efferunt, contra superbos per invectionem increpationis accenduntur. Nam sequitur:

Eph. 5. 8. Phil. 2. 15.

Per pœnitentiæ luctum, & humilitatem, ad Dei misericordiam pervenitur.

Vers. 6.

Quare aggravatis corda vestra, sicut Ægyptus, & Pharao?

Qui converti renuunt, Ægypto & Pharaoni similes.

8. Cor namque, ut Ægyptus & Pharao, aggravat, qui jam cognitione sacri eloquii, vulnera peccatorum suorum intelligit, & tamen per meliorationem vitæ, per amaritudinem pœnitentiæ, ad vera futuræ vitæ gaudia animum non intendit. Bene ergo Ægyptus in gravitate cordis similatur. Ægyptus quippe tenebræ dicitur. Quid ergo Ægypti nomine accipitur, nisi a cælorum sedibus Angelorum lapsa multitudo? Et quid in Pharaone Ægypti rege, nisi ipse tenebrarum auctor diabolus designatur? Bene ergo dissimulatores pœnitentiæ, Ægypto & Pharaoni in cordis aggravatione similantur. Reprobi quippe Angeli semel a cælestibus lapsi, sicut amorem amissæ beatitudinis non recipiunt, ita & pœnitentiam agere de perpetrata superbia numquam possunt. Dum ergo sancti prædicatores contra impudentes peccatores per acutam increpationem se inveniunt, Ægypti, & Pharaonis similitudinem ad medium ducunt; ut auditores eorum tanto facilius ad satisfactionem proruant, quanto per id, quod pœnitentiam nolunt agere, damnatis Angelis se esse similes non ignorant. Unde & instanter ad studium adimplendi consilii eos cogunt, dum subinferentes dicunt:

Vers. 7. 8. & 9.

Accipite ergo, & facite plaustrum novum unum, & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum, jungito ad plaustrum, & claudite vitulos earum domi: tolletisque arcam Domini, & ponetis eam in plaustrum, & vasa aurea, quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsella ad latus ejus: & dimittite eam, ut vadat. Et aspicietis: & si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis grande malum hoc. Si autem minime, scietis, quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.

9. Quid enim plaustri nomine, nisi aut universa simul sancta Ecclesia, aut unaquæque cujusque fidelis anima designatur? Cujus profecto plaustri rotæ sunt utrumque Testamentum. Nam dum sancta Ecclesia, vel electa quælibet mens per vetus & novum Testamentum instructa, ad æternam vitam innititur, quasi sublimibus prælatis rotis, ad propositum locum per altum fertur. Sed plaustrum fieri novum præcipitur, ut videlicet, qui ad æterna gaudia pervenire desiderat, per præceptum dilectionis novi hominis splendore vestiatur. Hoc quippe plaustrum innovari præcipiebat Dominus,

Duæ rotæ sunt vetus novumque Testamentum.

A dicens: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Hinc Paulus præcipit, dicens: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induimini novum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Hinc Romanos alloquens, ait: *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in contentione & æmulatione, non in cubilibus & impudicitiis, sed induimini Dominum Jesum Christum.* Plaustrum igitur novum facit, qui & utrumque Testamentum recte intelligit; & splendore sanctæ conversationis indutus, ad superna sese desideria extendit.

Johan. 15. 12. Ephes. 4. 23. Rom. 13. 13.

19. Possunt quoque rotæ, quibus hoc plaustrum graditur, electi cujusque geminum desiderium designare: quia quisquis jam, opitulante B Deo, præsentem vitam in ærumnam peregrinationis tenet, ad futuram beatitudinem idcirco pervenire desiderat; ut impassibilis & immortalis fiat: ut videlicet per unum, eam quam horret, miseriam deserat: per aliud, eam, quam promeretur, beatitudinem numquam perdat. Vaccę autem sunt sancti prædicatores. Qui quia & gemino præcepto caritatis insignes sunt, & in nova conversatione conversorum animas gignunt, recte tam binario numero, quam feminino genere designantur. Vituli autem sunt desideria terrena. Cum ergo vaccæ plaustrum trahunt, domi vitulos claudunt: quia dum electis fidelibus ad supernam patriam ducatum præbent, ea desideria C quæ eis reproborum vitam suggerunt, prodire ad affectum prohibent. Claudunt quippe vitulos, cum jam superba desideria in ipso suggestionis initio, intra conscientiam conterunt, & proficere ea ad effectum operis non permittunt. Unde & vaccæ, quibus non est jugum impositum, ad trahendum plaustrum exquiri perhibentur: quia prædicatores electis fidelibus providendi sunt, qui per nulla onera criminis subjecti sunt imperio diabolico potestatis. De quo profecto jugo per Prophetam dicitur: *Computrescet jugum a facie olei.* Bene autem processus sensuum ordini concordat verborum: quia etsi adversa dominatione sunt liberi, necesse est ut semper sint de futura conversatione suspecti. D Vaccę ergo & sine jugo sunt, & tamen earum vituli domi clauduntur: quia sancti prædicatores adversariis spiritibus ex virtute dominantur: sed ab edomandis pravis desideriis, eo intentionem non a[illegible], quo de sanctitate, qua se ornatos aspiciunt, securitatem in hac vita perpetuam habere non possunt. Et quia talibus divinæ cognitionis gratia latius aperitur, apte arca Domini tolli, & super plaustrum poni præcipitur. Quod autem imponi arca auditoribus super plaustrum jubetur, hoc profecto insinuat, videlicet, quod in sancta Ecclesia plures ordines præsulum invenimus, qua dum prærogativa alii aliis digniores sunt, etiam auctoritatem præcipiendi sortiuntur E [illegible] culmine ordinis altioris. Cum ergo arca Domini rediici præcipitur, super plaustrum novum poni perhibetur: quia profecto ad æternam patriam cum cognitione sacramentorum spiritualium, ille graditur, qui hoc, quod de sancta Scriptura didicit, per novæ conversationis pulchritudinem non relinquit.

Duo ex electorum motus: unus quo aversantur temporalia; & alter, quo ad æterna convertuntur.

Premenda sunt & concludenda ne prodeant mala desideria.

Prædicatores eligantur, qui criminis puri sint.

Isa. 10. 27.

Neque tamen de sanctitate sibi blandiantur, aut securi sint.

In Ecclesia plures præsulum ordines.

11. Ad latus autem ejusdem arcæ vasa aurea, quæ ei pro delicto sunt reddita, poni præcipiuntur. Vasa quippe aurea vocat, quæ superius memorat, dicens: *Facietis similitudines anorum vestrorum et murium.* In quibus profecto vasis peccatorum atque tentationum memoria designari diximus. Quid est ergo, quod superius anorum, &

Peccata lacrymis tersa de ornitatem amittunt.

a Al. ex culmine ordinis altioris.

murium similitudines esse perhibuit, nunc vasa aurea appellavit? Sed ibi de eo, quod arcæ pro peccato exsolvi debebat, tractabatur, hic autem de arcæ remissione. Quid ergo est, quod res istæ eædem honestiori nomine exprimuntur, nisi quia peccata, quæ pœnitentiæ fletibus tersa non sunt, in deformitate sua attentius videnda atque lugenda sunt; ea vero, quæ jam sunt diluta magnis fletibus, & non attentius, neque in deformitate sua respicienda, sed æstimatione humilitatis aliquando cogitanda? Quasi enim in mente pœnitentis, & acriter dolentis ani similitudo, & murium est: quando ut attentius lugeat eam, quam ante mentis suæ oculos congerit, peccati massam coadunatam videt. Sed cum jam magnis & diuturnis fletibus quodammodo de peccatorum suorum remissione securus ad supernam patriam festinare cursu magnæ conversationis cœperit, quasi aurea jam vasa conspicit: quia peccata videt, non quibus se obligatum viderat, sed quæ omnipotentis Dei laudibus impendat. Bene autem in capsella ad latus arcæ eadem vasa reponuntur. Nam si arca divinæ cognitionis secretum insinuat, ad latus vasa dependuntur; quia dum altitudo divinæ cognitionis mentem elevat, ad virtutem humilitatis infirma nostra præterita ad memoriam reducenda sunt. Non igitur ponenda sunt ante arcam; ne, dum immoderatius infirma respicimus, attolli ad superna nequeamus. Constat itaque, quia ex latere dependantur: ut & superna videamus libere, &, cum expedit, ad nostra infirma mentis oculos revocemus.

[illegible]

12. Quid est autem, quod præcipiuntur: *Et dimittite eam, ut vadat?* Sed arca dimittitur, quando eruditæ mentes subditorum a suis Rectoribus libere vivere permittuntur; ut videlicet ad æternam patriam properent, non jam majoris imperio, sed proprie arbitrio rationis. Tenenda est igitur, ut plaustro imponatur; imposita quoque dimittitur: [a] quia minorum electis subditis disponendæ vitæ suæ licentia a prælatis ante danda non est, quam doctrinæ spiritualis eruditionem percipiant, & firmam consuetudinem bonæ operationis. Nam nec simplicibus subjectis & bene viventibus, nec crudis & infirmis vivendi libertas recte conceditur. Illi quippe a callido adversario decipi tanto facilius poterint, quanto & deprehendere ejus insidias per spiritalem eruditionem nequaquam didicerunt: isti vero eo difficilius servant bonum eruditionis, quo laquearis laqueos eruditi conspiciunt, & eos vitanda devitare eruditi non possunt. Tunc igitur competenter arca dimittitur, cum ad vias suas ire debeat, plaustrum ante fabricatur, cum vasa aurea, quæ debentur pro peccato, ex latere dependuntur: quia profecto tunc secura esse poterit vita libere viventis subditi, cum renovationem interioris hominis studere longo usu didicerit; cum ex vitæ puritate celsitudinem divinæ eruditionis apprehenderit, atque inter dona sublimia, ea quæ aliquando prave egisse meminerit, recolere ad humilitatem non negligit. Quæ profecto vivendi libertas, quia ad solum studium superni amoris bonis subjectis impenditur, apte & causam, qua eadem arca dimittitur, adjungit: *ut vadat*, inquit. Quasi enim & aliis verbis dicat: Ad hoc solum liberius vivere permittendi sunt, ut ad cælestem patriam celerius proficiscantur. Sed quia nonnulli subditi tam conversatione, quam scientia humano judicio perfecti sunt, non divino; providendum bonorum Rectorum studio est, ut eorum curam tunc nec omnino prætereant, cum iidem subditis se de eorum cura dimissos putant, sed pia calliditate explorent jam liberi qualiter vivant, quorum subditionis bona plenius noverant. Quare & subjungitur: *Et aspicietis, & si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande. Sin autem minime, sciemus, quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.*

Hæc libertas [illegible] incentivum.

13. Bethsames, ut jam diximus, interpretatur domus solis. Dimissam autem arcam prædicatores aspiciunt, utrum recto itinere contra Bethsames gradiatur: quia & cum proprio arbitrio dimittuntur subditi, explorare prælati debent, an bonum libertatis ad profectum convertant cælestis itineris. Sed & caute notandum est: quia tunc recte contra Bethsames arca ascendit, cum confinium viam gradiendo non deserit. Confines etenim nostri sunt electi priores: confines quippe sunt, qui juxta se possessiones dispositas habent. Confines igitur electorum sunt æterni regni perpetui coheredes. Nam velut juxta se dispositis possessionibus habitant, qui in eamdem æternæ patriæ societatem vocati, de una & eadem Conditoris majestate sortiti sunt jura æternæ hereditatis. Vel idcirco dicuntur confines: quia cum de bona conversatione ad perennis vitæ gaudia electi perveniant, qui recte vivunt in hoc mundo, cælestibus civibus vicini sunt. Quæ est ergo via confinium, ni afflictio temporalis? Hanc viam Bethsamis per semetipsum Dominus demonstrat, dicens: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Hanc item commendat, cum discipulos increpans, ait: *O stulti, & tardi corde ad credendum, nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Hinc Paulus ait: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Contra Bethsames ergo tunc arca dirigitur, cum per viam confinium ascendere videtur: quia in superna conversatione ille verius proficit, qui ad æterna gaudia pervenire non per mundanas delectationes, sed per carnis afflictiones, & mundi adversitates quærit. Sed quia non ire, sed ascendere dimissa arca dicitur, altior via dimissis in libertate subditis indicatur: quia per viam Bethsamis non recte gradiuntur, si non quotidie de bonis ad meliora proficiunt. Ascendere enim meritis virtutum, quotidie ad meliora proficere est. Sed cum recte contra Bethsames arca ducitur, malum grande, quod perpessi fuerant, omnipotentis Dei operibus adscribunt. Malum namque grande eam percussionem vocant, de qua superius legitur: *Fiebat manus Domini super singulas civitates interfectionis magnæ nimis.* Et quia eamdem interfectionem tam ad conversionem Gentilium, quam ad fidelium delinquentium salubrem compunctionem retulimus; cum arca recte contra Bethsames graditur, malum illud grande quod acciderat, a Deo esse indicatur: quia profecto electorum singulorum finis indicat, qualiter prædicatoris animus eorum prima opera recognoscat.

Explorare debent magistri, ut non discipuli sibi dimissi ea vivendi libertate ad majorem profectum utantur.

Et arcta via pergant.

Matth. 7. 14.

Luc. 24. 25.

Act. 14. 21.

Non eundum tantum, sed ascendendum.

14. Nam si in fine deficiunt, aperte cognoscitur, quia bona eorum principia a Domino non fuerunt. Unde & subditur: *Sin autem minime, sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.* Manus Domini quid est, nisi unigenitus Patris æterni? Manu namque Domini non tanguntur, qui non

Qui in fine deficiunt, non auctore Deo secessum petierunt.

a Hic attendere videtur ad Regulam Sancti P. Benedicti c. 3 ubi eadem compendiose legimus.

non inspiratione divini verbi, sed subita deliberatione cordis sui a pristina conversatione separantur. Qui certe tanto celerius ab incœpta bonitate deficiunt, quanto quod per arctam viam ingredi ad æternam patriam proposuerant, qua fortitudine exequendum esset, præcogitare nescierunt. Quare apte dictum est: *Casu accidit*. Quod enim casu accedit, subito & sine consilio & provisione contingit. Cum ergo hi qui a mundi amore, sive qui ab infidelitate discessisse videbantur conversi, ad prioris vitæ nequitiam reviviscunt, aperte cognoscitur, quia non manu Domini, ut videbantur interfecti, sed accidente casu a pristina sint conversatione separati. Sequitur:

Vers. 10. & 11.

Fecerunt illi hoc modo, & tollentes duas vaccas junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum clauserunt domi, & posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum.

Quia hæc supra latius exposita sunt, quid jam in se de spiritali eruditione contineat ipsa profectio arcæ, videamus. Nam sequitur.

Vers. 12.

Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur, pergentes, & mugientes: & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram

Recta via incedendum, discretione duce.

15. In directum per viam, quæ ducit Bethsames ire, est in studio cælestis perfectionis, afflictionem carnis tenere per virtutem discretionis. Nam in directum vaccæ nequaquam gradiuntur, si in afflictione carnis discretio non servatur. Denique dum ultra modum caro affligitur, conferre opem spiritui eadem caro omnino defecta non sufficit. Et si digne non affligitur, dum superbit, velut libera servire menti indomita dedignatur. Bene igitur, dum per viam Bethsamis in directum vaccæ ire referuntur, subjunctum est: *Quia non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram*. Ad dexteram quippe declinare, est virtuti abstinentiæ immoderate insistere: quia per bonum, quod videtur, viam deserimus, dum sic necessariam abstinentiæ virtutem sequimur, ut alia nobis auxilia de carne subtrahamus. Ad sinistram quoque declinare, est carni abundantius indulgere. Nam per apertæ remissionis vitium a Bethsamis via deflectimur, dum carnem per delicias deducimus, quia paradisi viam in afflictione dispositam noveramus.

Nec declinandum ad dexteram, carni necessaria denegando.

Nec ad sinistram, carni nimis indulgendo.

Pura sit & simplex intentio.

16. Et quia nulla est vitæ parcioris sinceritas, si munditiæ boni operis simplicitas non concordat intentionis, caute expressum est: *Et itinere uno gradiebantur*. Uno quippe itinere graditur, qui virtutem quam prætendit in bono opere, in recta servat intentione. Quo contra de unoquoque reprobo dicitur: *Væ peccatori ingredienti terram duabus viis*. Duabus quippe viis peccator terram ingreditur, cum Dei videtur esse quod agit, sed ex omni quod religiosum foris exhibet, intus seculi intentionem tenet. Uno autem itinere gradi electos suos Dominus insinuat, dicens: *Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit*. Hinc Paulus ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Hinc David: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*. Uno igitur itinere contra Bethsames vaccæ gradiuntur: quia electi ad æternam patriam festinantes, bona foris agunt, sed ex eisdem bonis operibus seculi præmia non requirunt.

Eccli. 2. 14.

Matth. 6. 22.

2. Cor. 1. 12.

Psal. 44. 14.

Pergendum semper & perseverandum carnalia quæ obsistant desideria expugnando.

17. Quid est autem, quod de eisdem vaccis dicitur: quia *gradiebantur pergentes & mugientes*. Sed pergere dicuntur: quia sancti viri bona incessanter faciunt: mugiunt vero, quia carnalia desideria in semetipsis extinguere, sine magna quotidie tribulatione non possunt. Mugire namque, ad laborem edomandæ carnis pertinet; pergere autem, ad perseverantiam bonæ voluntatis. Nam dum contra naturam caro carnales motus comprimere cogitur, velut mugit dum graditur: quia propria desideria adimplere prohibetur. Bene quippe duo hæc in Sanctorum profectione describuntur, videlicet pergere & mugire. Quia etsi eis ad supernam patriam festinantibus, magna est instantia desiderii, est nihilominus invincibilis patientia laboris. Nam de his vaccis pergentibus per Ezechielem dicitur: *Non revertebantur, cum incederent*. Vaccarum quoque mugitum, & causam exprimit Paulus, dicens: *Video aliam legem contradicentem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Mugiunt ergo vaccæ, sed pergunt: quia sancti viri, etsi magna sunt tentamenta, quæ perferunt, viam tamen supernæ patriæ non relinquunt. Pergunt item, sed mugiunt: quia etsi magnis desideriis ad superna properant, profectum tamen superni itineris non de quiete pacis obtinent, sed ex triumpho tentationis. Sequitur:

Ezec. 1. 9.

Rom. 7. v. 23. & 24.

Vers. 12.

Sed et Satrapæ Philisthinorum sequebantur usque ad terminos Bethsamis.

Per bonam operationem viam, ad contemplationem ascendendum.

18. Quinam sunt termini, ad quos sequi proficiscentem arcam Dei prælatis necessarium est, & quos in arcæ Dei comitatu progredi congruum non est? Quos nimirum terminos si accipiamus in eruditione sacri eloquii, & bona operatione, contrarium non videtur. Sed hi profecto termini Bethsamis, sequentium principum termini sunt, cum pro modo suo quisque super subditis perfectus est doctrina sacri eloquii, & usu bonæ operationis. Eo enim jam de isto securus Pastor efficitur, quo & caute jam spiritalia conspicit, & ea, quæ ratione comperit, fortitudine boni operis apprehendit. Qui profecto termini, Bethsamis esse termini dicuntur: quia nimirum dum eruditos Dei operarios dignanter excipiunt, ad contemplationem supernæ patriæ introducunt. Termini namque sunt: quia & dignos ad contemplationem suscipiunt, indignos expellunt. Indocti quippe si ad contemplanda subtilius superna se sustollere præsumunt, potius errando deviant, quam lumen veritatis apprehendant. Et nisi quis bona opera præmittat, hoc profecto agit, ut illam quam appetit claritatem internæ visionis, numquam inveniat. Unde & Dominus in Evangelio, quasi ad terminos Bethsamis contemplativæ vitæ amatores transmittens, ait: *Qui habet verba mea, et facit ea, hic est, qui me diligit: qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*. Qui enim se manifestaturum non nisi diligentibus dicit, se autem diligere eos, qui servant mandata ejus: aperte docet, quia lucem suæ occultæ visionis non tribuit, nisi pro retributione bonæ operationis. Sequitur:

Johan 14. 21.

Vers. 13.

Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle.

Qui in contemplatione, ut gens para[illegible] nunc conspiciunt, aliquando apprehendit.

19. Qui enim Bethsamitæ rectius possunt intelligi, quam hi, qui perfecti jam vici sunt in sublimitate contemplationis? Nam velut de domo solis sunt, qui contemtis terrenis omnibus, veri luminis splendoribus illustrantur. De domo quidem solis sunt, qui jam omni mundo sepulti, ad videndam Conditoris sui claritatem flamma miræ dilectionis inardescunt. Qui ad civitatem suam duobus.

bus modis ascendunt: qui ad supernæ patriæ claritatem, & nunc per contemplationem, & in fine per veritatem gloriæ perducuntur, nunc ad domum solis contemplando evolant: sed quod nunc mentis puritate aspiciunt, tunc per præsentem lætitiam æternæ retributionis veritatem apprehendunt. Bethsames ergo arca Dei perducitur, cum mens electa, aut per contemplationis altitudinem, aut per assumtionem retributionis ad æterna gaudia sublimatur. Qui ergo æternum illum, & inaffabilem arcæ situm scire non possumus, ea, quæ de isto, quem novimus, dicuntur, audiamus. Quid est ergo, quod Betsamitæ metunt triticum in valla, nisi quia contemplativæ vitæ dediti, delicias internæ refectionis colligunt in virtute humilitatis? Vallis quippe in sacro eloquio æstimationem designat humilium, Psalmista tastanta, qui de Domino loquens, ait: *Qui emittis fontes in convallibus*. Nam infusionem supernæ gratiæ mentibus infundit dispositis per humilitatem. Betsamitæ ergo in valla triticum metunt: quia contemplationi vacantes, dum pro humilitatis merito clarius superna conspiciunt, ad suaviorem refectionem mentium ligant manipulos gaudiorum. Nam triticeus panis, sicut aspectu candidior, ita & sapore delectabilior est.

Psal. 103. 10.

20. Sed fortassa in illa vita adhuc positi non sumimus panem, sed spicas metimus: in illa autem superna vita beatitudinis, non spicas, sed panem manducamus. In ista etenim vita, cum ad contemplanda æterna sustollimur, supernarum rerum similitudines capere de rebus istis infimis & visibilibus nitimur: ut juxta egregii doctoris vocem, *Invisibilia a creatura mundi, per ea quæ visibilia facta sunt, cognoscamus*. Quare & ille verus Bethsamita, & domesticus solis justitiæ exultans, ait: *Delectasti me, Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*. Sed dum in rebus visibilibus invisibilium rerum gaudia excipimus, velut intra paleas adhuc triticum tenemus. Tunc autem nobis purum triticum, sive de tritico panis erit. Nam cum absorpta jam morte, in æterna vita, revelata facie, clarius Redemtorem cernemus, ad ejus cognitionem thecis similitudinum non egemus. Bene ergo de Bethsamitis dicitur, quod metebant triticum in valle: quia perfecti viri, etsi pro humilitatis merito sublimitatem supernæ contemplationis accipiunt, ad illam omnipotentis Dei puram substantiam contemplandam eo pertingere nequeunt, quo refectionem suæ mentis adhuc velut inter paleas metunt. Cujus profecto humilitatis bonum designatur, cum subditur:

Rom. 1. 20.
Psal. 91. 5. & 6.

Et elevantes oculos viderunt arcam Dei.

Ibidem.
Per humilitatem spiritualis visus acuitur.

21. Oculos quippe elevant: quia dum de se alta non sentiunt, æstimationa sua velut in plano sunt. Oculos elavant: quia eos, quos divina gratia dignos aspiciunt, in alto positos meritorum culmine contemplantur. Sed alevantes oculos arcam vident: quia quo se humilius per æstimationem dejiciunt, proximorum bona cognoscere melius possunt. Ea etenim veritas, quæ superborum corda per semetipsam desent, illa eis etiam dona, quæ confert humilibus, abscondit: ut velut obcæcati penitus, nec in terra diffusum jam solem videant, qui ejus claritatis radios videre in cælo desierunt. Sed quia regressionem arcæ Dei ad propositum contemplativæ vitæ retulimus, elevatio etiam oculorum ad studium discernendorum spirituum non inconvenienter referri potest. Bethsamitæ quippe oculos levant, cum vitæ secretioris proposito confluentium ad se dona, subtili inspectione considerant; cum intenta mente discutiunt, an vitæ altioris propositum, quod accedendo expetunt, recta validaque intentione prosequantur. Levara igitur oculos eis ast, novitiorum spiritum altius considerare. Sed levantes oculos arcam Dei respiciunt: quia dum subtilius ejus conversiones discutiunt, qua virtutum spiritualium gratia fulgeant, deprehendunt. Et quia per affectum dilectionis, de cognitis eorum bonis hilarescunt, apte subjungitur:

Discretio spirituum per latis necessaria.

Et gavisi sunt, [a] *cum venissent*.

Ibidem.

Sequitur:

Et venit plaustrum in agrum Josue Bethsamitæ, & stetit ibi.

Vers. 14.

22. Si Bethsames interpretatur domus solis, domus solis civitas est cælestis. Hic Josue Bethsamita non tam typo, quam ipso nomine & dignitata humani generis Redemtorem significat. Josua quippe, salvator nostro eloquio dicitur. Et de semetipso Dominus dicit: *Venit filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*. Hinc ast etiam, quod Joseph in somnis per Angelum repromittitur: *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Bethsamitam quoque se assa per semetipsum manifestat, dicens: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Hinc Johannes Baptista ait: *Qui de cælo venit, super omnes est*. Quis est ergo ager Josue Bethsamitæ, nisi amœnitas vitæ contemplativæ? Ibi enim & herbarum virores, & odores aromatum, & florum diversa pulcritudo cernitur: quia nimirum quo superna illa societas clarius aspicitur, quod incorruptibile floret Angelis, quod immarcescibile viret Sanctis, quod inviolabile in virginibus redolet, contemplantium oculis gratius exhibetur. Bene autam idem ager Salvatoris esse perhibetur: quia contemplativæ vitæ amatores, quo secretius conversantur, Redemtori nostro gratiores & familiariores sunt. In agrum quoque Josue Bethsamitæ plaustrum venit, cum mens electa a seculi intentione divisa, solis cælestibus intendit, cum cælestis jam amœnitata visionis fruitur; quia terrena respicere per amorem dedignatur. Et notandum, quia hoc plaustrum novum fuisse, non valde supra relatum est: quia profecto mens criminum vetustate resoluta, ad tantam gloriam recipi non meretur.

Vitæ contemplativæ amœnitas.
Luc. 19. 10.
Matth. 1. 21.
Johan. 6. 41.
Ibid. 3. 31.
Christi ager est.

23. Sed habet vita secretior delicias in amœnitata visionis, habet ingentem laborem in strenuitate certaminis: quia nimirum divina præmia sicut ex triumpho consequimur, ita & strenue dimicando custodimus. Bene ergo de veniente in agrum Jesu plaustro subjungitur: *Et stetit ibi*. Stare quippe ad prælii custodiam pertinet, non ad pacis quietem. Stetit quippe plaustrum in agro: quia etsi mens, amœna jam illius supernæ, & semper virentis patriæ videndo, atque amando inhabitat: tamen quod amorem visionis delectabiliter possidet, sine incessantis curæ sollicitudine nequaquam servat. Sed nimirum in tanto agone posita mens humana deficeret, si ille, qui humanam infirmitatem in sua divinitate roboravit, ei præsentiæ suæ auxilium non præberet. Quare & caussam exponens, qua stare in agro plaustrum potuerit, addidit, dicens:

Vitæ contemplativæ deliciæ ac labores.

Erat enim ibi lapis magnus.

Ibidem.

24. La-

a Gall. cum vidissent.

In iis deficientibus nisi Christus auxilium præberet.

Psal. 117. 22.

Eph. 2. 20.

a

1. Petri 2. 5.

24. Lapis quippe magnus Redemtor intelligitur generis humani. De quo lapide per Psalmistam dicitur: *Lapidem* [a] *hic quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli.* Hinc doctor egregius collaudans, ait: *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo & vos tamquam lapides vivi superædificamini.* Et magnus quidem lapis dicitur: quia incomparabili fortitudine prædicatur. Cum ergo venisse & stetisse in agro plaustram dicitur, additum est: *Erat ibi lapis magnus:* ut latentibus mysteriis designaret, quia contemplativæ vitæ dediti, servare dona tam ingentia ideo possunt: quia juxta eum per gratiam sunt, a quo eadem dona perceperunt. Sequitur:

Ibidem.

Et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea in holocaustum Domino.

Sacræ Scripturum sententiis & justorum exemplis ad Dei amorem accendemur.

25. Quæ sunt ligna plaustri arcæ Dei, nisi sanctæ Scripturæ sententiæ, & exempla justorum? Bethsamitæ quippe ligna concidunt, cum secretioris vitæ præpositi subjectorum suorum mentibus Scripturarum sensus subtilius aperiunt, cum excellentiora exempla Patrum ad eorum imitationem proferunt; ut in eorum cordibus superni amoris flamma tanto ferventius ardeat, quanto fomentum incendii, velut concisa ligna, citius subministrant. Plaustri quippe ligna sunt: quia mens per Dei gratiam renovata, ea per memoriam retinet. De quibus profecto lignis sanctus Legislator decernit, dicens: *Ignis in altari meo semper debet esse: quem nutriat sacerdos, subjiciens mane ligna per singulos dies.* Quia vero concidi ligna memorantur, apertius indicant, quia contemplativæ vitæ puritatem quærentibus, non communia de sacro eloquio, sed altiora & excellentia quæque pandenda sunt; ut eo fortius se in alta videndo sublevent, quo eis nobiliora bona, quæ audiunt, magis placent. Unde & bene subjungitur: *Quia vaccas imposuere super ea in holocaustum Domino.* Holocaustum namque combustum dicitur. Cum ergo ligna conciduntur, holocausta desuper impositis vaccis fiunt: quia qui eximia de Scripturis devota mente suscipiunt, quo in superna se desideria altius extendunt, eo nil in eis deseritur, quod non divini amoris flamma comburatur. Et tunc quidem curare doctorem necesse est, ut religiosi subjecti alta considerent, & tamen per æstimationem de se alta non teneant; ne, quo celsius summa videndo proficiunt, per elationem corruentes, periculosius elidantur. Unde & hic quoque subditur:

Levit. 6. 12.

Sic offerendum holocaustum.

Vers. 15.

Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, & capsellam, quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem.

Quæ consilia perfectionem & contemplationem ambientibus danda.

26. Levitæ interpretantur assumti. Qui ergo sunt Levitæ, nisi qui sic sunt divina gratia confirmati, ut a sancto spiritu deseri numquam possint? Arcam quippe Levitæ deponunt, cum perfecti prædicatores suos subjectos admonent, ut eos spiritalis scientia nequaquam inflet. Capsellam quoque cum vasis aureis deponunt, cum eos etiam de vitæ splendore conveniunt, ut eo de se humilius sentiant, quo etiam Redemtorem nostrum ad exaltationis suæ præmium, eorum quisque jam pervenisse didicit, quia de se inaniter alta non sensit. Bene itaque deposita arca, & vasa aurea super grandem lapidem posita memorantur: quia inter dona sublimia de se humiliter sapere illi verius possunt, qui Redemtoris magnitudinem & humilitatem recolere sæpius didicerunt. Nam deponere arcam Dei, & super lapidem grandem volebat ponere, qui dicebat: *Hoc sentite in vobis, quod in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: humiliavit se factus obediens usque ad mortem crucis.* Sed qui de subditorum cordibus amoris hostiam ministerio prædicationis Deo immolant, de suis etiam mentibus excellentiora valde oblationum dona repræsentant. Unde & subditur:

Philip. 2. v. 5. &c.

Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolaverunt victimas in die illa Domino.

Ibidem.

Holocausto victimas addere quid significet.

27. In qua die, nisi in illa, in qua holocaustum Domino vaccas super plaustri ligna posuere? Quæ est igitur dies illa, nisi illuminatio divinæ prædicationis? Ea namque die Bethsamitæ holocausta Domino offerunt, ea die victimas immolant, qua ligna concidunt, qua super ea holocaustum Domino vaccas imponunt: quia sancti prædicatores ea luce verbi, qua subjectis emicant, sibi quoque ad rectitudinem superni itineris officium visionis administrant, & contemtis rebus infimis, per vim dilectionis omnipotenti Deo tanto se liberius exhibent, quanto etiam auditores suos ei jam magna familiaritate conjunctos vident. Quia vero non solam holocausta obtulisse, sed immolasse victimas viri Bethsamitæ relati sunt, perfectorum virorum spiritalis oblatio designatur. Nam holocausta offerunt, cum per contemplationis ascensum se Deo omnipotenti ineffabili affectione conjungunt. Sed holocaustis victimas sociant: quia nimirum tantæ jucunditatis bonum non suis meritis, sed divinæ referunt bonitati. Sine victimis quidem holocaustum offert, qui jam supernis in magna delectatione conjungitur: & insurgentibus elationis occultæ motibus, per humilitatis virtutem nequaquam dominatur. In oblationibus ergo perfectorum simul holocausta & victimæ convenisse describuntur: quia & divina frui dulcedine digni sunt, & in omni quod totos se jam cælites faciunt, elationis ignari.

Vers. 16.

Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa.

Eruditis discipulis quousque curam impendere debeant magistri.

28. Satrapæ Philisthinorum, ut jam superius dixi, electi sunt prædicatores Gentilium. Qui nimirum quinario numero continentur: quia ad refrenandos quinque sensus corporis, aut rudibus adhuc fidelibus, aut carnalibus præsunt. Hi profecto plaustrum cum Dei arca comitantur: quia ad studium spiritalis vitæ transeuntes jam eruditos discipulos, sollicitudinis suæ cura prosequuntur. Sed applicante in agrum Josue plaustro, & vaccis immolatis, in Accaron redeunt: quia cum eorum perfectionem jam consideraverint, conversationis eorum itinera ulterius non explorant. In Accaron autem redeunt: quia ad convertendos alios se convertunt. Accaron quippe nostro eloquio sterilis dicitur. Steriles quoque sunt, qui aut fide carent, aut bona conversatione. Bene autem cum reversi principes dicuntur, additum est: *In die illa:* quia nisi in eis claritatem tantæ perfectionis agnoscerent, ab eorum sollicitudine securitatis certitudine non redirent. Sequitur:

Vers. 17. & 18.

Hi sunt ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, & Accaron unum. Et mures aureos,

a Abest hic a Gilot.

reos, secundum numerum urbium Philisthum, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam, quæ erat absque muro, & usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat usque in die illa in agro Josue Bethsamitæ.

En peccatum relabi quem caccodum.

29. Quid hæc omnia designent, late supra expositum est. Quid est autem, quod cum reddi pro peccato debitum arcę precipitur, quinque ani aurei, & quinque mures simul nominantur: cum vero jam redditum, quod debebatur, asseritur, urbes singulæ separatim unum reddidisse referuntur? Sed simul supra nominantur: quia simul omnium membrorum demonstrabatur ornatus, in commutatione bonorum operum; hic autem cum redditum debitum arcę describitur, caute ostenditur: quia urbes singulæ anos aureos singulos, & mures obtulerunt: ut profecto peccatori converso insinuetur, ut semel peccata deserat, quæ per solitam pravitatem ulterius non requirat. Urbes quippe singulæ anos, & mures singulos reddunt, cum conversi peccatores semel tersa lacrymis pœnitentiæ peccata non repetunt. Unde & sacra Scriptura admonet, dicens: *Non iteres verbum in oratione.* Verbum quippe in oratione iterat, qui precibus purgare peccata conatus est: sed tamen committere non omittit alia, pro quibus oret. Qui profecto anum unum, & murem Deo pro delicto non offert: quia etsi pœnitendo compugnitur, fœditates multiplicat, quas Deo confitens ei repræsentat. Dum ergo anum unum & murem unum urbes Philisthim, sive provinciæ singulæ reddidisse describuntur, quid aliud designat, nisi perfectionem veræ conversionis? Perfecte enim convertitur, qui cum semel, quod prave egerat, plangit, quod rursum plangat, ultra non repetit. Igitur anum unum, & murem unum pro peccato offert, qui sic ommissa luget præterita, ut perfecte caveat futura. Et quia ista forma conversionis tam sapientibus quam indoctis, tam fortibus, quam debilibus in sancta Ecclesia observanda est, bene ab urbe murata, usque ad villam sine muro hæc solutio debiti extensa perhibetur. Nulli enim intra sanctam Ecclesiam constituto liberum est peccare, nulli innoxium prava commitere. Quare per Prophetam Dominus comminatur, dicens: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Muratæ quippe urbes sunt mentes sanctarum Scripturarum eruditione circumdatæ. Villæ autem absque muro sunt mentes simplices. Unum ergo anum aureum non solum singulæ urbes reddunt, sed etiam villæ; ut quicumque ad religiosam vitam, Deo auctore, convertitur, ablutis jam fœtoribus, ulterius non fœdetur. Et quia nemo tam sanctus est, qui in se non habeat aliquid fœditatis quod plangat, solutio hujus debiti usque ad Abel magnum, super quem posuerant arcam Dei, pertenditur. Abel quippe interpretatur luctus. Quo nimirum nomine lapis, in quo arcam Dei posuerant, vocabatur. Sed hoc profecto Redemtori nostro nomen congruit: quia etsi propria quæ fleret non habuit, nostra tamen quotidianis precibus & fletibus peccata purgavit. Sunt quoque in sancta Ecclesia viri perfecti, & illi summo lapidi, caritatis consummatione conjuncti. Hinc namque unitus erat lapidi, qui dicebat: *Nemo me separat a caritate Christi;* qui an arcæ debitum solvat, audiamus: *Primum*, inquit, *fui blasphemus, & persecutor.* Hinc iterum confitens, ait: *Non sum dignus vocari Apostolus; quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Notandum etiam quod usque ad lapidem excurrisse arcæ debitum legitur, qui usque in die illo in agro Josue manere, & in quo posita arca Dei memoratur. Quia in re quid aliud tenemus, nisi quod in sancta Ecclesia cernimus: quia illi etiam Deo pro culpa satis faciunt, qui non solum a peccatis per Dei gratiam erepti, sed etiam per magna sanctarum virtutum culmina, in ejus tabernaculum sunt assumti? Sequitur:

Ecc. [illegible]

Sic pœnitentia peccata lugeantur, ut caveantur futura.

Ezech. 18. 4.

Nemo tam sanctus, qui in se mihi habeat quod plangat.

Rom. 8. 35.

1. Tim. 1. 13.
1. Cor. 15. 9.

Percussit autem Dominus de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Vers. 19.

Falsa contemplatione decepti heretici, percutiuntur.

30. Qui sunt Bethsamitæ percussi, nisi falsa contemplatione decepti heretici? Bethsamitæ enim non veritate fuerunt, sed præsumtione. Dum igitur arcam videre in lapide præsumerent, percussi sunt; quia cum Domini ac Redemtoris nostri sacramenta indigni discuterent, æternæ damnationi laqueis, per fallaciam proprii sunt depressi erroris. Quid est autem, quod de populo septuaginta viri, de plebe autem quinquaginta millia percussa sunt? Sed quia appellatione populi etiam urbium nobiles continentur, plebs autem vulgus est reliquum sine nobilibus, potest hoc colligi: quia hæreticorum alii inter alios, quasi nobiles extiterunt, qui in munditia operum, solo errore perierunt; ceteri vero quasi plebis rusticitatem secuti, cum errore fidei obscurati sunt sorde pravæ operationis. Unde & alii quinquagenario, alii septuagenario numero exprimuntur: quia & illi per quinque sensus corporis concepta flagitia perfecerunt; illi dum falso sibi dona adscriberent spiritus septiformis, æterna obruti sunt caligine cæcitatis. Et quia de eorum percussione veri fideles contristati sunt, sequitur:

Discrimen populi & plebis.

Dixeruntque Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? Vers. 20.

Quasi etenim veri fideles, sed simplices dicant: Si tam sapientes & philosophi in summæ veritatis cognitione falluntur, indocti & simplices quando venire ad ejus notitiam possunt? Sed etsi de sua mensura diffidunt, donum tamen divinæ cognitionis adesse Ecclesiæ non diffidunt. Quare & subditur:

Et ad quem ascendet a nobis? Ibidem.

Videndo sancta qui indigni sunt moriuntur, quanto magis contrectando.

31. A nobis quippe Dominus ascendit, quando id quod de ejus cognitione nobis absconditur, per electorum fidelium vocem prædicatur. Velut ascendere namque ejus a nobis est, quod simplicioribus, sive infirmioribus de æterna contemplatione celaverit, sublimibus per humilitatem cordibus revelare. Quid est ergo dicere: *Ad quem ascendet a nobis:* nisi dignum doctorem quærere, qui sic divina prædicet, ut a via veritatis non erret? In quibus etiam verbis, si historicum sensum requirimus, aperte cognoscimus: quia qui ideo mortui sunt, quia arcam Domini viderunt, intelligimus nempe, quod eadem visione digni non fuerunt. Merito igitur, qui percussos aspiciunt, dicunt: *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Nam si hi, qui indigni sunt, videndo moriuntur, contrectantes, quomodo vivunt? Bethsamitæ quidem in sancta Ecclesia sunt mortui sacerdotes, & ministri sacri altaris reprobi: quia de domo quidem solis justitiæ sunt dignitate ministerii, non virtute & gratia sanctitatis. Bethsamitæ quidem sunt: quia per sacræ oblationis officium conversantur in domo Dei; sed tanto sunt acriori damnatione percutiendi, quanto non solum videre audent sacra mysteria, sed contrectare: quanto non jam veteris Testamenti arcam respiciunt, sed quod omnia superat, indigne

Qua pœna digni qui corpus & sanguinem Christi tractant indigne.

indigne se corpori & sanguini ingerunt Redemptoris: quos percussos insinuat Paulus, dicens: *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Veri etenim fideles dicunt: *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Altitudinem quippe tantę administrationis considerant, & tanti sacramenti dignitatem formidant. Sed dum tantæ rei subire officium metuunt, qui id exhibere valeant, digniores quęrunt. Unde & sequitur: *Et ad quem ascendet a nobis?* Quasi ergo sacra mysteria humiliter fugientes, dicant: Quia [a] nos infirma conversatione percutimus, ministri ex altiori vita quærendi sunt, quos dum in altissimam virtutum sanctificationem conversatio sublimis erigit, assistere Deo per officium tantæ oblationis possint. Sequitur:

1. Cor. 11. 29

Veri fideles tanti sacramenti dignitatem formidant.

Vers. 21. *Miserunt ergo nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Remiserunt Philisthiim arcam Domini, descendite & reducite eam ad vos.*

32. Cariathiarim dicitur, civitas eorum. Quę est Sanctorum civitas, nisi illa Jerusalem, quę sursum est? Qui sunt ergo habitatores ejus, nisi perfecti viri ab amore mundi alta conversatione separati? Quorum profecto unus cæteris efficacior ait: *Nostra conversatio in cælis est.* Ad hos quippe nuntii mittendi sunt, ut Dei arcam suscipiant: quia ad electionem sacerdotum viri sancti non solum recipiendi sunt, sed etiam invitandi. Et notandum, quia viris sublimioribus per nuntios dicitur: *Descendite & reducite eam.* Descendunt quippe, quia obediunt: nequaquam enim descenderent, si id, quod ab eis fraternus amor expetit, impendere superba mente refutarent. Tunc quidem vere sublimes sunt, cum se Christo non auferunt; cum id, quod ex fraterno judicio eis imponitur, non repellunt. Unde apte subinfertur:

Ad sacerdotium viri sancti non recipiendi solum, sed etiam invitandi.

Philip. 3. 20.

CAPUT V.

1. Reg. 7. Vers. 1.

VEnerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Aminadab in Gabaa. [b] *Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini.*

Quibus arca Dei committenda.

1. Aminadab interpretatur, populus meus spontaneus; Gabba, sublimit. Et nimirum talibus arca Dei committenda est. Populus namque spontaneus est, quem ad exercenda virtutum opera, sola bona voluntas trahit, quem ad implenda mandata Dei necessitas non compellit. Quos nimirum sub unius descriptione beatus Paulus prædicat, dicens: *Hilarem datorem diligit Deus.* Quæ est domus spontanei populi, nisi munimentum sanctæ dilectionis? Nam in virtutum ministerio spontaneus esse non posset, si mansionem sibi dilectionis non conderet. Quę profecto domus in Gabaa, idest in sublimi sita cognoscitur: quia caritatis altitudine ad cælestia sublevamur. Vel certe in sublimi est domus: quia caritas omnibus virtutibus antefertur. Nam sublimitatis hujus altitudinem insinuans Paulus, ait: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Quid est autem, quod Eleazarum sanctificant ad custodiendum arcam Dei? Sed hoc nimirum ex usu sanctæ Ecclesiæ novimus: quia electus minister prius benedictionem consecrationis a summis viris accipit, quam ministerium impendat oblationis. Quia vero Eleazarus Dei adjutor dicitur, profecto ostenditur: quia non solum sanctificari Dei ministri debeant, sed etiam inspici quales sint ad ejusdem consecrationis ordinem providendi. Qui enim sunt Dei adjutorium, nisi qui cum divina gratia ministrando conveniunt, & quos omnipotentis Dei dignatio intus visitat, quam ipsi per exterius ministerium bene vivendo & docendo confirmant? Unde & cum Paulo non inaniter gloriantes dicunt: *Dei etenim sumus adjutores.* Qui nimirum conversatione fortissimi, scientia eruditi, amore fervidi, constantia robusti, non solum alieno non egent auxilio, sed quocumque se conferunt, subvenire aliis possunt. Bene itaque dicitur: *Eleazarum sanctificaverunt, ut custodiret arcam.* Quia hi, quibus adhuc aliena auxilia necessaria sunt, ad subveniendum aliis promovendi non sunt. Bene item Eleazarus filius Aminadab esse dicitur: quia certe, qui ad ministerium prædicationis eligitur, in imitatione Sanctorum positus, studium omne, quod exhibet, esse debet ex dilectione.

2. Cor. 9. 7.

1. Cor. 12. 31 & c. 13. 1.

Electorum Ecclesiæ ministrorum consecratio.

Hi Dei sunt adjutores.

1. Cor. 3. 9.

2. Quia vero nos superius plaustrum Scripturam sacram, arcam vero scientiam ejus spiritalem esse diximus, vaccas quoque electas animas, timor Bethsamitarum, quem inesse electis ostendimus in oblatione sacramenti, potest referri etiam ad onus prælationis. Non enim minor sanctitas idonea est animabus instruendis, quam offerendis sacris mysteriis. Et idcirco Bethsamitę perhibentur percussi: quia plerique vivunt subditi, qui moriuntur prælati. Habet enim arca Dei etiam extrinsecus pulchritudinem, quam si minister infirmus non ad spiritalem venerationem, sed ad concupiscentiam secularem inspexerit, nequaquam vivit. Bene itaque causa percussionis eorum declaratur, cum dicitur: *Quia viderunt arcam.* Quid est enim, *viderunt*, nisi quia ejus gloriam videndo concupierunt? Nunc autem, auctore Deo, per orbem universum sanctę Ecclesiæ gloria est copiosa. Quæ profecto gloria, quia a reprobis sacerdotibus seculariter appetitur, Bethsamitę viri arcam Dei exterius videndo moriuntur. Non enim spiritalem ejus honorem pro interna virtutum gloria appetunt, sed ut areæ Dei splendorem rapiant, & ecclesiasticæ prelationis fulgorem, in flore seculi suis cultibus ferant. Area quoque Dei mala foris ad percussionem respicitur, quando flagitiosi præpositi subditatum personarum exteriori specie devicti, ad carnalem concupiscentiam pertrahuntur. Viri timore ingentem multitudinem concupiscentiaę telo prostratam intuentes, dicunt: *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Stat quippe in conspectu Dei, qui fortis est in ordine divini ministerii. Stare etenim fortitudinis est, ministrare obsequii. Stare ergo in conspectu Dei dicitur, qui ordinem superni officii in altitudine disponit dignæ conversationis; qui in ministerio, quo fungitur, nullo appetitu ecclesiastici honoris decipitur, nulla carnali concupiscentia superatur. Quia vero tam idonei ministri raro inveniuntur, merito dicunt: *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Et quia tantum onus parvuli Christi viris fortioribus deferunt, subdunt: *Et ad quem ascendet a nobis?* Quomodo autem ad habitatores Cariathiarim miserint, quomodo arcam Dei in domum Aminadab intulerint, quomodo Eleazarum sanctificaverint, sicut supra expositum est, non mutamus.

Onus & periculum prælationis.

Plerique qui vivebant subditi, moriuntur prælati.

Quia cupiditate abripiuntur, non caritate ducuntur.

Quam pauci digne Dei ministrent.

Tom. III. pars secunda. L Et

a Gilot. & Vatic. quia nos supernam conversationem perutimus.
b Hæc in ceteris editis omissa restituenda duximus, quia infra tamquam jam proposita exponuntur.

Vers. 2.

Et factum est ex quo arca Dei mansit in Cariathiarim, multiplicati sunt dies.

Si ad historiam respicimus, dies mansionis arcæ multiplicati sunt, quia illic multo tempore fuit. Unde & subditur:

Ibidem.

Erat enim annus vicesimus.

Et ad quid istam dierum multiplicationem introduxerit, subdens, ait:

Ibidem.

Et requievit omnis Israel post Dominum.

Quæ nimirum requies in illo veteri populo non bonorum operum, sed bonæ devotionis intelligenda est. Nam sequitur:

Vers. 3.

Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Deum, auferte deos alienos de medio vestrum, Baalim & Astaroth; & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli, & liberabit vos de manu Philisthiim.

Doctrina sana bonorum operum studio correct. accedat.

3. Qui deos alienos de medio sui non abstulerant, nisi bona voluntate, post Dominum quomodo requiescebant? Quæ nimirum omnia si spiritaliter inquirantur, dies mansionis arcæ multiplicantur: sed cum manet in Gabaa, cum manet in custodia Eleazari; quia cum animarum cura apud religiosos prædicatores reconditur, perfectio religionis, quæ sublimi doctrina impenditur, bonorum operum studio adimpletur. Unde & annus vicesimus tunc instare relatus est. Si enim denarius numerus perfectionem antiquæ Legis designat: quid vicenarius, nisi splendidiorem novæ vitæ religionem significat? Vicenarius quippe numerus, denarius est duplicatus. Qui certe numerus in electorum conversatione perficitur, cum per amorem vitant Legis prohibita, & sublimia Evangelii mandata complent.

In contemplatione sublimes quæ norunt, perficiant & impleant.

4. Quia vero nos arcæ profectionem ac contemplativæ vitæ perfectionem retulimus, in Cariathiarim manet arca Dei, cum eruditæ mentes contemplantium, ejusdem eruditionis suæ donum, in oblectamento perficiunt revelatæ sibi supernæ claritatis. Viginti quippe annis manet ibi tunc arca Dei: quia electæ animæ ad exaltationis intimæ culmen evectæ, habent denarium numerum in perfectione scientiæ, vicenarium vero in superna delectatione. Potest etiam dierum multiplicatio ad virtutum spiritalium incrementa referri. Cum igitur causa, qua dies multiplicentur, expressius dicitur, annus vicesimus esse perhibetur: quia videlicet electæ mentes contemplantium, quod uberius superna contemplatione pascuntur, eo plenius virtutum spiritalium fulgoribus illustrantur.

Contemplatione pasti, virtutum splendore ornantur.

Quiescere post Dominum quid sit.

5. Quid vero est, quod anno vicesimo requiescere omnis Israel post Dominum dicitur, nisi quia sublimitas perfectionis electorum non consistit in fortitudine boni operis, sed in virtute contemplationis? Quiescere namque post Dominum, Redemtoris nostri imitationem invicibili caritate retinere est. Et quisquis illa supernę civitatis ineffabilia gaudia contemplando fortiter amare non didicit: quia sępius ad mundi amorem potest dejici, post Dominum nequaquam requiescit. Cur ergo manet arca in Cariathiarim, & dies multiplicantur, universus Israel post Dominum requiescit: quia profecto dum electę mentis scientia in experientiam supernę delectationis erigitur, dum luce refusæ glorię, virtutum spiritalium sibi claritates glomerantur, imitationem Dominicam tenere eo perseverantiùs potest, quo immensis illustrata claritatibus, eas tenebras, quibus a vero dividatur lumine, sentire non potest. Unde & bene qui post Dominum requiescere dicitur, Israel esse perhibetur, videlicet videns Deum: quia quo altius contemplator in divina rapitur, eo ab humanis, quæ potenter cohibet, nequaquam superatur.

Quo studio erga subditorum correctionem vigilandum.

6. Verum quia, auctore Deo, arcam ejus proficiscentem usque ad sublimitatis ejus situm deduximus, quo studio prædicator erga subditorum correctionem invigilet, videamus. Nam sequitur: *Et ait Samuel ad universam domum Israel: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestrum.* Quos autem alienos deos Scriptura sacra appellare consuevit, nisi dæmonia, quæ in manufactis simulacris habitant? In Samuele novos sanctæ Ecclesiæ prædicatores designari diximus. Recte itaque de medio sui deos alienos in universam Israel domum auferre præcepit: quia in accedentibus ad fidem Gentilibus, non solum rectæ professionis veritatem prædicatorum ordo petiit, sed etiam damnationem antiquæ superstitionis. Nil enim eis prodesset veritatem profitendo colere, vel obsequendo, nisi falsa prius detestanda reliquissent. Quisquis etiam nunc intra sanctam Ecclesiam positus est per fidem, sed Deo rebellis per iniquam operationem, admonendus est, ut alienos deos de medio sui auferat. Nam etsi manufacta simulacra detestatur, dæmonum tamen imperiis prava actione submittitur. De medio autem sui alienos deos abjicit, qui sic ad Deum convertitur, ut per mala opera immundos spiritus numquam veneretur.

Conversionis ordo & integritas.

Vitæ perfectioris studium & ratio.

7. Potest etiam cautioris vitæ studium per hęc exhortationis verba designari. Nam in medio nostri quid est, nisi cor nostrum? Sunt tamen nonnulli operatione mundi, sed infirmitate cordis, usu fœdantur pravæ cogitationis. Bona quidem incessanter faciunt, sed cogitare reproba numquam prætermittunt. Quia vero tot in eorum cordibus dæmonia requiescunt, quot desideria immunda, auferre de medio sui alienos deos instanter admonentur: quatenus omnipotenti Deo non solum rectitudinem impendant operis, sed & gloriam internæ puritatis. Unde & apte subditur: *Et præparate corda vestra Domino.* Cor quippe Domino præparat, qui mentem non solum ab immunda cogitatione separat, sed etiam cogitationum sanctarum, ac virtutum fulgoribus illustrat; ut velut abjectis & comminutis idolis, se Dei templum efficiat: dum illic divinæ gratiæ sedem erigit, ubi reprobos spiritus manere per subjecta eis prava desideria non permisit. Bene itaque prius auferre alienos deos de medio sui Israelitas admonent, deinde corda Deo præparare: quia rectus ordo inchoatæ religionis est, ut prius unusquisque prava reprobet, deinde ad omnipotentem Deum studio bonæ intentionis appropinquet. Ad extremum vero necesse est, ut qui jam Deo bonæ voluntatis propositum, & puri cordis munditiam obtulit, id quod intus bene vivendo deliberat, in rectitudine boni operis exponat. Quare & subditur: *Et servite soli Deo.*

Cor Deo præparandum.
Ut Deo soli serviamus, quid præstandum.

8. Soli quippe Domino servit, qui bonis operibus prava non inserit. Nam qui sic bona agit, ut mala non deserat, Deo soli nequaquam servit: quia malo spiritui obsequium exhibet, cujus perficere non metuit voluntatem. Unde agitur, ut etiam bona agens Deo non serviat: quia qui totum hominem condidisse creditur, habere eum communem cum adversario non dignatur. Hinc namque est, quod ipsa Veritas per semetipsam denuntiat, dicens: *Nemo potest duobus dominis servire.* Hinc Paulus Matth. 6. 24.

exqui-

2. Cor. 6. v. 14 & 15.

exquirens, ait: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli, aut quis consensus templo Dei cum idolis.* Soli ergo Domino servire præcipimur, ut qui jam aspirante Deo pro obtinenda peccatorum nostrorum remissione agere bona cœpimus, eisdem bonis prava nulla misceamus. A peccatorum namque nostrorum obligatione tunc solvimur, cum bona, quæ pro eorum impendimus absolutione, malis admixta non sunt. Devotis namque pœnitentibus loquens prædicator, dicit: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, & servite Deo soli.* Quasi dicat: Tunc a peccatis solvi poteritis, cum cordis & operis bona, quæ pro vestra absolutione impenditis Deo, supervenientibus criminibus aliis non fœdatis. Quare & repromittens, dicit: *Et liberabit vos de manu Philisthiim.*

A dæmonum potestate qui liberentur, aut liberari indigeant.

9. Qui hoc loco alii Philisthiim, quam maligni spiritus designantur? Qui nimirum dum superbiæ suæ calice in momento debriati sunt, a statu gloriæ tumescendo ceciderunt. Quæ est igitur manus Philisthiim, nisi potestas illa dæmonum, qua mortuas in peccato animas ad æterna tormenta perducunt? Ab ista Philisthiim manu solus liber fuerat, qui dicebat: *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Hinc Paulus ait: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.* Hinc iterum dicit: *Eramus & nos filii iræ, sicut & cæteri.* O quam magni muneris est ista promissio, qua dicitur: *Liberabit vos de manu Philisthiim.* Nam ille solus liber hujus manus extitit, qui peccatum non fecit. Ab ea utique omnes contra meritum liberamur: Unde & Paulus dicit: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem justitiæ suæ. propter redemtionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Domini nostri Jesu Christi.* Hinc item dicit: *Gratia liberati estis.* Tale est, ac si dicat: Liberabit vos de potestate spirituum malignorum, ut velut fugatis de itinere crudelibus hostibus, dum mors carnis intervenit, ea, quæ cupitis æterna gaudia, securius adeatis. Magna itaque promisit, qui magna præcipiendo docuit, ut magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris. Magnum quippe est soli Domino servire, videlicet instanter bona agere, bonis actibus reproba non miscere. Sed o quam maximum in vitæ hujus transitu, potestatem cruentorum spirituum non incurrere, nullas in via horribilitates cernere, contrarietates objectionum nullas invenire, æternas pœnas evadere, liberatoris nostri præsidia sentire, momentaneam seculi lucem perdere, sed repente ineffabilem claritatem æternitatis invenire. Audiant ergo, audiant, qui de manu Philisthiim liberari desiderant: *Præparate corda vestra Domino, & servite illi soli:* ut hic sibi quisque colligere studeant, unde illic manus tantorum hostium non incurrant: & securi ad vitam transeant, qui inter salutis suæ thesauros, quos hic bene vivendo congregant, mortis opera nulla portant. Electorum vero mores insinuantur, per hoc, quod subditur:

Johan. 14. 30. Rom. 3. 23. Eph. 2. 3 Gratis a Christo liberamur. Rom. 3. v. 24. 25. & 26. Ephes. 2. 8.

Vers. 4.

Abstulerunt ergo filii Israel de medio sui Baalim, & Astaroth, & servierunt Domino soli.

Electi, Dei verbum audiendo ad opera bona fiunt accensi, secus reprobi.

10. Electorum quippe mos est, ut cum divinæ prædicationis hortamenta suscipiunt, ad studium auditæ bonæ operationis accendantur. Nam reprobi & frequenter verba Dei audiunt, & eisdem tamen verbis nulla bona opera proponunt. Pigri in suis actionibus remanent: quia a divina luce projecti, omnipotentis Dei gloriam, cujus verba audiunt, interna contemplatione non vident. Recte ergo, qui obediunt, Israel filii dicuntur: quia quo majestatem apertiori manifestatione conspiciunt, ejus præceptis obedire devotius agnoscuntur. Sed quia conversis loquitur, quid eis adhuc deesse conspiciat, audiamus; Nam sequitur:

Vers. 5. & 6.

Dixit autem Samuel: Congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum. Et congregaverunt in Masphath.

In Deum fiduciam pœnitentiæ committitur. 1 Cor. 13. 12.

11. Masphath dicitur speculatio seu contemplatio. Quam profecto speculationem beatus Paulus exponit, dicens: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Speculari etenim nobis est, de altitudine Scripturarum æterna bona contemplari. Quasi enim speculamur, quod jam fidei veritate cognoscimus, & adhuc revelata facie non videmus. Conversis vero peccatoribus in Masphath convenire, est per mentis intentionem de Dei omnipotentis miseratione confidere. Sed sic de Dei misericordia præsumant, ut tamen id, quod se nequiter egisse recolunt, per pœnitentiam delere non negligant. Unde & illic repente subjungitur:

Vers. 6.

Hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini.

Nostris lacrymis Deo soli placere ambiamus.

12. Quid enim est aquam haurire, nisi de profunda animi pœnitentis confusione lacrymarum fluenta producere? Velut enim aquam haurimus, dum, quam profunda iniquitate cecidimus considerantes, plangimus. Quam profecto aquam in conspectu Domini effundimus, si cum pœnitendo compungimur, de ejusdem compunctionis fletu, non quærimus favorem seculi, sed solum fructum divinæ placationis. Sed & dum mens flendo compungitur, necesse est, ut etiam caro, quæ delectationibus subjacuit, affligatur. Unde & subditur:

Ibidem.

Et jejunaverunt in die illa.

Confessio peccatorum facienda sacerdoti. Ezech. 18. 32 & cap. 33. 11.

13. Dies peccatricis animæ, est spes consequendæ indulgentiæ, in divini verbi repromissione. Unde & per Prophetam Dominus repromittit, dicens. *Nolo mortem peccatoris: magis autem, ut convertatur, & vivat.* In die igitur illa jejunant, qui idcirco carnem pœnitendo atterunt: quia in luce spei pervenire ad indulgentiam se indubitanter credunt. Quæ tamen afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis. Bene itaque sequitur:

Qui pro modo criminis pœnam imponat.

Ibidem.

Dixeruntque: Tibi peccavimus, Domine. Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath.

Quæ dotes illi necessariæ, ut rite liget & solvat.

14. In Masphath quippe sacerdos judicat, cum non humanum arbitrium sequitur, sed divinum; cum in omni, quod disponendum est, se in alta contemplatione sublevat, & hoc in subditorum judicio disponit, quod æquum esse in superna visione cognoscit. Hinc namque est, quod in omni fere negotio Moyses in tabernaculo fœderis Dominum consulit: quia nimirum prædicator sanctæ Ecclesiæ in intima debet veritatis contemplatione conspicere, ut subditorum vitam foris irreprehensibiliter valeat ordinare. Tunc enim & tenere peccata, & dimittere verius potest, cum in arcano speculationis, Domino loquente audit, quod loquitur. Unde & resurgens a mortuis Dominus prius in discipulorum faciem insufflavit, & postea dimitten-

Exod. 33. v. 8. &c. Johan. 20. v. 22. 23.

di retinendique peccata auctoritatem tribuit: ut profecto monstraret, quia qui illam mentis speculationem non habet, judex animarum esse non debet. In electorum quippe prædicatorum faciem Dominum insufflare, est intimas secretasque vias spiritalis examinis eis per Spiritum sanctum revelare. Hinc Paulus ait: *Spiritalis judicat omnia*. Hinc item divinæ gratiæ largitatem commendans, ait: *Nos spiritum hujus mundi non habemus, sed Spiritum, qui ex Deo est: ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis*. Qui autem hujus mundi spiritum habet, in Masphath, id est in speculatione subditos judicare non potest: quia dum per spiritum interiora non penetrat, in causis examinis quas exquirit, mundano spiritu foris errat. Bene igitur Samuel filios Israel in Masphath judicasse dicitur: quia nimirum prædicatores sancti, in subditorum judiciis aliud extra nequaquam definiunt, nisi quod intus eis divina inspiratione revelatur. Sed dum boni subditi majorum judicio semetipsos subjiciunt, spiritalium hostium iras contra se validius accendunt. Unde & subditur:

1. Cor. 2. 15.

Ibid. v. 12.

Et ascenderunt Satrapæ Philisthiim ad Israel.

Vers. 7. Post pœnitentiam ... [illegible]

15. Ablatis namque diis alienis, peracto jejunio, exhibita a prædicatore censura examinis; ad Israel Philisthinorum principes ascendunt: quia cum altiori vita proficimus, maligni spiritus, qui semper bene agentibus invident, nobis infestiores sunt. Et quia de innocentiæ vitæ sublimitate nos deponere appetunt, ascendere dicuntur. Ascendere quippe malignis spiritibus, est se ad expugnanda alta per cæleste desiderium corda sublevare. Quia etiam contra perfectiores Christi milites non quorumlibet malorum spirituum, sed fortiorum dæmonum prælia excitantur; non Philisthiim contra Israel ascendere, sed Philisthinorum Satrapæ perhibentur, Principes quoque pluribus præsunt. Per hoc ergo, quod contra Israel Satrapæ ascendere dicuntur, potest rationabiliter colligi: quia ad probandam electorum patientiam, nec unus spiritus malus electorum singulis, sed innumeri deputantur; ut de consecuta eorum victoria, tanto sit copiosior fidelium gloria, quanto eis irrogata fuerint prælia graviora. Tamen inter eadem prælia nuper conversi vehementer pavere solent: repente etenim inveniunt se in campo laboris, præter experimentum consuetudinis. Armata hinc contra se aspiciunt desideria, quæ sibi dudum pacata serviebant: illinc supernus amor inspirat, ut cœpta bona non deserant. Hinc spiritus mentem elevat, illinc caro gravat; sicque dum finis sui modum scire non possunt, de electionis suæ incertitudine vehementer expavescunt. Unde & hic apte subditur:

Eorumque principes.

Quod audientes filii Israel, timuerunt a facie Philisthinorum.

Vers. 7.

Electorum ... [illegible]

16. A facie enim Philisthinorum timent, ut eorum posteriora non timeant. Quæ est enim malorum spirituum facies, nisi concupiscentia secularis? In hac enim specie quicumque componitur, eorum imagini conformatur. Quia vero non Philisthinorum faciem, sed ab eorum facie timuisse Israel dicitur; sic electorum mentes insinuat, ut etiam reproborum stultitiam latenti ratione reprehendat. Non enim faciem, sed a facie timuerunt: quia videlicet sancti viri, aliud est quod foris aspiciunt, aliud quod intus expavescunt. Nam etsi aliquando florentem mundum humana ratione considerant; repente mentis oculos ad ea mala, quæ mundi gaudia sequuntur, retractantes levant, & velut a facie trepidant, qui pœnis sequentibus contingere præsentes delectationes vitant. At contra reprobi, qui hanc Philisthinorum faciem nequaquam metuunt, sequentes ferocitatis eorum impetus non evadunt. Dum enim vana mundi gaudia tota virtute suscipiunt, afflictiones perpetuas, dæmonium virtute, capiunt. Quibus nimirum Veritas comminatur, dicens: *Væ vobis divites, quia recepistis consolationem in vita vestra*. Hinc item denuntians, ait: *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis*. Quasi aliter dicat: Quia a Philisthinorum facie nequaquam pertimescitis; cum sequentes eorum vires irruunt, salutis invenire refugium non potestis. Tunc quidem timor adest; sed, qui adjuvet, non adest. Vindicta datur flagitii sine spe liberationis; & quam sint Philisthinorum horribilia posteriora sentiunt, qui faciei eorum blandimenta in mundi amore voluerunt. Bene igitur de Israelitis, in electorum typo dicitur: *Timuerunt a facie Philisthinorum*: quia nimirum dum conversandi modum sibi solerter ordinant; non distinunt metuere æterna mala, cum veniunt: sed a temporali concupiscentia trepidant, cujus merito irrogantur. Et quia non tam suis meritis, quam majorum hoc intercessione posse obtinere credunt, sequitur:

Reprobis qui modo non timent, quantum in futuro metuendum.

Luc. 6. 24.

Ibid. v. 25.

Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses clamare pro nobis ad Dominum Deum Israel; ut salvet nos de manu Philisthiim.

Vers. 8.

17. Sed & tentatis subditis Pastores boni non solum orationum præsidia conferunt, sed etiam sacrificiorum. Unde subditur:

Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino, & clamavit Samuel.

Tentatis subditis orationum & sacrificiorum subsidia Pastores subministrant.

Vers. 9.

Quid est clamor Samuelis, nisi in supplicatione pontificis magna virtus desiderii? Unde ad tacentem labiis Mosen, licet populi subditi salutem ferventi devotione cupientem, a Domino dicitur: *Quid clamas ad me?* Quis vero est agnus lactens, ille, quem præcursor ejus ostendit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* Et lactens dicitur: quia in ejus innocentia vera humanitas prædicatur. Sed unus agnus offertur: quia præter ipsum, qui mundi tollat peccata, nequaquam reperitur. Quem profecto agnum integrum obtulit. Integritas quippe agni ad soliditatem pertinet catholicæ professionis. Velut enim agnum dividit, qui a canone fidei per gladium separatur erroris. Agnus itaque dicitur pro innocentia, lactens pro assumtione naturæ, unus pro singularitate potentiæ, integer pro fidei nostræ firmissima soliditate.

Exod. 14. 15.

Johan. 1. 29.

18. Quod si quis hæc non ad ipsum, sed ad ejus imitatorem referre voluerit, potest. Agnum quippe offerimus, cum per bonum castitatis & innocentiæ, Redemtori nostro conformamur: & cum doctrina innocentium Patrum nostrorum pascimur, velut ubera sugimus, quibus ad æternam vitam nutriamur. Unum quoque agnum offerimus, si post initia religiosæ conversationis, nulla polluimur inquinatione pravitatis. Unum quippe agnum offert, qui a proposito innocentiæ, ad pollutæ vitæ maculas nequaquam diffluit, a quibus redeat per iterationem bonæ operationis. Integrum quoque agnum offerre, est ad æternam vitam non solum carnis continentiam, sed mentis integritatem præparare. Integrum quoque agnum Domino nequaquam offert, qui carnem Deo per continentiam consecrat, sed mentis suæ secreta ab immundarum

Agnum offerre quot modis explicari possit.

cogi-

cogitationum lascivia non refrenat. Velut enim agni partem sacrificio subripit, qui puritatem cordis, corporis continentiæ non conjungit. Unde & ipse agnus agnum integrum offerre discipulis præcipiens, ait: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis: ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum, mœchatus est in corde suo.* Hinc etiam fatuæ virgines in Evangelio notantur, quæ lampades paraverunt, & oleum non paraverunt. Lampades namque paratas habent, qui bonum pudicitiæ servant in corpore: oleum quoque habent, qui nitorem puritatis tenent in mentis suæ circumspectione. Dicitur ergo de Samuele: *Obtulit agnum integrum Domino*: quia ut bonum pudicitiæ divinæ placationi sufficiat, non solum in candore corporis servari debet, sed in splendore internæ puritatis. Merito itaque subditur:

Matth. 5. v. 27. & 28.

Ibid. 25. 3.

Et exaudivit eum Dominus.

Ibidem.

19. Ille namque exaudiri a Domino pro aliis orans potest, qui ex parte aliqua ei, cui supplicat, Domino odibilis non est. Nam si adhuc propria infirmitate deprimitur, pro obtinenda proximorum fortitudine nequaquam exauditur: & eo desiderium suum ad divinæ celsitudinis arcem non sublevat, quo ipse de imo, quo per lapsum jacet, conatu ferventioris studii ascendere nequaquam curat. Sed & modus exauditionis exponitur, cum subinfertur:

A Deo qui exaudiantur.

Factum est, dum Samuel offerret holocaustum, Philisthæos inire prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt a filiis Israel. Egressique filii Israel de Maspath, persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos usque ad locum, qui erat subter Bethchar.

Vers. 10. & 11.

20. Offerente holocaustum Samuele, Philisthiim contra Israel prælium ineunt: quia maligni spiritus tunc adversus fideles subditos graviores tentationes commovent, cum contra se stare instantiis Pastores vident. Sed super Philisthæos Dominus intonat: quia orationibus doctoribus & fidelibus subditis, divina gratia robur administrat. Tonitrua enim fieri per nubila solent. Nubes autem sublimes per cæleste desiderium animæ intelliguntur. Unde & Propheta mentes electorum in amore cælestium elevatas admirans, dixit: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Quæ sunt autem tonitrua nubium, nisi illa ferventia & superna electorum desideria, quibus dum per divinam gratiam eorum mens succenditur, omne, quod maligni spiritus decipiendo suggerunt, ab ea penitus expellunt? Bene ergo dicitur: *Intonuit Dominus super Philisthæos, & exterruit eos.* Nam dum per gratiam suam electis mentibus superna desideria infundit, quia etiam terrena omnia facit contemnere, eos etiam, qui ea eis appetere suggerunt, nequam spiritus in fugam vertit. Velut enim tonitruo territi fugiunt, dum in electis mentibus, quas tentando pulsaverant, ingentem sonitum divinæ virtutis expavescunt. Quia vero fragore magno intonuisse Dominus dicitur, quid est aliud, nisi quia imperfecta Christianorum desideria dæmonibus terribilia non sunt? Fragor enim magnus tonitrui, perfectum est uniuscujusque desiderium electi. Cum igitur fragore magno super Philisthæos Dominus intonat, tunc a filiis Israel cæduntur: quia dum electorum mentem perfecta devotio ad superna gaudia erigit, omne, quod adversæ parti militat, a se penitus abscindit. Bene quoque prius territi Philistæi, deinde a filiis Israel cædi memorantur: nam terrentur electorum devotione, cæduntur opere. Et quia opere devotio prior est, terreri prius, postea vero cædi recte perhibentur. Nam prius donum bonæ voluntatis a Domino accipimus, ut consilia malorum spirituum postmodum confutare valeamus. Bene etiam Dominus super Philisthæos intonare, & exterrere eos dicitur, filii autem Israel illos cædere perhibentur: quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur, sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus. Ordo igitur cælestis militiæ est, ut ante tonans fragore magno audiatur Deus, & post miles ad cædenda hostium agmina progrediatur: ut videlicet in se prius dona gratiæ videat, deinde ad certaminis campum validus erumpat, & securus victoriæ proventum speret, qui eis, quibus coronetur, viribus ante congressionis tempora fultus est.

Quando contra nos hostis graviores tentationes moveat.

Divinæ gratiæ auxilio fiunt nitidæ. Isa. 60. 8.

Imperfecta Christianorum desideria dæmones non terrent.

Ordo nostræ ... victoriæ.

21. Bene autem, qui Philisthæos cædunt, de Maspath egressi perhibentur. In Maspath etenim, quæ speculatio dicitur, morantur, qui in divinarum rerum contemplatione persistunt. Sed ad cædendos Philisthæos exeunt, cum ex arcano internæ meditationis consulti venientes, comprimunt vires adversæ dominationis. Intus enim latenter ordinant, qualiter foris in apparatu operæ, hostium cuneos irrumpant. Tanto quidem graviores pugnas eis procedentes exhibent, quanto, dum interna cogitant, apud se quietiores latent. Et quia maligni spiritus ab electis Dei semper comprimendi sunt, usque ad locum subter Bethchar Philisthiim percussi fuisse memorantur: Bethchar quippe, domus agni interpretatur. Hunc agnum nobis Isaias insinuans, ait: *Tanquam agnus ad occisionem ducetur, & tanquam ovis coram tondente se, sine voce.* Quæ igitur fuit domus agni, nisi illa sublimis, & singulariter munita conversatio Redemtoris, quæ dum culpa caruit, cunctis nequam spiritibus inaccessibilis extitit? Ad Bethchar, idest domum agni pervenire nemo potest: quia quisquis multum proficit, sanctitate Redemptoris inferior est. Unde & prædicator egregius ejusdem Redemptoris laudibus insistens, dicit: *Talis decebat, ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem, sicut sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre.* Quis est ergo locus subter Bethchar, ad quem usque Philisthiim cædere, & persequi debemus? Sed si Bethchar perfectionem signat Dominicæ conversationis, locum subter Bethchar, communem Sanctorum summam exprimit sanctitatis. Qui & eidem Redemtori se obediendo humiliant, & ejus gloriæ per studium vitæ innocentis appropinquant. Locus enim, qui subter Bethchar situs ostenditur, eidem loco, cui subest, & inferior esse cognoscitur, & vicinus: quia sancti viri, quo Deo per vitæ altitudinem vicini sunt, eo & humiliori cogitatione subjecti. Dum ergo novitiorum fidelium triumphus sub Israelitarum gestis ostenditur, usque ad locum sub domo agni cæsi alienigenæ dicuntur: quia profecto per indesinentem conatum certaminis, contendere debemus ad arcem perfectionis: ubi jam tanto simus hostibus nostris terribiliores, quanto Redemptori nostro viciniores. Ibi enim jam quædam securitas est, quæ perturbari hostium pavore non potest. Talibus namque concessa virtutis dona insinuans Dominus, ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici.* Unde & is, qui ad locum domus agni

Internæ meditationi dediti felicius tunc in hostem decertant.

Quousque Ipsum ... [illegible]

Isa. 53. 7.

Hebr. 7. v. 26. & 27.

Ad arcem perfectionis tendendum.

Luc. 10. 19.

Rom. 8. 35.

vicinum pervenerat, dicit: *Quis nos separabit a caritate Christi, tribulatio, an angustia, an fames,* an cetera talia? Potest etiam domus agni cęlestem patriam designare. Unde & Johannes dicit: *Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in frontibus suis.*

Apoc. 14. 1.

Usque ad temporalis vitæ terminum.

Quis est igitur locus, qui est sub domo agni, nisi terminus temporalis vitę, ex quo ad supernę patrię gaudia assumuntur electi? Qui enim usque ad statutum nobis terminum ducimur, quem pręterire vivendo non possumus, velut ad locum venimus, unde alio transferamur, Sed terminum vitę electi viri sub domo agni situs ostenditur quia unde pèr angustias mortalitatis demergitur, inde ad vitæ indeficientis gaudia sublevatur. Nam & agnus ipsa, qui citharœdorum citharizantium & cantantium domum suam lætus inhabitat, antequam ad hujus domus lætitiam duceretur, sub domo fuit. Hinc namque est, quod immolationis suæ tempore dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Electi ergo uniuscujusque finis dum loco ostenditur, subter Bethchar, id est domo agni esse memoratur? quia sancti viri cum per mortis pœnam temporalia deserunt, de vicino præeminentem sibi supernam patriam conscendunt. Nam Paulus, confidenter asserens, dicit: *Scimus, quia si terrestis domus nostra dissolvatur, habemus habitaculum ex Deo, non manufactu in cælo.* Igitur usque ad locum, qui est subter domo agni, Philistheos cædimus: si quamdiu in hac vita sumus, de malignis spiritibus triumphamus. Sequitur;

Matt. 26. 38. Marc. 14. 34.

2 Cor. 5. 1.

Vers. 12.

Tulit autem Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphath & Sen: & vocavit nomen ejus Lapis Adjutorii, dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.

Christus lapis adjutorii electis, reprobos confringit & conterit.

22. Lapis in sacro eloquio Dominum, & Redemtorem nostrum significat. Lapis vero unus a Samuele tollitur, cum a sanctæ Ecclesiæ prædicatore Redemtoris fortitudo singulariter prædicatur. Qui profecto inter Masphath, & Sen præfigitur: quia in vitæ exitu electos protegit, reprobos confringit. Sen quippe excussio dicitur. Excussi autem sunt reprobi, id est a fidelium societate separati. Dum ergo usque ad locum subter Bethchar Philisthæi cæsi perhibentur, lapis inter Sen, & Masphath præfixus asseritur: quia dum electi Dei victoriæ suæ titulum in fine percipiunt, Redemtoris judicio a malorum societate separantur. Modo vero, velut in area frumentum, & palea simul sumus: sed dum ad vitæ terminum, ducimur, electi a reprobis Dominica virtute dividuntur, & velut inter se lapidem habent medium, dum illi pondus Redemtoris in damnationis suæ judicium sustinent, & isti in ejus fortitudine æternę gloriæ palmas tenent. Possunt per Sen etiam maligni spiritus designari. Excussi quippe sunt, quia a cælesti secreto per superbiam projecti. Et quia nunc in hac vita nobiscum præliantur, bene cum victoriæ nostræ tempus asseritur, lapis inter nos & eos positus perhibetur: quia cum militiæ nostræ donativa percipimus, ultra nobis eorum prælia nequaquam renovatur. Samuel autem hunc lapidem in medium ponit: quia nobis Redemtoris nostri bonitatem sanctæ Ecclesiæ doctor ostendit. Et quia omne, quod a nobis in omni vita nostra prosperum geritur, divinæ gratiæ adscribitur: apte ab eo lapis ille, qui in medio sistitur, Lapis Adjutorii vocatur. Ipse est namque Lapis Adjutorii, qui si nobis subvenire noluerit, vinci possumus, vincere nequimus. De quo jam in medium posito dicitur: *Usque huc auxiliatus est nobis Dominus:* quia ejus præsidia electos suos usque ad æternæ retributionis tempora persequuntur. Et quia ut diximus, jam tunc a nobis in æterna requie susceptis, a depressis hostibus prælia nulla commoventur, sequitur:

Quidquid a nobis peritur bonum divinæ gratię adscribendum.

Vers. 13.

Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt, ut venirent ultra in terminos Israel.

Sanctorum in cælo requies, nullis hostis tentationibus turbabitur.

23. Hæc profecto sic electorum singulorum facta exprimunt, ut sanctæ catholicæ Ecclesiæ & procinctum innuant belli, & gaudia remunerationis. Hanc namque universalis Ecclesię victoriam jam post resurrectionis nostræ gloriam futuram, beatus Paulus ostendit; qui quasi futurę incorruptioni pręsens, morti insultabat, dicens; *Absorta est mors in victoria? ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* Humiliatos etiam Philisthæos vidit: quia apostatarum Angelorum memorans, ad amorem futurę dignitatis electos accendit, dicens: *An nescitis, quia Angelos judicabimus?* Tunc quippe Philisthæi humiliantur, cum in pręparata sibi ab origine mundi æterni ignis incendia dæmones mittuntur. Et in terminos Israel venire ulterius non apponunt: quia ad tentanda electorum corda non exeunt. Qui autem sunt Israelis termini, nisi cęli? Quomodo autem mali spiritus in Israelis terminos venient, qui sic in inferni profundo damnati sunt, ut a summersione pœnarum nunquam resurgant? Quia ergo ęterna oppressione dejiciuntur, apte subinfertur:

1. Cor. 15. v. 54. & 55.

1. Cor. 6. 3.

Ibidem.

Facta est, inquit, manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis.

Prædicatorum singularis fulgor in gloria.

24. Qui enim sunt dies boni doctoris, nisi vernantes illi radii fulgentis ęternitatis? Qui apte Samuelis esse referuntur: quia etsi communes sunt electorum omnium, speciali quadam gratia ad gaudia lucent prædicatorum. Vel certe pręedicatorum sunt, quia specialius eorum mentibus fulgent, quorum pręedicatione nunc sanctæ Ecclesiæ demonstratur. Manus autem Domini super Philisthęos cunctis diebus Samuelis facta perhibetur, quia divina potestas malos spiritus semper opprimit, quæ in ęternæ claritatis gloria etiam electos exhilarare numquam desistit. Tunc vero Angelorum damna reparantur, cum quidquid de ordine conditorum spirituum? eorum superbia sublatum beatitudini fuerat, de electis hominibus adimpletur. Quare sequitur:

Vers. 14.

Et redditæ sunt urbes, quas tulerant Philisthiim Israeli.

Peccantium restitutio per pœnitentiam.

25. Urbes sublatæ sunt illæ perditæ multitudines Angelorum. Sed tunc redduntur, quando de electa natura humana assumitur, unde quod de Angelis periit, suppleatur. Quod etiam in conversione flagitiosorum hominum accipi convenienter potest. Urbes namque Philisthiim tollunt, cum unitas fidelium mentes tentando decipiunt; & sibi eas peccatis immergendo supponunt. Sed ablatæ urbes Israeli redduntur: quia sic in hac vita pœnitentes satisfaciunt, ut in perenni gloria splendidi ad electorum gaudium exhibeantur. Quia vero non solum, qui agere bona negligunt, sed etiam, qui abundanter iniquitatem faciunt, pœnitendo salvantur, subditur:

Ibidem. Scilicet tam bona agere negligentium.

Ab Accaron usque Geth.

26. Accaron dicitur sterilis, Geth torcular. Steriles quidem sunt, qui bona opera non agunt. In torculari autem uva premitur, & vinum [a] promul-

a Forte legendum, promulgatur.

quam mala perpetrantium.

mulgatur. Quid est autem concupiscentia secularis, A nisi uva reprobæ mentis? Quid vero est fervor peccandi, nisi liquor vini, qui peccatoris mentem æternorum bonorum immemorem facit? Dum enim ex concupiscentia cordis peccatum generatur, quasi io torculari de uva vinum producitur. Ab Accaron ergo usque Geth sublatæ urbes Israeli redduntur: quia bona agere negligentium, & mala audacter perpetrantium mentes, quæ pœnitendo ad Dominum modo redeunt, tunc in communi electorum gloria splendidæ demonstrantur. Earum quippe mala in Dei memoria nequaquam veniunt, quæ ipsi pœnitentiæ afflictione delere obliti non sunt. Sequitur:

Ibidem

Eratque pax inter Israelem, & Amorrhæum.

Christus pax nostra. Mich. 5. 5. Eph. 2. 14.

27. Quæ est pax, nisi quam Propheta Mi- B chæas asserit, dicens: *Et erit iste pax in terra, cum venerit.* Hinc Paulus ait: *Ipse est pax nostra, qui facit utraque unum.* Quid est autem, quod inter Israelem, & Amorrhæum pax ostenditur? Sed quid per Amorrhæum, nisi pars hominum reproba designatur? Qui vero per Israelem figurantur nisi electi? Et quia electi in dextera Dei, reprobi vero in sinistra futuri sunt, dum pax esse inter utrosque asseritur, Sanctorum beatitudo inclyta demonstratur; qui justitiæ Conditoris tanta æquitate conveniunt, ut de conspecta reproborum pœna nulla compassione moveantur. Dum ergo inter Israelem, & Amorrhæum pax esse ostenditur, non demonstratur bonum, quod commune cum sanctis habeant reprobi, sed quo muniantur ele- C cti. Unde & sub Israelis specie per Prophetam sanctæ Ecclesiæ repromittitur: *Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Pacem quippe Ecclesiæ fines ponit: quia dum Redemtoris potentia eam in intimæ æquitatis celsitudinem erigit, per dolorem compassionis, perditorum miseria non affligit. Sed ad tantam beatitudinem quo Pastorum studio boni subditi promoveantur, exponit, dicens:

Matth. 25. 33

Psal. 147. 14.

Vers. 15.

Judicavit quoque Samuel Israelem omnibus diebus vitæ suæ.

Lucem justitiæ quam verbis ostendit prædicator, exemplis præferat.

28. Qui sunt dies vitæ uniuscujusque doctoris, nisi virtutum spiritalium clarites? Omnibus namque diebus vitæ suæ Israelem judicat, qui lucem justitiæ, quam loquendo asserit, ad subditorum fi- D delium exemplum, perfectione repræsentat bonæ conversationis. Qui autem virtutum spiritalium lucem non habet; quia ad docendum assumit bona conversationis extraneæ, diebus profecto judicat vitæ alienæ. De quibus profecto per Prophetam Dominus dicit: *Ecce ego ad Prophetas, qui furantur verba mea, unusquisque a proximo suo.* Verba quippe furantur, qui bonum, quod docendo prædicant, operando non sequuntur: quia veluti clam de alieno tollunt, quod dato proprii laboris pretio suum nequaquam faciunt. Post denuntiatam itaque futuram beatitudinem, qualis interim debeat esse fidelium Pastor, ostenditur: quia omnibus E vitæ suæ diebus Samuel Israelem judicasse perhibetur. Perfectionis etenim viam male insinuat, si lucis iter quis voce volens pandere, actione tenebrescat. Nam qui cunctos vitæ suæ dies ad judicandum Israelem contulerat, dicit: *Non audeo loqui bonum aliquid, quæ per me non efficit Deus, in obedientia Gentium verbo & factis.* Judicet igitur doctor, sed qui dies vitæ suæ inclytos habet: ut videlicet in se prius virtutum spiritalium radios bene vivendo foveat, quos providendis subditorum itineribus loquens administrat: quia & lucerna tunc iis, qui in domo sunt, utiliter ostenditur, si ipsa antea eo, quod sparsura est, bene repleatur lumine. Sequitur:

Jerem. 23. 30.

Rom. 15. 18

Vers. 16.

Et circuibat per singulos annos Bethel, & Galgal, & Masphath, & judicabat Israelem in supradictis locis.

Ex omnium quoque ordinum & conditionum Sanctis exempla mutuetur, quæ imitanda proponat.

29. Bethel, dicitur domus Dei: Galgal, rota: Mesphath, ut jam superius replicatum est, speculatio interpretatur. Quid ergo Bethel, nisi viros officio sacri altaris deputatos significat: qui dum spiritalibus studiis inhærent, velut domestici Dei omnipotentis familiares sunt? Et quid Galgal, quæ rota dicitur, nisi conjugatorum ordinem designat? Velut enim in rota circumeunt, dum volubilis mundi curis penitus carere non possunt. Et quid per Masphath, quæ speculatio interpretatur, nisi illi exprimuntur, qui divinæ contemplationi vacantes, solis supernis gaudiis inardescunt? Quid ergo est, quod Samuel & Bethel, & Galgal, & Masphath circuire dicitur, & in eisdem locis Israelem judicare, nisi quia electus prædicator omnium electorum ordinum exempla sequitur, ut subditorum fidelium esse valeat censor doctus? Non enim esse poterit æqui examinis, si de exemplis præcedentium electorum dedignatur assumere, quod decernit. Sed & per singulos annos ista circumeat, ut doctor providus ordinum singulorum perfectionem sigillatim respiciat: ut, quo subtilius præcedentium bona viderit, præsentia disponere decentius possit. Ibi ergo, ibi judicet Israelem, ut subjectos fideles, quos ad Dei visionem erudit, illorum rectitudine corrigat, quos Deo placuisse indubitanter credit. Potest etiam per Bethel, quæ domus Dei dicitur, universa electorum Ecclesia designari: per Galgal, quæ interpretatur rota, Scriptura sacra. Quidquid vero in subditorum profectu doctor exhibet, aut de exemplo electorum accipit, aut magisterio sacri eloquii, aut revelatione internæ, ac secretæ contemplationis.

In sacra Scripturæ lectione speculatur, ut intus per contemplationem a Deo doceatur.

30. Samuel itaque Bethel circuit, cum prædicator Ecclesiæ auctoritatem disponendorum operum, de exemplis majorum quærit. Galgal, id est, rotam circuit, quando doctrinæ suæ auctoritatem de magisterio sanctæ Scripturæ comprehendit. Masphath quoque circuit, cum per secretæ contemplationis meditationem, revelationem meretur suscipere veritatis. Ibi enim judicat Israelem: quia quidquid subditis proponit ad normam rectitudinis, aut de exemplis electorum accipit, aut doctrina sacri eloquii, aut ex revelatione internæ contemplationis. Quibus profecto verbis ostenditur, non tantum, quæ doctor perfectus agat, sed etiam quia perfectus non sit, si agere hæc non possit. Nam si solum bonorum exempla noverit, aut si sacræ Scripturæ etiam quis eruditus sit, & contemplationis revelatione caruerit, in ordine prædicationis vir perfectus non erit. Contemplatio enim virtus est, per quam non solum ipsa Scriptura condita recognoscitur, sed per quam nondum condita conderetur: & per quam condita ad Dei voluntatem quotidie disponatur. Bene ergo dicitur: *Et judicavit Israelem in supradictis locis.* Nam non solum in Bethel, & Galgal, sed etiam in Masphath: ut qui ad perfectionem prædicationis * innititur, dum per humilitatem exempla majorum sequitur, dum per studium sacri eloquii eruditione fulcitur, curet omnino necesse est, ut puritate mentis, ea quæ disponenda sunt, contemplando cognoscat. Dei namque debet esse docibilis, qui suscepto prædicatio-

* Forte legitur enititur.

cationis officio, doccre homines cupit. Tamen sic præsumat de eo, qui secretæ contemplationis eruditione instruitur, ut nec editas per Spiritum sanctum Scripturas fastidiat, nec sequi electorum exempla dedignetur. Samuel enim Bethel, & Galgal, & Masphath circuire describibit; ut alterum ab altero per discordiam nequaquam dividatur: ut videlicet & exempla recipiat quæ sacra Scriptura approbat; & illas sacras Scripturas, quas electi homines scripserant, recognoscat: atque eas revelationes contemplationis a Deo sibi ostensas sentiat, quæ nec ab electorum operibus, nec a sanctæ Scripturæ auctoritate discordant. Sed & omne quod agit, ad rectitudinem redigat supernæ intentionis. Unde & subditur:

Vers. 17. *Revertebatur in Ramatha: ibi enim judicabat Israelem, & ibi erat Domus ejus.*

Ne labore obruatur, Sanctorum societatem quærat.

31. Ut longe supra jam diximus, Ramatha interpretatur visio consummata: & supernorum civium illam beatam & perfectam societatem significat: ad quam Samuel revertitur, ne laboris sui onere deprimatur. In Ramatha quippe Samuel revertitur, cum mens prędicatoris per amorem cælestium relevatur. Nam inter officii sui onera tam immensa correret, si ad amorem cælestium per spei suæ desiderium non rediret. Reverti etenim prædicatoribus, est intentionem mentis suę ad gaudia patriæ cælestis reducere. Et ibi Israelem judicant: quia supernæ patriæ pulchritudini, quam in mente retinet, fideles subditos facere conformes prædicando, student. Ibi judicant Israelem: quia ex illa jam perfecta civitate formam videntes trahunt, quam filiorum mentibus loquentes imprimunt: & quidquid illa pulchritudine indignum conspiciunt, ab eorum mentibus abscindere conantur. Et quia in illius beatæ patriæ gloria tota dilectione requiescunt, ibi ejus domus esse perhibetur. Ejus namque domus esse cognoscitur, in qua amando conversatur. Unde & ille egregius prædicator gloriatur, dicens: *Nostra conversatio in cœlis est.* Bethel namque circuit, Galgal, & Masphath, & in earum aliqua non habet domum, in Ramatha autem domum habet; quia doctores sanctę Ecclesiæ quidquid nunc accipiunt de exemplis electorum, quidquid de eruditione sacrorum voluminum, quidquid de altitudine supernæ revelationis transitorie rimantur, ad adjutorium habent itineris, non ad amorem remunerationis. Illud vero, quod in superna civitate diligunt, non ad profectum itineris, sed ad sufficientem, imo ad abundantem largitatem mercedis. Et quia illuc cuncta bona congregantur, sequitur:

Ibidem. *Ædificavit ibi etiam altare Domino.*

In cordis altari amoris holocaustum offerat. Matt. 6. 21

32. Quid est enim altare Domini, nisi cor justi? Veritatis autem judicio dicitur: *Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Qui autem pro amore supernæ patriæ bona agit, dum ardenter ad ea, quæ sursum congregat, pervenire desiderat, profecto altare ædificat, super quod quotidiani desiderii hostias incendat. Bene autem dicitur: *Ædificavit ibi altare Domino:* quia ex incremento studii cælestis, sicut flamma crescit in corde boni desiderii, ita & velut additis lapidibus, altare sursum construitur, ubi Deo holocausta offerantur amoris. Quod etiam ad lucrum animarum referri convenienter potest. Doctor namque in Ramatha altare Domino ædificat, cum subditorum merita in cælo locat, & dum quotidiano ejus studio electæ animæ ad cælestia regna conscendunt, velut ad structuram superni altaris lapides mittuntur. Dicatur ergo de Samuele, dicatur: *Ædificavit ibi altare Domino:* quia nimirum valde otiosum est doctoris studium, si per hoc, quod ab illo in terris agitur, cæleste ædificium non augetur.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Priorum Sanctorum facta sequentium solatia sunt.

1. SANCTORUM virorum facta pręcedentium sæpe electorum sequentium solatia sunt. Mira etenim dispensatione divini consilii, & altissimæ conversationis arce sic sublimati sunt, ut fortia agerent sibi, recta subditis providerent; sic sibi quandoque derelicti, ut ea quę recta intentione disponerent, secundum Dei providentiam recta non essent; quatenus illorum infirmitas, electorum sequentium firmitas fieret: quia etsi ut homines in disponendis sanctæ Ecclesię negotiis falli possunt, ipsæ tamen ecclesiasticæ dispositiones deferendæ non sunt. Ecce etenim dicitur.

Illorum vel infirmitas eos corroborat.

1. Reg. 8. Vers. 1. 2. & 3. *Factum est autem cum senuisset Samuel posuit filios suos judices Israel, fuitque nomen filii sui primogeniti, Johel, & nomen secundi, Abia, judicum in Bersabee. Et non ambulaverunt filii sui in viis ejus.*

Prophetis ad cuncta disponenda, non semper adest spiritus prophetiæ.

2. Ecce qui prophetiæ spiritu plenus fuerat, ii quos judices Israeli ponebat, quia post avaritiam postmodum declinare debebant, & munera accipere, & pervertere judicium, non cognovit. Quid ergo mirum, si falli in disponendis ordinibus possunt, qui prophetię gratiam non accipiunt; si ii qui prophetiæ spiritum habent, eumdem spiritum ad disponenda cuncta non habent? Quis autem de tanto viro dubitet, quia si futuram perversitatem filiorum prænosceret, eos utique forensibus honoribus non præferret? Qui ergo reprobros scienter provehunt, hoc Prophetæ exemplo sibi blandiri nequaquam possunt: quia tunc solum innoxie agitur, cum in eis tempore quo promoti sunt subsecutæ iniquitatis signa nulla patuerunt. Quare & apte ii, qui judices Israeli a Samuele positi sunt, cum ponerentur, ejus filii dicebantur: ut ex eo non solum per carnem credantur geniti, sed etiam conversationis ejus splendoribus adornati. Quare & eorum nomina caute assignantur: ut ex titulo nominis, illa, quæ tunc eis inerat, cognoscatur forma virtutis. *Nomen, inquit, uni Johel, alterius Abia judicum in Bersabee.* Sed & de illis, qui post acceptam dignitatem declinasse ad avaritiam dicuntur, aperte ostenditur: quia antequam ejusdem dignitatis culmen attigerent, in eis futuræ pravitatis signa nulla videbantur. Sed ecce, dum Pastorum solatia attendimus, gregis Dominici [a] non parva pericula intuemur. Nam steterunt subditi, sed in culmine prelationis positi Prophetæ filii ceciderunt: ut si nobis sub cura majorum positis indesinens sanctæ vitę stu-

In eligendis sacris ministris errare quam pronum sit.

II Prælaturæ Pericula.

a Gussanv. & Vatic. *prava per oculis intuemur.*

studium, aut securitas magnæ conversationis arrideat, præesse tamen aliis non habeamus in appetitu desiderii, sed in magnitudine timoris. Sed carnales quique, dum sola visibilia attendunt, spiritalem Sanctorum conversationem cognoscere non msrentur. Pastorum quidem sanctæ Ecclesiæ culmen aspiciunt, sed cogitare nesciunt, quam ioviti illi intus decorem tollerent, quem in splendore culminis foris tenent, quod sublimitatem honoris in oppressionem magni sustinent oneris, quod magno desiderio fugiunt, quod exteriori ministerio prosequuntur. Testante etenim egregio doctore didicimus, quod *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Unde & tanto dementius carnalia sequentes errant, quanto per discretionis virtutem spiritalia nulla jam penetrant. Et nonnulli tales in tantum dementiæ malum proficiunt, ut commovere ipsum etiam statum Ecclesiastici culminis non vereantur. Unde & sequitur:

1. Cor. 2. 14.

Vers. 4. & 5.

Congregati ergo universi majores natu ex Israel venerunt in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, & filii tui non ambulant in viis tuis. Constitue super nos regem, ut judicet nos sicut universa habent nationes.

Spiritalis prælatio, in secularem dominationem non transferatur.

3. His autem, qui vivebant, sub spiritali regimine, regem petere, quid aliud est, quam eamdem spiritalem prælationem in secularem dominationem transferre gestire? Sed sancti viri cum se a subditis contemni conspiciunt, non tam eis displicet, quod contemnuntur, quam quod contemtores sui Deo non placent. Eorum quippe contemtu, suæ internæ gloriæ dari incrementa conspiciunt, sed augeri merita sua subditorum defectibus ingemiscunt, quos sic meritis vellent proficere, ut in æterna meritorum retributione, secum eos, quibus præsunt, habere potuissent. Quare & subditur:

Vers. 6.

Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem, ut judicet nos.

Sancti sui in judiciis præcipites non sunt.

Hoc namque ei displicuit, per quod displicere Deo, qui loquebantur, existimavit. Quia vero non simpliciter dicitur, displicuie sermo Samueli, sed in oculis Samuelis, & statim subditur:

Ibidem.

Et oravit Samuel pro populo Dominum.

Paulo subtilius ea nos considerare oportet. Sancti viri, qui omnipotenti Deo valde displicere metuunt, in suis judiciis faciles non sunt, sed cuncta prius rationabiliter intus ordinant, ut ea foris in opere irreprehensibiliter disponant. Nam electionem accipiunt nullam judicii, si non probatur contemplatione rationis. Hos profecto oculos Prophetæ Dominus aperire volebat, cum dicebat: *Vide oculis tuis, & auribus tuis audi.* Hinc in Evangelio discipulis dixit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Oculi quippe Sanctorum, sunt intellectus rationis, reserati per gratiam Spiritus sancti. Et idcirco Samuelis esse dicuntur: quia carnales quique, etsi per humanam sapientiam rationales esse videntur, ab hujus lumine rationis eo cæciores sunt, quo illis solis oculis vident, quos serpens aperuit. Nam si spiritualium virtutum fulgorem aspicerent, eum profecto in ornatu suæ mentis habere desiderarent. Tantus siquidem decor earum est, ut visus numquam non possit videntis desiderio concupisci. Sapientes ergo seculi cum se oculos rationis habere arbitrantur, ex hoc cognoscere possunt, quam dementer insaniant: quia virtutum sanctarum pulcritudine non illici, earum profecto gloriam non solum non cernere, sed nec somniari est. Sancti ergo viri, qui jam illuminatione sancti Spiritus in internorum amore obligati sunt, mentis suæ oculos ad videndam intimæ claritatis gloriam tanto clariores habent, quanto de mundi caligine in desiderio nihil habent; & discernere carnalia tanto rectius possunt, quanto longe a carnalibus assumti, in Spiritus sancti gratia altius profecerunt. Unde & Apostolus Paulus de experientia tantæ visionis sententiam protulit, dicens: *Spiritalis judicat omnia.* Bene ergo dicitur: *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Quia a viris spiritualibus nil ante despicitur, quam despiciendum esse per spiritalem mentis intuitum judicetur. Et quia quo abundatiori gratia Spiritus sancti pleni sunt, de virtutis suæ celsitudine non præsumunt, sequitur: *Et oravit Samuel Dominum.* Quid enim Dominum oravit, nisi ut sibi dignaretur ostendere, si tumultuantis populi petitioni assensum dare debuisset?

Ezec. 40. 4.

Luc. 10. 23.

Carnales iis tantum oculis vident, quos serpens aperuit.

1. Cor. 2. 15.

Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim abjecerunt te, sed me, ne regnem super eos, juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc:

Vers. 7. & 8.

Sanctorum judicia cum divinis judiciis conveniunt, ex virtute caritatis.

5. Quia oranti Prophetæ dicitur: Constitue super eos regem: plane ostenditur, quia an hoc faciendum esset, sibi revelari postulavit. Et quia subdens, ait: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos,* apte ostenditur, quantum sibi sermo displiceat, quem in oculis Samuelis displicuisse perhibetur. Quæ convenientia judicii in Sanctis oritur ex virtute caritatis: quia dum ex tota mente Conditorem diligunt, & ejus voluntati obedire devote conantur, ex præmio supernæ retributionis accipiunt, ut ab eadem Dei omnipotentis voluntate aliter sentiendo non discrepent, quam in bonis operibus semper tenent. Scriptum quippe est: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Domino quippe adhæret, qui præcepta voluntatis ejus facere semper studet. Sed unus spiritus cum eo fit: quia ex diuturna devotione pii operis in tantam gratiam divinæ cognitionis assumitur, ut ab interni ejus æquitate judicii per errorem mundani spiritus dissentire ultra noo possit. Sed valde difficile respondetur, si quæritur, cur omnipotens Deus & abjectum se io regis petitione conqueratur, & tamen id quod petebatur fieri decernat: rursumque si dignitas regia ordinanda fuerat, cur velut indignata Dei majestate fuerit permissa: & cum provisus rex eligi decernatur, cur reprobandus eligitur? Quid ad hæc aliud respondere possumus, nisi id quod Apostolus Paulus inestabilem abyssum judiciorum Dei perscrutari audentibus respondebat: *Homo,* inquit, *tu quis es, qui respondeas Deo?* Sed si hoc efficaciter definire non possumus, tangere inquirendo possumus. An fortasse abjectum se in regis petitione conqueritur? Pro reproba voluntate male petentis populi, petitus rex conceditur pro vindicta. Quod si rationabiliter dicitur, dum utrumque posuit, & culpam & ultionem pariter ostendit. Ex reproba quippe voluntate injusta postulasse convincitur, qui abjecisse Conditorem petendo monstratur. Culpam ergo malæ petitionis insecuta est pœna districtæ æquitatis. Magna etenim vindicta est, quæ ex districtione procedit interni examinis, quando reproba mens sic projicitur, ut quod male deliberat, agere permittatur. Qui ergo in petendo rege Dominum abjecisse convicti sunt, dum id eis permitteretur agere, per quod a se Dominum abjicerent, gravior pœna noo erat, qua hic plecti debuissent.

1. Cor. 6. 17.

Dei judicia [illegible] perscrutanda.

Rom. 9. 20.

In peccati pœnam, reprobi quod cupiunt gere permittuntur.

Divinæ adscribitur injuriæ, quidquid contra Pastores optimos fit.

6. Quo in loco notandum est, quia abjectionem Prophetæ Dominus suam facit. Non enim simpliciter dicit: *Abjecerunt me, ne regnem super eos: sed non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ut profecto ostendat, quia in persona electi præsulis ipse suis subjectis præeminet; & cum ad spiritale culmen electorum carnalis Rector assumitur, ipse abjici videtur, cujus præcepta dissipantur. Ergo quam reverendi sunt optimi Pastores sanctæ Ecclesiæ liquet. Ecce enim dum fidaliter Deo serviunt, tanto ei amoris vinculo conjunguntur, ut quidquid eis ingeritur, divinæ injuriæ adscribatur. Unde & in Evangelio primis Ecclesiæ Pastoribus dicit: *Qui vos spernit, me spernit.* (*Luc. 10. 16.*) Ubi etiam aliquid gravius cernitur: quia cum abjectum Pastorem conqueritur, abjicientium peccata omnia, & parentum etiam mala memorantur. *Juxta omnia,* inquit, *opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de terra Ægypti.* Summum namque crimen agnoscitur, ad cujus discussionem in Dei memoria præterita cuncta peccata reducuntur. Et abjectum ergo se Dominus conqueritur, & tamen ordinare, in quo abjicitur, concedit: quia cum districtæ æquitatis suæ virtutem exequitur, ab eo carnalium desideria impleri per ejus misericordiam nequaquam prohibentur. Sed & quæ concedi dignitas pro vindicta potuit, non tranquilla majestate divinitatis concedi debuit, sed velut indignata. Indignatam vero majestatem Dei [a] non in seipsam asserimus, quæ passioni non subjacet: sed quia dum culpas discutit, indignationis verba per Scripturas dicit. Item quia in typum carnalium prælatorum assumitur, reprobandus rex eligitur, non electus. Vel fortasse idcirco reprobus rex eligitur, ut electus successor ejus rex David in eo cognosceret, quid cavere debuisset. Sic nimirum & de illa Angelorum curia legimus, quia de apostata primo Angelo scribitur: *Ipse est principium viarum Dei:* (*Job. 40. 14.*) sed qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit, & in ejus ruina sancti Angeli didicerunt, qua virtute stare potuissent. Quod nimirum, qui apertis rectæ fidei oculis, intueri poterit, pariter attendit: quia omnipotens Deus etiam tunc magnæ misericordiæ dona tribuit, cum vindictam irrogat; quia dum reprobos punit, sanctos erudit; ut unde illi deficiunt, isti in suis profectibus adjuventur.

Deus quædam pœnalia concedit iratus.

Aliquando misericorditer punit.

Ex malis quæ fieri permittit, bona providet.

7. Districto siquidem judicio permittit mala fieri, sed misericorditer providet de his malis, quæ per judicium irrogat, quæ bona facere disponat. Nam quæ major culpa, quam illa, qua omnes morimur? quæ major bonitas, quam illa, per quam a morte liberamur? Et quidem, nisi Adam peccaret, Redemtorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. *Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* (*Marci 2. 17.*) Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret. Si peccata, ad quæ delenda venisse creditur, per justitiam Dei permissa esse sentiuntur; dum pro peccatoribus Deus homo nasciturus erat, ex illo malo, quo morituri erant, bonum, quod malum illud vinceret, omnipotens Deus sese facturum providerat. Cujus profecto boni magnitudo, quis fidelis non videat quam mirabiliter excellat? Magna quippe sunt mala, quæ per primæ culpæ meritum patimur, sed quis electus nollet pejora perpeti, quam tantum Redemtorem non habere? Eligatur ergo rex; sed reprobandus eligatur velut indignatione, non voluntate Dei: subsequatur ergo rex juxta cor Dei: ut ex judicii ejus districtione vindictæ malum procedat in reprobos; & bonum, quod ex malo facturus erat, per largitatem divinæ gratiæ redundet in pios, dum illi in malo, quod cupiunt, cadere permittuntur. Sed unde se illi præcipitant, agitur, ut alii nequaquam cadant. Sed quia his verbis judicium divinæ districtionis asseritur, videamus jam, quanta dispensatione utitur, ne id male deliberantes agant, unde puniatur. Nam sequitur:

Christus, Adamo non peccante, non venisset.

Nunc ergo audi vocem eorum: verumtamen contestare eos, & prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos. (*Vers. 9.*)

Mira Dei dispensatione a malo avertit, etiam dum fieri sinit.

8. Quasi aperta ostensione clementiæ dicat: Sic audi voces eorum, ut tamen ipsi prius de jure regis, quem petunt, audiant quod expavescant; & velut tunc male cœpta deserant, cum, quam sit res onerosa, cognoscitur, quam petebant. Sequitur:

Dixit itaque omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem, & ait: Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, [b] & præcursores quadrigarum suarum: & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum: filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis. Sed et segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis. Servos etiam vestros, et ancillas, juvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. (*Vers. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.*)

Jura Dei contemnentibus, jura regis imponuntur.

9. Cum a carnalibus subjectio quæritur, profecto quidquid præcipitur eis, grave est, etsi non sit difficile: quia cum ex superbiæ tumore habeant, ut propriæ voluntatis arbitrium sequantur, quidquid eorum deliberationi obviat, gravissimum pensant. Jam vero cum dura & contraria jubentur, quæ ei est moles oneris? qui tumor cordis? Cum forte etiam blanda & levia vix nolentes possent, quæ si vellent, facillime pertulissent. Videamus ergo stultæ audaciæ hominis, quam digne respondeat pia dispensatio Conditoris. Jura hominum proponuntur contemnentibus jura Dei; & his, qui mitia & salubria divinitatis consilia spreverant, dura & importabilia humanæ servitutis onera prædicuntur: ut ex his secum rationem facerent, quam intolerabilia essent imperia hominis eis, qui non tam imperantis, quam monentis Dei, ne id peterent, consiliis obedire noluissent. Sed habent corda carnalium temeritatem ex incremento audaciæ, habent duritiam ex simulationis ratione. Ex temeritate quidem facile agenda deliberant; sed quia, quod male proponunt, non intelligunt, meliorum consiliis adjuvari non possunt. Quare & hic quoque subditur:

Hæc dura & intolerabilia; illa facilia.

Noluit populus audire vocem Samuelis. Et dixerunt: Nequaquam: Rex enim erit super nos, et erimus nos quoque, sicut omnes gentes, et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis. (*Vers. 19.*)

Israelitis Deo non obtemperantibus summus præfractio.

10. Magnæ quidem temeritatis extitit, contra Dei voluntatem regem petere; magnæ duritiæ, consilia Prophetæ vinci non posse. Magnæ temeritatis

a Gussanv. non seipsam afferimus.

b Gilpt. & Vatic. persecutores, legendum præcursores, ut liquet ex cap. 2. n. 4. etsi inde quoque discamus multis in codicibus olim lectum, persecutores.

ratatisfuit, ei rationes proponere, quem sciebant A cuncta, quæ acturus erat, revelante Domino, prius scire. Magnę duritiæ, illi non acquiescere, quem noverant ea tantum, quæ Domino revelante didicerat, imperare. Nam quid est, quod respondentes dicunt: *Nequaquam, sed rex erit super nos?* Sed qui, *Nequaquam*, dicunt, profecto id negant quod audiunt. Aperte ergo in hoc verbo ostenditur, quia ad hoc Propheta grave jus regis exposuit, ut nequaquam peteretur. Jus vero regis audiunt, & id propter quod exponitur, detestantur, ut reproborum cordium profectus exprimatur, in quibus mali propositi consummatio est, & inconvertibilitas voluntatis. Sed nos antiquā tempora reprehendimus, qui nostra videre non curamus. Quæ nimirum tempora, quo senescente mundo, vetustiora sunt, eo & in pluribus per temporis ac negligentię vitium remissiora. Tanto etenim audacius nunc mala proponimus, quanto jam cum robusta juventute seculi, robur exaruit humanę conditionis: tanto difficilius quod male est propositum revocamus, quanto ex laxato vigore spiritus, mens nostra carnalis efficitur. Ita enim sunt humani lapsus, ut quod in spirituali virtute deficit, in carnali vita roboretur. Omnia quidem hæc juxta egregii doctoris vocem: *In figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos.* (1. Cor. 10. 11) Jam quidem aperte cognoscimus horum Israelitarum audaciam, quæ divinæ indignationis judicia sequuta sunt: & tamen contra voluntatem Dei, contra prelatorum sanctæ Ecclesiæ consilium agenda proponere non timemus. In malo quoque proposito reprehensi resilimus, & salubria majorum consilia insuperabili malo pervicaciæ vincere conamur. Videmus quanti mali incrementum sit, pereuntes aspicere, & sequi ad perditionem eorum vestigia non timere: pœnales laqueos mortis incurrentes cernere, & eisdem laqueis irretiri nequaquam metuere. Et illi quidem contra Domini voluntatem regem petierunt: sed a regia dignitate postea actum est, ut populus, qui Deum abjecerat, idola coleret, simulacra adoraret. Quam reverenda ergo sint majorum consilia cernimus, si hoc sollicite consideramus: quia qui ea despicere ausi sunt, hoc se non providerunt agere, unde tam profundo erroris pelago demergi potuissent. Merito igitur se abjectum Dominus in regis petitione conqueritur, merito regiam dignitatem concedit indignatus. Tanta quidem erat iniquitas postulantium, ut cum illud peterent, per quod a Deo recederent, ex Dei judicio permitti posset, prohiberi non posset. Quia vero hæc juxta litteram diximus, quid etiam spiritualiter designent ea, quæ continentur in jure regio, videamus.

(Mali quantum incrementum est pereuntes aspicere, et sequi.)

CAPUT II.

(Quid de jure regis, ut a Samuele proponitur, sentiendum.)

1. ABjecto etenim Samuele, rex petitur: quando reproba multitudo populi spiritualem Pastorem despicit, & preesse sibi carnalem quærit. Cum quibus sæpe divinæ æquitatis districtione agitur, ut eo ipso, quod electum prædicatorem despiciunt, subesse reprobo permittantur: ex cujus imitatione tanto deterius pereant, quanto majori superbia id ex quo vivere in æternum poterant, audacius contemnebant. Cum ergo jus regis prædicitur, nimirum in unius carnalis præpositi conversatione ostenditur, quod carnales ceteri ex tyrannide acturi sunt, non quod electi debeant imitari. Nam in eadem Regum historia legitur: quia cum rex Achab Naboth vineam abstulit, iram Dei omnipotentis incurrit. Hic vero cum jus regis prædicitur, agri, vineæ, & optima oliveta tollenda esse memorantur. Cum ergo hic prędicitur, quod commissum illic punitum est; ostendit, quod divino judicio non jubetur. Quare & electus rex David cum ad ædificandum altare Domino Ornam Jebusęi aream peteret, regio illo tyrannorum jure non uti voluit: cum eam accipere nullatenus acquiesceret, nisi ante pro ea dignum pretium dedisset.

(Non licere Regibus quidquid in eo continetur, ex historia Achab probatur, 3. Reg. 21. v. 1. &c. 1. Par. 21. 24. Et Davidis exemplo.)

2. Quia igitur ea, quę in jure regio continentur, vitanda potius, quam imitanda prædicuntur, eo subtilius consideranda sunt, quo vitari nequeunt, si nesciantur. Ait ergo: *Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis.* B Filii electorum ii sunt, qui eorum virtutes imitantur. Currus etiam, carnalium prelatorum sunt fastus mundanæ elationis. Nam dum ceteris se sublimiores esse gloriantur, quasi curribus vecti, per alta gradiuntur. In curribus ergo fidelium filii ponuntur, quando Pastores reprobos per appetitum mundanę glorię sequuntur; cum relictis spiritualibus studiis, carnalis vitę commoda expetunt: & deposita illa sublimi intentione cęlestium, alta seculi assequi conantur. Bene itaque non in curru, sed in curribus ponendi Israelitarum filii dicuntur: quia ex omni, quod præcellit in carnalium prælatorum culmine, proficiunt in elatione; & quasi tot sublimibus curribus C in alta se elevant, quot alta conspiciunt, quibus aliis se superiores putant. Bonorum ergo filios rex in curribus ponit, quando carnalis Rector electorum imitatores exemplo suæ pravitatis ad elationis vitia pertrahit; ut cælestia postponant, terrena appetant, & in hoc solo gaudeant, si ex eo quod temporaliter altum volvitur, ceteris præferantur.

(Hoc jus usurpant carnales prælati.)

(Qui sint eorum currus.)

3. Et quia contra minores non solum erecti, sed etiam fortes sunt, sequitur: *Et faciet sibi equites.* Velut enim in equis sęviunt, qui & sublimes sunt dignitate, & potentia truces. Equites quoque sunt, quia dum feroces cordis D sui motus contra impotentes dirigunt, ad omne, quod per tyrannidem exercere appetunt, veloces sunt. Anhelant quippe impetu, spumant rabie, & quos cursu tyrannidis impetunt, elidunt. Sed dum in Pastoribus reprobis alii mundanæ elationis fastus æmulantur, alii eorum exemplo, quos valent, opprimunt: nonnulli etiam sunt, qui ad exercenda mala, quę per seipsos bonis inferre nequeunt, nequiores se alios introducunt. Unde & sequitur: *Et præcursores quadrigarum suarum.*

(Qui equites.)

4. Quæ sunt enim quadrigæ regis, nisi perversę mentes malorum subditorum, in quorum consiliis prælatus reprobus requiescit? Quadrigæ etenim sunt, quæ reges portant: dum per iniqua E consilia pravorum acta Rectorum adjuvantur. In eis quippe, quasi per sublime rex ducitur, dum per eos, qui ad temporales honores eis favent, quidquid carnales præpositi de altitudine seculi in desiderio volunt, exequuntur. Qui recte quadrigarum nomine designantur. Quadriga enim inde stat, unde volvitur: quia reproba mens finem suę intentionis habet seculi volubilitatem. Inde quidem requiescit, quo per innumeras curas mentis rotantis mundi negotia ventilare non desinit. Regum ergo quadrigæ sunt, dum per omne, quod altum volvendo cogitant, in se carnalium præpositorum jussa portant. Sed qui locum familiaritatis juxta carnales prelatos habent, habent minores, quibus imperent. Ipsi ergo, velut quadrigæ regis sunt, illi

(Quæ quadrigæ, qui ve quadrigarum præcursores.)

præcursores quadrigarum; quia eo modo, quo carnalem præpositum ad opprimendos humiles invehunt, ipsi quoque ad nocendum quibus possunt, per aliorum ministerium deducuntur. Quasi enim quadrigarum præcursor est, qui iniqua mentis suæ versutiæ artem cogitat, per quam illum ad inferenda mala mitibus introducat. Si vero, ut plerique codices habent, non præcursores, sed persecutores quadrigarum legimus, profecto ii sunt, qui reprobos ad malum currentes imitantur. Quadriga etiam honoris causa portari regibus solet. Quasi ergo in quadriga rex sistitur, quando carnalis Rector de magnorum, qui videntur juxta se, adulationibus gloriatur. Qui vero istos in eorum laudibus præcedit, aut sequitur, præcursor seu persecutor est quadrigarum: quia adulationes isti vel post vel antea proferunt, quas illi in auribus populi præeundo aut subsequendo sparsere.

Quos tribunos centuriones que constituat.

5. Sequitur: *Et constituet sibi tribunos, & centuriones*. Tribuni, & centuriones fiunt, cum in tantum mali profectum veniunt, ut ad exequenda tyranni imperia, impiis satellitibus principantur, cum mundanarum virium acies ordinant, quas ad innocentium bella producant. Tribuni quidem sunt, qui per plures sibi fautores recte viventibus insidiantur. Centuriones vero sunt, qui nulla nocendi genera prætermittunt. Ex eo enim perfectionem iniquitatis obtinent, quo multa, & ingentia mala, quæ possunt, inferre semper student. A centenario quippe numero centurio dicitur. Et quia centenarius numerus perfectionem significat, in mala parte perficitur, quando ad summam nequitiæ ab impiis pervenitur. Qui nimirum calliditate suaves sunt, terrore violenti. Suaviter quidem blandiuntur aliis, ut eorum auxilio terrere alios ferociter possint. Bene itaque subditur: *Et aratores agrorum suorum, & messores segetum*.

Quos habeat agros, atque aratores & messores.

6. Carnalis præpositi agri, mentes sunt subditorum: aratores vero horum agrorum sunt, qui arte secularis ingenii, eis suadent acta pravitatis. Velut enim agrorum soliditatem loquendo aperiunt, qui per reproba consilia simplicium corda corrumpunt. Et segetes metunt, quando semine pravi consilii decepta corda minorum fructum reddunt malæ operationis. Quæ profecto opera segetum appellatione designantur: quia perversitas reprobi subditi, dum a carnalibus Rectoribus gaudenter excipitur, eorum quasi electus est cibus mentis. In qua certe perversitate, quia paulatim proficiunt, sequitur: *Et fabros armorum, & curruum suorum*.

Quos armorum fabros, & currum.

Quæ sunt arma & currus tyrannorum, nisi illa omnia nocendi instrumenta, quæ ad evertenda corda minorum præparantur? Sed quia curru pervenitur, quo armis feriatur, armorum & curruum regis fabri fiunt, quando nequissima cordium suorum machinatione inveniunt, & mala, quæ agant, & eadem mala inventa qualiter inferant. Arma quippe fabricare, est nocendi genera reproba mente colligere. Et currus fabricare, est ad eadem mala inferenda artem, qua accedere possunt, invenire.

Horum unguentariæ fiunt linguæ adulatrices.

7. Sequitur: *Filias quoque vestras faciet unguentarias, & focarias, & panificas*. Filiarum nomine infirmorum mentes intra sanctam Ecclesiam positæ designantur. Quæ regis unguentariæ fiunt: quia dum carnales præpositos in celsitudine gloriæ transeuntis aspiciunt, eos delinire adulationibus conantur. Horum profecto unguentorum usum Psalmista reprobans, ait: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*. Filiæ ergo unguentariæ fiunt: quia dum carnalibus præpositis infirmi displicere metuunt, eorum feritatem, cui timendo subjacent, blandimento demulcent. Et notandum, quia filii prius dicuntur a rege tolli, & sic equites, & centuriones, sive armorum fabri fieri: filiæ vero non tolli, sed simpliciter unguentariæ, & panificæ fieri. Tolli etenim violentiæ est. Filii ergo tolluntur, quia robusti difficile evertentur. Dum igitur filiæ non tolli, sed unguentariæ fieri perhibentur, quid est aliud, nisi quia qui infirmi in bono sunt, per exempla pravorum facile dissipantur? Quæ etiam focariæ, & panificæ regis fiunt: quia qui tyrannis adulando serviunt, dum favendo placent, velut cibos exhibent. Focariæ etenim sunt, quæ focis coquunt quæ reges comedunt. Focariæ ergo sunt, quæ per obsequia favoris carnali præposito accendunt eumorem cordis: ut eo audacius favores excipiant, quo velut delicatiores sibi cibos ignis excitatæ devotionis parant. Quæ etiam panificæ fiunt: quia dum reprobam vitam laudant, carnalem mentem tyranni ad exercendam pravitatem roborant.

Psal. 140. 5.

Quæ suis assentationibus ipsos im superbiam impinguant.

Cur alios populari quanta sibi subditis damna inferant.

8. Sequitur: *Agros quoque vestros tollet, & vineas, & oliveta, & dabit servis suis*. Qui sunt agri bonorum, nisi devotæ mentes subditorum? quæ dum eorum verba libenter audiunt, bonorum operum uberem fructum reddunt. Quæ autem vineæ eorum, nisi mentes eorum ita imitatione proficientium, ut etiam aliis verbum vitæ præbeant, & quos loquendo in amorem Conditoris accendunt, velut potando ebrios faciant? Quæ vero oliveta sunt, nisi corda auditorum, qui bonorum exemplo, & exhortatione proficiunt in opus misericordiæ. Sed dum rex constituitur, agri tolluntur: quia dum carnales perveniunt ad culmen regiminis, nonnulli bonorum auditores exempla suscipiunt pravitatis. Tolluntur ergo agri, cum nuper devota corda seducuntur, quando ex nequitiæ semine fructum reddunt in maligna conversatione. Oliveta & vineę tolluntur, cum exemplo mali prępositi misericordię opera, & sanctę prædicationis verba exhibenda & loquenda deseruntur. Bene autem servis regis dari ablati agri, & vineæ, & oliveta memorantur. Servi quippe sunt, qui dominorum juri semper subditi, evadere nequeunt juga dominationis. Servi itaque sunt regis, qui per abundantem iniquitatem sic se tyrannorum voluntatibus obligant, ut ab eis ulterius non recedant. Ablatos ergo agros, & vineas, & oliveta servi suscipiunt: quia reprobi fautores prælatorum carnalium, dum decepta corda in propositum transferunt pravi operis, velut electorum agris, vineis, & olivetis titulum imponunt tyrannicæ potestatis. Sequitur: *Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis*. Cum mali præsunt, difficile valde est, ut qui eis subjicitur, nulla religionis damna patiatur. Aliorum namque mentes omnino pereunt: sed ii quos pervertere penitus nequeunt, dum incessanter & verba & opera eorum prava conspiciunt, qualicumque sorde maculantur. Bene ergo dicitur: *Segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit*. Quasi dicat: Sub Pastore reprobo electorum etiam bona integra non sunt. Sed quod bonis demitur, eunuchis, & famulis regis datur. Eunuchi, & famuli carnalium prælatorum, sunt ejus auditores hypocritæ. Eunuchi quidem sunt, quia secularem voluptatem se abjecisse ostendunt: sed regis sunt famuli, quia per omne, quod de virtutibus se habere simulant, in se reproborum præpositorum jugum portant. Bene autem segetum, & vinea-

Sub reprobo Pastore etiam electorum bona integra non sunt.

vinearum decima eunuchorum esse refertur: quia hypocritarum virtus leviter non agnoscitur, In quo dum sancti etiam viri possunt decipi, quod perdunt, illis adscribitur, quorum fraude capiuntur. Sequitur: *Servos etiam vestros & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.* Servi, & ancillæ Sanctorum sunt, qui eis temporalia necessaria subministrant. Servi & ancillæ sunt, quia dum eis corporum necessaria tribuunt, in eodem opere misericordiæ, alii aliis robustiores sunt. Et optimi juvenes: quia & qui multum, & qui parum possunt, dum omne quod prævalent, in opere misericordiæ expendunt, velut electi juvenes, divina servitia valenter operantur. Asini quoque electorum sunt, quibus ferenda onera obedientiæ imponuntur, ut eorum fragilitatem adjuvent, dum ea cum eis portant, quæ sine eis portare, nequaquam possent. Quid est autem, quod in opere regis ponendi prædicuntur? Sed qui in opere regis ponuntur, diebus constitutis debitum persolvunt angariæ, juri publicæ potestatis. Quid est ergo, quod in opere regis servi & ancillæ, & juvenes optimi ponendi prædicuntur; nisi quia præeminentibus carnalibus, & electorum ministri, & devote obedientium corda, plerumque maculantur? Nam dum reprobam eorum vitam indesinenter aspiciunt, paulatim sic decidunt, ut aliquid de eorum factis imitentur. Ex longo quidem usu electis serviunt, sed dum sæpe vident eorum excellentiam culminis, serviri sibi ab aliis quandoque appetunt per impulsum elationis. Sua quoque misericorditer tribuunt, sed tyrannorum sæpe exemplo aliena tollunt. Sed quia servi Sanctorum sunt, de jure eorum exire non possunt. Ad horam quidem possunt deferi, sed ab errore, in quem deciderit, per divinam misericordiam facile sublevantur. Quia ergo per exempla pravorum corruunt, qui cito resipiscunt, velut per angariam ponuntur in regis opere: in quo diu non permanent per continuam servitutem.

Virtutes prædæ patent.

9. Sequitur: *Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.* Quasi dicat: Dum Pastor vobis carnalis præponitur, non solum vestris, sed etiam vobismetipsis virtutum prædæ inferuntur. Greges etenim electorum, sunt turbæ virtutum spiritalium. Quia vero & ipsæ spirituales virtutes exemplo pravorum dissipantur, rex decimas tollit gregis, quando is qui carnaliter præeminet, in Sanctorum cordibus aliquas virtutes perimit. Decimas tollit: quia dum mentis integritatem dissipat, virtutum numerum imperfectum derelinquit. Denario quippe numero perfectio designatur. Unde & cum lapsæ humanitatis nostræ damna Dominus aperta comparatione ostenderet, mulierem, quæ de decem drachmis unam perdiderat, in medium ducit: ut per hoc, quod denarius numerus periisse ostenditur, superna illa societas, quæ novenario numero remansit in Angelis, sine reparatione conditionis nostræ imperfecta esse doceatur. Et quia decimæ per annos singulos exiguntur, apte qui decimas offerre non desinunt, servi esse regis perhibentur. Eis quippe per annos singulos serviunt, quorum exemplo sæpe pejores fiunt. Possunt & per hoc, quod post datas decimas servitus ista asseritur, mali profectus ostendi. Nam qui paulatim deficiunt, quotidie agunt, unde ad iniquitatis profunda deducantur. Dicit ergo: *Greges vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.* Quasi dicat: Malorum exemplo paulatim decideris, sed cadendo agitis, ut ab eorum imitatione numquam recedatis: Scriptum quippe est: *A quo quis vincitur, ejus servus efficitur.* Quia enim per imitationem Pastoris reprobi in peccati servitutem incidunt, etiam ab ejus jugo, quando volunt, solvi non possunt. Unde & subditur:

Luc. 15. v. 4. &c.

2. Pet. 2. 19.

Vers. 18.

Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa: quia petistis vobis regem.

Divino judicio fit, ut qui noluit malum cavere cum posset; postea nequeat, etiam si velit.

Joban. 8. 34.

10. Quasi dicat, in notitiam pravæ imitationis ejus paulatim defluitis: sed pravitatis ejus exempla, quibus vos sponte submittitis, relinquere sponte minime potestis. *Omnis enim, qui facit peccatum, servus est peccati.* Quibus ergo peccata dominantur, per se ab eorum jugo liberari nequeunt. Nam sæpe ad Dominum cum precibus veniunt, liberari petunt, sed exaudiri non possunt. Divino siquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare, cum possent, non possint vitare, cum volunt: & qui sponte incurrunt mala præcognita, surgere non possint experta. Quare & causam insinuans, qua exaudiri prohibeantur, ait: *Quia petistis vobis regem.* Quasi aperte dicat: Quia illud vobis dari postulastis, in quo hæc omnia futura, me prædicente, cognovistis. Hæc, ut superius dixi, in typo prælatorum carnalium de futura regis conversatione prædicuntur: ut ab ejus petitiona quiescerent, in quo tanta mala cognovissent. Sed habent corda reproborum, ut malum cito proponant, & a malo proposito non celerius recipiscant. Quare & subditur:

Vers. 19. & 20.

Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam: Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque, sicut omnes Gentes, & judicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.

Qui exteriora lucra appetunt, interiora quæ patiuntur damna non attendunt.

11. Quibus profecto verbis mores subditorum carnalium aperte describuntur: quia dum exteriora appetunt, interiora damna etiam exposita non attendunt. Sed qui carnaliter præsunt, ipsa ostensione temporalis potentiæ subditis sibi minoribus magnam spem dant tutelæ. Dum ergo dicunt: *Rex erit super nos, & pugnabit bella nostra pro nobis,* quid aliud, quam reproborum subditorum mores insinuant, qui humiles & spirituales prædicatores despiciunt, ut temporaliter a carnalibus adjuventur? Quod certe nullatenus agerent, nisi prius lumen cordis amisissent. Nam si spiritalium virorum humilitatem foris despiciunt, sed qua potestatis sublimitate intus emineant, cernere non merentur: in illis quoque externam potestatis tyrannidem vident, sed qua infirmitate intus deprimatur, non vident. Illi, quia Deo adhærent, cum volunt, etiam in exterioribus potentes sunt: illi, qui a Domino recedunt, spem, quam promittunt de potentia feculari, exhibere non possunt fortitudine operationis. Nam, ut de vicino exempla capiamus, Saul ad pugnanda bella regem postulantium, fortis & potens eligitur: ita, ut, sacra hac historia teste, ab humero, & sursum populo universo emineret. A Deo igitur ad regni gubernacula electus, cum bonus existeret, & de filiis Israel aliquis melior illo non esset, tamen, cum tantus ac talis vir carnali fortitudini relinquitur, bella perdidit, quæ pugnaturus acceperat, & vitam pariter amisit. Samuel autem, qui seculi potentia sublimis non extitit, qui humiliter non solum Deo, sed etiam hominibus ministravit, de exterioribus quoque bellis trophæa potenter exhibuit. Nam non valde supra de eo dictum est: *Tulit Samuel agnum lactentem unum, &*

1. Reg. 9. 2.

Carnali fortitudine fretus Saul vincitur; qua Samuel carens victor effectus.

1. Reg. 3. 8.

1. Reg. 7. v. 9. & 10.

obtulit illum holocaustum integrum Domino, & clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudivit eum Dominus. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum Domino, Philisthiim inire prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt Philisthiim a filiis Israel. Dicat ergo: *Noluit populus audire vocem Samuelis*, ut in eorum inobedientia superborum corda designentur, sic divinæ æquitatis judicio projecta, ut magna mala immineant, quæ incursuri sunt: sed tamen ea videre non possint. Sequitur:

Vers. 21. Samuel a populo non auditus, a Deo exauditur audita.

Et audivit Samuel omnia verba populi.

12. Hoc profecto Samuel audivit, quod populus locutus est, sed ipsum populus non audivit. Populo enim reprobo loqui & non audire, fuit verba contra Dei voluntatem promere: sed pœnam pravæ locutionis minime prævidere. Samuel autem populi verba audivit: quia spirituales viri, dum superbæ locutionis voces audiunt, futurum in eis divinæ ultionis meritum recognoscunt. Dicat ergo: *Audivit Samuel omnia verba populi*, quia sancti, ac spirituales viri, quidquid carnales superbe foris insonant, quale sit in divino judicio intus pensant. Sed quia, dum carnalium subditorum damnabilem vitam reperiunt, pro delendis eorum criminibus intercedunt. Sequitur:

Ibidem. Quid sit Deo in auribus loqui.

Et locutus est ea in auribus Domini.

In eorum auribus loquimur, apud quos magnæ familiaritatis gratiam habemus. Sancti autem viri, quia omnipotenti Deo in magni amoris vinculo conjuncti sunt, ei in auribus loquuntur: quia divinæ propitiationis ejus auditum tanto fiducialius exposcunt, quanto apud ejus misericordiam, impetrandi locum sublimius acceperunt. Peccata vero populi loquuntur pro humilitate confessionis, sed in auribus loquuntur Domini: quia cum magno affectu precis januam pulsant Dominicæ propitiationis. Sed fortasse in auribus Domini loqui dicitur: quia dum sancti viri pro peccatoribus obsecrant, preces quas pro eis Deo offerunt, hominibus non revelant. Unde & in Evangelio Dominus prohibet discipulos, dicens: *Cum oratis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* Verba ergo, sive opera populi loquuntur, cum delicta locutionis & operis orationibus delenda Domino exponunt. Ea vero in auribus Domini loquuntur, ut dum hominum testimonia orantes fugiunt, ab eo, qui occulta respicit, celerius audiantur. Dum ergo in auribus Domini Samuel loqui perhibetur, modum profecto insinuat, quo quia auditum mereatur divinæ dignationis. Nam pervenire ad Deum oratio nequaquam potest, quæ ex intentione promitur, ut ab hominibus agnoscatur. Unde & qui in auribus Domini locutus asseritur, responsa ejus etiam percepisse perhibetur. Nam sequitur:

Matt. 6. 5.

Vers. 22.

Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi, & constitue super eum regem.

13. Qua in re notandum, quia Samuel verba populi, quibus regem petierat, in auribus Domini locutus est: & Dominus se abjectum asserit in eo, quod populus regem petit. Dum igitur oranti respondet, & regem facere orantem jubet, quid aliud insinuat, nisi quia devota electi viri oratio numquam est infructuosa? Nam si populi correctionem non obtinuit, eruditionis suæ bonum obtinuit, cum abjectum populum pro mala petitione cognosceret, sed & nihilominus sciret, quid facere projectis ipse debuisset. Audiri ergo Propheta potuit, & non audiri: quia orando qualis esse deberet, novit, sed a populo reproba postulanti, duritiam cordis non abstulit. Sed hoc obtinere ille potuit, qui in auribus Domini locutus est: quia sancti viri eo ipso, quo devote pro peccatoribus Dominum obsecrant, divinæ propitiationis auxilio muniuntur, ut eorum criminibus nequaquam polluantur, quorum sordes delere precibus nequeunt. Quid vero est, quod Dominus ait: *Audi voces eorum*, cum superius dictum sit: *Audivit Samuel omnia verba populi*. Sed verba populi audierat, ut sciret quæ dicebantur; non ut quæ petebantur, concederet. Dum ergo ei a Domino dicitur: *Audi vocem populi, & constitue super eum regem*, favere voluntati populi Prophetam jussit. Et ecce, ut palam cernitur, Propheta orans non auditur: populus Deum abjiciens, regemque petens, auditus est. Quid hoc esse diximus, nisi quia miro & tremendo divinæ incomprehensibilitatis judicio sancti viri pro reprobis orantes exaudiri nequeunt: in adimplendis vero suis pravitatibus, audiri ipsi reprobi delinquentes possunt: ut illis libere iniquitas æternæ vindictæ meritum augeat, & istis ex affectu compassionis merces perpetuæ retributionis accrescat? Et statim eum ordinem, quo ad ejusdem regis constitutionem ventum sit, ostendere incipiens, ait:

Sanctorum orationes nunquam sunt inanes.

Pro reprobis tamen orantes exaudiri nequeunt. Suo damno reprobi exaudiuntur.

Et ait Samuel ad universos filios Israel: Vadat unusquisque in civitatem suam.

Ibidem.

14. Cum spiritualia discutere volumus, necesse est ut ab intentione nostra carnalia removeamus: quia mens interna non penetrat, quam exteriorum actuum pulvis cæcat. Dum igitur Propheta Domini omnem populum abire ad propria loca præcipit, a se utique tumultum carnalium repellit: ut eo spiritualia, quæ disponenda sunt, clarius videat, quo mentis ejus aciem terrenorum actuum intentio non obscurat. Sed qualis sit, qui divino judicio prævidetur, insinuans, ait:

De spiritualibus judicaturi carnalia removeant.

CAPUT III.

Erat vir de Benjamin, nomine Cis, filius Abiel, filii Seor, filii Becherath, filii viri Gemini, fortis robore. Et erat ei filius nomine Saul, electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo: ab humero & sursum eminebat super omnem populum.

1. Reg. 9. Vers. 1. & 2.

1. Cum ordinandi regia persona exponitur, cur patrum ejus nomina describuntur, nisi ut regnum ejus durabile non sentiatur? Nam de regno, quod futurum præviderat Moyses, ait: *Non deficiet sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit exspectatio Gentium.* Quia ergo tribus Juda ad regni diuturnitatem prævisa extiterat, Cis generatio memoratur: ut regia dignitas, quæ condebatur in filio, aperte sciretur esse dispensatoria, non mansura. Sed qui carnalem regem generat, Cis, idest durus nostro eloquio dicitur, & is fortis robore prædicatur. Nunc quoque plerique carnales intra sanctam Ecclesiam sunt, qui magna agere videntur: carnales vero sunt, quia sancti Spiritus gratiam non habent. Fortes ergo sunt robore, quia omne, quod magnum videntur agere, corporale est. Nam & Cis pater Saul ideo fortis robore dicitur, ut vires corporis magnas habuisse sentiatur. Fortis ergo robore, durus est: quia qui magna carnaliter exhibet, cor molle per compassionem, in fraterna caritate non habet. Valen-

Futuri regni Saul mala omina.

Gen. 49. 10.

lenter agit, quæ non imitari homines foris possint, sed intus conjungi fraternis mentibus nescit per affectum dilectionis. Fortia agit, quæ Deus reprobat; & affectum caritatis, quem approbat, exibere non curat. Durus ergo est, qui dum superbo corde corporalia agit, ejus mentem gratia sancti Spiritus non emollit. Quo contra sanctus vir gloriatur, dicens: *Deus mollivit cor meum, & omnipotens turbavit me.* Et sæpe, qui talium mores imitantur, Dei judicio Rectores fiunt. Unde & apte Saul filius Cis fuisse memoratur.

Job 23. 16.

Per Dei justitiam mali Pastores ad Ecclesiæ regimen ascendere permittuntur.

2. Sed quærendum est, cur idem Saul electus & bonus esse dicitur, qui duri filius esse perhibetur? Sed electus dicitur non secundum gratiam, sed secundum judicium. Bonus etiam dicitur, ut divinæ æquitatis dispositio commendetur. Nam & mala, quæ pro peccatis nostris sæpe patimur, quia per divinam justitiam nobis irrogantur, bona sunt. Bonum profecto est, quidquid est justum. Per justitiam quippe Dei Pastores reprobi ad regimen sanctæ Ecclesiæ ascendere permittuntur; sed qui mali sunt per iniquitatem, boni sunt divina dispositione; & occulta nunc ordinatione Dei electi sunt, qui ultimo erunt universali judicio reprobandi. Pastor ergo reprobus, quia ut fit, Dei indignatione decernitur, dicatur electus; & quia juste permittitur, dicatur bonus. Item quia ad exequenda divina judicia ceteris utilior providetur, melior illo esse de filiis Israel nemo dicitur. Qui etiam ab humero, & sursum eminere super omnem populum memoratur; quia qui carnalium mores vivendo sequitur, valde nititur, ut ea agat, quæ agere alter non valeat. Carnalis etenim Rector ab humero, & sursum universo populo eminet; cum in exterioribus fortis est sine comparatione.

Vana hominum in consiliis suis prudentia. 1. Reg. 8.

3. Possunt & hæc omnia verba laudis intelligi, quibus dum ordinandi regis persona prædicatur, regem petentium intentio confundatur. Nam dicunt: *Rex erit super nos, & judicabit nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Dicitur electus & bonus, & quia non sit de filiis Israel melior illo, ut bona omnia in petiti regis persona excellant: sed dum ad ea non sufficit, quæ populus proposuerat, præsumtio humana confundatur, ut victa tabescat. Et quidem, ut supra dixi, rex, qui populum præiturus eligitur eorum bella pugnaturus, cum a divino auxilio deseritur, bello depressus obiit, & populo, quem ad eadem bella præivit, tunc non salutis causa, sed mortis fuit. Quod denique Deo populus adscriberet, si is qui Dei judicio electus rex fuerat, ad agenda quæ volebat populus, non tam idoneus extitisset. Potest etiam electus & bonus intelligi, dum asseritur, non qualis in futuro prævidebatur. Dicitur ergo electus & bonus, ut talis a Domino sentiatur electus, qui per inobedientiam postea fuit reprobatus. Quare & ipsa ratio exigit, ut quæ de electo & bono usque ad reprobationis tempora dicuntur, & in bona parte sentiamus.

CAPUT IV.

Evangelici sacerdotii juventus & senectus.

1. Summatim ergo cuncta repetentes, quid ædificationis in se contineant, secundum aliam significationem videamus. Quia in Samuele novum sacerdotum diximus designari, quid est quod senuit, nisi, quia dum per decurrentium spatia temporum sancta Ecclesia ducitur, in nonnullis sacerdotibus conversationis pulchritudo veteratur? Senuit autem Samuel, quia vigor auctoritatis emarcuit. Quasi enim juvenis erat Samuel, quando sacerdotum ordo solis cælestibus desideriis inhians, dum nulla terrena quæreret, quo efficacius superna prædicare poterat, eo ad ea nihilominus verbis, & exemplis subditorum animos ascendebat. Valebat enim robore, & juvenili pulchritudine radiabat, dum vim cælestis verbi in splendore ostenderet sanctæ conversationis; quia quidquid validum loquendo poterat prædicare, nitebatur etiam sublimiter vivendo ostendere. Nam & mortuas animas vivificabat verbo; sed miro flore juventutis emicans, mortua corpora resuscitabat imperio. Cum & cæcis visum, claudis gressum, & omnibus ægritudinibus medelam tribueret, & adeo sanctissimæ conversationis pulchritudine radiabat; ut majoris virtutis esset, hoc modo posse vivere, quam illo aliis subvenire. Velut ergo in juventute vigebat Samuel, quando in ordine sacerdotum pariter refulgebat & mira virtus operis, & tam immensa pulchritudo sanctæ conversationis. Sed jam diu est, quod Samuel senuit. Multa enim tempora elapsa sunt, ex quibus multi eorum amorem seculi sequuntur, quorum virtute depelli gaudia mundi ab aliorum cordibus debuerunt. Quod tamen non idcirco dicimus, ut sancta Ecclesia nullos viros religiosos habeat: sed quod pauci sunt, qui in prædicationis culmine perfecte noverint mundum contemnere, & summis desideriis inhærere. Quare apte Samuel & senex dicitur, & prophetare. Senex quidem est, quia rigorem asperæ conversationis in pluribus perdidit; prophetare tamen non desinit, quia dum aliquantas vires spiritales habet, virtutem providi spiritus valenter exhibet. Quod in uno eodemque prædicatore intelligi convenienter potest. Senes quidem sunt, & prophetant, qui sic per negligentiam resolvuntur, ut bene doceant, sed male vivant. Qui filios suos judices ponunt, quando illos in sacerdotii dignitate constituunt, qui remissioris vitæ eorum tempora contemplantur. A senibus tamen juvenes ordinantur; quia, qui promovendi veniunt, fortia promittunt. Sacerdotalis quippe vitæ fortissimam professionem spondent, cujus virtutem in futura conversatione non habent. Juvenes igitur promoventur: quia, qui eos ordinant, prius quam ab eis professionem virtutis accipiant, eos ad tanti ordinis celsitudinem non assumunt. Prius namque eis insinuant, & quam sublimiter vivant, & quam subtiliter doceant: quod idcirco debent sublimiter vivere, ut utiliter valeant prædicare, ut vitæ propositum semper ad superna dirigant, ut de labore prædicationis temporalia præmia non acquirant, ut personas in judicio non accipiant, sed justa æquitatis lance cuncta disponant: quatenus viarum Dei difficultates audiant, & an velint subire earum labores, dicant.

Unde consenuerit.

Absoluto vigore conversationis prophetat & recte docet.

v. Has profecto difficiles vias plerique dum sacros ordines ambiunt, se ambulare profitentur: sed dum ad id quod ambiunt, perveniunt, sponsionis suæ tenere fortitudinem prætermittunt. Unde & Samuelis filii non ambulasse in viis ejus, sed accepisse munera, & pervertisse judicium apte relati sunt. Samuelis enim viæ sunt, quia prædicatoris officio exponuntur. Filii ergo in viis patris sui non ambulant, quando ii qui ad sacros ordines ambitiose perveniunt, ardua religionis itinera a majoribus sibi ostensa deserunt, & perversa intentione in appetitu terrenarum rerum altius immerguntur. Unde & post avaritiam declinare, munera accipe-

Nonnullorum sacros ordines ambientium hypocrisis.

Avaritia & iniqua judicia.

cipere, & judicium pervertere, aperto[a] perhibentur. Qui enim laborare pro cælestibus negligunt, necesse est, ut in appetitu terrenorum arctius inferantur. Declinare quidem post avaritiam, est ambitione rerum terrenarum tota intentione defluere. Nam nonnulli sunt, qui terrena lucra per avaritiam expetunt, sed tamen post avaritiam non declinant: quia & temporalia appetunt, sed in appetitu eorum incurrere crimen vitant. Declinant ergo post avaritiam, qui pro terrenis, quæ ardenter ambiunt, incurrere crimen nequaquam pertimescunt. Animam quippe suam æstimant inferiorem omni re quam possunt concupiscere. Hinc namque est rapina violenta, hinc fiunt furta latentia: quia eos quibus avari prævalent, violenter opprimunt, & quorum rebus inferre violentiam nequeunt, furta inferre moliuntur. Sæpe & quibus non prævalent furto manuum, insidiantur falsitate verborum. Unde & filii Samuelis, inordinato processu, in inordinata avaritiæ confusione denotantur, cum dicitur:

Rerum temporalium amatores animam suam flocci faciunt.

1. Reg. 8. Vers. 3

Declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera, perverterunt judicium.

Ex avaritia quæ vitia propagentur.

3. Qui enim ut munera acciperent, judicium perverterunt, ad inferendum furtum concupitæ rei, non quæsierunt obscuritatem noctis, sed tenebras rationis. Et notandum, quia ardor avaritiæ causa est accipiendorum munerum, & acceptio munerum causa est pervertendi judicii: ut Prophetæ narratione hujus vitæ pravitas ostendatur, non solum qualiter in reproborum cordibus proficit, sed a Sanctorum mentibus qualiter extirpari funditus possit. Nam si perversitas ista judicii ex acceptione munerum nascitur, qui munera non accipit, judicium non pervertit, & oblata munera leviter respuit, qui avaritiæ radicem a corde suo penitus extirpavit. Sed istam culpam filiorum Samuelis, plenius videndo, quam loquendo, colligimus. Nam si ad destituta Ecclesiarum loca respicimus, ubi pastor senescit, notam avaritiæ suscepti muneris, & perversi judicii filii incurrunt: quia ubi per locra turpia Rectoris persona dissolvitur, subjecti gregis corda facile dissipantur, ut in se nequiter vivant, & aliis exempla pravitatis præbeant. Sed libet in iis valde admirari judicia omnipotentis Dei. Nam filii Samuelis, dum post avaritiam declinant, dum causa pervertendi judicii munera suscipiunt, populo, cui præsunt, exempla pravitatis impendunt. Ipse autem populus, dum regem petit, de culmine potestatis Prophetæ filios abjicit. Deus vero omnipotens & regem petentium preces suscipit, & irascitur, quod petatur. Quibus profecto rebus turbari possumus, si eorum rationem non subtiliter videamus. Quid enim justius est, quam, ut populi judicio corruat, qui reprobo mentis suæ judicio sic studuit, ut se sequens populus periret? Sed tamen cum sacerdotes male vivunt, a laicis judicandi non sunt. Digne ergo indigniorem recipiunt, qui indignum indigne ejicere præsumserunt. Nam de filiis Samuelis dicitur: *Acceperunt munera, & perverterunt judicia.* De eo autem rege, quem filii Israel petunt, terribiles valde minæ proferuntur, quia dicitur. *Agros vestros tollat & oliveta, & dabit servis suis.* Et quis sapiens non attendat, quia nequius sit publica violentia agros & vineas tollere, quam ut acciperent munera prætextu veritatis judicium permutare? Hæc culpa quadam verecundia tegitur, pudore obumbratur. Culpa vero illa tanto

Sacerdotes male viventes, a laicis non judicandi.

1. Reg. 8. 14.

nequior cernitur, quanto manifestius, atque atrocius perpetratur. Sed nos nondum ad illa regni tempora discutienda pervenimus; in quibus ista fieri mala etiam ad litteram describuntur: dum ergo juxta propositum nostrum de electo & bono loquimur, utile videtur, ut etiam jus regis, quod prædicitur, qualiter in bona parte possit accipi, subtiliter videamus. Nam si aliquid boni spiritualiter non ostenderet, nequaquam in hac sacra historia diceretur:

Cap. 10. Vers. 25.

Locutus est Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino.

Sanctorum prælatorum cura, ut subditos a terrenis abstrahat ad cælestia impellens.

4. Quid est, quod Israelitarum filii ponendi in regis curribus dicuntur? Sed prælatorum sanctæ Ecclesiæ currus eorum devota sunt desideria. Nam dum superna gaudia ferventer appetunt, velut in curribus per alta feruntur. Hinc est quod Elias in curru igneo in cælum sublevatus asseritur: quia profecto ad superna gaudia sustolli non poterit, qui ea per alta & ferventia desideria non inquirit. Cum ergo boni auditores per exempla prædicatorum terrena contemnere, & amare æterna incipiunt, Israelitarum profecto filii in regum curribus ponuntur. Et notandum, quia & tolli dicuntur, & in curribus poni: quia prius debent a carnalibus desideriis abstrahi, ut bene valeant superni amoris ignibus inflammari. Quæ nimirum terrena desideria, quia non facile deseruntur, tolli filii perhibentur. Nam per magnam violentiam fieri oportet, ut terrena desideria electus auditor penitus deserat, & in cælestibus sublimiter se sustollat. De hac quippe violentia Dominus ait. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* De hac Paulus ait: *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Quod etiam his verbis latenter ostenditur, quia filii qui tolluntur, non in sedibus, sed in curribus poni perhibentur. Curru quidem antiqui pugnare consueverunt. Sed & qui curru ducitur, sublimis ac terribilis contra hostem fertur. Electi etenim viri tanto sublimiores atque terribiliores sunt occultis hostibus, quanto interni amoris celsitudine altius profecerunt. Sublimes quippe sunt, quia usque ad eorum intentionem malignorum spirituum suggestio non pertingit. Terribiles etiam sunt, quia reprobare eorum consilia tanto facilius possunt, quanto per intimi affectus vigorem in superni gaudii contemplatione consistunt. Hoc quidem quoties his dicitur, qui adhuc carnales sunt, piarum minarum illis bonitas exhibetur. Quod tale est, ac si dicat: Quia virtutis personam petitis, sub ejus disciplina vacare vitæ otio non potestis. Quare & equites regis & persecutores regalium quadrigarum, tribuni & centuriones fieri perhibentur. Omnia quidem hæc militiæ terrenæ sunt. Dum ergo equites & persecutores quadrigarum, tribuni, & centuriones fieri prædicuntur, ad omne belli exercitium summoventur. Equites quippe sunt, quando in virtute spiritus carnis suæ voluptatis fluxa restringuntur, & cunctis illecebrosis motibus magna potestate dominantur. Velut enim equo sublimi invehitur, qui per bonum castitatis carni suæ præpositus, liber, & velox, & effugere hostem, cum dedignatur, poterit, & invadere, cum dignatur. Per hoc quidem quod bene præsidere didicit, tanta virtutis incrementa accepit, ut velut irruentis equitis impetum sustinere hostis non possit. Et quia in virtutis suæ robore exempla electorum Patrum sequuntur, persecutores sunt regalium quadrigarum. Qua-

4. Reg. 2. 1.

Matth. 11. 12

2. Tim. 2. 5

Sic evecti ad sublimiores, ad pugnandum vires exerunt.

In bello spirituali, qui nam ex curru pugnent.

Qui sint equites.

Qui regis quadrigas, aut subsequantur, aut antecedant.

a Vatic. & Gilot. prohibentur.

Quadrigæ etenim regis sunt, bona exempla electi prædicatoris. In eis quippe & pugnans & triumphans ostenditur: quia dum sancta opera prædicatoris aspicimus, hunc profecto sublimem videmus & in agone certaminis, & in virtute triumphi. Sed carnalibus desideriis oppressi videre hunc in quadrigis suis possunt, persequi ejus quadrigas non possunt. Velut pedites quippe in plano sunt pigri ad cursum, debiles ad conflictum. Ut ergo regales quadrigas persequi valeant, prius equites fiant, terrena desideria conterant, carni suæ præsideant, pudicitiæ armatura candescant. Tunc quidem post electos Patres in spirituali conflictu currere tanto decentius possumus, quanto per id quod nobis laudabiliter præsumus, occultorum hostium agmina potenter ferimus. Quod si, velut plures habent codices, non persecutores, sed præcursores legimus, a bono intellectu non vacat. Regalium quidem quadrigarum præcursor est, qui laudat verbo exempla justorum. Qui nimirum eques esse debet: quia reprobus laudator est, qui altam vitam atque doctrinam Sanctorum prædicat, quam sublimi proposito imitari nequaquam curat. Sed qui aliorum vitam, atque doctrinam proponere aliis ad imitationem novit, jam quidem spiritalis militiæ esse magister incipit. Bene ergo subjunctum est:

Cap. 8. Vers. 12. Qui tribuni sint & centuriones.

Et constituet sibi tribunos, et centuriones.

5. Tribuni sunt, cum incipiunt: centuriones, cum in spiritali magisterio perficiuntur. Etenim, ut superius diximus, a centenario numero dicitur centurio. Tribuni etiam intelligi possunt spirituales viri, scientia simplices, sed amore Dei & proximi inflammati. Qui licet alta & spiritualia loqui nesciant, tamen per exempla electorum, quæ norunt, ad amorem Conditoris, quos prævalent, accendere conantur. Tribus quidem cognatio, sive curia dicitur. Si ergo tribuni dicuntur a tribu, qui ad profectum proximorum sanctorum exempla proferunt, tribuni nominantur. Ad rusticitatem quidem nostram destruendam, velut curia veniunt, quando nobis illa proponunt, per quæ sancti viri omnipotenti Deo placuere. Et cum plurimorum Sanctorum proprias virtutes exponunt, quasi spiritualium cognationum nobilitatem nobis aperiunt. Centuriones ergo intelligi viri perfectiores possunt, qui prædicatorum magisterio dum bene proficiunt, [a] eorum auditores atque cooperatores fiunt. De quibus profecto in Evangelio Dominus ait: *Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Tales quippe non solum operatione præcipui sunt, sed etiam verbi Dei scientia eruditi; unde & ad spiritalis militiæ conflictum cohortari proximos tanto utilius possunt, quanto & alta, quæ prædicare sciunt, in opere virtutis ostendunt. Habent in eruditione verba, habent ad exempla simplicium opera: ut alta quæ loquuntur sapientes, intelligant; & qui verborum secreta non vident in intimis, imitentur opera, quæ vident foris. Centuriones ergo constituuntur, quando perfectione virtutis, culmen obtinent dignitatis: ut sublimiter vivant, & quo altius vivunt, utilius doceant.

Matt. 13. 52.

Verbis & operibus prælati doceant.

6. Sed qui centuriones sunt, cum belli tempora ordinent, proficere debent: ut pacis etiam fructus ferre cognoscantur. Post tribunos ergo, & centuriones, agrorum fiunt aratores, & messores segetum; ut victorum jam corda vomere adhortationis aperiant, ex quibus uberius bonorum operum triticum metant. Velut in pace jam quidem arant, qui ea corda, quæ spiritalia impugnamenta devicerant, ad exercenda opera pietatis excitant. Et segetes metunt, quando de divini verbi semine, quod in auditorum cordibus sparserant, electa opera prorupisse gratulantur. Velut enim de agro triticum falcibus metunt, quando amplexu caritatis, id de superna conversatione accipiunt, quo interna devotione satientur.

Pacis tempore qui fructus erendi.

7. Sed quandiu in hac vita vivimus, in pace nulla possidemus. Antiquus etenim hostis, quia semper bene agentibus adversatur, necesse est semper nos ea quæ bene agimus, defendamus. Quare & bene post aratores agrorum, & segetum messores, armorum fabri, & curruum regis fieri perhibentur. Arma & currus fabricant, ut ipsos agros quos excolunt, easque segetes quas metunt, defendant. Currum quippe fabricant, ut ad occursum adversariorum veloces sint: arma vero, ut sint potentes. Currum quidem conscendunt, ut magno impetu castra dæmonum atterant: &, ut extinguant quos impetunt, arma portant. In hac quippe currus sublimitate stabat, qui dicebat: *Nostra conversatio in cælis est.* Unde & securus jam, qui superior cunctis suis hostibus apparebat, affirmans, ait: *Nulla creatura poterit nos separare a caritate Christi.* Sed qui currum conscenderat, arma tenebat; unde & exponit, dicens: *Ego autem sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Quid ergo in hoc curru rectius exprimitur, quam rectæ intentionis sublimitas? Currum ergo fabricare, est in mentibus auditorum altitudinem rectæ intentionis erigere. Qui enim per exempla meliorum prædicationis ministerium sortiuntur, currus post aratri & messionis studium fabricant, quando bene agentes subditos docent, ut ex omnibus operibus bonis, quæ agunt, sola æternæ retributionis præmia præstolentur. Terrena quidem despicere, nulla transitoria desiderare, æterna diligere, atque ad illa magnis desideriis festinare, jam quidem sublimi currui præsidere est. De quibus nimirum curribus per Psalmistam dicitur: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in illis ascendit.* Arma vero eorum, sunt acuta consilia, quibus tanto validius hostes feriunt, quanto celerius eorum astutias deprehendunt. Unde & quasi armatus ille potens loquebatur: *Non ignoramus ejus astutias.* Arma etiam fabricabat, cum dicebat: *Et scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* In illis quidem curribus, & armis positi electi, veloces atque potentes sunt. Veloces quidem: quia dum spiritualia cupiunt, nequitias spirituales in momento deprehendunt. Potentes vero sunt: quia dum ardentius summa desiderant, quidquid eis de imo seculi amore suggeritur, pro nullo pensant: & quasi currus vecti pondere, in hostes magnum impetum habent, qui sanctis virtutibus, & acutis consiliis pleni, tentamenta omnia, quæ ingeruntur, in momento destruunt. Nec vacat ab isto sensu, quod currus, dum per terram volvitur, & inferiorem partem levat sursum, & superiorem deprimit deorsum. Sic nimirum & sanctorum virorum recta intentio, dum de terrenis, quæ agit, cælestia expectat, velut partem, quam per terram trahit, ad summa dirigit. Et quia se tam de bono opere, quam de expectatione æterna

Qua contra hostem arma facienda.

Qui parandus currus.

Philipp. 3. 20.

Rom. 8. 39.

1 Cor. 9. v. 26 & 27.

Psal. 67. 18.

2 Cor. 2. 11. Ephes. 6. v. 16. & 17.

a Gilot. eorum adjutores atque cooperatores fiunt.

ternæ retributionis in conspectu Conditoris humiliat, velut ad terram mergit partem, quam sursum levat. In rotis quippe suis currus noster incessanter volvitur, si de bono opere semper æterna intendimus, & de omni profectus nostri altitudine humiles esse curamus. Quæ profecto arma, & currus tunc sont regis, cum a prædicatorum sanctæ Ecclesiæ forma & doctrina discrepare minime videntur. Currus ergo & arma electi prædicatores fabricant, quando autores suos ad supernam patriam festinare docent, & intentionis rectitudine & munitione virtutis. Sed hæc omnia, quæ in profectu unius ostendimus, nihil obstat, si per se in pluribus distributa sentiamus. Electos quidem per virtutum gradus proficiscentes, ostendimus prius in curribus poni; deinde equites, & regalium quadrigarum præcursores ordinari; tribunos, centuriones, aratores, & messores constitui; ad extremum vero fabros armorum fieri. Sed quia sancta Ecclesia diversis electorum ministeriis utitur, qui vult, potest gratiarum dona singula ordinibus attribuere singulis, ut eorum quæque sint propria illis, qui eorum affectibus strictius inseruntur.

Currus spiritalis rotæ.

8. Quid ergo est quod subdit: Filias Israelitarum unguentarias, & focarias, & panificas esse futuras? Sed filiarum appellatione aliquando infirmitas, aliquando fecunditas designatur. Quæ ergo Israelitarum filiæ, nisi mentes electæ sunt, ad divini verbi conceptum præparatæ? Quæ regis unguentariæ fiunt: quia dum prædicatoris sui institutione proficiunt, in se abundantem gratiam Spiritus sancti percipiunt, per quam mederi contritis cordibus salubriter possunt. Focariæ etiam fiunt: quia dum fervore sancti Spiritus plenæ sunt, exemplo suo proximorum corda in amorem Conditoris accendunt. Panificæ fiunt, quando electas mentes verbi Dei alimento reficiunt. Unguentariæ ergo fiunt filiæ, quando vulnera peccatorum curant. Focariæ, quando purgata a sordibus peccatorum corda, ad studium boni operis exemplo suæ virtutis inflammant. Panificæ vero sunt, quando proficientibus per exempla, non jam exempla proponunt, sed altæ scientiæ verba proferunt; ut velut solido cibo pasti, tanto fortius agant, quanto jam spiritaliter instructi, ferventius æterna desiderant. Sequitur:

Quid per filias Israel intelligendum.

Unguentariæ ... fiunt.

Focariæ & panificæ.

Vers. 14. *Agros quoque vestros, vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.*

9. Quinam sunt agri, quæ vineæ, quæ oliveta, quæ jure prælatorum nobis auferuntur? Sed prædicatores sancti, quando ad correptionem peccatorum loquuntur, delectationes carnis, concupiscentias mentis, simulationes bonorum operum reprehendunt. Nam si carnis delectationes iniquæ possessionis agri non essent, Apostolus nequaquam diceret: *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.* In carne quippe seminare, est propositum mentis obruere in delectationes corporis. Qui profecto corruptionem de carne metunt: quia in electorum resurrectione renovationem æternæ incorruptionis nequaquam recipiunt. Vinearum quoque appellatione mentis concupiscentiæ recte figurantur: quia reproborum corda inebriant, & a cognitione veritatis alienant. Hujus vineæ fructus vituperans Moyses, ait: *Ex vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum, uva fellis, & botrus amarissimus.* Ex Sodomorum quippe vinea vitem, ex Gomorrha ducit propaginem, qui nefandissimis concupiscentiis mentem replet. Quasi enim vineam facit, qui inde æterna obliviscitur, unde & per concupiscentias debriatur; & qui se quasi sub umbra vineæ, & amœnitate pravæ delectationis refrigerat, æterni sibi incendii retributionem parat. Unde apte nimis ejusdem vineæ fructus exponens, uvam fellis, & botrum amaritudinis dixit. Uva quippe in visu est, fel in sapore: visum oblectans, gustum amaricans; quia nimirum reprobæ menti valde placet, quod concupiscit, sed in æterna pœna, quod sibi modo est dulce, amarescit. Rex ergo nobis agros tollit, cum electus prædicator lætos in delectatione motus carnis nostræ loquendo subtrahit. Vineas tollit, cum debriantes concupiscentias a corde nostro penitus abscindit. Oliveta etiam tollit, cum falsæ misericordiæ opera reprehendit, cum recte exhortando suggerit, nullum esse meritum operis, nisi prodeat de proposito bonæ intentionis.

Prædicatoris munus est delectationes carnis, concupiscentias mentis, & bonorum operum simulationes bellum indicere.

Gal. 6. 8.

Deut. 32. 32.

Concupiscentia uva est visu, fel sapore.

10. Sed valde quærendum est, cur dari servis regis asseruntur. Nam si hæc nobis jure auferuntur, quinam erunt, quibus non indigne tribuantur? Quod tamen si subtiliter quærimus, magnos in imperiis suis sanctos prædicatores nostros invenimus. Qui sunt ergo ii servi, nisi illi, de quorum capite ad beatum Job Dominus dicit: *Numquid accipies eum servum sempiternum?* Maligni namque spiritus servi sunt sanctorum hominum; sed in hac vita servi perpetui, in illa vero servi sempiterni. Quotidie namque hoc ingerunt, unde sancti viri coronentur. Nam cum ex prælio hujus vitæ, æternæ gloriæ victoria nobis præbeatur, qui contra nos ea bella innovant, quibus ad æternam requiem ducimur, profecto nobis magna servitia impendunt. Servi quoque victorum sunt, testante veritate: *A quo quis vincitur, ejus servus efficitur.* Nam dum prælia contra eos, qui victuri sunt, excitant, serviunt eis, qui inde coronantur, unde ad tempus eorum prælia potenter excipiunt. Sed quia quod ad Sanctorum gloriam proficit, malignis spiritibus crescit in damnationis augmentum, ablati agri, & vineæ, & oliveta servis tribuuntur. De omni quidem malitia sua dæmones in æterna pœna punientur. In congressione quidem occulti certaminis, quando electi vincunt, mala quæ repellunt, suis hostibus tribuunt: quia isti, tamquam aurum in fornace, probantur, illi pro reproba suggestione puniuntur. Agros ergo, vineas, & oliveta servi suscipiunt: quia cum peccatores ad vitam, prædicantibus doctoribus, redeunt, hoc etiam ad damnationis cumulum dæmonibus proficit, quod pœnitentes in culpa præterita tamdiu eorum fraude retenti sunt. Dantur etiam hæc servis, quando officio prædicatoris conversi peccatores ad Dominum, agnoscunt quod in amore præteritorum criminum fraude dæmonum tenebantur.

Electorum profectus, damnationi diaboli incrementum est ac cumulus.

Job. 40. 23

2. Petr. 2. 19

Sap. 3. 6

11. Quid vero est, quod segetes, & vinearum reditus addecimari, & eunuchis famulis regis dari ea perhibentur? Sed segetes electorum addecimantur, quando excellentiora eorum opera colligimus, ut ea, ad exemplum fidelium producamus. Unus denique solus fuit, qui in se omnium virtutum plenitudinem habuit, cui se omnis plenitudo divinitatis corporaliter infudit. Nos autem, quia de plenitudine ejus omnes accepimus, dona gratiarum per partes divisas possidemus. Hinc Paulus ait: *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum, alteri fides in eodem spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum.* Dena-

Bonorum operum decima quo pacto colligenda.

Coloss. 2. 19

1. Cor. 12. v. 8 & c.

no vero numero, quia perfectus est, virtutes ad decimamus, cum singulorum dona electorum colligimus, quæ minores imitentur. Nam de Moyse scriptum est: *Quia erat mitissimus super omnes homines terræ*. De Abraham quoque dicitur: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam*. Cum ergo mansuetudinem cum fide imitari volumus, necesse est ut de exemplo Moysi & Abrahæ ad refectionem mentis nostræ, velut electarum segetum, cibi decimentur. Sic sic nimirum castitatem Joseph, sic Job patientiam, sic zelum Phinees ad exemplum nostrum prædicatores proferunt: quia dum perfectorum virtutes ostendunt, velut electarum messium decimas congregant, quas bene proficientibus apponant. Unde & bene eunuchis & famulis eædem fructuum decimæ dari prædicuntur. Eunuchi quippe sunt, qui animi virtute, omnia in se libidinis fomenta contriverunt. De quibus nimirum in Evangelio Dominus dicit: *Sunt eunuchi, qui castraverunt se propter regnum cælorum*. Famuli sunt, qui adhuc studiis vitæ activæ sub aliena cura inserviunt, & ad altitudinem caritatis liberi adhuc exire non possunt. Qui & apud Moysen sex annis servire dominis suis debere inveniuntur, ut septimo liberi egrediantur; quia nimirum prius debent perfecti esse in opere, ut ordinate in summa contemplatione exire valeant. Eunuchis ergo famulis doctor messium decimas tribuit, quando ii, qui in candore castitatis obediunt sibi, opera majorum electa sequuntur. Vinearum etiam decimas tribuit, cum eis, quam mira caritate Patres nostri Deum & proximum dilexerunt, ostendit; ut & ipsi etiam ejusdem caritatis abundantia repleri studeant, ac velut ebrii, præteritorumque obliti, sola futura diligant, atque ad illa ferventer currere non omittant.

Num. 12. 3. Gen. 15. 6. Gen. 39. v. 8. &c. Job. 1. 21. Num. 25. 7. Matth. 19. 12. Exod. 21. 2.

12. Post ista vero omnia servi Israelitarum, & ancillæ, juvenes optimi tollendi prædicuntur, atque in regis opere ponendi. Qui sunt servi carnalium, nisi qui, malorum exemplo, diuturna consuetudine sic depravati sunt, ut colla mentis sub jugo nequissimæ imitationis perpetuo subdidisse videantur? Servi ergo illorum tolluntur, quando electorum prædicatorum studio illi etiam peccata deserunt, qui reprobæ imitationi carnalium vehementer subdi videbantur. Qui etiam juvenes optimi dicuntur. Juvenes quidem sunt, quia in malo fortes: optimi etiam dicuntur, quia ceteris peccatoribus nequiores sunt. Quibus nimirum per Prophetam dicitur: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem*. Vinum denique bibunt, qui deliberatione mentis, fervorem concupiscentiæ præcipitanter excipiunt, & ebrietatem miscent: quia dum concupiscentiarum ardoribus inflammantur, ad vias rectitudinis perdita ratione, redire nesciunt. Potentes vero & fortes tam ad bibendum, quam ad miscendam ebrietatem sunt, ut pro ferventi proposito mali velut optimi servi esse doceantur. Hos optimos juvenes item divinus sermo demonstrat, cum diaboli aviditatem exponit, dicens: *Esca ejus electa*. Nam antiquus hostis in eorum nequitia valde reficitur, qui nequissimis nequiores sunt.

Optimorum prædicatorum studio, qui carni serviunt Deo mancipantur. Isai. 5. 22. Habac. 1. 16.

13. Ancillarum vero nomine illa nequissima peccatorum conditio designatur, qui per iniquitatem valde sunt pessimi, & aliis præbent exempla pravitatis. Velut enim ancillæ servos pariunt, dum magnæ iniquitatis non sunt solum operariæ, sed etiam matres. Quia vero Sanctorum prædicatione tales etiam convertuntur, qui magna postmodum omnipotenti Deo servitia impendunt, apte servi & ancillæ dicuntur auferri, & in opere regis poni. Annon tunc ancillam rex regum tulit, quando de illa magna peccatrice dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum?* Et hanc in opere suo posuit, quando in castellum intravit, & eum illa in domo sua recepit. Hanc etiam in opere suo posuit: quia resurgens a mortuis, ei prædicationem suæ resurrectionis injunxit. Servum quoque tulit, quando a telonei lucro Matthæum ad se sequendum vocavit. In opere suo hunc etiam posuit, quia ei in domo sua convivium præbuit, & Ethiopiæ prædicatorem, conversi orbis Evangelistam fecit. Quia ergo prædicatorum ministerio hi etiam ad Dominum redeunt, de quorum salute humana cogitatio desperare poterat, bene servi & ancillæ & optimi juvenes in regis opere ponendi describuntur.

Peccatorum nequissimi sunt qui aliis dant exempla peccandi. Mulier peccatrix Christum hospitio excepit, ejusque resurrectionem nuntiavit. Luc. 7. 47. Ibidem 10. v. 38. &c. Marc. 16. 9. Matth. 9. v. 9. &c. Marc. 2. v. 14. &c. Luc. 5. v. 27. Matthæus Æthiopiæ Apostolus, & prædicator.

14. Possunt servorum & ancillarum nomine, motus cordis & affectiones intelligi. Nam quando nobis reproba suggerunt, servi sunt: quando affectiones mentis pravorum motuum suggestionibus substerni appetunt, ancillæ. Tunc quidem necesse est, ut per rigorem propositi utrisque dominemur. Servos nostros & ancillas prædicatores tollunt, cum motus cordium nostrorum, & affectiones instruunt, qualiter ad Dei servitium dirigantur. In opere regis ponunt, quando jam idem Dei omnipotentis servitium, quod eorum magisterio didicimus, exercemus. Quare & in asinis quid aptius, quam lascivi motus animæ figurantur? In opere autem regis ponuntur, quando illa mens, quæ pravis cogitationibus moveri ad lasciviam solebat, prædicatione doctoris proficit, & affectus suos in appetitu imitandæ castitatis ponit. Possunt servorum & ancillarum & asinorum nomine designari, qui secularibus hominibus corporalia obsequia fortiter impendunt. Sed in opere regis ponuntur; quia conversi ad Dei omnipotentis servitium, spiritualia tanto devotius pro æterna retributione tolerant, quanto clarius agnoscunt, quia magna sine fructu tolerabant. Greges etiam rex addecimare dicitur: quia quisquis omnipotenti Deo placere appetit, oportet, ut mundus sit per innocentiam, & studio boni operis intentus. Per illud quidem arbor est bona, per istud etiam fructus facit. Quia vero multis utimur, ut servare innocentiam, bona opera exhibere valeamus, ipsæ cogitationum innocentium turbæ greges nostri sunt. Quid ergo est, quod addecimantur, nisi quia cogitationum subtilitas facile non videtur? Nam sæpe bona nos cogitare putamus, quæ subtiliter discussa, bona non sunt. Addecimari ergo greges debent, ut illud solum regii juris sit, quod denario numero continetur. Quod in nobis tunc bene agitur, cum prædicatorum nostrorum magisterio discimus, perfecti esse non solum exhibitione operis, sed etiam in exquisitione cogitationis. Ad extremum vero dicitur: *Vosque eritis ei servi*.

Cordis motus quomodo subdi Christo debeant. Et mentis cogitationes.

15. Ut videlicet sic ejus juri se subditos sciant, ut ejus mandata præterire non audeant. Hanc profecto regiam dominationem volebat Dominus statuere, cum dicebat: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in cælis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum in cælis*. Hanc etiam potestatem exigebat a subditis, qui dicebat: *Si quis evangelizaverit vobis aliud, quam ego evangelizavi vobis, anathema sit*. Hinc item Dominus discipulos

Vers. 17. Præter prælatorum auctoritatem nihil agendum. Matth. 16. 19. Gal. 1. 8.

Luc. 10. 16. mittens in prædicationem, dicit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Hinc de Judææ prædicatoribus eisdem discipulis Dominus dicit: *Quæcumque dixerint vobis, facite.* Matth. 23. 3. Servi ergo regum nostrorum sumus, quando sic prælatorum nostrorum imperio subdimur, ut præter eorum auctoritatem agere nulla præsumamus. Quia ergo eis præsunt, qui in virtute obedientiæ suas vitutes roborant, in fine regis juris dicitur: *Vosque eritis ei servi:* ut fideles subditi, tunc etiam se subditos prædicatorum præcepto debere esse cognoscant, quando per virtutum profectum, ad perfectionis culmina perducuntur. Quod etiam eisdem verbis ipsa Veritas discipulos edocens, ait: *Cum feceritis hæc omnia, dicite: Servi inutiles sumus.* Luc. 17. 10. Verumtamen, quia carnalibus ista loquebatur, adjunxit, dicens:

Vers. 18. *Et clamabitis in die illa a facie regis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.*

Obedientiæ jugum excutere nituntur. 16. Qui regem petierant, a facie regis clamant, quando ii, qui agere spiritualem vitam sub bono Rectore voverant, ejusdem vitæ relinquere labores tentant. Facie quidem omnes agnoscuntur. Facies ego regis est cognita conversatio, & eruditio boni prædicatoris. Qui nimirum, quia dura & aspera pro æterna vita agunt, & dura præcipiunt, eorum vitam atque doctrinam carnales subditi non imitari, sed fugere conantur. Faciem quippe regis tunc vident qui regem petierant, cujus aspectum ignorabant: quia in prælato suo cælestis itineris districtio, quam sit laboriosa, considerant, quam velut rem facilem antequam cognoscerent, appetebant. Tunc a facie regis clamant, qui regem petierunt: quia dum carnalis vitæ deserere [a] morem nolunt, ejusquem sibi præesse voluerunt, optimi Pastoris sui laudabilem imitationem effugere nituntur. Et quia cæco corde lucem videre non possunt, ad Dominum clamant, idest ut evadere spirituale jugum Dei possint, Dominum obsecrant. Sed non exaudit eos Dominus in die illa. Quæ est dies illa, qua reprobi subjecti Dominum obsecrant, nisi intentio vanæ prosperitatis? Non exaudiuntur: quia profecto per divinam gratiam numquam fit, ut bonis Rectoribus semel promissa subjectio, libera egredi ad mundi delectationes possit. Quare & causam subjunxit, dicens:

Vers. 18. *Quia petistis vobis regem.*

Ad conversionem festinantes non facile recipiendi. 17. Quasi dicat: Pastoribus spiritalibus promissa subjectio indissolubilis est. Facile quidem vobis regem petitis: sed quia dignitas regia gravis est, eorum potestatem effugere facile non potestis. Hoc quia ad historiam dicimus, notandum esse censemus, quia omnipotens Deus, dum jus regis prædicit, religiosis præpositis formam institutionis impendit. Quare? Ut qui arctissimam conversationis viam imperant, [b] noviter accedentibus facile aditum non impendant. S. Bened. Reg. Cap. 58. Quare & ejusdem arctissimæ vitæ magister optimus, summæ veritatis discipulus eruditus præcipit, dicens: *Probate spiritus, si ex Deo sint.* Et item: *Nuntientur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum, ut sciat ad quod intrat.* 1. Johan. 4. 1. Reg. S. Bened. ibidem. Prædicat ergo Dominus jus regis, dicat omnia, quales carnales futuri sunt in ejus observatione: & ut ad

A vitam virtutis debiles facile non accedant, fortes præpositi facile debiles nequaquam accipiant. Celeritas quidem conversionis plerumque oritur ex præcipitatione consilii, non ex incremento devotionis. Nam cum infirmi fortia promittunt, non est expertum robur animi, sed confusio discretionis. Quos omnes sub unius denotatione sapiens admonet, qui dicit: [c] *Super te onus ne levaveris.* c Qui ergo in regularis vitæ forti proposito aliis præsunt, tanto discretius debent ad eamdem vitam conversos recipere, quanto & utilius prænoscendum est, accedentium petitio ex virtute sit animi, an ex præcipitatione voluntatis. Nam qui in suis actibus faciles sunt, solent instanter vitæ spiritalis asperitatem
B appetere, ut videantur magna animi virtute, quod expetunt, desiderare.

Noluit autem populus audire vocem Samuelis, & dixerunt: Nequaquam, sed rex erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes Gentes, et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis. Vers. 19. & 20.

Hoc quia superius late expositum est, in eorum exquisitione otiose retinemur. Sequitur:

Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini. Vers. 21.

18. Audire vocem populi, est quæ sanctæ conversationis habitum petentes exterius dicant, agnoscere. Nam velut solam accedentium vocem audimus, cum scimus, quæ exterius asserunt; sed quales inter sponsionis assertiones futuri sint, non videmus. Loqui ergo ea in auribus Domini debemus, ut ipse sponsionis verba suscipiat: qui dum verba audit, corda discutit, & ex textu professionis, usuras exquirit robusti operis. Hoc namque novitiorum nostrorum mentes audiant, & expavescant: quia videlicet quod nobis dicunt, in auribus Domini loquimur. Nam quod coram nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipse jam de manibus nostris teneat, quod exquirat. Quæ profecto libertas Rectoris, est obligatio subditi: quia tanto districtiori sententiæ subditur, quanto apertius scire potest; quia de eo, quod respondet, omnipotenti Deo reddere rationem debet. Cum ergo ea quæ novitii promittunt, Deo offerimus, quasi chirographum, quod nobis faciunt, illi damus. Et quia latenter hoc agitur, in auribus Domini Samuel ea, quæ populus dixerat, locutus fuisse perhibetur. In auribus quippe amicorum loquimur, quando ea quæ dicimus, extraneis celamus. Sequitur:

Eorum sponsio & chirographum dum recipiuntur.

C
D

Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos regem. Ibidem.

19. Superius Propheta futura prospiciens, ait: *Clamabitis ad Dominum, & non exaudiet, quia petistis vobis regem.* Nunc vero Dominus dicit: *Audi vocem eorum, & constitue super eos regem.* Quid per hoc nobis ostenditur, nisi quod sæpe bonis Rectoribus sanctæ Ecclesiæ divinitus inspiratur, ut cælestis vitæ studiis eos subdant, qui sub disciplina ejusdem professionis postea devoti non sunt? Qui profecto postea a facie regis clamaturi sunt, & tamen divino præcepto regem recipiunt: quia divinitus inspirantur ad servitutem Dei devote accedere, quos in augmento mercedis æternæ Pastorum sollicitudo magni laboris, sub ejusdem servitutis

Qui in Monasteriis tepidi sunt, non abjiciendi ut mortui, sed medendi ut ægri.
1. Reg. 8. 18.
E

a In Vatic. & Gussanv. volunt, quod intentum a Gregorio sensum avertit.
b Hæc ex Regula S.P. Benedicti cap. 58. depromta sunt non solum quoad sensum, sed etiam quoad verba: *Noviter quis veniens ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus. Sed sicut ait Apostolus, probate spiritus si ex Deo sunt,* &c. Multa alia ex eadem Regula desumta observavimus in Præfatione.
c Pentaffa Eccles. cap. 3. ex. ubi legitur *altiora te, vel difficiliora te ne quæsieris.* Et in Vers. Arabica, *ne quæras quod vires tuas superet.* Vide supra lib. 1. cap. 2. num. 17.

tutis vinculo debeat cohibere. Ad Dominum A nempe clamare dicuntur, a facie regis sui: sed quid e Domino missus Propheta respondeat, ipsi reges audiant, ut quid agere debeant, inter ipsos clamores sciant. *Non*, inquit, *exaudiet vos*. Ergo nec ipsi exaudire debent. Qui enim in sanctis monasteriis sunt tepidi, medendi sunt, quasi ægri; non sunt ejiciendi, ut mortui. Nam si a Domino missi sunt, inter spiritualium unguentorum fomenta resipiscent. Dicat ergo Dominus: *Constitue super eos regem*: quia profecto nonnulli ad servitutem Dei veniunt devoti, qui & refrigescere permittuntur; sed Pastorum studio, quorum se præcepto subdiderant divina inspiratione, ad amorem cælestis patriæ recalescunt. Sed jam qualis Pastor ad hæc sit idoneus, exponit, dicens:

C. 9. v. 1. & 2.

Erat vir de Benjamin, nomine Cis, filius Abiel, [a] *filii Seror, filii Becherath, filii Aphia, filii viri Jemini fortis robore. Et erat illi filius vocabulo Saul, electus & bonus, & non erat vir de Israel melior illo, ab humero & sursum eminebat super omnem populum.*

Qualis Pastor ipsi constituendus.

20. Quid est, quod cum rex constituendus ostenditur, patrum nomina prædicantur: nisi quia indigne assumitur ad principatum sanctæ Ecclesiæ, qui sanctorum Patrum in moribus nobilitatem non tenet? Sex autem patrum nomina assignantur, ut sanctę conversationis eorum in bona actione perfectio designetur. Sex enim diebus mundus conditus est, sex ætatibus consummatur. Sex ergo sunt patres, qui in genealogiæ ordine electorum C Pastorum sanctæ Ecclesiæ nominantur: quia nimirum illorum sunt per imitationem filii, qui in forma sequentium culmen obtinent perfectionis. Pater vero regis, Cis, idest durus dicitur: quia profecto ii, quorum sancti prædicatores imitatores sunt, vita & zelo remissi non sunt. Duri namque sunt, quia peccatoribus mollia non loquuntur: duri etiam sunt, quia ut alios bene corrigant, dura quæ illis præcipiunt, in sua conversatione demonstrant. Durus namque videbatur, qui Judæos arguebat: dicens: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis effugere a ventura ira? Facite dignos fructus pœnitentiæ*. Sed qui aliis durus erat, sibi remissus non erat. Nam ut pœnitentię duritiam, quam prædicabat, Evangelista eum tenere D ostenderet, ait: *Habebat vestimentum de pilis camelorum, & zona pellicea cinctus lumbis: esca autem ejus locustæ & mel sylvestre*. Ab Ezechiele quoque dicitur: *Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem & silicem dedi faciem tuam.* Sed qui tam durus contra duros in malo veniebat, ut dura, quæ ventura erant locuturus ostenderet, diebus septem in medio eorum, antequam loqueretur, flebat. Sic enim dicit: *Et sedi ubi illi sedebant, & mansi septem dies mœrens in medio eorum*. Quia ergo sancti prędicatores, obstinatis peccatoribus, lenes & mansueti non sunt, & quod asperum prædicant operantur, duri filius Saul recte perhibetur. Illos enim imitari electus prædicator debet, qui & acuta prædicant, & quæ loquuntur, observant. E Unde & de eodem regis patre subjungitur: *Fortis robore*. Sunt nonnulli intra sanctam Ecclesiam, qui elatione sunt, & arrogantia fortes. Nam magna agunt; sed cum laudare homines ea, quæ agunt, desinunt, eadem magna ipsi agere permittunt. Fortis ergo robore est, qui virtutem, quam monstrat in opere bono, habet a Spiritu sancto. De quo nimirum robore superius Anna in cantico vaticinata est dicens: *Infirmi accincti sunt robore*.

Durus sit, ut mollia peccatoribus non loquatur.

Matth. 3. 7.

Marc. 1. 6.

Ezec. 3. 8.

Fortis fit virtute Spiritus sancti, non elatione & arrogantia.

Supra ad c. 9.

De hoc Dominus discipulis repromittit, dicens: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. In hoc robore fortiter gradiebatur ille de quo scriptum est: *Regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam*. Qui ergo durus dicitur, fortis robore perhibetur: quia electi viri, dum summa prędicant, ingentia demonstrant: & omne quod altum præcipiunt, omneque quod magnum agunt, in virtute sancti Spiritus operantur. De quo digne subjungitur: *Et erat ei filius Saul nomine, electus & bonus*. Nam qui talium imitator est, utilis non solum est ad laborem ministerii, sed aptus ad fructum hereditatis. Electus quippe etiam Judas ad ministerium fuit: B sed quia bonus non fuit, jus amisit successionis. Qui ergo in Saul adhuc electo & bono significantur, nisi sanctorum Patrum electi imitatores, qui per doctrinam aliis utiles sunt & per conversationem sibi: qui sic alios possunt regere, ut sibimetipsis nequaquam desinant providere? Electi namque & boni sunt, quia sic lucra aliorum expetunt, ut sui nulla damna patiantur. Pleni quippe in seipsis sunt, effluentes aliis, & de abundantia sui sic aliis tribuunt, ut suę plenitudinis aliquid non amittant. Habent quæ aliis præbeant, sed habentes quæ sibi possint sufficere, nulla præbent. Sic aliis præbere oleum nituntur, ut a se fomenta luminis non tollantur: ut cum illuminant alios, se non extinguant. Bene ergo electus & bonus dicitur; quia certe, quia sanctę Ecclesiæ regimen suscipit, dives esse debet, & ornatus donorum spiritalium & plenitudine meritorum. Et quia de communi ordine, qui præcellant, eligendi sunt, sequitur: *Et non erat de filiis Israel melior illo*. Cujus profecto excellentia commendatur, cum subditur: *Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum*. Hac quippe specie corporis in persona ordinandi antistitis, præsignantur acta virtutis. Quid enim in humero nisi fortitudo designatur? Sed qui ab humero, & sursum super omnem populum eminebat, tam sublimis staturæ erat, ut qui altior esset in populo, capite usque ad humerum regis pertingeret: futurus vero rex collo & capite altitudinem omnium superaret. Capita vero quæ sunt, nisi subjectæ plebis mentes? Quæ cum valde tenduntur, usque ad humerum ordinandi regis pertingunt; quia is qui ad regendum culmen sanctę Ecclesiæ quæritur, tantę debet esse perfectionis, ut quidquid populus de bono opere sibi vult proponere, in sua conversatione debeat demonstrare. Quasi enim regis humerum capita plebis tangunt, quando eorum corda, quidquid virtutis in suo Pastore quærunt, inveniunt. Sed rex præcellit collo, præcellit & capite. Quid enim in collo, nisi locutio: quid in capite, nisi mentis contemplatio designatur? Capite ergo & collo subditorum omnium caput excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, & sublimitate doctrinæ. Quasi enim capite sublimis est, cum illa de secretis cælestibus contemplatur, quæ alii contemplari non possunt. Collum quoque super alios habet, qui altitudine locutionis suæ mirabilis, æquandus ab aliis non est. Quasi enim caput in sublime extulerat, qui dicebat: *Veniam ad* [b] *visiones & revelationes Domini. Scio hujusmodi hominem sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit*. Sed velut electus & bonus rex, ut collum etiam super capita omnia se tenere ostenderet, ait: *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Quid vero quasi eminens collum ejus miramur in

Luc. 24. 49.

Ibid. 4. 14.

Sic aliorum lucra quærat, ut nulla ipse damna patiatur.

Ceteris præcellat.

2. Cor. 12. v. 1. & 2.

Ibid. v. 4.

a Hæc in Gilot. & Vatic. omittuntur.

b Alii editi corrupti *ad divisiones gratiarum & revel.*

ijs, quæ tacuit? Adæquemus eum, si possumus, in iis quæ dixit. De collo Apostoli Pauli processerunt epistolę ejus, & cum ab illo tempore cœperint eas viri sapientes exponere, adhuc conantur ea quæ dixit melius scire. Cumque quotidie in ejus eruditione proficiunt, quasi ad summitatem colli innitentes, pertingere nequaquam possunt. Emineat ergo rex collo, emineat capite, sit humero sublimis: ut conversatione perfectus sit, eloquio mirabilis, prę ceteris arduus in arcę contemplationis. Sed, qui conversatione magnus est, eloquio pręcipuus, præ omnibus contemplatione suspensus, priusquam perveniat ad culmen regiminis, signa exterius habere debet fraternę caritatis: ut videlicet sic proximorum sollicitudinem habeat, ut ad æternam vitam lucra animarum quærat. Bene ergo in eorum typo subjungitur.

Perfect vita, verbo, contemplatione.

Vers. 3. & 4.

Perierant autem asinæ Cis, patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, & surgens vade, & quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim, et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant, et per terram Jemini, et minime reperere.

Christum i... sibi.

21. Cis, qui durus dicitur, non solum electos ejus, sed ipsum etiam Redemtorem significat. Nemo enim sibi eo durior extitit. Hujus namque duritię asperitatem Propheta insinuans, ait: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*. Mori enim mortalibus non est pati, passibiles damnatæ naturæ. Ille ergo sibi durus vehementer extitit, qui in se unde pateretur, non habuit: sed ut nos patiendo liberaret, in quo sibi durus esset, & pati posset dignanter assumsit. Asinæ Cis sunt animæ peccatrices. Qui etiam in fide Redemtoris regeneratæ sunt, duræ esse dicuntur: perditæ autem asinæ, quia per immunditiam ab ejus sunt servitio separatæ. Hinc est enim, quod ad passionem tendens, absolutæ asinę, & pullo insedit; ut patenter ostenderet, quia ad hoc pati venerat, ut peccatoribus subveniret. Pereuntes namque asinas se quęrere fatebatur, cum dicebat: *Venit filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat*. Has asinas & per semetipsum quæsivit, & adhuc prædicatores ad quærendum mittit. Dicit ergo Cis filio suo, ut asinas quærat, quando electorum cordibus spirituali inspiratione Redemtor imperat, ut in prędicationis ministerium pergant. In prædicationis autem officio pergentes, quia solum spiritalem sensum secum debent ducere, unum de pueris tollere [a] jubentur. Unum namque puerum tollit, qui dum ad præbendum aliis formam vivendi pergit, in omne quod agit spiritualis est. Unum namque de pueris tulit, de quo prædictum est: *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ*. Unum puerum secum tulerat, qui ait: *Non habemus spiritum hujus mundi, sed spiritum, qui ex Deo est*. Hinc iterum dicit: *Nos sensum Christi habemus*. Hinc per Ezechielem de sanctis animalibus dicitur: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*. Quærens ergo asinas, unum de pueris tollit: quando is, qui noviter animarum lucra quærere incipit, quæ agere putat, omnia spiritaliter agere disponit. Invenire autem asinas, est peccatores in luce sanctitatis conversos aspicere. Nam velut perditæ asinę non inveniuntur, quando in peccatorum tenebris, reproba corda se obruunt.

Isa. 53. 4

Matt. 21. 7

Luc. 19. 10.

Ab ipso imitatur.

Luc. 1. 17

1. Cor. 2. 12

Ibid. v. 16.

Ezec. 1. 2.

Per peccatum homo perditus.

22. Et quia per quinque sensus corporis ad easdem peccatorum tenebras decidunt, quinque regionibus non inveniendæ perquiruntur, videlicet monte Ephraim, terra Salisa, & Salim, & viri Gemini, & Zuph. Unusquisque etenim ubi per peccatum projicitur, ibi occultatur, & quasi perditus, ubi sit nescitur, quando justitię lucem, in qua eum Deus posuit, dereliquit. Hinc est, quod in paradiso post peccatum, primum hominem quærit, dicens: *Adam ubi es?* Quasi dicat: Quia te in luce qua posui non invenio, demonstra te ubi posuisti. Hinc de mortuo Lazaro exquirit, dicens: *Ubi posuistis eum?* Sed quem quasi perditum quęrebat, ut inveniret progredi imperabat, dicens: *Lazare veni foras*. Perditur ergo homo, cum peccat: invenitur, cum peccatum adversum se, jam pœnitendo pronuntiat. Quia enim per sacra eloquia peccatori pręcipitur: *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris:* Dum ille, qui peccavit, confitendo justificari incipit, in luce jam cernitur, ubi jam positus invenitur. Saul autem, qui asinas quærens, non invenit, eruditi quidem prædicatoris personam designat, sed noviter incipientis. Quem profecto omnipotens Deus prędicationis fructum afferre non patitur, ne vilem peccatorum conversionem ęstimet, dum leviter convertere eos ad Dominum potest. Differtur ergo conversio, ut conversi diligantur: & eos prædicator tanto amplius amet, quanto clarius videt, quia eos lucrari cito non prævalet. Sed dum sancti viri de prædicatione sua alios convertere non possunt, de se vehementer timere incipiunt: ne inde omnipotenti Deo displiceant, unde se ei vehementer placere cogitabant: & plerumque agitur, ut sic novorum prædicatorum corda terreantur, ut jam proponant ejusdem prædicationis officium deserere, & Deo per silentium vacare. Quare & subditur:

Genes. 3. 9

Joh. 11. 34

Cum confitetur peccatum invenitur.

Isa. 43. 26 sec. LXX.

Cum autem venissent in terram Zuph, et non invenissent, dixit Saul ad puerum suum: Veni, revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et sollicitus sit pro nobis.

Vers. 5

23. Ad patrem reverti deliberat, qui postposita intentione prędicationis, Deo vacare appetit in secreto silentii. Reverti quidem dicitur, qui missus ante perhibetur. Quasi enim coram patre sunt filii, quando electi viri immorantur in secreta contemplatione Redemtoris. Revertuntur itaque, quando a publico sanctæ prædicationis veniunt ad rimanda gaudia æternæ claritatis. Sed quia sancti viri nihil agunt inconsulti, Saul de reversione ad patrem puerum consuluit. Tunc namque puerum consulimus, quando intenta mente providemus, ut quod tentamus disponere, a spirituali sensu non debeat differre. Ad patrem quippe reverti disposuerat, qui dicebat: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator contra me*. Adversus prędicatores peccator consistit, quando ad prædicationem eorum, statum suę iniquitatis non deserit. Et quia tunc prædicator ei silere, & Deo vacare proponit, ut ad patrem redeat, obmutescit. Sed quia per silentium voluntatem Dei melius didicit, cor ejus concaluit, & exardescente igne internæ meditationis, locutus est. Quod in hoc etiam loco ostenditur, quia consultus puer, consulenti se consilium impendit, dicens:

A prædicatione ad contemplationem redeundum.

Sancti nihil agunt inconsulti.

Psal. 38. v. 1 & 2

Per silentium Dei voluntas melius discitur.

Ecce est vir Dei in civitate hac, vir nobilis, omne quod loquitur absque ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus:

Vers. 6

[a] Gilot. & Vatic. jubetur.

14. Vi-

Quo altius in contemplatione suspendimur, eo & nobis fortiores, & proximis utiliores invenimur.

24. Virum Dei Samuelem dicit, in quo prædicatores sanctæ Ecclesiæ designari jam diximus. Qui vir quidem dicitur, pro reverentia sanctæ conversationis, & omne quod loquitur, absque ambiguitate venire perhibetur: quia quidquid minatur de æternis suppliciis, quidquid de æterna lætitia promittit justis, ita ut denuntiat, & impii abibunt ad pœnam, & electi ad gloriam. Qui etiam in civitate esse perhibetur: quia electus Pastor in communi subjectæ plebis custodia, semper vigilare cognoscitur. In civitate est Pastor, quia cum custodit alios, in se munitus est. Unde & per Prophetam in omnium virorum Dei laudibus, sub unius descriptione dicitur. *In excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas ejus*. Nam quo altius in æternorum civium visione suspenditur, eo & sibi fortior, & proximis utilior invenitur.

Isa. 33. 16

Deo fortier obsequentium nobilitas.

25. Nobilis etiam dicitur: quia superna conversatione conspicuus est, & de mundanæ vitæ rusticitate nihil habet. Inde enim nobilis cernitur, unde civis. Secularium quippe hominum, quia nulla est morum compositio, quasi in exterioribus locis nutriti, rustici sunt. Ex consueta namque animi inhonestate, turpes proferunt motus corporis; & velut valde degeneres, urbanæ consuetudinis gestum nesciunt, dum per omne quod agunt, vitæ suæ speciem vilitate terrenæ obscuritatis operiunt. Quo contra viri Dei nobiles sunt, qui dum fortiter ea, quæ divina sunt, agunt, in omni suo opere, superna luce resplendent: & nihil degenerositatis habent, qui in magna luce omnis suæ conversationis radios proferunt cælestis originis. Ad hoc ergo a puero Saul dicitur, ut instruatur: quia qui in arce prælationis ponendi sunt, spirituali sensui perfectorum prædicatorum magisterio subjici monentur. Ab hoc puero nos duci admonet, qui dicit: *Si spiritu ducimini, non est sub lege*. Quærendum vero est, cur dubitative dicatur: *Si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus*. Sed quia spiritualia discare appetit, quia ingentia dona gestit accipere: utrum eisdem donis sit dignus, scire non potest. Dubitare ergo incipit, qui tam magna promereri se suis meritis non præsumit. Quæ nimirum dubitatio electis oritur ex virtute humilitatis. Quare & comitantis pueri voce Sauli dicitur: *Si forte indicet nobis de via nostra*. Quia nimirum spiritualis sensus non alta nobis sapere suggerit, non audacter de omnipotenti Deo præsumere, sed ejus dona cum summa sancti timoris reverentia postulare. Merito ergo puer dicitur, qui humilia semper docere prædicatur. Dum ergo dicit: *Eamus illuc*, & repente subjungit: *Si forte indicet de via nostra*, aperte indicat, quia in sensu electorum Dei spiritus operetur, dum ad spiritualia dona expetenda, & devote eos facit accedere, & de largitoris omnipotentia magna cum reverentia formidare. Unde & qui a spiritu ducitur, inopiam meritorum suorum respicere perhibetur, cum subditur:

Gal. 5. 18

Dei dona cum timore postulanda.

Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus, quid feremus ad virum? Panis defecit in sitarciis nostris, & sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud.

Vers. 7

Qui ad regendam Ecclesiam idonei sunt, et, si per virtutem magni sint, per humilitatem sunt parvi.

26. Habent proprium mentes humilium, ut spiritualia dona habeant, sed in iis quæ habent, se non attendant. Quia enim a Spiritu sancto virtutum dona percipiunt, ideo sanctus spiritus, qui dona tribuit, ea eis ab æstimatione tollit, ut in virtute conversationis hæc habeant, in tumore elationis non habeant. Bene ergo de Saule dicitur: *Ab humero & sursum eminebat super omnem populum*. ET DIXIT *ad puerum suum: Panis defecit in sitarciis nostris, & sportulam non habemus*: quia electi viri, & ad disponendum sanctæ Ecclesiæ culmen idonei, in eo etiam se per humilitatem parvos aspiciunt, in quo per virtutem magni sunt. Et panem quidem ad refectionem fidelium animarum habent in sapientia verbi, sportulam vero in memoria internæ meditationis. Cum enim ea quæ in secreta meditatione colligunt, servant in memoria ad eruditionem fidelium, velut panem in sportula reponunt. De his enim sportis in Evangelio dicitur: *Impleverunt septem sportas de fragmentis*. Cum in mensa Domini panes abundant, sportæ impleri præcipiuntur: quia cum electi anima in superna Redemtoris contemplatione reficitur, in eadem contemplatione veritatis eruditur, ut verbi alimonia, quæ in se excrescere cernitur, in memoria ad eruditionem fidelium reponatur. Aliud etiam præter panem & sportulam abundanter habent, qui cum virtute contemplationis, & doctrina verbi, abundant copia sanctæ operationis. Ut ergo humilitas Sanctorum in ordinandi regis locutione resonet, dicit: *Panis defecit in sitarciis nostris, & sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud*: quia sanctus spiritus eos, qui ad ecclesiastici culminis regimen præparantur, magnos facit in virtute interni muneris, sed omnino parvos in respectu propriæ æstimationis. Dicat ergo puer: *Eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra*. Saul autem vacuum se inspiciat: quia Spiritus sanctus dum sensus honeste viventium instruit, audaces modo, modo timidos reddit. Audaces quidem, ut præsumant: timidos, ne superbiant. Impellit, ut necessaria postulent: retrahit, ne nimis præsumendo, vitium incurrant temeritatis. Et quia quos pavidos facit, per robur fiduciæ ad præsumendum erigit, repente subinfertur: Rursus itaque puer Sauli respondit, & ait:

Matt. 15. 37. Marc. 8. 8.

Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, & indicet nobis de via nostra.

Vers. 8.

27. Quasi puer bona loquitur sensus electi hominis, quando ad loquendum impellitur nutu Spiritu sancti. Quid est ergo, quod dicit: *Inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti*? Quæ est ista pars stateris argenti? Sed quia argenti nomine divina eloquia designantur, argentum in manu pueri, est sermo divinus in virtute sciendi. Sermonem quidem aliud est posse dicere, aliud est posse sentire. Nam divina eloquia etiam reprobi eloquuntur, sentire autem nisi electi [a] non possunt. Sentitur etenim ea res, cujus virtus agnoscitur. Nam & ægri pisces comedunt, sed vis ægritudinis tollit eis experimentum saporis: ut quod videntur comedere, prohibeantur & sentire. Sic sic nimirum carnales quique dum cælestia loquuntur, quæ non diligunt, velut ægri rebus utuntur, quas sentire prohibentur. In manu ergo pueri argentum invenitur, quando per humilitatis meritum sancti viri, cælestia quæ loquuntur, in magno affectu caritatis excipiunt: ut valde dulce sit eis superna dicere, eo quod dulciter, ac valde dulcius per amorem saturantur. Unde etiam scriptum est: *Edent pauperes & saturabuntur*. Quia enim cibus animæ est sermo Dei: pauperes edunt & saturantur, divites saturari non possunt: quia nimirum electi viri, qui

Aliud est Dei Verbum eloqui, aliud sentire.

Quod solorum Electorum.

Psal. 21. 27

a Deest negatio in Gilot. & Vatic.

qui superna diligunt, quoties hæc audiunt, ad hæc ferventius incalescunt; reprobi superna loquuntur, & audiunt, quæ in nulla dulcedine, ad mentis suæ refectionem suscipiunt. Quarta vero pars stateris argenti dicitur, pro qualitate temporis. Nam ut alias partes hujus stateris videamus, Prophetæ, Apostoli, Martyres intuendi sunt. Quia enim pro qualitate temporis, singulis ordinibus distributa est sonoritas prædicationis, velut singuli quartam partem stateris habuere. Quartam ergo partem stateris illi exhibuerunt, cum Synagogæ sdventum Redemtoris promitterent. Apostoli partem suam dederunt, cum Judæis eum, qui promissus fuerat, jam venisse prædicarent. Martyres etiam partem suam tribuerunt, cum infideles ad fidem Redemtoris adducerent. Quarta ergo pars stateris remansisse cognoscitur: quia per episcopos & doctores sanctæ Ecclesiæ, verbum fidei usque ad mundi finem electis fidelibus exhibetur. Sed ab his verbum fidei prædicatur, quibus per manus pueri subministratur, quia nimirum illi debent superna prædicare, qui in mentis suę dulcedine meruerunt eorum suavitatem cognoscere. Hæc namque pars stateris datur, ut viam quis rectę prædicationis plenius mereatur agnoscere: quia summi doctores sanctæ Ecclesię auctoritatem prędicationis aliis non committunt, nisi eis, quos sciunt cælestia diligere, quæ loquuntur. Quibus verbis simpliciores ad litteram admonendi sunt, ut in viro Dei pravitatem avaritię suspicari non audeant, per hoc quod dicitur: *Ut demus homini Dei, et indicet nobis de via nostra.* Nam si Propheta venalem sermonem haberet, homo Dei non esset, & ipsius prophetiæ spiritum habere nequaquam posset. Hoc ergo cum dicitur, non exponuntur mores hominis Dei, sed devotio accedentis: quia in magna eum Saul habebat veneratione, in cujus conspectu apparere vacuus erubescebat. Et quia ad ejusdem viri Dei venerationem eos fama celebris invitabat, adjungit:

Verbum fidei electis usque ad mundi finem prædicandum.

Qui venalem sermonem haberet, homo Dei non esset.

Vers. 9.

Vocabitur enim Videns.

Sancti exterius circumspecti sunt, ac interius providi.

28. Vocari etenim, est publica relatione dici. Videns autem est qui interna etiam respicit, quæ mens carnalium non attendit. Unde & de sanctis animalibus dicitur: *In circuitu & intus plena erant oculis.* Qui in exterioribus circumspecti, & intrinsecus providi sunt. Quo contra carnalium doctorum præsumtionem in Evangelio Dominus arguens, ait, *Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.* Videns etiam dicitur, cui remota & absentia, præsentia sunt. Quod sanctis prędicatoribus bene convenit, qui per cognitionem tanto sunt præsentes spiritalibus, quanto in exterioribus intentionem figere dedignantur. Velut enim occulta patientia, & remota præsentia habent, qui ea, quæ carnales scire nequeunt, semper intelligunt. Talis namque esse Pastor sanctæ Ecclesiæ debet: quia in via cælestis patriæ ad prębendum lumen subditis constitutus est. Semper ergo spargat radios lucis, ut fideles subjecti ex illuminationis suæ experientia, alios ad illuminationem trahant. Sequitur, & dicit:

Ezech. 1. 18

Matth. 15. 14

Vers. 9.

Olim sic loquebatur in Israel unusquisque vadens consulere Deum: Venite, eamus ad Videntem.

Flos pristinæ sanctitatis quantum emarcuit.

29. Dominum imus consulere, quando ad eruditos prædicatores pergimus, ut salutis nostrę consilium inveniamus. Sed quia modo tam perfectorum virorum raritas est, dum antiquorum temporum florem religionis attendimus, defectum ejus in præsenti tempore deflicamus. De miseria præsentis temporis & calamitate compuncti, florem elapsi temporis cum pulchritudine sanctitatis emarcuisse suspiremus. Dum ergo Pastores Ecclesiarum cernimus terrenis inhærere, labentia quærere, nulla spiritalis vitæ insignia proferre, dum nulla nobis prælatorum nostrorum lux infunditur, ad laborem compunctionis illa, quæ præierunt, memorantes, dicamus: *Olim sic loquebatur in Israel unusquisque vadens consulere Dominum: Venite, eamus ad Videntem.* Israel dicitur videns Deum, sive in quo est Deus. Quod certe nomen sanctę Ecclesiæ convenienter aptatur, cujus populus dicitur. Nam & in Evangelio dicitur: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Quæ nimirum, quia in priori tempore Pastores habuit spiritali conversatione floridos, magna scientia eruditos, qui magno despectu terrena vilipenderent, cælestia cogitarent: ad lumen, quod in eis videbat populus, se invicem exhortari poterant, dicentes: *Eamus ad Videntem.* Si ergo eundum est ad videntes, pariter est divertendum a cęcis: quia reproborum prælatorum exempla non debemus imitari, sed fugere: ab eis autem qui conversationis merito spiritualia cognoscunt, semper, ædificationis nostræ eruditionem postulare. Et quia hoc non nisi viri spiritales faciunt, sequitur:

Matt. 28. 20

Vers. 10.

Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus; veni, eamus.

Quis optimus sermo sit.

30. Optimus sermo est, quo melior audiri nequaquam potest. Quoties nobis ergo salutis nostrę consilia spiritaliter suggeruntur, intus nobis sermo fit, quo melior inveniri non possit. Pueri ergo sermonem laudamus, quoties nobis in spiritualis sensus nostri proposito complacemus. Et cum eo ire promittimus, quando spiritualibus cogitationibus consentimus. Sed quia tunc fructuosa est bona cogitatio, quando in operatione perficitur, sequitur:

Ibid. & Vers. 11.

Et venerunt in civitatem, in qua erat vir Dei: Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt ad eas: Numquid hic est Videns?

Vita & doctrina prælatorum in perfectis discipulis exploranda.

31. Qui virum Dei quærunt, in civitatem veniunt: quia plerumque fit, ut vita atque doctrina prælati in subditorum conversatione requiratur. Sic nimirum & arbores sæpe requiruntur, quarum species non in foliis, sed in fructu inveniuntur. Plerumque autem suborta fructeta magnis arboribus admiscentur, & fructus suos earum arborum, quibus sunt mixtæ, esse mentiuntur. Qui ergo fructum discernere vult, prius discernat & ramos: ut ex qua arbore fructus procedat, agnoscat. Sic sic nimirum est in conversatione fidelium: quia in electa plebe boni prædicatoris, dum plures mali admixti sunt, velut intra bonas arbores spinæ oriuntur. Conversatio itaque electi prædicatoris non est exploranda in omnibus subditis, sed in solis electis. Tunc quidem velut ramos bonæ arboris cum discretione secernimus, quando in plebe Rectores illos velut electa poma imitamur, qui magistri sui exemplo proficiunt: & illos velut vepres fugimus, qui antiqui hostis fraude reprobantur. Bene ergo de Saul, & ejus puero dicitur: quia venerunt in civitatem, & clivum ejusdem civitatis ascenderunt: quia nimirum perfectio sanctorum virorum cum in subditis quæritur, non imperfecta membra, sed electa atque perfecta requirenda sunt. Nam & artifices opera sua prius inchoant, deinde consummant.

Pr-

Pictor etiam cum pulchros colores, aut aurum superducere appetit, prius viliorem colorem sternit. Qui ergo judicare de peritia artificum vult, non inchoata eorum opera, sed perfecta respiciat. Clivum ergo civitatis ascendat, ut qui invenire appetit Videntem, reperiat. Clivus enim infimus & defossus locus est. In qua nimirum parte civitatis illi signantur, qui adhuc in altiorem conversationem minime profecere. Clivum ergo ascendimus, cum planitiem infirmorum auditorum ad exemplum nobis proponere vitamus.

Electorum mentes integræ per innocentiam, decoræ per virtutum splendorem.

32. Et tunc quidem puellas egredientes ad hauriendam aquam invenimus: quia pulchritudinem sanctarum mentium in perfectiori conversatione respicimus. Puellæ quidem sunt mentes electorum integræ per innocentiam, decoræ per virtutum claritatem. Et quia in secretiori vita pulchritudinem suam conservant, videri nequaunt, nisi cum ad hauriendam aquam egrediuntur. Puellæ aquam hauriunt, quando electæ animæ ex profundo dolore præsentis exilii fluenta lacrymarum fundunt. Haurire quidem aquam dicuntur: quia dum se projectas in hac valle lacrymarum lugentes memorant, quasi ad profundum, funem cogitationis mittunt, a quo cum labore aquas lacrymarum trahunt. Tunc etiam egressæ videntur: quia quæ quales sunt intus latent, apparent tamen in oculis; & quantum diligant Conditorem, indicant, quæ tanto dolore præsentis seculi vitam sustinent. Ab istis ergo quærendum est: *Ubi est Videns?* Quia locus perfectorum tunc bene cognoscitur, cum ab eis nobis ostenditur, qui per profectum vitæ eorum conversationi vicini sunt. Sed habent prædicatores loca diversa. Alium quippe locum habent pro se, alium pro subditis: quia nimirum in seipsis in altissima contemplatione morantur, pro subditis ad doctrinæ montem descendunt. Per contemplationem velut in cælo sunt, & quia alta sunt quæ docent, & descendunt cum docent, & sublimia loquentes in alto se retinent. Perfectiores igitur auditores vicini suo Rectori sunt, non cum in summa contemplatione est, sed in inferiori monte doctrinæ. Quare & puellæ respondentes dicunt:

Electorum hoc in exilio gemitus & lacrymæ.

In altissima contemplatione suspensi prædicatores, ad docendos subditos descendant.

Vers. 12

Hic est, ecce ante te: hodie enim venit in civitatem.

Relinquunt propria, ut communia disponant.

33. Quasi dicant: Ideo locum ejus indicare possumus, quia illuc venit, ubi eum videre solebamus. Nam si in suæ sublimitatis arce resideret, eum tibi nemo ostenderet. In civitate etenim doctor est, quando per ministerium prædicationis moratur in eruditione populi subjecti. In civitate est doctor, quando relinquit propria, ut communia disponat. Quia enim boni prædicatoris plebes [a] per ejus exhortationem munitæ ac fortes sunt, quando in eorum ministerio moratur, in civitate esse cognoscitur. Item quia in subjectæ plebis multitudine alii simplices, alii sapientes sunt, puellæ subjugunt:

Ibid. & Vers. 13

Festina nunc, hodie venit in civitatem: quia sacrificium est populi in excelso. Ingredientes autem statim invenietis eum, antequam ascendat in excelsum, ad vescendum. Neque enim comesturus est populus, donec ille veniat: quia ipse benedicet hostiæ, & deinde comedent, qui vocati sunt.

Pro suorum auditorum captu, modo plana, modo alta docent.

34. Cum in civitatem venit Samuel, in excelsum ascendit: quia electus prædicator in eruditione subditorum, modo plana verba, modo alta pronuntiat. Quando igitur plana & intelligibilia præcipit, in civitate est; quando sublimia, & quæ vix intelliguntur, in excelso. In civitate est, quando simplicibus proponit exempla: in excelso autem, quando perfectis verborum spiritualium alta pronuntiat. Quasi enim in civitate erat, qui dicebat: *Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum, & hunc crucifixum.* Item in civitate erat, quando infirmis remedia demonstrabat, dicens: *Propter fornicationem vir suam uxorem habeat, & uxor suum virum habeat.* Sed in excelsum ascendit, quia non multo post subdit: *De virginibus autem præceptum non habeo, consilium autem do. Vellem omnes homines esse sicut meipsum.* In excelsum etiam verborum se sæpe ascendere fatetur, quia dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

1. Cor. 2. 2.

Ibid. 7. 2

Ibid. 2. 6

Raro sint in publico.

35. Quid est ergo, quod dicunt Puellæ: *Festina nunc, hodie venit in civitatem*, nisi quia raro videbatur in civitate, videlicet tarde veniens, cito recedens? Quo nimirum magisterio sanctæ Ecclesiæ doctor instruitur, ut videlicet raro sit in publico, frequens in secreto: ut quo tardius aspicitur, devotius veneretur. Tunc quidem quasi cælestis excipitur: quia quo amplius in secreto contemplationis latuit, verbi Dei thesauros ad eos, qui se expectant, ditiores trahit. Ille enim potest multa bona in infimis dicere, cui per secretum mentis intuitum conceditur summa videre. Et quia dulcius videntur illa quæ dicuntur, puellæ dicunt: *Festina.* Quasi dicant: si id, pro quo in civitate venit, expleverit, videre in secreto suo repositum non potestis.

In secreto contemplationis, thesauris cælestibus ditentur.

Aliæ ministerii, aliæ sint contemplationis horæ.

36. Quod profecto verbum [b] jam litteram non ad verbum, sed exemplum religiosorum est. Nam sanctus vir tantæ erat districtionis, ut statutas dies & horas haberet, in quibus eum, qui cuperet, videre potuisset. Dicunt ergo: *Festina.* Ac si dicant: Si statutum tempus transierit, in horis suæ quietis, verbis, aut actionibus non intendit. Qui ergo remotæ vitæ ordinem sumsimus, hoc observare attentius debemus. Statuendæ sunt nobis horæ ministerii, ut breviter persistamus in opere, festinanter redire valeamus ad contemplationis arcem. Ipsæ autem secreti silentii nostri moræ, tanta lege districtionis custodiendæ sunt, ut ipsi etiam, qui accedere solent, sciant, quia contra propositum nostrum ad nos accessum non habeant.

Quod maxime a Monachis observandum.

Simpliciores quomodo erudiendi.

37. Quia vero hæc spiritualiter explanare cœpimus, contra simplices hoc dici convenienter intelligi potest. In civitate quippe is, qui videtur extraneus, Samuelem alloqui posse putatur, in excelso autem non putatur: quia quos simplices esse credimus, plana, non alta eruditione eos indigere existimamus. Tunc ergo prædicatores sanctos audire debent, quando plana simplicibus loquuntur, quæ intelligunt: non quando dicunt alta, quæ intelligere nequaquam possunt. Dicunt ergo: *Festina nunc, hodie venit in civitatem: quia sacrificium est populi in excelso.* Quod tale est, ac si dicat: Quia multi sunt, qui summa audire desiderant, nunc tu debes festinare, quando ille similes tui simplices videtur instruere. Sacrificium quidem populi est devotio electæ plebis. Quæ nimirum devotio, quia verbo prædicationis in electorum cordibus excitatur, quasi a Samuele perficitur. In excelso est autem sacrificium populi, quando corda fidelium subditorum alta verba sanctæ prædicationis devote audire concupiscunt. Unde & apte dicitur: *Quia populus non comedit, nisi prius Samuel hostiæ benedixerit*

Et qui ad summam perfectionem contendant.

a Gilot. & Vatic. per eorum.

b Forte leg. jam ad litteram non verbum, &c.

xerit: quia perfectiores auditores, dum ad summam virtutum perfectionem pervenire desiderant, verbum scientiæ, per quod ad desiderata perveniant, in magno desiderio expectant. Quo in loco notandum est, quia oblatum sacrificium nondum erat, & tamen dicit: *Sacrificium est populi in excelso*. Si enim sacrificium antequam offerri incipiat, non est, quomodo erat sacrificium, quod non erat? Sed quia nos spiritalia sequimur, nondum erat sacrificium, & erat: quia cum electi fideles altius erudiri appetunt, jam quidem magnam devotionem audiendi habent, quam, post auditam prædicationem, valde majorem habent. Non est ergo adhuc oblatum sacrificium: quia illa magnitudo devotionis, quæ nascitur in corde electi de verbo prædicationis, ante prędicatoris verbum in corde non est. Et est quidem in excelso sacrificium: quia de expectatione verbi, magna jam est in corde audire volentis vis devotionis. Quare & bene dicitur: *Quia populus non comedit, donec ille hostiæ benedicat*. Quia enim summa inhianter diligunt, donec eadem summa percipiunt, non quiescunt. Si enim hostia mentis, ejus devotio est: hostiæ benedicitur, quando ad vocem prædicationis sanctificatur, ut quo purior efficitur, divina susceptione acceptior habeatur. Quod enim in Dei sacrificio benedicitur, mundum quidem est cum offertur, & materiale: oblatum vero tanto est mundius, quanto non solum materiale, sed spirituale, quanto non solum mundum, sed etiam mundans est. Hostiarum quippe oblationibus mundari peccata quis dubitet? Sic namque, sic est mentis devotio: nam cum bona audire gestit, munda est; sed cum sanctæ prædicationis accepta & benedicta manibus fuerit, tanto ardentior & sacratior redditur, quanto clarius didicit, quem amare dulcius notum possit. Munda quidem ante, velut præparatio sacrificii fuerat, quæ bonum nosse cupiebat, & tamen materialis erat apparatus: quia nondum novit, quæ discere appetit, sed munda valde & spiritalis, cum jam doctrinæ sanctificata vocibus, non jam appetit audire, quod sciat, sed audita delectatur experiri, quæ amat. Tunc etiam non solum munda est hostia, sed mundans: quia quo ferventiori cęlestium amore succenditur, ab ea negligentię carnalis tenebrę potentius effugantur. Scriptum quippe est: *Quia caritas operit multitudinem peccatorum*: quia nimirum carnalia nostra destruimus, cum ardenti devotione ad cælestia sublevamur.

1. Petr. 4. 8

Devotionis affectus mentis cibus est.

38. Et quia subditur: *Et tunc comedent, qui vocati sunt*. Quid aliud designat, nisi quia devotionis affectus mentis est cibus? Tunc namque comedimus, cum hostiæ benedicitur: quia cum ad prædicatorum vocem devotio nostra in amorem Conditoris extollitur, anima, quę ad dulcedinem Conditoris pervenit, habet jam cibum suum. Tunc ergo comedunt, qui ante benedictionem hostiæ comedere noluerunt. Nam qui summa intentionis expectatione ad divinæ dulcedinis perceptionem se præparant, dum mala desideria per appetitum nulla recipiunt, velut jejuni, refectione devotionis avidius replentur. Velut enim benedictionem hostiæ ad refectionem expectant, qui cuncta illicita desideria fugiunt, ut de visione internæ gloriæ per devotionem satientur. Scriptum quippe est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Qui enim in corde inepta non recipit, dum superna desiderat, mundus corde est: & dum per bonum prędicationis ad divinę contemplationis dulcedinem ducitur, quasi benedictionem hostiæ habet in animæ saturitate. Dicit ergo: *Deinde comedent, qui vocati sunt*. Jejuni quippe vocantur ad comestionem, dum prędicator foris loquitur, qui a pravis desideriis mentem custodiunt, & per gratiam Spiritus sancti ad internæ dulcedinis experiantiam trahuntur. Vocati enim tunc erant invitati, qui venerant. Vocati ergo jejuni tunc comedunt, quando hi spiritualis gratiæ devotione pascuntur, qui ad eam percipiendam se magna mentis suę custodia paraverunt. Quid vero est quod dicunt:

Matt. 5. 8.

Ascendite, quia hodie reperietis eum? Vers. 13.

Prædicator vita non sit minor quam fama.

39. Sed dum electi bona prędicatorum laudant, auditorum corda magna luce irradiant. Cęlestis namque illa conversatio boni doctoris, quam prædicant, dies est. Dicant ergo: *Hodie reperietis eum*. Eo namque die prędicator invenitur, quando non est minor vita, quam fama: quando electorum voce laudatur, sed qui laudes audiunt, omne quod audiunt, in ejus laudabili conversatione inveniunt, atque cognoscunt: Quo contra Pharisæos increpans Dominus, ait. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ videntur hominibus pulchra, intus autem plena sunt ossibus mortuorum*. Hinc iterum vane gloriosos infidelibus comparat, dicens: *Quomodo potestis credere, gloriam ab hominibus accipientes?* In die quidem laudantur, qui ejusmodi sunt, sed eo die non reperiuntur: quia qui eorum laudes audiunt, quasi candorem sepulcri a foris aspiciunt: sed cum laudatas virtutes quærunt, intus peccatorum noctem quasi tristia atque putentia mortuorum ossa inveniunt. Dicant ergo, pro significanda vera gloria justi: *Hodie reperietis eum*: quia eum justi laudantur, in veritate conversationis habent, quidquid lucidum emicat de eis voce laudis. Et quia tanti viri festiva devotione quærendi sunt, sequitur:

Matt. 23. 27

Joh. 5. 44.

Et ascenderunt in Civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel, egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum. Vers. 14.

Proprius prędicatorum locus, contemplatio.

40. Cum sanctorum virorum præconia audimus, in civitate ascendimus: quia illic eos quærimus, ubi descendunt, non ubi sunt. Sed, ut superius dixi, prędicatorum locus, quem pro se habent, secreta divinitatis contemplatio est: locus autem pro subditis, prædicatio. Aliquando vero plana, aliquando alta loquuntur. Habent ergo communem locum pro omnibus, habent sublimem specialemque pro quibusdam, habent secretum pro se. Hæc nimirum tria spiritualia loca signantur: quia Samuel egredi dicitur, & apparere in medio urbis, & ascendere in excelsum. Nam qui, ut appareret, egressus est, erat ubi, antequam appareret, latuisset. Egrediuntur ergo sacerdotes, quando a secreto meditationis ad prædicandum veniunt. In civitate apparent, quando planiora, id est ad agendum, vel ad intelligendum dicunt. In excelsum ascendunt, quando sapientibus aut fortia præcipiunt operis, aut revelant alta mysterii. Ordinatus ergo ascensus noster ostenditur, per hoc, quod Saul in civitate ascendere perhibetur. Nam nobis Pastorum nostrorum loca, in quibus orare, aut secreti esse consueverunt, veneranda, non adeunda sunt. Quod non solum exemplo, sed etiam divina cohortatione cognoscere possumus. In Cantico quidem canticorum sponsus denuntiat, dicens: *Obsecro vos, filiæ Jerusalem, ne evigilare faciatis dilectam, quousque ipsa velit*. Mentes enim perfectorum sponsæ sunt: quia dum secreto divini amoris se velut

A secreta meditationis, ad prædicandum egrediuntur.

Cant. 3. 5. Mentes perfectorum sponsæ sunt.

in

in thalamo collocant, ibi per visionem inveniunt, cui ineffabili amore junguntur. Cum ergo sponsa dormit in thalamo, conjungitur sponso: quia dum electa prædicatoris anima in secreta contemplatione reconditur, quasi in sponsi thalamo collocatur. Qui ergo hanc suscitat, sponso tollit: quia nimirum requies electæ animæ non solum sua, sed etiam delectatio sponsi est. Unde & per Prophetam dicitur: *Gaudebit sponsus super sponsam*. Merito ergo Jerusalem filias sponsus adjurat, ut ab eis sponsa, quamdiu dormire voluerit, non excitetur: ne, dum illa surgit a quiete thalami, ipse perfruitionem perdat amoris. Egressus ergo Samuelis expectetur: quia viri sancti in secreto sui silentii venerandi sunt, inquietandi non sunt. In civitate igitur ascendendum est: quia electus doctor in communi loco doctrinæ tanto lucro suis videtur, quanto ut prosit, exire cognoscitur. Quo in loco notandum, quia de Samuele non dicitur: Hodie ascendit in civitate, sed, *hodie venit in civitatem*: de Saule autem, & puero: non venerunt, sed *ascenderunt*, dicitur. Ille enim velut per planum venit, iste velut in alta conscendit. Quid aliud per hoc nobis ostenditur, nisi quia plana, quę loquuntur prædicatores, nobis plana non sunt? In civitate ergo non venimus, sed ascendimus, quando aut plana prędicationis difficulter aspicimus, aut parva, quæ præcipimur, cum labore portamus. Sed quia stare in civitate, munitum esse est, idcirco ascendimus: quia cum nos summi viri parva bona agere docent, malignorum spirituum consiliis acquiescere vehementer prohibent. Et quia valde laboriosum est, omnia tentamenta vincere, ad verba doctorum, quę hoc nobis præcipiunt, quasi per ascensus laborem conamur pervenire. Sed quia scriptum est: Quod unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem (quod nimirum non solum de ęterna retributione accipitur, sed etiam de præsenti) omnipotens Deus pro merito operis, electis suis tribuit augmenta virtutis. Nam & Abrahæ filio non parcenti dicitur: *Per memetipsum juravi: quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*. Plerumque enim, qui fideliter laborant, in faciendis iis quæ sciunt, per divinam gratiam majora, quę agant, cognoscere merentur. In quorum typo bene Saol in civitate prius ascendere dicitur, in excelsum postea a Samuele ductus perhibetur. Verum obviam venire, est per eamdem viam venienti occurrere. Cum ergo a sanctis prædicatoribus salutis viam discere volumus, nobis quidem obviam veniunt, quando cum verbo salutis, quod quęrimus, occurrunt. Quasi enim eadem via veniunt, cum id nos docere festinant, quod nos proposuimus discere. Hoc profecto morale est omnium: si enim ea, quę spiritualiter quibusdam competunt, indagamus, obviam venit: quia ordinandum regem ad se venire pręcognoscit. Unde autem cognoscat, adjungitur:

Isai. 62. 5.
In silentii sui quiete non turbantur.
Cor. 3. 8
Deus pro merito operis, electis tribuit virtutum incrementum.
Gen. 22. 16

Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem, quam veniret Saul, dicens: Hac ipsa, quæ nunc est, hora, cras mittam ad virum de terra Benjamin, & unges eum ducem super populum meum Israel, & salvabit populum meum de manu Philisthiim.

Vers. 15. & 16

41. Exiit ergo ei obviam, ut in excelsum ducat: quia is, qui ad sanctæ Ecclesię regimen quæritur, & divino munere demonstrandus est, & ad sublimem conversationem vocandus. Auricula Samuelis, quia diminutive dicitur, quid designat, nisi humilem intelligentiam doctoris spiritalis? Auricula ergo revelatur a Domino, quando humilis intelligentia prædicatoris a Spiritu sancto instruitur: ut quę facturus est, audiat, & audita disponat. Sed subtiliter est intuendum quod dicitur: *Ante unam diem*. Dies enim vita justi, Paulo attestante, qui ait: *Fuisti aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Quando autem vita electi ostenditur, dies latens revelatur. Nam homo videt prætextum boni operis, Deus autem lucem cordis. Quia ergo electi, & reprobi intentione cordis absconditi sunt, ante unam diem Dominus venientem regem insinuat: quando per ejus gratiam sancti prædicatores agnoscunt in eis qui promovendi sunt, testimonium boni operis, precedere puritatem intentionis. Nulla enim est lux operis, quam non præcedit rectitudo intentionis. Recte ergo ante unam diem rex ordinandus agnoscitur. Sed subsequentem quidem diem non aspiciunt, nisi ex precedente nascatur: ut diem ante diem, intentionem ante operationem considerent, & a Deo missum in luce sanctæ operationis aspiciant, quem lucere per propositum cordis divina gratia demonstrat. Et quia eadem hora, qua promittitur, exhibetur: quid dat intelligi nisi quia perfectus debet esse, qui eligitur, non solum corpore, sed mente? Nam quando Deus loquitur sanctis viris, plena lux diei est. Habet namque originem dies, habet & finem. Juxta finem peccatorum arguit, dicens: *Adam ubi es?* Et quia nec qui bona incipiunt, nec qui a bono opere torpescunt, promovendi sunt, hora perfectę locutionis predicator mittitur, quando talis exhibetur, qui plena fulgeat luce boni operis, & pleno resplendeat fulgore veritatis. Qui etiam vir de terram Benjamin venire describitur. Vir quidem dicitur, pro operis fortitudine: de terra Benjamin, pro recta fidei confessione. Benjamin quidem dicitur filius dexterę. Quis ergo hic filius dextrę dicitur, quam ille, de quo scriptum est: *Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris?* Terra ergo Benjamin sancta Ecclesia est. Quia ergo hæretici ab hac terra expulsi sunt, de terra Benjamin venit rex, quando non aliqua hæresi pollutus, sed fide catholicus sanctæ Ecclesiæ primatum suscipit. Qui viri præconio fruitur, si fide firmus est, operatione fortis. Hic nimirum super populum Domini dux ungi precipitur: quia exteriora sacramenta sacerdotibus illis prosunt, qui eorumdem sacramentorum donis indigni non sunt. Vel sacerdotes unguntur, quando per ordinationis ministerium, gratiarum spiritualium incrementa percipiunt. Unde & sequitur: *Salvabit populum meum de manu Philisthiim*. Velut uncti salvare alios possunt: quia spiritales gratias abundantius perceperunt. Nam qui populum salvant super populum uncti sunt: quia qui a Domino ad regendos alios ordinantur, spiritalia charismatum dona, quibus eis prodesse possunt, accipiunt: & eis, quos ordine præcedunt, meritis etiam superiores sunt. Et quia plerumque bonus Pastor merito bonæ plebis eligitur, bene subjunctum est:

Ad regendam Ecclesiam assumtus, a Spiritu sancto diligatur.
Eph. 5. 8
Ex recta intentione lux operis.
Perfectus esse debet qui Ecclesiæ preponitur.
Gen. 3. 9
... dei ac bonorum operum luce refulgeat.
Marc. ult. 19.
Spiritualis gratia in unctus salvare potest.
Bonus Pastor fere merito bonæ plebis eligitur.

Quia respexi populum meum.

Ibidem.

Item quia magnis precibus a Domino bonus Pastor quærendus est, subditur:

Venit clamor eorum ad me.

Ibidem.

42. Sed fortasse nonnulli moventur, quia contrarium videtur, quod hic dicitur, & quod superius dicebatur. Ibi enim ait: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de terra Ægypti, usque*

Multi Pastores habent unde & ipsi cadunt & alios erigant.
1. Reg. 8. 7.

in diem hanc. Nunc vero dicit: *Unges eum ducem super populum meum Israel, & salvabit populum meum de manu Philisthiim: quia respexi populum meum. venit enim clamor eorum ad me*. Superius quasi ab irato rex ordinari permittitur, nunc quasi a pio & benigno ordinatur. Hujus etiam benignitatis verba quis non videat, quantum a sententia illa dissentiant, quæ eidem a Samuele illata fuit? (1. Reg. 15. 26.) *Quia*, inquit, *projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex*. Quod profecto celeriter solvimus, si ipsam verborum vim subtiliter intueamur. Nam omnia hæc divinæ benignitatis verba populi meritis adscribuntur: *Salvabit populum meum*: &, *respexi populum meum*: &, *clamor eorum venit ad me*. Pro illis ergo rex ordinari decernitur, quorum clamor exauditur. Nam etsi pro futura nequitia repellendus a regno erat Saul, tamen habebat in se, donec regnaret, unde populo sibi subdito prodesse potuisset. Futurus certe erat bello strenuus, mente elatus. Habiturus erat unde sibi caderet, & unde aliis staret. Illud ergo unde prodesse subditis poterat, Dominus providens dicit: *Salvabit populum meum de manu Philisthiim*. ET, *venit clamor eorum ad me*. Adhuc tamen valde contrarium videtur, ut ejus populi clamorem exaudire credatur, qui eum abjecisse reprehenditur. Ad quod respondendum est: quia erant in illo populo & reprobi & electi. Ibi ergo abjecisse Dominum reprobi arguuntur, hic electorum desideria ad omnipotentis Dei aures perveniunt. Qua ex re quid colligendum est, nisi quia sæpe electis bonum est, quod mali Rectores ordinantur? Non ergo mirum est, si Deus quasi de abjectione sua irascitur, & regem ordinat: quia ipsa dignitas futuri regis & mala erat, & bona. Mala denique, quia superba: bona vero, quia in defensione subjectorum strenua. Quod totum, & in sancta Ecclesia nunc fieri cernimus: quia plerumque ille ejus primatum suscipit, qui verbo utilis est aliis, mente tumidus sibi. Prædicando virtutes, velut stando vitia destruit, sed alta de se sentiendo, cadit. Hic itaque prædicando populum Dei salvat, sed semetipsum tumendo præcipitat. Quasi rex potens verbo populi Dei occultos adversarios atterit, sed elatione a regni sublimitate cadit. Non ergo pro se, sed solum pro populo rex constituitur: quando ille in sancta Ecclesia præesse permittitur, qui bona quæ prædicat, superbiendo, aut nequiter vivendo, conculcat.

(Aliquando Pastor ordinatur pro se & pro populo.) 43. Quo in loco notandum est, quia cum in sancta Ecclesia Pastor eligitur, aliquando ordinatur pro se, & populo: aliquando nec pro populo, nec pro se: aliquando pro se, non pro populo: aliquando vero pro populo, non pro se. Pro se & populo, quando electus prædicator electis subditis datur: quia unde subjectorum multitudo ad æternam patriam ducatur, bono Pastori meritorum dona cumulantur. (Aliquando nec pro se, nec pro populo.) Nec pro se, nec pro populo Pastor datur: quando reproba plebs reprobum Pastorem habere permittitur, cum sic ille præest, sic illi obediunt, ut ad æterna bona, nec ille qui docet, nec illi qui docentur, pervenire mereantur. De quibus per Oseam Dominus dicit: (Osee 13. 11.) *Dabo eis reges in furore meo*. In furore etenim Dei rex datur, quando malis pejor præesse decernitur. Talis quippe Pastor tunc datur, cum talis populus regendus suscipitur, qui pariter æterna pœna damnetur. (Aliquando pro se, & non pro populo.) Pro se, non pro populo Pastor datur, quando bonus malis præponitur: sicut ad Ezechielem Dominus dicit: (Ezech. 3.) *Mitto ego te ad filios Israel, ad gentem apostatricem, quæ recessit a me*. Pro se quidem, non pro populo tunc Pastor datur, quando etsi auditores suos electus prædicator convertere ad Deum non poterit, ipse tamen laboris sui æterna lucra non perdit. (Aliquando pro populo, non pro se.) Pro populo autem, non pro se: quando bonis subditis Pastor tribuitur, qui dona habeat, per quæ illis prosit, & sibi non prosit. Tales quidem erant, de quibus Dominus discipulis præcipit, dicens: (Matth. 23. 3.) *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite*. Quasi dicat: Quod utile pro vobis acceperunt, ab eis quasi vestrum tollite: & in eis quasi suum dimittite, quod non habent ad lucrum vestrum, sed ad interitum suum. Saul ergo, abjecto Domino, eligitur, & tamen populum Domini de manu Philisthinorum liberaturum perhibetur, quia omnipotens Deus sæpe suis bonis fidelibus per illos prælatos prodest, qui de officio ejusdem prælationis sibi non placent. Sequitur:

(Vers. 17.) *Cumque respexisset Samuel Saul, Dominus ait: Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.*

(Ad Ecclesiæ regimen promovendorum vita exploretur.) 44. Hoc namque in sequenti die actum est, quod præcedenti Dominus repromisit, dicens: *Cras hac eadem hora mittam ad te virum de terra Benjamin, & unges eum super populum meum Israel*. Aspicitur ergo in secundo die, qui primo promittitur: quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ virtutes electorum in secreta eorum vita perquirunt. Hi enim qui promovendi sunt, dum bona proferunt, aliquid magnum ex se repromittunt. Primo igitur die rex promittitur: quia magna electorum opera prædicatores aspiciunt, &, quasi Domino loquente, intus agnoscunt, quos ordinare sanctæ Ecclesiæ Rectores volunt. Aspicit ergo Samuel in sequenti die, quando prædicator eum, qui promovendus est, in magna luce conversationis vident. Et tunc quidem, quasi indicante Domino, ordinandum regem cognoscit: quia eum, qui in alta arce sanctitatis præeminet, præferre aliis dignum videt. Et quia, qui magni sunt meritis, parvi sunt per humilitatem, sequitur:

(Vers. 18.) *Accessit Saul ad Samuelem in medio portæ. Indica, oro, mihi, inquiens, ubi est domus Videntis.*

(Per humilitatis portam ingrediantur.) 45. Si in civitate tunc est prædicator, cum plana & communia loquitur, quæ intelliguntur, porta civitatis hujus quæ est, nisi humilitas? Nam divini verbi cognitio superbis absconditur, humilibus revelatur. Unde & in Evangelio Patri loquitur, dicens: (Matth. 11. 25.) *Confiteor tibi Pater rex cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Sapientes quidem superbos & alta de se sentientes, parvulos vero dixit humiles. Quorum certe alia Scriptura meminit, dicens: (1. Pet. 5. 5.) *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam*. Resistit namque superbis, ne æterna bona intelligant, sed parvulis gratiam dat, ut eadem bona æterna, ipso revelante, cognoscant. Electi ergo, quia ad spiritalem sententiam per humilitatem veniunt, ad audiendos prædicatores, quasi per portam vadunt. Electus etiam prædicator, quia spiritualia humiliter dicit, Samuel Sauli in eadem porta occurrit. Quasi enim ambo in porta sunt, quando ea, quæ electus prædicator loquitur, ab electo alio humiliter audiuntur.

(Sancti viri plerisque a se ignoti.) 46. Sed qui noviter venerat, quem quærebat, invenerat, & ignorabat. Quare & idem Saul ad Samuelem dicit: *Indica mihi, oro, ubi est domus Videntis*. Hoc namque proprium magnorum virorum est, ut a minimis difficile cognoscantur. Carne

ne quidem despecti sunt, sed mente sublimes. Foris contemtibiles apparere appetunt, sed agere venerabilia non desistunt. Quia ergo valde proficere per eorum exempla appetunt, eos non solum in exterioribus, sed in intimis admirantur. Vident ergo in eis exterius, quod possit a carnalibus despici, sed & pariter attendunt, quod intus spirituales viri magna admiratione debeant venerari. Quos dum fama sublimes audiunt, in altitudine suę conversationis agnoscere concupiscunt. Secundum historiam ergo Saul Samuelem videbat, & non cognoscebat: ut quod in figura contingebat illis, nobis spiritualia designaret. Nam cum parvuli sumus, quasi videmus perfectos viros, dum eorum virtutes a referentibus audimus: sed quos videmus, non cognoscimus, quia per experientiam scire non possumus, quia hoc, quod auditu percipimus, in cordis oculis tenemus. Quando igitur ab eis conversationis ejus secreta ad imitandum requirimus, eos nimirum quasi de propria domo interrogamus. Domus namque eorum conversatio est. Hanc domum scire volebat discipulus Johannis, quando Dominum interrogavit, dicens: *Magister ubi habitas?* Qui nimirum, quia ad familiaritatem illius, quasi domesticus perducendus erat, audivit: *Veni, & vide*. Hanc domum visam Philippus non cognoscebat, cui dicit: *Tanto tempore vobiscum sum & non cognovistis me: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*. De Domino etiam scriptum est, quia loquebatur Moysi sicut cum amico suo: sed idem Moyses videns, & non cognoscens, interrogabat, dicens: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*. Spiritualis autem conversatio Sanctorum, quia nonnisi devotis, ac supplicibus panditur, domum Samuelis Saul indicari sibi similiter deprecatur. Sancti etiam prædicatores cum de se magna audiunt, per humilitatem se dejiciunt, non inflant. Sciunt se petentibus magna, quę imitentur, ostendere: sciunt inter magna, quæ ostendunt, magni per jactantiam non apparere. Quare & subditur:

Joan. 1. 38.
Ibid. 14. 9.
Exod. 33. 13.

Vers. 19.

Et respondit Samuel Saul dicens: Ego sum Videns. Sed ascende ante me in excelsum hodie, ut comedas mecum, & dimittam te mane.

Samuelis, etiam dum se Videntem dicit, humilitas.

47. Quid est dicere: *Ego sum Videns*: nisi se, sicut in oculis videbatur, humilem demonstrare? Quasi dicat: Tu in ęstimatione tua magnum habes, quem quæris, sed parvus est ille, quem vides. Hoc namque in verbo, *Videns*, non prædicatur, sed ego. Quasi dicat: Videns ille, est, ego: non quod æstimas, sed quod cernis. Sed qui humiliare se novit, novit dare dona non humilis, sed sublimis. Quare & in excelsum ante se ascendere eum, ut secum comedat, præcipit. In excelsum ascendit, qui ad scienda altiora mentem erigit. In excelsum quidem ascendere, est cor ad altiora intelligenda pręparare. Unde & Petrus in monte assumitur, ut gloriam transformati Redemtoris videre mereatur. In illo etenim ascensu montis, sublimis præparatio mentis exprimitur: quia alta videre non poterit, qui per intentionem animum in sublimibus non ponit. Quia ergo sublimia preparati melius intelligimus, ante Samuelem Saul in excelsum ascendere jubetur. Quasi enim ante prędicatorem in excelsum ascendimus, quando nos prius ad alta scienda animum intendimus, & ipsi nobis ea, ad quæ intendimus, postmodum loquuntur. Quid vero est, quod ait: *Ut comedas mecum hodie?* Sed quando predicatores sancti cælestia loquuntur, electorum suorum auditorum corda reficiunt: testante etenim veritate, quia cibus animæ est verbum Dei, *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Panis namque alimentum corporis est, verbum mentis. Qui vero corpus sine mente reficiunt, mente mortui sunt, carne vivi. Quare & de delicata vidua Paulus ait: *Vivens mortua est*. Nam per ciborum delicias non moreretur vidua, si animam verbi Dei cibo satiaret, cum ipse Paulus dicat: Nihil esse immundum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sed vivens vidua moritur, quando cibo corpus nutrit, animam fame interficit. In solo ergo pane homo non vivit: quia cum ex anima & corpore constet homo, sicut aliter per corpus vivit, ita & necesse est ut alimentis diversis singula nutriantur. Ut comedamus itaque, cum Propheta ascendimus, quando ad alta divini verbi mentem erigimus, ut ejus cęlesti sapore per devotionem satiemur.

Matth. 17. 1.

Ad altiora contemplanda, quæ necessaria sit mentis præparatio.

Verbum Dei est animæ cibus.
Matth. 4. 4.
1. Tim. 5. 6.
Ibid. 4. 4.
Matth. 4.

Qua ratione pascere dicant prædicatores, & pasci.

48. Et quia ipsi prędicatores valde amant cęlestia, quę loquuntur, quasi simul comedimus, cum devote illi loquendo proferunt, quod nos devote audiendo, in ventre animæ locamus. Simul enim comedimus: quia verbum Dei pariter audimus. Prædicatoribus namque Veritas dicit: *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Quod & Paulus probat, cum suos auditores interrogat, dicens: *An experimentum quæritis ejus, qui in me habitat Christus?* Quia ergo in sanctis prędicatoribus Christus, & ejus spiritus loquitur, ipsi prędicatores tanto clarius loquentem audiunt, [a] quanto ei viciniores sunt, cujus sedes esse merentur. Tanto ergo plenius de verbi alimento poterunt refici, quanto jam intra se habent cellam refectionis. Amici etenim sponsi sunt, & stant, & gaudio gaudent propter vocem sponsi. Cum ergo divina loquuntur sancti prędicatores, audiunt: sed quia certa experientia norunt, quando in eis loquitur spiritus, audiunt se sed non in se, quia & ipsi loquuntur, sed in se locuti, loquentem alium venerantur. In eo igitur, quod audiunt & loquuntur, & reficiunt, & reficiuntur. Reficiunt quidem auditores, dum verbum proferunt voce sua: reficiuntur ipsi, dum verbum, quod proferunt, profertur eis revelatione divina. Ipsi tamen devotius saturantur, qui in locutione spiritus, mentis delicias experti sunt. Annon experientia loquentis spiritus est, inconsultos & impræmeditatos se cernere, subitoque consultos, & paratos esse? Scire, quæ nescierant: habere, quę non habuerant: torporem mentis amittere, repente mira devotione fervere: plenitudine scientię statim & in momento mirabiliter repleri, mira verbi facundia intellecta proferre? Habent ergo electi prædicatores experientiam spiritus in se loquentis, in repentina revelatione veritatis: habent subito ardorem caritatis, habent in plenitudine scientiæ, habent in facundissima verbi prędicatione. Nam & subito instruuntur, & repente fervescunt, & in momento replentur, & mirabili eloquii potestate ditantur. De illa namque repentina experientia Dominus dicit: *Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini*. De illo autem subitaneo fervore caritatis Cleophas dicit: *Nonne cor nostrum ardens erat in via, dum loqueretur, & aperiret nobis Scripturas?* De repletionis quoque & facundiæ experientia Lucas meminit, dicens: *Factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis*

Matth. 10. 20.
2. Cor. 13. 3.

Ac mentis delicias experiti.

Fit sit repentina veritatis revelatio.

Matth. 10. 19.
Luc. 24. 32.
Act. 2. 2.

a Vatic. & Gilot. *quanto eis*. Infra Gilot. habet, *meruerunt*, pro *merentur*.

venientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes. In eodem quippe spiritu repleti & locuti sunt, ut hoc, quod asserimus, designarent: quia videlicet loquendo, alios pascunt, qui de eo, quod dicunt, audiendo pascuntur. Et quia sonum vehementis spiritus ardorem, sive locutionem, aut repletionem cognoscunt, tanto dulcius in donis spiritualibus epulantur, quanto ad ejus recubitum dignius assumti sunt. Dicit ergo: *Ascende, ut comedas mecum hodie*: quia bonus doctor, dum dulciter, quæ dicit, in devotionem mentis accipit, se & eos, qui audiunt, simul pascit.

[Qui ea quæ prædicant non amant, alios pascendo, jejunant.]

49. Quo contra doctores reprobi, quia quæ dicunt, non amant, cum alios verbo pascunt, jejunant. Nam cum animæ refectionem verbum Dei esse Dominus dixerit, verbum vero Dei in mente plena sit eruditio, plena devotion verbo Dei non pascuntur, qui devote, quod loquuntur, non audiunt. Apostolus quidem, quasi jam illa verbi dulcedine repletus, ait: *De plenitudine ejus omnes accepimus*. [Johan. 1, 16.] Alia quidem est plenitudo verbi, alia libri. De plenitudine quidem verbi accipere nonnisi electi possunt, de plenitudine vero Scripturæ possunt & reprobi. Liber namque beati Johannis Apostoli, & liber beati Pauli Apostoli plenitudines quidem sunt, quæ de eis habentur. Eorum nimirum verba Paulus sive Johannes scripsit, sed quod quisque scripsit, loquens in eis verbum inspiravit. Qui ergo verbum Scripturæ accipit, non in amore, sed in scientia, de plenitudine accipit, non verbi, sed libri. Et quia rem mortuam accipit, in ejus ipse acceptione non vivit. Sed quid dico Scripturam mortuam? Non est mortua tantum, sed interficiens. Nam scriptum est: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*. [2. Cor. 3, 6.] Hoc quidem facit omnis divina littera. Nam littera corpus est, hujus vero corporis vita spiritus. Vivificatum quippe, & vivificans corpus accipit, qui litteram legit, & in amorem intelligentiæ mentem reficit. Reprobi ergo, qui Scripturas rimantur, quas non amant, qui audacter foris loquuntur, cujus saporem intus non intelligunt; dum refectionem Scripturarum, quas exponunt, alii devota mente percipiunt, quasi de eo, quod ipsi dant, alii saturantur, non ipsi. Dicat ergo Samuel: *Ascende, ut comedas mecum hodie*: quia ex eo, quod subditis de verbo electi doctores tribuunt, & pariter audiunt, & pariter saturantur. Ecce enim in eodem ipso verbo, quod dicimus, demonstratur. Nam quis dubitat, quod hanc Scripturam, quam exponimus, Samuel scripserit? Et tamen ipse, qui scripsit, hæc dicit: *Respondit Samuel*; ut profecto ostenderet, quia quod ipse scribebat, alius impartiebatur.

[Samuel libri primi Regum scriptor, cur in tertia persona loquatur.]

Quia ergo Spiritus sanctus, qui per eum loquitur, per eum de eo dicit: Respondit Samuel Sauli: *Ascende ante me in excelsum, ut comedas mecum hodie*. Hoc dicit, quod audit: & simul audit, & dicit. Dum ergo magna veneratione amoris audit, & loquitur prædicator electus; magna devotione auditores boni, quæ dicuntur, excipiunt. Saul & Samuel pariter in excelso comedere dicuntur. Item quia prædicatores auditoribus in ejusdem verbi refectione digniores atque ferventiores sunt; non Samuel cum Saule, sed Saul cum Samuele comesturus asseritur. Sed & quia tam splendida mentis eruditio, in magna luce spiritualis vitæ est, non dicit: Ut comedas mecum hac nocte: sed *hodie*. Quem etiam mane dimittit. Mane dicit initium diei sequentis. Sequens vero dies, est serena lux sanctæ conversationis. Dicit ergo:

Dimittam te mane.

[Ad ... ione ... scientiam accedat luce boni operis.]

50. Mane quidem ab excelso dimittitur, qui cum ad altioris scientiæ lumen proficit, in magna luce boni operis se proponit immorari. Vel mane dimittitur, qui verbum magnæ scientiæ, quod prædicatoris ore didicit, prædicare aliis intendit. Quando enim bona proponimus, quasi mane in initio diei sumus: quia boni claritatem jam aspicere cœpimus, quam sequamur. Sed hoc mane in plenum diem crescit, quando is, qui magna bona agere, aut alta æternitatis gaudia prædicare proposuit, id quod proposuit, in magna exhibet luce virtutis. Mane ergo Saul ab excelso dimittitur: quia auditores prædicatorum bonorum, quod ab eis sublime audiunt, exercere sublimiter non morantur. Sed electi viri, bona quę habent, & abscondere, & manifestare sciunt. Abscondunt quippe, ne per elationem pereant, sed ne infructuosa remaneant, manifestant. Dum absconderunt, tunc custodiunt: sed dum manifestant, proferunt fructum. Nam sequitur:

Et omnia, quæ sunt in animo tuo indicabo tibi; & de asinis, quas perdidisti nudiustertius, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt. [Ibidem & Vers. 20.]

[Sancti qua discretione virtutes suas & abscondant, & manifestent.]

51. Celare se quidem prędicatores qualiter studeant, superius in verbo Samuelis ostenditur, ubi dicitur: *Ego sum Videns*. Nunc autem quia dicit: *Omnia, quæ sunt in animo tuo, indicabo tibi*; quid aliud tenemus, nisi quia sæpe viri sancti, virtutes, quas habent, & abscondunt & proferunt? Sed, ut dixi, abscondunt, ne in magnis virtutibus magni videantur: proferunt eas, ut electi imitentur. Verbo itaque sapientiæ, aut prophetiæ spiritus se pollere asserunt, non ut venerentur, sed ut audiantur. Quare & Psalmista verbi gratiam se habere insinuans, ait: *Super omnes docentes me intellexi*. [Psal. 118. 99.] Certus ergo de peritia spiritus, confidenter nos invitat, dicens: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*. [Psal. 33. 12.] Propheta namque se affirmabat Michæas, cum diceret: *Utinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer*. [Mich. 2. 11.] Hinc Heliseus de Naaman Syro dicit: *Veniat ad me, & sciat Prophetam esse in Israel*. [4. Reg. 5. 8.] Hinc Paulus ait: *Hebræi sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego: ministri Christi sunt, & ego: ut minus sapiens dico, plus ego*. [2. Cor. 11. 22. & 23.] E contra autem Amos dicit: *Non sum Propheta, sed armentarius vellicans sycomoros*. [Amos. 7. 14.] Hinc etiam Paulus cum se vult abscondere ad custodiam, dicit: *Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei*. [1. Cor. 15. 9.] Hinc interrogatus Johannes Baptista ait: *Non sum Propheta*. [Johan. 1. 21.] Non erat quippe ad elationem, sed erat Propheta & plusquam Propheta ad ministerium. Samuel ergo, ut se custodiat, ait: *Ego sum Videns*: & ut se ad lucrum exhibeat, dicit: *Omnia indicabo tibi*. Quod si aliquis vult, eodem modo intelligere potest: quia cum dicit: *Ego sum Videns*, si videntem se asserit, ad hoc dicit ut bonum, quod habet, cum electis communicet. Ut ergo quod asserit, probet, subsequenter adjungit: *Omnia indicabo tibi*. Quod sanctæ Ecclesiæ doctores agunt: quia dum virtutes mentium intuentur, & vitia; & mederi vitiis, & promovere virtutes evidenter sciunt. Omnia ergo, quæ sunt in corde, indicat, quando virtutis viam, quam bonus auditor cupit tenere, ipse documento manifestæ eruditionis dignatur exponere. Quod si magnus est, & bona non solum agere, sed etiam prædicare disposuit. Omnia, quæ sunt in ejus corde prædicatores indicant: quando eorum mentibus aperiunt, quid-

quidquid cupiunt de doctrina. Quia vero ei, cui loquitur, eum significat, qui ad lucra prędicationis innititur, subdit, atque ait: *Et de asinis, quas perdidisti nudiustertius, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt.*

Rudium & eruditorum prædicatorum discrimen.

52. Hoc superius in persona Saul, qualiter rudibus prædicatoribus conveniat, expositum est. Asinas quippe perdidit, qui peccatores, quibus verbum vitæ præbuit, ad pœnitentiam nequaquam traxit. Inveniret quidem, si ii qui se in nocte pravitatis absconderant, ad lucem justitię redirent, in qua viri inveniri potuissent. Cur ergo dicit: *Inventæ sunt*, nisi quia sæpe in eis summi viri salutis bonum facile inveniri posse considerant, de quorum vita inerudití desperant? Nam & periti medici corporum, illos sæpe curare præsumunt, de quorum salute imperiti pręsumere non possunt. Sic nimirum & ab eruditis doctoribus sæpe [a] ad pœnitentiam, & satisfactionem peccatores trahuntur, qui trahi ab ineruditis rudibus nequiverunt. Quia igitur tam prędicatione quam exemplo perfectorum illi ad Dominum pœnitendo redeunt, qui converti per aliorum ministerium nequiverunt; bene Samuel inventas asinas dicit, quas Saul invenire non potuit. Potest etiam hoc dictum pro profectu ordinandi Rectoris intelligi. Quasi dicat: Dum eruditione & vita proficis, illos etiam lucrari Domino poteris, quos nondum potuisti. Tam certa quidem virtus profectionis est, ut fructus ejus, qui nondum constant in re, constent in spei certitudine. Et quia his verbis ad perferendos labores sanctę prædicationis invitatur, quę mercedis lucra expectare debeat, expoit, dicens:

Ibidem.

Et cui erunt quæque optima Israel, nonne tibi, & omni domui patris tui?

Optimorum prædicatorum summa merces.

53. Israel, qui dicitur, videns Deum, quem rectius hoc loco significat, quam æternorum civium illam beatam societatem, qui ex labore vitę hujus, ad æternam omnipotentis Dei visionem pervenerunt? Quæ ergo sunt Israel optima, nisi ęternę retributionis dona? Paulus quidem dicit:

1. Cor. 3. 8.

Unusquisque mercedem accipiet secundum laborem suum.

Ibid. 15. 41.

Hinc item dicit: *Alia est gloria solis, alia lunæ, & stellarum. Stella enim differt a stella in claritate.* Omnium ergo fidelium retributiones, & pręmia, bona sunt Israel. Quia vero electorum prędicatorum merces summa est, eorum sunt optima Israel. De his quippe Israelis optimis Dominus fideli servo suo repromittit, dicens:

Matt. 24. 47.

Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Qui enim non in omnibus, sed super omnia constituitur, non tantum bona Israel, sed etiam optima habere declaratur. Dicat ergo Samuel: *Cui erunt quæque optima Israel, nonne tibi & omni domui patris tui?* Quasi dicat: Et si magnus est labor prędicationis, tanto devotius ferri debet, quanto majora lucra mercedis habet.

Magnum ad laborem incitamentum.

Sollicita ergo mente doctor sanctę Ecclesię pensare debet: quia Israel non bona tantum, sed etiam optima ejus sunt, ut majora & excellentiora agat semper, qui tam summa, & optima expectat. Eadem quippe summa, non summo ordini debentur, sed summo labori. Nam & doctor egregius non dixit:

1. Cor. 3. 8.

Unusquisque mercedem accipiet juxta suam dignitatem, sed, *juxta laborem*.

Non summo ordini præmium rependitur, sed summo labori.

Cum ergo prędicatorum ęternę vitę optima referuntur, magnus eis in hac vita labor injungitur: quia nimirum meliora ceteris habere non pręvalet, qui melior esse non studet. Et quia hoc omnium prędicatorum sanctæ Ecclesiæ commune est, non solum Saul, sed omni domui patris sui Israel optima esse referuntur. Quasi enim ex patre filii nascuntur, quando in ordinem prædicatorum noviter alii aliis, eadem nobilitate sanctitatis splendidi subrogantur. Domus quoque prædicatoris est spiritualis ejus conversatio. Omni ergo domui patris ejus Israel optima sunt: quia ubicumque sacerdotalis conversatio est, illa nimirum est, & tam summa est, ut ex celsitudine meriti, in æterna vita sua sint optima retributionis. In hoc ergo se subtiliter prædicatores aspiciant: quia non solum sibi, sed omni domui ejus optima erunt Israel: quia si de domo exeunt, optima non habebunt. Nam si solam prædicationis sublimitatem tenent, optima non habebunt: quia altitudinem vitæ non tenent. Sed electus quisque, dum de se magna audit, infirma sua ad memoriam ducit, ut se ab elatione custodiat, ne bona, quæ habet, amittat. Unde & subditur:

Vers. 21.

Respondens Saul, ait: Numquid non filius Gemini ego sum de minima tribu Israel, & cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?

Magna de se audiens, infirmitatis suæ recordetur.

54. Quasi dicat: Quare mihi tam magna adscribis, cum sim nihil? Gemini quippe filius est, qui negligentes imitatur in cura sui, & in exemplo proximi. Geminus quippe est, quia dum curam sui negligit, exempla boni operis aliis non impendit. Qui ergo tales imitatur, filius Gemini dicitur. Qui de minima tribu Israel esse dicitur: quia ultimus ordo sanctæ Ecclesiæ conversorum peccatorum est.

Ultimus Ecclesiæ ordo, poenitentes.

Merito igitur, qui peccatorem se esse fatetur, de minima tribu Israel esse dicitur. Cujus etiam cognatio novissima inter alias esse perhibetur: quia juxta Veritatis vocem:

Matt. 5. 19.

Qui minimum mandatum solvit, minimus est in regno cælorum. Benjamin quippe dicitur filius dexteræ. Qua profecto appellatione sanctæ Ecclesiæ populus designatur: qui dum in fide Redemtoris nascitur, per bona opera ad cælestis patriæ bona præparatur. Dextera quidem Dei illa æternę vitæ fortitudo est. Cognationes tribus Benjamin, sunt diversæ conversationes electorum. Nam velut ab uno generationis principio diversæ cognationes veniunt: quando ab una origine orthodoxę fidei, conversationes fidelium plures oriuntur. Sancti ergo viri, cum se per humilitatem dejiciunt, quia peccatores se esse fatentur, & tamen recte in Deum credere, quasi se & Gemini filios asserunt, & de novissima Israel cognatione. Sed quia quanto plus se humiliant, juxta Veritatis vocem, amplius exaltantur, sequitur:

Luc. 14. 11. & 18. 14.

Vers. 22.

Assumens itaque Samuel Saul & puerum ejus, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati.

Quibus alta sint aperienda.

55. Samuel Saul assumit, quando prædicator sanctæ Ecclesiæ electo auditori suæ alta prædicationis aperit. Assumitur quippe subditus, quando per verbum doctoris in cognitionem cælestium elevatur. Et quia non carnali intentione spiritualia scire appetit, non solum ipsum Saul, sed etiam ejus assumsit puerum. Quasi enim sine puero in imis remanserat, qui dicebat: *Cor meum dereliquit me.*

Psal. 37. 11.

Cor quippe nostrum nos derelinquit, quando sic a concupiscentiis carnalibus vincimur, ut intentionem cordis in terrenis, & carnalibus, atque corporeis, & non in cęlestibus, & spiritualibus ponimus. Hunc puerum perditum invenerat, qui dicebat: *Invenit servus tuus cor suum.* Cor quippe nostrum inve-

2. Reg. 7. 27.

[a] Aliter, *ad pœnitentiæ satisfactionem*, ut observat Gussanv.

invenimus, quando per intentionem cordis spiritalia quærimus: quando hanc a terrenis avellimus, ut ad cælestia dirigamus. Electus ergo prędicator iis, qui adhuc carnales sunt, nec fortia imperat, nec spiritalia manifestat. Nam & Paulus Corinthiis dicit: *Non potui vobis loqui tamquam spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Quasi his verbis dicat: Idcirco vos ad excelsum non duxi, quia spiritualem sensum vobiscum, velut Saul puerum, non habebatis. Quare & causam insinuans, ait: *Adhuc enim estis carnales.* Bene ergo Samuel Saul, & puerum assumsisse dicitur: quia doctores sanctæ Ecclesiæ illis fortia imperant, illis alta manifestant, quos spirituales esse considerant.

1. Cor. 3. 2.

Qui ad caritatis convivium admittendi.

Qui etiam in triclinium introducuntur: quia eis caritatis latitudo monstratur. Velut enim in triclinio ponitur, qui per id, quod altum didicit, moratur in latitudine caritatis. Vel certe introitus noster ad triclinium, amor est: triclinium pulchritudo est spiritalis vitæ. Unde Johannes dicit: *Qui non diligit, manet in morte.* Si enim, qui non diligit, manet in morte, ille qui diligit, in vita manet. In triclinium ergo introducimur, quando in affectum supernæ conversationis surgimus per affectum caritatis. In hac nimirum mansionis latitudine superiorem locum sancti prædicatores obtinent, quia beatus Johannes Evangelista dicit: *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super sedes viginti quatuor seniores.* Seniores quippe sancti sunt prædicatores maturi sensu, moribus graves, qui thronum Dei juxta positis sedibus ambiunt: quia qui præ ceteris Conditorem diligunt, per altissimam conversationem ei vicinius requiescunt. Bene itaque Saul cum puero suo locum in capite eorum, qui invitati fuerant, sortitur: quia in eis eligendorum Pastorum typus ostenditur. In capite quidem Rector statuitur, quando per vim magni amoris supernæ vitæ singulare propositum accipit: cum fidem catholicam cum ceteris communem tenet, sed præ ceteris virtutem sublimem. Unde & sequitur:

1. Joh. 3. 14.

Apoc. 4. 4.

I. eiem.

Tal ves decet summa perfectio.

Erant enim quasi triginta viri.

56. Ter decem triginta fiunt. Ternarius vero numerus fidem sanctæ & individuæ Trinitatis insinuat. Denarius vero per decem præcepta Legis, boni operis perfectionem designat. Tricenarius ergo numerus eos designat, qui eam fidem tenent, quæ per dilectionem operatur. In horum capite Saul ponitur, quando per divinam gratiam is, qui futurus est Pastor Ecclesiæ, sublimior fit merito, quibus debet esse superior dignitate. Hunc sublimem locum Samuel tribuit: quia qui tantam vitæ meretur celsitudinem, ad eam majorum proficit institutione. Cui nimirum quia jam magna, quæ agat, & non minima demonstrantur, subditur:

Vers. 23 & 23

Dixit Samuel coquo: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, ut reponeres seorsum apud te. Tulit ergo coquus armum, & posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi: & comedit Saul cum Samuele in die illa.

Et in bonis operibus fortitudo.

57. Quid in armo pectoris, nisi fortitudo signatur actionis? Quæ a Samuele coquo tribuitur, quando a summis prædicatoribus minoribus demonstratur. Coqui etenim sacerdotes sunt: quia dum electis fidelibus in fervore spiritus loquuntur, cibos mentis, velut per ignem coquunt. Sed pars, quę datur, posita seorsum dicitur: quia fortitudo boni operis in prędicatore debet esse singularis. Quam ante Saul ponit, quando ordinandum Pastorem sanctæ Ecclesiæ, quantæ fortitudinis esse debet, considerare præcipit. Sed & de eo, quod coquus apposuit, Samuel Saul dicit: *Ecce quod remansit, pone ante te.* Remansit quidem, quia non omnia nostra Christus explevit, per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, ut qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat: *Si compatimur, & conregnabimus.* Quasi dicat: Quod explevit Christus, non valet, nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet. Hinc beatus Petrus Apostolus dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Hinc Paulus ait: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in corpore meo.*

Ut regnent, crucifigantur.

2. Tim. 2. 12

1. Pet. 2. 21

Col. 1. 24

Matura consideratione agenda disponant.

58. Sed notandum quia armum ante Saul coquus posuit, & tamen Samuel Saul præcipit, ut ante se eum ponere debeat. Quid est hoc? Sed ponere ante discumbentes dapifer in mensa ferculum solet: quod dum is, qui discumbit, trahit ad se, illud ponit ante se vicinius, quod paulo longius erat ante se. Coquus ergo ponit armum ante Saul, Samuel Saul præcipit, ut ponat ante se: quia hoc quod novo prædicatori injungitur de fortitudine boni operis, velut ad se propius debet trahere per studium considerationis. Quod etiam postquam ad se traxerit, comedit: quia diu consideratum agere disponit. Armum quippe manducare, est quod exterius de forti actione præcipitur, per propositum in mente recondere. Quasi enim armum ante se ponere & manducare electo cuique suadebat, qui dicebat: *Si sederis ad mensam potentis, sapienter attende, quæ apponuntur tibi; quia similia oportet te præparare.* In mensa quippe potentis virtutem armi designavit. Et dum dixit: *Sapienter attende, quæ apponuntur tibi*; armum ante se eum, cui dixit, ponere docuit. Sed manducare eum debere insinuavit, quia dixit: *Similia oportet te præparare.* Similia enim præparando manducamus; quia dum fortia, quæ audimus, proponimus agere, velut comedentes, in cordis ventre reponimus cibos vitæ. Sed ipsis summis doctoribus vas electionis sub unitia discipuli eruditione imperat, dicens: *Manum cito nemini imponas.* Quia enim magna retractatione consilii eligendi sunt, qui in culmine sublimentur, apte subjectum est: *Quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi.* Quasi dicat: Pone ante te, quod antequam apponeretur, ego posui ante me: considera quod ego consideravi. De industria quippe pars armi servatur: quia fortissima prædicatoris actio illi bene committitur, qui a summis viris magna consideratione dignus tanto ministerio judicatur. Ista vero pars tunc servata est de industria, quando populus vocatur: quia cum ad suscipiendum prædicationis ministerium subditi fideles veniunt, bonis prædicatoribus non infirmis infirma, sed fortibus fortia injunguntur. Sed qui bene proficiunt, in sublimi sua conversatione ante omnia tenere student bonum obedientiæ. Bene itaque subjunctum est: *Et comedit Saul cum Samuele in die illa.* Ut jam dixi, promovendo doctori comedere, est hoc quod sibi de virtute præcipitur, se ad faciendum præparare. Bene autem cum Samuele comedisse dicitur: quia cum ii, qui noviter veniunt, magna agere proponunt, in virtute boni operis summi viri ferventiores fiunt. Potest etiam in ista comestione illa signari, de qua superius repromisit, dicens: *Ascende ante me, ut comedas mecum hodie.* Saul ergo cum Samuele comedit: quia cum

Prov. 23. 1.

1. Tim. 5. 22

cum intus prædicator cælestem verbi Dei suavitatem audit, quod, loquente ipso, subditi foris audiunt, de divina refectione[a] utique satiantur. Sequitur.

Vers. 25.

Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est Samuel cum Saul in solario. Stravitque Saul in solario, & dormivit.

Propriæ perfectionis amore dum ascendunt, alienæ infirmitatis compassione descendat.

59. Quicumque ad celsitudinem curę pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate habere debet & vitę proprię altitudinem, & alienę infirmitatis compassionem. Ascendat ergo Saul cum Samuele, descendat in oppidum. Sciat Rector, quę agat alta: sciat quæ disponat, communia. Dicat cum Paulo: *Nostra conversatio in cælis est*: dicat nobiscum: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? video aliam legem contradicentem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati*. In excelso est Rector, cum sapientiam loquitur inter perfectos. Carnalia quando disponit, descendit in oppidum, dicens: *Propter fornicationem unusquisque uxorem habeat, & unaquaque virum: uxori vir debitum reddat, uxor viro similiter*. In excelso est, quando dicit: *Nulla creatura poterit nos separare a caritate Christi*. In oppidum vero descendit: quia loquens, ait: *Factus sum infirmus infirmus, ut infirmos lucrifaciam: omnia omnibus factus sum, ut omnes facerem salvos*. Samuel ergo Saul ad excelsum tulit, & in oppidum deposuit: quia summi viri cum sanctę Ecclesię culmen ordinant, illos quos in eodem culmine ponunt docent sublimiter vivere, plana prędicare, sibi esse rigidos, sed subditis temperatos: sic attendere proprię saluti, ut cum infirmis possint infirmari; infirmari dixerim per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis. Nam si per mentis languorem doctor jacet, curare ęgros, & jacentes erigere non potest. Bene ergo cum Samuele Saul in oppidum descendisse, & in solario locuti esse referuntur. Oppidum quippe in plano est, solarium vero in alto. Ad excelsum quoque solarium planum est, ad oppidum non planum, sed altum. Sic nimirum electi prędicatores, quando minoribus membris compatiuntur, quasi excelsum deserunt: sed in oppidum descendentes, in solario sunt; quia ab alto quidem veniunt, sed infirmitatem subditorum miserando & consulendo, non agendo & infirmando assumunt. Infirmis namque compatientes, uxorem ducere pręcipiunt, nec tamen ipsi infirmando uxorem ducunt. In oppidum ergo descendentes, in solario sunt: quia etsi plana jubent, in se ipsi infirma non retinent. Quia vero non esse in solario, sed loqui cum Saul Samuel dicitur, hoc profecto significat, quia futurus doctor doceri debet sic infirmis subditis compati, ut ipse tamen teneat alta conversationis.

Phil. 3. 20. — Rom. 7. 24. — 1. Cor. 7. 2. — Rom. 8. 39. — 1. Cor. 9. 22.

Sibi sint rigidi, subditis temperati.

Ut de cœlestibus sollicitus sit Pastor, secularia non curat.

60. Et quia ad hęc agenda multa consideratione novus prędicator indiget, stravisse sibi Saul, & dormisse perhibetur. Dormire in solario novo prędicatori, est in sublimi sua consideratione disponere, qualiter subditorum onera debeat portare. Nam si ad seculi intentionem vigilat, hoc profecto agit, ut tantæ discretionis bonum in intimis non requirat. Dormire igitur debet, ut secularia nulla cogitet: quia spiritualia disponere oppressus secularibus numquam potest. Sed & dormire non poterit, qui sibi non sternit: quia nimirum si bonorum exempla, sive dicta non cogitat, impossibile est, ut ab exterioribus requiescat. Velut mollia quidem

A nobis subjicimus, quando electorum doctrinam, aut vitam cogitamus. In eisdem quoque stramentis dormimus: quia quiescere tunc bene consideratione possumus, quando in rebus spiritualibus occupamur. Dicat ergo: *Quia stravit sibi Saul, & dormivit*, ut electæ menti insinuet: quia si negligenter ad exteriora se occupat, intimæ quietis gratiam non acquirat. Sed qui spiritualia bene vult considerando disponere, donec ea intus perfecte ordinet, ad ea quæ foris sunt, evigilare non debet. Apte ergo subjungitur:

In rebus spiritualibus quiescat.

Vers. 26.

Cumque mane surrexissent, & jam diluculum esset, vocavit Samuel Saul in solario, dicens: Surge, & dimittam te.

Tam his qui ordinant Pastores, quam qui ordinantur, surgendum.

61. Mane quidem lucescit, quando quietæ B menti veritatis splendor se aperit. Humana etenim mens per ignorantiam tenebrosa, & per illustrationem veritatis lucida fit. Ignorans ergo, in nocte est; cum illustratur, in die. Mane autem surgit qui dormit nocte: quando ad agenda se erigit ea, quæ per considerationem ordinavit. Et quia ordinandi regis negotium tractabatur, ambo surrexisse perhibentur. Surgit quidem summus prædicator, ut auditorem suum ad ministerium ejusdem prædicationis ordinet. Surgit qui ordinandus est, ut tam sublimem ordinem imo cordis affectu recipiendum esse non speret. Pariter quidem surgunt: quia sublime officium datur, sublime recipitur. Quo in loco est aliud notandum: quia ambo prius surrexerunt, deinde Samuel Saul vocavit, dicens: *Sur-* C *ge & dimittam te*. Sed ad historiam si ambo surrexerunt, a somno Saul, quia consurgere pręcipitur, ad opus præparari admonetur. Quia vero tam summi sacerdotes, quam ille, qui ad ordinem prædicationis assumitur, tanti ministerii onus attente considerant, quasi pariter dormiunt, pariter surgunt. Sed qui noviter ordinandus est, surgens a somno, ad opus item surgere jubetur: quia ad altitudinem ordinis quamquam pensare meditando studuit, pertingere debet tamen per meritum conversationis. Surgens ergo surgere jubetur, ut sublimem ordinem, quem subire deliberat, æquare meritis proponat. Unde & in solario vocatur: quia ad alta conari pręcipitur. Qui etiam dicit: *Et dimittam* D *te*. Surgit quippe ut dimittatur: quia ille liber esse in ministerio prędicationis poterit, qui in altitudine magnæ conversationis excrevit. Surrexit quidem qui surrexerat: quia qui considerando dicit altitudinem dignitatis, in eadem dignitatis altitudine erigere se curavit per sublimitatem vitæ. Unde & subditur:

Et surrexit Saul. *Ibidem.*

Deinde subditur:

Egressique sunt ambo; ipse videlicet & Samuel. *Ibidem.*

Pastor egreditur, cum a secreto meditationis, ad publicum operis venit.

62. Pastor egreditur, quando a secreto meditationis venit ad publicum operis. Quando enim disponit, quæ vult agere, intus est: quando autem ea agit foris, quæ cogitavit, quasi exit. Exiit etiam Saul, quia in exteriori dignitate, is qui promovetur, E illud suscipit quod, an esset suscipiendum, diutius cogitavit. Ambo igitur dicuntur egressi, quia ambo fuerunt intus: dum ille sollicita mente prævideret, quid aut cui daret: ille item attentius cogitaret, qualis esset, qui tam summa pręciperet. Quia ergo ministerium sanctæ prędicationis cum summa discretione tribuendum atque recipiendum est, dum rex Israelis ungitur, & rex, & Propheta uncturus eum, egressi perhibentur. Plerique autem

a Gilot. utrique satiantur.

codices habent: *Cumque mane surrexissent, antequam dilucesceret*: quod nimirum intelligi convenienter potest. Mane est quidem, antequam dilucescat, quando quodammodo aspirare dies incipit, & tamen plena lux diei non est. Prædicatores autem sanctæ Ecclesię, dum eorum bonam conversationem considerant quos ordinare disponunt, quasi mane est. Sed quia eorum futura scire non possunt, mane est, sed antequam dilucescat. Quod bene in ejus ordinatione dicitur, qui omnipotenti Deo postea displicuisse memoratur. Quasi enim mane, antequam dilucesceret, Propheta vidit hunc, qui ei in luce bonæ conversationis apparuit. Sed plena diei claritas nondum erat, quia in eo futuras tenebras per pręsentem cognitionis lucem videre non poterat. Quod nimirum toties sanctæ Ecclesię agitur, quoties boni sunt, qui eliguntur in præsenti, sed in eodem bono perseveraturi non sunt. Quasi enim mane, & ante lucem egreditur, qui lucem boni operis pręsentem monstrat, caliginem vitę futuram celat. Sed quid inde actum sit, sequitur:

Antequam dilucescat, lectas non prodes ii.

Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & osculatus est eum.

Vers. 27 & Cap. 10. Vers. 1.

Ordo sulcandorum.

63. Quid est enim, quod in extrema parte civitatis rex ducitur, & ungitur? Sed extrema pars civitatis est ultima pars populi subjecti. Qui ergo ultimum locum tenent in sancta Ecclesia, velut in extrema parte civitatis sunt. Ipsius autem Ecclesiæ in ultima parte, conversi peccatores esse videntur. Nam justi quique in superiori vel prima sunt parte. Aut fortasse primum locum virginitas tenet, secundum continentia, tertium conjugalis vita, ultimum conversio peccatorum. In extrema igitur civitatis parte rex ungitur: quia sanctæ Ecclesiæ Rector ordinatur, pro peccatoribus, non pro justis. Hinc enim per semetipsum Veritas dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*. Hinc iterum dicit: *Non opus habent sani medico, sed male habentes*.

Pastores pro peccatoribus potius ordinantur quam pro justis. Matt. 9. 13. Ibid. v. 12.

Proprio sensui non credat Pastor, nec suum sequatur arbitrium.

64. Sed puerum Saulis spiritualem sensum designare diximus. Quid est ergo, quod pręcedere & transire a Samuele imperatur? Sed pręcedit puer, quando hoc agitur, quod a spirituali sensu nobis suggeritur, non quod a motu carnali imperatur. Sed quosdam præcedit & transit, quosdam pręcedit & non transit. Non transit quidem pręcedens puer arrogantes, transit humiles: nam dum arrogantes magna & spiritualia agunt, in oculis suis magni sunt. Quasi enim secum habent puerum, quem sequuntur, qui in spiritualibus, quæ agunt, spirituales se esse gloriantur. Quibus profecto Propheta exprobrat, dicens: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*. Electi ergo in omnibus quę agunt, esse quidem spirituales curant, & tenere se spirituales vitant. Magni quidem sunt merito, humiles ęstimatione: quia semper magna agunt, sed in eisdem magnis se magnos numquam aspiciunt. Quasi ergo puerum, quem pręmittunt, transire faciunt, cum spiritualem sensum pręsentem habent in opere, sed longe ab ęstimatione. Quid vero est, q od paulisper subsistere pręcipitur, ut ei verbum Domini indicetur? Sed paulisper subsistit, pręmisso puero, qui ad horam se proprio arbitrio subtrahit, & alienam voluntatem facit. Transire ergo facit puerum, & paulisper subsistit, qui ad præceptum majoris illa etiam, quę putat spiritualia, deserit: deserit, ut ea, quæ sibi injunguntur, efficere convenienter possit. Quod certe ordinando pędicatori convenit: nam dum pondus pastoralis curæ considerat & infirmitatem suam, hoc sibi se præcedens spiritus dicit: quia tantum onus tam infirmus indigne suscipit. Pretermittat ergo non solum, sed transire faciat puerum: ut non arbitrium suum sequatur, sed illud suscipiat, quod ei melioris provisione decernitur. Et de subsistente protinus additur.

Isa. 5. 21.

CAPUT V.

Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus.

1. Reg. 10. Vers. 1. Unctionis sacramenta in Ecclesia.

1. Hoc profecto hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur: quia qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur. Ipsas ergo olei virtutes prius videamus attentius. Oleum quippe liquoribus aliis superfertur, oleum ignem fovet, oleum vulnera curare consuevit. Per illud ergo misericordiæ bonum significat, quia scriptum de Domino est: *Miserationes ejus super omnia opera ejus*. Quia ignem fovet, prędicationis gratiam designat, quæ electorum mentes illuminat. Quia vero vulnera per oleum curantur, hoc profecto insinuat, quod detergenda sunt vulnera peccatorum. Ungatur ergo caput regis, quia spirituali gratia mens est replenda doctoris. Habeat in unctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quæ sibi virtutibus aliis præferatur. Habeat oleum, ut dum ardorem sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat nihilominus oleum medicinæ, ut sapienter disponat, qualiter peccatorum fœtores tergat, & ægras mentes saluti restituat. Sed lenticula Saul ungitur, non pro præsignanda doctrina, sed ad exprimenda futura. Lenticula quidem parvum est vas: quid ergo est, quod lenticula olei Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur? Nam quia obedire Deo postea noluit, a Samuele audivit: *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex*. Velut enim lenticula olei parum habuit, qui spiritualem gratiam projiciendus accepit. Quod in Rectoribus quoque sanctæ Ecclesiæ convenienter accipitur. Plerumque enim culmen prælationis accipiunt, qui in caritate Dei & proximi perfecti non sunt. Quemdam namque affectum caritatis habent, sed plenitudinem ejus non habent. Illa ergo rudis & imperfecta mentis affectio, quid est nisi lenticula olei? Nam dum ungit caput, & non replet: tota quidem effunditur, sed parum exhibet. E contra autem cum electus rex, ungi præcipitur, eidem Prophetę Dominus ait: *Iple cornu tuum oleo, & veni mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filus ejus mihi regem*. Hinc est, quod idem electus rex plenitudinem unctionis suę Dei laudibus imputans, ait: *Impinguasti in oleo caput meum, & poculum meum inebrians quam præclarum est*. Qui ergo gratiam unctionis non perseveraturus accepit, dispensante Deo, per illius vasis liquorem ungitur, quo uncti defectio signaretur. Sequitur:

Olei virtutes exp. i antur

Psal. 144. 9

Lenticula vas parvum.

1. Reg. 15. 26.

Prælatorum qui in caritate perfecti non sunt, periculum.

1. Reg. 16. 1.

Psal. 22. 5.

Et osculatus est eum, & ait: Ecce unxit te Deus super hereditatem suam in principem, & liberabis populum ejus de manu inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt.

Ibidem.

Ad

Pastor mediator sit Deum inter & homines.

2. Ad culmen sanctæ Ecclesię Rector ducitur, ut hoc officium habeat, quo inter Deum & homines pacem ponat. Peccando etenim, inimicitias Creatoris incurrimus. Dum ergo ad peccatorum correptionem Rector ponitur, illud de medio tollit, quod Dei nos inimicos fecit. Bene ergo Samuel Saul caput osculatus fuisse perhibetur. Prophetę namque osculum defixum ille portat in capite, qui reconciliationis nostrę suffragium portat in mente: cum videlicet in se nulla gerit fomenta divinæ discordiæ, qui in mente paci reddere discordes studet. Osculato ego principe, dicitur: *Unxit te Deus in principem super hereditatem suam*. Quasi rebus eum admoneat, dicens: Qui te ad hoc positum nosti, ut peccati inimicitias debeas solvere, quod in aliis destruis, in te non debes retinere. Nonnulli etenim & unguntur, & osculum non accipiunt: liberare populum Domini satagunt, sed se inimicorum jugo subjicere non pavescunt. Nam qui aliis bona prædicat, quæ non agit, quasi osculum dat, quod nòn accipit. Amicos etenim Dei alios facere quærit, & ipse inimicus esse non desinit. Inimicitias peccati in se ædificat, quis in aliis destruere per verbum tentat. Quia ergo ille solum præeminet utiliter, qui per affectum magnæ caritatis Dei amicus est, Samuel caput regis osculatus fuisse dicitur. Hinc ipsa Veritas prius osculatur, quos ordinat: deinde ad liberandos alios mittit. *Vos*, ait, *amici mei estis*, deinde addidit, dicens: *Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Hinc item resurgens a mortuis dicit: *Pax vobis*, deinde subdit: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ut velut osculum pacis in eorum mente figeret, quos peccati odia solvere præcepisset. Osculatus ergo rex super hereditate; Domini constituitur, quia electus doctor eligitur, ut fidelibus subditis dignitata præemineat, sed de prælatione sua non suum, sed Domini lucrum quærat. Quare ad hoc constitutus asseritur, ut qui sub eo sunt, de inimicorum manibus liberentur. Hereditas Domini multitudo fidelium est. Omnis ergo secularis intentio removetur, cum rex super hereditate Domini unctus asseritur. Unctionis ergo fructus est, cultus divinæ hereditatis. Ille ergo officium unctionis exequitur, qui sola quærit lucra animarum. Super hereditate quippe Domini in principem se unctum meminit, qui hoc solum de terrena dignitate quærit, quod per suum ministerium Christus quæsivit. Hoc igitur verbo negligentium Rectorum intentio reprobatur.

Pastores, Dei populum liberando, caveant ne hostis jugo subjiciantur.

Johan. 14. 15.

Ibid. 20. 23.

Unctionis sacrę fructus.

Quæ sit hereditas Domini, quam quærere tenentur.

3. Audiunt namque, quia super hereditate Domini uncti sunt: quia de terra Dominus nonnisi electos quærit: norunt, quod non terræ latitudinem, non auri copiam, non divitiarum affluentiam, sed fideles suos hereditatem suam dicit, & tamen terrenum quærere, & quod perit congregara non desinunt. Ad id quod Dominus non quærit, tota sollicitudine intendunt: & quod solum quærit, quærere negligunt. Dicitur ergo, in quo se negligentes aspiciant; dicitur, in quo boni meliores fiant: *Unxit te*, inquit, *Deus in hereditate sua in principem*. Quasi dicat: Hereditatem suam tuam fecit, vide ut tu in ea aliter non regnes. Liberabis ergo populum de manu inimicorum, qui in circuitu ejus sunt. Grandis labor prædicatori præcipitur per hoc, quod inimici in circuitu esse referuntur. Satis enim grave prælium esset, si in una parte malignorum spirituum sævitiam tolerarent. Hinc per Prophetam denuntians, dicit: *In circuitu impii ambulant*. Hinc beatus Petrus exhortans, ait: *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*. Inimici igitur nostri in circuitu nostro sunt, quia immundi spiritus cogitationi nostræ, verbo, & operationi semper insidiantur. Nam dum prava nobis suggerere appetunt, ab una parte sunt: cum ad mala pertrahunt, eorum prælio ab alia parte pulsamur: cum ad mala opera invitant, ex parte reliqua bellum excitant. In circuitu ergo hostes habemus, qui in omni, quod cogitamus, loquimur & operamur, malignorum spirituum bella patimur. Sed quia non a bello, sed de manibus inimicorum liberare populum dicitur, magna virtutis insignia prædicatoribus adscribuntur: quia non solum liberos, ne capiantur, debent protegere, sed etiam captos de eorum servitute liberare. Hoc autem tunc a regibus nostris agitur, quando illi per eorum prędicationem resipiscunt, qui per audaciam transgressionis subjecti sunt jugo diabolicę potestatis. Quod profecto agere illi solummodo prædicatores possunt, qui ad culmen regiminis divina ordinatione perveniunt. Nam quos omnipotens Deus ordinat, ad toleranda prælia antiqui hostis mittit, sed eos inter ipsa bella non deserit, quia milites suos protegit, & victores facit. Sed cum sancti viri ad primatum sanctæ Ecclesiæ sustolluntur, vehementer expavescunt, ne onus tanti ordinis sibi judicio hominum sit impositum, non ordinatione Conditoris. Ad robur ergo humilium dantur signa, quibus se a Deo, non ab hominibus, electos sciant. Quare & Samuel subjungens, ait:

Ab hostibus circumstantibus quid formidare debeant.

Psal. 11. 9.
1. Pet. 5. 8.

Magna in inimicis insignia prædicatoribus tribuuntur.

Reges sunt qui a servitute liberant.

A Deo qui eos ordinavit roborati.

Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem. Cum abieris a me hodie, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel, in finibus Benjamin, in meridie salientes magnas foveas, dicentque tibi: Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas, & intermissis, pater tuus, asinis, sollicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?

Vers. 2.

4. Quasi enim humili Pastori, & de tanto ministerio trepidanti dicat: Tu idcirco trepidas, quia an sit ex Deo hoc, quod de te actum est, nescis; sed quia hoc scire potes, trepidare non debes. Hoc igitur tibi signum, quia te non homo, sed Deus in principem unxerit: duo videlicet viri illi tibi dicent: *Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas*. Quasi dicat: Si illos duos viros inveneris, & hoc tibi dixerint, scito, quia te Deus principem, non ego constitui. Quid ergo duo viri isti nobis, nisi perfectos quosque sanctæ Ecclesiæ prædicatores designant? Duo quidem sunt, quia perfecti in utroque præcepto caritatis; viri, quia in sancta conversatione robusti. Qui juxta sepulcrum Rachel inveniri perhibentur, quia per contemplativæ vitę studium divisi sunt ab intentione seculi: & dum animarum lucra quærunt, non sunt sepulti. Per Rachel quippe contemplativę vitę speciositatem signari, venerabilium patrum indubitata sententia est. Juxta sepulcrum ergo Rachel stant viri, quia sic supernę contemplationi perfecti doctores vacant, ut sanctę Ecclesię sollicitudinem gerant. Juxta sepulcrum Rachel stant, quia statum boni operis dirigunt per virtutem contemplationis: & quia nihil gerunt in opere, nisi quod contemplando disponunt. Et quia in ipsa altitudine supernæ contemplationis non pręsumtionem suam, sed rationem sanctę Ecclesię tenere student, sepulcrum Rachel in finibus Benjamin esse describitur. Ut jam dixi,

Pastor humilis & se ministerio imparem trepidans, quæ signa divinæ vocationis habeat.

Ita contemplationi sit addictus, ut Ecclesiæ sollicitudinem gerat.

Contemplationis modi & terminus. Prov. 22. 28.

in Benjamin, qui filius dexteræ dicitur, Redemtor humani generis designatur. Fines ergo Beniamin regulæ sanctarum Scripturarum sunt: de quibus profecto finibus scriptum est: *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui.* Quia ergo sancti prædicatores, cum summa contemplando vident, a fidei regula non discordant; sepulcrum, juxta quod stant, esse in finibus Benjamin recte dicitur. Qui profecto viri in meridie magnas foveas saliunt, quia per fervorem perfectæ caritatis, in qua assumti sunt, cuncta, quæ videntur, seculi alta despiciunt. Quidquid enim in hoc seculo altum cernitur, non est vera altitudo, sed fovea, quæ omnes, quos in sua ambitione recipit, ad inferna deponit. Alta ergo seculi viris spiritualibus vitanda, non appetenda sunt: quia ea occulto se aperiunt, & quos absorbendo recipiunt, ad inferna perducunt. Viri ergo spirituales foveas saliunt: quia dum se per cæleste desiderium erigunt, terrena contemnunt. Velut enim visis foveis saltum dant, quando ut terrena contemnant, ad æterna bona concupiscenda se elevant. In meridie ergo foveas saliunt: quia seculum non possunt contemnere, nisi qui plenam lucem & ardorem supernę caritatis habent. Tunc ergo Saul unctum a Domino in principem se intelligat, quando isti sibi dicent: *Inventæ sunt asinæ, quas quærebas.* Inventas quippe asinas Saul dicunt, quando ad colligenda animarum lucra idoneum cernunt. Quasi aliter dicat: Electum te a Deo in ministerium prædicationis non ab hominibus credas, si illi hoc de te indicant, qui dum Dei spiritu pleni sunt, quæ dicunt non humana, sed divina esse sentiuntur. Quia ergo de nobis non nobis, sed nobis melioribus credendum ast, apte Saul a viris in meridie magnas foveas salientibus, se a Domino unctum in principem recognoscit. Sed alius est a quo ungitur, alii qui ipsam unctionem a Domino esse attestantur: quia omne negotium sanctæ Ecclesiæ, sicut collatione sanctorum patrum magis probatur, ita & magis robustum est.

Alta seculi despiciendo tra[nsiliunt] tanquam foveas.

Ex ardore caritatis.

De nobis non nobis est credendum.

5. Quasi enim signum suæ unctionis beatus Paulus tunc quæsivit, quando videre Petrum Jerosolymam venit, & cum eo, & ceteris Apostolis Evangelium contulit. Non enim ab homine neque per hominem, sed a cælo, vocante Domino Jesu, Apostolatum susceperat: & tamen ministerium unctionis suæ per copostolorum suorum collationem probabat. Nam de seipso ait: *Contuli cum illis Evangelium, ne in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Pręcursor etiam Redemtoris discipulos unxerat, sed ut signa suæ unctionis agnoscerent, quasi ad salientem magnas foveas mittebat, dicens: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Sciebat enim Johannes, quem pręd icaverat, quem baptizaverat: sed discipulos mittebat, ut visis signis, quo firmius crederent, electionis suæ indicia securius tenuissent. Qui ergo ad prædicationis ordinem idonei providentur, in signum suæ electionis inventas esse peccatorum, quas quærunt, animas recognoscunt. Et quia omnipotens Deus non solum prædicatione, sed etiam conversatione electi doctoris gaudet, subdit, atque ait: *Et intermissis, pater tuus, asinis, sollicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?* Patrem Saul Cis, qui durus nostro eloquio dicitur, eos designare diximus, qui verbo & exemplo docent terrena despicere, & ad cælestem patriam per duram & asperam conversationem festinare. Hanc quoque cælestis vitæ duritiam tam in verbo, quam in vita nostri Redemtoris agnovimus.

Vocationis suæ quæ signa quæsierit Paulus.

Gal. 1. 1.

Gal. 2. 2.

Quæ Johannis discipuli.

Matth. 11. 3.

Quæ explorare debeat prædicator quilibet.

Si ergo ad summam nostræ eruditionis aspicimus, filii Redemtoris sumus. Pater ergo noster, dimissis asinis, sollicitus est pro nobis: quia Redemtor noster sic vult nos quærere salutem alienam, ut non negligamus nostram. Vult, ut vocentur peccatores ad pœnitentiam, sed non vult ut pereant ii, qui ipsos peccatores vocant. Vult, ut conversus peccator justitiam, quam non habuit, habeat: sed non vult, ut justus eam quam habet, justitiæ palmam perdat. Intermissis ergo asinis pro filio sollicitus est, quia prædicatores suos vult ad horam ab aliorum sollicita intentione quiescere, ut sibi ipsis per quietem valeant melius providere. Et quia ipsa sollicitudo sanctæ Ecclesiæ a bono Rectore resumenda est, intermittitur quies nostra: quia prævenit hanc sollicitudo prior, comitatur posterior. Electus ergo prædicator vacet utilitati subditorum, vacet suæ: sed sic suæ curam habeat, ut statim ad eam, quam deserit, alienam recurrat: quia tunc Conditor noster nos, quasi filios diligit, cum & subditos nostros, tamquam fratres diligimus, & ipsum quasi patrem amamus, dum per affectum sollicitudinis istis jungimur, & ad illum per quietem nostram, quam diligit, quasi ad patrem festinamus. Hæc namque dilectio quietis nostræ exprimitur in hoc, quod dicitur: *Quid faciam de filio meo?* Hoc profecto pater dicit, qui tenere filium diligit. Hoc igitur non dicitur de præsente filio, sed absente. Sed quia perditas asinas patris quærit, ei valde dilectus est: quia qui peccatorum animas convertere prædicando nititur, Redemtori nostro jam in magna caritate copulatur. Qui certe per aliorum sollicitudinem ab eo quasi longe est, per quietem contemplationis, & affectum orationis prope. Quia ergo nos sibi vicinos esse & per contemplationem, & orationem appetit, quasi diligens pater dicit. *Quid faciam de filio meo?* Quasi dicat: Quomodo absentem illum, mihi præsentem exhibebo? Quia vero prædicationis nostræ sollicitudinem magni sanctæ Ecclesiæ viri laudant, sed sollicitudinis nimietatem vituperant, illi qui inventas patris asinas dicunt, sollicitum patrem pro filio asserunt. Signum ergo suæ unctionis cognoscere electi possunt: quia nimirum tunc a Deo ad sanctæ Ecclesiæ culmen perducuntur, cum per verba & exempla idonei sunt ad salutem alienam, & per quietem studiosi ad suam: & cum peccatores ad cælum quærunt, semetipsos ad seculum non relinquunt. Sequitur:

Alterna vicissitudine laboret, ac a labore quiescat, ut sibi vacet.

Signum electionis habet, cum & alienæ simul & propriæ saluti studet.

Cum inde abieris, & ultra transieris, & veneris ad quercum Thabor, invenient te tres ibi viri, ascendentes ad Dominum in Bethel, unus portans tres hædos, & alius tres tortas panis, & alius lagenam vini. Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.

Vers. 3. & 4.

6. Cum bene proficere in sancta conversatione volumus, necessarium nobis est, ut electorum plurimorum nobis exempla colligamus: nam & apes componere mella nequeunt, si ea in floribus variis nequaquam legunt. Bene ergo Saul a viris aliis ad alios pervenit: quia exempla Sanctorum, quo copiosius cernimus, melius edocemur. Flores quippe æternorum fructuum, sunt opera Sanctorum, quę dum superni amoris rore perfunduntur, ex eis carpimus, unde ad nostram doctrinam, & ad aliorum utilitatem repleamur. Inde etenim abit, & ultra transit Saul: quando rudis prædicator per electorum exempla proficit, & a conspecta virtute unius, ad explorandam alterius conversationem vadit. Quem sæpe delectat in aliis mirari labo-

Proficere volens, Sanctorum exempla sibi ob oculos ponat.

rem

rem prędicationis, sæpe in aliis fortitudinem boni operis: illos loquentes veneratur, illos operantes imitari nititur. Illos aspicit, qua pulchritudine foris fulgeant, istorum splendorem non in exteriori conversatione, sed in intima perscrutatur. Unde & bene cum transit, ad quercum Thabor venire perhibetur. Quercus enim umbrosa est arbor, & fortis. In qua profecto arbore secretior conversatio sanctorum exprimitur. Hujus namque conversationis viri, dum ad exteriora opera activæ vitæ non exeunt, quasi in umbra sunt: quia incendia tentationum sentire non possunt. Quia enim in cælesti desiderio requiescunt, quo longius amoti sunt ab amore mundi, eo & quietiores manent in umbra refrigerii. Sed umbra hæc fortis est arboris, quia conversatio Sanctorum tanto validius terrena despicit, quanto prius in amorem cælestium surgit. Fortis est etiam, quia seculi adversa potenter tolerant, qui sola cælestia, quæ vident, amant. Et quia in magno lumine interni splendoris sunt, qui terrena respicere per amorem dedignantur, quercus ipsa Thabor esse dicitur. Thabor quippe veniens lumen interpretatur. Lumen etenim venit, quando electæ menti se interna Conditoris claritas aperit. Quercus ergo Thabor dicitur: quia secreta conversatio, terrena despiciendo agit, quo intimam Conditoris lucem clarius aspiciat. Secreti namque sumus, quando sensus nostros in Dei timore custodimus. Et tunc quidem veniens lumen cernimus, quia cum bene reguntur membra corporis, menti nostrę refunditur gratia Conditoris. Et notandum, quia ad quercum Thabor venire dicitur, qui a salientibus foveas sollicitum pro se patrem esse sciebat. Nam prædicatores sanctæ Ecclesiæ plerumque virtutes laudant, quibus ipsi vacare non possunt. Contemplativæ quidem vitæ secretum prędicant; sed dum solliciti sunt pro subditorum custodia, illius vitæ adhærere secretia vitant. Quasi ergo Samuel dicat: Viri illi tibi contemplationis studium laudant; sed quia quod laudant, tenere non possunt, in aliis quærendum est. Inde ergo ad quercum Thabor transimus, quando a sanctis prædicatoribus contemplativæ vitæ studium laudabile noscimus: sed perfectionem ejus in illis quærimus, qui ad eam spiritualiter intendunt. Tres ergo viri, qui unctum regem ad quercum Thabor inveniunt, illos designant, qui in contemplativæ vitę studio perfecti sunt. Qui bene non inveniri a rege, sed regem illic invenire perhibentur. Non enim inveniuntur: quia absconditi sunt. Ipsi vero nos inveniunt: qui lucem suę secretæ conversationis nobis aperiunt, cum dignantur. Non inveniuntur: quia vitam suam ab omni hominum testimonio auferunt. Sed nos inveniunt: quia per affectum caritatis nobis ad imitandum aliquid suę lucis ostendunt. Qui item imitandas virtutes suas non proferunt, nisi iis, qui magno desiderio eas obtinere, & exercere concupiscunt. Prius ergo nos oportet ad quercum Thabor venire, ut a viris illis tribus valeamus inveniri. Nam velut jam in umbra venientis luminis sumus, quando [a] magnis summę contemplationis desideriis inflammamur.

In vitæ secretioris umbra refrigerium quærat.

7. Tunc ergo nobis tres viri apparent: quia qui se nobis desiderantibus dignantur ostendere, in custodia locutionis, cogitationis, & operis, fortes sunt. Nam secretioris vitæ esse non possunt, si oculorum, cordis, & oris ostia aperta tenuissent. Quia ergo cor ab inepta cogitatione, os ab otioso sermone, totum corpus a prava operatione custodiunt, tres sunt: viri autem, quia eumdem custodiam fortissime observant. Tres ergo viri nobis apparent: quia cum tale cernimus, in eis robur virtutis intuemur. Qui certe in umbra venientis sunt luminis: quia videre internam lucem Conditoris tanto clarius possunt, quanto studiosius mundum cor a mundi inquinatione custodiunt. Talis quidem a mortuis resurgens apparuit Dominus, tales replevit Spiritus sanctus. De illo etenim secreto dicitur: *Cum sero esset una sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli propter metum Judæorum*. Et rursum: *Post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis, venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis*. De alio item secreto scriptum est: *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, & factus est repente de cælo sonus advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuere illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto*. Clausas quidem januas habent, qui contra humani lapsus negligentiam officia corporis sub forti custodia stricta retinent. Intus etiam sunt; quia in interna dilectione supernę vitę requiescunt. Quibus profecto resurgens Dominus apparet, quia ejus gloriam tanto clarius aspiciunt, quanto per mundi contemtum passionis ejus mysterium strictius sequuntur. Hi etiam repleri Spiritu sancto, quasi in domo possunt: quia illi percipiunt abundanter gratiarum ejus dona, qui ad ea percipienda sese, visibilia contemnendo, paraverunt.

Ad illam vitam qui oculorum, cordis, & oris ostia non claudunt, minus sunt apti.

In secreto viventibus Deus manifestatur.

Joh. 20. 19.

Act. 2. 1.

8. Qui bene ad Dominum in Bethel ascendere dicuntur. Bethel quippe dicitur domus Dei. Domus vero Dei quę est, nisi domus illa, quam inhabitat lux inaccessibilis? Lux etenim inaccessibilis est, revelatio divinitatis ejus. Lux quippe est: quia a mundis cordibus qualitercumque videri potest. Plenissima quidem in semetipsa replet omnia, sed abundanter replens universa, non capitur. Capitur quidem, ut repleat, sed replens non capitur, quæ repletis omnibus, non expletur. Revelatio itaque Conditoris, quia tanta immensitas lucis est, ut illuminet omnia, & angustetur in nullo: dum videtur & non comprehenditur, lux est inaccessibilis. Viri ergo hi tres ad Dominum ascendunt: quia qui se in secretiori vita custodiunt, in divina lucis contemplatione sublimantur. Sed quia ad ipsam Dei omnipotentis speciem adhuc pertingere non possunt, in Bethel ascendere dicuntur. Quidquid enim de omnipotente Deo humana mens potest cogitare, Deus non est. Sed dum cogitando cuncta transcendit, dum quidquid potest intimę lucis, quidquid internę suavitatis & dulcedinis, quidquid spiritualis delectationis sibi fingere, minus illa esse creditur, ad quamdam lucem tamen pervenit, quę non est Deus, sed quam inhabitat Deus. Et quia tunc electi anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur, cogitare compellitur quam ineffabilis lux, dulcedo, & delectatio sit, quæ ipse est, si tam immensa lux est illa, quam inhabitat, & non est ipse. Ad Dominum quippe in Bethel Moyses ascenderat, quando cum eo in monte loquebatur. Sed qui ad lucem pervenerat, quam inhabitat Deus, lucem, quę ipse Deus erat, quærebat, dicens: *Ostende mihi faciem tuam*. De quo etiam scriptum est, quia, *Loquebatur Moysi Domi-*

A b illa secretiori vita, ad Bethel ascenditur.

Non tamen ad ipsam Dei visionem hic pervenitur.

Neque ad lucem quæ Deus est, sed ad eam quam inhabitat.

Exod. 33. 13.

Ibidem.

a Gussanv. & Vatic. *magnæ summæ*, &c.

Moyses, dum viveret, non vidit Deum intuitive.

Dominus facie ad faciem. Quid est, quod facie ad faciem Moyses cum Domino loquitur, & tamen Dominum obsecrat, ut faciem suam Dominus ostendat? Sed facies Dei cognitio ejus est. Cognoscitur autem Deus per speculum, cognoscitur per seipsum. Per speculum hic, per semetipsum in cęlo. Speculum vero est illa lux, quam habitat Deus: ipse autem lux illa, quæ ipse est. Moyses autem qui facie ad faciem Deum videre dicitur, & ejus faciem ad videndum postulare, quid rectius designat, quam perfectionem electorum, qui jam speculum illius summę lucis intuentur, sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt? Ista quidem cognitio lucis, electorum desideria satiare non novit, sed excitare: illa vero & satiare & excitare. Nam tam jucunda res est, ut ineffabiliter concupiscatur: & tam plena, ut qui jam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili plenitudine satientur. Viri ergo, qui ad Dominum ascendunt, In Bethel ascendere dicuntur; quia cum multum in ista vita proficimus, videre ipsam lucem Conditoris per speculum possumus, in seipsam autem minime valemus.

1. Cor. 13. 12. Exod. 33. 13. Num. 12. 8.

Deum hic per speculum intueri, solis humilibus datur.

9. Et quia ad hanc sublimem visionem nonnisi humiles exaltantur, bene de eisdem viris dicitur: *Quia unus tres hœdos, alius tres tortas panis ferebat*. Tres denique hœdos portat, qui ore, corde, & opere se deliquisse pœnitendo considerat. Quia enim per hœdos, peccatores significantur, ii qui in extremo examine ad sinistram æterni judicis statuendi sunt, hœdorum nomine exprimuntur. Tres ergo hœdos ad Dominum portat, qui peccata operis, verbi, & cogitationis pœnitendo considerare non desinit. Et vir quidem est, & tamen hœdos portat: quia peccare fortiter cavet, sed quasi peccator non desinit satisfacere. Nam vir erat, & hœdos portabat, qui dicebat: *In multis offendimus omnes*. Et quia peccata, quæ confitentur, delere pœnitendo satagunt: unus tres hœdos, alius vero tres tortas panis portat. Tortas quippe panis superius ad afflictionem pœnitentię retulimus: quia si panis aliquando delectationem præsentis vitæ significat, panis torquetur, cum pro præterita carnis delectatione cruciamur. Unde & rex Ezechias cum pœnitendo compungitur, delectationes regias se torturum promittit, dicens: *Recogitabo omnes dies meos in amaritudine animæ meæ*. Quando etenim carnalis mens in culpæ delectationes resolvitur, quasi diem habet: quia hoc quod agit, lætanter videt. Dies ergo mentis reprobæ sunt delectationes malę. Omnes ergo dies suos peccator recogitat: quia cum per divinam gratiam resipiscit, satisfacere pro universis malis non desinit. Prius enim dicitur unus portare tres hœdos, deinde alius tres tortas panis; ut electi cujusque virtus appareat, qui fortis est in bono opere, humilis per æstimationem, afflictus per contritionem pœnitentiæ. Et quia tantæ perfectionis esse nequeunt, nisi qui amore ęternorum bonorum, temporalium obliti sunt, tertius lagenam vini portare dicitur. Lagenam quippe vini portat, qui mentem replevit calore Spiritus sancti, quo & anteriora fortiter currendo appetat, & ea quę retro sunt, velut in magna ebrietatis oblivione derelinquat. Nam hœdos portabat, qui dicebat: *Venit Christus vocare peccatores, quorum primus ego sum*. Et quia etiam tortam panis portabat, dicit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*. Sed quasi amphorę vino ebrius, dicit: *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum perse*quor bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu.* Viri ergo tres ad Dominum ascendunt, & tres hœdos, & tres panis tortas, & vini lagenam deferunt: quia remotioris vitæ studiis dediti, ad contemplationem veri luminis surgunt ex merito humilitatis. Sed quales sunt in se, quales vero sint aliis exponit, dicens: *Cumque te salutaverint, dabunt tibi tres tortas panis, & accipies de manu eorum*. Salutant nos viri sancti, quando nobis bona ęterna salutis annuntiant. Qui vero nos per corpus salutant, caput inclinant, ut reverentiam salutatis exhibeant. Viris autem spiritualibus caput inclinare, est mentem a summa contemplatione deponere. Nam si caput non inclinant, salutare non possunt: quia nos salutari eruditione non instruunt, si mentem a summa contemplatione cælestium non deponunt. Tunc enim nobis magnam reverentiam exhibent: quia eos, pro quibus ab alto suo culmine descendere dignantur, parvos esse non tenent.

Jac. 3. 2.

Isai. 38. 15.

1. Tim. 1. 15.

1. Cor. 9. 27.

Phil. 3. 13.

Ex merito humilitatis, ad verum lumen contemplandum assurgitur.

Sublimiori contemplatione descendunt qui alios erudiunt.

10. Sed dum futurus rex salutatur, duo ei panes tribuuntur. Duo enim panes ordinando prædicatori dantur, quando flere docetur peccata non solum sua, sed aliena. Habet ergo panem unum tortum, quando pro peccatis suis affligitur, habet alium, quando subditorum peccata plangere conatur. Sed & hunc panem Psalmista clarius insinuans, ait: *Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*. Hinc Domino confitetur, dicens: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis cum mensura*. Panis ergo torta, panis est doloris, & panis lacrymarum. Et fortasse idcirco ille vir unus tres panis tortas portabat: quia tres erant, qui simul pergebant; ut cum inter se eos dividerent, singuli singulos panes haberent. Quod etiam de hœdis intelligi convenienter potest. Qua in re quid notandum est, nisi quia remotioris vitæ viri dum singularem conversationem tenent, sollicitudinem aliorum non habent? Unum ergo hœdum, & unum panem habent, qui pro solis suis peccatis compunguntur, & alienis per pastorale officium non gravantur. Et quia, qui ejusdem perfectæ conversationis sunt, in seipsis afflictionem carnis ęmulantur: bene tres panes unus, & alius tres hœdos, & tertius vini lagenam portat. Velut enim unus portat, quod oblaturi, aut comesturi sunt omnes: & omnes manducant vel offerunt, quod portat unus, quando pia æmulatione eorum quisque succensus, in se habet bona exempla pro aliis, & bona, quæ habent alii, non negligit imitari. Et quia feminino genere dicuntur tortæ panis, hoc profecto insinuat: quia qui ex consuetudine compungitur, ei nimirum ex lacrymis aliis alię plures oriuntur. Quasi enim in femineo sexu fœcunda est pœnitentis afflictio: quia quo sæpius quisque compungitur, eo & largiora ei lacrymarum fluenta ministrantur. Saul ergo non unus panis, sed duo dantur, quia flere prędicatori pro se solo non sufficit. Accipiat ergo de virorum manibus duos panes; ut videlicet flere exemplo perfectorum discat, sed fletum necessarium sibi, & pro se subditis recognoscat. Et quia in manu aliquando potestas accipitur, viri tres panes habent in manu: quia qui provecti sunt in arcem contemplationis, fletum habent in virtute potestatis. Quia enim nolunt vana lætitia dissolvi cum possunt, possunt merito flere cum volunt. Nos quippe infirmi & custodiam mentis nostrę negligentes, etiam cum compungi & flere pro peccatis nostris volumus, non valemus. Quia enim ex magno fervore spiritus, spirituales lacry-

Pastor docetur flere peccata, non solum sua, sed aliena.

Psal. 126. 2.

Psal. 79. 6.

Ex magno

Fervore spiritus, spirituales oriuntur lacrymæ.

lacrymæ producuntur, qui negligentiæ nostræ frigore constringimur, incalescere cito ad lacrymas prohibemur. Bene ergo panes in manibus habere dicuntur, qui ad quercum Thabor futuro regi apparere perhibentur: quia qui in contemplatione vitæ privatæ perfecti sunt, lucrum habent subditorum pro observatione virtutum.

Honorem prælationis innumeri ambiunt: labores, pauci.

11. Et notandum, quia uncto regi Samuel præcipit, dicens: *Et accipies de manu eorum*. Cujus verbi, quæ melior ratio colligi potest, quam ea quæ palam cernitur: quia videlicet in sanctis viris afflictionem non libenter æmulamur? Nam qui honorem prælationis, & dignitatem ambiant, innumeri sunt: qui vero laborem ministerii, & afflictionem carnis de eadem prælatione appetant, pauci. Libenter quidem volumus super alios sublimari, sed eorum plangere peccata vitamus. Tunc enim panes nobis oblatos videmus, sed de manibus offerentium recipere nolumus: quia in electis viris afflictionem cernimus, quam non imitamur. Præcipiat ergo Propheta, dicens: *Accipies de manu eorum*. Ut qui idoneus esse appetit Rector Ecclesiæ, quod dictum est, assumere nequaquam vitet. Bene quoque Saul prius ad viros salientes magnas foveas ducitur, deinde ad eos, qui panes, hædos, & vinum portant: ut rudis prædicator in aliis discat, seculi alta despicere, & in aliis carnis afflictionem, & lacrymarum hostias pro se, & subditis omnipotenti Deo offerre. Sed & adhuc profectus ejus summam insinuans Propheta, subjungit, dicens:

Vers. 5. & 6.

Post hæc venies ad collem Domini, ubi est statio Philisthinorum, & cum ingressus fueris urbem, obvium habebis gregem Prophetarum, descendentem de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam; ipsosque prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis; & mutaberis in virum alium.

Sacra Scriptura colli similis.

12. Collis, altitudo est montis. Quid vero in colle hoc rectius accipitur, quam sancta intentio Scripturarum? Altitudo quidem montis est: quia non jacet in plano litteræ, sed nimis erecta est in spiritualium sensuum sublimitate. Recto igitur virtutum itineri rudis innititur prædicator, si postquam publicos prædicatores & remotos anachoretas viderit, Scripturæ altitudinem videat & agnoscat. Qua in re notandum est, quia Saul in eo quod ab humero & sursum supra omnem populum eminet, eruditum, & magnæ conversationis virum signare diximus. Cur ergo ad collem Domini ascendit, ut ad Scripturarum altitudinem veniat, quam cognoscit? Sed simili modo eo quæri potuit, quod ad videndos viros salientes magnas foveas ierit, qui magnæ conversationis esse dicebatur: Ad quod dicendum: quia magnos viros designare ostensus est in conversatione, sed ministerio prædicationis rudes. Qui ergo per exempla meliorum proficere, & in contemplationis puritate & officio prædicationis potest, redire ad altitudinem Scripturarum debet; quia quo altiori vita proficit, sublimitatem sacri eloquii valde subtilius attendit. Dicat ergo Propheta: *Post hæc venies ad collem Domini*. Quasi dicat: Cum perfectionem sanctorum virorum perfecta imitatione comprehendis, in tantam Scripturæ sacræ intelligentiam proficies; ut planum jam esse videas, quod in ea te sublimiter videre cogitabas.

Judæi ac hæretici cur in Scriptura

13. Ibi est statio Philistinorum: quia qui superbiæ potu de cælo ceciderunt, Judæis atque hæreticis per Scripturas illudunt. Stant ergo in colle; quia eorum corda, quæ possident, in Scripturis decipiunt intelligentiæ falsitate. Quoties ergo Judæi ad collem Domini ascendere præsumunt, a Philisthæis ibi stantibus captivantur. Dum enim Scripturæ sensum se sublimiter intelligere æstimant, eis in ascensu suo dæmones obviant, & decipientes necant. Merito ergo Saul non statim, sed prius, visis salientibus foveas, & panes & vinum portantibus, ad collem Domini ire præcipitur; quia viri fideles, magna & doctrinæ meliorum & exemplorum tutela muniuntur. Unde & eidem Saul dicitur: *Obvium habebis gregem Prophetarum venientium de excelso*. Quasi dicat: Philisthinorum stationem timere tanto minus poteris, quanto ad securitatem obvios Prophetas habebis. Et quia grex Prophetarum dicitur, magna defensorum nostrorum multitudo signatur. Timeat ergo Judæus; quia dum solus ascendit, interit. Quid enim iidem prophetæ nobis obviam venientes dicunt? *Væ soli, quia si ceciderit, non est qui erigat eum*. Solus namque est, qui a Deo relinquitur. Hunc certe cadentem nullus erigit, quia relictum a Deo Sanctorum aliquis non assumit. Electus ergo quisque securus ascendit; quia solus non est. Qui enim per nos loquitur, nobiscum est. Nam & repromittit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*. Solus quippe non erat, qui dicebat: *Solus non sum, sed qui misit me, mecum est*. Solus item non erat, qui exquirebat, dicens: *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus?* Quod non solum de Domini spiritali præsentia, sed & materiali electorum doctrina intelligi convenienter potest. Sancti quidem prædicatores in collem Domini, ubi est statio Philistinorum, ascendunt; sed quia Prophetarum gregem habent obvium, ipsos Philisthæos nequaquam metuunt. Qui vero sunt hi Prophetæ, nisi magni prædicatores sanctæ Ecclesiæ? Prophetæ namque ministerium est occulta revelare, & futura prædicere. Doctores autem sanctæ Ecclesiæ dum occultos Scripturarum sensus ad communem scientiam trahunt, secreta, quæ nesciuntur, aperiunt; & dum æterna gaudia prædicant, futura revelant. Prophetæ ergo nobis obviam veniunt; quia doctores sanctæ Ecclesiæ, Scripturæ sanctæ veritatem nobis ostendunt. Dum enim ea, quæ de sacro eloquio scire volumus, nobis dicunt, per viam, qua ad collem Domini pergitur, euntibus occurrunt. Ibi ergo per occursum Prophetarum securi sumus, ubi Philisthæi sunt; quia per auctoritatem sanctorum prædicatorum Scripturæ intellectum agnoscimus, in qua Judæi, & hæretici errorum suorum gladio a dæmonibus perimuntur. Ecce enim si ad Legem Moysi recurrimus, collem profecto Domini invenimus. Ibi certe de tabernaculo, ibi de magno Pontifice, ibi de hircorum & vitulorum simul, & Agni paschalis sanguine legimus. Judæi hoc suo spiritu juxta litteram intelligunt, in quo quia nullum Prophetarum secum habent, moriuntur. Ego si ad hunc montem ascendere volo, ante descendentes Prophetas video, & securus ascendo. Et ut novos interim deseram, Isaias ascendenti prius occurrit, dicens: *Quasi ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se, non aperiet os suum*. Hinc Paulus ait: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, idest non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna re-*

dem-

Right margin notes: Intelligentia decipiuntur. — Non soli ascendunt sancti. — Eccl. 4. 10. — Matt. ult. 20. — Joan. 8. 29. — 2. Cor. 13. 3. — Secure sancti prædicatores quia veteres doctores obvios habent. — Et veteres Prophetas. — Isai. 53. 7. — Hebr. 9. v. 11. & 12.

Quibus prædicatores Evangelicæ Legis consentiunt.

demtione inventa. Sed si plures habere volumus A in isto colle, omnes Prophetas requirentes invenimus: quia quod veteres doctores promiserant, hoc in Redemtore nostro novi prædicatores impletum esse demonstrant.

Christus collis nomine designatus. Isai. 2. 2. Luc. 2.

14. Quare & collis nomine Redemtor humani generis convenienter designari potest. Unde Isaias vaticinans, dicit: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*. Collis quidem dicitur pro sublimitate sanctitatis: Domini vero, quia summi est filius Genitoris. In quo nimirum colla statio Philisthinorum esse dicitur: quia & in signum natus est, cui contradicatur. Statio quidem Philisthinorum est contrarietat hæreticorum. Velut enim in colle stantes, ad collem ascendentibus insidiantur: & B dum Scripturas sacras male exponendo pervertunt, ad cognoscendum Redemtorem negligenter ascendentes perimunt. Electus ergo ne trepidet, gregem Prophetarum ascendens obvium habet: quia ei ipsum Redemtorem annuntiant omnes prędicatores Testamenti veteris & novi. Qui nimirum de excelso veniunt: quia quæ in terra prædicant, in cælo vident. Unde & Johanni quasi vero ex electo grege Prophetarum a cælo dicitur: *Ascende huc, & ostendam tibi quid oporteat fieri post hæc*. Qui cum ascendisset, agnum quem Moyses occidendum figuraverat, & ipse in cruce oblatum viderat, jam regnantem conspexit & agnovit: & quantas gratias agerent ei ii pro quibus occisus fuerat, didicit. De excelso igi- C tur prædicatores veniunt: quia quod minoribus prędicant, in cælesti contemplatione didicerunt.

In signum positus est, cui contradicitur, maxime ab hæreticis.

Non autem a Sanctis utriusque Testamenti Doctoribus cæli us illustratis.

Apoc. 4. 1.

Ut a nobis intelligerentur, & viderentur ipsis fuit descendendum.

15. Bene etiam grex Prophetarum Saul occursus in ingressu urbis asseritur; quia summos prædicatores sanctæ Ecclesiæ illic videre possumus, ubi descendunt, non ubi sublimantur. Ea enim, quæ nobis parvulis dicunt, audimus: sed ea quæ vident in cælestibus, quomodo videant, aut dulciter ament, non videmus. Paulus namque Apostolus raptus est in paradisum, & assumtus est ad tertium cælum, audivit etiam arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quis ergo invenire tantum prædicatorem possit in paradisum raptum, aut ad tertium cælum assumtum? Sed ista de se coactus beatus Pau- D lus dixit. Unde & in fine expositæ sublimitatis se humilians, ait: *Factus sum insipiens, vos me coegistis*. Quanta ergo fuerunt illa, quæ dicere noluit, si ad hæc manifestanda coactus venit? Nam & qui audivit & quæ homini non licet loqui, vidit quæ homini non licet scire. Dicas fortasse: si vellet, humana tamen quomodo dicere posset locutione, illius tertii cæli pulchritudinem, intimæ illius claritatis lucem referre, Angelorum fulgorem inenarrabilem, & inaccessibilem claritatem, quam dulciter de plenitudine illius electi & beati illi æterni cives omnes accipiant, quam desideranter sumant, quam pleniter repleantur, quam suaviter divinę bonitatis dulcedinem gustent, quam delectabili plenitudine satientur: qui splendores sunt singulis de una in- E effabili illa luce Conditoris, quę simul omnium de una illa gloria pulchritudo: qua excellentia dignitatis alii preeemineant aliis, qua sunt boni melioribus ineffabilis justitiæ jucunditate subjecti?

2. Cor. 12. 4.

2. Cor. 12. 11.

Quam alta de futura beatitudine Paulus doceat.

Quomodo audienda, quæ plana doceantur.

16. Ad hoc ergo excelsum Paulum sequi non possumus, sed urbem ingredimur, in qua velut ab alto descendens, nobis obviam venit. Nam qui cernere non possumus alta quæ prædicatores vident, venerabiliter audire debemus plana, quæ docent. Sed cum descendunt, ante se psalterium, tympanum, tibiam, & citharam deferunt. Psalterium quippe habent, quia regnum cælorum annuntiant: tympanum habent, quia prędicant mortificationem carnis: tibiam habent, quia flere subditos jubent pro acquisitione ęternæ lętitię: citharam quoque habent, quia gaudere pios pro certitudine æternorum bonorum edocent. Psalterium quidem, quia a superiori parte resonat, etiam æternorum gaudiorum prædicationem designat: quia dum superna amare suggerit, quasi a superiori parte suę dulcedinis sonum mittit. Tympanum vero, quia de mortui animalis corio tenditur, in eo non inconvenienter carnis nostræ mortificatio figuratur. Tibiam autem quia in mortuorum B hominum exequiis haberi soleat, de Evangelio didicimus: quia dum Dominus Archisynagogi filiam resuscitare vellet, de domo illius tibicines ejecit, & turbam tumultuantem expulit. Quid ergo in tibia, nisi Sanctorum luctus exprimitur? Nam dum se ab illa vita æterna, quam appetunt, projectos aspiciunt, semetipsos quasi mortuos plangunt. Cithara autem valde lætum musicum est instrumentum. Quo nimirum instrumento verbum solatii electorum apte figuratur: quia velut ad sonum citharæ hilarescimus, quando nos electi prędicatores inter ærumnas præsentis exilii consolantur. Psalterium ergo primum in promissione prædicatorum ponitur: quia ante omnia cęlestis regni gloria prædicanda est; ut dum bonum agnoscimus C quod amemus, laborare pro eodem bono adipiscendo cupiamus. Hinc est quod cum in Evangelio Matthæus principia Dominicæ Incarnationis assereret, dixit: *Cœpit Johannes prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum*. Sed quia cum cælestia noscimus, si ad ea pervenire volumus, necesse est, ut passiones carnis mortificemus, prædicatores sanctæ Ecclesiæ velut post psalterium, sonum tympani faciunt. Ipsa autem mortificatio corporis quid est aliud, quam prędaratio æternæ beatitudinis? Cælestia ergo prępararı diligimus, & ardentissimis fletibus ea postulare jubemur. Quasi enim tibia mortuos plangimus, quando vehementer dolemus, quia adhuc in illa æterna vita non vivimus. Post tympanum ergo, prædicatores nostri tibiam D habent, quando & membra nostra nos docent mortificare, & pro amore æternæ vitæ ingemiscere. Citharam quoqua post tibiam ducunt: quia præcipiunt sic deflere ęrumnas pręsentis exilii, ut gaudeamus de promissione ęternæ hereditatis. Nam psalterium insonabat Propheta magnus, cum dicebat: *Oves meæ vocem meam audiunt, & vitam æternam do eis*. Psalterium item percutiens, ait: *Exaltari oportet & filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Tympanum sonabat, qui dicebat: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam*. Tibiam sonabat, qui dicebat: *Miseri estote, lugete, risus vester vertatur in luctum, & gaudium in mœrorem*. Tym- E panum sonabat, qui dicebat: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oves occisionis*. Tibiam vero ante se habet, qui item Deo loquitur, dicens: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in mensura*. Tibiam ante se habebat Dominus, cum dicebat: *Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini*. Sed velut citharæ sonum subjungens, ait: *Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Quasi citharam nobis sonabat, qui dicebat: *Gaudete in*

De carnis mortificatione.

Matth. 9. 23.

Matth. 4. 17.

Et de promissione æternæ hereditatis.

Joh. 10. 27.

Ibid. 3. 14.

Coloss. 3. 5.

Jac. 4. 9.

Psal. 43. 22.

Psal. 79. 6.

Joh. 16. 20.

Ibidem.

Philip. 4. 4.

in Domino semper, iterum dico, gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus prope est. Citharam nobis sonat, qui civitatis nostræ bona annuntians, ait: *Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Quia ergo prædicatores sanctæ Ecclesiæ cœleste regnum annuntiant, & pro eodem regno adipiscendo, mortificare carnem, flere captivitatem, in spe futuræ beatitudinis nos exultare præcipiunt: Prophetæ ab excelso descendentes, ante se psalterium, tympanum, tibiam, & citharam habere perhibentur. Et grex quidem Prophetarum dicitur, quia multi sunt Pastores sanctæ Ecclesiæ, & Pastorem unum habent Dominum Jesum Christum.

Isaie 51. 3.

Reprobi post se habent quæ prædicant: ante se, sancti Doctores.

17. Et notandum quia psalterium, tympanum, tibiam, & citharam ante se habere Prophetæ perhibentur, ut electorum prædicatorum forma videatur. Reprobi namque post se, quæ prædicant, habent: quia dicunt & non faciunt, negligunt bona agere, quæ cognoscunt. Unde & adhuc regi Saul, jam Domini mandata contemnenti, dicitur: *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex.* Hinc per Prophetam de Judæis Dominus queritur, dicens: *Projecerunt me post corpus suum.* Sancti ergo doctores, quia iter supernæ conversationis, quod prædicant, continuo incessu boni operis servant, in eorum typo dicitur, quia Prophetæ psalterium, tympanum, tibiam, & citharam ante se descendentes habuerunt. Possunt enim hæc instrumenta ad prædicationem Redemtoris referri. Et quia non valde superius, collem Domini ipsum esse Redemtorem diximus, organorum convenientiam intueamur. Qui regni æterni eum regem nominat, nobis profecto psalterium sonat. Et qui disciplinam mortificationis nostræ in eo asserit, velut tympanum ferit. Tibiam sonat, qui mortuum Redemtorem pro salute mundi denuntiat. Citharam percutit, qui eum a mortuis surrexisse, & ad cœlos ascendisse dicit. Sed ad tantorum organorum jucunditatem hilarescimus, si ipsum Prophetarum gregem insonantem audiamus. David namque dicit: *A summo cælo egressio ejus, & occursus usque ad summum.* Hinc item dicit: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.*

1. Reg. 15. 23. *3. Reg. 14. 9.* *Quæ de Christo sint prædicanda.* *Quæ Prophetæ prænuntiaverint.* *Psal. 18. 7.* *Psal. 71. 11.*

Velut enim psalterium in laudem Redemtoris tenuit, qui superiorem partem laudis obtinuit, & Redemtoris adventum a summo cælo prædicavit. Tympanum mortificationis ejus Isaias tetigit, dicens: *Et vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum, despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus; unde nec reputavimus eum.* Tibiam mortis ejus item sonans, ait: *Tanquam ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus obmutuit.* Citharam resurrectionis David increpitans, ait: *Commoveatur a facie ejus universa terra, dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit a ligno: etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Citharam ascensionis etiam tangens, dixit: *Regna terræ cantate Deo, qui ascendis super cælos cælorum ad orientem.* Prophetæ ergo de excelso descendunt, quando sancti prædicatores illa sacramenta nobis annuntiant, quæ alta contemplatione didicere. Et psalterium, tympanum, tibiam, & citharam dicunt: Quia Redemtorem nostrum æterni regni Dominum asserunt, & per humanam conditionem humiliatum, & morte sua mundum redimere, & resurgendo cœlestia reparare. Quæ nimirum laudis instrumenta ante se habent: quia ea, quæ dicunt, intelligunt. E contra vero Caiphas prophetare dicitur, & ea quæ dixit, ignorare; cum tibiam Dominicæ mortis, quam tetigit, & non ut electus Propheta haberet ante se, sed post se. Bene ergo de electis Prophetis subjungitur: *Ipsosque prophetantes.* Quia dum vident quæ dicant, velut ante se habent instrumenta, quæ tangant: & dum prædicant, illud proferunt, quod prævidendo cognoverunt. Saul ergo ad collem Domini venit, quando electus & rudis prædicator spirituali scientia proficit, & Redemtorem humani generis non in plano humanitatis, sed in alta divinitatis ejus majestate cognoscit. Tunc quidem Prophetarum choros concinentes audit: quia omnes Scripturas, quæ de ipso sunt, perfecte intelligit. Qui igitur viros magnas foveas salientes vidit, qui hœdos, & tortas panis, & amphoram vini portantes aspexit, ad Dominum pervenit; quando is, qui per electorum exempla profecisse cognoscitur, ad culmen scientiæ sublimatur, & Redemtorem sublimiter sciens, ineffabiliter diligit, a quo quod item scire de eo appetit, quasi familiaris amicus possit.

Isaie 53. 3. *Ibidem v. 7.* *Psal. 95. 10.* *Psal. 67. v. 33. & 34.* *Joh. 11.*

18. Bene [a] subditur: *Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis.* Insilire spiritus Domini dicitur, quia electorum corda donis ejus subito replentur. Qui statim prophetare incipiunt: quia qui divino spiritu pleni sunt, Dei magnalia tacere non possunt. Vel prophetaturus asseritur, cui Samuel divini verbi gratiam pollicetur. Quod tale est, ac si dicat: qui modo in illa abundantia in te supervenientis spiritus loqui non potes, quando illa se tibi plenitudo infuderit, loquendi copia abundabis. Hunc quippe insilientem spiritum discipulis promittens Dominus, ait: *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* In eos quidem superveniens spiritus insiluit, quorum corda repente veniens, illustravit. Et illustrati prophetavere, quia Redemtorem humani generis omni lingua prædicaverunt. Quod certe in sancta Ecclesia etiam nunc fieri cernimus: quia sæpe qui divina loqui appetunt, ab eodem spiritu subito docentur, & loqui optime ea etiam possunt, quæ præmeditatione nulla didicere. Pro custodia quippe mandatorum Dei, percipiunt gratiam verbi in sublimi revelatione Redemtoris. Quid enim mirum, si lucem scientiæ percipere subito possunt, qui per vitæ puritatem sedes sancti Spiritus semper sunt? Sed quale esset sancti Spiritus donum, si scientiam daret, & affectum magnæ caritatis non daret? Qui enim illo spiritu replentur, cælestia prædicant, sed quæ loquuntur, amant. Apte ergo subjungit: *Et mutaberis in virum alium.* Amor electæ mentis quid est aliud, quam immutatio vetustatis? Natura enim nostra per lapsum primi hominis sic damnata est, ut quotidie labendo deficiat, & deficiendo veterascat. Sed qui in nobismetipsis deficimus, cum in nos ille spiritus insilit, renovamur: quia statim quod non eramus, efficimur. Tepidus erat quis, sed repente visitatus a spiritu, fervens efficitur. Incipit ardere per devotionem, fortiter exerceri in bono opere. In virum ergo alium mutatus est: quia esse cœpit, quod ante insilientem spiritum in se, esse non potuit. Jam bonæ conversationis est aliquis, cælestia amat, terrena despicit: sed pro iis, quæ sursum diligit, & pro iis, quæ odit in infimis, flere non prævalet. Sæpe vero flere appetit & non potest

Electorum corda sancti Spiritus donis replentur. *Joh. 16. 13.* *Act. 2. v. 4. & c. Spiritus sanctus in Christi discipulos effusus, in Ecclesia perseverat.* *Scientiam simul & caritatem infundit.* *Pias compunctionis lacrymas insufflat.*

[a] Vatic. & Gilol. bene itaque.

potest qui plura, quæ flere debeat, commisisse recolit: sed cum subito ille spiritus insilit, in lacrymarum fontes erumpit. In virum ergo alium mutatur, qui compunctionis gratiam per advenientem spiritum suscipit, quam ante adventum ejusdem spiritus non habebat. Puritatem cordis quis obtinere appetit, cælestia cogitare, nullis curarum secularium occursionibus impediri; sed ad id, quod per devotionem appetit, assurgere nequit per affectum puritatis. Repente autem raptus in virtute supervenientis spiritus esse carnalis desinit, potenter seculi curas abjicit, & in eternorum contemplationem mira puritate consurgit. Miratur se tunc esse, quod non erat; miratur se tunc non fuisse, quod est. Nam cum in spiritualibus talem se vidit, miratur qui talis est, quod talis fuisse non potuit. In virum ergo alium mutatur, qui illud, quod non fuit, se videt esse, & illud, quod fuerat, non esse. Bene ergo de Saul; *Mutaberis in virum alium*. Quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ cum gratiam divinæ prædicationis accipiunt, non accipiunt solam scientiam verbi, sed virtutem amoris; ut per verbum aliis prodesse valeant, & per verbi amorem ipsi meliores fiant. Quando etenim loquuntur, mutantur in virum alium; quia cum per eos spiritus loquitur, ipsi mira caritate eidem spiritui conjunguntur, & ab ejus voluntate jam nec verbo nec operatione dissentiunt. Talem namque virum sacra Scriptura collaudans, dicit: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*. Deo namque adhæremus, quando Spiritus sancti gratiam abundanter accipimus; & unus spiritus cum eo efficimur, quando divinæ voluntati mente, ore, & opere concordamus. Bene ergo Propheta Samuel subjunxit, dicens:

Cor mundum creat. — Sic carnalem hominem [illegible] mutat in virum alterum. — 1 Cor. 6. 17.

Quando enim venerint tibi omnia signa hæc, fac quodcumque invenit manus tua: quia Dominus tecum est.

Vers. 7.

19. Hæc quidem signa sunt in quibus se prædicator agnoscat, & tunc omne, quod disponit agere, audeat, cum certa experientia noverit; quia in magna caritatis abundantia virtutem suscipit Spiritus sancti. Sed docere ea debet prædicator, quæ agit, sicut de Domino Lucas dicit: *Quia cœpit Jesus facere & docere, usque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumtus est*. Hinc Paulus ait: *Non audeo loqui ea, quæ per me non effecit Deus, in obedientia Gentium verbo & factis*. Samuel itaque uncto regi præcipit, dicens: *Fac quodcumque invenit manus tua*. Quasi dicat: Cum te divina gratia plenum videris, doce alios quidquid facis; quia ex præsidente tibi eadem divina gratia habes & optime vivere, & utiliter prædicare. Sed tamen quid ante hæc omnia observare debeat subjungit, dicens:

Prædicator quæ docet, opere impleat. — Act. 1. v. 1. — Rom. 15. 18.

Et descendes ante me in Galgala. Ego quippe descendam ad te, ut offeras oblationem, & immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis me, donec veniam & ostendam tibi quæ facias.

Vers. 8.

20. Quid est, quod prius dicit: *Fac quodcumque invenit manus tua*, deinde subdit: *Septem diebus expectabis me, donec veniam, & ostendam tibi, quæ facias*. Sed qui signa perceperat, quibus se unctum regem a Domino sciret, probandus erat an ipsa signa cognosceret. Quod quidem magis spirituali, quam historicæ explanationi convenit. Nam venire in collem Domini, ad perfectam cognitionem & amorem Redemtoris pertinere diximus: prophetiæ dono repleri, ad virtutem Spiritus sancti. Dicit ergo; *Quando tibi omnia hæc signa venerint, fac quodcumque manus tua invenit*. Quia quisquis certus est de intima inspiratione sancti Spiritus, præsumere potest tam de proposito boni operis, quam de dispositione prædicationis. Dixit item: *Septem diebus exspectabis me, donec veniam; & ostendam tibi, quæ facias*. Quia summi Pastores sanctæ Ecclesiæ dum de minorum profectione dubitant, solliciti valde sunt, ut hanc in eis certis indiciis recognoscant. Quæ autem sunt indicia spiritus, nisi excellentia dona humilitatis? Sanctus enim Spiritus, quo majori luce virtutum electorum corda irradiat, eo & abundantiori dono humilitatis ditat. Quo enim celsiores sunt meritis, planiores sunt per virtutem humilitatis. Qui ergo ante Prophetam in Galgala descendere & expectare jubetur, ei nimirum pro cognoscenda humilitate, obedientiæ onus injungitur. Rectus quoque ordo electæ conversationis est, ut obedientiam non injungat aliis, quam ipse aliis impendere non curavit. Expectare ergo præcipitur, ut, an sit vere humilis, agnoscatur. Si ergo signum perfecti prædicatoris est repletio sancti Spiritus, & virtus humilitatis signum illius plenitudinis, quid in laude humilitatis dicitur, nisi quia ejus dona sunt signa signorum?

Indicia venientis Spiritus sancti, sunt humilitatis dona.

21. Sed quia immolaturus rex per Prophetam præire jubetur, ea, quæ dicuntur, melius cernimus, si ex ordine videantur. Galgala quidem interpretatur rota. Quid vero rota in isto loco significat, nisi vitam obedientium? Rota quidem volvendo graditur, & modo alta petit, modo inferiora. Sic nimirum vita obedientium, quia inferius agit quod sursum pertrahit, & sursum videt quod inferius exhibet, quasi ad alta sublevatur, & ad ima deponitur. Nam quod obedientes inferius agunt, sursum tollunt; quia quando prælatorum jussis obediunt, terrena sunt quæ operantur; sed de terrenis, quæ faciunt, superna præmia præstolantur. Item quod sursum habent, ad terram flectunt; quia ut bene terrena agant, cælestia contemplantur, & illud solummodo operantur, quod summæ illi felicitati convenire conspiciunt. Hanc profecto rotam flectere Moysi Dominus præcipiens, ait: *Omnia fac sicut ostensum est tibi in monte*. Qui enim in summis vidit, quod fecit in infimis; nimirum superiorem rotæ partem ad terram flexit. Inferiorem quoque partem ad superiora extulerat, qui dicebat: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*. In imo quidem stabat per humilitatem obedientiæ, dum regi perfido exprobraret; sed planitiem operis in sublimitate extulit divinæ contemplationis, ut velut currentem rotam optime volveret, dum in terreno opere, quid cæleste mereretur, aspiceret. Hæc profecto forma est electæ obedientiæ: ut in omni, quod foris agimus, ad potentiam Conditoris ubique præsentem respiciamus. Sic nimirum in subditione obedientiæ nostræ habere possumus & rectitudinem operis, & incrementa devotionis. Recti quidem tunc sumus opere; quia pro eo, quem cernimus, nos in labore obedientiæ exercemus. Devoti etiam sumus; quia ei nos placere credimus, quem inspectorem nostrorum laborum attendimus, & largitorem æternæ retributionis. Et quia majorum imperia perfecta humilitate observanda sunt, bene Saul dicitur: *Septem diebus expectabis*. Septenarius quippe numerus propter dona septiformis Spiritus est. Septem diebus doctores Ecclesiæ expectamus, quando per virtutem septiformis Spiritus, tantam intimæ devotionis claritatem suscipimus; ut eorum præcepta nullatenus negligamus.

Humilitatis argumentum sit obedientia majoribus exhibita. — Exod. 25. 40. — 3. Reg. 17. 1. — Perfectæ obedientiæ forma.

Quo

Quo in loco notandum est, quia non dixit: Septem diebus eris in Galgala, sed: *Septem diebus expectabis me, postquam descenderis ante me.* Ante prædicatorem descendimus, quando hoc agimus, quod ejus nobis judicio imperatur. Tunc quidem descendere dicimur: quia mentes nostras eorum imperio subjugamus. Septem vero diebus expectare, est bonum obedientiæ omni luce cordis implere. Quod tunc certe agimus, quando majorum mandata nec dura nec levia præterimus. Nullam quippe dierum ab hac luce vacantem Dominus esse volebat, quando dicebat: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Et quia perfecta obedientia, quam hominibus exhibemus, munus est Creatoris: qui septem diebus expectat, oblationem offerre dicitur, & pacificas victimas immolare. Oblatio quidem Domini est, quia hominibus pro Deo offertur, sed oblata hominibus a Deo suscipitur. Victimę sunt obsequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Ceteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt: quia dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur.

Matt. 5. 19

Insignis obedientium victoria.

22. Sed notandum est, quia Samuel ante se Saul in Galgala descendere pręcipit, sine se autem eum offerre oblationem & victimas noluit. Nam dixit: *Ego quidem descendam ad te ut offeras oblationem, & immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis me, donec veniam ad te, & ostendam tibi, quæ facias.* Quid est hoc, nisi quia ipsa bona nostra & ignorare sapienter, & scire aliquando utiliter debemus? Ignoranda quidem sunt, ne infirmis nobis elationem prębeant: sed a perfectioribus scienda sunt, ut per devotionem crescant. Unde & bene in Evangelio de Elisabeth prægnante dicitur: *Et occultabat se mensibus quinque.* Qui enim spirituales ac fortes esse nequeunt adhuc, per quinarium numerum designantur. Quę autem noviter concipit, quinque se mensibus celat: quia per sensus corporis bona agit: sed quia spiritualis ac fortis in hoc bono opere nondum est, ea, quæ agit, sapienter abscondit. Ille vero victimas Deo, ille oblationem offert, qui septem diebus expectans, venientem Prophetam recipit: quia tunc Deo dignum est quod impendit, cum impendens justus est virtute obedientiæ, & divinæ immensitatis consideratione timoratus: cum se aliud esse non credit, nisi quod majorum probatione cognoscit. Quasi enim, pręsente Propheta, offerimus, quando illa solummodo opera nostra digna esse divina susceptione credimus, quæ sanctorum prędicatorum judicio comprobantur. Et quia coram Propheta immolare dicitur, hoc profecto signat: quia * operibus nostris sapientibus atque spiritualibus viris credere debemus. Quia item septem diebus expectat Saul, prędicator sanctæ Ecclesię virtutem subjecti disponere sapienter debet; ut coram eo bona ejus non laudet, nisi quando laudis suæ contemnere favorem potest. Unde & eadem oblatio & victimæ Deo [a] offerri a Saul prædicuntur, & non sibi. Deo quippe victimas offert, qui de virtute, quam habet, interius non extollitur, sed omne, quod perficit, gratiæ tribuit Conditoris. Hoc etiam, quia doctorum magisterio discimus, bene Samuel sermonem concludens, ait: *& ostendam tibi quæ facias.* Expectanti quidem quę faciat, indicat: quando is, qui perfecte obedire cognoscitur, qualiter imperare aliis debeat, edocetur. Sed istud Saul adhuc non exhibetur, sed promittitur. Non enim mittitur ad immolandum, sed ad expectandum. Et quia Sanctorum collocutione proficimus, apte illatum est:

Bona quę agimus quando ignorare debemus.

Luc. 1. 24

Nulla Deus suscipit, nisi quæ a sanctis doctoribus comprobantur.

* Forte in operibus.

Quæ ratione laudanda sint.

Itaque, cum avertisset humerum suum, ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud. Vers. 9

23. Cor enim aliud immutatur, quando ad appetenda meliora dirigitur: cor enim immutatur, quando ad malum deducitur. In Saul autem, qui prius bonus, postea malus fuit, quomodo potius intelligi ad litteram debeat, non valde clarum est. Sed si pro profectu ejus dicitur, cor immutatum habebat: quia qui asinas quęsierat, jam de regni dispositione cogitabat. Si vero malum cor tunc recepisse cognoscitur, coram Propheta humilis fuit: sed ut cœpit discedere, pariter cœpit & superbire. In mente sua jam non esse parvulum, sed regem cogitabat. Adhuc non erat sublimis ordine, sed erat sublimis ęstimatione. Sed quia per hanc sacram historiam adhuc de ejus superbia aperte nihil dicitur, rectius nos quoque agimus, si interim, quod de eo sinistrum videri potest, reticemus. Quod vero adhuc manenti ejus innocentię suffragari potest, in sequentibus dicitur: *Quia filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit super Israel.* Si enim duobus annis humilis rex fuit, immutatum ei cor asseritur, pro vigore propositi, non pro novitate tumoris. In eo ergo, quod immutatum cor Saul habere dicitur, novis prędicatoribus sanctę Ecclesię similatur, qui cum ordinem prędicationis accipiunt, per divinam gratiam meliores fiunt. Samuel quippe Saul in principem unxit, Deus autem ei cor aliud immutavit: quia sacrorum ordinum sacramenta ab Ecclesię doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius roboramur. Virtus vero sacramenti gratia est Spiritus septiformis. Quam certe gratiam, qui accipiunt, quasi alio accepto corde immutantur: quia quos gratia sua sanctus Spiritus roborat, esse eos facit protinus, quod non erant. Sic nimirum & Redemtoris discipuli ante metuebant; sed ubi per adventum sancti Spiritus cor aliud eis immutatum est, verbum Dei cum fiducia prędicabant. Aliud quippe Deus cor eis immutavit, quibus linguarum omnium peritiam tribuit. Aliud quippe cor eis immutavit, quos mira caritate induit, & virtutum omnium splendoribus illustravit. Et notandum, quia tunc ei Deus cor aliud immutavit, quando, ut abiret a Propheta, humerum avertit. Quasi enim ut abeat, humerum avertit, quando is, qui prędicationis ordinem suscipit, id quod sibi de pastorali officio præcipitur, agere disponit. Disponit quidem, sed non prævalet, si Deus ei cor aliud non immutet: quia summus locus bene non regitur, nisi Rectoris mens divini muneris summa gratia repleatur. Hæc autem. quia ei in futuro promittitur, subjunctum est:

Diversæ cordis immutationes.

1. Reg. 13. 1

Ordinati ab Ecclesia ministri, intus a Deo sacramentorum virtute roborantur.

Act. 4. 13

Act. 2. 4

Summus locus nisi summa adsit gratia bene non regitur.

Et venerunt ei omnia signa hæc in die illa. Vers. 10

24. Doctrina etenim electi prędicatoris, quid est aliud, quam dies eruditi discipuli? Nam qui in die ambulat, videt & plana quę ambulet, & pręcipitia quę declinet. Sic nimirum, dum sanctorum prędicatorum doctrinis illuminamur, quod agendum & quod vitandum est patenter aspicimus. In illa ergo die qua Propheta prædicat, bonus auditor suæ electionis signa percipit, qui in se ea virtutum

Utrum qui ordinatur, a Deo sit unctus, quibus signis explorari possit.

a Gilot. offerre ... prædicuntur.

tum dona conspicit, quæ ante ei affutura suus prædicator ostendit. Signa quidem sunt: quia per hæc se a Deo electos intelligunt, qui ad prædicationis ordinem promoventur. Unctum ergo se aliquis ad Ecclesiæ principatum non teneat, qui dies illius signi adesse non viderit in virtute perfectionis. Primum ergo signum prius attiente conspiciat; videlicet si exemplo virorum salire jam magnas foveas sciat. Sequens etiam signum cognoscat si ad quercum Thabor tres viros obvios habuit, quos hœdos & panis tortas portare in Bethel ad domum Domini vidit; si panes duos de eorum manibus accepit. Tertium nihilominus videat, si ad collem Domini venit; si prophetantes cuneos aspexit; si in eum spiritus Domini insilivit, & in eorum medio prophetare jam possit. Et viros quidem salientes foveas vidit, si perfectorum exemplo omnia seculi confutare jam didicit. Ad quercum Thabor venit, si contemplativæ vitæ fortitudinem atque amœnitatem experiri jam novit. In qua & hœdos, & panis tortas, & vinum ad Dominum portantes aspexit: quia ab amatoribus vitę contemplativę jam didicit, & peccatorem se indesinenter agnoscere, & pro eisdem peccatis carnem affligere, & afflictionis suæ dolorem omnipotenti Deo gratanter offerre. Ad collem Domini venit, si ad revelatam intimam Redemtoris gloriam, aut Scripturarum sublimem intellectum proficiendo conscendit. Obvium gregem prophetarum habuit, si prædicatorum sanctæ Ecclesiæ concordem scientiam intellexit. In quorum medio insilientem in se spiritum Domini sensit, [a] in illa ineffabili suavitate
3 internæ experientiæ in se donum supervenientis divinitatis agnovit, & notæ gratiæ abundantiam loquendo effudit. Hæc quoties sancti prędicatores imperfectis nobis ostendunt, per doctrinam, qua nos illuminant, quasi clarissimum diem produnt. Et ista quidem omnia jam promoti prædicatores, exponentibus ordinatoribus, sciunt.

Qui ea in se sic non agnoscunt, ea vix videant.

25. Quia ergo diem signorum habent, salubriter attendant, si promissa signa jam videant. Nam qui mundi gloriam contemnere nondum didicit, primum signum audire promissum potuit, sed non vidit ostensum. Si contemplativæ vitæ robur, & dulcedinem nescit, sequentis signi bonum videre non meruit. Si altitudinem Scripturarum per intimæ eruditionis notitiam non conscendit, ad collem Domini nondum venit. Si supervenientis in se Spiritus sancti virtutem nondum habet, prophetare non potest. Sine illo etenim spiritu Pastor carnalis est, & quod loquitur, non ad dignitatem prędicationis referri potest, sed ad ausum temeritatis. Qua ergo formidine nos miseri terreri possumus? Ecce enim aliorum ducatum suscepimus, qui virtutem suscepti regiminis non habemus. Signa spiritualis prælationis audivimus, quæ in nobis per lucem experientiæ non videmus. Terrena concupiscimus, curis exterioribus occupamur, & tanto longius a cælesti contemplatione repellimur, quanto terrenorum actuum sollicitudine prægravamur. Hac quoque terrenæ vitæ mole depressi, quando illum splendorem intimæ gloriæ Redemtoris attingere, quando ad altissimos sanctarum Scripturarum sensus possumus pervenire? Sed & cęlestia, quæ nescimus, loqui quasi nota non possumus. Et qui per quietem amori internæ vitæ vacare nolumus, insilientem in nos spiritum Domini non sentimus. Nota ergo & non habita signa nos terreant: ut cum pro negligentię nostræ immensitate compungimur, virtutem suscepti ordinis per fletus & lamenta requiramus. Hinc Psalmista voce infirmorum deplorat, dicens: *Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta.* Nam Propheta est, cum jam dicta hæc prophetiæ signa ei adesse prævidentur. Si ergo ad culmen prælationis assumitur, non se teneat, quod est altitudine ordinis, sed quod est virtute perfectionis. Dicat ergo: *Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta.* Quasi dicat: Esse nunc Prophetam dicerem, si dona spiritus cernerem, quibus Prophetæ persona fulgere debet. Qui ergo suscepti ordinis pastoralis perfectionem audivit quam in se obtinere vivendo non meruit, idoneus sanctæ Ecclesię doctor non est. In primo igitur rege, Pastorum omnium sanctæ Ecclesiæ profectus ostenditur, dum dicitur: *Venerunt ei omnia signa hæc in die illa.* Et quia idem profectus electorum prædicatorum mirabilis est, sequitur:

Psal. 73. 9.

Non de culmine prælationis exsultatur.

Videntes autem eum, qui noverant eum heri & nudiustertius, quod esset cum Prophetis, & prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res est, quæ accidit filio Cis? Num Saul inter Prophetas?

Vers. 11.

26. Quid est, quod dicunt: *Quæ res est, quæ accidit*, nisi valde admirari, quod ab eis non poterat comprehendi? Hominem hominis filium noverant, Prophetis sociatum videbant: carnalem noverant, spiritualem videbant: simplicem noverant, Prophetam videbant. Dicunt ergo: *Quænam res accidit filio Cis?* Qui nosse quod fuerat, poterant: quod erat, qualiter esse posset, ignorabant. Hinc denique profectus spiritualis prædicatoris est, ut qui in communi vita aliquando notus est, in superiori ordine habeat, quod ignoretur. Tres quidem gradus perfectionis ostensi sunt, quia dicit: *Heri, & nudiustertius.* In duobus quidem diebus prædicator agnoscitur, in tertio habet quod etiam ii, qui noverant, non cognoscant. Primus namque dies auditoribus pertinet, secundus sodalibus, tertius est prædicationis. Primum namque diem Pastor habuit, quando prælatis suis [b] discipulus obedivit. Quasi enim in magna luce cernitur, qui in virtute obedientię devotus est. Secundum diem habuit, quando meliorum coadjutor esse jam cœpit. Ista quippe claritas magnę conversationis, in electorum exempla maximum diem facit. Hanc diem Dominus insinuans, ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Tertius vero dies insilientis spiritus est, & prophetiæ. In tertio quippe die Pastor aspicitur, quando sublimitatem dignitatis suę adæquat splendore conversationis, quando cælesti virtute indutus, ea vita eaque doctrina subditis lucet, ut videri ab eis possit, discuti, & judicari non possit. Talis quidem erat Moyses, quando lucidissimo vultu a monte descendit, cujus subditi fulgorem videbant, sed in fulgentem claritatem intendere visum non poterant. Talis erat, qui gloriabatur, dicens. *Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur, tamquam a Domini spiritu.* Tales utique erant, quos Spiritus sanctus repleverat. Unde & qui in Jerusalem convenerant, admirantes dicunt: *Nonne isti, qui loquuntur, Galilæi sunt?* Interrogabant quippe, ut scirent quod audiebant, & scire non poterant. Qui autem noverant Saul, de re quæ ei accidit, admirantes interrogant: quia eos aliquando in humiliori ordine sanctę Ecclesię humiles & despectos cernimus,

quos

Tot virtutis sancti Spiritus immutatos ceteri admirantur.

b

Matt. 5. 16.

Exod. 34. 35. & 2. Cor. 3. 7.

2. Cor. 3. 18.

Act. 2. 7.

a Vatic. & Gilot. si illa ineffabili suavitate, &c.

b In aliis editis legitur, *discipulis*, quod emendandum judicavimus.

quos dum sanctus Spiritus ad ordinem prædicationis assumit, gratiarum suarum splendoribus induit, & in eisdem splendoribus mirabiles ostendit. Sed bene Sanctorum virtutes admiramur, cum eas bonitati Conditoris adscribimus. Quare & Moyses Domino confitens, ait: *Quis similis tibi in diis, Domine, quis similis tibi gloriosus in Sanctis, mirabilis in majestate, faciens prodigia?* Hinc Psalmista dicit: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.* Bene subjungitur:

Exod. 15. 11 — Psal. 67. 36

Vers. 12. *Respondit alter ad alterum, dicens: Et quis pater eorum?*

In se quod a Deo sint geniti, comprobatur.

27. Quid est, quod hucusque de solo Saul dicebatur: *Quænam res accidit filio Cis?* Et nunc, quasi de multis respondetur: *Et quis pater eorum?* Sed si ad historiam intelligatur, stare nullo modo potest. Restat ergo, ut sensus qui litteræ demitur, in spirituali significatione requiratur. Cum ergo dicitur: *Quis pater eorum?* Non solum Saul prophetans attenditur, sed omnis ille cuneus Prophetarum. Qui nimirum Prophetæ omnes, quia valde spirituales erant, non ex carnali progenie, sed ex cælesti origine censebantur. Pater quidem Prophetarum ille est, qui per Malachiam exquirit, dicens: *Si Dominus sum, ubi est timor meus? Et si pater sum, ubi est amor meus?* Quia enim omnipotenti Deo in magna caritate conjuncti sunt, eius, quem quasi patrem diligunt, filii nominantur. Quod novæ Ecclesiæ prædicatoribus tanto decentius convenit, quanto ille eos in cælestem nobilitatem altius extulit, qui eis claritatem tanti generis in forma dederit orationis. *Sic*, inquit, *orabitis: Pater noster qui es in cælis.* Quod tale est, ac si dicat: Mirandi essent sancti prædicatores, si mira quæ agunt, sua virtute perficerent; nunc mirum non est quod cernitur; quia per eos ille hoc agit, cui aliquid difficile non videtur. Dicat ergo alter ad alterum: *Et quis pater eorum?* Quasi dicat: Quid mirum est, si mirabiliter doceant, cum non ipsi sint, qui loquuntur: sed spiritus patris eorum, qui loquitur in eis? Non ergo dicitur: *Quis pater ejus?* Ne, quod pluribus convenit filiis, unico conferatur. Solus etenim ille, qui natura filius est, dicere audet: *Pater meus usque modo operatur.* Et item: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam ut utriusque dignitatis differentiam promeret, Mariæ Magdalenæ loquitur, dicens: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.* Quoties ergo unus prædicator mirabili vita aut prædicatione clarus aspicitur, in superna generatione non solus, sed cum aliis innumeris videtur: quia omnipotens Deus, qui mirabilis in uno ostenditur, mirabiliorem valde hominum admirationem facit, cum innumerabiles attenduntur, qui id, quod in uno mirantur, habuerunt. Quod tamen ad detractionem carnalium referri convenienter potest: nam cum spiritualium virorum famam minuere tentant, eorum carnalia explorant quæ ad derogationem proferant. Et plerumque in sancta Ecclesia miram sanctitatis famam habent, qui secularem altitudinem nullam habent. Cum ergo carnales quique aut carnis originem aut paupertatem in eis reprehendunt, qui divina generatione jam magni & divites sunt, quasi subsannando de Prophetarum patre sciscitantur. Et quia pro re valde nova habent, quod parvi homines seculi tam magni videri possunt, subjungitur:

Malach. 1. 6 — Matt. 6. 9 — Johan. 6. 42 — Joh. 5. 17 — Psal. 2. 7

Longe perfectiori modo Christus Patrem habet Deum. Joh. 20. 17

A *Propterea versum est in proverbium: Num Saul inter Prophetas?* Ibidem.

28. Quod nimirum si oculis cordis [a] inspicerent, pro nova re non haberent. More etenim suo agit Spiritus sanctus, cum ad virtutum culmen pauperes, humiles, atque simplices erigit. Nam de eo scriptum est: *Qui ponit humiles in sublime, & mærentes erigit sospitate.* Hinc omnipotens Pater de eodem omnipotente suo Spiritu per Prophetam dicit: *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* Hinc Paulus ait: *Non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi elegit Deus, ut ea, quæ sunt,* B *destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Quod certe proverbium etiam electis adscribi potest. Non enim minor admiratio habita est de beato Paulo Apostolo, quando auditum est ab Ecclesia: quia ille evangelizaret, qui Ecclesiam minando & cædendo expugnare solebat, nunc prædicando defenderet. Tunc quidem ii, qui audiebant, dicere poterant: Num Saulus inter Apostolos? Numquid ille Jesum prædicat, qui Jesum persequi solebat? Sed hoc jam in electorum proverbium versum est. Proverbium quidem est, quando in eo, quod dicitur, aliud occultatur. Conversio autem beati Pauli Apostoli, facta est proverbium peccatoris. Audiat ergo unusquisque peccator beati Pauli conversionem, & non desperet C de criminum multitudine. Saulus enim spirans minarum & cædis in discipulos Domini, ubique electos affligebat, lapidantium protomartyrem Stephanum vestimenta servabat; & velut omnium manibus lapidabat, qui expeditos ad lapidandum omnes reddebat. Sed qui talis extitit Christum persequens, ad Christum conversus, caput effectus est Nationum: quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum. Dum ergo tam magnum peccatorem conversum, tam sublimi dignitate a Domino honoratum conspicimus, peccatorum nostrorum invenire nos posse remissionem præsumimus. Proverbium ergo nostrum id est, quod ad evangelizandum persecutor assumitur, quod hoc mysterium continet: quia conversus peccator non D solum sperare a Domino veniam, sed quod, viriliter certando, pertingere valeat ad coronam. Sed hoc distare inter carnales & spirituales prædicatores solet: quia carnales post alta verba prædicationis, ad ima descendunt pravi operis: spirituales vero post sublimia, quæ loquuntur, in altiora valde cælestis patriæ desideria se sustollunt. Unde & subditur:

Ad virtutum culmen provecti a Spiritu sancto pauperes, humiles & simplices. Job. 5. 11 — Isa. 66. 2 — 1. Cor. 1. v. 26. & — Conversio Pauli quantum miraculum. — Act. 9. v. 1. &c.

Vers. 13 *Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum.*

Prædicatori modo ascendendum, modo descendum.

29. Ad excelsum post prophetiæ ministerium venit, qui ad cælestia gaudia, quæ prædicat, mentem erigit: & ad ea amando se sublevat, quæ loquendo monstrat. Doctores quidem cum minoribus plana prædicant, cum eis quos docent, [b] quasi in plano sunt. Et quia post verba prædicationis ad E promerenda ea, quæ prædicant, se bonis operibus præparant, ad excelsum venire perhibentur. Qui certe sublimes verbo & opere sunt, cogitatione elationis non sunt. Magna quidem semper agunt, sed magni videri numquam appetunt. Bene ergo subjungitur:

Vers. 14. 15. & 16. *Dixit autem patruus Saul ad eum, et ad puerum ejus: Quo abistis? Qui responderunt: Quærere asinas, quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. Et dixit ei patruus suus: Indica mihi, quid dixerit*

a Gilot. recte inspicerent.

b Hæc desunt in Gussanv.

Samuel. Et ait Saul ad patruum suum: Indicavit nobis, quia inventæ sunt asinæ. Sermonem autem regni non indicavit ei, quem locutus ei Samuel fuerat.

Plura exemplo doceat, quam verbo.

30. Sermo regni est honorabilis dignitas pastoralis. Ipsa enim repræsentatione sua loquitur: quia patruus non est, qui tanto ordine sublimatur. Verbum ergo regni rex non indicat: quia Pastor Ecclesiæ magno divinitatis splendore loquitur, sed elatione non loquitur. Qui vero verbum non indicat, illud celat quod loquitur. Verbum enim semper loquitur, cui verbum est, alioquin verbum non est. Verbum ergo regni habet, qui a conversatione fulget, quæ exempla cœlestis itineris aliis quasi loquendo præbet. Verbum ergo non indicat, qui magnitudinem sanctitatis per vanam gloriam non revelat. Habet quidem quod indicet, sed quod per seipsum ostenditur, indicare non vult. Nam qui magna dignitate, magnaque sanctitate radiat, multa vivendo ostendit, quæ loquendo non dicit. Hoc profecto regni verbum habere Dominus prædicatorem voluit, quando in veste Pontificis tintinnabula poni mandavit. Vestis quidem Pontificia est ostensio bonæ conversationis. Quæ quasi tintinnabulis multis inseritur, quando opera bona multiplicat, quæ ad minorum exemplum clamant. Sed indicare rex regni verbum non audet: quia præceptum est sacerdotibus, ut coram Domino vestis decorem portent. Coram Domino quidem vestis decorem portat & qui bona ostendit, & de ostensione bonorum non hominibus per vanitatem foris, sed Deo intus per amorem placere appetit. Tunc certe sacerdos tacet, sed dum incedit, quod portat clamat: quia electus prædicator se jactando non indicat, sed bene vivendo loqui nequaquam cessat. Dicatur ergo de Saul, quia patruo suo sermonem regni non indicavit: quia electi viri, cum splendorem dignitatis, aut bonæ vitæ incrementa percipiunt, per exempla se proferunt, sed silentio occultant. Et quia aliis electis se esse meritis minores credunt, ille cui sermonem non indicat, ejus patruus esse dicitur. Patruus quippe dicitur frater patris. Redemtor autem generis humani quotquot fidei suæ & doctrinæ sacramentis instituit, ad immarcescibilem æternæ hereditatis gloriam tot filios facit. Qui enim instituuntur in Ecclesia, quasi parvuli adhuc filii sunt. Sed, qui magnis meritis ei jam in virum perfectum occurrit, frater est Redemtoris. Tales nimirum beatus Paulus Apostolus collaudans, ait: *Heredes Dei, coheredes Christi*: Quia ergo perfecti prædicatores electos alios perfectos tenent, & se imperfectos, patruus Saul dicitur, qui de regni sermone eum interrogasse perhibetur. Eumdem vero regni sermonem Saul Samuel dixerat: quia electi viri spiritualem conversationem, quam habent, majorum locutione didicerunt. Sed rex qui initiatus per unctionem fuerat, a populo adhuc electus non erat. Unde & sequitur:

Exod. 28. 34. — Rom. 8. 17.

Vocavit Samuel populum ad Dominum in Masphath.

Vers. 17.

Electorum Pastorum speculum est sacra Scriptura.

31. Masphath, ut dixi, speculatio interpretatur. In ordinatione autem regis populus in Masphath vocatur: quia qui ad ordinandum sanctæ Ecclesiæ Pastorem conveniunt, ejus spiritualia, non carnalia attendere docentur. Speculari quidem est, per formam sacræ Scripturæ ordinandum prædicatorem cognoscere. Nam electorum speculum sacra Scriptura est. Quasi enim per speculum noscitur Pastor, quando moribus talis ostenditur, qualis in sacro eloquio prædicatur. Bene igitur Samuel populum in Masphath convocat, ut electio boni antistitis non sit humano judicio, sed divino talis eligitur, qualis hominum arbitrio decerni potest, sed qualis in sacro eloquio declaratur. Quod quia divini muneris est, oportet ut populus, qui a Deo tam magna expectare cognoscitur, a reatu suo per pœnitentiæ satisfactionem purgetur. Ipsa autem cognitio peccati, est præparatio divini muneris: quia sæpe cum nos divino munere indignos credimus, id per humilitatem promeremur. Unde & Samuel eos, qui ad excipiendum regem convenerant, prius ad peccatorum suorum considerationem convertere satagit, quia subjunctum est:

Et ait Samuel ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, & erui vos de manu omnium regum, qui affligebant vos. Vos autem hodie projecistis Dominum Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis & tribulationibus vestris, & dixistis: Nequaquam, sed rex erit super vos.

Vers. 18. & 19.

Peccatoribus ostendenda cum accepta a Deo bona, tum mala in eum perpetrata.

32. Attente quidem ostendit eis & bona, quæ eis impendit Dominus, & mala, quæ Domino fecerunt ipsi: ut tanto gravius se deliquisse cognoscerent, quanto illum peccando offendere ausi sunt, a quo tanta bona perceperant. Quid vero sit abjicere Dominum, & qualiter secundum litteram & secundum spiritualem sensum intelligi debeat, superius late expositum est, ubi ad Samuelem Dominus ait: *Non te abjecerunt, sed me, juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de terra Ægypti*. Sed quia sancti prædicatores eos, quos arguendo compungunt, docendo instruunt, subintulit, dicens:

Supra in exposit. Vers. 7. Cap. 8.

Nunc ergo state coram Domino per tribus, & familias vestras.

Vers. 19.

Coram Deo stare quid sit.

33. Coram Domino quidem stare præcipimur, quando majorum præcepto corda nostra ad scienda ejus mandata præparamus. Vel coram Domino stant electi, quando a summis viris in spiritualibus virtutibus considerantur: ut qui melior in eis aspicitur, per pastoralem curam ceteris præferatur. Et quia plures sunt fidelium ordines, per tribus & familias stare coram Domino jubentur. Quod profecto latius exequens, subdit, dicens:

Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors super tribum Benjamin, et applicuit tribum Benjamin et cognationes ejus, et cecidit cognatio Metri, et pervenit usque ad filium Cis.

Vers. 20. & 21.

Quam maturo consilio deligendi sint Ecclesiæ principes.

34. Stare omnes per tribus, & familias fecit; ut omnes consideraret, & consideratis omnibus utiliorem eligeret. Sed quia ipse jam, Domino revelante, regem cognoverat; eumque ipso præcipiente, in principem unxerat: quid est, quod adhuc * eligendum per tribus & familias quærit? sed inventus rex a solo Propheta erat. Inventus ergo quæritur, ut non inventus a populo, inveniatur. Sorte etiam quæritur; ut eum, quem Propheta eligeret, dispensatione divina [a] provisum populus non posset dubitare. Quid ergo in hoc facto signatur, nisi quia sancti principes multa consideratione eligendi sunt? Summi etenim prædicatores, ex interna gratia sancti Spiritus, quam habent, magno providentiæ lumine pleni sunt. Et quia valde sunt humiles, de internæ illuminationis suæ magnitudine non præsumunt. Quare & ea, quæ apud se bene ordinant, coram aliis probant. Solus enim Propheta

* Forte, eligendus.

[a] Vatic. & Gilot. provisus populus non esset dubitaturus.

pheta regem futurum noscit, quando summus sanctæ Ecclesiæ Rector personam ordinandi Rectoris, & merita conspicit. Quem etiam in principem ungit, quando eum donis spiritualibus plenum asserit. Tamen adhuc populum convocat, per tribus & cognationes dividit, sortes ponit, & eum, quem novit, quasi per artem invenit. Tribus quidem & familiæ quasi divisæ stant, quando in statu virtutum diversi sanctæ Ecclesiæ ordines attenduntur. Nam cum perfectiones electorum plures intuemur, cum candorem virginum, cum robur continentium, cum honesta ministeria clericorum, cum monachorum sollicitudinem videmus, velut stantes tribus attendimus. Et quia in Dei servitio horum multa varietas est, dum ea quæ sunt in singulis ordinibus, item varietates aspicimus, quasi stantes non solum tribus, sed etiam cognationes videmus. Et sors super tribum cadit: quia meliores viri sæpe in uno ordine, quam in alio inveniuntur. Nam velut sortem tribus accipit, quando ii, qui perfectiores sunt aliis, convenire videntur ministerio prædicationis. Sed non super personam adhuc, sed super tribum sors cadit, quando plures sunt, in quibus persona digna reconditur. Adhuc itaque summis viris remanet, quod inquirant. Bene ergo sors super tribum Benjamin cecidisse dicitur: Samuel autem ipsam tribum & ejus cognationes applicuisse, & ad Cis filium pervenisse: quia electi & summi viri sanctæ Ecclesiæ considerare virtutes singulorum non desinunt, donec ad eum veniant, qui ministerii pastoralis sorte dignus inveniatur. Sed qui digni sunt, onus tanti ordinis suscipere vehementer expavescunt. Unde & sequitur:

Vers. 21. & 22. *Quæsierunt ergo eum, & non invenerunt: & consuluerunt pro eo Dominum, utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus: Ecce absconditus est domi.*

Etiam Deo auctore electi dignitatem hanc fugiunt.

35. Abscondunt quippe se, ne inveniantur: quia subire dignitatem refugiunt, cujus oneri se esse impares arbitrantur. Habet quippe spiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis, habet & interioris magnitudinem operis. Nam Rector & honoratur a subditis, & portat eos a quibus honoratur.

Ex honore onus.

Cum honoris ergo principio causa nascitur oneris: quia unde honor a Rectore excipitur, inde illud suscipit quo gravetur. Quamquam ipse honor dignitatis per seipsum magnum sit onus mentis: quia contemni debet, & placet. Contemni quidem debet, ne mentem per superbiam elevet: & suscipi debet, ut cælestia, quæ doctor loquitur, subjecti venerentur. Gravius ergo onus de honore nascitur: quia electus Pastor magna animi virtute ferre potest, ut despiciat illud in se, quod pro Deo recipit in se: ut videlicet talis pro Deo sit, sed sibi talis non sit, & semetipsum abneget, & non abneget: ut sit quod est pro Deo, & quod est pro semetipso, non sit. Honor itaque oblatus a subjecto suscipitur, ut prædicatio commendetur. Honorem quoque oblatum prædicator despicit: quia non extolitur, quod honoratur: sed gaudet, quod verbi Dei ministerium commendetur. Hoc autem quam difficile agatur, cogitando melius, quam loquendo comprehenditur. Nam infirmis mentibus impossibile est onus aliorum fortiter ferre, & oblati honoris reverentiam mentis virtute disponere: ut inter ejusdem honoris obsequia, de profectu subditorum gaudere sciat, & pro reverentia sua tumere nesciat. Quia ergo electi viri displicere Deo nolunt, prælationis officium suscipere vocati refugiunt. Sed & eamdem fugam ministerii ad virtutem humilitatis habent, non adjactantiam dignitatis. Nam quantum possunt, fugiunt: sed si a Domino provisi sunt, delitescere nequaquam possunt. Quare & idem Saul domi absconditur, sed Domino pandente, monstratur: quia electi viri exterioribus se sanctæ Ecclesiæ ministeriis subtrahunt, sed tamen ad exteriora ministeria disponenda, Domino dispensante, producuntur. Quia vero nunc in sancta Ecclesia, qui se subtrahant tantis honoribus, pauci sunt; qui se ingerant, multi; notare, qui se ingerunt, debent: quia is, qui a Propheta domi absconditus dicitur, non ad spiritualem Ecclesiæ dignitatem, sed ad secularem regni gloriam quærebatur. Non enim in pontificem hunc quærebant, sed regem facere volebant. Videat ergo sacerdos, qua mente fugiendum sit culmen sanctæ Ecclesiæ, si culmen seculi conscendere, tam caute reges fugere. Sed quia sancti viri, quo instantius sucipere ordinem prælationis refugiunt, a devotis plebibus devotius requiruntur, sequitur:

Concurrerunt, & tulerunt eum inde. Vers. 23.

Post hæc etiam subditur:

Stetitque in medio populi. Ibidem.

36. In medio populi stat prælatus, quando ab universis subditis ejus fortitudo conspicitur. Stare namque virtutis est. Qui ergo bona operatur, instanter stat. Et quia eadem bona opera exemplum minoribus præstant, in medio populi stare non in solitudine cernitur. Quod etiam pro rectitudine intentionis dictum esse, convenienter accipitur. Qui enim stat rectitudine corporis, caput in sublime tollit. Qui vero bona publice agit, non stat fortitudine operis, si rectitudinem non habet intentionis? In medio ergo populi stare rex dicitur, ut Prelatorum sanctæ Ecclesiæ forma monstretur: quia ad exemplum subditorum bona opera debent ostendere; sed de eodem bono opere suscipere mundi gloriam devitare. Sed & quantus apperere debeat, subdit, atque ait:

Prælati fortitudo universis in [illegible] nota fit.

Et altior erat omni populo ab humero & sursum. Ibidem. * Lib. 4. c. 4. num. 10.

37. Late supra * ostendimus, quod excellens magnitudo corporis in sanctis prædicatoribus designet augmentum perfectionis. In medio ergo populi sublimis aspicitur, qui in virtutum culmine positus, a subditis non nescitur. Rectus quidem ordo electi prædicatoris est, ut ante sublimitatem ecclesiastici culminis, culmen conscendat virtutis, pro honore Dei culmen obtineat gloriæ, sed majori sublimitate fulgeat, [a] revelata virtutum perfectione. Talis quidem Pastor a perfectis viris valde prædicandus est, a minoribus cupiendus atque diligendus. Bene ergo subjunctum est: *Et ait ad omnem populum: Certe videtis, quem elegit Dominus, quod non sit ei similis in omni populo.*

Virtute cunctis antecellat.

Et clamavit cunctus populus: Vivat rex. Vers. 24.

Sequitur:

Locutus est Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & posuit coram Domino. Vers. 25.

38. De jure * regio, quia late superius diximus, hoc tantum de illo memoramus: quia ad historiam non præcipitur, sed ostenditur, quid acturi sint reges reprobi, quid vitaturi sint boni. A regibus quidem defendendi sunt subditi, non bonis propriis spoliandi. Auxilium præstare subjectis debent, agros, vineas, & oliveta auferre non debent. Quod si non vitanda, sed agenda scripta hæc contendere

Per jus regium a Samuele promulgatum quid significetur. * Lib. 4. c. 4. n. 4. & seq.

quis

a Vatic. & Gilot. addunt in.

quis voluerit, tyrannorum jus pro eo rege scribitur, qui, abjecto Domino, postulatur. Crudelis ergo lex regni, ultio est Dominum abjicientis populi. Non enim injustum erat, ut agros, & vineas perderet, qui regnantem super se Dominum sponte perdebat. Cuncta ergo, quę contra æquitatem in hoc jure regio continentur, æqua esse cernimus: si in petendo rege quidquid populus deliquerat, consideramus. Nam quod magnum in divinę ęquitatis examine onus legis est, si filios & filias in regis opere inviti ponerent, quos a Dei libertate sponte tulissent? Et quid inconveniens esse cernitur, si quod ad ultimum ponitur, ipsi fierent servi hominum, qui abjiciebant super se regnantem Deum? Dum ergo regni lex scribitur, perpetuæ memoriæ pęna B traditur, qua audaces puniantur: quæ quia per Domini justitiam lata fuerat, coram Domino reponi perhibetur. Sed fortasse jus illud aliud fuit, quam lex ista, quę scribitur. Quod si verum est, hanc Samuel coram rege ad populum loquitur, ut rex sciat a populo quid exquirat: sciat populus quid exhibere suis regibus debeat. Quæ lex in libro scribitur, ut pro futurorum memoria reservetur. Coram Domino ponitur, ut venerabilis habeatur. Nos autem reges Ecclesiarum esse sanctos prædicatores diximus, quibus aperte omnia convenire ostendimus, quæ jure regio continentur. Hanc ergo legem Samuel ad populum loquitur, quando electus doctor fideles C sanctæ Ecclesię instruit, qua humilitate suis prępositis debeant subjugari. In libro etiam scribitur, quando in eorum mente hęc firmiter inserit. Nam qui sic loquitur, ut audita auditores ejus obliviscantur, ad populum legem dicit, sed hanc in libro non scribit. Verba ergo, quę doctor loquitur, in libro scribere, est auditorum suorum mentibus attente commendare. Quasi scribere volebat Dominus, quę dixerat, quando dicebat:

Joh. 20, 15. 20 *Memento sermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est servus major Domino suo.* Hinc Paulus locutam re-

Heb. 13. 7 gni legem in libro describens, ait: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Si vero & hic aliam legem quis esse pręsignatam accipere voluerit, illam aspiciat, quam D

1. Cor. 9. 14. beatus Paulus ostendit, dicens: *Qui evangelium annuntiat, de evangelio vivat: & qui altario servit, de altario vivat.* Hanc quippe legem regni Dominus loquebatur ad populum, quando dicebat:

Matth. 10. 41 *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Et ut arctius hanc in libro describeret, a minori verbum roborans, ait:

Marc. 9. 40 *Qui dederit uni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Sequitur:

Vers. 25. 26. & 27. *Dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. Sed Saul abiit in domum suam in Gabaa, & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigit Deus corda. Filii vero Belial dixerunt: Numquid salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum.* E

Pastores libere ad subditos exeant, & ad mentis secretum redeant.

39. Si simplex historia quæritur, quid umquam planius dici potuit? Sed si vim verborum singulorum attendimus, magna sunt quæ in hac simplicitate verborum clauduntur. Nam populus in domum suam dimissus asseritur, rex autem in domum non esse dimissus, sed abiisse perhibetur. Separatim quoque de domibus populi, & de domo regis dicitur: quia populus refertur dimissus in domum suam, & rex abiisse in suam. Prius tamen populus

A dimissus est, quam abiit rex. De abeunte etiam populo caute signatur, & non simul, sed singuli abiisse in domum suam referuntur. De his vero, qui regem secuti sunt, non dicitur: Abiit pars exercitus, singuli post regem: sed: *Abiit cum eo pars exercitus.* Ad extremum vero qui regem sequuntur, eorum corda a Deo tacta referuntur: qui regem spernunt, Belial filii nominantur. Hic profecto modus dicendi non simplex, sed valde ei subtilis est, qui considerare novit, non quod simpliciter foris sonat, sed quod sapienter intus insinuat. Quid est ergo, quod rex in domum suam abire, populus vero dimitti dicitur? Sed regem, Ecclesiæ Pastorem; populos, subjectos designare ostendimus. Ire autem, B liberi est: dimitti, ejus qui retineri potest. Rex ergo abire dicitur, ut in persona prædicatoris libertas animi prędicetur. Abire quippe doctores possunt, cum volunt, & redire: quia fortes sunt in bono opere, sapientes in interna dispositione. Veniunt quippe, quando ad subditos exeunt, aut exemplo boni operis, aut verbo prædicationis. Abeunt autem, quando ad mentis secretum redeunt, & quod foris acturi sunt, intus disponunt. In qua nimirum consideratione, quia quotidie permanent, quasi intra domum latent. Abire ergo in domum suam rex dicitur: quia prædicator æternæ vitæ operatione probatus, sapientiæ doctrina securus, liber ad opera potest egredi, & ad consilia mentis intrare.

40. Populus autem in domum suam dimitti- C tur: quia fideles subjecti non sunt liberi ad disponenda quæ volunt, sed ad ea quæ jubentur. Quasi tenti quidem dimittuntur, dum jussa præcipiuntur agere: pręsumere non jussa, devitare. Et quia ad opera diversa mittuntur, in suam domum eorum unusquisque dimittitur. Ut enim ea, quæ nobis pręcipiunt, bene perficiamus, priusquam appareamus in opere, intus recondimur in interna consideratione. Reges ergo nostri nos singulos in domum nostram dimittunt: quia ad ea quę nobis injungunt, nos per secretam mentis dispositionem ire pręcipiunt. Bene quidem ipsi præcipiunt, sed si operationi nostræ modum negligimus prævidere, quæ bene præcepta sunt, inconsulta mente dissipamus. Singuli ergo in domum suam redeunt, quando unusquisque D fidelis subditus opus obedientiæ, quod proponit, consilio mentis disponendo prævenit. Quia vero, electo rege, in domum suam ante populus dimissus, quam rex abiisse asseritur, potest in hoc aliud designari. Qui enim regem excipiunt, in domum suam vadunt, quando se unusquisque subjectus considerando præparat, ut ei, quem præesse sibi petiit, fidelem obedientiam impendat. In hoc ergo loco non est imperata considerare, sed imperandis infima se dispositione substernere. Regi quoque in domum suam abire, est, ut discrete paratis imperet, considerare. Alia ergo est domus regis, alia populi subjecti: quia alta illi mente subditorum itinera disponenda considerant, isti prelatorum imperia exequi per intimi propositi robur parant. Unde & E domus regis in Gabaa sita perhibetur. Gabaa quippe sublimis dicitur. Domus ergo regis in Gabaa esse ostenditur: quia electus doctor non ima & terrena cogitando incolere, sed alta & cælestia meditari student. Unde & bene pars exercitus cum eo ire in Gabaa dicitur: quia hi, qui contra diabolum fortes sunt, electum Pastorem suum ad virtutum alta prosequuntur. Pars ergo exercitus ire cum rege dicitur: quia in sancta Ecclesia plerique fideles sunt, qui prælatis suis humiliter obedire sciunt, alta

Nihil etiam Palatum arbitrium agere licet.

Quæ imperantur minime consideranda.

cogi-

Plurimi sciunt imperata perficere, non autem aliis imperanda prævidere. Coloss. 4. 10.

cogitare nesciunt. Sciunt quidem imperata perficere, nesciunt aliis imperanda prævidere. Quasi enim hujus partis milites commemorabat Paulus, cum Colossensibus scriberet, dicens: *Salutat vos Aristarcus concaptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, & Johannes qui dicitur Justus, qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adjutores mei in regno Dei.* Item Romanos alloquens, ait: *Salutate Priscam & Aquilam adjutores meos.* Et post pauca: *Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucas, & Jason.* Adjutores quippe suos discipulos vocavit, quia ordine minores erant, sed laboris participes: obedientiæ humilitate Apostolo subjecti erant: sed dum cum eo æterni regni gloriam prædicarent, cum eo pariter veritatem defenderent, infidelibus obsisterent, illatas persecutiones fortiter sustinerent, quasi in bello Dei milites regis erant. Cum rege in Gabaa pars exercitus ire dicitur: quia perfecti discipuli in alta dispositione sanctæ Ecclesiæ magistrorum suorum coadjutores sunt; auxilia, quæ possunt, per altitudinem virtutis ferunt, sed eis, quos adjuvant, per humilitatem serviunt.

Rom 16. 3.

Ibidem v. 21.

Hi tamen Pastorum adjutores sunt.

Qui Christi milites fiant.

24. Et quia hoc nonnisi illi possunt, qui Spiritus sancti gratia præventi sunt, cum pars exercitus ire cum rege dicitur, subjungitur. *Quorum Deus tetigit corda.* Quia enim digito tangere solemus, Deus corda Sanctorum tangit, quando eis Spiritus sancti gratiam tribuit. Et ejus tactum sentiunt; quia, recepto internæ virtutis munere, a carnalitatis suæ debilitate commoventur. Qui protinus cælestis exercitus milites fiunt; quia per virtutem sancti Spiritus infirma deserunt, & ad agenda fortia in Christi bello præparantur. Quia vero intra sanctam Ecclesiam quidam prælatos suos despicere non verentur, audiant; quia qui regem despiciunt, Belial filii dicuntur. Per superbiæ quidem vitium in illius imitatione generantur, de quo scriptum est, *Omne sublime videt, & ipse est caput super omnes filios superbiæ.* Qui apte superborum mores insinuant, quia dicunt: *Numquid iste salvare nos poterit?* Sancti etenim viri, quia præsentia despiciunt, æterna inquirunt; contemtum mundi, quem in mente retinent, proferunt etiam in exteriori conversatione; intus venerabiles sunt, foris despicabiles videntur. Superbi ergo, quia illud solum, quod in Sanctis foris despici potest, aspiciunt; illud vero, quod valde venerandum est, cernere non merentur, dicunt: *Numquid iste salvare nos poterit?* Quasi despiciendo interrogent: A tam parvo tam grandia speranda sunt? Iste tam parvus, nos tam magnos; tam debilis, tam fortes salvare posse credendus est? Nam quid est aliud, quod dicunt: *Iste & nos,* nisi quod superbi & arrogantes inspicientes alios,

Qui prælatos despiciunt, filii sunt Belial.

Job. 41. 25.

A semper parvos & debiles esse credunt; se autem magnos, fortes, atque sapientes? Merito igitur Belial filii dicuntur, quia dum superbiendo se extollunt, illi se conformant, qui eodem modo cecidisse de cælo dicitur. De quibus etiam regem despicientibus dicitur:

Et non attulere ei munera.

Ibidem v.

Quæ munera Pastoribus nostris offerenda.

42. Si ad litteram ista discutimus, hoc profecto insinuant: quia & terrarum domini, & spirituales sanctæ Ecclesiæ prælati exterioribus officiis honorandi sunt. Unde & beatus Paulus Apostolus elatos Romanos alloquitur, dicens: *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum: cui*

B *vectigal, vectigal.* Hinc Apostolorum princeps exhortans, ait: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tamquam præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.* Spiritualia vero munera Rectoribus nostris tribuimus quando debitam eis honoris reverentiam offerimus, & ea, quæ præcipiunt, cum magna devotione servamus. Magna enim munera sunt reverentia honoris, & humilitas subjectionis: quia dum Rectoribus nostris, & intus per humilitatem subdimur, & per exteriora obsequia foris honoris reverentiam exhibemus, munus eis unum præbemus a corpore, aliud a corde. Ut ergo superborum typum insinuet

Rom 13. 7.

1. Petr. 2. 13.

C Propheta, non dicit: *Non attulere ei munus;* sed, *non attulere ei munera;* quia dum electos prædicatores despiciunt, eis utique honorem a corpore offerre dedignantur, & humilitatem a corde. Sed cum electi prædicatores subditorum culpam agnoscunt, aliquando eam statim corrigere increpando gestiunt, aliquando hanc se nosse dissimulant; ut ad eam delendam congruum tempus quærant. Unde & de eodem despecto rege protinus subditur:

Ille vero dissimulabat se audire.

Ibidem.

Ecclesiasticæ censuræ discretio.

43. Subditorum quidem pravitatem audit, qui

D noscit; sed audit, & non respondet, immo se audire dissimulat; quia plerumque, causa exigente, nota subditorum superbia incorrepta deseritur, ut opportuniori tempore, quasi cognita, feriatur. Quam profecto Ecclesiasticæ censuræ discretionem bene in hoc ipso Israelis rege agnoscimus, si regni tempora, & acta diversa videamus. Nam rudis adhuc, & noviter ordinatus dissimulare se audire despicientium verba dicitur, sed confirmato regno super Israel ad dexteram & sinistram pugnare, & quocumque se vertebat, superare perhibetur. Culpa ergo, quæ feriri digna severitate non potest, dissimulanda non exponenda est: quia audacius a

E subjectis delinquitur, si prælatorum infirmitas agnoscatur. Hæc in quarto hujus operis libro disputata sufficiant, ut per loquendi principium ad exponenda, quæ restant, studium renovemus.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Plana proferendo Prophetæ, alta significant.

1. CUm sacræ hujus historiæ profunditatem asserere in istius operis Præfatione voluissem, in eo potissimum videri posse asserui, quod scripta fuerit a Prophetis. Ipsi quidem mystica dicere, non solum verbis, sed etiam rebus consueverant: plana proferre, sed alta signare. Quia enim per eos Spiritus sanctus loquebatur, & planum erat, quod ipsi, velut homines dicebant; sed profundum, & mysticum; quia locutionem hominibus summus & incircumscriptus Spiritus suggerebat. Quia ergo Prophetam Samuelem loquentem exponimus, tanto majori studio indigemus, quanto ipse in Spiritus sancti gratia sublimiter assumtus, exteriora dixit, sed interiora vidit. Carnalia plerumque asseruit: sed intima & spiritualia signavit. Sed quia humano studio ad divina pervenire impossibile est, non est nobis

nobis confidendum de viribus propriis, sed de dignatione Spiritus sancti qui a Redemtore missus, *Replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, in omnibus jam scientiam habet vocis*. Quid ergo jam idem Propheta de inceptis Israalitarum gestis exequatur, audiamus.

Sap 1. 7.

Et factum est (inquit) *quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare cœpit adversus Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel.*

Lib 1. Reg. Cap 11. Vers. 1. & 2.

2. Si historia quæritur, nihil planius dici, nihil facilius potest intelligi. Si vero spiritum sequi volumus, Paulum prius loquentem audiamus, qui vetera intuens; ait: *Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum devenerunt*. Esse etiam spiritualia bella insinuat, dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem; sed adversus principes, et potestates, adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus*. Cum ergo Naas ascendere, & pugnare contra Jabes Galaad dicitur, interiora vitiorum prælia designantur. Quibus nimirum verbis sacræ historiæ processus ostenditur, ut novo regi nova bella moverentur: quæ dum bene confeceret, strenuitatis suæ gloriam demonstraret. Quis est ergo iste Naas Ammonites? quæ est Jabes Galaad? Sed Naas interpretatur, serpens; Jabes exsiccata. De serpente autem in Genesi dicitur: *Quia callidior erat cunctis animantibus*. Cujus profecto serpentis similitudo si in viris quæritur, quid similius, quam violentum gastrimargiæ, idest gulæ motum invenimus? Luxuriæ quidem motus, furti crimen, turpis lucri appetitus, iræ impetus, amaritudo secularis tristitiæ, desidia acediæ, appetitus vanæ gloriæ, tumor superbiæ aperte detestabilis est: gulæ vero vitium tanto est fraudulentius, quanto & occultius: quia & quasi necessarium suggerit cibum corpori, sed dum abundanter carnem reficit, luxuriæ gladium in mentem mergit. Suadet quod peccatum non est; sed unde comestio quasi non peccatum recipitur, inde peccato luxuriæ anima subjugatur. Unde & in paradiso ad mulierem gulæ vitio decipiendam, serpens venisse ostenditur, qui aliud suggereret, aliud obtineret; ut dum comedenda ostenderet, improvisam morrem propinaret. Serpens ergo iste gulæ designat aviditatem: quia & respectu justæ necessitatis repit, & virus impiæ delectatinnis spargit. Bene etiam Ammonites dicitur, qui populus mœroris, interpretatur: quia lætum videtur quod suadet, sed valde luctuosum erit in æterna damnatione. Populus autem dicitur: quia gulosi quique pro sollicitudine ventris innumerabilium curarum frequentia deprimuntur. Qui ad Jabes Galaad ascendit: quia in alta abstinentiæ virtute posita justorum corpora ad ciborum concupiscentiam præcipitare appetit. Exsiccata quidem recte caro dicitur, quæ humore pinguedinis non gravatur. Ad eos quidem Naas ascendit, quos exsiccatos videt: quia illis graviora bella gulæ spiritus ingerit, quos attenuatos jejuniis agnoscit. Bene autem pugnare cœpisse Naas dicitur: quia sancti viri gulæ suggestionem non habent in fœdere amicitiæ, sed in pugnæ contrarietatem. Abstinentes enim, quasi cum serpente pugnant, quando gulæ appetitum magna virtute deprimunt, ne veneno luxuriæ non inficiantur. Pugnare quidem gulæ, est esurientia abstinentium corpora ad inordinatam ventris repletionem provocare.

Maxime pugna nostra cum vitiis & humani generis hoste
2. Cor. 10. 11.
Eph. 6. 12.
Gen. 3. 1.
A vitio gulæ ceterum tempedum sit.
Gen. 3.
Justæ necessitatis simulatione irrepit.

3. Sed perfectos viros gulæ appetitus tentare potest, superare non potest. Bene ergo pugnare cœpisse contra exsiccatam dicitur, non vicisse: quia electi viri desideriorum carnalium impetum sentiunt, sed eisdem desideriis sciunt virtute mentis obsistere, sciunt necessaria per discretionem providere. Sciunt quidem gulæ impetum ferociter insurgentem deprimere, sciunt necessitati corporis alimenta justa præstare. Hinc namque Doctor egregius dicit: *Scio manducare, & esurire*. Manducare quidem & esurire novit, qui & corpus moderate reficit, & ad immoderatam ciborum perceptionem suggerenti gulæ vitio non consentit. Quare & ad Naas respondentes, dicunt: *Habeto nos fœderatos, & serviemus tibi*. Fœdus quippe a gula petunt, qui vellent carnem pro voto reficere, si in carne nulla possent incitamenta sentire luxuriæ. Quasi dicant: Nos dabimus quod tibi justum est, ut tu nobis non inferas quod justum non est. Justum quidem est ut reficiatur corpus: sed iniquum valde est ut refecta caro per ardorem libidinis ad contumeliam spiritus excitetur. Fœdus ergo expetimus, cum sic favere carni ad ciborum perceptionem volumus, ut a carne nulla luxuriæ mala sentiamus. Sed hoc profecto velle possumus, obtinere non possumus: quia nimirum nos justam refectionem quasi tributum carni offerimus, sed a carne nobis nulla pacis bona promittuntur. Nam cum auditum mentis ad vitiorum responsa bene dirigimus, hoc profecto in gulæ voce cognoscimus: quia si carnem impinguemus per excrescentem concupiscentiam, cordis cæcitate percutimur. Quare & idem Naas dicit: *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros*. Dexter oculus noster est intuitus æternæ claritatis; sinister vero oculus, est concupiscentia carnalis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, ut ultra ad videnda cælestia non aperiatur. Eruitur quidem oculus, quando a mente reproba sic lumen evellitur, ut radix ei nulla remaneat, de qua redivivum lumen erumpat. Naas ergo dextros oculos fœderatorum suorum eruit, quando gula sic devictis abstinentibus prævalet, ut carnalia sola cupiant, & ultra, quæ solebant amare, non attendant. Et quia quisquis in hac vita projicitur, in futura coram Angelis & electis hominibus condemnatur, subjungitur: *Ponamque vos opprobrium in universo Israel*. Tunc quippe reprobi in universo Israel opprobrium ponuntur, quando in extremo examine, coram electis omnibus de perpetratis iniquitatibus erubescunt. Vel in opprobrium in hac vita ponuntur: quia, dum ipsi obcæcato corde mala audacter perpetrant, sancti viri pro eorum culpia erubescunt. Sed qui turpes videri, avulsis dextris oculis, dedignantur, attendant quod sequitur:

A perfectis viris quamvis aliquando gulæ [illegible]
Phil. 4. 12.
Hoc vitio, dexter oculus quo superna intuemur, eruitur.
Reproborum opprobrium.

Et dixerunt ad eum habitatores Jabes: Concede nobis septem dies, ut mittamus nuncios ad terminos Israel: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.

Vers. 3.

4. Qui sunt habitatores Jabes, idest exsiccatæ, nisi qui castigationem extenuatæ carnis in longo habent usu virtutis? Nam plerique resistere gulæ incipiunt, sed dum fatigari abstinentiæ labore inchoant, ad usum se consuetæ gulositatis inclinant. Velut enim urbem Jabes ingredi, & effici ejus cives appetunt: sed dum exsiccatæ, & esurientis carnis cruciatum non perferunt, fieri ejus habitatores nequaquam possunt. Jabes ergo inhabitant, qui atte-

Eorum qui longo abstinentiæ usu carnem castigarunt, status.

tenuationem corporis per vigorem mentis in jus habent possessionis: & velut exsiccatæ muris ambiuntur, dum per id, quod corpus extenuant, ab ignitis luxurię jaculis proteguntur. Qui cum validissimis insurgentibus gulę stimulis fatigantur, septem diebus inducias expetunt: in quibus si eis auxilia desunt, ad Naas egrediantur. Sed hoc Ammonitarum bellum melius exponimus, si in eo deprehensæ carnis infirmitatem intueemur, & sagacitatem eruditæ mentis. Hanc quoque clarius videmus, si quod contrarium est, in stultis infirmis subtilius attendamus. Nam quidam intra sanctam Ecclesiam devoti per desiderium sunt, sed consueta vitiorum debilitate remissi. Possunt quidem bona proponere; sed quia exequi quod proponunt nequeunt, & e præsenti concupiscentia superantur, & bonum, quod in præsenti deserunt, in vicino tempore se recuperare posse confidunt. Sæpe quidem jejunare disponunt, sed cum consueta gula vincuntur, eo die manducandum judicant, in futuro jejunandum. Cumque gulæ feritas semper eis præsens sit, præsens & desiderium futuræ bonitatis, hoc serpentis fraude agitur, ut bonum, quod proponitur, non inveniatur. Cras enim, quod semper promittitur, numquam reperitur. Sed quia hoc ab illis agitur, quorum mens debilis est, caro fortis; videamus qualiter serpenti illudant illi, quorum mens fortis est, caro autem infirma. Nam de eodem serpente Psalmista ad Dominum dicit: *Draco iste, quem formasti, ad illudendum ei*. Numquam enim convenientius vincitur, quam cum ejus versutia pia fraude superatur. Unde & sapientię suę astutiam beato Job Redemtor improperans, ait: *In oculis, quasi hamo, capies eum*. In oculis quippe, quasi hamo serpentem cepit, qui ei carnem exhibuit, divinitatem celavit: & dum cepit ille quod appetiit, eo [a] tentus, & peremtus est, quod non vidit.

Et eorum qui ... hi ... studeat.

Cras semper promittitur, reperitur numquam.

Psal. 103. 27

Job. 40. 23.

Quomodo carni illudendum, commoda quædam futura pollicendo.

5. Sancti ergo viri, ut hosti illudant, rigorem conversationis in pręsenti virtute habent: pro illusione infirmitatis, carni commodum quoddam in futuro promittunt. Nam sępe ingentia sunt, quę agunt, sed pro infirmitate carnis semper agere dura, & aspera promittere non pręsumunt. Tanto quidem facilius eadem dura sustinent, quanto eorum onera sibi inesse in perpetua promissione non vident. Sed dum optime vivunt, & quotidie proficere & non deficere conantur, illud carnis licitum blandimentum, de quo desperare non possunt, semper carni in futura ęstimatione promittunt: sed ei cœptæ afflictionis dolorem infligere nequaquam desinunt. Per id ergo, quod in appetitu suo spes carni relinquitur, quasi ad futurum bonum ejusdem carnis, sui adventus pręsentiam spiritus pollicetur. Sed quia solitum continentiæ rigorem deficiendo non deserit, promissum voluptatis caro habet in futuro, & electa mens virtutis robur in pręsenti. Quo in loco notandum est: quia ad Naas egredi sub conditione promittunt, sed urbis mœnibus sine conditione muniuntur: quia abstinentes eo etiam, quod secundum carnem infirmi sunt, roborari per divinam misericordiam confidunt. Et quia gulæ vitium decipiendo supplantare se gestiunt, dicunt: *Concede nobis septem dies*. Quasi enim a gula tempus conceditur, quando eo respectu comprimitur, ut ejus desiderus quandoque serviatur. Quo nimirum dierum spatio Naas egressum ad se obsessorum civium, cives vero Jabes auxilia præstolantur: quia nimirum gulę appetitus de infirma carne refici appetit, sed electa mens in abstinentię virtute roborari. In septem vero diebus auxilia quęruntur, quando contra tentamentorum tenebras omni luce cordis erigimur, quando adversus pravę consilia quidquid possumus, invenimus ratione nostræ & lucis radios, quos in nobis non cernimus, de eruditione munimur aliena. Dum enim ad robur nostrę virtutis, perfectorum conversationes aspicimus, quasi per septem dies auxilia defensionis invenimus. Inducias quidem petimus: quia cum Naas, idest serpente, pugnamus: cujus quo latentia sunt venena, eo nobis subtiliora sunt quærenda consilia. Unde & in universos terminos Israel mittere nuntios se promittunt: quia electi viri ad ædificationis suę commodum, omnium videntium Deum exemplis adjuvantur. Sed quod dicitur: *Si non est qui defendat, egrediemur ad vos*: in electorum voce, non auxiliorum dubitatio, sed certitudo monstratur. Quasi astutis verbis suadenti adversario illudentes, verba proferunt, quibus illi spem tribuant, & sibi fiduciam nequaquam tollant. Qui enim dicunt: *Si non fuerit qui defendat, egrediemur ad vos*: quamdam exeundi spem tribuunt. Sed quia illi hoc dicunt, qui de auxilio certi sunt, hostes suos promittendo decipiunt. Sed ubi jam eadem auxilia invenientur, exponit dicens:

Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saul, & locuti sunt verba hæc, audiente populo, & levavit omnis populus vocem suam, & flevit. Et ecce Saul veniebat mane sequens boves de agro, & vidit plorantem populum, & ait: Quid habet populus, quod plorat?

Vers. 4. & 5.

6. Gabaa, ut supra jam diximus, sublimis interpretetur. Et quia omnium electorum non est ęqualis altitudo meritorum, in Gabaa Saul nuntii venisse perhibentur: ut spirituali significatione doceamur, ut cum validis tentamentis impellimur, ad prędicatorum nostrorum consilia recurramus. Sed & flentis populi afflictione instruimur: ut fraternis necessitatibus intima mentis compassione jungamur. Saul autem flentem populum vidit ob quam causam fleret, interrogavit: quia electus doctor subditorum necessitatem compatiendo suam facit, & hanc relevare appetit. De agro quidem venit: quia a secreto sui fertilis cordis exit. Mane vero de agro venit: quia in oriente sibi splendore veri luminis subditorum causas inquirit. Et boves sequitur: quia eum validi affectus caritatis antecedunt. Quasi enim duos boves ante se habet, qui & proximis per amorem jungitur, & divina caritate inflammatur, & inde proximum ordinate diligit, quia hunc amor Dei fortiter accendit. Quare & per Moysen Dominus ait: *Non arabis in bove & asino*. Asinus quippe est amor carnalis: quia quia portat quos amat, quasi forte est animal; & quia inordinate idem non pro Deo diligit, lascivum. In bove ergo & asino arari non potest: quia fructu ęternę mercedis anima non excolitur, si puritas amoris, quo Deo conjungitur, inordinato proximi amore polluitur. Saul ergo de agro veniens, boves sequitur: quia electus doctor utrumque affectum caritatis in frugifero corde integrum retinet, ex quibus præparare sibi æternæ retributionis uberes fructus potest. Et mane venit: quia cum ad subditos exit, diem suæ virtutis aperit. Sed jam cognitis necessitatibus populi, quid egerit audiamus. Nam sequitur:

Ad Pastorum consilia confugiendum in tentationibus.

Pastores tentatis compatiantur.

Deut. 22, 10.

Et narraverunt ei verba virorum Jabes. Et insiluit spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc: & iratus

Ibid. & Vers. 6. et 7.

[a] Gilot. tentus.

iratus est furor ejus nimis. Et assumens utrumque bovem, cecidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manus nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, secutusque fuerit Saul & Samuelem, sic fiet bobus ejus.

Majorum ira quam expavescenda.

7. Quid in his verbis dicimus, nisi quia Sanctorum infirma, & quæ videntur carnalia, non sunt infirma & carnalia, sed spiritualia & robusta? Iræ quippe nimietatem in religiosis viris reprehendere solemus: sed ecce Saul, ut irasci nimis potuerit, prius in eum spiritus Domini insilüit. Quam metuenda sit ergo Sanctorum ira, cernimus, si insilientem in eos Domini spiritum cogitamus, si dum illos foris irascentes aspicimus, commoventem spiritum intus pariter attendamus. Quoties ergo majorum zelo corrigimur, sub eorum indignatione vehementer possumus pavere: si eorum impetum motum sancti Spiritus credimus. Et quia Saul utrumque bovem in frusta concidit, in omnes terminos Israel misit, minas protulit, sic omnium bobus fieret, qui se & Samuelem sequi noluissent: quid aliud insinuat, nisi quia pigriores quique ad auxilia prębenda proximis, non solum invitandi, sed cogendi sunt? Unde & statim subjunctum est:

Vers. 7.

Invasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir unus.

Ad bona opera primo timore cogantur.

8. Quia enim proximos sicut nosipsos diligere jubemur, recto ordine eis auxilia prębemus, quando ad hæc exhibenda non timore cogimur, sed amore provocamur. Cum vero nos effectum hujus debiti amoris perdimus, ad prædicatorum nostrorum zelum pertinet, ut in fratrum auxilia ex timore consurgamus. Bene ergo dicitur: *Invasit timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir unus:* quia plerumque sumus in amore proximorum tepidi; sed prelatorum nostrorum minis erigimur ad statum devotionis, & ex timore bonum opus aggredimur, sed ex initio timoris, ad vinculum perducimur magnæ caritatis. Unde & bene timor invasisse populum dicitur, sed quasi vir unus omnes egressi perhibentur. Quasi vir quippe unus plures non possunt egredi, nisi qui ad parem conscendunt unitatem dilectionis. Hinc namque & de perfectis discipulis Redemtoris dicitur: *Erat illis cor unum & anima una.* Sequitur:

Ad caritatem perfectam justos perducunt.

Act. 4. 32.

Vers. 8.

Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israel trecenta millia, virorum autem Juda triginta millia.

Ad spiritalem pugnam educendi, prius a duce probentur.

9. Prius dicuntur filii Israel egressi, deinde a Saul recensiti: quia electus prædicator, cum contra occultos hostes movere subjectorum suorum militiam tentat, prius eorum forte propositum aspicit, deinde eos in numero bellatorum ponit. Quasi enim intus sumus, & recenseri non possumus, quandiu virtus nostræ mentis nostris Pastoribus occultatur. Et cum egredimur, recensemur: quia cum mentium nostrarum eis fortitudinem pandimus, nos jam habere socios in spirituali pugna confidunt. Sed eum infirmas mentes ad propositum boni operis erigere appetunt, non solum majorum doctrinis nos erudire conantur, sed etiam minorum electorum exemplis accendere. Bene ergo filiorum Israel trecenta millia, virorum autem Juda triginta millia, recensita fuisse perhibentur. Tricenarius quippe numerus ad rectitudinem fidei, & studium pertinet bonæ operationis: quia nulla sunt præcepta legis, si ad contemplationem non tendunt summæ Trinitatis. Apte ergo viri Juda dicuntur, qui triginta millibus continentur: quia confessionem habent rectæ fidei, & robur bonæ operationis. Patres autem nostri ejusdem fidei atque operationis fuere: sed in contemplatione divinitatis, quo longe altius, quam nos, profecerant, eo & opera fidei fortiora exhibebant. Quare etiam filiorum Israel trecenta millia recensentur. Triginta quidem a tribus, & decem in triginta veniunt: sed in tricenario numero tam denarius, quam ternarius simplex est; sed ut usque ad trecentos numeremus, & denarium tricesies, tricenarium decies multiplicamus: quia & si magna est contemplatio, magna sunt opera subjectæ plebis, illa tamen, quæ precesserunt in patribus nostris, incomparabilia fuerunt. Velut enim denarius noster numerus decies in illorum perfectione glomeratur, dum eorum perfectioni valde nostra submittuntur. Triginta ergo millia virorum Juda, & trecenta filiorum Israel nobiscum recensita, ad pugnandum contra Naas prædicatores dicuntur; si cum adjuvare tentatos abstinentes subditos volunt, & fortissimorum patrum eis eximia facta proponunt & minorum. Israel quidem dicitur Videns Deum, sive, in quo est Deus: Quod profecto nomen infirmo adhuc, aut imperito non convenit. Quotquot perfectos viros in afflictione carnis, & contemplatione mentis proferimus, serpentem Naas tot armatis elidimus. Sed jam obsessos, quibus verbis regis exercitus confortet, audiamus.

Vers. 9.

Et dixerunt iis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui sunt Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.

Urgente tentatione locus non deserendus.

Eccl. 10. 4.

10. Tale fortasse est illud, quod nobis sapientis illius consilio dicitur: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum cito non deseras.* Locus uniuscujusque electi est situs bonæ conversationis. Quando autem permittitur, impugnans spiritus potestatem habere potest; quia impugnare electorum corda nullatenus posset, nisi hoc dispensatio divina permitteret. Præcipit ergo, ut locum nostrum non deseramus; quia si inter tentationum breves tenebras fortes sumus, cito divina lux aderit, in cujus adventu tenebrarum virtus evanescit. Bene ergo dicitur: *Cras enim, cum incaluerit sol, erit vobis salus.* Sanctorum prædicatorum exhortatio dies est; quia dum tentata minorum corda tangit, ad spem victoriæ erigit. Sed hanc nox sequitur; quia etsi divina auxilia separantur, adhuc tamen irruentes desideriorum carnalium tenebræ non discedunt. Quis est ergo dies crastinus, nisi divinæ visitationis adventus? Crastinus enim dies dicitur; quia tentatis electis divini auxilii splendor valde vicinus est. Unde & per Prophetam Dominus dicit: *Ego Deus de vicino, & non Deus de longe.* Hinc Psalmista dicit: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.* Hinc item ipse Dominus repromittit, dicens: *Antequam me invocetis, dicam: Ecce, adsum.* Dies ergo primus, lux prædicationis, crastinus divinæ gratiæ est. Sed notandum, quia dixit: *Cum incaluerit sol:* ut diei claritas obscuritatem sensus illuminet, & calor solis accendat amorem cordis; ut mens bonum, quod cupiat, per lucem videat; & quod videt, per calorem mentis concupiscat. Geminum quippe hoc mentis remedium contra duplum diaboli bellum exhibentur. Nam maligous spiritus, ut mentes electorum tentando superet, prius tenebras cogitationum malarum objicit, deinde concupiscentiarum flammas accendit: quia nisi prius mentem cæcaverit, ad pravitatem concupiscentiæ non impellit. Electa vero

Fortiter pugnantibus lux adest.

Jerem. 23. 23.

Psal. 144. 18.

Isai. 58. 9.

Et sol, ut ad amorem accendat, incalescit.

vero mens dum tentari permittitur, ejus status in utroque turbatur: quia in tantum concupiscentiarum molestias sentire potest, in quantum, permittente Deo, cogitationum tenebras abjicere a se non potest. Sed quia a Deo tentari permittitur, in adventu ejus gratiæ, ab utroque malo relevatur: dum contra tenebras lucem accipit, & per calorem advenientis spiritus, abjicit frigus mentis. Incipit enim videre cælestia, qui levare mentem a carnalibus non valebat, & quæ amanter aspexit, ardenter cupit. Bene ergo dicitur: *Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol*: quia si validas antiqui hostis impugnationes viriliter ferimus, divinæ gratiæ celeritate sublevamur ad lucem cordis, & virtutem magnę caritatis. Et quia hoc sanctorum prædicatorum consilium electa subditorum corda gratanter excipiunt, sequitur:

Ibidem. *Venerunt ergo nuntii & annuntiaverunt viris Jabes. Qui lætati sunt.*

Sed etiam promisso sibi auxilio, quid Ammonitis respondeant audiamus. Nam sequitur:

Vers. 10. *Et dixerunt: Mane exibimus ad vos, & facietis nobis omne quod placuerit vobis.*

Gula qua arte debellanda. 11. Hoc profecto, quia illi dicunt, qui jam de vicino auxilio securi sunt, quamdam spem hostibus tribuunt, quos promittendo illudunt. Voce quidem debilitatem simulant, sed fortitudinem promissi auxilii intus servant. Aliud ergo promittunt, aliud credunt. Qui enim dicebant: *Cras exibimus ad vos, & facietis nobis omne quod placuerit vobis*, hoc dabant hostibus credere, quod se in eorum manibus traderent, ut facere de eis possent quęcumque voluissent. Sed qui in diem sequentem venturum regem in suum auxilium noverant, exire cum eo non ad hostium manus, sed ad interfectionem cogitabant. Secundum spiritualem vero sensum serpenti Naas, idest gulæ concupiscentię in suo nostrum exitum promittimus, sed nos in die nostro ejus acies debellamus. Dies quidem ejus est delectatio corporeæ saturitatis. Qui enim proponit ventrem pro voto replere, quasi diem primum concupiscentiæ dedicat, & tamen adhuc intus est: quia quamdam lucem delectationis proposuit, quam operando non vidit. Cras ergo exit, qui hoc lætum, quod carni promisit, & operando & delectando exhibuit. Sed sancti viri, ut superius dixi, gulæ illudunt: quia cum ab ejus appetitu desperare in perpetuum nequeunt, illud quod promittunt & non sumunt, quasi in futura luce delectationis repromittunt. Coacti quidem sunt foris nimia fragilitate carnis, & intus induti robore magnæ caritatis. Per illud quidem, qui appetitibus renuntiare nequeunt, quasi exteriori voce promittunt, quod in intentione non habent. Per illud vero, quia de divino securi sunt, aliud proponunt agere, quam loquuntur infirmitatis voce. In die igitur suo ad Naas exeunt: quia ad oppugnandum gulæ concupiscentiam per lucem superni auxilii progrediuntur, & visitati superna gratia, jam contra omnem carnis impetum fortes sunt, qui derelicti ad modicum, ejus impugnamenta timuere. Qui profecto divinæ gratiæ splendor, quia per ora prædicatorum aliquando minoribus sanctæ Ecclesiæ membris infunditur, sequitur:

Vers. 11. *Et factum est, cum venisset dies crastinus, constituit Saul populum in tres partes, & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon usque dum incalesceret sol.*

12. In partes quidem dividitur populus, ut serpentem Naas non una acie feriamus. Et quidem in tres partes dividitur, ut sacrę abstinentiæ fructus & dignitas ostendatur: quia ad eam, quam manducando perdimus, sanctæ Trinitatis contemplationem jejunando revocamur. Hinc est enim, quod Legis, & Prophetiæ, & Evangelii jejunia commendantur. Nam Moyses ut Legem percipere mereretur, bis quadraginta dierum numero jejunavit. Elias ut Jesabel manus evaderet, quadraginta diebus in unius cibi fortitudine ad Oreb Dei montem pervenit. Dominus ac Redemtor noster Jesu Christus per quadraginta dies in eremo jejunans, nullum omnimodo cibum sumsit. In tres ergo partes Saul populum dividit: quia in exemplum abstinentium, Legis, & Prophetarum, atque Evangelii jejunia producuntur. Et veniente die crastino, media castra doctor ingreditur: quia cum divina gratia, quæ ad docendum corda prædicatorum illuminat, auditorum etiam mentes irradiat, & ad spem victoriæ potenter levat. In die igitur crastino doctor triumphaturus castra inimicorum ingreditur, & aperit, in eisque concupiscentiarum acies potenter ferit. Et quia ipsorum subditorum mentes audiendo proficiunt, in vigilia matutina rex dicitur castra Ammonitarum ingredi, & usque dum dies incalesceret, in eorum cædibus immorari. Vigilia quidem matutina in Dei aspiratione, est fervor solis in ejus plenitudine. Velut enim matutina nobis lux oritur, quando tenebris tentationum depressi, lucem virtutis ab ore prædicatorum videre incipimus, quam sequamur. Et sol nobis incalescit, cum per eorum verba mens nostra succenditur, & quasi ferventis solis calore decocta, desideriis inflammatur. Tunc quippe Ammon vehementer cæditur: quia vitiorum populus de nostris sensibus effugatur. Rector igitur, qui in vigilia matutina Ammonitarum castra ingreditur, usque dum incalescat dies, ab interfectione gladium non recondat: quia tamdiu debet subditorum suorum eruditione insistere, quamdiu illos aspiciat magnis internis caloribus inflammari. Quo in loco notandum est, quia Naas, idest serpens Ammonitarum rex esse dicitur: ipse autem Ammon populus mœroris interpretatur. Et quia in hoc serpente gulæ vitium designari diximus, cum Naas percutitur, mœroris populus debellatur: quia ex uno gulę vitio, innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. Et cum idem gulæ vitium reciditur, alia multa nobis vitia subjugamus. Unum quidem gulę vitium est, sed aculei libidinis innumeri sunt, qui præcedentem illum, quasi regem sequuntur. Qui læta quidem suggerunt, sed ad æterni fletus lamenta perducunt. Cum Naas ergo pugnatur, sed mœroris populus cæditur: quia cum gulam domamus, libidinum incitamenta perimuntur. Unde bene non ipse Naas, sed Ammon subjectus sibi, idest populus interfectus asseritur: quia appetitus comestionis restringendus, non extinguendus est. Sed bene numquam restringitur, si subsequens mœroris populus idest turpes motus libidinum non necantur. Contra Naas ergo nobis principale certamen est: quia cum iste superatur, Ammon interficitur: quia libido tunc bene cæditur, si ejus principale initium subjugatur. Sed profectus pudicitiæ quousque procedat, latenter ostenditur per ea quæ subsequuntur. Nam dicit:

Quibus exemplis jejunium ... commendatur.

Ex. 34. 28. 3. Reg. 19. 8.

Matt. 4. 2.

Ex uno gulæ vitio innumera prodeunt.

Ibidem. *Reliqui vero dispersi sunt, itaut non relinquerentur duo pariter.*

Probatio abstinentiæ castitas perfecta. 13. Probatio verę abstinentiæ non est in attenuatione corporis, sed in perfectione castitatis. Nam

bene serpens arteritur, si sic gula restringitur ut libidinosi motus corporis omnis violentia minuatur. Nam motus illicitus carni, quamdiu ipsa caro est, tolli non potest, violentia movendi tolli potest. Non quidem tolli non potest carni, quod lex carnis membra non moveat: sed tamen tolli potest carni violentia motionis, ut relinquatur ei motus: sed eidem motui omnis delectationis obscœnitas auferatur, & simplex motus ille sit, in quo [a] reliqua libidinis turpido non sit. Bene ergo alii in fugam versi perhibentur, quia cum abstinentes quosque divina gratia perfecte remunerat, a corporalibus eorum motibus omnium obscœnitatum aculeos tollit: sed eis ipsos motus naturales deserit, ut tentari semper possint, vinci numquam possint: dum id deserit, quod eis valde displicet, sed sic debilitat quod deserit, ut prævalere victoribus non permittat. Ammonitas quippe percusserat, qui dicebat: *Castigo corpus meum, & servituti subucio, ne aliis prædicans, reprobus efficiar*. Interfectis etiam aliis, fugitivos interficere non poterat: quia deplorat, dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Item quia debilitatos videbat, qui remanserant, dicit: *Nulla creatura poterit nos separare a caritate Christi*. Quid est ergo, quod deplorat legem inesse membris legi mentis repugnantem, si extinctis aliis, alii in fugam versi sunt: nisi quia perfecti viri hoc ipsum, quod simplices motus carnis contra voluntatem sustinent, vehementer dolent? Vellent quippe sic manere in carne, ut contra mentis voluntatem de carne nulla sustinerent. Quod quidem, quia impossibile est, præmisit dicens: *Velle adjacet mihi, posse autem non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio*. Quasi dicat: Vellem esse in carne, non ea perfectione, qua perfectus in carne perfectus est, sed sicut Angeli Dei in cœlo. Sed hoc posse non invenio, quia quamdiu mors peccati absorpta in futura resurrectione non fuerit, illud, quod in me peccatum inhabitat, movet me contra me. Sed quod extingui peccatum non potest, effugari potest. Motus quippe carnis quasi in fugam vertitur, dum ipsa bene jejunando castigatur. Tanto enim rarius ac difficilius se contra spiritum erigit, quanto sibi eam præsidens spiritus per extenuationem subdit, cum sic eam domat, ut tarde superbiat, cito conquiescat.

A carne tolli non possunt illiciti motus.

De his dolendum.

1. Cor. 9. 27

Rom. 7. 23

Ibid. 8. 35.

Ibid. 7. v. 18 & 19

Jejuniis mitigari debent.

14. Sed subtiliter est intuendum, quod dicitur: *Ut non relinquerentur duo pariter*: Duo quidem remanent, sed pariter non remanent. Duo quidem sunt, cogitatio immunda, & naturalis motus carnis. Ad Sanctorum quidem conflictum aliquando immunda cogitatio prævenit, aliquando insurgentem sibi sentiunt legem carnis contra legem mentis: sed qui victores jam sunt, hostes in fugam versos non timent, si iterum ad pugnam redeunt: quia cum eis pariter pugnare non possunt. Nam cum prava cogitatio obviat, prius eam abjiciunt, quam de ejus suggestione caro moveatur. Et cum carnis lex membra commovet, lex mentis turpem motum, turpia cogitando nequaquam fovet; & dum alterum abjicit, alterius pugnam nequaquam sentit. Bene ergo de electorum perfecta victoria dicitur, quia: *Dispersi sunt alii, ut duo pariter ex eis non sunt relicti*: quia per macerationem corporis in tantum proficiunt culmen perfectionis, ut ab eis quidquid a carne, quidquid a mente ingeritur, leviter superetur, dum convenire in pugnam non sinitur.

Ut vincantur, numquam simul morari sinamus cogitationem immundam, & naturalem carnis motum.

Et hæc quidem victoria de omnibus sensibus corporis electi percipiunt, qui obsidentem Naas sibi subjicere per abstinentię virtutem possunt. Nam refecta caro & impinguata, ad lapsum linguæ, oculorum, auditus, olfactus, & tactus facilis est. Dum ergo illiciti corporalium sensuum motus a gulę vitio, ad mentis pugnam deducuntur, quasi Ammon populus Naas regem ad Israelitarum obsidionem comitatur. Sed dum Naas perfecte vincitur, Ammon & extinguitur ex parte, & ex parte sic in fugam vertitur, ut ex eo duo pariter non inveniantur: quia dum per abstinentiam corpus atterimus, innumeros nostrorum sensuum illicitos motus enervamus; & quos omnino eradicare non possumus, quasi debiles effugamus. Ex quibus duo pariter nobis in pugnam non remanent: quia in oblectatione alicujus sensus corporei, non conjungimus sensum mentis. Nam sępe oculis aspicimus, sæpe audimus auribus, sępe tactu, sępe olfactu percipimus, quę carnalem animum trahere ad illicitum amorem possunt, sed nostram perfecte carnem macerando victores sumus: quia duos pariter de victis adversariis non videmus. Concupiscenda quidem tunc cernimus, sed oculorum motibus appetitum animę conjungere devitamus. Sæpe etiam cordi cogitatio illicita obviat, sed victor serpentis, fugitivum motum suum, quem attendit, solum invenit. Ad ea enim, quę corde accidenter cogitat, aliquem de sensibus corporis per motum illicitum nequaquam levat. Tales quippe sunt, quos Propheta miratur, dicens: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Quasi enim columbæ ad fenestras suas sunt, qui concupiscenda recipiunt, sed simplicitatem mundi cordis concupiscendo non perdunt: quia vident quę appetant, sed illicite appetere quod cernunt, vitant. Ad hanc profecto victoriam, quia prędicatorum nostrorum exhortatione proficimus, bene per Saul Ammonitarum populus devictus & cęsus esse memoratur. Quorum profecto bella non uniformia, sed diversa sunt. Nam aliquando occultos adversarios potenter opprimunt, aliquando falsos fratres sapienter ferunt. Illos intus magna virtute domant, istos foris mira patientia tolerant. Intus per immensa certamina magnorum triumphorum gloria insignes sunt, sed foris incomparabilibus tantæ mansuetudinis suæ titulis adornantur. Qui ergo internæ victoriæ narrationem cognovimus, qualiter etiam foris vincant, audiamus. Nam sequitur:

Isa 60. 8.

Ad vitia superanda Pastorum nostrorum exhortatione roboramur.

Et ait populus ad Samuelem: Quis est, qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac: quia fecit Dominus salutem in Israel.

15. Ad Samuelem quippe Dominus superius dixerat: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. De Saul autem paulo ante dictum est: *Quia despexerunt eum, & non attulerunt ei munera*. Sed ille abjectus, iste despectus, cæsis jam hostibus consecuta victoria, vociferantem populum audivit: *Date nobis viros, & interficiemus eos*. Posset quidem uterque, non interficiendo sed consentiendo, de inimicis vindicari, sed etiam quia abjectus fuerat Propheta loquitur, rex despectus favet dicenti: *Non occidetur quisquam*: quia sancti prædicatores nostri majori victoria coronantur, cum [b] adversa proximorum tolerant, quam cum foris hostes expugnant. Unde & vera sapientia in Salomone loqui-

sur

Patientia fortitudine præstantior.

Sup. 8. 7

Sup. 10. 27.

a Aliter, *aliqua libidinis turpitudo non sit*.

b Hoc est, adversa a proximis illata. Eodem sensu vox ad versas sumitur lib. 12. Moral. num. 38. lib. 16. num. 45. & alibi.

tur, dicens: *Melior est[a] patiens viro forti*. Sed notandum, quod dicitur: *In die hac*. In die quidem victoriæ suæ occidere appetit, qui eos, quos claritate virtutum ad amorem Dei pertrahit, ad nocendum aliis accendit. Vel in die victoriæ occidit: quia ea luce claritatis, qua in venerationem prædicatoris adducitur, ad odia eidem doctori detrahentium excitatur. *Qui enim odit fratrem suum, homicida est*. Quia enim de doctrina boni Pastoris sic adjuvandi sunt boni, ut tolerentur mali; causa, qua nemo occidendus sit, bene subjungitur: *Quia*, inquit, *hodie fecit Dominus salutem in Israel*. Sequitur:

Prov. 16. 32.

1. Joan. 3. 15.

Dixit autem Samuel ad populum: Venite, eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecere ibi regem Saul coram Domino.

Qui ad regendam Ecclesiam eliguntur, serio examinandi.

16. Si ergo omnia eo modo, quo superius in ordinando regem, fiunt, ad sanctæ Ecclesiæ morem deducimus, magna subtilitate ejus Rectores ordinantur. Prius quippe Prophetæ rex eligendus ostensus est, deinde quæsitus quasi incognitus: postea etiam sorte inventus, domi absconditus; revelatus a Domino, a populo sublatus, & in regiam dignitatem ab omnibus receptus est. Quid est ergo, quod adhuc in Galgala tenditur, ut illic regnum innovetur? Sed magna discretione rex quæritur & invenitur, quia altissima sunt Ecclesiarum negotia, quæ si infirmi & imperiti suscipiunt, ipsa rerum magnitudine deprimuntur. Attente ergo & subtilissima investigatione perquiritur, qui tanto culmini præferatur. Qui profecto valde prædicandus est, non cum quærentium judicio constituitur, sed quando in ipsa dispositione summi ministerii strenuus invenitur. Bene ergo jam triumphante constituto rege dicitur: *Perrexerunt in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino*: quia cum prædicatoris fortitudo cognoscitur, in auditorum suorum mentibus honoratur. In Galgala quidem, id est rotam, imus, quando per sacrum eloquium doctoris nostri operationem discutimus, & eum illic coram Domino regem facimus: quia, quem probabilem cernimus, dignum esse tanto culmine judicamus. Prius ergo dicitur Saul a populo electus, ad extremum rex in Galgala constitutus coram Domino: quia licet multa consilii gravitate in sancta Ecclesia Pastor eligatur, utrum sit merito, quod est ordine, non cognoscitur, nisi cum operum fortitudine declaratur. Dicatur ergo non de alio, sed de eo * alio, qui magna victoria claruit: *Perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino*, ut dignitas summi pontificis non constet in ambitione culminis, sed in summa virtutis. Et in Galgala quidem itur, ut judicare de summo loco non audeat, cui Scripturæ sacræ abscondita sunt præcepta. Et coram Domino rex constituitur: quia tunc doctor subjectorum suorum devotione colitur, cum ipsi acceptam ejus vitam omnipotenti Domino recognoscunt. De ipsa autem cognitione vitæ, & doctrinæ Pastoris sui: quia sæpe non sibi, sed melioribus creditur, bene dicitur populus in Galgala regem coram Domino constituisse: sed idem populus in Galgala, monente Samuele perrexisse. *Eamus*, inquit, *in Galgala, et innovemus ibi regnum*. Regnum quippe innovatur: quia dum electus prædicator in magna virtute conspicitur, ei nova & recenti devotione auditorum corda submittuntur. Unde quasi ostensa regis victoria regnum innovatur, quando cognita magna conversatione doctoris, ipsa subditorum corda splendorem novæ devotionis accipiunt, & per ejus exemplum ad propositum magnæ virtutis excitantur. Sed jam qui in uno internorum prælio triumphos aspeximus, in altero jam pacis tempora mirabili æquitate decursa videamus.

* Forte alio superfluit.

Doctrina & virtutibus polleant.

CAPUT II.

Dixit autem Samuel ad universum Israel: Ecce audivi vocem vestram juxta omnia, quæ locuti estis ad me, et constitui super vos regem: et nunc rex gradiatur ante vos. Ego autem senui, et incanui. Porro filii mei vobiscum sunt. Itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad diem hanc, ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum. Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, contemnam illud hodie, restituamque vobis.

1. Reg. 12. Vers. 1. 2. 3.

Malorum Pastorum rapinæ ac avaritia.

1. Cum reprobi Pastores præsunt, principale eis propositum est in rapina subditorum. Quia enim æternorum bonorum abundantiam aspicere nesciunt, quo præsentia ardentius concupiscunt, eo avidius oblata recipiunt, non oblata violenter tollunt. Innocentibus insidiantur, debiles opprimunt, munera accipiunt, juraque pervertunt. De his Pastoribus per Prophetam Dominus Judææ improperat, dicens: *Pastores tui lupi vesperæ, non relinquentes in mane*. Calumniatores innocentium pariter & oppressores debilium item percutit, dicens: *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super illum bellum. Quapropter nox eis pro visione erit, & tenebræ pro divinatione*. Nam dum iniquitatem cognoscunt quam faciunt, per audaciam nequissimi operis, cadunt in cæcitatem cordis, ut per amorem, lucem veritatis ultra non videant, per quam a pravitate resipiscant. Item munerum acceptionem reprehendit Isaias, dicens: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones*. Sanctus ergo vir, dum innocentiæ suæ simplicitatem ostendit, qua meritorum altitudine fuerit, sublimis apparuit. Quod quidem virtutis præconium in eo uno ostenditur, ut omnibus electis doctoribus eadem bonitatis conformitas ostendatur.

Soph. 3. 3.

Mich. 3. v. 5. 6.

Isa. 1. 23.

Prælationis culmen [illegible] ad [illegible].

2. Vitæ quidem innocentiam pro nobis habemus, sed prælationis culmen pro aliis, non pro nobis ascendimus. Per innocentiæ bonum ad æternam patriam tendimus, per altitudinem prælationis in aliorum custodia vigilamus. In illa virtute securi sumus, istam vero celsitudinem cum magno metu possidemus: quia qui nostrorum operum rationem reddere vehementer expavescimus, de eo quod aliis præsumus, Deo reddere rationem debemus. Si ergo electi viri, volente Deo, etiam prælationis culmen inviti conscendunt, volente Deo, idem culmen devotionis deserunt. Sanctus ergo vir dicit: *Ecce audivi vocem vestram, & constitui super vos regem: & nunc rex [b] graditur ante vos. Ego autem senui, & incanui. Porro filii mei vobiscum sunt*. Quasi aliis vocibus dicat: Quia non pro me, sed pro vobis præfui, dignitatem quam tenui, libenter alii dedi. In eadem dignitate jam senui, & tamen longus usus præeminendi, quem tenui, obligatum me in sui ambitione non tenuit. Quid ergo est quod ait: *Filii mei vobiscum sunt*, nisi quia in sanctis viris magna vis spiritualis amoris est, qua filiis ad culmen nascentibus, jus auferunt successionis? Sed qui summam ordinis tam quietus deserit, qualis in eodem

Invite conscendendum, libenter deserendum.

a Vitiose in Vatic. Gilot. & Gussanv. *sapiens*.

b Vatic. *gradiatur ante vos*.

eodem culmine manserit, ostendit. Quia enim rapinę violentiam non exercuit, dicit: *Loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum.* Item quia nulli nocendi occasionem quæsivit, subjunxit, dicens: *Si quempiam calumniatus sum.* Item quia debilibus gravis non fuit, dicit: *Si oppressi aliquem.* Item quia de prælatione sua non terrena, sed cælestia quæsivit, dicit: *Si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Quia vero in tanto contemtu rerum ab omnibus notus extiterat, sequitur:

Vers. 4. & 6. *Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam. Dixitque ad eos: Testis mihi Dominus adversus vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non invenetis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. Ipse vero adhuc subdit, dicens: Dominus, qui fecit Moysen et Aaron; et eduxit patres nostros de terra Ægypti, ipse testis est.*

Qua modestia Pastor famæ suæ consulere debeat.

3. Quo in loco notandum est, quia bona quę fecit vir sanctus, non dixit: mala vero, quæ non fecit, exposuit; ut silendo ad æterna lucra bona servarent, & loquendo odorem bonæ opinionis non perderet. Paulus vero loquitur, dicens: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* (2. Cor. 2. 15.) Ipse etiam quosdam redarguens, ait: *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* (Rom. 2. 24.) Hinc item discipulum admonet, dicens: *Oportet etiam Episcopum bonum testimonium habere ab iis qui foris sunt.* (1. Tim. 3. 7.) Dum ergo mala se tam caute vitasse asseruit, & ingentia bona, quæ fecit, siluit: aperte vir beatus ostendit, in quanto culmine virtutum stetit, dum mala reprobando, ad electorum exemplum odorem servavit bonę opinionis; & occultando virtutum opera, præmia custodivit æternæ retributionis. Sed notandum, quia cum Dominum testem suæ innocentię assereret, ipsum Dominum fecisse Moysen & Aaron dixit. Quid est hoc aliud, nisi quia & virtutis suę culmen ostendit, sed in tanto culmine solus apparere noluit? Quasi latentibus sensibus dicat: In tanta animi virtute mirandus non sum; quia in ea solus non sum. Contemtum rerum in munere virtutis habeo, sed hunc in intentione vanæ laudis non habeo: in quo valde meliores atque sublimiores cerno. Et quia ipsum Moysen & Aaron Dominum fecisse asseruit, tale est item ac si dicat: Quod mala tam fortiter cavare potui, illius debet gratię adscribi, qui Moysen & Aaron tales fecit. Sed ad quid sanctus vir ista pręmiserit, ostendit: quia subintulit, dicens:

Vers. 7. *Nunc ergo state, & judicio contendam adversus vos coram Domino de omnibus misericordiis quas fecit vobiscum & cum patribus vestris.*

Mala, ut in aliis reprehendere libere possit, caveat.

4. Ordo summæ rationis est, ut qui bona agere non curat, mala in aliis nequaquam reprehendat. Sanctus ergo vir prius mala se vitasse caute asseruit, deinde ad reprehensionem aliorum prosiliit; ut electi prædicatoris mores insinuet, qui prædicationis fructum bene ferre non prævalet, nisi cum id quod de æternitate lucidum prædicat, splendida etiam conversatione demonstrat. Dicit ergo: *Nunc state, & judicio contendam adversus vos de omnibus misericordiis Domini.* Stare quidem auditoribus, est intentionem mentis ad verbum prædicatoris erigere. Merito ergo stare præcipiuntur: quia doctor nihil exhortando proficit, si auditor mentem ad ea, quæ loquitur, non intendit. Easdem misericordias enumerans, ait:

Vers. 8. 10. & 11. *Quomodo ingressus est Jacob in Ægyptum, & exclamaverunt patres nostri ad Dominum, & misit Dominus Moysen, & Aaron: & eduxit patres nostros ex Egypto, & collocavit eos in loco hoc. Et quia obliti sunt Domini Dei sui, tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Asur, & in manus Philisthinorum, & regis Moab: & pugnaverunt adversus vos. Postea clamavere ad Dominum, & dixere: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, & servivimus Baalim, & Astaroth: nunc ergo erue nos de manu Philisthinorum, et serviemus tibi. Et dimisit Dominus Jerobaal, et Barach, et Jepte et Samuel; et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter.*

Quomodo divina nobis collata beneficia commemoranda.

5. Has quidem misericordias factas secundum historiam idcirco commemorat, ut in eo, quod regem petiit, reum se coram Domino populus agnoscat. Nam qui ad omnia pericula submovenda Dominum presentem habuit, hominem super se regem necessarium non habuit. Ipsam autem presentiam Domini per impensas misericordias ostendit, dum de manu Ægyptiorum per Moysen & Aaron, & de manu Sisaræ & Philisthinorum, & de manu regis Moab per Jerobaal, Barach, & Jepte, & a Samuele eos liberatos asseruit. Quo in loco valde quęrendum est, cur petitio, qua rex petitur, tam districte & reprehenditur, & ipsa divinę misericordiæ auxilia populo Dei per prælatos homines impensa esse doceantur. Qua in re quid respondendum est, nisi quia valde diversa est prælatio regum a prælatione judicum? Isti quidem ut pares præsunt, illi vero in potestate præeminendi arrogantiam exhibent dominationis. Isti innocentiæ suæ testimonium coram Domino & omni populo commendant: quia nec aliquem opprimunt, nec alienum aliquid in suis usibus tollunt: illi vero non solum propria subditis auferunt, sed etiam ipsas subditorum personas onere servitutis premunt. Subdens ergo ait:

Prælati spirituales ut pares præsint.

Vers. 12. *Videntes autem, quod Naas ascenderet, et pugnaret adversus vos: Nequaquam, dixistis: sed rex erit super nos; cum Dominus regnaret in vobis.*

Ipsorum est ab Ægypti servitute nos liberare.

6. Quasi dicat: Ad hoc vobis hominem elegistis, ad quod Deum habere solebatis. Quem nimirum locum si spiritualiter discutere volumus, hoc ex eo colligitur: quia qui carnalem sibi præesse expetunt, divinam gratiam a se repellunt. Nam dum humilium doctorum exemplo vivunt, velut ab Ægypto liberantur: quia caliginem mundani amoris toto desiderio fugiunt. Quia etiam omnium vitiorum tyrannidem eorum doctrina evadunt, velut de manu Sisaræ, Philisthinorum, & regis Moab, missis ducibus, liberantur. In quibus Deus jam solus omnipotens regnat: quia dum humiles Pastores foris imitantur, regnantis inter se divinitatis amorem gratanter excipiunt. Dicat ergo Propheta: *Dixistis mihi: Nequaquam, sed rex erit super nos; cum Dominus regnaret in vobis:* ut ostendat, quia qui carnalibus se imitando subjiciunt, divinæ gratiæ dignitatem perdunt. Notandum etiam, quia Propheta Samuel per virtutem humilitatis ubique se electis ostendit in norma rectitudinis. Nam cum Israeliticæ plebis liberationem assereret, non ait: Misit Dominus Jepte & me; sed: *Jepte & Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum.* Se quidem quasi alium nominavit, ut virtus liberationis non adscriberetur personæ missi, sed gratię mittentis Dei. *Misit*, inquit, *Dominus Samuel, et eruit vos.* Quasi dicat: Quem voluit, misit; & per quem voluit,

Gratia tamen liberationis Deo adscribenda.

voluit, fecit. Et fortasse de se quasi de alio loquitur: quia non ipse est, qui per seipsum loquitur: sed spiritus sanctus. Et quia permissione Dei, jam rege constituto, vir Domini ista loquebatur; ad hoc profecto loquebatur; ut regem & populum ad Dei cultum dirigeret, non ut ipsam dignitatem regiam evacuerat. Unde & subjungens, ait:

Vers. 13. 14. & 15.

Nunc præsto est rex vester, quem elegistis, & petistis. Ecce dedit Deus vester vobis regem. Si timueritis Deum, & servieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exasperaveritis os Domini, eritis & vos, et rex vester qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. Si autem non exaudieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, et super patres vestros.

Timere Deum, nisi ei serviatur, non sufficit. * Forte legendum, dicuntur.

7. Hæc profecto non mystica, sed historica sunt in omnibus. Nam ubi prælati & subditi reprobam vitam ducunt, divinę ultionis pœnam pariter subeunt. Sed quia separatim * ducuntur bona, separatim mala; ille, pro quibus manus Domini super eos futura prædicetur, subtilius consideranda sunt. Quid est ergo, quod ait: *Si timueritis Dominum, et servieritis ei:* nisi quia plerique divinæ districtionis judicia metuunt, & tamen prave egere non desistunt? Paventi quidem corde futura judicia cogitant, sed præsenti voluptate devicti, mala committere nequaquam vitant. Bene ergo post timorem Domini ejus servitia memorantur: quia ille solus timor probabilis est, qui dum mentem concutit, ad boni operis studium trahit. Item quia nonnulli sunt, qui per timorem Domini quædam mala respuunt, aliqua bona egunt; & tamen nec mala plene deserunt, nec bona sufficienter operantur, adjungitur: *Et audieritis vocem ejus.* Qui vocem Domini audit, & bona plene agit, & mala penitus deserit. Eadem vero bona opera in delectatione suavitatis habenda sunt, non in ęstimatione esperitatis. Nam quibus semper dura & aspera videntur quæ e Domino præcipiuntur, paulatim decidunt & deficiunt. Hinc enim per semetipsam Veritas dicit: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Hinc Johannes ait: *Mandata ejus gravia non sunt.* Gravia quippe non sunt electis quia dum æternæ vitæ gloriam magno desiderio eppetunt, præcepta Evangelica gratanter ferunt. Potest & os Domini prædicatio perfectæ caritatis intelligi. Quasi enim oris sui blandimenta volebat ostendere, cum dicebat: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Hoc quippe præceptum Domini, hoc jugum est divinæ suavitatis. Quid enim levius, eut umquam gratius, quam amor fertur? Quid præterea grave non leviter tolerat, qui emat? Quidquid enim diligitur, cum magna devotione portatur. Quia ergo vinculum perfectionis est caritas Dei & proximi, bene in ultimo loco Propheta denuntiat, dicens: *Si non exasperaveritis os Domini, eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentas Dominum Deum vestrum.* Quasi dicat: Tunc bene divinam voluntatem perficitis, si & contemtum pravitatis, & boni operis studium in divina caritate solidatis. Tunc ad summam ęternę vitę beatitudinem bene post Redemtorem curritis, si ea quę carnalibus aspera sunt præcepta caritatis, usque ad vitę finem cum jucunditate deducitis.

Bona opera cum delectatione facienda.

Matt. 11. 30. 1. Joh. 5. 3.

Joh. 15. 12.

Infirmi & carnales timore pungendi.

8. Sed quia infirmis & carnalibus loquebatur, subsequenter denuntians, ait: *Si non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermonem ejus, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.* Manus Domini divinæ est severitas ultionis. Quę profecto manus super filios & patres extenditur, cum divini contemtus merito, & reprobi prelati & subditi puniuntur. Eadem quoque manus ad ultionem extenditur, cum voe Domini non auditur, cum ejus sermones exasperantur: quia ii, qui divina mandata quasi dura & importabilia respuunt, intolerabili pœnę onere in futuro deprimuntur. Stulta quippe audacia hominis, unde ad modicum subire ea, quę sibi videntur aspera, refugit: inde se asperioribus in ęternum subdit. Nam si sapienter saperet, hoc sibi quod displicet, suaderet: ut per dura & espere hujus brevissimi temporis, dura & espera evaderet futuræ damnationis. Hæc profecto dura corda carnalium velociter eudiunt, sed per salubre consilium facile molliri non possunt. Bene ergo subjungitur:

Vers. 16. & 17.

Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, & dabit vocem & pluvias; & scietis & videtis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.

9. Quia tam attente, & toties ista petitio regis reprehenditur, hoc electis insinuat: quia qui ad culmen sanctę Ecclesiæ carnales provehunt, gravissima peccati obligatione retinentur. Nam peccata reliqua singularis pœnæ meritum obtinent: qui vero carnalem prępositum constituit, tot incurrit pœnarum merita, quot ille fidelibus subditis præbet pravitatis eeempla. Sed grave pondus criminis deponi non potest, nisi eusteritate magnæ compunctionis. Compunctionis autem gratia menti non infunditur, nisi prius ipsa ei peccati magnitudo monstretur. Propheta ergo Domini, ut ad congruæ pœnitentiæ fructum peccantem populum provocaret, per mirabilem motum aeris, ei insinuat megnum peccatum transgressionis. In messe autem tritici, pluviæ & tonitrua in illa regione non fiunt. Bene eutem subsequenter adjunctum est:

Quot peccatis obnoxii sint, qui carnalibus Ecclesiæ gubernacula eigndant.

Vers. 18. & 19.

Clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluvias in die illa: & timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem. Dixitque universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. Addidimus enim universis malis nostris, ut peteremus nobis regem.

10. Quod sane, si ad nostra tempora deducimus, ut populus ad cognitionem peccatorum veniat, prędicatores pro eis ad Deum clamant: quia fidelium salutem magnis desideriis flagitant. Clamare quidem prædicatoribus, est electorum salutem magne devotione postulare. Ad quorum clamorem Dominus vocem dat: quia peccatorum corda eecitet, ut pravitatis suę nequitiam recognoscant. Dat pluvias: quia excitata corda per infusionem supernæ gratiæ adjuvat: ut non solum deserat mala quisquis quæ fecit, sed etiam bona fortiter egat, quę appetit. Sed hoc in die messis tritici fieri dicitur, ut virtus miraculi designetur. Non est quidem minus miraculum immutatio cordis, quam perturbatio aeris. Non minus miraculum est arentia corda reviviscere, quam æstivis ardoribus insuetato more pluvias inundare. Majus quippe miraculum est, intimo sonitu insensibilem mentem concutere, quam, collisis per ventum nubibus, tonitruum insonare. Sed rectus ordo conversionis ostenditur in ordinata positione verborum. Nam dicit: *Dedit Dominus voces & pluvias: & timuit omnis populus nimis Do-*

Magnis clamoribus fidelium salutem Pastores postulent.

Quo fructu.

minum & Samuelem. Ordinatissima quippe conversione cum malum deseritur, bonum in mente propagatur; cum conversi mens quasi per pluviam bonum semen nutrit, & sic Deo & hominibus per obedientiæ virtutem subdit. Bene ergo dicitur: *Timuit omnis populus Dominum et Samuelem*, quia qui summi Spiritus adventum suscipit, & mala deserit, & bona apprehendit, & sic Deo subditur, ut pro Deo etiam hominibus substernatur. Et quia præsumtionem in ipsa obedientiæ virtute non habent, dicunt: *Ora pro servis tuis ad Dominum, ut non moriamur*. Cum spiritus vitæ se menti infundit, protinus eam ad mortis pavorem erigit: quia magisterium ejusdem spiritus est, ut timendo mens agat, ne quod timet inveniat: sed sancti viri pro eis orantes exaudiri possunt, qui & occulta peccata cordis per humilitatem revelant confessionis. Unde & subditur: *Addidimus enim universis malis nostris, ut peteremus nobis regem*. Quia vero hæc satis jam exponendo ventilata sunt, sequentia videamus.

Occultorum cordis peccatorum confessio.

Vers. 20.

Dixit autem Samuel: Nolite timere. Vos fecistis universum malum hoc. Verumtamen nolite recedere a tergo Domini.

Pœnitentes ut a divina metuant judicia, ut spem veniæ non amittant.

11. Pœnitentis mens tunc bene dirigitur, si divina judicia metuat, & de Dei omnipotentis miseratione confidat. Timor quidem sine spe in desperationem præcipitat, sed cum spei conjungitur, salutem mentis operatur. Quare & summo studio invigilare optimus doctor debet, ut peccantem terreat, & territum ad veniæ spem reducat: quatenus per metum peccare desinat, & per spem impetrandæ indulgentiæ, divinæ misericordiæ portum quærat. Territos ergo subditos ad spei virtutem Samuel erigens, dicit: *Vos fecistis universum malum hoc, verumtamen nolite recedere a tergo Domini*. Quasi dicat: Si peccare desinitis, ad obtinendam commissorum veniam pervenire citius potestis. *Nolite ergo recedere a tergo Domini*. De justi laude promittitur: *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Hinc Elias ait: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*. Hinc Psalmista dicit: *Exultent justi in conspectu Dei*. In conspectu quidem Domini, vel ante Dominum stare, est testimonio bonæ conscientiæ de amore Conditoris præsumere. Stant quidem in conspectu ejus, qui ex merito magnæ actionis, de superna Conditoris sui gratia securi sunt. Peccatores autem cum mala committunt, a facie Domini fugiunt, sed cum redire pœnitendo deliberant, quasi post tergum Domini sunt: quia & discedere longius nolunt, & tamen præsumere de Deo quasi amici non possunt. Hinc est, quod peccatrix mulier retro stetisse dicitur, ut pedes Domini deosculari mereretur. Retro etiam illa stetit, quæ fimbrias ejus tetigit, & a fluxu sanguinis sui curari meruit. Retro quidem stat pro verecundia peccati, sed tangit per virtutem spei. Quia ergo pro commissis iniquitatibus semper erubescere debemus, & in quibus confundimur devitare, Samuel peccatoribus imperat, ut a tergo Domini non recedant. Sed quia non sufficit a conversio peccatori, ut peccata non agat, subsequenter adjunxit:

Luc. 1. 76.
3 Reg. 17. 1.
Psal. 67. 4.

Non fugiant a facie Domini, sed retro stent.

Luc. 7. 38.

Matth. 9. 20.

Ibidem.

Et servite Domino in omni corde vestro.

Deo in toto corde servire quid sit.

12. Tunc namque promereri veniam possumus, si peccare desinimus, & bonis operibus inhæremus. In omni etenim corde Domino servire, est peccandi nullam in corde intentionem retinere. Omne quidem cor ad servitium Conditoris inflectitur, quando sic bona agimus, ut mala per propositum nulla teneamus. Quod & Propheta Domini Samuel aperte insinuat, cum subjungit:

Vers. 21.

Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos: quia vana sunt.

Quid per vana, intelligendum ad litteram.
Eccle. 1. 2.
Quid moraliter.

13. Ad litteram vana, simulacra dæmonum appellat. Nobis autem vana illa hic accipienda sunt, quæ concionator ostendit, dicens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. In comparatione etenim æternorum bonorum, vana sunt omnia, etiam bona temporalia. Quidquid enim in hoc seculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profecto est: quia difficile habetur, & cito amittitur. Repente quidem alta seculi corruunt, pulchra transeunt; læta & prospera evanescunt. Nam cum stare in his floribus suis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina, & omnia deturbante morte, concluditur. Vana ergo sunt gaudia seculi, quæ quasi manentia blandiuntur: sed amatores suos, cito transeundo, decipiunt. Dicat ergo Propheta Samuel: *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis*. Quasi dicat: Stulte appetuntur bona seculi, quæ ab appetitoribus suis non poterunt diutius teneri. Et notandum, quia de futuro dicitur: *Non proderunt vobis*: quia nimirum nunc prodesse cernuntur; sed cum in futuro pro eis puniri cœperint, nequaquam prosunt. Unde & apte subditur: *Neque eruent vos, quia vana sunt*. Quasi dicat: Idcirco vos tunc non adjuvant, quia cum mundo deficiunt, & post seculum non habentur. Multum quidem seculi bona durant, si cum amatore usque ad extremum vitæ perveniunt. Post seculum ergo non prosunt, quæ finem vitæ transire non possunt. In hac quidem vita suos amatores peccatis obligant; sed tunc non eruent, ubi quidem per meritum sunt, sed per auxilium non sunt. Qua in re caute notandum est: quia eis temporalia bona non proderunt, qui post hæc declinare perhibentur. Post bona etenim temporis declinare, est in eorum appetitum defluere, amorem illorum divino amori præferre. Merito ergo his vana non proderunt: quia ea eo ordine, quo condita sunt, habere noluere. Sed quo fructu vana despiciantur, insinuatur; dum subditur:

Vers. 22.

Et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum: quia juravit Dominus facere sibi populum.

His qui post vana non declinant, quanta bona repromissa.

14. Magnum malum hæc vana post se declinantibus ingerunt: quia dum inordinate terrena appetunt, a summo & omnipotenti Deo ad sustinenda futura tormenta deseruntur. His ergo, qui declinare post vana prohibentur, merito Propheta repromittit, dicens: *Non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum*. Quia qui pro ejus amore vana despiciunt, a veris malis eruuntur, & ex fide promissionis, mercedem accipiunt æternæ hereditatis. Populum quippe suum Dominus facit, quem ad æternæ beatitudinis gaudia sustollit. Ibi quippe revelata majestatis suæ gloria illi præsidet, quem in mundo ab amore vanitatis per occultam gratiam assumtum tenet. Jurare quidem Domino, repromittere est, eumque populum suum facere, Dominus jurat, qui non declinat post vana: quia terrena despicienda sunt, ut æternæ hereditatis adipisci bona mereamur. Nec tamen ad ea posse his meritis se perduci aliquis credat: quia hic districte expressum est: *Propter nomen suum magnum*. Non enim bonitate nostra, sed Dei fit, ut homo

a Gilot. *conversio peccatori*.

homo terrenus bonis cælestibus perfruatur. Donum quippe Dei est, non ex nobis. Sequitur:

Vers. 23

Absit autem a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis.

Evangelicam perfectionem Samuel assecutus est sub Lege positus.

Supr. 8. 7

15. Ille ista loquitur, cui superius de iis, quibus loquitur, Dominus ait: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ecce abjicitur Propheta, & abjicientibus se loquitur dicens: *Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis.* Equidem si secundum Legis præceptum hoc discutitur, peccatum non esset, si pro abjicientibus se non oraret. Nam Lex Moysi præcipit, dicens: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed & qui Prophetam abjiciebant, non amici, sed inimici extiterant. Quid est ergo, quod dicit: *Absit a me hoc peccatum:* nisi quia vir sanctus ad caritatis verticem sublimatus, non solum diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos? Legis quidem veteris mandato instructus, sed novæ gratiæ fulgoribus illustratus, licentiam vetustatis Evangelica perfectione reprehendit. Quo nimirum in facto, nos nobiscum facere rationes cogimur. Hinc enim per Evangelium jubetur. *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Quantum ergo nunc inimici diligendi sunt, cum * præcipimur, si tunc amari potuere cum odio haberi jubebantur? Et quia non solum orare pro eis, sed eos erudire conabatur, subjungens, ait:

Levit. 19. 18

Matt. 5. 44

* *consule præfat. num. VI*

Ibidem.

Et docebo vos viam bonam, & rectam.

Qui omnis via bona, non sit recta.

16. Cur enim viam divini obsequii bonam dicit, & rectam: cum bona non sit, si non sit recta: nec recta, si non sit bona? Sed bona fuit via, quia populus ab Ægypto ad terram promissionis ascendit, & tamen dum per eremum circuivit, recta non fuit. Bona ergo via est, qua ad supernam patriam tenditur: recta, qua facile pervenitur. Via ergo bona & recta est, cum ad religiosam vitam convertimur, divina obsequia cum instanti fervore magnæ devotionis exercemus. Unde & bene eamdem viam Samuel exponit, dicens:

Vers. 24

Igitur [a] *timete Dominum, & servite ei in veritate, & ex toto corde vestro.*

Deum timendo, mala cavemus; ei serviendo, bonum agimus.

17. Hæc quidem via bona & recta est: quia ad æternam vitam tendit, & velociter pervenit. Per timorem quippe Domini devitantur mala: serviendo ei, ejus mandata complentur. Cui nimirum in veritate servimus, quando ejus precepta pro sola superna retributione perficimus. Nam qui de bono opere temporalem mercedem expetit, Deo in veritate non servit, quem falso proposito in sua operatione non diligit. Qui autem in veritate Deo servire cupiunt, totum cor in divinis obsequiis ponere jubentur, ut sic quę Dei sunt agant, ne in mente aliquid quod contra Deum sit, non retineant. Hæc profecto via non solum bona, sed recta est: quia ad salutem tendit, & viatorem suum ad perfectionem velociter deducit. Velut enim altera via terræ repromissionis ostenditur bona, quę perducat; recta, quæ diverticulum caveat. Per hanc quippe unusquisque tanto melius ad culmen virtutum pervenit, quanto per negligentiarum circuitus non divertit. Hæc quidem via recta in illa exprimitur, per quam Dominus filios Israel ducere ad terram promissionis voluisse perhibetur. Voluit quippe illis labores deserti committere, ut nobis post unigeniti sui vestigia gradientibus cursum tanti itineris levigaret. Non enim adhuc audi-

Matt. 19. 21

re poterant: *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et sequere me; et habebis thesaurum in cælo.* Dum enim licentia rerum temporalium vetus populus per diversa discurreret, quasi per circuitum laboris ad terram promissionis cito duci non potuit. Ut ergo nobis novæ vitæ viam Propheta insinuet, viam bonam & rectam esse dicit, & Deum metuere, & ei in veritate, & ex toto corde servire: quia ad sublimitatem divinæ gratiæ cito perveniunt, qui omnipotentem Deum & bono opere, & ferventibus desideriis inquirere non desistunt. Et quia eumdem populum ad audienda prædicationis verba per miraculum attentum fecerat, subdit:

Ibidem.

Vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit Dominus.

Id implere tenentur maxime Christiani.

18. Quasi dicat: Ex iis, quæ vidisti, colligite omnipotentem Deum quam terribiliter metuere, & quam devote ei semper servire debeatis. Quæ profecto verba, si ad nos trahere volumus, tanto nobis est & venerabilius metuendum, & devotius Deo serviendum, quanto in Redemtore nostro mirabiliora perspeximus. Sed quia quod boni audiunt, audacter mali contemnunt, subjunxit, dicens: *Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis.*

CAPUT III.

1. Reg. 13. Vers. 1

Regnum Saul quam breve, licet multis annis regnaverit.

Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset; duobus autem annis regnavit super Israel.

1. Superius cum ordinandi regis negotium tractaretur, de eo, qui divino judicio præferendus erat ceteris, dictum est, *Quia erat electus, et bonus.* Item de eo jam electo in regnum, & in medio populi statuto Samuel ait: *Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non est ei similis in omni populo.* De eodem itam rege nunc dicitur: *Filius unius anni erat Saul;* ut dum attente laudatur, a Domino bonus electus fuisse sentiatur. Cur ergo unius anni esse dicitur, cum regnare cœpisset, nisi ut ejus innocentia prædicetur? Nam ad litteram, unius anni quomodo esse filius potuit, qui universo populo ab humero & sursum eminebat? Quod ergo secundum litteram intelligi non potest, intelligi per internæ intelligentiæ rationem debet. Unius itaque anni rex esse describitur, ut donum pueritiæ in persona regis innocentiæ bonum signet. Unde & æterni regni filiis jubetur: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Quod certe & Ecclesiarum Pastoribus ipsa Veritas comminatur, dicens: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* De rege ergo, qui prius bonus, postea malus extitit, dicitur: quia unius anni fuit, cum cœpit regnare, & duobus annis regnavit. Licet enim multis annis regnaverit, illis solis regnare dicitur, in quibus innocens & humilis fuisse perhibetur. Nam postea superbus & inobediens audivit: *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex.* Se quidem a regno projectum cognovit, & tamen projectus regnare non timuit. Quanta postea fortiter egit? Sed ecce omnia illa tempora ad regnum ei deputata non sunt. Illo ergo solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter & humiliter viximus. Nam illa tempora, quæ in seculi vanitate, & fluxa carnis vita consumsimus, quasi perdita minime memorantur. Sunt adhuc quoque, qui ad rapiendum culmen sanctæ Ecclesiæ ingeruntur: de quibus per Prophetam

Supr. 9. 24

1. Cor. 14. 20

Matt. 18. 3

Infra 15. 26

Non vivunt, qui innocentiæ ac humilitatis jacturam fecerunt.

a Ordine præpostero in aliis edit. legitur: *Servite Domino & timete eum.* In Hebr. textu & in omnibus Versionibus, timor præmittitur. Sic etiam legisse Gregorium, liquet; cum ea verba exponendo, prius dicat: *per timorem*, &c. postea: *serviendo ei*, &c.

Osee 8. 4.

Dominus queritur, dicens: *Regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego ignoravi.* Qui nimirum dum quædam fortiter agunt, rapinam invasi culminis a Deo oblivioni traditam arbitrantur. Secum sua opera numerant, & quod præter Deum agunt, a Deo remunerandum putant. Qui certe, ut rectius ea, quæ agunt, enumerent, Saul abjecti tot fortia facta numerent, quę divinus numerus nequaquam tenet. Dicat ergo Saul: *Duobus annis regnavit super Israel*, ut de omnibus sentiatur: quia quod nobis vivimus, mercede vacuatur; & nequiter præesse, non est veritas pręeminendi, sed temeritas puniendę pręsumtionis. Sed jam quid unius anni rex fecerit, audiamus.

Vers. 2.

Et elegit Saul tria millia de Israel, et erant cum Saul duo millia in Magmas, et in monte Bethel; mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin.

Ad Ecclesiæ defensionem infirmi non assumuntur.

2. Millenarius numerus, qui a centenario decies collecto perficitur, summam perfectionis insinuat. Qui profecto cum ter repetitur, in eo electorum perfectiones variæ designantur. Saul ergo tria millia virorum de Israel elegit: quia prędicator veritatis ad defensionem sanctæ Ecclesię non infirmos & debiles, sed robustos & validos bellatores ducit. Tria quippe millia esse perhibentur: quia in summa perfectionis facie, virgines proferunt: juxta quos & continentes, & veritatis defensores ponunt. Dum enim exemplo virginum ad summam incorruptionis alios accendunt, dum continentium vita alios a seculi corruptionibus auferunt, dum humilium debilitatem per auxilia potentium defendunt, contra hostes sanctæ Ecclesiæ boni doctores quasi cum tribus electorum virorum millibus veniunt. Viri autem dicuntur pro fortitudine, de Israel esse referuntur pro divina contemplatione. In summo enim defectionis numero contineri non potest, qui aut virtute caret magni operis, aut notitia internæ visionis. Quid est quod alii cum Saul, alii cum Jonatha ex electis viris esse perhibentur? Sed & ipsa locorum nomina, in quibus esse dicuntur, mysteriis vacua credenda non sunt. Jonathas, qui filius regis esse describitur, & partem bellatorum habet, eos profecto insinuat, qui in prædicationis ministerio doctorum adjutores sunt. Filii quippe eorum sunt: quia vehementer eos diligunt, quorum ministerio Deo generantur. Sed parti bellatorum pręsunt: quia sanctę Ecclesiæ curam gerunt, & exemplo alios, alios vero exhortationibus ad amorem virtutum provehunt. Quasi enim magnus rex filium in exercitum miserat, qui Corinthiis loquebatur, dicens. *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, et fidelis, in Domino: qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo.*

1. Cor. 4. 17.

Ibid. 16. 10

Hinc item dicit: *Cum venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut ego.*

Alii sublimioris vitæ exemplis fideles adjuvant.

3. Jonathas vero cum mille viris in Gabaa Benjamin esse dicitur, Saul autem cum duobus millibus in Magmas, & in monte Bethel. Gabaa, ut sæpe jam diximus, sublimis interpretatur: Magmas, humilitas; Bethel, domus Dei; Saul, petitio; Jonathas, columbæ donum dicitur. Tria vero millia virorum electorum de Israel, ad virgines, & continentes, & veritatis defensores retulimus. Dum ergo columbæ donum Jonathas dicitur, & in Gabaa, idest sublimi, mille cum eo esse viri perhibentur: quid aliud, quam illos insinuat, qui lucidissi-

A mo virginitatis exemplo, aliis prębent ejusdem normam pudoris? Bene autem columbę donum, institutor virginum dicitur: quia incomparabili gratia Spiritus sancti efficitur, ut a manentibus in carne carnis corruptio nesciatur. Bene & in sublimi esse virgines dicuntur: quia quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Unde & Virgo ille dilectus Jesum locum virginum insinuans, ait: *Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in frontibus suis.* Quos etiam ex luce proprię conversationis insinuat, dicens: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocumque ierit.* In monte quidem esse cum agno dicuntur; quia per meritum incorruptionis, quo a terrenis & carnalibus delectationibus se dividunt, in superna Redemtoris gloria sublimantur. Cum Saul vero duo millia esse dicuntur in Magmas, & in monte Bethel. Magmas quę humilitas interpretatur, quid aliud, quam continentium ruborem significat? Nam dum pręterita carnis oblectamenta recolunt, erubescunt. Sed quia viri fortes sunt, cum Saul esse referuntur: & dum experta seculi blandimenta despiciunt, exemplo suę virtutis innumeros alios ad ejusdem seculi contemtum trahunt. Sed tamen Magmas inhabitant: quia dum recolunt, quales fuerunt in seculo, superbire C non possunt de eo, quod magnos se vident esse in Deo. Qui bene cum Saul esse referuntur, qui petitio dicitur. Prędicator etenim veritatis tantę caritatis esse debet, ut instanti desiderio non petitor, sed petitio esse sentiatur. Salutem quippe fidelium tam instantius debet appetere, ut ex usu interni gustus, omnem motum cordis in affectum ducat supplicationis. Cum quo mille viri sunt: quia perfectiores auditores cum electis doctoribus in caritate conveniunt, & pro salute fidelium omnipotentem Dominum communiter deprecantur. In Magmas ergo cum rege sunt: quia humilitatem pro se incolunt: ut exaudiri pro aliis mereantur. Sed dum electus doctor omnibus subditis utiliter pręest, omnium virtutes ad D victorię coronas promovet. Nam cum humilibus supplicat, cum fortibus pugnat, cum remotis viris, orationibus insistit, cum expositis Ecclesiæ defensoribus, debiles & infirmos protegit. Bene ergo non solum in Magmas, sed in monte Bethel esse cum Saul in bellatorum millibus dicuntur: quia prędicator Ecclesię sicut diversis ordinibus electorum præeminet, ita eorum esse cooperator debet. Bethel quippe, idest Dei domum custodiunt, qui verbi auctoritate sanctam defendunt Ecclesiam. Cum quibusque tyrannis voce liberę auctoritatis obviant, cum contra hujus seculi potentes se erigunt, cum pro defensione humilium, seculi hujus potestatibus contradicunt, Bethel domum Dei quasi regis [a] bellatores custodiunt. Qui certe cum Saul E esse referuntur: quia in defensione Ecclesiæ magnorum doctorum coadjutores sunt. Bene autem de reliquis dicitur:

Apoc. 14. 1

Ibid. v. 4.

Alii humilitate, ac terrenorum contemtu

Porro ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua. Ibidem.

Altiora se non præsumant infirmi.

4. Ceterum populum dicit, quem millenarius numerus non concludit. In tabernacula quisque sua remittitur, quia ad summa & fortia opera infirmi, & imperfecti producendi non sunt. Nam nec continentes, nec virgines, nec martyres fieri debi-

les

les possunt. Illis quidem, ut ad eos præterita carnis oblectamenta non redeant: istis, ut inexperta carnis blandimenta contemnant; illis, ut adversa mundi non metuant, maxima fortitudo necessaria est. In tabernacula ergo sua cetera plebs remittitur, ne de altioris vitæ temeritate damnetur, & velut debilis & infirma in bello pereat, dum altæ conversationis fidem spondet, quæ altæ virtutis robur non habet. Quasi enim unumquemque in tabernacula sua dimittebat beatus Paulus Apostolus, cum dicebat: *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum.* Velut enim peritus magister internæ militiæ, & coronas victoriæ, & pugnæ considerans pravitatem, militum vires in belli pondere librabat, optimum judicans infirmis, ut in urbibus viverent, ne acerbo marte perirent. Quare & item eos a castris fortium segregans, ait: *Revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Sed remotis debilibus, quid in fortissima virginum acie agatur, exponitur, cum subjungitur: *Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa.*

1. Cor. 7. 2.

Militum vires in bello spirituali sunt libranda.

Ibid. v. 5.

Vers. 3.

Primi victoriæ tituli Virginibus debiti.

5. Sicut excellit ordine sponsi acies, ita & victoriæ titulos prima suscepit. Jonathas quippe stationem Philistinorum percutit: quia electa virginitas de carne, continentiæ arce sublimata, motus turpes extinguit. Bene autem statio Philisthinorum dicitur: quia in corpore virginali carnales motus non habent requiem delectationis, sed statum certaminis. Stant quippe: quia impugnant, sed requiescere non possunt: quia mentem sanctam minime oblectant. Statio ergo Philisthinorum in Gabaa percutitur, quando ab electis virginibus carnis desideria penitus enervantur, & pacem triumphi obtinent, dum solita bella non habent. Ad quam profecto victoriam, quia majorum exhortatione sæpe proficiunt, mille viri in Gabaa cum Jonatha sunt; sed Jonathas percutere Philisthinorum castra perhibetur. Et quia exemplo aliorum, sæpe alii ad æmulationem virtutis excitantur, sequitur:

Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa.

Ibidem & Vers. 4.

Quod cum audissent Philisthæi, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi. Et universus Israel audivit hujuscemodi famam. Percussit Saul stationem Philisthinorum, & erexit se Israel adversus Philisthæos. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala.

Sanctorum exemplis fideles ad virtutem adhortandi.

6. Percussa quippe Philistinorum statione, Saul buccina canit, & post Saul populus clamat; quia auditas electorum virtutes sancti prædicatores prædicant, & subditorum corda ad exemplum boni operis inflammant. Buccina quidem canere, est & victoriam nuntiare, & exemplo victorum aliorum mentes ad spiritualis belli propositum excitare. Populo etiam post Saul clamare, est de audita prædicatione magnæ devotionis ausum suscipere. Quo in loco notandum est, quia Jonathas stationem Philisthinorum percussit; sed Saul tuba canens, se percussisse eamdem stationem perhibuit. Quia nimirum electorum prędicatorum triumphis adscribitur, quod a subditis occulti adversarii superentur. Sed quoties alios hostes vincimus, necesse est ut ad aliorum devincenda certamina præparemur. Omnipotens enim Deus, quia electos suos copiosius remunerat, eos semper vult in pugna consistere; ut ipsi semper possint sibi æterni muneris bona prępararare. Quare & cum populus clamasse post Saul dicitur, subjunctum est:

Vers. 5.

Et Philisthæi congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus sicut arena, quæ est in littore maris plurima.

Hostium nostrorum multitudo & feritas.

7. Superius rex Saul tria millia virorum sibi elegisse describitur. Si ergo partes utriusque exercitus conferre volumus, contra unumquemque virum Saul, decem currus Philisthinorum, & duo equites deputantur. Decies enim tria millia, triginta millia sunt. In senario quoque numero ternarius geminatur. Quo nimirum bello occultorum hostium tam multitudo, quam feritas designatur. In curribus quidem & equis contra nos veniunt; quia modo malas cogitationes electorum cordibus, modo eorum corporeis sensibus rerum visibilium blandimenta noxia offerre moliuntur. Equi namque ad cursum celeres sunt, ad impetum fortes. Quibus nimirum cogitationes malæ apte comparantur, quæ ad cor velociter veniunt, & fortiter pungunt. Equites contra nos in prælium veniunt, quando maligni spiritus nobis malas cogitationes & celeriter excitant, & nos per eas fortiter impugnant. Sed contra unumquemque fidelium duo equites veniunt: quia si occultas reproborum spirituum insidias in considerationis summam colligimus, illud eorum speciale propositum est; ut videlicet nobis principalem virtutem feriant, & caritatem Dei & proximi penitus extinguant. Equus vero unus sævire cernitur, quando reproba cogitatione nobis malignus spiritus suggerit, ut proximus odio habeatur. Sed equus, qui solus cernitur, solus non est; quia Deum nemo diligit, qui fratrem odit. Quia item divina caritas cum nullo principali vitio in mente convenit, quoties spirituale vitium nobis dæmonum fraude suggeritur, equitum sævientium cavere debemus velocitatem nimiam & ferocitatem violentam. In comparatione quidem equitis, sagittarii aut peditis ictus omnimodo debilis est. Impetus vero equitis, equi viribus violentus est; quia nimirum virtus maligni spiritus nulla est in electorum certamine, si ipse residere non permittitur in mala cogitatione. Quia ergo valde fortes in bello hostes nostri sunt, quando insidere internis cogitationibus permittuntur, in Philisthinorum exercitu equitum turba numeratur. Currus vero decem unicuique electo in prælium deputantur. Quinque enim nobis sunt sensus corporis, quibus experimentum accipimus delectationis. Sed spiritus maligni, quando per blandimenta carnis mentem decipere gestiunt, corporeis sensibus rerum species ostendunt quas caro appetat, & per earumdem rerum species suggerit, ut mens oblata concupiscat. Quasi enim in rotis suis currum adversarius erigit, dum hinc rerum blandimenta offert, inde cogitationes retinet; ista porrigit, illas immittit, & quasi volvendo se sublimem ad animam invehit, dum contra electos se malignus spiritus erigit, & per blandimenta rerum & per artem suggestionum. Decem ergo currus sunt; quia contra singulos sensus corporis nostri habent species blandimentorum visibilium, habent contra totidem sensus animæ, & deceptorias artes suasionum.

1 Joh. 4. 20.

Quot modis nos impugnant.

Sub diabolo duce militat innumera vitiorum turba.

8. Quid est autem quod reliquum vulgus sicut arena, quæ est in littore maris, esse plurima memoratur, nisi quia ad ducatum malorum spirituum, innumerabilis sævit contra nos turba vitiorum? Velut enim subjectum vulgus, currus & equites sequitur, quando dæmonum insidiæ mentem impugnando præveniunt; ut a subsequentibus vitiis, quasi ab

irrationabilis vulgi multitudine, devastetur. Bene autem prius currus & equites, deinde vulgi numerositas in spirituali Sanctorum pugna describitur: quia nimirum nulla est numerositas, nulla fortitudo vitiorum, si excitando & immittendo non præcedat hanc malignorum turba spirituum. Quibus etiam verbis innuitur, quam cauta & circumspecta semper esse debeat vita Sanctorum. Nam si vulgus reliquum arenæ maris plurimę comparatur, innumerabilis & fere inevitabilis est multitudo jaculorum. Quamvis enim peritis fidelibus omnia nota sint vitia, quantis tamen cor motibus pulsent, quibus modis, aut quibus causis semper ad cor veniant, omnino scire non possunt. Apertas quidem tentationum tenebras potenter abjiciunt; sed sæpe caliginem ignorantiæ in rebus levioribus quasi arenæ minutias non evadunt. Semper fortitudinem ostendunt boni operis; sed qui magnos exercitus equitum magna virtute superant, linguam penitus ab omni superflua locutione non refrenant. Continuo usu corpus in Dei omnipotentis servitio dirigunt; sed eorum mens, quæ foris membra perfecte ordinat, cogitationes superfluas aliquando nequaquam vitat. Quid enim aliud tunc, quam vulgi importunam multitudinem sentiunt, qui currus & equites magna virtute prostraverunt?

Contra eorum jacula quam cauti & circumspecti debeant esse Sancti.

9. Sed doctor egregius dicit: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Permittit quidem Deus electos suos magnis tentationibus impeti, ut magnificentissime in cælesti regno debeant coronari: sed magna prælia permittit, quæ vincant; levia excitat, in quibus cadant: ut victoria fortium magna sit, casus innoxius; ut cadentes se facile erigant, & eos fortia, in quibus victores steterant, non extollant. Nam si currus, & equites vincimus, extolli de victoria non debemus: quia innumerabilia sunt, quę cogitando, loquendo, videndo, gustando, & audiendo, & operando committimus. Hujus namque vulgi innumerabilis tela, etiam ille vitare non poterat, qui dicebat: *In multis offendimus omnes*. Hinc item dilectus Jesu loquitur, dicens: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*. Quis ergo jam quasi victor extolli audeat, si tanti viri peccatorum tela se omnino evadere non posse manifestant? Sed quia hæc in spirituali bello describuntur, non debemus nunc æstimare, quid patimur, sed qualiter hostium nostrorum impetum infirmare valeamus. Vulgus Philisthinorum arenæ comparatur, quæ est in littore maris plurima: quia omnis virtus vitiorum & numerus ex seculi perturbationibus augetur. Mare quippe hoc seculum designat: quia dum magna rerum & temporum varietate impellitur, quasi ventis furentibus perturbatur. In littore autem, quando impulsa maris aqua refunditur, innumerabiles arenæ minutiæ glomerantur. Quid est ergo littus maris, nisi cor uniuscujusque in spirituali conversatione negligentis? Per ordinem quippe religionis, quasi in solido stare cernitur; sed dum seculares cogitationes non reprimit, quasi frangentes in se maris fluctus excipit, & cumulos arenarum: & inde quidem impelli fluctibus, & obrui arena potest, unde mari appropinquare non timet: quia si seculi cogitationes spiritualium rerum contemplatione reprimeret, vitia mentis & corporis, quæ seculi occupatio velut arenas & fluctus invehit, non sentiret. Cur ergo vulgus hostium arenæ simile esse dicitur, nisi quia maligni spiritus eisdem vitiis electos Christi

Rom. 8. 28.
Cur post telo tamen magnis tentationibus victoriam, levioribus succumbere sinantur.

Jac. 3. 2.
1. Johan. 1. 8.

A athletas impugnant, quibus negligentes superant? Cum turba quidem secularis strepitus contra eos veniunt, qui seculum in suis delectationibus spernere tota mente didicerunt. Pompas rerum visibilium formant, contemtum jam seculi amorem fingendo renovant: ut corda superno amore flammantia, ad noxias delectationes trahant. Sed sancti viri, quia innumerabilem hanc nequam cogitationum turbam de seculi pelago prodire considerant, seculum tota mente fugiendo, fieri littora maris vitant, & tantum vulgus hostium jam non timent: quia dum in intima contemplatione se retinent, vitiorum turba ad eos accessum habere non potest. Sequitur:

Et ascendentes, castrametati sunt in Magmas ad orientem Bethaven.

Ibidem.

B 10. Malignis spiritibus ascendere, est ad decipienda Sanctorum corda, per cæleste desiderium alta conari. Bene autem dicitur: *Castrametati sunt in Magmas*. quia in illis cordibus resident, quæ in alto amore cælestium sublimata non vident. Magmas quippe humilitas intepretatur. Humiliari vero in sacro eloquio pro defectu sæpe virtutis accipitur. Unde & in hac eadem Regum historia Thamar David regis filia, quam violasse Amon frater ejus legitur, humiliata perhibetur. Corrupta quidem humiliata est: quia sublimis steterat virgo, & dum altum honoris virginei culmen perdidit, velut de sublimi ad planum & humilem locum venit. De futura etiam superborum depressione dicitur: *Omnis, qui* C *se exaltat, humiliabitur:* quia in examine superni judicis corruunt, qui vane de hujus seculi sublimitate gloriantur. Bene ergo in Magmas castra ponere Philisthæi perhibentur: quia per iniqua consilia in eis dæmonia [a] habitant, qui alta virtutum culmina tenere non curant. Nam dum terrena quærunt, velut plana & humilia incolunt, ubi invisibiles hostes castra ponere leviter possunt. De quibus nimirum hostibus per Prophetam dicitur: *Qui dicunt animæ tuæ: incurvare, ut transeamus*. Erecta quidem sublimis est anima, incurvata humilis: quia per virtutum celsitudinem, & per cæleste desiderium in alta sustollitur: sed quando ad vitia, vel ad seculi amorem defluit, illuc quidem cadit, ubi hanc hostis irruens leviter atterit. Dicunt ergo animæ D tuæ: incurvare, ut transeamus; quia si hanc ad agenda, vel cogitanda terrena non humiliant, nec malignis persuasionibus penetrant, nec vitiorum bello perturbant.

In cordibus amore cælestium non succensis, castrametantur spiritus mali.

2. Reg. 13.

Luc. 14. 11.

Isai. 51. 23.

11. Hinc ergo colligere possumus, quantum a seculo actu, verbo, & cogitatione longe fieri debeamus. Verba quippe nostra, cogitationes, & opera plana & humilia sunt, quando secularia. Per hęc quidem ibi sumus, ubi occultorum hostium castra libere ponuntur, ubi tanto facilius capi possumus, quanto nulla munitionis arce sublevamur. Quis enim jam fidelis nesciat, quia culpas verborum, cogitationum, & operum nostrorum colligant, & ad accusationem nostram in adventu venturi judicis servent? Unde & hunc humilem atque despectum E locum Magmas fugiendum nobis esse Dominus insinuans, dicit: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii*. Locus ergo hostium humilis dicitur; ut profecto nobis insinuet, quia verbo, cogitatione, & opere semper sublimes esse debeamus. Et quia dum in humili remissioris vitæ suæ loco reprobi capiuntur, exempla pravitatis ostendunt, quæ aliis imitanda proponantur; ab oriente Bethaven Magmas esse dicitur

Culpas vel leviores cogitationum & verborum, in judicio nobis objecturi sunt.

Matth. 12. 36.

a Gilot. & Vatic. habent.

tur. Ab oriente quidem solis lucem oriri cernimus. Reproborum autem vita, quamquam veritatem obscuritatis habeat, qui hanc tamen pro vana seculi delectatione semper appetunt, nimirum velut falsæ lucis splendore falluntur. Unde & per beatum Job dicitur: *Auferetur ab impiis lux sua*. Modo quidem velut lucidum eis placet blandimentum seculi; sed dum de seculo exeunt, perpetuas subibunt tenebras, quas lucem esse crediderunt. Tunc videbunt quia lux non fuit, quando in adversitatem prosperitas, lux in tenebras, risus in mœrorem, dulcedo in vermem, decor in deformitatem, honor in dedecus, blandimenta in pœnas & æterna tormenta commutantur. Hæc profecto, quia nunc impiorum corda non sentiunt, bonorum mores imitari refugiunt; & exemplo perditorum, quidquid de seculo eis placet, sumere nequaquam timent; quia illos imitantur, qui per vitam reprobam habitacula dæmonum facti sunt. Unde & merito domus inutilis dicuntur: quia sæpe Sanctorum prædicationem suscipiunt, sed verbum quod ab eorum ore audiunt, in se habitare per amorem nequaquam patiuntur. Inutilis ergo domus sunt: quia aptam in se Deo habitationem non faciunt. Hanc inutilem domum per semetipsam Veritas in Evangelio designat, dicens: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Hinc iterum scriptum est: *Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum, & non habitat in corpore subdito peccatis*. Bene ergo inutilis domus habere in orientis parte Magmas dicitur: quia, qui Sanctorum prædicationem spernunt, in reproborum exemplo ima & terrena quærentium, velut in magnæ lucis exortu gratulantur. Sed dum, loquentibus sacræ historiæ mysteriis, malorum conversatio demonstratur, quam sit cauta Sanctorum vita, subsequenter ostenditur. Nam sequitur:

Job. 38. 15.

In extremis omnia in contraria commutabuntur.

Matth. 8. 20.

Sap. 1. 5.

Vers. 6.

Quod cum vidissent viri Israel, esse in arcto suos, afflictus est populus, & absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & cisternis.

12. In arcto quidem sumus, quando ab immundis spiritibus intus tentamur, & foris malorum hominum exempla conspicimus. Contra internam ergo malorum spirituum tentationem bene dictum est: *Afflictus est populus*, & contra exteriora exempla impiorum hominum, *Absconderunt se*. Quia blanda & læta nobis appetenda callidus adversarius suggerit, qui numquam melius vincitur quam si tentati ad devotæ orationis lamenta curramus. Et exempla pravorum vitare citius possumus, si ea etiam respicienda non esse judicemus. Abscondi ergo Sanctorum, est reproba videre dedignari. Et quia quinque sensus corporis a reproborum imitatione custodiunt, quinque etiam latibulorum genera describuntur: speluncæ scilicet, abdita, petræ, antra, & cisternæ. Speluncæ vero montium occulta sunt: Quia vero alta in cælesti desiderio sunt corda Sanctorum, & malignis spiritibus clausa & inaccessibilia sunt. Speluncas ergo ingredimur, quando ad mentium secreta recurrimus, ne vagantibus oculis foris concupiscenda videamus. In abditis abscondimur, quando clausi oris silentia occulta servamus. Petras ascendimus, quando actum corporis in robusta operatione locamus. Unde & de his absconditis per Prophetam dicitur sub unius assignatione: *Qui claudit oculos suos, ne videat malum, & obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & excutit manus ab omni munere: in excelsis habitabit, munimenta saxo*-

Ab immundorum spirituum tentationibus intus, & a pravorum exemplis foris hic coarctamur.

Quæ nobis quærenda latibula.

Isa. 33. 15.

A *rum sublimitas ejus*. Antra & cisternas intramus, quando & olfactum ab obscœnitatibus mundi, & aures ab audiendis vaniloquiis custodiamus. Cisternæ namque aquarum sanctarum Scripturarum verba sunt. In cisternis ergo abscondimur, quando ad sacri eloquii aquas ingredimur, ut per aurium officium mentium prata rigemus. Bene autem in electorum typo Israelis latibula memorantur: quia qui sensus corporis a delectationum carnalium inquinamento non protegit, occultorum hostium gladium non evadit. Dicat ergo occultæ illius congressionis victoriam, dicat: *Afflictus est populus*. Dicat aperte objecti extra certaminis triumphos: *Absconderunt se*. Afflictio quippe electæ mentis, omnis diabolicæ tentationis peremtorius mucro est. B Nam dum profunde compungitur, in superni gaudii amorem sublevatur; & tanto jam fortius oblata mundi oblectamenta respuit, quanto jam cælestia ferventius diligit, ad quæ flendo conscendit. Doctor namque egregius dicit: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*. Qui certe regni cælestis introitus sic speratur in fine temporum, ut in quotidiana Sanctorum vita sentiatur. Tribulatio igitur nostra superni gaudii introitus est. Merito ergo quoties electa mens in afflictionis suæ lamento compungitur, se tribulando, hoc obtinet, ut intret in contemplationem illius superni regni, in quo ineffabiliter gratuletur. Et dum sancti viri amatores mundi in flore transeuntis lætitiæ videre refugiunt, dum C corporeos sensus suos ab eorum imitatione abscondunt, eorum, quæ cernitur non est fuga, sed gloriosa victoria. Actus quidem terrenos fugiunt, sed cælestes assequuntur; mundo delitescere videntur, sed cælesti gloriæ revelantur. Fugiendo igitur noxia, hostes suos validius insequuntur, & valde nobilius triumphant, cum sic ad cælestia properant, ut eos adversariorum * polluta sævitia non contingant. Sequitur:

Act. 14. 21.

Tribulatio cælestis gaudii introitus.

*Locus obscurus. Forte legendum pollutæ vitia non contingant. vel compungendo eos adversariorum polluta se vitia non contingant.

Vers. 7.

Hebræi autem transiere Jordanem ad terram Gad, & Galaad.

13. Hoc profecto si prius juxta litteram scire volumus, Hebræi isti timore perterriti, & ad hostes suos confugisse sentiuntur. Nam non multo post in aperta Jonathæ victoria scribitur: *Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri & nudiustertius ascenderuntque cum eis in castra, reversi sunt ut essent cum Israel, qui erant cum Saul et Jonatha*. D Quid vero in hoc facto signatur, nisi quod quotidie in sancta Ecclesia fieri cernimus, bonorum esse tutam & cautissimam vitam, negligentium præcipitem impatientiam? Infirmi quidem & audaces sunt curiosi ad actiones seculi; debiles ad tolerandum bellum tentationis. Et si in his nostra discutimus, in monasteriis plerique tales inveniuntur. Intra portus quidem tranquilla inhabitant, sed aperti pelagi procellas, & tempestatum turbines nequaquam pensant. Cumque foris quasi fortes agere se magna æstimant, ad gravissima tentationum prælia faciles exeunt; ad fortes adversarios, impotentes. Ratione quidem improvidi, E robore infirmi, sicut astutæ tentationis fraudes non intelligunt, ita & apertas blandimentorum decipulas non evadunt. Jordanem ergo transeunt, quia ad perpetranda carnis flagitia incurvantur. Jordanis quidem, descensus eorum interpretatur. Qui ergo justitiam deserunt, ab alto monte virtutum cadunt. Quia ergo infirmi quique libenter appetunt mundi blandimenta quæ cernunt, in eorum typo Hebræi non trans Jordanem perlati, sed Jordanem transire perhibentur.

Bonorum vita tuta & cautissima.

Infr. 14. v. 21.

Negligentes præcipites sunt, curiosi, ac militiæ spiritualis impatientes.

Tales quandoque visuntur * in monasteriis.

Tran-

Transire quidem volentis est. Jordanem itaque transeunt, qui ad carnales delectationes voluntaria & festina deliberatione flectuntur. Possunt autem intelligi Jordanem transire, qui noviter peccare incipiunt, sed aliorum peccatorum hominum nequitias peccando transcendunt. Ad desceosum quippe eorum desinendo, non transcundo pertingerent, si aliis æqualia mala facerent, & non ea audendo superarent. Et quia in nequiori etiam vita pares suos inveniunt, bene ad terram Gad & Galaad, trans Jordanem pervenire memorantur. Velut enim trans Jordanem habitant, qui per peccandi usum malis pejores fiunt. Ab hoc descensu culpæ erigere peccatores venerat ille, de quo scriptum est:

Luc. 3. 3.

Venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Qui de omnibus culpis prædicare pœnitentiam venerat, in omnes utique desceosus regiones venisse prędicatur. Sequitur:

Ibid. & Vers. 8. ac 9.

Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum. Expectavit autem septem diebus juxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. Ait ergo Saul: Afferte mihi holocaustum & pacifica: & obtulit holocaustum.

Nihil studiosius vitandum, quam superbia & inobedientia.

14. Hucusque quia de Saul, ut superius dictum est, electo & bono divinus sermo locutus est; rationabile visum est, ut quæ de eo dicebantur, tam per historiam quam per moralitatem, in bonam partem acciperemus. Nunc vero, quia ad locum transgressionis ejus pervenimus, nimirum necesse est, ut in eo etiam, quę sunt vitanda, videamus. Sed quid umquam studiosius vitandum electis omnibus, quam superbiæ & inobedientiæ malum videri debuit? Hæc quippe primi Angeli sublimitatem deposuit, hæc perditorum spirituum gloriam stravit. Hæc primo homini felicitatem abstulit; hæc captivitatis humanæ perpetuas ærumnas invexit. Et ecce primo Angelo, primo homini, electi populi per inobedientiam rex primus adjungitur, ut dum magna proruunt, minima erigantur. Bene quippe erigimur, si & illorum lapsus aspicimus, & vitamus. Ubi ergo Saul ceciderit, attente considerandum est. Superius

Super. 10. 8

namque ei dixerat Samuel: *Descendas ante me in Galgala. Ego quidem descendam ad te, ut offeras holocaustum, & oblationem, & immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis me, donec veniam ad te: & ostendam tibi, quæ facias.* Idcirco igitur per inobedientiam cecidit, quia integris septem diebus, sicut jussus fuerat, non expectavit. Nam in eodem loco repente subjungitur:

Vers. 10.

Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat.

Repulsus ob levem inobedientiam Saul, nos terreat.

15. Quo in loco trementi corde considerandum est, quam brevissimi temporis expectatione neglecta, repulsus sit. *Cum complesset*, inquit, *holocaustum, ecce Samuel veniebat.* Si ergo cum solo temporis brevissimo intervallo expectaret, quo obtulit holocaustum, securus jam regni sui robur obtinere potuisset. Itaque si tanta pœna est, quando Propheta despicitur: quid putamus de pelago illo divinæ animadversionis incurratur, cum ipsa divina præcepta dissipantur? Et quia in momento transit carnis delectatio, & omnis peccatorum commissio, & brevis quidem est hora transgressionis, non tamen brevis pœna flagitii: quia dum ad momentum in nobis regnum peccati erigimus, illa regna perdimus omnium seculorum. Statim enim post peccatum sermo propheticus venit, ut increpet: qui adesset, si non peccaremus, ut in bono roboraret. Polluta quidem conscientia habet jam divinum eloquium contra se; quæ si pollui vitaret, ab eo adjuta, & relevata proprio vigore subsisteret. Quid enim nobis aliud spiritualiter designat, quod dicitur: *Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat?* Et si non obtulisset holocaustum, nihilominus & Samuel venisset. Sic nimirum & cum tentamur, divina gratia juxta est, quæ sustinentes adjuvet: juxta & divina justitia, quæ deficientes damnet. Unde sacra Scriptura nos expectare cohortans, ait:

Cum tentamur, juxta est gratia, ut adjuvet.

Eccle. 10. 4.

Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum cito non deseras. Hinc Propheta testificans, ait:

Isai. 50. 7.

Dominus auxiliator meus, & ideo non sum confusus. Hinc Psalmista vicina eadem auxilia respiciens, ait:

Psal. 15. 8.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Sed jam Propheta quid non expectanti dicat; quid is, qui expectare noluit, respondeat, audiamus:

Vers. 11.

Locutusque est ad eum Samuel: Quid fecisti?

Deo non obtemperare, quam grave scelus sit, ob oculos ponendum.

16. Sciebat quidem Propheta quid fecerat, sed interrogando, inobedientiæ factum reprobabat. Unde & ad peccantem Adam in Paradiso a Domino dicitur:

Gen. 3. 9.

Adam ubi es? Potest etiam per hanc interrogationem magnitudo reatus intimari. Ac si aperte dicat: Parum tibi videtur, quod inobediendo deliqueris, sed a sublimi gloriæ tuæ culmine delinquendo cecidisti. Nunc ergo plerique intra sanctam Ecclesiam se flagitiis obruunt, & quasi qui nulla aut minima perdant, securi sunt. Dicatur ergo lapso, dicatur: *Quid fecisti?* Parum tibi videtur, quod te peccati sorde pollueris, quia quam æternitatis gloriam perdideris, quam gehennæ pœnam merueris, non attendis. Interrogatur quidem peccator quid fecerit, ut ad cor per lamenta perducatur, ut magna se incurrisse sciat, & parum non doleat. Sed quia ex radice superbiæ ipsa culpa inobedientiæ nascitur, solent inobedientes reatus sui magnitudinem objurgantibus doctoribus audire, sed non humiliter confitendo satisfacere. Nam cum sublimes videri appetunt, lapsus suos ostendere dedignantur; & ideo excusationes proferunt, justitiam prætendunt: quia apparere peccatores erubescunt. Bene ergo subjungitur:

Ibidem & Vers. 11.

Respondit Saul: Quia vidi, quod dilaberetur a me populus, & tu non veneras juxta placitos dies. Porro Philisthiim congregati fuerant in Magmas. Dixique: Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus obtuli holocaustum.

Vanas imperitorum detrectantis excusationes.

17. Ecce qui de magnæ transgressionis temeritate arguitur, magnas causas justitiæ asserere non veretur. *Vidi*, inquit, *quod dilaberetur populus a me.* Ecce hic asseritur destitutus a populo: *Porro non veneras juxta placitos dies.* Hic se ostendit Prophetæ promissione fraudatum. *Porro Philisthiim congregati fuerant in Magmas.* Hic pariter objicit imminens periculum congressionis. Quare ex actione sua verbum subinferens, ait: *Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Quasi dicat: Tu me de magno reatu arguis, cum reatus tanto sit levior, quanto non temeritate constat, sed necessitate. Sed qualem cum cognoscat Propheta, qui se cognoscere noluit, subjungens, ait:

Vers. 13.

Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui.

Dum homines despicit, Deum ipsum contemnit.

18. Superbi quique, quia per tumorem supra homines se esse arbitrantur, competenter arguuntur, cum eis divina voluntas objicitur, quam offendunt.

dunt. Saul ergo superborum more arguitur, qui Domini Dei sui mandata contemsisse perhibetur. Quod tale est, ac si superbientem & contemnentem terreat, dicens: Et si homines despicis, nunc non consilium hominum, sed Domini Dei tui mandata dissipasti. Recte ergo tuum reatum pensas, si illum, quem contemnis, trementi corde consideras. Et notandum, quia non ait: Non custodisti mandata Dei tui, aut, mandata Domini tui, sed: *Non custodisti mandata Domini Dei tui*. Ac si aperte dicat: Ausus magnæ transgressionis esses, si ille, cujus mandata despicis, tantum Dominus tuus, non etiam Deus existeret. Quantum ergo est quod committitur, cum Dei & Domini mandata negliguntur? Quia item non dixit: Domini Dei mei, aut Domini Dei nostri, divinæ familiaritatis gratiam eum offendisse redarguit. Quasi dicat: Ejus præcepta contemsisti, qui dum te de imo extulit, dum super alios te constituit, dum regem fecit, per impositionem tantorum munerum, velut specialiter tuus fuit. Adhuc quoque subjungitur, unde transgressionis ejus audacia major esse doceatur:

Ibidem.

Quæ, inquit, *præcepit tibi*.

Propria præcepta violare gravius sit, quam communia.

19. Quædam denique Dei præcepta sunt communia omnium, non specialia aliquorum. Ut ergo audacem reum temeritatis suæ patenti objectione convincat, non eum præcepta communia, sed propria & singularia contemsisse demonstrat. *Quæ*, ait, *præcepit tibi*. Ac si dicat: Illa Dei & Domini tui mandata contemsisti, quæ non velut communia omnibus, sed velut propria, & soli tibi singulariter credita observare debuisti. Sed quid mereatur, exponit, dicens:

Ibid. & Vers. 14.

Quod si non fecisses, jam præparasset Dominus regnum tuum super Israel usque in sempiternum, sed nequaquam ultra consurget.

Qui bona inchoant, nec consummant, quanta perdant. *Eccli. 2. 16.*

20. Ecce quam magna perdidit, qui, ut putabat, nulla contemsit. Ecce septem diebus Prophetam sustinuit; sed dum præstolari eum in fine diei desiit, gloriam tantæ dignitatis amisit. Unde & per Prophetam dicitur: *Væ iis qui perdiderunt sustinentiam*. Sustinentiam quidem perdunt, qui bona, quæ inchoant, non consummant. Quibus nimirum væ esse dicitur: quia non solum incœpti laboris mercedem perdunt, sed etiam apostatatus sui pœna feriuntur. Pœna autem superbi & inobedientis regis declaratur, cum dicitur: *Quod si non fecisses, præparasset jam Dominus regnum tuum super Israel amodo & usque in sempiternum; sed non consurget*. Amodo & usque in sempiternum electum regnum paratur: quia qui temporalia bene ordinant, æternæ gloriæ sibi sublimitatem parant. Modo quidem electorum regnum paratur, cum per divinam gratiam recte eorum ministeria dispensantur. Quod amodo & usque in sempiternum proficit: quia de sublimi actione hujus temporis, sublimiorem illam æternitatis gloriam promerentur in cælis. In finem itaque reprobo regi dicitur: *Regnum tuum nequaquam ultra consurget*. Quasi dicat: Dum a temporali rectitudine deficit, ad æternitatis celsitudinem non pertingit. Vel idcirco ad litteram non consurgere dicitur: quia cum ipso corruit, & post ipsum in ejus filiis non remansit. Sed, ut livoris pœna feriatur, non solum repulsionem suam, sed etiam electionem alienam audire compellitur. Nam subjungens Propheta ait:

Quo sensu regnum sempiternum, Sauli promittebatur.

Vers. 14.

Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, & præcepit ei, ut esset dux super populum suum Israel.

21. Per omnia verba hæc superbus eliditur: *Quæsivit*, inquit, *virum juxta cor suum*. Quasi dicat: Ideo eum quæsivit, quia tu juxta cor suum esse noluisti. Quasi dicat: Talem virum populi sui ducem constituit, qui præceptum divini consilii exequatur virtute devotionis. Quia enim corde ea quæ agere volumus, deliberare solemus: dum usu nostræ locutionis cor Dei in sacro eloquio ponitur, per eum voluntas ejus intima designatur, quæ a nobis tunc foris agnoscitur, quando inobedientiæ præcepta revelantur. Juxta eam vero sumus, quando hanc, & per intellectum agnoscimus, & per amorem custodimus. Bene ergo de Domino Propheta Samuel dicit: *Quæsivit sibi virum juxta cor suum, & præcepit, ut esset dux super populum suum*. Quia ille aliis utiliter præcipit, qui obedire Deo perfecte jam novit; qui solum hoc præcipit, quod ex consilio procedit intimæ veritatis.

Recte s[illegible] imper[illegible], qui Deo p[illegible] li[illegible].

Cor pro voluntate summitur.

22. Sed quid est, quod quasi de præterito dicitur: *Quæsivit sibi Dominus virum, & præcepit ei, ut esset dux*, cum non fuerit quæsitus, nec ei, ut populo suo præesset, injunctum? Nam postquam Saul percussit Amalech, eidem Prophetæ Dominus ait: *Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te ad Isai Bethlehemitem*. Sed hæc quæstio facile solvitur, si omnipotentis Dei præscientia, & prædestinatio videatur. Ei quidem prædestinare, facere est: & apud ipsum jam facta sunt, quæ ab ipso fieri prærordinata sunt. Unde & de eo scriptum est: *Fecit, quæ futura sunt*. Sed quæsisse virum Deus dicitur, ut eligendorum antistitum forma hominibus præbeatur. Quærere enim solemus, quæ aut præsentia non cognoscimus, aut absentia non videmus. Deus autem, cui nihil est absens, nihil latens, non dicitur quæsisse virum, ut absentem, aut absconditum: sed quæsisse dicitur, ut omnis, qui ad sanctæ Ecclesiæ culmen eligitur, discutiendus ab hominibus esse doceatur. Sed quæri debet secundum cor Dei; ut videlicet non solum divinam voluntatem intelligat, sed bonis operibus ostendat. Quia item electi viri ad honorem primatus non ex ambitione veniunt, sed coacti perducuntur, bene dictum est: *Et præcepit ei, ut esset dux*: Quasi dicat: In honorem prælationis non per ambitionem subiit, sed coactus ascendit. Potest etiam intelligi vir pro fortitudine; secundum cor Dei, pro interna caritate. Quando igitur necessitas exigit, ad curam sanctæ Ecclesiæ quæratur vir, ut sit conversatione fortis; quæratur secundum cor Dei, ut per effectum magni amoris, quasi unitus sit divinæ voluntati: præcipiatur ei, ut sit dux; quatenus sublimitatis ordinem conscendere ex cupiditate non ambiat, sed ex humilitate pertimescat: sicque sibi humilis metuat, ut subdi præcepto Dei devotius agnoscat. Sed quia his verbis Propheta lapsi regis vitam reprehenderat, sequitur:

Deo prædestinare, facere est.

Infr. 16. 1.

Isai. 45. 11. Sec. lxx. Forma eligendorum antistitum.

Vers. 15.

Surrexit autem Samuel, & ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin.

Pastores pravorum animi motuum quibus medentur, sint expertes.

23 Quasi ab alto ad planum sanctæ Ecclesiæ doctor venit, quando peccatorum culpas redarguit, & status sui sublimitatem curvat, cum ad discutienda malorum crimina se per affectum caritatis humiliat. Bene ergo de eo, qui peccatorem arguerat, dicitur: *Surrexit, & ascendit*. Surgit quippe electus prædicator, quando ad altitudinem suæ spiritualis conversationis se per intentionem erigit: ascendit autem, quando ad arduam ejusdem vitæ suæ celsitudinem per consuetum opus venit. Cælestia quidem desideria, spirituales virtutes, bona opera in sublimi sunt: affectus terreni, concupiscentiæ seculares, vitia & peccata in infimis: Doctor

vero, ut lapsos bene corrigat, prius culpas discutiendo invenit, deinde inventas ferit. Ut ergo, quæ feriat, perspicue & aperte videat, mentis oculos ad videnda ima peccatorum vulnera curvat. Sed perspecta non ferit, si ad tangenda ea in infimis, non descendit. Surgere ergo, & ascendere Propheta dicitur, quia electi doctores sic ad ima nostra videnda & emendanda plerumque veniunt, ut redire statim ad alta conversationis suæ numquam obliviscantur. Quibus etiam verbis sacerdotalis animi libertas asseritur. Nam plerique alios increpant, qui semetipsos validissimo iræ bello perturbant. Post increpatas vero culpas surgere & ascendere nequeunt: quia in semetipsis turbidi, ad alta intimæ quietis progredi nequaquam permittuntur. Quidam coercendas aliorum turpitudines audiunt; sed cum ad cogitanda ima descenderint, noxia eorum delectatione sordidantur. Infirmi quidem & tanti ministerii impares, dum solvere inferius aliorum [a] nodos gestiunt, illos non liberant, sed semetipsos ligant. Quid ergo significat, quod de Samuele dicitur: *Surrexit, & ascendit*, nisi quod in perfectioribus viris aspicimus, qui sic nostra inquinamenta respiciunt, ut ab eis nequaquam sordidentur: sic nobis irascuntur, ut quietis intus secreti sua alta conscendere velociter possint? Fortes namque & potentes sunt, & qui magna & fortia sua leviter ferunt, nostris infirmitatibus non gravantur. Et quia in correctione nostra sanctæ Scripturæ testimonia proferunt, a Galgalis surgere, & ascendere perhibentur. Galgala quidem, ut plerumque jam dixi, rota nominatur. Testimonia vero Scripturarum, quia per diversos sensus in nostra eruditione volvuntur, velut rotæ sunt. Et quia cum sancti prædicatores subditorum sollicitudinem deserunt, in æternæ vitæ contemplatione sublimantur, in Gabaa Benjamin Samuel ascendere dicitur. Gabaa denique Benjamin, collis filii dextræ interpretatur. Quis ergo est filius dextræ, nisi quem sancta Evangelia confitentur ad cælos ascendere, & ad dextram Dei Patris sedere? Collis igitur filii dextræ, æterna est celsitudo Redemtoris. Quando enim ima nostra sancti prædicatores deserunt, in alta illa divina Redemtoris per intentionem surgunt, & per visionem conscendunt.

Sic aliorum inquinamenta respiciant ut non sordidentur.

Pastores ab inobedientium consortio se subducant.

24. Potest & secundum historicum sensum simplicius intelligi hoc, quod dicitur: *Surrexit, & ascendit*: quia videlicet in rege, quem arguerat, humilitatem pœnitentiæ, qua manere cogeretur, minime cognovit. Idem tamen rex in ministerio relinquitur, ut ipsa Prophetæ separatione corrigatur: quia plerumque quos prædicatoris verba non corrigunt, dividi a prædicatorum familiaritate, vel a sanctæ Ecclesiæ unitate pertimescunt. Juxta prædicatores duri sunt, sed separati resipiscunt: & qui inobediendo peccaverunt, obedire Deo, jam humiliter parant. Unde & rex Saul non multo post demoliri Amalechitas præcipitur: ut, si mandatum Domini ejusdem cæde gentis perficeret, prioris inobedientiæ nexus enodaret. Separatus quidem a Propheta, ea agere visus est, ut ad agenda alia juberetur. Quare & subditur:

Infr. 15.

Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabat illos: venientes ex Galgala in Gabaa Benjamin. Ibidem.

Justa pia que Pastorum severitate rejecti, quid agere debeant.

25. Nonnulli sic in peccato corruunt, ut in nullo bono opere teneantur: nonnulli vero dum mala se perpetrasse recolunt, agere bona instanter conantur. Agendo quippe bona, mala quæ relinquunt, operiunt: ne ab æterno judice detecta judicentur. Hoc nimirum si factum Saul in bonam partem deducimus, hoc invenimus: quia qui prius in sacrificio, metuens Prophetæ mandata contemsit, postea vero ad eos, quos metuerat, conterendos populi Dei adversarios festinavit. Quo in loco etiam hoc notandum est, quia quem Propheta deseruit, ad experienda bella hostium de Galgalis ascendit. Plerosque etenim peccatores justa prædicatorum severitas projicit, quos tamen divina memoria non relinquit. Solatia & adhortationes Rectorum propter culpas amittunt: sed sacras Scripturas consulunt, propositum resumunt; & qui inobedientiæ malo velut lapsi jacuerant, erecti per obedientiæ fervorem ad occultorum hostium bella procedunt. Bene ergo de Galgalis, idest de rotis venire memorantur: quia de sanctis Scripturis accipiunt, unde adversæ partis militiam comprimere fortiter possint. Quia vero perditæ conversationis altitudinem recuperare vincendo satagunt, in Gabaa Benjamin ascendere dicuntur. Quia item alii in latibulis se clauserant, alii ad hostes confugerant, reliqui populi vocantur, qui nullo sunt timore perterriti, sed cum rege suo ad locum festinant congressionis. Quod etiam nunc in Ecclesia videmus: quia videlicet plerique quasi parvuli proficere per privatæ vitæ studium proponunt, plerique fortes in expositis quoque maligni hostis certaminibus audaces sunt: ut aperte videant seculi blandimenta, quæ appetant, sed appetere visa contemnunt. Hi quidem non in latibulis, sed in aperti certaminis campo consistunt, expositi ad prælium, fortes ad triumphum, qui pugnare possunt, & nequeunt superari. Unde & per perfectum numerum designantur, cum subditur:

Et recensuit Saul populum qui inventus fuerat cum eo, quasi sexcentos viros. Ibidem

Qui sint in Ecclesia fortes operarii.

26. Septem quippe diebus hebdomada impletur, sed unus eorum ad operandum prohibitus est, sex vero in boni operis studio conceduntur. Centenarius autem numerus summam continet numerorum. In sexcentis ergo viris, qui alii designantur, nisi qui opere, & cordis deliberatione robusti sunt? Nam quidam fortia proponunt, sed quia quod proponunt, non faciunt, ad sexcentorum virorum numerum non pertingunt. In sexcentis ergo viris, fortes operarii sanctæ Ecclesiæ designantur, quia magna proponunt, & rigorem propositi, fortitudine complent bonæ operationis. Qui bene cum rege inventi perhibentur, quia cum Pastoribus sanctæ Ecclesiæ in bona voluntate, & pia actione conveniunt. Cum eis namque sunt, a quibus nec voluntate discrepant, nec operatione discordant. Qui sic convenire dicuntur, ut excellere prædicatorum dignitas sentiatur: quia etsi idem bonum subditi, quod prædicatores volunt, faciunt, illi tamen in eodem bono præcipui sunt, quorum, ut ordo est celsior, ita & ardentior virtus animi, & robustior nixus operationis. Quare & separatim de rege, & ejus filio dicitur:

Et Saul, & Jonathas. Vers. 16.

Ut quid enim separatim rex, & ejus filius nominatur, nisi quia actio boni præsulis claret esse singularis? Et quia omnium fidelium subditorum non est uniformis æqualitas, sequitur:

Et populus, qui inventus in Gaaba Benjamin. Ibidem.

27. Satis replicatum est, quod Gabaa collis inter-

a In Gilot. & Vatic. *modos*, quod minime recipiendum.

Fidelium subditorum status, Pastorum celsitudini non comparandus.

terpretatur. Collis vero non summitas, sed montium est altitudo summitati vicina. Quid vero in isto colle, nisi alta & perfecta vita intelligitur fidelium subditorum? Hæc nimirum quamvis prædicatorum celsitudini æqua non sit, tamen ab aliorum meritis valde cernitur esse sublimis. Unde & de quibusdam precipuis electis in Apocalypsi legitur: *Nemo poterat dicere canticum, nisi il a centum quadraginta quatuor millia*. Quos & clarius demonstrans, ait: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt co inquinati, virgines enim sunt, & sequuntur agnum, quocumque ierit*. Dum ergo spiritualia prælia describuntur, populus inventus io Gabaa Benjamin specialiter recensetur, quia virginum chorus contra immundorum spirituum ferocitatem tanto violentior est, quanto nullo eorum vulnere saucius, nulla eorum suggestionis sorde pollutus. Liber quippe & integer, expeditus est ad occursum, fortis ad ictum. An non in colle filii dextrę sunt, quos integritatis suæ merito dilectus Jesu respicit, dicens: *Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia?* Sed & nisi valde fortes essent, ad tantam celsitudinem fatigati ascendere nequaquam possent. Item nisi omnium cogitationum liberi essent, post agnum ubique currere non valerent. Quia ergo in occulti certaminis triumpho virgo quisque mirabilis est, dum ordo congressionis describitur, sub typo populi Gabaa, virginitatis specialis dignitas memoratur. Sequitur:

Apoc. 14. 3.

Virginum chorus in hostem fortissimus.

Ibid. 14. 1.

Ibid & Vers. 17. & 18

Porro Philisthiim conscenderant in Magmas. Et egressi sunt ad præliandum de castris Philisthiim tres cunei: unus cuneus pergebat contra viam Ephraim, ad terram Saul; porro alius ingrediebatur per viam Bethoron; tertius autem vertit se ad viam termini in terra Sabaa, imminenti valli Seboim, contra desertum.

Hostes nostri tripartito agmine nos aggrediuntur.

28. Quid est, quod Philisthæi tres cuneos faciunt, nisi quia maligni spiritus cordi nostro, linguæ, & operi inserere perversa moliuntur? Quia enim cogitando, vel loquendo, sive faciendo omne peccatum committitur, tres sunt Philisthinorum cunei: quia maligni spiritus impellere ad peccandum animas satagunt, negligentia cordis, effrenatione oris, audacia perversi operis. Unde & primus cuneus contra viam Ephraim pergere dicitur, quia expugnare innocentiam a corde incipiunt. Via quippe Ephraim, idest fructiferi cordis, bona est cogitatio. Contra viam ergo Ephraim primus Philisthinorum cuneus pergit: quia occulti adversarii, si prius usum bonæ cogitationis a mente non auferunt, ad eradicandos virtutum ejus fructus pervenire non possunt. Contra Ephraim igitur viam veniunt, quando bonæ cogitationi insidiantur, quia via ad terram Saul tendere dicitur. Quid enim est aliud mens electi discipuli, nisi fructifera valde terra doctoris? Unde & Dominus in Evangelio parabolam seminum exponens, ait: *Quod cecidit in terram bonam hi sunt, qui in corde bono & optimo verbum excipiunt, & fructum afferunt in patientia*. Dicitur ergo de primo cuneo Philisthinorum: *Pergebant contra viam Ephraim*: ut dum litteræ sensum spiritualem percipimus, cogitationis aditum malignis spiritibus obstruamus. Sed dum cor munimus, linguam pariter a superfluis locutionibus refrenare compellimur. Unde & secundus cuneus per viam Bethoron ingredi dicitur: Bethoron quippe, domus iræ interpretatur. Domus vero iræ, est mens usui serviens linguæ litigiosę. Quam certe domum sapiens ille insinuat, qui ait: *Ira requiescit in sinu stulti*. Per hanc quidem ad cor stulti hostes ingrediuntur, quia maligni spiritus, dum ad effrenata verba linguam solvunt, iras accendunt, & mutuam fidelium caritatem feriunt. Qui ergo cavere cogitationes noxias didicit, si oris custodiam tenere non novit, unius cunei impetum vicit, alterius non evasit. Tertius vero cuneus vertit se ad iter termini. Quis est terminus cogitationis & verbi, nisi consummatio boni operis? Nam idcirco bona cogitamus & loquimur, ut ea ad finem boni operis perducamus. Sed cum antiquus hostis verbis & cogitationibus nocere non prævalet, in finem laqueos tendit, & bonum opus fidelium evacuare, vel impedire appetit. Quod vero est iter termini, nisi studium bonæ operationis? Quia ergo multis insidiis maligni spiritus nituntur, ut studium boni operis deseratur, ad iter termini tertius cuneus verti dicitur. Potest etiam in hoc termino, vitæ nostræ finis intelligi. Ad iter vero termini cuneus vertitur, quia interrumpere hostis opus bonum nititur, ne usque ad vitæ finem perducatur. Unde & Psalmista lapsorum fletus in se exprimens, ait: *Funes extenderunt in laqueum pedibus meis, juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Juxta iter quidem scandalum ponitur, ut bona electorum opera ante hujus vitę consummationem deserantur.

Cogitationibus insidiando.

Luc. 8. 15.

Lingua ad verba iræ solvendo.

Eccl. 7. 10.

Boni operis consummationem impediendo.

Psal. 139. 6.

Humanæ naturæ in hac vita captivitas.

29. Quid est autem quod ait: *In terra Sabaa, imminenti valli Seboim contra desertum?* Sed hæc nomina locorum ad designandum situm termini, quem dixerat, posita sunt. Sabaa vero in lingua nostra, captiva dicitur: Seboim, capræ nuncupantur. Quæ est autem ista captiva, nisi humana natura, quæ in paradiso fuit posita, & nunc ad perferendas hujus mortalitatis ærumnas in hoc seculum est ligata? Quæ est autem terra captivæ hujus, nisi peregrinatio vitæ temporalis? Bene igitur, dum verti cuneus dicitur, terra captivæ memoratur: quia maligni spiritus in hac terra peregrinationis nostrę prælia contra nos movere possunt; in illa vero vita nostra non possunt. Sed electorum præsens conversatio quamvis in hoc captivitatis exilio posita sit, si iter termini perfecte custodit, post termini hujus angustias, ad altitudinem immortalitatis pervenit. Unde & termini hujus terræ valli Seboim, idest caprearum imminere perhibentur. Vallis quippe caprearum est mors pretiosa Sanctorum: quia unde moriendo deponuntur, inde ad gaudia æterna sublevantur. Capreas quidem velocia animalia esse, & magnos saltus dare quis nesciat? Recte ergo sanctarum animarum dignitatem capreæ designant, quę in morte corpora deserunt, sed quod magnos saltus dantes, per ingentia merita ad superna regna conscendunt. Dicat ergo, quia terminus terrę captivę imminet valli Seboim: quia etsi damnata est humana conditio, sic tamen est in Dei filio exaltata, ut cum ad vitę temporalis terminum ducitur, in morte datur, ut in æternæ vitę celsitudinem sublevetur. Dicat ergo: *Quia tertius cuneus ad iter se vertit termini in terra captiva, quæ imminet valli caprearum*: ut malignos spiritus ad hoc electorum extrema bona pervertere conari asserat, ut ad superna gaudia non conscendant. Quæ etiam vallis sita contra desertum dicitur. Quid deserti nomine hoc loco nisi infernum accipitur? Desertum quidem recte intelligitur, ubi electorum nullus invenitur. Desertum etiam dicitur, in quo ærumnarum solatia nulla sentiuntur. Vallis ergo caprearum contra desertum sita perhibetur: quia Sanctorum mors di-

diversum omne ab inscrutinacritis habet, & conveniens aliquid, & dignum inferni poenis non habet. Sequitur:

Vers. 20. & 21.

Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel. Caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem, aut ligonem & securim, & sarculum.

Armari suppeditantes non literaturis, sed divinæ literæ.

30. Hæc profecto omnia describuntur, ut modus subsecuturæ victoriæ insinuetur. Armati quippe ab inermibus victi sunt, ut totum, quod vincitur, omnipotentis Dei laudibus tribuatur. Nos autem si more nostro spiritualiter ista prosequimur, mysteriis vacua non invenimus. Quid est ergo, quod dicitur: *Faber ferrarius non inveniebatur in Israel:* nisi quia ad spiritualia bella non per seculares litteras, sed per divinas instruimur. Faber quippe ferrarius in Israel non invenitur, quia fideles Domino viventes, arte secularis scientiæ contra malignos spiritus nequaquam præliantur. Fabri namque arte adjuti vincerent, si secularis eloquentiæ jaculis, occultis hostibus prævalerent. Quæ profecto secularium librorum eruditio, & si per semetipsam ad spiritualem Sanctorum conflictum non prodest, si divinæ Scripturæ conjungitur, ejusdem Scripturæ scientia subtilius eruditur. Ad hoc quidem tantum liberales artes discendæ sunt, ut per instructionem illarum divina eloquia subtilius intelligantur. A nonnullorum cordibus discendi desiderium maligni spiritus tollunt: ut & secularia nesciant, & ad sublimitatem spiritalium non pertingant. Bene ergo dicitur: *Caverant Philisthiim ne forte facerent Hebræi gladium, & lanceam.* Aperte quidem dæmones sciunt, quia dum secularibus litteris instruimur, in spiritalibus adjuvamur. Cum ergo nos ea discere dissuadent, quid aliud, quam ne lanceam aut gladium faciamus præcavent? Dicat ergo historica, & studium electorum Propheta insinuet, & exponat: *Descendebat Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, aut ligonem.* Ad Philisthæos descendimus, quando ad discendos seculares libros animum inclinamus. Et descensus dicitur, quia Christiana simplicitas in alto est. Sed quid est, quod seculares litteræ dicuntur in plano esse, modus vero [a] docendi sublimis? Quia enim cælestia nulla narrent, & miro dicendi ordine, quæ proponuntur, explicant, & narrando sublimantur, & [b] carnalia dicendo deponuntur. Quem profecto dicendi, sive intelligendi modum qui scire appetit, descendat ad Philisthiim, vomerem & ligonem acuat, ut ad secularium etiam carnalia audienda deponatur, qui eorum eloquentia intellectu penitus nititur. Hanc quippe secularem scientiam omnipotens Deus in plano anteposuit, ut nobis ascendendi gradum faceret, qui nos ad divinæ Scripturæ altitudinem levare debuisset. Idcirco eam præmittere voluit, ut in ipsa nos instrueret ad spiritualia transire. Unde & Moyses, qui nobis divinorum eloquiorum principia edidit, non prius divina didicit, sed ut capere, vel exprimere divina posset, in omni Ægyptiorum scientia rudem animum informavit. Isaias etiam Prophetis aliis eloquentior extitit: quia nec, ut Jeremias Anathotites, nec, ut Amos armentarius, sed nobiliter instructus atque urbanus fuit. Paulus quoque vas electionis ante ad Gamalielis pedes instruitur, quam rapiatur in paradisum, vel ad cæli tertii altitudinem sublevetur. Et ideo fortasse per doctrinam aliis Apostolis excellit: quia futurus in cælestibus, terrena prius studiosius didicit.

Prosunt tamen ad sacræ Scripturæ intelligentiam.

Ut secularia petamus, diabolus est auctor.

Hoc mysterium secularium eruditione exemplis Moysis & Isaiæ probatur.

Ipsarum forte subsidio Paulus per doctrinam aliis Apostolis antecellere. Act. 22.

31. Sed jam, ut arbitror, ruralium instrumentorum proprietates spiritualiter exquirendæ sunt. Quid ergo in vomere, qui præeuntibus bobus trahitur, nisi affectus geminæ caritatis insinuatur? Et quid in ligone, quo solus quisque in agri cultura exercetur, nisi privatæ vitæ studium ostenditur? Quidam namque & dites & fortes ruricolæ in bobus arant: quia & Dominum fortiter diligunt, & per fraternum amorem animarum lucris diligentius intendunt. Vomerem igitur apud Philisthinorum fabros acuunt: quia sanctæ prædicationis studium de seculari eruditione componunt. Nonnulli vero, ut pauperes, ligone utuntur: quia qui ad lucrandas aliorum animas se non posse sufficere arbitrantur, sibi solis non desinunt præparare de æternitate quod possunt. Velut ligone quisque eorum utitur: quia agrum suæ mentis divino cultui præparare non desinunt. Et quia in hoc etiam privatæ vitæ studio valde sibi secularis eruditio prodest, ligonem, dum docetur exacuit; quia in propriæ vitæ studio eruditus quæque subtilius intendit. Securi autem non terram fodimus, sed ramos arborum detruncamus. Quid ergo aliud signat securis, nisi zelum bonæ æmulationis? Nam quando ad imitanda meliorum exempla succendimur, velut ramos nobis incidimus, quibus ignem depellendis negligentiæ nostræ frigoribus nutriamus. Hanc securem nos tenere Paulus Apostolus præcipit, dicens; *Bonum æmulamini in bono omnes.* Quæ nimirum securis acuitur: quia eruditi fideles, sicut melius agnoscunt exempla fidelium, ita & ferventius imitari concupiscunt. Sarculum sive tridens subtilius terram fodit; ita ut non tam fodere, quam scalpere, & glebas confringere cognoscatur. Quid per hoc tridens sarculum, nisi virtus discretionis exprimitur? Per quam certe dum acta, vel agenda subtili consideratione discutimus, velut serendæ terræ nostræ glebas in tenuem pulverem complanamus. Quod profecto sarculum tridens asseritur, quia vis discretionis non solum agenda, sed etiam cogitanda, & loquenda componit. A manu quidem, corde, & lingua cuncta noxia resecat; ut semen, quod terræ mentis nostræ committimus, uberem fructum ferat. Apte itaque dicitur: *Descendebat omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, ligonem, securem, & sarculum:* quia affectum geminæ caritatis, privatæ vitæ studium, alienæ perfectionis exempla in sacro eloquio legimus: sed ejusdem sacri eloquii profunditatem penetrare ignari secularis scientiæ non valemus. Unde & rationabiliter subinferens, ait:

Non solum prædicatoribus, sed etiam privatam vitam agentibus utiles sunt.

Gal. 4. 18.

Sacri verbi profunda perspicere sine seculari scientia non possumus.

Vers. 21.

Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & securium, & tridentium, usque ad stimulum corrigendum.

32. Non dicuntur acies replicatæ, aut attritæ; sed retusæ. Nam si replicatæ essent, vel attritæ, omnino nihil inciderent. Retusa vero acies, & si celeriter non incidit omnia, quædam objecta in mora laboris secat. Sic nimirum sunt corda simplicium, quæ si subtiliter spiritualia non intelligunt, [c] dum tamen tarde quædam intelligunt, acuitatem ingenii non acutam habent, sed retusam. Sæpe enim discutere obscura volunt; sed dum vix diu cogitando ad ea etiam, quæ sunt aperta, perveniunt, velut retusa acie morando incidunt. Quod certe non so-

Hæc retusam ingenii aciem acuit.

a Gilot *dicendi sublimis*.
b Queç. & Vatic. *& cæra ita dicendi deponuntur*.
c Vatic. & Gilot *dum tam tarde*.

solum in occultis sacramentis Scripturarum ostenditur, sed etiam in latentibus suggestionibus dæmonum. Depellere quippe a se hostem nequeunt, quem cognoscere cito non possunt. Dum ergo magna mora cogitationis, insidias malæ suggestionis expellunt, velut retusa acie secant, quod per acuitatem ingenii abscindere velocius poterant.

Eccl 12.11.

Quid est autem, quod dicitur: *Usque ad stimulum corrigendum?* Stimulus dicitur increpatio prælatorum. Unde & scriptum est: *Verba sapientum sunt quasi stimuli.* Stimulus quidem increpatio dicitur, quia dum culpas arguit, mentem pungit. Sed retusus est stimulus, quando prælati languet intellectus: ut subditorum culpas, nec cognoscendo reperiat, nec inveniendo reprehendat. Bene ergo increpatio Rectoris stimulus asseritur: quia tumores vitiorum pungare non prævalet, si ejus mens erudita per scientiam, pungenda non videt. Unde & in typo eruditorum prælatorum bene subjungitur:

Vers. 22.

Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis, & lancea in manu totius populi qui erat cum Saul & Jonatha, excepto Saul & Jonatha filio ejus.

Quanta debeat esse Pastorum providentia, ut futura peccata caveant & avertant.

33. Quid per lanceam, nisi Sanctorum prædicatorum acuta providentia accipitur? Et quid per ensem, nisi eorum intelligentiæ subtilitas demonstratur? Per lanceam quippe longe nobis ante objecta perfodimus. Per ensem vero vicini, & fere conjuncti nobis hostes trucidantur. Bene ergo in lancea, providentia electorum ostenditur, per quam occultos hostes percutiunt, antequam vicinum eorum impetum patiantur. Dum enim futuras dæmonum insidias cavendo præveniunt, velut a longe lancea feriunt, quorum vicinos excipere ictus nolunt. Unde & beatus Paulus Apostolus dum a longe armatos fornicationis spiritus cerneret, conjugalem castimoniam quasi lanceam tenuit, & eos accedere propius non permisit, dicens: *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque virum. Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro.* Et iterum: *Revertimini in idipsum, ne tenet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Hinc etiam de semetipso ait: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne prædicans aliis, reprobus efficiar.* Qui enim ne reprobus fieret, corpus castigaverat, nimirum lancea hostes suos longiuscule positos ante se perfodiebat. Providentia ergo abstinentiæ pro edomanda carnis libidine quasi lancea accipitur, per quam venturi hostes feriuntur. Bene etiam per ensem intellectus exprimitur: quia qui pravas maligni spiritus suggestiones in præsenti tempore cognoscit & abjicit, velut vicinum, & juxta se positum hostem ferit. Qui etiam velut ense utraque parte acuto incidit; quia tam falsa bona, quam vera mala reprehendit. Quid vero est, quod in manu Saul & Jonathæ ensis esse perhibetur? Sed in manu non sunt eorum, qui acute vicina & præsentia intelligunt, & futura prævident, & ad extinguenda ea fortia non exercent. Aperte sciunt, quia antiquus hostis maximam partem humani generis per robur carnis in fornicationem præcipitat, qui tamen carnem per abstinentiam castigare non curant. Sic etiam nonnulli præsentia mala aperte conspiciunt, sed hæc vitare minime conantur. Hi nimirum ensem & lanceam habent, sed in manu non habent. Bene ergo in die prælii in manu Saul & Jonathæ ensis & lancea invenitur: quia solum electi viri sunt, qui & præsentia & futura mala intelligant, & ea cordis intentione vincere ardentius concupiscant. Quod tamen hoc loco ideo dicitur, ut populus nihil in manu tenuisse doceatur, qui vomeres, ligones, secures, & sarculos tenere ostenduntur. His enim verbis non electi distinguuntur a reprobis, sed hebetes a peritis. Sed quia jam armatos viros ostendimus, modum certaminis explicemus. Sequitur.

1. Cor. 7. 2.

Ibid. 5.

1. Cor. 9. 27.

Maxima pars hominum in fornicationem præceps ruit.

CAPUT IV.

Vers. 1. & 2. Reg. 14. 1.

EGressa est statio Philisthinorum, ut ascenderet in Magmas, & accidit quadam die, ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum.

Tentatis subditis Pastores auxilium ferre non morentur.

1. Philisthinorum statio egreditur, quando malorum spirituum turba electis mentibus per suggestiones noxias demonstratur. Quæ nimirum idcirco statio dicitur, quia electorum bella describuntur. Stare quippe malignis spiritibus, est in electorum pugna magnas vires exercere. Nam stando validius unusquisque, quam sedendo conari ad aliquid faciendum potest. Philisthinorum igitur statio egressa dicitur, ut dæmonum conatus in bello nostro aperte colligatur. Et quia velut se inferiores, atque minores opprimere fideles cogitant, in Magmas ascendere egredientes parant. Vel in Magmas ascendere gestiunt, quando parvulorum corda decipere tentando moliuntur. Sed electi prædicatores, dum tentata corda subditorum intelligunt, ferre auxilia non morantur. Hos velut in tuto reponunt, illos secum ad sustentanda pericula bellorum ducunt. Quid est quod ad bella armiger ducitur, nisi quia per scientiam eruditi subditi ad internorum certaminum victoriam promovendi sunt? Quidam namque artem physicam sciunt, qui medendi experientiam nesciunt. Sic nimirum in sancta Ecclesia quidam sunt, qui artem interioris pugnæ didicerunt, sed ad districtas necessitates certaminum adhuc perducti non sunt. Magnos viros pugnantes audiunt, sed prælia, quæ magni magnifice tolerant, auditu sciunt, virtute nesciunt. Tales quippe sunt, qui ad imitanda vestigia Redemtoris invitantur. *Qui vult*, inquit, *venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Arma vero Jonathæ sunt hortamenta doctoris. Armiger vero arma portat, cum quibus non ipse, sed alius pugnat. Sic nimirum sunt, qui in sancta Ecclesia noviter instruuntur. Dum enim virtutes a doctoribus audiunt, quibus ipsi doctores contra malorum spirituum versutiam pugnant, illud nimirum habent in ore, quod nondum habent in virtutis exhibitione. *Dixit ergo Jonathas ad armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem Philisthinorum*: quia electi doctores, subditos suos docent non solum artem, qua dimicent, sed etiam ad bella pertrahunt, quo triumphent.

Alios in tuto reponant, alios secum ad bellum educant.

Matth. 16. 24.

Dum eos ad prælium provocant, ipsi priores pugnant.

2. Et quia remissi Pastores bella, quæ insinuant, suscipere nequaquam curant, non dicit: Vade, & transi ad stationem Philisthinorum; sed: *Veni, transeamus.* Alios quidem ad certamen provocant, sed eadem certamina ipsi priores tentant. Quid vero est, quod dicit: *Quæ est trans locum illum?* Sed quidam locus in sancta Ecclesia est, qui magnis præliis clausus, non expositus est. Possidere quidem bona seculi, uxorem ducere, filios procreare, blandimenta de omnibus rebus licitis corporibus exhibere, eo munitum ab hoste manere est, quo aliquid impositum in eo ordine positus onerosum non est. Sed hunc locum si quis melioris vitæ desiderio accensus transire nititur, necesse est ut ad gravissima bella

Quot eis ineunda certamina.

præparetur. Divitias namque contemnentes, paupertatem Christi amplectentes, spernentes conjugia, amorem pudicitiæ semper amplecti debent. Habent continuo isti insurgentia gravissima prælia carnis, illi impugnationem cordis: quia nec paupertas leviter fertur, nec sine magnis agonibus pudicitiæ corpora subjugantur. Unde bene per quemdam sapientem dicitur: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem*. Quasi dicat: Quia egredi voluisti de loco munimimis, necesse est, ut jam patenti bello contra fortissima hostium castra muniaris. Dum ergo *trans locum illum*, non *istum* dicit, doctorum Jonathas virtutem insinuat, qui per singulare propositum religionis, semper sunt in aperto campo certaminis. Et quia de omni, quod strenue dimicant, de omni quod nobiliter triumphant, jactantiæ & elationis vitium fugiunt, sequitur:

Eccli. 2, 1.

Patri autem suo hoc ipsum non indicavit.

Ibidem.
Qua discretione bona quæ agimus modo tacenda, modo revelanda.

3. Tacendæ quidem sunt electorum virtutes, ne per jactantiam dicantur: sed aliquando ad Dei gloriam eas manifestare culpa non est. Quia vero nos in Saul magnos prædicatores expressimus, hoc profecto, quod patrem Jonathas pugnæ initium celat, illud insinuat: quia magna, quæ agimus, quandoque propter humilitatem laudabiliter celamus. Tales quidem jam facti per corruptionem sumus, ut boni videri etiam ab illis, qui præsunt nobis, sine elatione nunquam valemus. Cum ergo de manifesto latens malum nascitur, sapienter bonum absconditur, ne malo superveniente maculetur. Sed inter hæc sciendum est: quia illi virtutes celare prælatis suis ista necessitate possunt, qui bene cognoscere bonum, quod agunt, sciunt. Si enim nimis sunt simplices, sæpe non est bonum, quod esse bonum arbitrantur: & dum vitium quasi virtutem non indicant, in se absconditum hostem portant. Unde & Jonathas, qui patri belli propositum texit, tantus asseritur: ut sub ejus ducatu pars exercitus producta referatur. *Erant*, inquit, *duo millia virorum cum Saul in Magmas, & in monte Bethel, mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin*. Dicatur ergo de Jonatha: *Patri autem suo hoc ipsum non indicavit*: quia eruditi viri, dum elationis vitium incurrere de magnis operibus suis metuunt, ea nimirum ipsis abscondunt, a quibus adjuvari potuerunt. Quæ nimirum prædicatoris auxilia melius discimus, si ipsos in loco suæ perfectionis videamus. Nam sequitur:

Sup. 13. 2.

Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa [a] sub malo granato, quæ erat in Magron.

Vers. 2.

Prædicatores tum in opere, tum in contemplatione præstant.

4. Gabaa, ut diximus, collis interpretatur: Magron, de fauce dicitur. Prædicatores autem sancti sublimes valde sunt, non solum opere, sed etiam contemplatione. Extrema ergo pars ista, sublimitas est operis: intima vero illa, contemplationis. Per hanc quidem extremam partem suæ celsitudinis, ad exemplum a nobis conspiciuntur: per illam vero intimam, in magno amore Conditori conjuncti sunt. Hos quidem nobis extrema parte sublimitatis suæ Propheta mirandos ostendit, quando ait: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Volant quippe ut nubes: quia a gravedine culpæ sunt leves, & gratia sancti Spiritus in bono opere veloces. Quasi columbæ vero sunt ad fenestras: quia ad exemplum per bona opera se nobis, quasi per foramina porrigunt, sed de ostensa vitæ munditia, laudis appetitu nequaquam capiuntur. Sed &

Isa. 60, 8.

A sub malo granato rex residet: quia in umbra Redemtoris prædicator requiem habet. Magno quidem labore fatigatur, sed verborum Domini consolatione reficitur. Unde & eadem malus arbor in eo loco, qui de fauce dicitur; morari perhibetur. Quid enim hoc loco istud de fauce dicitur aptius, quam sancti Evangelii dulcedo designatur? Sic enim nunc morari in umbra Redemtoris possumus, si videlicet verba ejus ad consolationem de Evangeliorum meditatione capiamus. Sed in hoc residere quietius prædicatores possunt, qui quo altius, & propius illud divinæ faucis verbum suscipiunt, dulcius saginantur. Hæc etiam causa est, qua rex Saul non stare, neque sedere, sed morari sub malo granato B in Magron dicitur: quia perfectus doctor Dei docibilis est: & dum pascere cibo alios nititur, ipse multiformium deliciarum spiritualium dulcedine satiatur. Nam dum Redemtoris amœna singulariter aspicit, in miram contemplationem virtutum surgit: & quasi de uno cortice plurima grana colligit, dum per ea omnia, quæ in Redemtorem recolit, deliciosam mentem gratanter ducit. In hac quidem Redemtoris amœnitate Sponsa se requievisse gloriatur, quæ dicit: *Sub umbra ejus, quem desideraveram, sedit*. In umbra quippe ejus sedere, est in ejus contemplatione requiescere. Ejus certe contemplatio umbra est: quia in ejus visione protegimur, ne diabolica tentatione velut solis ardore denigremur. Quia ergo tam sublimiter requiescunt, C ferre se consulentibus auxilia utiliter possunt. Sed tamen nonnulli electi subditi dum infirmitatem propriam metuunt; dum solum Deum agonis sui testem requirunt, tantorum hominum judicia fugiunt, ut a solo Deo in bona sua actione videantur. Bene ergo & Saul in extrema parte Gabaa sub malo granato morari dicitur, & Jonathas belli propositum ei non indicasse: quia dum perfecte cavere elationem non possumus, bonum, de quo nasci potest, omnibus abscondi debet. Sequitur:

Cælesti cibo pascant, & pascantur.

Cant. 2. 3.

Erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum.

Ibidem.

5. Hoc numero fortes viros in bono opere superius designari diximus, qui cum rege esse referuntur: quia per studium boni operis, concordes sunt vitæ doctoris sui. Sed habent prædicatores Eccle- D siæ sub se, non solum qui magna agant, sed & verbi comministros, qui summa doceant. Habent duces, qui ad bella ferventes roborent, habent qui audacter currant, habent qui potenter protegant. Bene ergo subjungitur:

Verbi comministros quales habeant.

Achias filius Achitob fratris Ichabot, filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo. Qui portabat Ephod.

Vers. 3.

6. Achias namque umbraculum nostro sermone dicitur. Quid vero per umbraculum hoc in loco, nisi protectio designatur? Qui ergo in sancta Ecclesia minores quoslibet ab occultis adversariis protegunt, per umbraculum recte designantur. Qui autem umbraculo residet, ardorem solis sentire non potest. Cur vero in sacro eloquio umbracula prædicantur, E nisi quia etiam solem reprobum ostendunt, quo viror mentis exuritur? De quo nimirum sole Veritas in divisione seminum dicit: *Orto sole, aruerunt*. Fervens quippe ardor concupiscentiæ sol est, qui velut luce candeat, sed qui mentem, cui lucet, exurat. Dum ergo majorum exhortationibus omnium concupiscentiarum blandimenta respuimus, quo alibi, quam in umbraculo amœno subsister-

Umbraculum nobis sunt, qui ab æstu concupiscentiæ nos adhortationibus protegunt.

Matth. 13. 6.

a Male hic & infra in aliis editis legitur *malo granata* & *malus granata*.

ſternimur, ubi tentationum incendia declinemus? Sed diminutive umbraculum Eccleſiæ miniſter dicitur, ut Redemtori nemo compareretur. De illius namque protectione Sponſa in Canticis gloriatur, dicens: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi*. Et Pſalmiſta deprecans, ait: *Sub umbra alarum tuarum protege me*. Sed unde tantus Achias iſte procedit, exponitur, quia filius Achitob eſſe memoratur. Achitob, frater meus bonus dicitur. Quis igitur iſte frater bonus intelligitur, niſi Redemtor noſter? Frater quippe, quia naturę noſtræ particeps: ſed bonus, quia naturam noſtram, quam ſuſcepit, ab æterna morte liberavit. Vel bonus, quia omnes nos mali ſumus, dicente ipſo: *Si vos mali cum ſitis, noſtis bona data dare filiis veſtris*. Achias ergo filius Achitob dicitur: ut qui in Eccleſia potentes ſunt, eorum potentia ex ſola Redemtoris imitatione eis ineſſe ſentiatur. Idem vero Achitob frater Ichabot aſſeritur, quia a translatione gloriæ nuncupatur. Nam Redemtor noſter ſecundum carnem de Judæorum gente eſt natus. A quo nimirum populo, quia omnis ornatus templi, omnes ſacrificiorum ritus, omnia Scripturarum myſteria ad gentilem populum tranſierunt, tranſlatio gloriæ in Achitob fratre recte memoratur. Ipſe quoque Achitob Phinees fuiſſe filius dicitur: quia Judaicus populus in erroris ſui perfidia, qua ſe merſit, ejuſdem gentis ſuæ doctores ſe valde nequiores habuit. Unde & idem Phinees, os mutum, ſive, ori parcens interpretatur. Os quippe dicitur, quia per eumdem populum Dominus locutus eſt. Sed mutum os nunc eſſe cognoſcitur: quia dum Redemtorem repulit, loquentem in ſe olim Spiritum pariter amiſit. Qui etiam ori parcens recte dicitur: quia ſic ſemel in reatu tanti ſanguinis cecidit, ut per pœnitentiam, & confeſſionem ad eum converti nequaquam poſſit. Ori igitur parcens dicitur, quia confitendo pie erubeſcere dedignatur. Quo contra beatus Job ex perſona converſorum promittit, dicens: *Non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei*. Sed quia item religionis dignitatem in Patriarchis & Prophetis habuit, idem Phinees ex Heli ſacerdote Domini natus aſſeritur. Heli quippe, Deus meus; Silo, miſſus interpretatur. Dii vero aliquando in ſancta Scriptura electi prædicatores intelliguntur. Unde & ad Moyſen a Domino dicitur: *Poſui te Deum Pharaonis*. Et in Lege præcepit, dicens: *Diis non detrahes*. Pater ergo Phinees, Deus meus dicitur: quia nimirum Judaicus populus eorum, ſecundum litteram, Scripturas imitatur, qui verbum Dei, & revelata mente meruerunt cernere, & theca litterę, ne videretur, occultare. Hos nimirum per ſemetipſam Veritas oſtendit, cum verba Pſalmiſtæ expoſuit, dicens: *Illos dixit Deos, ad quos factus eſt ſermo Dei*. In Silo autem natus aſſeritur: quia Judaicus populus, licet carnaliter, adhuc tamen in Scripturis ſpiritualibus eruditur. Quia ergo electus quiſque & ſapiens in ſancta Eccleſia natum Dominum ex Judaico populo per doctrinam ſequitur, Achias, qui umbraculum dicitur, filius Achitob fratris Ichabot, filii Phinees, filii Heli eſſe perhibetur. Qui etiam ephod portare deſcribitur; ut aperte monſtretur, quia protegere alios nequaquam poteſt, qui pulchritudine bonę converſationis, luceque non fulget. Sequitur:

Cant. 2. 3.
Pſal. 16. 9.
Matt. 7. 11
Potentia Paſtorum ab imitatione Christi derivatur.
Job 7. 11.
Exod. 7. 1.
Exod. 22. 28
Joh. 10. 35.

Sed & populus ignorabat quo iſſet Jonathas.

7. Quid eſt, quod populus, quo eat Jonathas, neſcit: niſi quia electus doctor ea, quę intendit agere, ſtudet per humilitatem celare? Unde & in Evangelio Dominus dicit: *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*. Si enim per dexteram æterna, per ſiniſtram vero præſens vita figuratur: homines in ſiniſtra, Angelos ad dexteram habemus. Quando autem per bona opera ad conſortium ſupernorum civium tendimus, dextera manus noſtra operari perhibetur. Siniſtra vero manus noſtra opera neſcit dexteræ, ſi cooperatores noſtros, fideles videlicet ſanctæ Eccleſiæ, adjutores habemus in opere, & laudatores habere nolumus ad elationem. Bene ergo dicitur: *Populus ignorabat, quo iſſet Jonathas*: quia tunc ſolum bene agere magna nitimur, cum ea, quæ agimus, pandere ad oſtenſionem vitamus. Sed quia exemplum electorum iſta proferimus, non ſolum quo eat, ſed etiam qua eat, explorare attentius debemus, Sequitur:

Ibidem.
Bona opera celanda.
Matt. 6. 3.

Erant inter aſcenſus per quos nitebatur Jonathas tranſire ad ſtationem Philiſthiim, eminentes petræ ex utraque parte, quaſi in modum dentium, ſcopuli hinc inde prærupti: [a] nomen uni Bores, nomen alteri [b] Sene.

Verſ. 4.
a
b

8. Cum electorum vita alta ſit meritis, ima vero conditio malignorum ſpirituum, quid eſt quod aſcenſus eſſe dicitur, unde ad Philiſthinorum ſtationem Jonathas tendere conatur? Nam de eiſdem Philiſthæis in typo dæmonum non longe ſuperius dictum eſt: *Aſcendentes caſtrametati ſunt in Magmas*. Sed ſuper nos eſſe dicuntur, quo minores fortitudine videamur. Super nos etiam eſſe cognoſcitur, quod penetrare per intelligentiam non valemus. Quoties ergo cum ſpiritibus reprobis certare proponimus, robur parare debemus ad aſcenſum, quia homines cum Angelis pugnare contendimus. Unde & ille athleta ſtrenuus confortans vehementer commilitones ſuos, ait: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*. Quia enim contra principatuum & poteſtatum ſpirituales nequitias ſe pugnaturum prænoverat, nimirum robur mentis ad altitudinis aſcenſum parabat. Peccatorum corda dum nequam ſpiritus ſibi ſubjiciunt, eis utique per multiformia vitia dominantur. Si ergo illuc quoque eos expugnare contendimus, valde nos oportet aſcendere, ut eorum poſſimus agmina potenter ferire. Aliter enim lubrici, aliter ſalvandi ſunt acedioſi: aliter vanegloríi, aliter ſuperbi. Ut vero ad hæc omnia electus doctor poſſit ſufficere, quia per aſſiduæ meditationis acuta conſilia mentem levat, quaſi ad aſcenſum Philiſthinorum ſe roborat.

Ut dæmones expugnare non quantum nobis aſcendendum ſit, & contendum.
Supr. 13. 5.
Eph. 6. 12.

9. Bene autem non unus aſſeritur, ſed plures dicti ſunt aſcenſus: quia innumeris hoſtibus multis itineribus occurendum eſt. Quod tunc bene agitur, quando vitiis ſingulis congruentes, & proprię curationes adhibentur. Nam, ut aliqua ex eis breviter perſtringamus, fornicationis ſpiritus continentię virtute depellitur: ſed tamen levius ſuperatur, ſi caro impetum ſuum per abſtinentiam minuat, ne ſe mundanę concupiſcentię victa ſubſternat. Gula per abſtinentiam frangitur: ſed abſtinentiam ciborum corporalium habere non poteſt, qui men-

Singulis vitiis propriæ curationes adhibendæ.

a In textu Hebr. & in Verſionibus omnibus legitur *Boſes*, per duplicem *Tſade*. Gregorium tamen legiſſe *Bores*, conſtat ex ſignificatione quam huic voci aſſignat infra num. 9. *Bores* quippe, *in primatu dicitur*, deducta nimirum a ראש *ros*, vel ראשית *roſiob*, quæ ſignificant *principium*, *caput* & ſimilia.

b Cum hæc vox, ut infra docet Gregorius num. 9. ſignificet ſolem vel auditionem, legendum hic potius videtur *Seme*. Nam *Semes* Hebr. eſt ſol, *Seme* vel *Sama* auditio.

mentem spiritualibus cibis non replet. Potenter enim corpus extenuat, qui amore cælestium cor inflammat: quia dum spiritualia fortiter diligit, desideria carnis valenter premit. Avaritiæ quoque vitio bonum paupertatis voluntariæ contrarium est: sed pauper spiritu esse non poterit, qui amare adhuc æternos thesauros nescit. Sic nimirum ira vincitur, si amore cælestium perfecte terrena omnia despiciantur: quia unde irascatur, jam non habet, qui damnum temporale non timet. Sic quoque acediæ vitium, id est tædium cordis depellitur, si semper bona cęlestia cogitentur. Tędere quidem mens nullatenus potest, quæ tam jucunda bona lætanter videt. Tristitię [a] etiam angustiosum malum spiritualis lętitię campo devoratur: sed tamen ipsa spiritualis lætitia se menti non infundit, quæ temporalis vitę angustias transgredi contemplando non novit. Bene quidem tristitia vincitur, si temporalium laborum præmia videantur: quia unde electa mens temporaliter se affligi considerat, inde gaudere in cęlesti patria æternaliter sperat. Quia ergo magna diversitate consilii ad diversos animarum morbos curandos prædicator utitur, quia idem consilium alta mentis consideratione comprehenditur, bene unde Jonathas transire ad stationem Philisthinorum appetit, ascensus esse perhibentur. Et quia ad expugnandos malignos spiritus a peccatorum cordibus plures difficultates obviant, petræ inter ascensus esse memorantur. Quid enim per istas duas petras, videlicet Bores & Sene, nisi concupiscentia & peccatum designatur? Bores quippe in primatu dicitur; Sene, sol sive auditio. Bene autem concupiscentię primatus nomen convenit, quia ipsa prior mentem occupat, quam se mens peccato substernat. Solis etiam nomine recte peccati delectatio figuratur: quia a veritatis intuitu mentis oculos claudit, & ad vanitatem aperit. Unde & in primis hominibus a seductore spiritu per serpentem dicitur: *In quacumque die comederitis de ligno, quod est in medio paradisi, aperientur oculi vestri*. In comessatione quidem illa, peccando aperti sunt oculi transgressorum, ut falsę lucis radios in experientia delicti perciperent, & a supernæ claritatis alta contemplatione caligarent. In hanc quippe lucem aperire oculos Psalmista refugiens, Dominum obsecrat, dicens: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*. Hanc beatus Job alta mente despiciens, perfectorum meritis se inseri exoptans, ait: *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem: aut, sicut abortivum absconditum, non subsisterem: vel qui concepti non viderunt lucem*. Qui sunt isti, nisi qui peccare fortiter caverunt? Unus ergo scopulus Bores, alter Sene dicitur: quia si concupiscentia in mente sibi locum vendicat, ejusdem mentis oculos ad placidum peccati blandimentum, quasi ad solis lucem videndam levat. Bene item petrę nominantur: quia iniquorum mentibus ista duo conveniunt, ut jam redire prædicatores ad se facile non admittant. Sed & dicuntur scopuli: quia hinc inde, videlicet tam mente, quam corpore pręruptum retinent usum pravitatis. Dum enim nulla morum, nulla operum integritate solidantur, in modum scopuli, hinc & inde prærupti sunt. Et quia dicitur in modum dentium, quid dat intelligi, nisi quod sæpe videmus, quia qui prędicatorum hortamenta despiciunt, eorum vitam mordere detractionibus conantur? Sed de eisdem scopulis subditur:

Quo sensu per peccatum aperiantur oculi.
Genes. 2.
Psal. 118. 37
Job. 3. 13.
Qui prædicatorum monita contemnunt, vitam rodere conantur.

a Vatic. & Gilot. *enim*.

Unus prominens ad Aquilonem, ex adverso Magmas: & alter ad Meridiem, contra Gabaa. *Vers. 5.*

10. Ad Aquilonem primus scopulus prominent, alter ad meridiem: quia per concupiscentiam fervor caritatis extinguitur, & per peccatum ardor concupiscentię augmentatur. Mens enim reproba, dum concupiscentiæ subditur, caritate spoliatur, & dum peccare non metuit, acriora in se valde peccandi desideria accendit. Quasi enim in summa diei suæ altitudine, & calore posita, in fluxu peccati, & immoderate lętatur, & ardenter resolvitur. Male ergo mederi concupiscentiæ morbo satagit, qui ad hoc explere concupiscentias peccando cogitat, ut quiescat. Tanto quidem erit post peccatum concupiscentia major, quanto ipsa sibi esse incipit peccati delectatio gratior. Sed primus scopulus ex adverso Magmas situs, alter contra Gabaa prominere perhibetur. Magmas, ut jam satis diximus, humilitas, Gabaa collis interpretatur. Ex adverso utique concupiscentia humilitatem habet, blandimentum vero peccati cælestem conversationem. Omnis enim, qui vetita concupiscit, dum præceptorem despicit superbit. Ex adverso itaque humilitatem habet, quam in obedientiæ devotionem non retinet. Sed & qui in peccati fervore, velut meridiana claritate resolvitur, contra Gabaa, id est collem prominet: quia dum adversatur cælestibus, pœnis tartareis pręparatur. Sed quia tales etiam ad ęternam vitam Sanctorum prædicatione perducuntur, ipsorum prędicatorum studium in Jonathæ facto videamus. Nam sequitur:

Qui scopuli nobis cavendi.

Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile salvare, vel in multitudine, vel in paucis. *Vers. 6.*

11. Quę est statio Philisthinorum, nisi robur malignorum spirituum? Sancti etenim viri, cum ad peccatorum correctionem se præparant, aperte sciunt, quia cum de cęlo lapsis Angelis pugnant. Pugna ergo hęc, quia Angelorum est & hominum, pugnatur a fortibus cum infirmis, cum simplicibus ab astutis. Nam ab his fortibus insultum acceperat, qui dicebat: *Irruerunt in me fortes, neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine*. Astutias lapsi Angeli etiam Paulus intuens, ait: *Non ignoramus ejus astutias*. Contra astutos igitur via cautæ rationis quærenda est, contra fortes vero divina sunt auxilia petenda. Ut ergo magna cautela prædicatio exhibenda esse sentiatur, Jonathas armigerum suum ad secum transeundum invitasse dicitur. Et ut in expellendis hostibus de Dei miseratione præsumatur, loquitur dicens: *Quia non est Deo difficile salvare, vel in multitudine, vel in paucis*: & quia flagitiosorum conversio facilis non est, dicit: SI *forte faciat Deus pro nobis*. *Si forte* dicit, quia de plena criminosorum salute adhuc plenius non præsumit. Sed formam electi subditi in virtute ostendit humilitatis, quia subdit:

Contra malignos spiritus astutos & fortes, quibus armis dimicandum.
Psal. 58. 4.
2. Cor. 2. 11

Dixitque ei armiger suus: Fac omnia, quæ placent animo tuo. Perge quo cupis, & ero tecum quocumque volueris. *Vers. 7.*

12. Nonnulli subjecti, dum mensuram ordinis sui negligunt, eamdem mensuram sic confundunt, ut prælatorum suorum dispositioni communicent, sed obedire imperiis re-

Perfectæ obedientiæ typus in Jonathæ armigero.

recusent. Emendare quidem majorum dicta facile audent; sed facile implere, quæ præcipiunt, non conantur. Quid ergo in hujus armigeri voce nobis ostenditur, nisi quia relinquenda est prępositis dispositio libera, tenenda est subditis virtus obedientiæ non remissa? Ut enim liberam disponendi auctoritatem prædicatoribus assignent, ait: *Fac omnia, quæ placent animo tuo*. Et ut subditorum pronam voluntatem ad omnia servitia ostenderet, subdit: *Perge quo cupis, & ero tecum quocumque volueris*. Nec ibi quidem dixit: Quædam fac, quę sunt in animo tuo: quædam non fac, vel aliter fac: nec hic, perge illuc, & ero tecum, & illuc non ero tecum. *Omnia*, inquit, *fac*: quia dispositione prælatorum disponenda sunt omnia: *Ero* item, ait, *tecum quocumque volueris*: quia alicui præcepto obedientiæ subjectus optimus deesse non debet. Sequitur:

Vers. 8.9.10. *Et ait Jonathas, ecce nos transibimus ad viros istos, cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint: Ascendite ad nos, ascendamus: quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.*

Prædicatores perpendant quid, quantum, quando, & quibus loquantur. 13. Certa & indubitata sanctæ Ecclesiæ sententia est: quia electi prædicatores, non solum quid, quantum & quando loquantur, considerare debent; sed quibus etiam loquantur. Unde & Dominus a quorumdam notitia verbum recondens, discipulos prohibet, dicens: *Nolite ponere margaritas ante porcos*. *Matth. 7. 6.* Hinc item Scriptura inutiliter effundi verbum vetat, & dicit: *Eccli. 32. 6.* *Ubi non est auditus, non effundas sermonem*. Quid ergo, quod Jonathas dicit: *Si dixerint: Manete, donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro: Si vero: Ascendite ad nos, ascendamus; quia tradidit eos Dominus in manibus nostris?* Nisi quia electus prædicator attente debet colligere, quibus verbum vitæ debeat proferre. Sed quia hoc ostendi nunc in sensu litteræ videtur, nos subtilius exprimamus. Ad peccatores, prædicatores transeunt, quando his, quibus verba exhibent, non solum verbo, sed etiam vita placent. Qui ergo sunt, qui dicunt: *Ascendite ad nos*, nisi hi, qui devotionis signa proferunt; quia salutis verbum & venerabiliter audiant, & retinere fortiter concupiscant? Ad istos itaque ascendendum est, in quibus etsi magnus labor est in opere ministerii, sunt & magna lucra salusis. Econtrario vero ad doctores, peccatores transire gestiunt, quando tam profunda cæcitate merguntur, ut ad imitandæ suæ pravitatis exemplum, ipsos etiam prædicatores convertere nitantur. Proni quippe ad malum sunt, corde impœnitentes, & peccati lepra, quam induunt, maculare alios non expavescunt. De quibus sapiens ille loquitur, dicens: *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*. *Proverb. 2. 14.* Et item Propheta de his vaticinans, ait: *Prædicaverunt peccatum suum sicut Sodoma*. *Isai. 3. 9.* Quid est ergo, quod ait: *Stemus in loco nostro?* Sed tale est, ac si dicat: Si illos lucrari non possumus, nosmetipsos in bona conversatione servemus. Locus enim noster, bona conversatio est, de quo nimirum loco alias scriptum est: *Eccl. 10. 4.* *Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum non deseras*. Locus quidem iste non solum a spiritu, sed etiam ab homine cavendus est; quia ipse spiritus non solum per se nobis obviat, sed contra nos etiam per hominem pugnat. Si vero locus noster Dominus est, cum mali se nobis objiciunt, in loco nostro persistamus: quia cum incorrigibiles prædicatorum monita non recipiunt, solerter debent ipsi circumspicere, ut ad se nulla possint eorum exempla pervenire. Sequitur:

Vers. 11. & 12. *Apparuit itaque stationi Philisthinorum, dixeruntque Philisthiim: En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant. Et locuti sunt viri de statione Philisthinorum ad Jonatham, & ad armigerum suum: Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem.*

Quod alios docent, ipsi prius exemplis præferant. 14. Quidnam est, quod apparere Jonathas Philisthæis cum armigero dicitur: nisi quia doctor ipse prior debet bonum ostendere, quod alios contendit edocere? Non enim potest in prædicatione venerabiliter recipi, si prius in se honorem ministerii non præfert luce bonæ conversationis. Unde & egregius prædicator confidenter asserit, dicens: *Quamdiu quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*. *Rom. 11. 13.* Apparet ergo doctor, non tam cum verbo loquitur, quam cum vita & moribus venerabiliter demonstratur. Propheta igitur cum typis sacræ historiæ prædicatorum mores ostenderet, rationabiliter subintulit, dicens: *Apparuit itaque uterque stationi Philisthinorum*. Quasi dicat: Quia docere proposuit, prius his, quibus loqui disposuit, vitam monstravit. Sed quid est, quod Philisthæi apparentes despiciunt, & tamen eis, *Ascendite ad nos*, dicunt; nisi quia plerumque illi etiam prędicatorum optimam vitam despiciunt, qui eorum prædicatione ad pœnitentiæ lamenta cursuri sunt? Et dum eos deserere vitæ remotioris studium reprehendunt, eos nimirum de cavernis egressos asseverant. *Non leviter judicandum de his, qui prædicandi gratia e latebris suis exeunt.* Quasi dicant: Illi nunc sub colore prædicationis ad seculum exeunt, qui hoc fugisse tota intentione videbantur. Sed plerique justos prædicatores arguunt, quia mala, quæ eis objiciunt, in eis esse suspicantur. Qui nimirum eo ipso, quo malum damnant, spem prædicatoribus tribuunt: quia ad bonum, quod defendunt, exequendum pertrahi facilius possunt. Dum ergo bona intentione, falsa justorum mala vituperant, insaniunt quidem voce, sed prædicatoribus fructum suæ salutis, etiam insaniendo spondent. Et quia de ascensu superius dictum est, restat inquirere quid sit, quod dicunt: *Ostendemus vobis rem*. Sed hoc, ad litteram, minas significat. Quod tale est, ac si dicant: Si huc ascenderitis, quantum valemus patiendo sentietis. In malorum vero conversione item facile est colligere, cum justos expellunt, quantum soleant nocere. Sed quia, auctore Deo, carnalitatem historiæ ad spiritualem intelligentiam duximus: dum sancti doctores, erumpentibus quibusdam signis, peccatorum conversionem considerant, res etiam ab eis promittitur: quia ad verum esse redire pollicentur. Res quidem aliquid habet esse, peccatum vero esse nullum habet. Unde & Paulus Corinthiis dicit: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo*. *1. Cor. 8. 4.* Peccator autem, quia peccando ad nihilum tendit, cum nihil illud cui inhæsit, deserit, quasi ad esse redit. Rem ergo in se ostendere, id est aliquid, quod esse habet, potest, quia jam per divinam gratiam opera virtutis tenet. Dicunt ergo: *Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem*. Quasi signo quodam peccatores repromittant, & dicant: Si verbo ita in nobis laborare proponitis, sine magno lucro non erit, quod laboratis. Quare & de aliorum certitudine subjunctum est:

Et ait Jonathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me, tradidit eos Dominus in manus Israel. *Ibidem.*

Deo, non nobis, ascribenda victoria.

15. Quisquis nititur magna agere, hæc bene pensare novit, si semper studuit divinis laudibus imputare. Bene ergo Jonathas de consequenda victoria confidens, non iu manus suas, sed in manus Israel tradendos inimicos asseruit: ut triumphum ostenderet, & qualis esse debeat triumphator pariter designaret. Israel quippe, videns Deum interpretatur. Cui ergo in manus hostes tribuuntur, videns Deum dicitur: ut non ei ea quæ in manu data sunt, doceatur attendere; sed tenens datum, ad largitorem munerum cor levare. Aliud enim tenet manibus, aliud oculis videt: ut triumphi palmam fortiter teneat, sed videntem Deum retenta palma victoriæ non extollat. Hęc autem quia confidendo, non possidendo loquitur, qualiter ad eadem possidenda veniat, audiamus. Sequitur:

Vers. 13.

Ascendit Jona has reptans manibus, & armiger ejus post eum.

Peccatoribus trahendis compati debent pastores.

16. Quid est reptare manibus, nisi corpus omne curvare, nihil in se sublime relinqnere, superiora membra ad inferiora officia peragenda inclinare? Quid autem in hoc facto nobis insinuatur, nisi quia multa prædicatorum compassione indiget conversio peccatorum? Quid enim aliud, quam reptare manibus videbatur Redemtor noster, cum publicanorum amicus fieret, & peccatores reciperet, & cum ipsis manducaret? Manibus quidem reptabat, cum dicebat: *Non habent opus sani medico, sed male habentes.* Hinc iterum dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Hanc etiam incurvationem reptandi, in sacro eloquio cameli appellatio designat. Quia ad hoc Salvator usqne ad ima nostra se voluit humiliare, ut nos ad alta suæ divinitatis extolleret. Hunc namque reptantem manibus, Paules sequi se insinuans, ait: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Sed & quia in manibus opera solent significari, reptat manibus pastor, quando peccatoribus viam, quam tenere conversi debeant, non profert sapientia verbi, sed exemplo conversationis. Reptare quidem manibus prędicatores suos docebat Dominus cum dicebat: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Bene autem reptans ascendere ad stationem Philisthinorum dicitur: quia ad destruenda peccatorum vitia pervenire ille doctor potest, qui ipsos peccatores magna humilitatis ostensione, & magna caritatis affectione demulcet. Nam dum convenientiam gratiæ foris porrigit, manum intus ad incidendum mentis languorem mittit. Unde & bene subjungitur:

Matth. 9. 12.

1. Cor. 9. 22.

Jubis ad conversionem exemplo potius quam verbo prædicant.

Matth. 5. 16.

Ibidem.

Et cum vidissent faciem Jonathæ, alii cadebant ante Jonatham, alios armiger ejus interficiebat.

Caritate maxime eos alliciant.

17 Facies Jonathæ cernitur, quando qui verbum prædicatoris audiunt, caritatem etiam mentis ejus agnoscunt; cum videlicet hunc audiunt & cælestia prędicare, & eos, quibus ipsa pandit cælestia, mira caritate diligere. Bene autem ante faciem cadere dicuntur: quia dum bona, quæ sunt in mente prędicatoris agnoscunt, statum pravitatis deserunt. Sed & dum ad remedium pœnitentiæ plures veniunt, alii iu magnorum, alii in minorum exempla confugiunt. Apte igitur dictum est: *Alios armiger ejus interficiebat.* A vita quidem reproba privari, interfici est: & cujus exemplo, vel monitis malum quis deserit, ante ejus pedes quasi interfectus cadit. Generali quippe sententia, singulorum victorias exponens Jacobus, ait: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a mor-*

Jac. 5. 20.

A *te, & aperiet multitudinem peccatorum.* Seqnitur:

Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas & armiger ejus, quasi viginti virorum, in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit.

Vers. 14.

Prima peccatorum plaga conversio, secunda damnatio.

18. Plaga prima hæc dicitur: quia sancti percutere noxios etiam post, in ultimo judicio describuutur. Unde & Paulus Corinthios excitat, diceus: *An nescitis, quia Angelos judicabimus?* Hinc Psalmista vaticinans, ait: *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in faucibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Plaga prima ista conversionis est, secunda dammationis, quia modo sancti converti uos ad Domiuum rogant, sed nou convarsos tunc durius damnant. In qua B viginti viri mortui referuntur, ut quinarii numeri mysterium commendetur. Quinqnies enim quatuor repetiti, aut quater quinque vigiuti fiunt. Et quia vigore quinque sensuum omne tempus peccati perficitur, & iu quatuor Evangelistarum libris remedia nostræ salutis invenimus, viginti virorum typo omnes salvandi peccatores exprimuutur. Qui in media parte jugeri interfecti perhibentur, quam par boum in die arare consuevit. Boves suut prædicatores Ecclesiæ, qui dum prædicant, arant; qui dum verbis cęlestibus corda anditorum aperiunt, quasi in bona terra semen spargunt. Sed in die arant boves, quia Dominus comminatur, dicens: *Veniet nox, quando nemo potest operari.* Item duo C boves araut, Jonathas videlicet & armiger ejus. Quibus nimirum bobus, aut sapientes & simplices iutelligendi sunt, aut minores, & altioris ordinis sacerdotes. Possunt autem generalitar in duobus bobus omnes sanctæ Ecclesiæ prædicatores intelligi: quia & geminæ caritatis gratia pleni sunt, & se privato amore non diligunt. Media ergo pars jugeri ista, est vita præsens. Ista quidem temperata ad cultum imbribus mollescit hiemis: illa ad sterilitatem pigrorum caloribus torretur æstatis. Istam partem jugeri boves arare possunt, illa vero non possunt: quia in hac vita bona opera seminanda sunt, in illa vero non seminanda opera, sed operum retributio metenda. Bene ergo in media parte jugeri, viginti viri interfecti perhibentur: quia converti peccatores D hic solum salubriter possunt, ubi magnitudo criminis purgari creditur per lamenta conversionis. Sed nonnulli in subita peccatorum conversione mirantur: quia eis propter usum curæ exterioris quotidiana tot, quæ agit Deos mira, viluarunt. Unde & subditur:

1. Cor. 6. 3.

Psal. 149. 5. 6.

Boves sunt prædicatores qui Ecclesiæ agrum arant.

Johan. 9. 4.

Et factum est miraculum in castris per agros.

Vers. 15.

Perfecti divinam virtutem & sapientiam, mirari non desinunt.

19. Perfecti quique in omnibus, quę facta sunt, sive fiunt, omnipotentis Dei virtutem & sapientiam mirari non desinunt. Unde & & Psamista divinis laudibus insistens, ait: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.* Hinc Moyses eidem Domino confitetur, dicens: *Quis similis tui in diis Domine, quis similis tui in sanctis gloriosus, mira*E*bilis in majestate, faciens prodigia?* In sanctis quidem mirabilis dicitur, quia, quo altius divina conspiciunt, eo & mirabilius obstupescunt: quia nimirum altissima contemplatione vident, quibus stupeant, non quæ ratione comprehendant. Quoties ergo præter quotidianum usum nova quædam accidunt, quæ carnales, ac simplices admirentur, miraculum per agros fieri dicitur. In comparatione namque sanctorum velut agrestes liomines sunt, qui tot Conditoris antiqua opera, tot dispositiones

Psal. 67. 36.

Exod. 15. 11.

Secus carnales ac simplices.

tem-

temporum, & tot ordines creaturarum mirari nesciunt. Bene igitur in eadem rusticitatis hebetudine omnes generaliter concluduntur, cum subditur:

Ibidem.

Sed & omnis populus stationis eorum, qui ierat ad prædandum, obstupuit.

Conversi peccatores, alios ad conversionem aliquando accendunt.

20. Quam stationem nominant, nisi Philisthinorum? Quid est ergo, quod Philisthiim admirantur, nisi quia aliquando conversionem peccatorum alii peccatores obstupescentes aspiciunt, & dum bonitatem Dei in illorum visitatione intelligunt, ad simile conversionis propositum accenduntur? Ad prædandum quippe stationis populus pergit, quando agere perversa non metuit. Quod enim, prohibente Deo, scripturis minantibus, contradicentibus doctoribus, quis audet agere, quasi per violentiam nititur suis usibus usurpare. Si quis per hunc populum dæmonia intelligere voluerit, potest: quia ad prędandum pergunt, cum violentas tentationes ingerunt, & captivas animas peccatorum ducunt. Qui certe populus obstupescere dicitur: quia cor pœnitens, quod dæmones habere non possunt, qua gratia conversi peccatores recipiant, non intelligunt. Sed dum peccatores resipiscunt: tam sibi, quam aliis prosunt, quia nonnulli eorum exemplo corriguntur. Unde & subditur:

Ibidem.

Et conturbata est terra.

A timore & conturbatione incipit conversio.

21. Dum populares viri nova mira conspiciunt, terra turbatur: quia sæpe contingit, ut dum per exteriora miracula alii convertuntur, aliorum duritia incitamentis quibusdam ad propositum boni operis moveatur. Male etenim tranquilla est terra: quando vita carnalium in mundi jacet delectationibus secura: quando peritura, quæ ardenter desiderat, hanc dulciter oblectant. Terra vero turbatur, quando carnalis mens a mala sua soliditate concutitur, & cogitare fluctuando inchoat, inter mala, quæ respuit, & bona quæ amat. Turbari etenim menti tunc est, serenitatem malæ delectationis proposito Christianæ religionis obducere. Sed carnalis affectus concutitur, ut spiritualis vita reveletur. Unde & subditur:

Ibidem.

Et accidit quasi miraculum a Deo.

In peccatorum conversione quædam per se Deus præstat, quædam per homines.

22. Quando namque mens hominis carnali delectatione deprimitur, ejus utique visus obtunditur, ut spiritualia bona ignorare mereatur. Sed cum in suis carnalibus infirmari incipit, paulatim in spiritualibus convalescie, ut superna proficiendo videat, infirma obliviscendo derelinquat, profectus quidem conversæ mentis ostenditur: quia prius terra turbari dicitur, deinde miraculum quasi a Deo accidisse memoratur. Miraculum vero a Deo est, quod sine homine facit Deus. Quod enim manna in deserto filiis Israel pluerit Dominus, quod concupiscentibus volatilia præbuerit, miraculum utique sine homine Deus fecit: sed dum mare dividere voluit, virga hoc Moysen tangere præcepit: ut miraculum ostenderet, quod per hominem populo demonstraret. Sic nimirum virga petra percutitur, ut aquæ fluenta producantur: quia nimirum miraculum, quod ostendere voluit, per hominem, non per semetipsum fecit: ut dum hominem venerabilem redderet, huic Israeliticus populus humiliter subjici, & devote obedire debuisset. Quid est ergo, quod miraculum quasi a Deo accidisse asseritur, postquam terra turbatur: nisi quia dum sanctus Spiritus mentem ad conversionem commovet, commotæ menti electorum exempla insinuat: quæ & venerabiliter videat, & imitari devote concupiscat? Hoc quidem miraculum juxta historiam sic accipitur; quia plures interficiebantur. Nunc vero in sancta Ecclesia ad religiosam vitam peccatores convertuntur, quos alii ad virtutis exempla sequuntur. Spiritus quidem sanctus illos trahit, & quia trahuntur aliis ostendit: ut tractos trahat, & videntes tractis inserat; quatenus per largitatem suæ gratiæ utrosque comprehendat. Quando enim hoc sine homine per semetipsum operatur in cordibus fidelium, utique miraculum non fit quasi a Deo, sed a Deo. Quando autem prædicantibus hoc æternæ vitæ doctoribus agit, quasi a Deo est miraculum: quia mirabiles suos ministros ostendit, ut qui eos aspiciunt, devote valeant imitari. Sed quia summos sacerdotes Saul signare superius diximus, Jonatham vero filium ejus subditas prædicatorum personas: si sequentia attendimus, sollicitudinem Apostolicam in summis pontificibus, quam retinent, invenimus. De quo nimirum beatus Paulus loquitur, dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Qui vero omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerebat, non solum parvulorum, sed etiam ad discutienda majorum facta vigilabat. Unde & hic subjungitur:

Exod. 16. Idem 14. Num 20. 2. Cor. 11. 29.

Vers. 16. & 17.

Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, & ecce multitudo prostrata huc illucque diffugiens. Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Et repertum est, non adesse Jonatham, & armigerum ejus.

Summi pontifices non solum subditorum vitam explorant, sed etiam doctrinam prælatorum.

23. Pugnam Jonathæ, Saul speculatores aspiciunt: quia summi pontifices, non solum subditorum facta discutiunt, sed doctrinam prælatorum. Istos quidem explorant, si bene agant: Illos autem an recte doceant. Sępe conversationem aliorum audiunt, sed ne sint bene eruditi, pertimescunt. Quid enim est aliud, quod quis abierit, quæritur: nisi quia qui ad prædicandum mittitur talis esse debet, ut onus ministerii ei secure imponatur; ut mens mittentis nulla dubitatione fluctuet, quod recte doceat, & doctrinæ verba operibus ostendat. Et quia innumeri sunt Ecclesiarum præsules, a speculatoribus Jonathas aspicitur: quia summum culmen universalis Ecclesiæ, sic per orbem prædicatores ordinat, ut circa se ministros habeat, per quos illorum doctrinam discutiat, & opera diligenter inquirat. Sed qui summi culminis ministerio & legatione funguntur, in alta vitæ & scientię sede sublimantur. Unde & bene iidem speculatores in Gabaa Benjamin esse memorantur. Gabaa quidem Benjamin collis filii dextræ nuncupatur. In colle quidem filii dextræ sunt, qui jam per sublimem vitam, & per altam scientiam, ad conformationem videntur pertingere Redemtoris. Hi nimirum victorum acta de sublimi conspiciunt: quia bonorum vitam probare, & malos discutere, ex vitæ merentur celsitudine, & summę scientiæ perfecta eruditione. Qui Jonatham non adesse reperiunt: quia lucra prædicationis tunc optima esse considerant, cum prędicatoris laudabilem personam probant. Sequitur:

Per orbem prædicatores ordinant.

Vers. 18.

Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei.

Suis in judiciis non sint præcipites.

24. Cur Achiam sacerdotem Saul applicare arcam pręcipit, nisi quia modum certaminis a speculatoribus audiunt? Quod quidem a summis sacerdotibus bene spiritualiter agitur, cum ea, quę a relatoribus audiunt, non ante dijudicant, quam eorum rationem in consilio internæ meditationis

quærant. Et, quia sæpe alienæ etiam mentis consilia sequuntur, Achias arcam applicare jubetur. Arcam quippe sacerdos habet, qui scientia spirituali mentem vacuam non habet. Saul ergo arcam applicare Achiam jubet, quando summus doctor consilium a minoribus suis, & eruditis quęrit. Ibi enim sunt postulanda consilia, ubi spiritualis scientiæ gratia coruscat. Unde & subditur:

Ibidem.

Erat enim arca Dei in die illa cum filiis Israel.

A quibus consilium quærere debeamus.

25. Quasi dicat: Hoc applicare præcepit, quod esse cognovit. Ab irreligiosis quidem religionis consilium, aut sapientię a stultis petere, non est consilium accipere, sed pręcipitare. Bene ergo dicitur: *Erat enim ibi arca Dei*: quia in rebus dubiis illos debemus consulere, quibus aperte scimus spiritualia dona non deesse. Sed quædam sunt, quæ per consilium, quędam vero, quæ per auxilium meliorantur. Ubi enim aperta & indubitata necessitas est, illic non est idonea mora consilii, sed celeritas subventionis. Ambigua quidem, & obscura melius consulendo peragimus: sed aperta & cognita, subveniendo, & festinando sublevamus. Unde & subditur:

Vers. 19. & 20.

Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthiim: crescebatque paulatim, & clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam. Conclamavit Saul, & omnis populus, qui cum eo erat, & venerunt usque ad locum certaminis.

In obscuris tantum, non in apertis, quæ cum festinatione sunt implenda.

26. Quid enim aliud signat, quod prius Saul applicare arcam petiit, deinde sacerdotem contrahere manum jussit: nisi quia & obscura debemus consulendo disponere, & quæ clarius innotescunt, cum festinatione complere? Sed prędicatori tumultum crescentem paulatim audire, est conversorum peccatorum devotionem cognoscere. Quod paulatim crescere dicitur: quia dum mentem nostram ad bona opera spiritus dirigit, hanc ad meliora per quotidianos profectus leniter ducit. Quid vero est, quod Saul & omnis, qui cum eo est, populus clamat: nisi, quia se pręliatoribus sociant? Sed & usque ad locum certaminis veniunt. Locus certaminis cor est verbum Dei audientis. Certaminis vero locus dicitur, quia verbum, quod recipitur, cum præterita conversatione pręliatur. Placent enim ei jam cęlestia, quę audit; sed vetus consuetudo insurgit, & ut audita contemnat, suggerit. Fit pugna item gravior, quia quod prędicator laudat, hoc maligni spiritus dissuadendo vituperant, & quasi prędiando se contra Sanctos erigunt, dum illud bellando destruunt, quod istorum voce prædicatur. Quid est ergo venire usque ad locum certaminis, nisi per exquisitionis aditum, pervenire ad secreta cordis auditoris, ubi hostes celeriter inveniat, & potenter cędat? Nam qui discutere interna nesciunt, ad locum certaminis pervenire non possunt. Vel locus certaminis est, ubi erebra fama magnę religionis est. Illuc quippe dum ab innumeris curritur, qui & vitam deponere veterem, & induere novam concupiscunt, certaminis locus recte nuncupatur: quia quotidie illic spiritualium virtutum exercitus pugnat cum numerositate vitiorum. Illic quidem quanto graves pugnæ, tanto gloriosæ victoriæ. Illic quo frequentius accessus hostium, eo & laudabilior numerus triumphorum: ubi non solum magnorum alta virtus extollitur, sed communis omnium strenuitas mira fortitudinis ostensione monstratur. Unde & sequitur:

Conversi peccatores, quibus certaminibus vbnoxii.

Vers. 20.

Et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.

Divini verbi gladio, quo mutuis nos plagis cædere debeamus.

26. Quis est hic gladius, nisi gladius spiritus, quod est verbum Dei? Qui enim innumerabilibus locis ad omnipotentis Dei servitium conversi sunt, quia verbo Dei inseparabiliter inhęrent, quasi juxta se quisquis gladium tenet. Gladius ergo uniuscujusque ad proximum vertitur, quando hi, qui in monasteriis conversi sunt, & vicissim se verbo Dei perforant, & carnalitatem in se penitus necant. Velut enim alterutro vulnere interficiuntur, dum alter alterum verbo Dei percutit, & quidquid in se carnaliter vivit, extinguit. Qui, quia nuper conversi, a seculari vita ceciderant, Philisthinorum typo signati sunt. Vel gladius alterius ad proximum vertitur, quando per conversorum exhortationem, nondum conversi peccatores ad Dominum convertuntur: quando non solum hi, qui pręsunt, verbo prędicationis alios lucrifaciunt; sed multitudo subditorum quotquot possunt verbis & exemplis instruere, & pręsentis vitę desideriis conantur velut interfectos subducere, & ęternę vitę vivos exhibere. Hæc quidem lucra peremtorum jam in tota Ecclesia per orbem universum diffusa conspicimus: quia quicumque per divinam gratiam jam Deo vivunt, alternę caritatis mucrone huic mundo mortui videntur. Gladius quippe uniuscujusque ad proximum vertitur: quia omnes electi se in sancta Ecclesia vicissim roborant, & ad cęlestem patriam studio alternę prędicationis inflammant. Et quia innumerabilis populus quotidia Deo acquiritur, bene illic subditum est. *Et cædes magna nimis*. Magnum utique nimis est, quod in magnitudine potest quomodocumque dignosci, sed excellentia non valet comprehendi. Ad hanc quidem magnam nimis cędem oculos extulerat, qui dicebat: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum; dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*. Potest etiam magna nimis cędes intelligi, non solum ut multi, sed etiam ut bene interfecti videantur. Quod quidem in conversione peccatorum fieri cernitur: cum sic pręterita deserunt, ut ad eadem delectamenta numquam reviviscant. Cędi utique peccatoribus, est ad tempus a turpi vita separari. Vehementer ergo, sive nimis cædi, est temporalis vitę illecebras perfecte deserere, & futurę gaudiis inhiare. Ipsorum vero, qui convertuntur, quia multa diversitas est, sequitur:

Psal. 138. 17.

Vers. 21.

Sed & Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt, ut essent cum Israel, & his qui erant cum Saul & Jonatha.

Apostatarum etsi difficillima conversio sit, non est tamen impossibilia. Supr. 13. 7.

28. Qui sunt Hebræi, qui fuerant cum Philisthæis, nisi peccatores a religiosa conversatione lapsi? De quibus non valde supra dictum est: *Hebræi transierunt Jordanem*. Hebræi quidem sunt ordine religionis, sed cum Philisthæis sunt, & cum eis ascendunt, quamdiu per suggestiones noxias illuduntur, & in prava operatione proficiunt. Cum malignis quidem spiritibus sunt proposito & voluntate peccati; sed cum eis ascendunt, quia ipsis impellentibus, in audaciam se extollunt iniquæ operationis. Vel cum eis sunt, cum peccata sua operando perficiunt: cum eis vero ascendunt, cum pravitatis suæ exempla aliis imitanda proferre non metuunt. Quid est ergo, quod reverti & esse cum Israele dicuntur, nisi quia tales etiam plerumque resipiscunt? Reverti enim, amorem religiosæ vitæ resumere est. Et cum Israele esse, est intra sanctam Ecclesiam in caritatis unitate persistere. Ad hoc quippe reverten-

dum,

A dum, ut cum Israele esse proponatur: quia nulla est conversio peccatoris, si conversus perseverantia careat boni operis, & unitate caritatis. Sequitur:

Vers. 22.

Omnes quoque Israelitæ, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthiim, sociaverunt se cum suis in prælio.

Solitariæ vitæ deditos lucrandis animabus insudare laudabile.

29. Hoc quidem toties fit, quoties remotiori vitæ dediti, ad quærenda animarum lucra intorquere studium dignantur. Cum suis namque se in prælio sociant, cum vera æternæ vitæ gaudia cum sanctæ Ecclesiæ doctoribus prædicant, pariterque a peccatorum cordibus malignos spiritus fugant. Sed quęrendum valde est, quo modo dicatur: *Audientes quod fugissent Philisthiim.* Pręclara quidem victoria non est, fugientes insequi, sed resistentes effugare. B Quid est ergo quod dicitur: *Audientes, quod fugissent Philisthiim, sociaverunt se cum suis in prælio*: nisi quia his verbis ejusdem remotæ vitæ convenientia lucra signantur? Mos namque illorum virorum esse solet, ut verbum potius consulentibus se, quam sibi obsistentibus proferant: quia nisi devotum cor auditoris agnoscunt, prædicationem suam quasi in vacuum perituram emittere dedignantur. Prius ergo quam se suis in prælio socient, Philisthæos fugisse audiunt: quia non tam scelestis convertendis invigilant, quam conversis ad perfectioris vitæ fastigia sublevandis. Ipsa autem sublimitas vitæ perfectioris, quia suaderi magnæ exhortationis laboribus soler, qui fugisse Philisthæos audiunt, pręliari merito dicuntur. C Hostes itaque fugiunt, sed nuper absconditi præliantur: quia remotæ vitę viri non dignantur loqui, nisi devotis auditoribus, sed loquentes, vitæ, quam ipsi tenent, altitudinem magna verborum atque exemplorum pugna suadere vix possunt. Et quia magna lucra prædicationis infirmi, & imperfecti colligere non possunt, sequitur:

Modo infirmi & imperfecti non sint.

Ibidem.

Erant cum Saul quasi decem millia virorum.

Non ait decem millia, sed quasi decem millia. Hujus denique numeri perfecta perfectio in terra non invenitur, sed in cęlo. Quia enim novem sunt ordines Angelorum, & ad illorum societatem electorum illa hominum multitudo sustollitur, decem millia virorum illa sunt, quę in sanctis Angelis, & electis hominibus in illa ęternę glorię sede gratulantur. D Quasi ergo decem millia virorum illa sunt, quæ in istius adhuc seculi exilio posita, illius beatæ societatis formam in moribus susceperunt. Quia item illius supernę vitę amore peccatorum tenebrę relinquuntur, sequitur:

Vers. 23.

Et salvavit Dominus in die illa Israel.

Cælestem amorem lux divina præcedit.

Contemplatio quidem internæ lucis splendida valde atque clarissima dies est, in qua Dominus Israelem salvat: quia quorum corda luce intimi splendoris irradiat, in celsitudinem perpetuæ salutis levat. Salvare quippe in die illa Dominus dicitur, quia ad ęternæ vitę amorem nemo succenditur, cui intimę lucis splendor occultatur. Ad hanc salutis gratiam non solum electa, sed etiam despecta, quę videntur mundi, perveniunt. Unde & E subditur:

Ibidem.

Pugna autem pervenit usque Bethaven.

Infirma mundi Deus aliquando ad majora opere eligit.

30. Bethaven dicitur, domus inutilis. Hanc quippe inutilem Dominus in parabolis ostendens, regem servo in nuptiis [a] præcipientem introducit, dicens: *Exi cito in plateas, & in vicos civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos ac claudos introduc huc.*

Luc. 14. 21.

Pauperes quidem sunt, qui verbi Dei thesauros in corde suo minime recondunt. Debiles vero sunt, qui laborare satis pro æterna vita non possunt. Cęci vero, idiotæ ac simplices designantur: quia dum cælestia nequaquam vident, lumine mentis carent. Claudi vero sunt, qui gressum boni operis perdiderunt. Sed, *Pugna pervenit usque Bethaven*, quia sæpe inutiles personæ dum sermonis Dei bello capiuntur, in ejus redactę servitium, utiles fiunt. Pugnatur quidem cum cęcis, ut videant: cum claudis, ut subsistant: cum peuperibus, ut morum thesauros accipiant: cum debilibus, ut ad robur boni operis convalescant. Usque ergo Bethaven pugna perducitur, quando illi Sanctorum prædicatione capiuntur, qui utilitatem alicui necessariam habere nullam videbantur. Unde & subditur:

Vers. 24.

Et omnis vir Israel sociatus est sibi in die illa.

Nulla conversionis & salutis expers conditio.

31. Omnis quidem vir prędicatori conjungitur, quando conditio hominum nulla relinquitur, ex qua conversi ad bonam conversationem minime perducantur. Sed qui Saul sociantur, viri dicti sunt: quia qualescumque in seculo sumus, in Dei omnipotentis servitio esse fortes admonemur. Nisi viri etenim prędicatoribus nequaquam sociantur: quia cum eis non conveniunt, nisi fortia ipsi agant, quę illi docendo laudant. Sed jam devictis hostibus, jam sibi fortibus conjunctis, quid rex agat, attente considerandum est. Sequitur:

Ibidem.

Et adjuravit Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit, usque ad vesperum, donec ulciscar de inimicis meis:

Prædicatores laudibus pro fortiter gestis modo non pascantur.

Psal. 58. 2.

32. Inimici prędicatorum illi sunt, de quibus Psalmista obsecrat, dicens: *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me.* Inimici quidem Sanctorum recte immundi spiritus dicuntur: quia mundi blandimenta, quę illi suggerunt, amplecti isti magno studio detestantur. Nam quibus adhuc aliquid de maligni spiritus consiliis placet, ejus utique inimicus non est: quia odisse nondum novit, cujus blandimenta non respuit. Inimici etiam Sanctorum dicuntur: ut ex sacro eloquio detegantur. Nam per omne quod suggerunt, per omne quod blandiuntur, eas animas quibus delectabiliter favent, perdere conantur. Quid est ergo, quod populum adjurat, ne usque ad vesperum comedat, donec de inimicis suis ultionem sumat? Sed notandum, quia jam devictis hostibas ista loquebatur. Quid vero est comedere victoribus, nisi de peracto virtutis opere cibos vanę laudis delectanter excipere? *Maledictus*, inquit, *omnis, qui ante vesperum comederit:* quia qui modo vanas laudes gratanter excipit, tunc ęternas Creatoris laudes amittit. Adjuratur ergo populus, ne comedat: quia doctorum pręcepto constringitur, ut de bono opere inaniter numquam glorietur. Fortia bene vivendo agat, sed quamdiu vixerit, appetere de fortitudine laudes caveat: ut laudari post mortem ęternaliter non amittat. Qui enim ante vesperum populum manducare prohibuit, ad vesperum utique esse comedendum concessit. Et quia in vespere finis diei est, in vesperum comedunt, qui abstinere ante vesperum possunt: quia qui laudari modo de magna actione despicit, cum ad vitę finem ducitur, ęternis dignus laudibus invenitur. Hoc est, quod Dominus se daturum electis in Evangelio repromittit, dicens: *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Hinc iterum ad judicium veniens, dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum;*

Ut æterna gloria fruantur aliquando.

Matt. 25. 23.

Ibid. 34.

V iij

[a] Gussan. cum Vatic. præcipientem introducit.

gnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi. Tunc quidem de inimicis nostris ulciscimur; quia omnes tunc diabolicæ tentationes evanescunt. Quia enim ultra dæmonum insidię tentando nihil obsunt, cum per carnem morimur, de inimicis nostris ulciscimur, quos jam velut interfectos penitus non pavemus. Vel ergo usque ad vesperum comestionem differimus, si laudis nostræ præconia in fine venturo judici reservemus. Tunc quidem manducandum est, quia qui judex tunc venit, modo dux nostri exercitus commilitonibus repromittit, dicens:

Luc. 12. 37.

Faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Tunc quippe victores discumbunt: quia internæ quietis alta sede recepti, perennis vitæ laudibus delectantur, quando ipsis tacentibus, omnium bonorum operum præconia concinunt: & simul proferuntur ad gloriam, quæ hic magna virtute ferebantur ad pugnam. Sequitur:

Vers. 25. & 26.

Omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullusque applicuit manuum suam ad os suum.

Seculo militantium exemplis, aliquando erudiantur religiosi viri.

33. Saltus, silvosus atque clivosus locus est. Quo nimirum nomine apte corda secularium designantur: quia dum tota intentione curis exterioribus serviunt, velut silvosa loca ad fructum boni operis prædicationis vomere non sunt. Qui vero * vulgus nomine hoc loco signantur, nisi religiosi viri & simplices? Terræ quidem vulgus dicitur: quia in bono opere magni sunt, sed tamen altissima contemplatione magni non sunt. Nobiles quidem actione, sed vulgus summorum virorum comparatione. Quid ergo est, quod *vulgus terræ venit in saltum*: nisi quia religiosi & simplices viri per exempla bonorum operum, sæpe ad notitiam secularium deducuntur? Ubi mel in agro apparet: quia de exemplo boni operis apud seculares inveniunt, & devotionis latitudinem, & fructum venerationis. Quid enim est ager in saltu, nisi devotio in occulto & expurgato corde secularium? Et quid mel super faciem agri, nisi dulcedo favoris? Qui merito post ingressum vulgi apparere dicitur: quia videlicet aspera secularium corda, si prius religiosorum exempla non vident, nec latitudine devotionis se valent distendere, nec alienæ sanctitatis gloriam prædicare. Ante ingressum quidem, tantum saltus est: nec agrum habet, nec fluens mel. Post ingressum vero & latitudinem agri habet, & dulcedinem mellis: quia sępe qui mundum diligunt, Sanctorum exempla ferventi amore recipiunt: ut bonum, quod vident, sibi non solum placeat, sed etiam prædicare attentius concupiscant. Ipsa tamen Sanctorum vita laudanda est, & laus ista ab eis quorum est, per vanam gloriam nullatenus capienda. Videri tantum debet, excipi non debet: ut glorificari Deum quisque in suo opere gaudeat, sed de Dei gratia extolli contemnat. Unde & caute expressum est: quia fluens mel super faciem agri apparuit, & tamen manum cum malle ad os nemo applicuit. Mel quidem fluit, quia dulcis fama Sanctorum dulciter velociterque currit. Sed manum ad os nullus ducit, quia de opere bono dulcedinem laudis non accipit. Manum quidem cum melle ad os applicare, est laudem operis sui gratanter accipere. Decurrat ergo mel, & nemo ad os manum applicet: ut Sanctorum fama dulciter fluat, & ipsos, a quibus defluit, non extollat. Fluat, ut alios satiet: sed non sumatur, ne mortem propinet. Unde & subditur:

* Forte leg. vulgi.

Timebat enim populus juramentum.

Vers. 26. Luc. 18. 41.

Juramentum regis est: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*. Item juramentum regis est, quod contra hypocritas profert, dicens: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Juramentum ergo populus timet: quia ne æternas amittat, temporales recipere laudes cavet. Sequitur:

Matt. 6. 16.

Vers. 27.

Porro Jonathas non audierat, cum adjuraret pater ejus populum, extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favo mellis, & convertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi ejus.

Sæpe verbo & opere magni, a vana gloria non satis cavent.

34. Quos in hoc loco Jonathas, nisi illos insinuat, qui verbo & opere magni sunt, sed tamen studio circumspectionis magni non sunt? Alta quidem prædicant, fortia exercent, sed in humilitatis circumspectione se non viriliter tenent. Quid est enim, quod virgam tenet in manu, nisi quia disciplina, qua peccare alios prohibet, semetipsum non coercet? Virga quidem, qua parvuli solent corripi, sermo correctionis potest apte designari. Prædicatio ergo & opus bonum, virga & manus est. Quid est igitur vitam extendere, & manum ad os cum melle revocare, nisi tam de prædicationis verbo, quam de studio boni operis vani favoris gustum recipere? Sed quia more electorum peccat, non virga, sed extremitate virgæ mel levare dicitur. Virgam quippe, & manum melle plenam, ad os convertunt, qui juxta veritatis vocem, *Omnia opera sua faciunt, ut ab hominibus videantur*. Dum enim suis laudibus saturantur, mel non ad tenuem gustum habent in summitate virgæ, sed vel in tota virga, vel in manu ad plenam refectionem. Tales utique erant, quibus Dominus in Evangelio exprobrat, dicens: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem recipientes?* Quid ergo est hæc virgæ extremitas, nisi quia plerumque & Dominum glorificare in suo opere quidem volunt, & apparere ipsi laudabiles non refugiunt? Merito igitur vocem patris, qua populum adjuravit Jonathas non audisse dicitur: quia Dei, sive ejus prædicatoris verba non audit, qui ea implere negligit. Quid vero est, quod ex gustu mellis illuminati sunt oculi Jonathæ, nisi quia qui vani favoris auram recipiunt, ex eodem ad agenda fortia roborantur? Hoc quidem loco non dicuntur aperti oculi, ut clausi fuisse sentiantur, sed ut reparato vigore corporis, ad videndos intelligantur, & ad extinguendos hostes reparati. Quod nimirum elatis omnino convenit, qui ex eo majora & fortia agunt, quo laudabilia opera sua efferri conspiciunt. Sed sępe minor zelo caritatis accenditur, qui delinquentes magnos viros ad Scripturarum memoriam reducere conatur. Unde & sequitur:

Matt. 23. 5.

Joh. 5. 44.

Vers. 28.

Respondensque unus de populo, ait: Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem hodie.

Quam caute ac humiliter patres a filiis, ubi necessitas cogit, sint admonendi.

35. Patrem quippe adjurasse populum, & maledictum protulisse retulit, quia cum minor errantem vult pręlatum dirigere, non debet aspere objurgare, sed dulciter atque humiliter ad majorum statuta memoranda reducere. Unde dicit: *Jurejurando constrinxit pater tuus populum*. Ut enim cum dulciter admoneat, eum qui jurejurando populum constrinxit, patrem ejus esse asseruit. Quasi enim aliis verbis dicat: Tanto dilectius debes majorum instituta conservare, quanto eorum locum altius videris per successionis dignitatem retinere. Constrictus etiam populus jurejurando patris asseritur: ut non loquentis personæ humilitas, sed ostensæ auctoritas attendatur: ut si suggerentis ordo despicitur, illius,

lius, qui monstratur, celsitudo timeatur. Quem tamen patrem asserit: ut præcepta majorum & timori esse debeant & amori. Dicat ergo: *Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus qui comederit panem hodie*. Quod tale est, ac si dicat: Eorum te memorem esse volo, quæ tua, non mea sunt: quia dum culmen majorum obtines, eorum leges quasi hereditario jure servare debes. Panis vero nomine favor adulantium recte exprimitur: quia mentem vanitati intentam & satiat, & confortat, dum hanc ad agenda, quæ laudari debeant, valentiorem reddit. Quod quidem arrogantibus valde convenire cernitur, qui ad loquendum, prolatis laudibus, animantur. Et quia arrogans prædicator habet similes sibi subditos laudis cupidos, sequitur:

Ibidem.

Defecerat autem populus.

Vanus prædicator, cum laudibus non pascitur, deficit.

36. Quid est ad litteram deficere, nisi lassesceret? Qui enim laudes transitorias de verbi prædicatione requirunt, deficiunt, cum laudantur: quia nullo vigore verba proferunt, quæ non laudari cernunt. Velut enim lassescentes deficiunt dum despecti obmutescunt. Sed & dum non comedunt, videntur deficere: quia si licitum haberent cibum favoris, velut refecti & fortes insequerentur vitia prædicatione verbi. Unde & arrogantis prædicatoris forma ostenditur, per id quod subjunctum est:

Vers. 29. & 30.

Dixitque Jonathas: Turbavit pater meus terram. Vidistis enim ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto: quanto magis si comedisset populus prædam inimicorum suorum, quam C *reperit, nonne major facta fuisset plaga in Philisthiim?*

Optime laudibus utitur, qui talem se præbet qualis ab aliis laudatur.

37. Quid est enim, quod turbasse terram patrem reprehendit, nisi quia majores statuta sua per imperitiam confudisse redarguit? Terræ quidem nomine subditorum humilitas designatur: quæ nimirum turbari cernitur, quando errante Pastorum judicio, tranquillæ veritatis ordinem deserere videtur. Et quia dum favores hominum arrogantes inhianter ambiunt, & hoc licitum esse asserere conantur, profectus suos in testimonium perducunt. *Vidisti enim*, ait, *quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto*. Quasi dicat: Ex laude subjectorum crevi, dum non esse minor laudibus studui. Nam & electorum prædicatorum mos esse solet, ut dum se laudari D considerant, hoc, quod de se foris audiunt, esse viribus contendant. Et idcirco paululum mellis se Jonathas comedisse retulit: quia arrogans linguæ favores se excipere licenter putat ad vitæ profectum, non ad intentionem vanitatis. Sed omnino aliud est laudis præconia moribus adæquare contendere: aliud laudes appetere, ut in iisdem laudibus profectum vitæ possit invenire. Laudes quippe suas moribus exæquare conantur, qui ipsas laudes despiciunt, qui laudari ab hominibus numquam volunt. Quantum certe in eis est, laudari vehementer refugiunt, sed quia non possunt omnino effugere ne laudentur, conantur esse, quod audiunt. Sed quidam, bonis ostensis operibus, idcirco laudari volunt, ut laudati majus conscendant in opus virtutis. Qua profecto præ- E sumtionis suæ æstimatione falluntur: quia qui in minimis laudes appetit, cum majora opera fecerit, ardentius & valde avidius laudes quærit. Et fortasse ideo post patrem Jonathas non potuit regnare, quia illos signabat, qui dum vane se extollunt, vere deficiunt. Addidit quoque ratiocinando, & dicit: *Quanto magis si comedisset populus prædam inimicorum suorum, nonne major facta fuisset plaga in Philisthiim?* Mellis paululum in virgæ

A summitate gustare, est de doctrinæ facundia qualitercumque gloriari. Prædam vero inimicorum comedere, est virtutis opera per memoriam repetere, & recolendo gaudere. Quasi enim prædam inimicorum facit, dum ea, in quibus occultis hostibus quis prævaluit, ad memoriam ducit. Ea quoque ad saturitatem comedit: qui quasi sua virtute hæc fecerit, se inaniter & vehementer extollit. Dicit ergo: *Quanto magis si comedisset populus prædam inimicorum suorum, nonne major facta fuisset plaga in Philisthiim?* Quasi dicat: Cum ex brevi gustu favoris, tantus profectus sit, quid electi præliatores facerent, si plenas operum laudes licitas ac justas haberent? Sequitur:

Percusserunt ergo Philisthæos in die illo a Magmis *Vers. 31.*
B *usque in Aion.*

Vani prædicatores, simulationem lucis accipiunt, non veritatem.

38. Dies mentis est splendor eruditionis. Sed illi quos arrogantes erudiunt, quia ambitione temporalis gloriæ accenduntur, simulationem lucis accipiunt, non veritatem. Dum ergo dies illa dicitur, quid aliud signatur, nisi quia sæpe proposito temporalis gloriæ fortia fieri viderentur? In die namque illa, id est doctrina, vel exemplo superborum percutiunt, quia ad hoc ministerio prædicationis inserviunt, ut splendorem gloriæ temporalis adipiscantur. Et quia omnibus innotescere cupiunt, dicit: *A Magmis usque in Aion*. Magmas, ut jam satis dictum est, humilitas, Aion vero, frater meus mœrens interpretatur. Humiles autem hoc loco, pusilli, ac simplices C in sancta Ecclesia designantur. Mœrens vero frater quos alios insinuat, nisi eos, quos Dominus in Evangelio collaudat, dicens: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur?* *Matth. 5. 5.* Qui enim jam temporalia cuncta novit despicere, & ad æterna magnis desideriis anhelare, dum horret teneri in corpore, & gemit in illa æternæ vitæ lætitia nondum esse, frater meus mœrens recte nominatur. Frater quidem, quia Christi coheres jam esse cœpit, ad cujus beatissimam illam atque lætissimam hereditatem totis desideriis ingemiscit. Mœrens autem dicitur, ut perfectorum luctus inenarrabilis esse designetur.

Perfectorum luctus inenarrabilis.

Mœrere autem non quomodolibet, sed affectuosissime flere est. Quia enim Spiritus sancti gratia repleti sunt, ad illam fletuum ubertatem per- D venerunt, quam egregius doctor asserit, dicens: *Ipse autem spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. *Rom. 8. 26.* Mœrens etiam frater dicitur, quia Redemtori in magna familiaritate, perfecti quique conjuncti sunt. Quem enim singulariter Redemtor diligit, quem singulari dignitate ad perpetuæ hereditatis possessionem nutrit, cum frater ejus asseritur, singulari numero declaratur. Unde & ad Moysen quasi singularem amicum dicit: *Novi te ex nomine*. *Exod. 33. 12.* Hinc est quod de Johanne in Evangelio dicitur: *Hic est discipulus ille, quem diligebat Jesus*. *Johan. 21. 20.* Qui enim omnes discipulos valde diligebat, dum hunc diligere dicitur, frater singulari numero demonstratur. In die illa a Magmis usque in Aion Philisthæos arrogantes percutiunt; quia ut lucem gloriæ secularis accipiant, non solum parvulis parva prædicant, sed alta, E quæ perfectiores agnoscant. Et quia cum sibi per intentionis perversitatem obsunt nonnullis in Christo parvulis, pluribus etiam perfectioribus prosunt loquendo, a Magmis usque in Aion non pugnare, sed percutere dicuntur. Philisthæos quidem percutere, est dæmonum insidias, vel vitiorum tyrannidem ab electorum corde perimere. Sed sæpe elati doctores aliis per verbum prosunt, & ejusdem verbi laudes nullas accipiunt, quas concupiscunt. Unde & frequenter accidit, ut dum laudari & efferri se

nnn

non considerant, velut fatigati magnis laboribus obmutescant. Quare & subditur:

Ibidem.

Desatigatus est autem populus nimis.

Mos quoque esse elatorum solet, ut cum ab eorum laudibus lingua aliena silet, æstimatio sua non sileat. Tacentibus quidem aliis clamant: quia æstimationis suæ prę conia in corde portant. Bene ergo de eodem populo subditur:

Vers. 32.

Et versus populus ad prædam, tulit oves, & boves, & vitulos, & mactavere in terra, comeditque populus cum sanguine.

Qui de bonis operibus aliquid sibi tribuit, furti reus.

39. Oves quidem tollit, qui innocentiæ suæ causas multiplices ad elationem recolit. Boves in prædam tollit, quando labores prędicationis suæ cogitat, & quidquid aliis loquendo, velut terram excollendo, profecit, memorando coacervat. Vitulos tollit, cum de eo extollitur, quod compressi motus lascivię ad mentem reducuntur. Quia enim duo in magna justorum laude prę cepta sunt, videlicet splendor caritatis, cum luce boni operis: dum ęstimatione sua quisque arrogans extollitur, & oves, & vitulos tollere perhibetur. Oves quidem in innocentia bonorum operum, vitulos vero in mortificatione corporalium passionum. Quibus nimirum boves inseruit: quia perfecte non extollitur, qui se infirmum & impotentem in parte aliqua contemplatur. Magnus quidem apud se jam est æstimatione pudicitiæ, & boni operis; sed in fastu amplioris elationis se elevat, dum perfectum se recolit in labore prædicationis.

Lætitia carnalis de virtutum conscientia, damnatur.

Sed hęc omnia ad quem finem perducantur, subsequenter expositum est: *Et mactavere in terra.* In terra oves, & boves, & vitulos mactare, est de virtutum conscientia, ima & carnali lætitia exultare. Unde & per Oseam de elatis & arrogantibus dicitur: *Victimas demergebant in profundum.* In profundum quidem victimas mergunt, qui cælestes virtutum hostias non in cælum per gratiarum actionem sublevant, sed ad terram per appetitum vanę laudis inclinant. Unde & bene subditur: *Comeditque populus cum sanguine.* Mentis cibus, interna ejus lętitia est. Quid est ergo comedere cum sanguine, nisi ab interno appetitu mentis, intentionem vani favoris nequaquam removere? Velut enim sanguinis abjicitur, cum mens a gaudio boni operis intentionem removet vanitatis. Hujusmodi enim mens lętari in bono opere novit: quia appropinquare cælestibus per opera bona gaudet, quę in eisdem operibus videri ad tempus refugit. Cum sanguine ergo comedere, est gaudium boni operis sumere permixtum vanitatis intentione. Quod nimirum cum ab aliis offertur, elatis simplex cibus est: cum vero nullis laudantibus, conscientia superborum intumescit, quasi per predam violenter tollunt, quod aliquis sponte non tribuit. Sequitur:

Ose. 5. 2.

Vers. 33. & 34

Nuntiavere autem Saul dicentes, quod populus peccaret Domino, comedens cum sanguine. Qui ait, prævaricati estis. Volvite ad me jam saxum grande. Et dixit Saul: dispergimini in vulgus, & dicite eis, ut adducat unusquisque bovem suum, & arietem, & occidite super istum lapidem, & vescimini: & non peccabitis Domino cum sanguine comedentes.

Prædicatorum est culpas admissas arguere, & quomodo futuræ caveantur, docere.

40. Prędicatorum sanctæ Ecclesiæ proprium est, & perpetratas culpas reprehendere, & qualiter reprehensæ vitari debeant, monstrare. Reprehensę quidem innotescunt, sed si vitari nesciantur, ostensæ repetuntur. Quid in hac sanguinis comestione, nisi latens elationis virus ostenditur? Latentia autem vitia nisi exposita non curantur. Ut ergo prædicatorum mores insinuet: Saul prius prævaricatum fuisse populum asserit, deinde in lapide occidi, quæ manducent animalia, præcipit. Sed saxum, sive lapidem novimus, quia hunc Paulus ostendit, dicens: *Petra autem erat Christus.* Lapis vero ad prędicatorem volvitur, cum coram eo Redemtoris exempla memorantur. Devolvi etiam dicitur, ut ex omni parte videatur. Grandis vero dictus est: quia per Danielem crescere perhibetur, & omnem orbis faciem implere. Non ergo quomodolibet, sed ab utroque latere revolutus aspicitur: ut ab arrogantibus conspiciatur Deus, & eorum arrogantia deprimatur. Videat ergo arrogans, quam potens in virtute, quam sublimis in majestate, quam humilis in virtute, Redemtor noster apparuit. Nam cæcos illuminans, ægros sanans, pręcipiebat, ut quod potenter egisset, nemini diceretur. In monte resplenduit, Patrem testimonium suæ divinitatis produxit, & tamen discipulis ait: *Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis a mortuis resurgat.* Et fortasse idcirco resurgente jam Domino, ad monumentum Angelus apparuit, qui ab ejus ostio lapidem revolvit. Tunc quippe revolvendus erat lapis; quia Christus verus homo, & potens Deus post resurrectionis gloriam erat agnoscendus. Si ergo unam partem lapidis aspexit elatus, volvat lapidem, & aliam videat. Non qualitercumque lapidem videat, quia non est mortuus Christus; sed revolutum ab Angelo, quia a mortuis surrexit. Aspiciat ergo facundiam prædicationis hinc, & volvat, & miretur illinc splendorem humilitatis. Videat signorum potentiam hinc, & inde videat, quia qui virtutis potentia claruit, eamdem virtutem præcepto silentii occultavit. Sed dum videt partem humilem, videat & sublimem. Ecce humilis pars lapidis cernitur, quia dicit: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Sed si ista pars volvitur, altera revelatur, quia subjungitur: *Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ad prædicatorem ergo lapidem volvimus, cum coram ipso Redemtoris nostri potentiam & humilitatem memoramus; cum & in operibus eum attendimus humilem, & ex humilitate in cęlo sublimem. In hoc quidem lapide bos, & aries occidatur, ut in omni hominum genere elationis vitium, Christi contemplatione mactetur. Ibi quippe omnis sanguis effunditur: quia qui exemplo Christi instruitur, magna agit, sed de illis magnis operibus se non extollit. Pascitur quidem lætitia boni operis, sed non cruentatur cibus ejus sanguine vanę laudis. Nam lapis ille si in verbis revolvitur, dicit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, fecis, peccatum non haberent.* Sed quia de verbis non tumuit, volvens se, ait, *Ego non quæro gloriam meam.* Bos ergo, & aries in lapide occiditur, quando exemplo Redemtoris omnis cornuta elatio condemnatur; quando electus quilibet, & bene agit, & optime docet, sed nec vita eum erigit propria, nec eruditio aliena. In ariete quippe robur propriæ innocentiæ exprimitur, in bove autem labor, & fortitudo prędicationis. Qui in petra occiduntur; ut sic electam mentem gaudendo reficiant, ut ei mixtum in se cruorem carnibus non impendant. Hoc quidem electus prędicator non solum loquitur, sed etiam persuadet. Unde & subditur:

1. Cor. 10. 4.

Dan. 2.

Quam tutus Christus, & quam humilis.

Matt. 9.

Matt. 17. 9.

Ejus humilitatis exemplum vanæ gloriæ cupidis prædicatoribus proponendum.

Philip. 2. 8.

Joh. 15. 24.

Joh. 8. 50.

Adduxit itaque populus unusquisque bovem in manu sua, usque ad noctem, & occiderunt ibi.

Vers. 34.

41. Bovem in manu adducere, est peccatum elationis, pœnitentiæ afflictione delere. Dum enim

Pœnitentiæ sacrificium

opo-

usque ad mortem offerendum.

operando delet, quod superbiendo deliquit, mactandum bovem in lapide per manum ducit. Quid est autem, quod dicit: *Usque ad noctem*: nisi quia & peccare non licet, sed delere peccata usque ad mortem licet? Usque ad noctem ergo boves mactandi sunt, non in nocte: quia dum vivimus, peccata delere pœnitendo possumus, post mortem fructuosam agere pœnitentiam non valemus. Bene autem in eodem loco subditur:

Vers. 35.

Ædificavit autem Saul altare Domino.

In nobis altare duplex, duplici et compunctione ædificandum.

41. Quia dum peccatores convertuntur, quasi ex lapidibus cæleste ædificium fabricatur. Et quia plerique codices habent: *Tumque primum cœpit Saul ædificare*: potest altaris nomine compunctio cordis intelligi. Quando enim per verbum doctoris compunctio cordis erigitur, nimirum altare Domino ædificatur. Et primum ædificatum dicitur, quia est compunctio amoris.

Exod. 27. & 37.

Unde & in tabernaculo fœderis duo altaria fieri a Domino jussa sunt, adolendis scilicet thymiamatibus unum, alterum comburendæ carnis. Primum altare foris erat, secundum intra Sancta Sanctorum. Altare ergo primum compunctio timoris est, altare secundum compunctio amoris. Illud quippe peccata lugentium est, istud vero ad æterna gaudia totis desideriis inhiantium: illius lapides, recogitationes peccatorum: hujus lapides, meditationes perennium gaudiorum. Altare ergo primum doctor ædificat, quando culpas exponit, quas dum in se peccator aspicit, ingemiscit. Merito etiam altare compunctio dicitur, quia incensat. Sed cum diu pro peccatis suis unusquisque compungitur, pœnitendo proficit ad usum securitatis. Nam post afflictionis tempora ardere incipit ad æternam vitam; & qui prius lugebat pro pavore supplicii, flere jam copiosius incipit pro dilatione mercedis. Quia ergo prima electorum compunctio ex timore nascitur, dum per typum regis & populi, prædicatores & nuper conversi subditi designantur, altare tunc primum Saul ædificasse dicitur. Sed ex aliorum profectu sæpe doctor ad aliorum lucra consequenda succenditur. Unde & subditur:

Vers. 36.

Et dixit Saul: Irruamus super Philisthæum nocte, & vastemus eum usquequo illucescat mane, & non relinquamus de eis virum.

Nox est vita præsens æternæ comparata.

42. Hoc supra satis expositum est: sed quia in nocte, usquequo illucescat dies, percutere Philisthæos appetit, hoc profecto insinuat, quia ne in futurum nocere dæmones possint, a cordibus peccatorum modo expellendi, & perimendi sunt. Nox quidem vita hæc dicitur, cum æternæ comparatur. Nam qui illam vitam contemplari digne potuerit, illius comparatione quidquid hic lucidum cernitur, noctis obscuritas esse judicatur. Illucescit autem dies illa, quando in fine hujus vitæ, electis animabus se aperit. In egressu quippe suo de corpore electa anima illucescentem sibi æternitatem videt, quia lucem præsentis seculi quasi tenebras non aspexit.

Omnia crimina vitare possumus; secus omnia peccata.

43. Quid vero est, quod dicitur: *Et non relinquamus ex eis virum?* Sed omnis Philisthæus vir vastari debet, parvulus omnis nequaquam vastari potest. Nemo enim sine peccato, nisi solus Deus. Viri ergo capitalia crimina, & vitia principalia sunt. Sed tunc virorum, idest fortium nomine designantur, cum peccatorum sibi corda subjiciunt. Bene ergo dicitur: *Non relinquamus ex eis virum*: quia conversi peccatores sanctorum prædicatorum consilio fortia quæque peccata, & vitia deserunt, sed nullum peccatum aut vitium habere non possunt. Possunt cavere crimina, sed omnia non possunt vitare peccata. Possunt vitia extinguere, sed ne aliquo eorum quomodocumque pulsentur, non prævalent exercere. Dicit ergo: *Non relinquamus ex eis virum*, quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ & vitia nos eradicare præcipiunt: sed dum fortia & principalia in nobis necant, agere nequeunt, ut quædam eorum per tenuem motum nequaquam vivant. Et de populi obedientia subjungens, ait:

Dixit populus: omne, quod bonum est in oculis tuis, fac. *Ibidem.*

Populus erga suum Pastorem obedientia.

44. Oculi prædicatorum sunt intuitus rationis. Qui ergo arbitrio doctoris committitur, dicere ei recte perhibetur: *Omne, quod bonum est in oculis tuis, fac.* Quasi dicat: Qui nos de rationis nostræ illuminatione diffidimus, rationis tuæ luci committimus, quod nobis deesse judicamus. Sed hoc, quod dixit Saul: *Irruamus super Philisthæum*, potest intelligi, quia non deliberata protulit: sed hoc dicendo, an esset super Philisthiim irruendum consuluit. Quod autem populus cito assensum præbuit, hoc, quod videmus, insinuat: quia nonnulli intra sanctam Ecclesiam, antequam verba majorum intelligant, probant. Nam protinus subditur:

Et ait Sacerdos: Accedamus huc ad Dominum. Et consuluit Saul Dominum, dicens: Num persequar Philisthæum? Et non respondit ei Dominus in die illa. *Ibidem & Vers. 37.*

Obscura & magna negotia, Deo inconsulto non aggredienda.

45. Quid est quod consulentis regis verba, quæ populus laudat, sacerdos ad Dominum esse deferenda denuntiat: nisi quia obscura & magna negotia, quæ simplices latent, numquam bene disponuntur, si eorum exitum in sacrario mentis subtili meditatione non quærimus? Ad Dominum quippe accedere, est ejus voluntatem secreta contemplatione cognoscere. Et bene accessus dicitur; quia ab exterioribus ad interna tendimus, quando operis nostri exitum in divina voluntate cognoscere tentamus. Nam qui occulta, & intima quærit, & exteriora non deserit, ea, quæ nescit adire, non invenit. Quando ergo a nobis de occultis rebus consilium quæritur, ad Dominum accedamus; ut tunc demum quod agendum est, proponatur, cum in divina voluntate cognoscitur.

Ut divina voluntas exploretur, assidua meditatione opus est.

Multa enim videntur bona esse, & non sunt. Pleraque etiam facienda sunt, sed utilius fiunt, si congruo tempori reserventur. Quædam quoque alii facere debent, alii vero non debent. Quæ nimirum si electus quilibet in secreto meditationis videre negligit, ea utique recto ordine non disponit. E contra autem qui discutere ea, vel agere meditando consuevit, non solum agenda, sed etiam vitanda cognoscit. Unde & bene dicitur:

Consuluit Saul Dominum, & non respondit ei Dominus in die illa. *Ibidem.*

Absitque omnis simulatio.

46. Dies est cogitatio mentis, quæ bona putatur, & non cognoscitur. Nam dum bonam se esse simulat, quasi lucem portat. In die ergo illa Dominus consulenti se non respondit: quia verbum Dei cum mala deliberatione convenire non potest. Per responsum quidem verbi patefacere solemus sensum intimæ voluntatis. In illa igitur die Dominus non respondet: quia omnipotens Deus in simulatæ cogitationis luce non cernitur, qui semper in claritate veritatis invenitur.

A Sacerdotibus optima consilia.

Et notandum, quia qui accedendi ad Dominum consilium tribuit, sacerdos fuit. Quid enim sanctius, quam consilium accedendi ad Deum? Sacerdotes ergo toties sumus, quoties fratribus bona consilia ministramus. Sacrius enim nihil dari potest, quam id, per quod quisque ire ad Conditorem debet. Nos autem quia ordinem spiritualis pugnæ describimus,

bimus, continuare priora sequentibus debemus.

Ut continuo pugnemus, Deus nobis aliquos hostes superstites relinquit.

47. Verbum quidem Saul fuit, ut sic Philisthæos vastaret, ut ex iis virum non relinqueret. Quod sic etiam intelligi potest; quia ita volebat Philisthæos perimere, ut eorum nullus ultra movere bella potuisset. Magna quidem hæc dies mentis est, qua sic æterna quęruntur, ut temporalis hostis nullus a cæde relinquatur. Sed quia nulli conceditur sic temporaliter vincere, ut non debeat omni tempore pugnare, merito dicitur: *Non respondit ei Dominus in die illa*. Respondere Dei non solum intimi verbi ejus est, sed gratiæ & muneris. Quando enim benigne concedit, quod pie petitur, respondere perhibetur. Non ergo respondet Dominus in die illa, quia permittit quidem electis ut vincant: sed de hostibus quasi viventes deserit, ut cum quibus semper pugnent, inveniant. Quod tamen si ideo dicitur, quia Jonathæ culpa cęlatur, magnus timor prælatis incutitur. Filius quidem peccat, & patri ejus responsionem negat. Unus etiam deliquisse cognoscitur, sed pro unius culpa insequi hostes suos cuncti pertimescunt. Quid in hoc facto signatur, nisi quia peccata subditorum, non solum sibi, sed etiam prælatis, & secum communiter viventibus nocent? Quia vero latens hæc culpa a rege discutitur, videamus jam, qua sublimitate latentia quæque perquirantur. Nam sequitur:

Vers. 38. & 39. ** Forte leg. retractatione hic & infra.*

*Applicate huc universos angulos populi & scitote, & videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. Vivit Dominus Salvator Israelis, quia si per Jonatham factum est absque * retractione morietur.*

Ordo in judiciis servandus.

48. Quibus nimirum verbis ordinatum valde judicii ordinem demonstravit: quia culpa prius invenienda est, deinde pœna irroganda. Nam judicii ordo confunditur, si ante inventæ culpę discussionem proferatur. Ne enim ante discussionem feriat, dicit: *Applicate huc universos angulos populi, & videte & scitote per quem acciderit hoc peccatum hodie*. Et quia cognita culpa austerius ferienda est, jurat, dicens: *Vivit Dominus, quia si per Jonatham filium meum factum est, absque retractione morietur*. Tractari quidem diutius debet, ut inveniatur culpa: sed postquam inventa est, in ea vivus aliquis relinqui non debet. Absque retractione perimitur, qui vivere in peccato, statim ut innotuerit, prohibetur. Sed istud absque retractione, scilicet perimere, absque retractione non est: quia multa consideratione Pastor utitur, ut culpa, quam retractando invenit, feriri absque retractione, & extingui velociter possit.

Veterum fervor teporem nostrum arguit.

49. Quod si juxta historiam hujus paterni juramenti pondus attendimus; & illius temporis fervorem, & hujus teporem pariter contuemur. Antiqui etenim patres, ut Deo placerent, ad mortem filiis etiam non parcebant. Nos autem eos, quos secundum carnem diligimus, etiam tenui asperitate verborum insequi non audemus. Ecce, qui ad regnum filium nutriebat, dicit, *Quia si per eum peccatum factum est, absque retractione morietur*. Nos peccantes cernimus, & objurgare peccantes aut nolumus, aut timemus. Cur ergo hoc facimus, nisi quia Deum, sicut illi nequaquam diligimus? Nam Moyses, ut bene peccatum idololatriæ vindicaret, Levitas viginti tria millia virorum jussit occidere. In cujus nimirum exercitatione cædis dixit: *Si quis est Domini, jungatur mihi. Ponat vir gladium super femur suum. Ite & redite de porta usque ad portam, & occidat unusquisque fratrem suum, & amicum, & proximum*. Quasi dicat: In hoc ostendet quisque quia sit Domini, si pro ejus amore fratri, proximo, vel amico non parcit. Dicit ergo Saul de filio, *Quia absque retractione morietur*: quia nobis jam sub Redemtoris gratia viventibus, etsi mors non decernitur corporis, peccati non debet vita dilatari. Absque retractione quippe Rector interficit, cum affectus carnis non aspicit: sed cum crimen invenit, velociter ferit. Retractat quidem, qui ne scelestum acriter pungat, obsequia ab eo sibi impensa, aut consanguinitatis affectum cogitat. Qua in re notandum est, quod non omnes culpæ acriter feriendæ sunt. Nam leves pulveris maculæ melius excutiendo, quam levando, aut ignem apponendo, terguntur. Graves etiam culpæ in omnibus æqua asperitate insequendę non sunt: quia vulnera corporum pro ipsorum corporum natura, & robore, vigorem exigunt medicinę. Plerumque tamen prelati Ecclesiæ, cum culpas audiunt, plus justo infervescunt: & dum vindictam metiuntur, nec vulnerum qualitatem, nec personarum delinquentium vigorem respiciunt. Qui nimirum tolerandi sunt, cum minantur: sed ab ultione, bonorum consilio sedandi sunt. Unde & hic subjungitur:

Exod. 32. 26. *Quorumdam Prælatorum severitas inconsiderata.*

Vers. 39. Humiliter a subditis ferenda.

Ad quod nullus contradixit ei ex omni populo.

Quia enim majorum minæ humiliter ferendę sunt, dicit: *Nullus contradixit ei*. Et quia eorum nimietas salubri piorum consilio refrenanda est, non valde inferius cum eamdem mortem filio inferre rex tentat, omnis populus clamat: *Ergo-ne morietur Jonathas, qui fecit salutem hanc in Israel?* Liberavit ergo populus Jonatham, ne moreretur. Sed quia nondum inventam culpam non ferire, sed invenire satagit latentem, sequitur:

Vers. 40.

Et ait ad universum Israel: Separamini vos in parte una, & ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera.

Qui in subditos studio justitiæ sæviunt, sibi suisque non parcant.

50. Quid est, quod regis præcepto populus a rege, & ejus filio separatur: nisi quia dum culpa latens, & suspecta quæritur, & superiores & inferiores personæ discutiendę sunt? Sępe quidem populus, sæpe eorum Rector delinquit; & aliquando ipsa subditorum culpa prælato adscribitur, quo negligente impleri perhibetur. Cum ergo ostensis superius indiciis, quia lateat in populo culpa cognoscitur, & in quo sit abscondita nescitur: se rex admisceat, ut an sua sit culpa, vel populi, Pastor sciat. Equidem rex Saul conscius culpę non erat, quam ipse nec consensu, nec opere perpetraverat; & tamen discutiendus miscetur, ut si in se etiam latet, inveniatur. Quasi enim se peccati inscium perquirebat, qui dicebat: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est*. Quasi dicat: quærere meipsum, & invenire non desino: quia si mihi lateo, cui nuda sunt omnia, non latebo. Dicat ergo rex peccati illius, quod discutiebatur, non conscius, *Ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera*: quia electi doctores, cum in aliis per rectitudinis zelum sæviunt, sibimetipsis & suis familiaribus nequaquam parcunt. Quasi enim in una parte populum separant, & semetipsos non separant, qui subditorum culpas discutiunt: & ut semetipsos inveniant, investigare non curant. Magnum quippe est humanę ignorantię pelagus. Nam si nosmetipsos quærere, & quales simus invenire vix aut numquam possumus, alios quando possumus? Quid est enim, quod Propheta deplorat, dicens: *Cor meum dereliquit me*. Quid est, quod Scriptura sacra denuntiat: *Ignorat homo, utrum odio, vel amore dignus sit*. Item quæstionis suæ fructum Propheta denuntiat, dicens: *Invenit servus tuus cor suum.*

1. Cor. 4. 4. *Immensum humanæ ignorantiæ pelagus.* *Psal. 39. 13.* *Eccl. 9. 1.* *2. Reg. 7. 27.*

Si

Vix Sancti cor suum invenire possunt.

Si vix invenire cor Sancti possunt, nosmetipsos inquirere, qua temeritate cessamus? Sed fortasse nec Propheta potuit, quia subjunxit: *Ut timeat te*. Inveniret utique cor suum, si pleniter cognovisset, odio an amore dignus existeret. Qui ergo non invenit, ut coram Deo securus esset; invenit utique, ut timeret. At nos nec istud facile possumus: quia dum invenire peccata nostra, & inventa pensare negligimus, quasi perdito corde securi sumus. In parte ergo altera hi, illi in altera statuuntur; ut singulorum occulta considerentur, & inventa culpa digna pœna feriatur. Quod quia laudandum valde non dissuadendum est, sequitur,

Ibidem.

Respondit populus Saul: Quod bonum est in oculis tuis, fac.

Quanto minus imperfecti.

51. Quid est autem, quod populo Saul, ut se in partem unam separet præcepit, & populus facere regem rogat quod præcipit: nisi quia inquirere semetipsos simplices nesciunt, etiam cum jubentur? Dicit ergo: *Fac quod bonum est in oculis tuis*. Quasi dicat: Tu melius agere nostra poteris, qui lumen cordis non solum tibi, sed etiam nostris prævidendis itineribus suscepisti. Sed Rector de interna illuminatione laudatur, quam per gratiam habet, per æstimationem non habet. Laudatur quidem, quia cognoscere secreta aliorum possit, sed ipse semetipsum posse scire diffidit. Quia ergo lumen sibi tantæ gratiæ non adscribit, a Deo postulare hoc precibus non omittit. Unde & sequitur:

Vers. 41.

Et dixit ad Dominum Deum Israel: Da indicium. Quid est, quod non responderis servo tuo hodie? Si in me aut in Jonatha filio meo hæc iniquitas est, da ostensionem: aut si est in populo tuo hæc iniquitas, da sanctitatem.

Pastores dum subditorum culpas sibi revelari, Deum rogant; easdem divina operiri misericordia simul postulent.

52. Indicium ergo dari petimus, quando nobis abscondita revelari flagitamus. Sed quærendum est, quid sibi vult tanta verborum diversitas. Nam in se & filio ostensionem dari petit; si in populo ast iniquitas, sanctitatem. Quod tamen dici breviter potest: quia electi doctores sciunt propriam fortitudinem, sciunt populi subjecti infirmitatem. Pro se ergo solam ostensionem culpæ petunt; quia austeritate pœnitentiæ hanc solеant insequi, sciunt. Pro populo autem sanctitatem quærunt: quia culpas subditorum solum scire appetunt; sed quos inveniunt prava agere, rogant ad veniam per lamenta pervenire. Quid est enim dicere: *Da sanctitatem*: nisi, Santifica, quos demonstras? Mihi eorum occulta detegis, sed detegendo nihil agitur, si quos ostendis, gratiam refundendo, non operis. Quia vero sæpe stant subditi, & prælati cadunt, sequitur:

Ibidem.

Et deprehensus est Jonathas & Saul,

Et quia ipsa etiam culpa non facile, a quo sit perpetrata, cognoscitur, sequitur:

Vers. 42.

Et ait Saul: Mittite sortem inter me & filium meum. Et captus est Jonathas.

Singulorum infirmitatem aut fortitudinem explorent.

Job 1. Act. 1.

53. Qui sortes mittunt, per visibilium rerum conjecturas latentia sæpe deprehendunt. Sic nimirum Jonas fugiens noscitur: sic Matthias Apostolus Apostolica celsitudine dignus invenitur. Sortes ergo spiritales ponimus, quando per exteriora signa operum ad occultorum notitiam pervenimus. Sors enim uniuscujusque propria est conversatio. Unde in Sapientia reprobi dicunt:

Sap. 2. 8.

Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Econtra autem Psalmista precatur, dicens: *Portio mea, Domine, sit*

A *in terra viventium*. Quod etiam Paulus denuntians ait: *Nostra conversatio in cælis est*. Doctor ergo quasi singulorum sortes tenet, dum uniuscujusque conversationem videt. Et dum culpa noscitur, & rei persona nescitur, quasi sortes mittit, dum modum facinoris comparat personæ negligentis. Sed & forte culpam deprehendit, dum quodam signo conjecturæ, pervenit ad evidentem criminis veritatem. Negligenter quidem præeminet, qui commissorum sibi fidelium nescit & fortitudinem & infirmitatem. Nosse enim debet fortes subditos, quibus sint virtutibus apti, quibus infirmi sint vitiis per negligentiam proximi. Nosse debet, quæ virtutum devotio istna
B excitet, quæ illorum negligentiam qualitas vitiorum turbet. Quasi ergo in exterioribus sortes singulorum tenet, dum prævidet quibus illi possunt vitiis obrui, quibus isti virtutibus exaltari. Causa igitur cognita, quasi sortibus signa imprimit, dum patentis culpæ notam illius conversationi ascribimus, qui per negligentiam pronus, & vicinus ad illud facinus perpetrandum ante fuisse videbatur. Sed conjectura hæc habeatur ad indagandam veritatem, non ad rei inventæ certitudinem: quia illic statim subditum est:

Psal. 141. 6. Phil. 3. 20

Vers. 43.

Dixit autem Saul ad Jonatham: Indica mihi quid feceris.

Culpæ nondum sufficienter detectæ, non sunt feriendæ.

C 54. Quid est enim, quod captus interrogatur, nisi quia culpæ, quæ signis aut conjecturis deprehensæ videntur, feriendæ adhuc non sunt? Quasi enim jam vulnus tenetur, sed adhuc tectum est. Discooperiatur ergo, ut mederi valeat, & curari. Cogendus quidem aut admonendus est, ut culpam, quæ jam velut palam cernitur, confiteatur. Dicit ergo: *Indica mihi quid feceris:* quia crimen, quod apertis quibusdam indiciis noscitur, ante judicandum non est, quam apertissime demonstretur. Et quia electorum est peccare & resipiscere: culpas perpetrare, & perpetratas confitendo detegere, sequitur:

Ibidem.

Et indicavit ei Jonathas, & ait: Gustans gustavi
D *in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum melis, & ecce morior.*

Perfectissimum sinceræ confessionis exemplar.

55. Quid est quod ait: *Gustans gustavi?* Quare non dixit superius: *Gustans gustavi paululum de melle isto*: cum dixit: *Vidistis quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto?* Sed quidam dum peccata confitentur, ea nimirum quibusdam vocibus minuunt, dum se non ex toto animo commisisse ostendunt. Econtra autem electi viri quando se de minimis accusant, ea utique non quasi parva, sed quasi magna pronuntiant. Quid est dicere: *Gustans gustavi*: nisi quod foris peccatum exercui, magno concupiscentiæ ardore complevi? Et quid
E est post peccati confessionem dicere, *Morior*, nisi mortem a se pœnitendo & confitendo expellere, & expulsam timere? Quod quidem proprie est electorum, qui peccata sua deserunt: & tamen hæc, quasi non deserta, pertimescunt. Et quidem puris confessionibus, & austeris pœnitentiæ cruciatibus delent: sed, quasi non deleta, vehementer timent. Sed quid est, quod ait: *In summitate virga?* nisi quia dum nos confitendo insequimur, proferre contra nos mendacium non debemus. Peccatum quidem in confessione prodendum est, sed augmentandum mendacio non est. Tale quidem debet esse in confessione, quale fuit in opere. Ut ergo ardor concupiscentiæ bene prodatur, dicit: *Gustans gustavi:* Et ut qualitas ejus appareat, subditur: *In*

summitate virgæ, quasi dicat: Audacter inflammatus feci, sed hoc feci. Et quia filius regis confitetur, dicit: *Quæ erat in manu mea*. Virga Jonathę prædicatoris doctrinam atque disciplinam signat. Quæ in manu tenetur, quando non solum docet, sed quod docet, operando exercet. Quid est ergo, quod ait: *Quę erat*, non, *Quæ est in manu mea?* nisi quia æstimationem electorum insinuat, qui etiam cum prava committunt, prædicationis ministerio se indignos arbitrantur. Dicit ergo: *In summitate virgæ, quæ erat in manu mea*. Quasi dicat: De illo superbiens peccavi quo peccando me indignum feci. erat ergo in manu mea, & non est: quia etsi aliquando feci quod docui; illud quod operando tenui superbiendo amisi. Nunc igitur timore perterritus dicit: *Ecce morior*: Et quia idem metus aliquando divina inspiratione menti incutitur, aliquando comminatione doctorum, subditur:

Vers. 44. *Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat: quia morte morieris, Jonatha.*

Sequitur:

Vers. 45. *Dixitque populus ad Saul: Ergo-ne Jonathas morietur, qui fecit salutem magnam in Israel? Hoc nefas est. Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram: quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonatham, ne moreretur.*

In culpis puniendis personarum merita sunt pensanda.

56. Quid est ergo, quod dicit: *Ergo ne Jonathas morietur*: nisi quia [a] alius de eadem culpa moreretur? Quibus nimirum verbis populi, nobis ostenditur virtus magnæ discretionis: quia in electorum examine, non solum culparum causæ pensandæ sunt, sed etiam merita personarum. Quod aperte his verbis ostenditur: quia non ideo Jonathas non moriturus asseritur, quia erat filius regis, sed qui in Israel magnam salutem fecit. Cum ergo magni viri cadunt, communi judicio tradendi non sunt: quia priora promerentur, ut posteriorum gravitas levigetur. Ipsa autem culpæ levigatio non acceptione personæ decernenda est, sed respectu prioris vitæ: quia ad absolutionem illius sanctę Ecclesię lucra pensanda sunt, non carnalis affectio admittenda. Sed quid mirum, si ad absolutionem peccatoris propria merita suffragantur, quod in sacri eloquii auctoritate discamus, quia alii pro aliis liberati sunt? Aliorum quidem bono opere alii adjuvantur, sicut ad peccantem regem Salomonem a Domino dicitur: *Quia non custodisti præcepta mea, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum, sed de manu filii tui scindam illud*. Hinc est, quod non solum patrum opera filiis prosunt, sed etiam cives pro civibus liberandos agnovimus. Evertendæ quidem Sodomæ se promisit Dominus parcere, si in ea tantum decem justos inveniret. Jerusalem quoque respici misericorditer dicitur: quia aliquanta bona opera in eo inventa sunt. Hinc est quod Heli vita propria justus, sed auctoritate pastorali remissus, a viro Dei audivit: *Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem pervenerit: verumtamen non auferam penitus ex te virum ab altari meo*: ut sacra Scriptura hic aperte monstraret, & pro dissolutione percussum, & pro præterita conversatione respectum. Sed percuti fortasse ex parte potuit: quia qualemcumque vitę immunditiam habuit. De Jonatha ergo bene dicitur: *Ergo-ne Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est: Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie*. Quasi dicat: Qui magna opera fecit, absolvi ex toto digne promeruit. Quia igitur in Ecclesiastica censura, etsi non est acceptio personarum est tamen discretio meritorum, apte conclusit sententiam, dicens: *Liberavit ergo Jonatham populus, ne moreretur*.

Aliorum bonis operibus adjuvamur. 3. Reg. 11. 11. — Gen. 18. — 1 Reg. 2. 33.

Non fit personarum acceptio, sed discretio meritorum.

A juramento quam sollicite cavendum.

57. Quo in loco notandum est, quia rex bis jusjurandum interfectionis Jonathę superius protulit, quem tamen victus populi instantia non occidit. Quid est, quod juravit, & juramenti assertionem nequaquam servavit? Sed ex hac re duo nobis documenta proveniunt, ut cauti scilicet, & discreti esse debeamus. Cauti quidem, ne juremus: discreti, si agere perversa juramus. Qui enim jurare cavet, perjurare omnino non potest. Sed cum male juratur, justius jusjurandum dimittitur, quam compleantur crimina, quæ jurantur. Sit ergo unusquisque cautus, antequam juret, ut aut ne omnino juret, aut facturum se mala non juret. Cautos quidem nos esse Dominus insinuat, dicens: *Sit sermo vester: Est, est, non, non. Nolite jurare per cælum, neque per terram*. Econtra autem reprobi, & incauti quidem sunt, & discreti non sunt. Nam sæpe se acturos mala repromittunt, & revocare promissa, quasi perjurium incursuri, non satagunt. Hinc est, quod Herodes incaute juravit, & nefarium jusjurandum, quod protulit, in pręcursoris Domini morte complevit. Cauti ergo in nostris dispositionibus esse debemus; sed si cauti esse negligimus, prætermittenda sunt proposita, non implenda. Sic quippe a proposito desistere, non est vitium levitatis, sed virtus discretionis. Tamen jurare, quę revocanda sunt & detestanda, omnino cavendum est, & vehementer horrendum: quia cum tale jusjurandum non impletur, non omnino culpa vitatur, sed minor eligitur. Sequitur:

Incaute jurata non sunt implenda. — Matt. 5. 37. — Marc. 6.

Vers. 46. *Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthiim.*

Propria infirmitate depressi Pastores, aliorum vitia insequi nequeunt.

58. Cum Jonathę culpa reperitur cum jusjurandum rex non perfecisse cognoscitur, cessare Philisthæos persequi perhibetur: quia dum propria infirmitate Pastores deprimuntur, lucra aliorum exquirere fortiter nequeunt. Cessare etenim persequi Philisthæos, est ad tempus vitia aliorum insequi, prædicando desistere. Prius enim esse intendendum judicant ad purificationem suam, deinde purgati vigilandum ad salutem alienam: quia dum silent, semetipsos pręparant, ut quasi per pœnitentiam suam ad lucra aliorum fortiter surgant. Et quia sæpe dum doctor sibi conscius silet, quibusdam ejus subditis maligni spiritus, impia suggerendo, non silent. Sequitur:

Ibidem. *Porro Philisthiim abiere in loca sua.*

Tacentibus Pastoribus, qui pereant.

59. Tacentibus quidem doctores, in loca sua dæmones abeunt; quia per Pastorum silentium non pereunt, nisi quia ad vitam æternam prædestinati non sunt. Loca etenim dæmonum sunt: quia divina pręscientia in habitaculum Dei pręordinati non sunt. Hinc est, quod prædicantibus primis doctoribus, dicitur: *Credebant quotquot prædestinati erant ad vitam æternam*. Hinc Paulus ait: *Quos præscivit, & prædestinavit, & quos prædestinavit, vocavit*. Hinc est, quod volentes Apostoli transire in Asiam, a Spiritu sancto prohibiti sunt. Qui ergo non prædestinati sunt, sive audiant doctorum verba, sive non audiant, vocari in Dei habitaculum nequeunt: quia per nequitiam, in qua sunt ante constitutionem mundi præcogniti, locum in se malignis spiritibus paraverunt. Bene igitur, dum insequi Philisthæos

Præscientiæ & prædestinationis divinę certitudo. — Act. 13. 48. — Rom. 8. 30. — Act. 16.

* ces-

a In aliis excusis legitur, *quia aliud*. Quod retinere non potuimus.

*cessare dicitur, in loca sua dæmones abiisse referuntur: quia aliquando Dei dispensatione doctores tacent, ut illis tacentibus hi, qui Domini non sunt, a malis spiritibus recipiantur. Sed, ut dixi, cum post culpam Pastores tacent, semetipsos humiliant, ut purgati in ministerium prædicationis potenter surgant. Dum tacent, infirmitatem suam pensant, sed considerando semetipsos, contra occultos hostes se validius roborant. Unde & bene subjungitur:

* Forte leg. cessari.

Vers. 47. *At Saul, confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum contra inimicos ejus.*

Ex Pastorum culpis quæ damna emergant. Per pœnitentiæ satisfactionem statim ad alta erigantur.

60. Debilitatur quidem regnum, quando Pastores in aliquibus culpis cadunt. Sed debile confirmatur, cum per satisfactionem pœnitentię ad opus magnæ virtutis eriguntur. Et super Israel confirmari dicitur; quia dum ad vitę altitudinem proficit, eos, quibus pręeminet ordine, vincit conversatione. Videntibus Deum pręlatus est, sed supra Deum videntes extollitur, cum præ ceteris in divina assumitur contemplatione. Merito ergo dicitur: *Pugnabat contra omnes inimicos ejus, & quocumque se vertebat, [a] superabat:* quia qui æterna altius conspicit, facile conterit quidquid de infimis sibi ad pugnam venit. Quia enim nulla terrena sibi jam placent, qui per magnam caritatem super Israel, id est in cælestibus regnat, quocumque se vertit, superat. Quid enim huic malignus spiritus suggerat, qui terrena nulla considerat, qui læta seculi nulla jam amat? Pugnat doctor, dum prædicat, sed superat: quia quod prædicando prohibet de mundi delectatione contingere, conversationis virtute persuadet. Et quia pugnare in circuitu contra inimicos dicitur, magnæ laudis ejus victoria esse demonstratur. Ex omni quidem parte perfectum esse doctorem docet, qui ex omni parte fortissimos habet inimicos. Dum ergo ubique verti & superare dicitur, quanta ejus gloria prædicatur? Quid est ergo, quod in circuitu hostes habere dicitur, nisi quia maligni spiritus omnibus sensibus nostris insidiantur? Nam loquendo alios, alios videndo decipiunt. Alios per auditum, alios per gustum vel olfactum fallunt. Alios etiam per insidias illecebrosæ delectationis, vel cogitationis pertrahere ad immunditias satagunt. Aliis foris obscœna offerunt, quæ mentis deliberatione sequantur. Sed ut rectius hunc circuitum demonstremus, hunc dum ad læta pertrahunt, eis quasi ad dexteram insidias ponunt. Illum dum per adversa dejiciunt, quasi a læva parte constringunt. Nos dum ad præterita oblectamenta invitant, quasi a retro præcipitant. Illis quasi ab anteriori parte obviant: quia sæpe infirmorum mentibus districtæ conversationis, & vitę longitudinem quasi consulendo monstrant. Ab ante enim veniunt, quia proficisci ad cælum animas non permittunt. In circuitu ergo inimicos habemus; quia ante, retro, in dexteram & sinistram malignorum spirituum certamen patimur. Unde & beatus Petrus Apostolus nos cohortatur, dicens: *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.*

a Et hostes conterani.

Hi omnibus nostris sensibus insidiantur.

1. Petr 5. 8

Eorum in aliis qua ratione occultationum.

61. Sed jam belli circuitum novimus, qualiter per circuitum reges vincant, videamus. In circuitu quidem vincunt, qui linguam, & os, & oculos, & omnia corporis membra ab illicita actione custodiunt. Dum enim linguam perfecte per silentium muniunt, quasi in una parte victores sunt: & dum vident oculis, quæ concupiscere dedignantur, ex alia parte victores fiunt. Sæpe etiam mala audiunt & repellunt, & quia noxia reprobant, & reprobando triumphant. Cunctis ergo sensibus victores sunt, qui per eorum aliquem subdi malignis spiritibus nolunt. Sed & dum cordi inepta cogitatio offertur, hostis, qui reprobatur, eliditur. Qui enim noxia quæque abjicit, hostem potenter premit. Et quia item læta contemnit, & adversa non metuit, quæ reliquit aliquando perversa non repetit, & ad cælestia ferventer currit, hostes, quos in circuitu patitur, superare declaratur. In quibus profecto adversarius, quia insidiæ oppositæ quinque corporalibus sensibus designantur, apte per quinarium numerum exprimuntur.

Ibidem. *Contra Moab, inquit, & filios Ammon, & Edom, & regem Suba, & Philisthæos.*

Contra hostem Pastor vita & doctrina dimicet.

62. Qui enim quinque Gentium nomina posuit, oppositas quinque sensibus corporis fraudes dæmonum designavit. Sed quia doctor non solum vivendo, sed etiam docendo dimicat, cum contra omnia vitia disputat, cum ea verbi gladio in auditorum suorum mentibus necat, nimirum in circuitu & pugnare cernitur, & quocumque se vertit superare. Sed quædam specialiter nominantur, quæ sibi principaliter obstant: *Contra Moab, inquit, & filios Ammon, Edom, & regem Suba, & Philisthæos.* Moab, ex patre interpretatur; Ammon, populus mœroris; Edom, rufus; Suba, incensa, sive, convertens: Philisthæus, poculo cadens. Quid enim his nominibus nisi gradus [b] pessimæ vitæ exprimitur? In Moab quippe, qui ex patre dicitur, concupiscentia designatur. In mente quidem reproba, quia a diabolo ponitur, quasi a patre generatur. Quid vero per Ammon, qui populus mœroris interpretatur, ostenditur nisi frequentia malorum operum? quia enim multa sunt, populus dicitur: & quia ad æterni luctus amaritudinem reprobum unumquemque perducunt, mœroris populus recte nominatur. Edom vero, qui rufus dicitur, quid nisi peccandi nimium fervorem insinuat? prius enim peccare quisque consuevit, deinde per usum peccandi proficit in augmentum fervoris: ut peccare sæpius audeat, & hoc, quod audendo ingeminat, semper iterare ardentius concupiscat. Quo nimirum peccandi ardore agitur, ut in mente reproba quidquid virtutis aut boni operis viruit, comburatur. Incensa ergo post Edom in spirituali bello describitur: quia ita est perditæ mentis casus, ut cum ferventer mala congregare nititur, bonis omnibus quasi per combustionem perditis & redactis ad nihilum spolietur. Suba etiam convertens dicitur: quia & formam Dei de reproba mente fervens peccatum tollit, & hanc ad apostatæ Angeli formam redigit. De qua jam per divinam sententiam dicitur: *Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit.* Superba quidem mens jam divina mandata despicit, & semetipsam carnalibus desideriis subdit. Quis ergo est rex Suba, nisi ille, de quo ad beatum Job a Domino dicitur: *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Philisthæi vero, qui poculo cadunt, qui sunt, nisi qui omnibus supradictis malis ebrii sunt? qui sic cælestia obliviscuntur, ut ad hæc evigilare aut vix, aut numquam videantur. Per Moab ergo concupiscentia carnis exprimitur: per Ammon, frequens usus malæ operationis: per Edom, peccandi ardens desiderium: per Suba, vastatio & combustio virtutum: per Philisthæos, oblivio cælestium. Cum ergo electus doctor aliquem educere de tantorum laqueorum medio appetit, quantæ virtutis certa-

b Pessimæ vitæ gradus.

Prov. 18. 3.

Job. 41. 2.

Ut superentur quanta virtute indigeamus.

X iij men

a Deest *superabat*, in Gilot. & Vatic.

b Gilot. & Vatic. *pessima exprimitur.*

men sumit? Et quia de omni hoc perditionis gradu per doctorum laborem ad pœnitentiam redeunt, quocumque se vertit superare perhibetur. Prædicando etenim, aliquando concupiscentiam in alicujus corde interficit, aliquando usum pravæ operationis. Modo illos trahit, qui in usum peccandi transierant; modo illos, qui, combustis & ad nihilum redactis virtutibus, regi suo diabolo quasi incensi serviebant. Et quia prædicando superna memorat, cadentes poculo, & cælestium oblitos ad spiritualis vitæ studium excitat, & per amorem ardenter inflammat. Bene ergo dicitur:

Ibidem.

Quocumque se vertebat, superabat.

Ad fidem & ad vitam æternam ex omni hominum genere aliqui trahuntur.

63. Quia dum de omni genere peccatores ad vitam trahit, triumphare ubique cognoscitur. Hos nimirum triumphos agere suos milites, suos B principes imperabat Dominus, cum dicebat: *Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Omni creaturæ Evangelium prædicare præcipit, qui omnia genera hominum duci ad fidem voluit: ut dum nobiles regum suorum triumphos ostenderet, eos superare ubique monstraret. Unde scriptum est: *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Omnes quippe homines vult salvos fieri: quia de omni hominum genere eligit, quos ad gaudium æternæ salutis trahit. Sed quid speciali fortitudine agat, exponit, quia dicit:

Marci 16. 15.

1. Tim. 2. 4.

Ps. f. 48.

Congregatoque exercitu, percussit Amalech, & eruit Israel de manu vastatorum ejus.

Ad fornicationis spiritum debellandum multæ virtutes necessariæ.

64. Amalech, populus lambens interpretatur. C Quid ergo per Amalech, nisi fornicationis spiritus designantur? Lambere enim eorum est, ad peccandum mentem carnis blandimento delinire. Velut enim linguæ tactu lambere ambiunt, cum levibus suggestionibus mentem tangunt. Quid est quod contra Moab & Ammon, quod contra Edom & regem Suba pugnasse & vicisse dicitur, non tamen exercitum congregasse: sed ut Amalech vinceret, exercitum congregavit? Quid est quod exercitum congregavit, nisi quia ad extinguendum fornicationis spiritum, virtus una non sufficit? Abstinentia quidem ciborum contra hoc vitium fortissima est, sed sola non prævalet: velut enim miles est, & pugnare potest, superare non potest: quia Amalech non vincitur, nisi exercitus congregetur. Qui ergo D fornicationem percutere appetit, addat abstinentiæ corporis virtutem humilitatis. Nam si mens, Deo subdi humiliter despicit, carnis suæ desideria dominando ac præeminendo non premit. Sed adhuc necesse est, ut congreget: quia exercitum parvum habet. Virtuti ergo humilitatis & abstinentiæ corporis addatur frequens numerus orationis. Affectus quidem cordis intenti cælestibus, contra carnis bellum fortes milites sunt. Jam ergo in frequenti assiduitate precum aciem habet, sed exercitus non unam tantum aciem, sed plures habet. Adhuc itaque exercitum perfectum non habet, & Amalech percutere nequaquam valet. Numquid ei prodest, quod jejunando se atterit, quod ad tempus orando com- E pungitur, si mens lubrica cogitet, & phantasmata lasciviæ in semetipsam portet? Sed vitare turpes cogitationes non prævalet, qui honestas in se non habet. Quia enim semper cogitamus, exquirenda sunt nobis bona, ne mala cogitemus. Quid vero sunt omnes turbæ bonarum cogitationum, nisi innumerabiles mentis acies? Nam dum mentem ambiunt & minuunt, ad eam accedere turpissimos inimicos non permittunt. Et

Abstinentia.

Humilitas.

Frequens oratio.

Mentis contra lascivas cogitationes custodia.

Castarum cogitationum satellitio.

A quia cogitando ad desiderium magnæ puritatis accendimur, armis potentibus milites nostri induti sunt, quibus fornicationis impetus & depellendo in fugam vertunt, & ad nihilum deducendo perimunt. Nam unde ad animam intrare cogitationes possint, non habent, quæ quasi fortissimo milite, honestate cogitationum bonarum undique ornata est. Nunc ergo exercitum anima congreget, quæ Amalech vult perimere, & de manu vastatorum ejus videntem spiritum liberare. In horum medio resideat; ut cuncta exemplis electorum fortium, circumdata doctrinis Scripturarum, nullam partem sui vacuam habeat, unde hostis irrumpat. Quia ergo innumerabilia sunt exempla fidelium, quia multa docu- B menta Scripturarum, exercitus magnus & fortis est, sed ad congregandum difficile non est. Bene ergo de Israelis rege dicitur: *Congregato exercitu, percussit Amalech*, quia fornicationis spiritus non ante vincitur, quam per abstinentiam corpus atteratur, & omnis turpitudo obscœnæ cogitationis, bonis mentem replentibus, effugatur. Tunc quippe eum lambere, id est delinire populus lambens delectando non potest: quia domita carne jejuniis, humilitatis arce prædita mente, orationis armis accincta, intenta doctrinis cælestibus, exemplis munita, impiæ suggestioni aditum præbere consentiendo non prævalet. Quæ nimirum exercitus congregatio bene regibus, id est Ecclesiæ doctoribus convenit: quia quisquis ad extinguendam fornicationis rabiem C electos subditos instruere nititur, hæc plura auxiliorum agmina ei verbo congreganda sunt.

65. Bene & Israel erutus de manu vastatorum ejus asseritur. Erui quidem evelli dicitur. Et quod evellitur, altas radices in profundiora misisse sentitur. Manus vero vastatorum, potestas est malorum spirituum. Unde etiam scriptum est: *A quo quis vincitur, ejus servus efficitur.* Quid ergo colligitur, nisi quia dum fornicatores desideriis carnis assentiunt, potestati malorum spirituum subiguntur? Quia item altum est fornicationis blandimentum; dum in hoc anima per desiderium mergitur, quasi in profundum radicibus tenetur. Erui ergo de manu vastatorum, est a fornicationis abysso, qui in potestate dæmonum est, liberari. Bene etiam vastatores fornicationis impetus dicuntur: D quia de vitio luxuriæ per beatum Job dicitur: *Ignis est usque ad perditionem germinans, & omnia eradicans germina.* Vastator quippe fornicationis spiritus dicitur: quia quem invaserit, ei nimirum nulla virtutum dona derelinquit. Ad laborem quidem ministerii; bona quidem aliqua habere potest, sed ad meritum salutis ea habere non potest. Vastari ergo dicitur, cui perdita castitate ad vitam bona alia nulla prosunt. Vastari etiam horti tenera dicuntur. Qui enim sunt horti superni sponsi, nisi corda Sanctorum per custodiam munita, & per castitatis odorem florida? Nam dum nullos motus turpes recipiunt, albo pudoris flore decorantur. Unde & sponsæ in Cantico sponsi laudibus dicitur: *Quæ habitas in hortis, audire me* E *fac vocem tuam.* Et rursus: *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Hortus quidem, quia virtute eximiæ castitatis floridus: conclusus autem, quia per continentiam munitus. Hinc sponsa quid sponsum oblectet, exponit, dicens: *Sponsus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.* Immundi ergo spiritus vastatores sunt: quia si pudica corda decipiunt, decepta teneros flores tantæ virtutis perdunt. Qui itaque cum ab immunditiis ad castitatem

Fornicationis spiritus cur vastatores dicti.

2. Pet. 2. 19.

Job. 31. 12.

Cant. ult. 13.

Ibid. 4. 12.

Ibid. 2. 16.

tem redeunt, quia diras dæmonum poteſtates effugiunt, & a profundo perditionis aſcendunt, de manu vaſtatorum erui apte memorantur. Sed rex, qui eruere populum dicitur, quales adjutores habeat, videamus. Nam ſequitur:

Verſ. 49. *Fuere autem filii Saul Jonathas, & Jeſui, & Melchiſua: nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.*

Doctorum Eccleſiæ virtutes præcipuæ ſunt, maceratio corporis, circumſpectio mentis, & ſimplicitas intentionis. *Pſal. 44. 17.*

66. Filii Saul, qui non ad quamlibet hereditatem, ſed ad regnum naſcuntur, illos inſinuat, de quibus ſanctę Eccleſię per Pſalmiſtam dicitur: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Quos tres eſſe agnovimus: quia fidem ſanctæ Trinitatis prædicando defendunt. Sed quia percuſſo Amalech, regis filii nominantur, eorum numerum ad virtutum me-
B
rita referamus. Maceratio quidem corporis, circumſpectio mentis, ſimplicitas intentionis, tria ſunt. Quia ergo doctores ſanctę Eccleſię ad reprimendam carnis libidinem fortes ſunt, ad cordis cuſtodiam ſapientes, intentionem cordis in cęlum ſublevando ſublimes, tres eſſe Saul filii dicuntur. Tria etiam ſunt, fortitudo operis, virtus caritatis, affluentiſſima gratia prędicationis.

Vitæ ſanctitate, caritate ac ſapientia fulgeant.

Doctores quippe ſanctę Eccleſię, quia magna converſatione ſublimes ſunt, magna caritate ferventes, magna verbi ſapientia facundi, ternario numero apte ſignati ſunt. Quorum certe virtutibus nomina conveniunt: quia Jonathas, columbæ donum dicitur; Jeſui, planities, ſive deſiderium meum; Melchiſva, rex meus ſalus. Quia enim præcellentia
C
dona Spiritus ſancti doctores habent, columbæ donum recte nominantur. Quia item inter dona ſublimia humiles ſunt, planities dicuntur. Quia pro ſubditis ſibi fidelibus ardenter æterna poſtulant, deſiderium meum eſſe perhibentur. Quæ quidem vox parvulorum ſubditorum eſſe cognoſcitur, virtus vero tanti nominis pręlatorum. Qui enim parvuli, & frigidi adhuc in noſtris negligentiis jacemus, ad cæleſtem patriam ardentibus deſideriis non flagramus. Sed quod nos ardenter flagitare non poſſumus, pro nobis poſtulat, [a] qui ad illam, quam nobis adipiſci deſiderant, patriam, magnis deſideriis anhelant. Pro excellentia ergo caritatis non deſiderantes, ſed deſiderium regis filius dicitur, ut in doctoris mente flagrare ignis dilectionis ſpecialiter demonſtretur.
D
Unde & de Domino per Pſalmiſtam dicitur: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem.* (*Pſal. 103. 4.*) Hinc eſt item quod Daniel vir deſideriorum dicitur (*Dan. 9.*): quia proſpera populi ſui magnis precibus poſtulaſſe perhibetur. Melchiſva vero dicitur, rex meus ſalus. Rex quippe prædicator dicitur: quia celſitudinem tenet ordinis, & dignitatem magnæ converſationis. Rex item dicitur: quia ſummam tenet celſitudinis, & vigorem auctoritatis. Salus etiam dicitur, ut ejus integritate ęgritudo populi depelli poſſe ſentiatur. Merito enim vitæ & devota oratione homo agere quotidie debet doctor, ut ſubjectus ſibi quiſque pertingere valeat ad ſalutem.

Ita omnium ſint, ut ſingulorum per amorem eſſe videantur.

E
Sed notare iterum doctor debet, quia cum a ſubditis nominatur, non rex noſter, ſed rex meus dicitur. Qid eſt ergo, quod rex meus dicitur, niſi quia tam familiaris eſſe debet omnibus, ut ſingulorum eſſe per amorem ſentiatur? Sed qui meus dicitur, rex nominatur: quia humilis & affabilis prædicator hoc ipſum, quod præeminet, non videtur eſſe ſuum ſingulariter, ſed ſpeciale ſingulorum: cum tam communis per gratiam eſſe nititur, ut
A
ejus celſitudo propria uniuſcujuſque fore videatur. Onus autem verbi dicitur, quia videlicet ſalus mea dicitur, per quod nimirum diligens prædicatoris ſtudium & ſollicitudo commendetur: quia ſic debet intendere ſimul omnibus, ut quærat, & agat propria ſingulorum. Ab unoquoque etenim ſalus mea dicitur: ſi uniuſcujuſque infirmi curam ſuſcipit, & hunc ad æternæ ſalutis bona perducit.

Activa & contemplativa vita, duæ ſorores Ambæ fecundæ.

67. Quę vero ſunt Saul filiæ, niſi prædicatori ſubditæ electorum qualitates? Alii quippe activæ vitæ ſtudiis ſerviunt, alii vero contemplativæ remotionibus abſconduntur. Filiæ quidem dicuntur pro fecunditate. Illa quidem parit multitudinem bonorum operum; iſta vero internorum plenitudinem gaudiorum.
B
Merito igitur regis filię nominantur: quia dum concipiunt de verbo Dei, cæleſtes fructus parturiunt. Unde bene Merob, de multitudine dicitur. Activa etenim vita, quia ex multis bonis operibus perficitur, de multitudine recte nominatur. Vel, de multitudine dicitur: quia qui Deo per activam vitam placent, multi ſunt.

Contemplationi nonniſi pauci adducuntur.

Quia enim pauciores numero ſunt, qui per contemplativam cæleſtibus gaudiis inhiant, in comparatione illos, qui activæ vitæ inſerviunt, multos vocat. Qui profecto multi ſunt numero, miniſterio diviſi: quia etſi unam cæleſtem patriam bonis operibus quærunt, tamen variis operibus pietatis inſerviunt. Quorum certe nonnulli in tantum amorem Conditoris
C
proficiunt: ut ipſa etiam opera bona deſerant, atque ad contemplativę vitæ dulcedinem tranſire, & in ea Deo vacare concupiſcant. Unde & bene Michol in lingua noſtra, ex omnibus dicitur.

Ad eam per bonorum operum labores perveniendum. *Math. 11. 28.*

Ex omnibus quidem fit: quia nullus eſt perfectus in contemplatione, qui ex labore boni operis non pervenit ad arcem ejuſdem contemplationis. Unde in Evangelio Dominus dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Tunc qui laborat, vocatur, quando bene agendi deſiderium æternitatis infunditur. Et ad vocantem ſe accedunt, quando ad contemplativæ vitę quietem veniunt. In quo nimirum laborantes, reficiuntur: quia amoris gaudia de divina contemplatione abundanter ſumunt. Ipſe quidem accedentes reficit, qui puris mentibus ſemetipſum
D
oſtendit. In cujus revelatione quia contemplationis gaudia multa inveniunt, quaſi omnimoda delectationis dulcedine, non ab alio, ſed ab ipſo ſaturantur. Michol ergo, ex omnibus dicitur: quia contemplativæ vitæ ſecretum nullus expetit, qui in aliqua prius operatione bona non fuit.

Minor ſoror eſt, non dignitate, ſed tempore.

Minor ergo ſoror dicitur: non quia inferior dignitate, ſed quia poſterior tempore. Si quis autem velit per primogenitam filiam contemplativam vitam, per minorem activam poteſt accipere. Et tunc quidem Merob, de multitudine dicitur, quia multitudinis turbas deſerit, & ad rariorem numerum in contemplatione perfectorum venit. Non ergo multitudo, ſed de multitudine eſſe dicitur, ut non hi cum quibus eſt, ſed unde venerat,
E
agnoſcatur. Michol vero, ex omnibus dicitur; ut in activa vita univerſalis vita ſanctæ Eccleſiæ deſignetur.

Activa vita omnium eſt Eccleſiæ filiorum.

In activa etenim vita etiam illi ſunt prius, qui poſtea ad contemplativæ ſecretum tranſeunt, ſed in contemplativæ remotione, exterioris vitæ ſollicitudine gravati non ſunt. Illa ergo de multitudine, iſta vero de omnibus dici poteſt: quia activa vita omnes continet, contemplativa omnium conſpectum declinat, ut ſe, conſpectu

men-

[a] Gilot, & Vatic. quia ad illam.

mentis, cælestibus jungat. Quomodo igitur Saul filiæ dicuntur, nisi quia [a] utraque vita studio boni Rectoris ostenditur? Qui enim nos docent bona agere, æternæ vitæ studiis vacare, ab illo nobis generantur, cujus magisterio in corde nostro discuntur. Quod quidem quia de activæ vitæ operibus constat, mirum de contemplativa videtur, quæ per Mariam Marthæ sororem, quę ad pedes Domini sedere, & verbum ejus audire describitur. Sed facile respondetur: quia dum sedet Maria, perfectos in contemplatione signat. Filia tamen Saul Merob recte dicitur: quia etsi sedens ad pedes Domini, quæ vult ab eo audit & discit; tamen prius discere debet, quomodo sedere possit. Hoc nimirum quia sapientis & eruditi doctoris eruditione cognoscitur, Saul esse filiam Merob recte memoratur. Quam profecto in conjugium David dare promisit, sed ei minorem dedit: quia nonnulli contemplativę vitę pulchritudinem diligunt, ad cujus amplexus accedere nequaquam permittuntur. Quia enim regendis fidelibus gregibus foris necessarii sunt, summus rex sic ordinat, ut Michol minorem accipiant, & Merob majorem numquam comprehendant. Plerique autem post minorem, majorem accipiunt; quia post devota caritatis opera, ad intimi secreti amorem recipiuntur: quod bene Jacob insinuat, qui Rachelem amavit, sed prius Liam accepit, & sic deinde Rachelem in conjugium sumsit. Quid est hoc, quod Jacob utramque sororem habere licuit, David autem ad majoris thalamum non pervenit, nisi quia David rex fuit, Jacob vero rex non fuit? Qui ergo regimen animarum suscipit, hunc censura Ecclesiastica susceptum gregem deserere, & remotæ vitę otiis vacare non sinit. Sed Merob David promittitur, & numquam datur: Michol sola datur, quia nonnulli cum curam animarum suscipiunt, putant se sic aliorum sollicitudinem gerere, ut sibi ipsis valeant per sollicitudinem vacare; & tamen quietem, quam in prælatione quærunt, numquam inveniunt: fitque ut dum impetrare a Domino gratiam tantæ puritatis nequeunt, quasi iram incurrissent Domini, pertimescunt. Quasi ergo irato rege promissam sibi primogenitam perdunt: quia eum, quem se putabant in prælatione habituros amorem quietis intimæ, amplecti non possunt. Hæc autem breviter per excessum diximus, nunc ergo ad dimissa redeamus.

Per Martham & Mariam ejus sororem utraque adumbratur. *Luc.* 10.

1. *Reg.* 18.

Ac per Liam & Rachelem. *Gen.* 29.

Ad contemplationis amplexus non prælati admittuntur.

68. Ambæ ergo Saul filiæ dicuntur, sed nomina diversa sortiuntur: quia & differunt & conveniunt. Conveniunt quidem: quia ad ęternam vitam, quam diligunt, per amorem tendunt. Item conveniunt: quia bona opera, quibus hęc indesinenter extenditur, illa quomodolibet operatur. Quia igitur ambæ amant, quę vident æterna, ambæ ad illa per bonam operationem pervenire desiderant, quomodocumque conveniunt: differunt autem, quia plus agit una, plus videt altera. Nam & Lia non dicitur fuisse cæca, sed lippa. Et Rachel si non tantos peperit, omnino tamen sterilis non remansit. Nam si altera vita alteram contemplando aut operando superat, nulli autem eorum visionis claritas demitur, nulli fęcunditatis gloria denegatur. Videndo tamen & agendo differunt; quia activa vita visionem habet in transitu, opus vero in intentione: contemplativa vero opus in itinere, intentionem in quiete. Unde bene Evangelista Marcus, cum sub illarum trium mulierum specie contemplativę vitę amorem ostenderet, ait: *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum*. Quasi dicat: Steterunt in opere, ut currere valerent ad contemplationem. Aromata quidem emere, est per laborem boni operis, bonę opinionis odorem circumquaque dilatare. Et Jesum in sepulchro ungere, est per mortificationem carnis, ad devotionis intimę pinguedinem pervenire. Nam velut in sepulchro ungitur, quando a consepultis ad gaudium intimę claritatis suę devotissime pervenitur. In transitu ergo operationem habent: quia etsi aliquando operantur, quasi currendo hoc deserunt, qui ad locum dilectę solitudinis, magno spiritus impetu impelluntur. Nam quia totis desideriis in ęternorum amore requiescunt, videre magis, quam ministrare appetunt. Rari ergo sunt in publico operis, assidui in secreto contemplationis; foris parum, satis intus immorantur. Nam & fornicationem esse solent judicare, vel ad momentum a Christi contemplatione discedere.

In quibus conveniant, aut dissentiant actio & contemplatio.

Marc. 16. 1.

A quibus in sepulchro Christus ungatur.

Rari sunt in publico contemplativi. A Christo ad momentum recedere, fornicationem putant.

69. E contra autem activa vita, quę frequens circa ministerium satagit, rara est in secreto contemplationis. Nam quę æterna sibi præparare non sedendo, & audiendo, sed satagendo & ministrando proposuit, non damnum, sed dispendium putat, si sibi vacans, & sua petens, & non quę aliorum, a solita obsequiorum oblatione requiescat. Plus igitur operando laborat, minus obsecrat. Unde & Martha, *quæ circa frequens ministerium satagebat, stetit, & locuta est*. Quę enim stetit, ei nimirum sedere non licuit: quia si ad audiendum sederet, imparatum fortasse ministerium, & insufficiens impendisset. Et notandum, quia transeundo Dominum Martha vidit, non tamen transeundo, sed stando loquitur. Nam Evangelista caute expressit, dicens: *Quæ stetit, & ait*. Quo profecto exemplo instruimur, ut qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad Redemtoris pedes non possumus, per aliquantulam morulam Redemtori assistere debeamus. Sed bene ei assistimus, si transeundo, & serviendo videamus. Quid est autem transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere, ad ipsum cordis dirigere intentionem? Transimus enim, quando huc illuc discurrendo in membris suis Domino ministramus. Sed transeundo Dominum cernimus, si per omne, quod agimus, pręsentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contemplamur. Quo in loco notandum est, quia confidenter Martha loquitur, dicens: *Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Quod certe perfectis quibusdam operariis sanctę Ecclesię convenit; qui omnipotenti Deo preces tanto fiducialius offerunt, quanto laboriosius ei in membris suis se ministrasse meminerunt. Sed quia in ipsis etiam, quę activę vitę deserviunt, nimietas sollicitudinis cohibenda est: Martha reprehenditur, quæ tam sollicita asseritur, ut erga plurima turbetur. Actionis quidem fervor tunc recte disponitur, cum sic insistimus operi, ut tranquillo corde eum, cui opera nostra consecrare nitimur, videamus. Quid est ergo nimietas sollicitudinis, nisi confusio supernę intentionis? quia dum se erga plurima dividit, divisa jam ad supernorum intuitum non assurgit. Illud enim ęternum, & simplex bonum ęternæ visionis, anima quia vix unita comprehendit, se nimirum ad id divisa non erigit. Dicit ergo operum nostrorum dispositor & receptor: *Unum est necessarium*: ne se mens ad multa dividat, ut per tranquillitatem unita, ad summi boni intuitum potenter surgat.

Activæ vitæ servientes non sedendo, sed stando, vel transeundo solum orant.

Luc. 10. 40.

Ibidem.

Luc. 10. 40.

Perfecti tamen operarii tanto fiducialius Deum orant, quanto laboriosius ei ministrant.

In actione, nimia sollicitudo cavenda.

Uni necessario intendendum.

Duæ

[a] Gilot. & Vatic. *quia utraque ista*.

Duæ igitur filiæ Saul, etsi pariter regis sunt filiæ, nominibus differunt: quia vita activa, & contemplativa nobilitate religionis generosæ sunt, sed non sunt pares pro diversitate officii. Sed quia earum patrem ostendimus, matrem pariter demonstremus. Sequitur:

Vers. 50.

Et nomen uxoris Saul Achinoe, filia Achimaas.

Ex bona voluntate seu recta intentione, prædicator filios gignit.

70. Quæ est enim prædicatoris uxor, nisi bona voluntas? Qui enim per amorem bonæ voluntati conjungitur, ei utique quasi ex nobili conjuge filii oriuntur. Nam cum bonorum operum fructus proferre volumus, necesse est, ut prius eos in bona voluntate seminemus. Unde bene Achinoe, fratris requies interpretatur. Frater quippe noster ille est, qui a mortuis resurgens, Mariæ Magdalenæ locutus est, dicens: *Vade, & dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum* (*Johan. 20. 17.*). Hinc Paulus nobilitatem electorum asserens, ait: *Heredes autem Dei, coheredes Christi* (*Rom. 8. 17.*): Quid est quod dicitur, fratris requies, nisi quia Redemtor humani generis in bona coheredum suorum voluntate requiescit? Et quia ab ipso nobis bona voluntas impenditur, a quo inhabitatur, filia Achimaas esse perhibetur. Achimaas enim, fratris decor, vel, frater decor interpretatur. Frater quippe & decor Redemtor noster dicitur: quia humana natura per peccatum primi hominis dignitatis suæ vigorem perdidit, sed in persona Redemtoris, aucto sibi splendore, radiavit. Decor quippe noster est: quia quicumque in sancta Ecclesia virtutum claritate fulgescunt, de plenitudine lucis illius omnes accipiunt. Hinc Paulus ait: *Ei se infudit omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col. 2. 9.*). Dum ergo bonam prædicatorum nostrorum voluntatem Propheta Samuel respicit, typis visa exprimit, dicens: *Achinoe filia Achimaas*: quia nimirum magna est pulchritudo bonæ voluntatis, sed de infusione nascitur Redemtoris. Debet namque amari ut conjux; sed si pater aspicitur, ex nobilitate amplius amatur.

Ibidem.

Et nomen principis [a] *ejus Abner, filius Ner, patruelis ejus.*

Ex sacra Scriptura intelligentiæ lumen, & caritatis oleum.

71. Abner dicitur, pater meus lucerna; Ner etiam, lucerna dicitur. Quid ergo Ner, nisi sermo Scripturarum accipitur? Littera quidem sanctæ Scripturæ quasi hujus lucernæ testa est: intellectus vero, spiritualis claritas luminis; oleum vero ejus, devotio amoris. Filius ergo lucernæ est, qui verba Scripturarum libenter audit, & sapienter intelligit; & quæ per intellectum colligit, per affectum caritatis apprehendit. Cur itaque dicitur filius lucernæ, nisi quod de lumine nascitur, lumen est? Quid enim peccatum, nisi tenebræ? Quid item bonum opus, nisi lumen? Sancti enim viri dum ad ducatum Scripturarum gressus operum dirigunt, quasi ex lumine lumen accipiunt spiritualis eruditionis. Hoc quippe lumen de lumine Johannes exprimens, ait: *Omnis qui natus ex Deo est, non peccat: quia generatio cælestis servat eum* (*1. Johan. 5. 18*). Quid est nasci de Deo, nisi cognitam in sanctis Scripturis ejus voluntatem diligere? Et quid est non peccare, nisi in luce justitiæ semper consistere? Quasi enim de luce nos lucem facere volebat beatus Petrus Apostolus, cum dicebat: *Habetis propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec aspiret dies, & lucifer oriatur in cordibus vestris* (*2. Pet. 1. 19.*). Merito igitur Abner, pater meus lucerna dicitur, ipse quoque pater ejus lucerna nominatur: quia illi in sancta Ecclesia lucere per exempla aliis possunt, qui eruditione Scripturarum, & claritatem acceperunt luminis, & oleum perfectæ caritatis. Sed per Johannem non peccare dicitur, ut prædicatorum robur insinuet, qui sic peccatoribus manum porrigunt, ut tamen ipsi peccatorum tenebris non fœdentur. Sed quid est, quod patruelis Saul dicitur? Patruelis autem dicitur, qui nascitur ex fratre patris. Unde & hic quoque subjungitur:

Vers. 51.

Cis fuerat pater Saul, & Ner pater Abner filius Abiæ.

Legis asperitas, ipsius & implendæ gratia, ab uno Deo sunt ortæ. Sopr. 9. 1.

72. Et cum eligendus rex peteretur, dictum est: *Et erat vir nomine Cis filius Abiæ*. Quia vero ista stirpis regiæ nomina quid significent, plenius exposuimus, hoc tantummodo exprimamus, quomodo Abner patruelis Saul esse referatur. Sed Saul filius Cis, idest duri esse cognoscitur: Abner etiam lucernæ filius perhibetur. Durum hunc, austeræ nimis conversationis viros ostendimus designare; Ner, lucernam interpretari. Quid est igitur, quod lucerna, & durus ejusdem patris esse filii dicuntur; nisi quia a Deo est, & quod Scriptura sancta austerum præcipit, & virtus exterior duræ conversationis? Frater quippe lucernæ durus est; quia gratiam implendæ legis ab eo habet, a quo ipsa lex ortum habet. Unde & Psalmista confidenter repromittit, dicens: *Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit* (*Psal. 83. 7.*). Legem quippe dare est, præcepta vitæ electis proferre: benedictionem etiam dare, est gratiam implendæ legis impendere. Quia ergo ab uno sunt tam lumen Scripturæ, quam asperitas vitæ nostræ, Cis & Ner unius patris filii esse referuntur. Abner ergo filius Ner, Saul regis patruelis esse recte dicitur: quia qui ad curam animarum eligitur, duræ & asperæ vitæ debere esse judicatur.

Curæ animarum præponendus, asperam vitam eligitur.

Sed qui prædicatorum adjutores esse cupiunt, numquam agunt, quod cupiunt, si lumen Scripturæ sanctæ, in quo per cognitionem concepti sunt, in bona operatione atque sancta prædicatione, velut nascendo, non perficiunt. Cum vero Scripturarum sanctarum cognitio magis summis doctoribus, quam eorum adjutoribus subditis adscribatur, & exempla conversationis sequi magis minoribus, quam majoribus convenire videantur: quid est, quod duri filius rex dicitur; lucernæ vero filius dicitur princeps regis? Sed his verbis non significat, quod summi doctores & eorum adjutores habent; sed suppresso quod habent, exponit quod singulis agendum est. Rex quippe, videlicet summus & electus prædicator, quia jam per altissimæ eruditionis scientiam, Scripturæ lumen habet; non sic confidat de scientia, ut aliorum exempla minime sequatur. Princeps quoque, idest magni doctoris adjutor, quia exemplis ejusdem sui præpositi subditur, ad lumen innitatur; ut qui exempla sequitur, in doctrinæ altioris eruditionem, quasi in magna lucernæ luce nascatur. Qui ergo eruditus ad majorum exempla per humilitatem reducitur, exemplis instructus ad Scripturarum splendorem discendo sublevatur, bene rex filius duri, & princeps lucernæ filius esse perhibetur. Tales viri, quia electis fidelibus utiliter præeminent, quia subjectos ad virtutum victorias fortiter provehunt; sequitur:

Vers. 52.

Erat autem bellum potens adversus Philisthæos omnibus diebus Saul.

Debiles ad bellum qui fiant.

73. Debile & omnino infirmum bellum illorum doctorum est, qui nec lumen habent divinæ cogni-

a Legendum videtur, *principis militiæ*, ut extat in sacro contextu. Attamen Gregorium legisse *principis ejus*, constat ex verborum illorum expositione num. sequenti: *Lucernæ vero filius, dicitur princeps regis.*

tionis, nec fortitudinem boni operis. Potens ergo bellum dicitur, quando electis plebibus duri filii dominantur: quia ille potest aliis utiliter bona dicere, qui consuevit verba magna operatione præire. Sed & subtiliter est intuendum, quod implexius dicitur: *Cunctis diebus Saul*. Quid sunt dies Saul, nisi lucis opera? Quod bellum doctoris est aliud, quam quod lingua conficitur? Omnibus itaque diebus pugnat, qui multa alios docet: sed nil docendo profert, nisi quod suo prius fulget opere. In die etenim sua pugnat, qui verba prædicationis ex propria trahit luce virtutis. In die ergo alieno pugnare vult: qui contraire reprobis spiritibus satagit, non loquendo, quæ agit, sed prædicando, quę novit. Sed omnibus diebus pugnat: quia omnia pręcepta Dei ostendit in luce operis, quæ subsequendo vult pandere per curam prædicationis. Merito itaque bellum potens dicitur, in quo cum omnimoda virtutum, vel operum luce pugnatur. Potest etiam per hoc, quod omnibus diebus pugnare dicitur, agonis spiritualis instantia designari. Qui enim vitam ducit plenam virtutibus, in diebus vivit. Cunctis ergo diebus bellum potens electi doctoris agnoscitur: quia is semper malos spiritus superare cernitur, qui a luce virtutum numquam separatur. Sed habent electi viri virtutem præliandi, habent & humilitatem timoris. Per virtutem triumphant, sed per timorem auxilia congregare non cessant. Unde tanto fortius pręliantur, quanto & vires confligendi congregare non desinunt. Bene ergo causa potentis belli subjungitur:

Potenter pugnat, qui nihil alios docet quod opere non impleat.

Virtutem præliandi comitetur humilitas.

Ibidem.

Nam quemcumque videbat Saul virum fortem & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

In eligendis Christi militibus quæ cautio adhibenda.

74. Quasi dicat: Idcirco bellare potenter poterat, quia congregare exercitum non cessabat. Sed quia non solum fortes, sed etiam aptos ad prælium sibi sociasse dicitur, cautus doctor in eligendis Christi militibus demonstratur. Fortes autem ad ferenda onera quidam sunt, non ad prælia exercenda: quia præliari de fortitudine sua dum nesciunt, nequaquam possunt. Viri ergo fortes & ad prælium apti sunt, qui sciunt pugnare, & volunt. Per voluntatem quippe fortes sunt, & per scientiam apti ad A præliandum. Quorumdam ergo temeritas a Christi bello repellitur, cum apti & fortes electi memorantur. Nam quidam sciunt cum diabolo pugnare, & nolnnt. Sapientes quidem sunt, ut faciant mala: bona autem facere nescinnt. Hi antiquo hosti servire volunt, resistere nolunt. Quid enim faciat doctor; si aptos istos ad prælium sibi societ. Magis tales possunt alios per exempla destruere, quam ipse per verbum ędificare. Nam & sępe tales docere audent, & docendi virtutem operando non tenent. Cum loquuntur nobiscum, in hostes irruunt: sed per opera subito in viscera nostra torqnentur. Velut proditores quidam B exercitus, arma Christianę doctrinę induunt, & per exempla subito parvulos Christi feriunt, quos velle proterve loquendo putabamus. Non apti ergo viri fortes repellendi, non sociandi nobis sunt; quia per sapientes reprobos robur nostrum destruitur, non augetur. Qni ergo sunt fortes & non apti, nisi quos videmus onera seculi fortiter ferre, & fortitudinem suam in servitium Conditoris transferre nescire? Nam jugum hominum, & magnos seculi labores fortiter ferunt, sed ad servitutem Dei accedere velut infirmi pertimescunt. Quid ergo isti, nisi fortes & non apti sunt, qui seculi magna faciunt, & Christi agere levia C & blanda non possunt? Sæpe etiam in monasteriis convertuntur, & qui seculi onera fortiter tolerant in parvis, quæ agunt, quasi inter magnos labores sudant. Quid ergo his verbis ostenditur, nisi ut viros ad Christi militiam cum magna nobis discretione sociemus; nec accedentibus ante prębeamus ingressum, quam eos & aptos per scientiam, & fortes per bonam voluntatem esse sciamus? Possunt autem idcirco viri fortes & apti ad pręlium dici, qui Amalech, id est libidinum bella subsequuntur. Nam viri fortes non sunt, qui carnales concupiscentias extinguere nequeunt. Et apti ad pręlium non videntur, qui D pro pudicitia apti ad pręliandum non sunt. Eligat ergo doctor milites Christi, eligat fortes; ut dum carnem fortiter domant, immundos spiritus potenter vindicent. Eligat ergo aptos ad prælium: ut dum inter dona fortitudinis non superbiunt, triumphi gloria in cælestibus sublimentur.

Jerem. 4. 22.

Exercitus Christi proditores sunt, qui cum recte doceant, male operantur.

LIBER SEXTUS.

Caput Prsmum.

Cap. 15. 1. Regum Vers. 1. 2. & 3.

Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus ut ungere te in regem super populum ejus Israel. Nunc ergo audi vocem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire universa ejus.

Luxuriæ vitium, non solum percutiendum, sed penitus eradicandum.

1. Superius Amalech luxuriæ vitium designare diximus, quæ velut lambit, dum voluptatem blandiendo suggerit. Profectus ergo conversationis ostenditur, eo quod superius a Saul percussus asseritur; & nunc simpliciter jubetur percuti, sed omnia ejus demoliri. Primo quidem hunc doctor percutit, quando per ejus verbum agitur, ut pudicitia in conversorum cordibus & corporibus teneatur. Quasi enim percussa est libido, quando caro armis pudicitiæ qualitercumque subacta est, & perfecte subacta non est. Nam qui luxuriæ jam inquinamenta deserit, sed adhuc motus turpes ex se contra se insurgentes sentit, jam opus nefarium non exercet, sed tamen abigere hoc a cogitatione non potest. Sæpe invitus, & incautus ad E immundas cogitationes trahitur: sed ea quę negligendo intus cogitat, carnem foris excitanr, ut ad turpes motus voluptatis surgat. Quid ergo est quod percussus Amalech, iterum percuti, & demoliri præcipitur: nisi quia prædicatoe eos, quos ad pudicam vitam erudit, promovere debet ad perfectionem virtutis? Iterum ergo jubetur Amalech percutit quia adhuc non bene interfectus vivit. Iterum Amalech percutitur, cum verbis doctoris illi etiam motus, qni carnem pulsant, eliduntur: cum ob hoc coronari subditos doctor docet, ut sic corpus domare debeant, ut ad illecebrosos motus nequaquam surgat. Sed quia numquam sic caro restringitur, si mens ad immunda cogitando labitur, post percussionem, Amalech demoliri præcipitur. Percutitur ergo in corpore, demolitur in corde, dum caro digne per

abste-

abstinentiam teritur, & mens a cunctis immundis cogitationibus refrenatur. Quo in loco priora etiam consideranda sunt, quæ ex persona Domini Samuel loquitur, dicens: *Recensui quæcumque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto.*

Ex corde præsertim est avellendum.

2. Quid est quod Amalechitarum opera recensentur, nisi quia luxuriæ inquinamenta Deo valde odibilia sunt? Unde beatus Paulus Apostolus dicit: *Omne peccatum extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Item dicit: *Fornicatores & adulteros judicabit Deus.* Hinc etiam acrius increpans, & a regno Dei eos segregans, ait: *Neque immundi regnum Dei possidebunt.* Cur luxuria recensetur, nisi quia justitia Dei peccator projicitur, quando ad perpetranda ejus inquinamenta curvatur? Qui ergo recensetur, ut cadat; aliquando recensetur ut pereat; aliquando recensetur ut surgat. Et quia post tanta temporum spatia recensita, Amalech facta memorantur, utcumque nobis insinuatur, quia tales aliquando post longa tempora resipiscant. Ipsa autem ejus opera exprimuntur, cum dicitur: *Quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto.* Israel, videns Deum dicitur. Qui quia de Ægypto perhibetur ascendere, noviter conversos insinuat, qui peccatorum tenebras, & ima deserunt, & ad lumen veritatis accedunt, & montem boni operis ascendunt.

Grave Dei odium in luxuriam.
1. Cor. 6. 17.
Hebr. 13. 4.
Ephes. 5. 5.

3. In via autem Amalech Israel restitit: quia libido ad perfectionis summam tendentibus arma voluptatis objicit, & corda quæ potest, gladio immundæ suggestionis ferit. Et quia valde fortis, & violenta est pugna fornicationis, non quomodolibet obviasse Israeli, sed restitisse perhibetur. Resistere quidem forti oppugnationi instare est. Hos nimirum resistentes Amalechitas videbat Israelita ille ascendens, cum dicebat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Unde & ad auxiliatorem respiciens, ait: *Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Domini nostri Jesu Christi.* Resistere ergo Amalech dicitur: quia dum in carne sumus, libidinis fortia bella sustinemus. Sed quid de Ægypto ascendentibus resistere dicitur? Ecce qui ad tertii cæli se secreta sustulerat, resistentes motus carnis habebat. Merito igitur non solum novitios, sed etiam magna virtute præditos, Israel de Ægypto ascendens insinuat. Ægypti quidem nomine hujus mundi tenebræ designantur. Israel autem de Ægypto ascendit: quia electi omnes dum sancte vivendo proficiunt, ad supernam patriam pertingere conantur. Et quia quamdiu in carne sunt, carnis legem legi mentis contrariam habent, sibi utique per validos motus Amalech resistentem vident. Hujus namque violentia passionis ostenditur, cum eadem, quæ recensentur, Amalech bella describuntur. Nam pugnante Israele, cum elevabat manus Moyses, vincebatur Amalech; & vincebat ille, cum iste manus deponeret. Quid est autem, quod contra alios solis armis pugnabat Moyses; contra Amalech vero non solis armis, sed etiam virtute orationis? Quæ autem virtus & instantia supplicationis erat tunc necessaria, ubi si manus deponeret, Amalech victoriæ honorem daret? Sed profecto magnum certamen fornicationis ostenditur, quod tanta virtute, tanta difficultate superatur. Arma igitur exercitus, oratio intentissima necessaria est. Arma quidem necessaria sunt: quia qui contra fornicationem pugnare volunt, vincere nequeunt, si non ceteris virtutibus muniuntur. Exercitus, ut supra ostendimus, exempla Patrum & Scripturarum præcepta sunt: quæ quidem quilibet etiam considerare debet, ac illis sic mentem occupare, ut lasciviæ inquinamenta non spectet. Sed exemplis atque doctrinis instructus, de se confidere nequaquam potest. Levet ergo manus suas, levet mentem, ut opere bono & devotione resplendeat, qui abscindere perfecte a se libidinis bellum tentat.

Ad perfectionem festinantibus quantum obsistat.
Rom. 7. 23.
Non novitiis tantum, sed etiam viris magna virtute præditis.
Exod. 17.
Hic hostis vix superatur.

4. Quid item est, quod depositis manibus vincitur, nisi quia sæpe per audaciam pravi operis, ipsa etiam tollitur pulchritudo castitatis? Sæpe ex toto non [a] tollitur, sed cum infirmantibus operibus infirmatur. Inter opera quidem, & labores spirituales, contra stimulos carnis fortes sumus: sed si quasi fessi, a solitæ conversationis rigore torpescimus, vel mollescimus; dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manibus Israelem vincunt. Ne ergo manus lassescant, Aaron & Hur lapidem supponant, & graves Moysi manus deponi nequaquam sinant. Aaron quidem, mons fortitudinis; Hur, ignis vocatur. Quando enim lassescimus, consideratis cælestibus roboramur. Mons ergo fortitudinis quid est, nisi altitudo supernę contemplationis? Quæ profecto, quia in electo corde sine magna caritate non est, mons fortitudinis Moysi adstare recte perhibetur. Qui nimirum lapidem supponunt, & manus sustinent: quia qui summa cælorum præmia ardenter aspicit, fortitudinem magnam sumit, & bene operari, & Conditorem exorare non desinit. Quia ergo valida sunt, & omnino violenta bella carnis, ascendenti Israeli Amalech restitisse apte perhibetur. Regi igitur Propheta præcipit, dicens: *Audi vocem Domini. Recensui quæcumque fecit Amalech Israeli.*

Prostratus rursum erigitur, si remissius agamus. a
Exod. 17.

5. Quid est, quod dicit: *Audi vocem Domini:* nisi quia caste vivere volentibus, contra fraudes fornicationis spiritus subtiliter vigilandum est? Quasi dicat: Considerare non desinas, quantis insidiis sibi subdere electos parat. Et idcireo non dixit: Recensui, quod restitit Israeli; sed: *Audi vocem Domini. Recensui quomodo restitit Israeli.* Quasi dicat: Si modum insidiarum cognoscis, hostem superare facilius valebis. Merito igitur subintulit, dicens: *Nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire universa ejus.* Quasi dicat: Quia nosti quemadmodum ire debeas: *Vade, & demolire universa ejus;* & sic eum deleas, ut aliquid de eo ultra non vivat. Sed quis ita sibi subjicere carnem, quis umquam sibi restringere mentem potuit, quis sic manere in carne, ut de carne turpes motus nullos sustineret? Quis ita refrenare cogitationem potuit, ut ad eam immunditiarum obscuritas per cogitationem nulla perveniret? Sed si de carne non tollitur turpitudo motionis, tamen turpitudinis robur enervatur, cum motus quidem simplex in carne est, sed in motu pruritus libidinis nullus est. Hic quidem motus Amalechita non est, quia menti non lambit, quam oblectare non poterit. Non potest tolli menti, quod aliquo modo immunda non videat; sed in mirabilem usum puritatis deducitur, ut immunda videns, nulla delectationis labe maculetur. Quisquis ergo sic præest carni, quisquis sic mentem regit: ideo præest, ideo regit, quia Amalech cuncta demoliri fortiter potuit. Sed jam quæ sunt ejus universa, subsequenter exponit, dicens:

Contra impudicitiæ fraudes ac dolos continuo vigilandum.

a Gilot. attollitur.

Vers. 3.

Non parcas ei, & non concupisces ipsius aliquid; sed interfice a viro usque ad mulierem, & parvulum, & lactentem, & bovem, & asinum, & ovem, & camelum.

Ejus reliquiis nullatenus parcendum.

6. Quis est hic, qui parcit Amalech, nisi qui aut in cogitatione, aut in ore, aut in carne lasciviæ aliquid retinet? Nam plerique turpidinis opera non exercent, sed linguam a turpi locutione non cohibent. Plerique per opus luxuriam vitant, per cogitationem non vitant. Quidam nihil turpe agunt, sed quod actu refugiunt corde concupiscunt. Parcit ergo Amalech, qui blandimenta lasciviæ, aut in locutione, aut per intentionem, aut per cogitationem tenet. Dicit itaque; *Non parcas ei*: quia de tam nequissimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti ardere in opere. Dicat ergo: *Non parcas ei*: ut omnes libidinosi motus, omnes obscenæ locutiones prorsus perimantur in corpore. Dicit ergo: *Non concupisces ipsius aliquid*: ut penitus eradicetur a cogitatione. Quid enim est libido, nisi ignis? Et quid de carne, & mente exortæ virtutes, nisi flores? Quid item turpes cogitationes, nisi paleę? Quis etiam nesciat, quia si in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parva scintilla, quę remanet, omnes paleę accenduntur? Qui ergo virtutum flores in mente non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per tenuem scintillam numquam possit ardere. Carnalium etiam cogitationum stipulas auferat, ne dum is, qui extingui non potest, calor naturalis accenditur, virores virtutum, qui per se accendi nequeunt, quasi per admixtas paleas exurantur.

Ut perfecte dometur in carne & radicitus extirpetur a mente quid præstandum.

7. Quid est ergo: *Non parcas ei, & non concupisces ipsius aliquid*, nisi quia luxuria omnis in carne perfecte domanda est; & a mente radicitus extirpanda? Post etiam intelligi: *Non parcas ei, & non concupisces ex eo aliquid*: quia & viri, & mulieres, parvuli, & lactentes interfici præcipiuntur. Nam mulieres concupisci poterant, parvuli & lactentes ad misericordiam provocare. Qui ergo sunt viri interficiendi, quæ mulieres, qui parvuli, qui boves, quæ oves, qui cameli, qui asini, subtiliter considerandum est. Qui enim sunt Amalechitæ viri, nisi suadentes motus turpitudinis? Viri etenim sunt: quia violenter suggerunt, & corruptis mentibus semina pravitatis infundunt. Mulieres sunt mentis concupiscentiæ, quæ prędictis motibus ad fœtus impios substernuntur. Sed & parvuli, & lactentes qui sunt, nisi qui de Amalechitarum virorum & mulierum commixtione generantur? Nam si motus malæ suggestionis, quasi adulter in mente recipitur, concupiscentia quasi meretrix impregnatur. Ipsa ergo concupiscentia, si nefarium effundere partum finitur, libidinum motus jam non solum mente, sed etiam in carne generantur. Qui dum nascuntur, parvuli sunt: quia adhuc carni violentiam movendo non inferunt. Lactentes vero sunt, cum tenui & negligenti cogitatione nutriuntur. Qui enim jam libera cogitatione motus turpes in carne reficit, non jam lac parvulis, sed cibum adultis impendit. Lac ergo parvulorum Amalechitarum, tenuis est cogitatio immunditiæ: quia si motus turpis per cogitationem non pascitur, quasi negato sibi lacte, parvuli necantur. Quod profecto lac meretrix mater porrigit: quia dum ardor concupiscentiæ mentem prævenit, quasi ex pessima cordis ubertate agitatur, ut pejores motuum soboles in carne nutriantur. Quid vero in bove, nisi consilium fraudulentum accipitur, quod exemplo veterum carnis voluptatem suggerit, qui inter carnis opera omnipotenti Deo placuere? Nam quasi discretionis vomere scindere terram cernitur; sed si ex deliberatione suscipitur, jugo turpitudinis colla miseræ mentis illaqueat, quem per simulationem gestat.

Futilia, quibus se tuetur, argumenta.

8. Ovis autem nomine innocentium vita signatur. Unde electi omnes Redemtoris nostri voce oves nominantur, cum dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt*. *Johan. 10. 27.* Quæ est ergo ovis Amalech, nisi simulatio innocentiæ? Nam quidam dum & ipsam formam humani corporis, & proprietates sexus utriusque, dum insitam libidinem membris considerant, quasi naturali bono se hoc posse uti licenter putant. Quasi ergo ovis Amalechita est, quando continentibus illud quasi bonum suggeritur, quod vere bonum non esse liquido comprobatur. Quid etiam in camelo signatur? Sed camelus ruminat, & ungulam nequaquam findit. Quid ergo in camelo signatur, nisi cogitatio quædam luxuriæ, quæ quasi a ratione incipit, sed per discretionem non finitur? Nam dum cogitat, quasi intus camelus ruminat: sed dum quod cogitat, per veritatem non disponitur, ejus ungula dividi non videtur. Nonnulli etenim continentiam professi, dum a carnis concupiscentia superantur, in conjugali vita salvari posse confidunt. Quidam & dum Apostoli licentiam audiunt: *Unusquisque suam uxorem habeat & unaquæque suum virum*: *1. Cor. 7. 2.* sine discretione personarum omnes in hoc præcepto concludi, & sacrorum ordinum viros conjugali copula uti posse fatentur. Hujusmodi enim sensus Amalechita camelus est: quia quasi ex ratione incipit, sed ad irrationabilem vitam trahit. Qui ergo asinus, nisi aperta nequitia fornicationis accipitur? Quosdam enim diabolus in apertum chaos fornicationis invehit, quibusdam per fraudes illudit. Asinus etiam aliena onera portare consuevit. Doctor vero gentium dum virum sui corporis potestatem non habere, sed mulierem docuit: item *nec mulierem sui corporis habere potestatem, sed virum*: *Ibid. v. 4.* quid aliud, quam aliena onera eos portare jussit? Asini ergo nomine robur conjugalis copulæ designatur: quia electi conjuges invicem onera sua fortiter portant, [a] ne per carnis infirmitatem in fornicationis baratrum remissius corruant. Asinus ergo interficiendus est, sed Amalechita: quia copula conjugalis in honestate thalami roboranda est, sed a turpitudine interficienda. Debent quidem conjuges debitum sibi invicem reddere, sed turpiter convenire non debent.

Ab omni obscenitate caveant conjuges.

Asinus ergo Amalech interficitur, cum in bonis conjugibus caritas tenetur honestæ copulæ, sed omnis obscenitas vitatur in turpi conjunctione. Omnia igitur Amalech demoliri jubentur: quia qui caste proponunt vivere, de blandimento carnis in se aliquid retinere non debent. In carne quidem esse debent, ut bona per carnem agant: sed sic debent a carnis voluptate per mentis sublimitatem discedere, ut contumelias de carne non tolerent. Tales quidem eos esse volebat, quibus Apostolus loquebatur, dicens: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*. *Rom. 8. 9.* Sed qui Amalech delere præcipitur, quibus adjutoribus ad hæc sufficiat attendamus. Nam sequitur:

Vers. 4.

Præcepit Saul populo, & recensuit eos quasi agnos.

Ad impudicitiam expugnandam producenda Sanctorum exempla.

9. Agnorum nomine solent viri magnæ prudentiæ designari. Unde per Johannem dicitur: *Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentia nomen ejus, & nomen* *Apoc. 14. 1.*

a Gilot. & Vatic. *ne*.

nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Qui enim nomen agni assumserant, agni dicebantur. Ipsos etiam exponens, ait: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt*. Quid est ergo, quod cum Amalech deleri præcipitur, quasi agni regis milites recensetur: nisi quia cum fornicationis spiritum delere prædicando volumus, perfectorum exempla producere debemus? Quotquot enim pudicitiæ gloria insignes secularibus convertendis ostendimus, velut tot milites quasi agnos recensitos ad Amalech bella portamus. Possunt autem horum recensitorum nomine ipsi ministri divinæ prædicationis intelligi. Quasi agni ergo sunt: quia per gloriam perfectę pudicitię, jam illis virginibus cum Christo in regno gaudentibus similantur. Quibus profecto verbis ostenditur, quia qui prædicationis ministerium sumunt, precipuo castitatis fulgore anta decorandi sunt: quia si per incontinentiam defluunt, continentes alios facere nequaquam possunt, & ad tantæ lucis bonum provocare non prævalent, qui ejus radios in propriæ conversationis fulgore non habent. Bene ergo dicitur: *Recensuit eos quasi agnos*: quia pudicos valde esse eos oportet, qui fornicationis effugare spiritum per accepti ordinis potestatem debent. Unde in Evangelio eis Dominus dicit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*: ut verbum prædicationis subditi audiant, sed eos ad bonum castitatis, quod audiunt, exempla lucidissimæ conversationis trahant. Unde bene perfecto numero designantur, cum subditur:

Prædicationis ministerium non suscipiant, nisi qui castitate sunt insignes.

Luc. 12. 35.

Ducenta millia peditum, & decem millia virorum Juda.

Ibidem.

Contra impudicitiam qui sint expediti milites.

10. Peditum nomine electi figurantur, non cum alta prædicant, sed cum per bona exempla cælestis itineris rectitudinem aliis demonstrant. Pedites quidem gressibus currunt, quo producere arma volunt. Quid vero sunt exempla castitatis, nisi cælestium militum terris impressa vestigia? Nam ut vitia libidinum in lubricis feriant, ad cordium eorum tenebras, cum bonorum exemplorum luce festinant, & quasi gressu pervenientes, hostes perimunt, qui postquam per opera cognoscuntur corda peccatorum ad pudicitiæ bonum trahunt. Cum ergo per exempla castitatis in peccatorum cordibus tenebras immunditiarum destruunt, pedites recte nominantur. Et quia non solum prætextu corporalis munditiæ splendidi sunt, sed etiam luce cordis, ducenta millia esse perhibentur. In centenario quippe, & millenario numero, omnis decalogi summa concluditur. Perfecti ergo viri in ducentis millibus continentur: quia per divinam gratiam tam corporis continentia, quam integritate mentis ad summam pudicitiæ arcem pervenere. Tam enim in corpore, quam in mente habent perfectionem intentionis. Vel quia non remisse, aut negligenter Deo per pudicitiam serviunt, centenarium habent operis: & quia ei servire non desinunt, habent millenarium multiplicationis. Sed fortes & assidui sunt ad continentiam corporis, perfecti & instantes ad circumspectionem cordis perfectione virtutis. Talem quidem etiam viduam Apostolus esse precipiens, ait: *Ut sit sancta carne & spiritu*. Sancta quippe carne & spiritu est, si perfectione castitatis, qua fulget in corpore, fulgeat etiam in mente. Quod si viduæ tales sunt, quales esse jussæ sunt virgines? De illis namque pluribus, sub unius descriptione dictum est; *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato*.

Non minus curent de custodia cordis, quam de corporis continentia.

1. Cor. 7. 34.

Maxime Virgines.

Psal. 44. 10.

In eodem quoque Psalmo laudatur eadem regina, cum dicitur: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*. Quid est enim vestitus aureus, nisi decor, & honor corporis virginalis? Vestitus quidem dicitur; quia foris fulget in corpore: aureus autem, quia præcellit dignitate. Omnis autem metalli species auro inferior est. Sic nimirum omnis pudicitia alia, decori virgineo comparari non potest. Quid est ergo quod dicitur: *Omnis gloria filiæ regum ab intus*: si foris esse gloria vestitus aurei prędicatur? Si enim foris est aliqua magna aurei vestitus gloria, intus omnis gloria videri non potest. Quid est ergo, quod omnis gloria intus esse perhibetur, nisi quia & illa, quæ foris est, gloria, cum aliis innumeris intus esse cognoscitur? Aurea enim virginitas non est, si foris est, & intus non est. Quia ergo intus, & foris est, quia eadem splendet in corpore, eadem fulget in mente: omnis gloria filię regum intus esse sentiri convenienter potest. Omnis gloria intus est: quia foris sola, intus sola non est. Quia enim multæ sunt virtutum claritates in mente virginis, sic virgineus splendor asseritur, ut intus omnis gloria prędicetur. Hoc nimirum est, quod subsequitur: *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus*. Fimbrię enim aureæ sunt claritates a mente numquam deficientes. Fimbriæ quidem finales vestimenti partes sunt. Quæ idcirco in sponsæ Christi decore laudantur: quia nulla est virtutum gloria, si lucere ante vitę consummationem desistat. Regina ergo [a] amore dicitur, in vestituto aureo virginitas prędicatur. Sed omnis gloria intus, & in fimbriis aureis, & varietate circumamicta asseritur: ut innumeris virtutibus adjuncta integritas, usque in finem deduci sentiatur. Bene itaque, contra Amalech ducenta peditum millia recensentur, quia illi ad debellandos immundos spiritus idonei sunt per exempla castitatis, quia eam tenere didicecerunt & in luce operis, & in splendore circumspectionis.

Vers. 15.

Per fimbrias aureas, perseverantia in virtute designatur.

11. Quia item eruditi, ac perfecti sunt verbo Dei, decem millium virorum Juda numero demonstratur. Viri etenim sunt fortitudine, Juda autem prædicatione. Juda etenim, confitens interpretatur. Sed denario numero designatur: quia perfectionem doctrinę per gratiam Spiritus sancti consecuti sunt. Unde & Moysi decem Legis præcepta tribuuntur, quę Dei digito scripta sunt. Quid est enim digitus Dei, nisi Spiritus sanctus? Qui cum legem scripsit, hanc utique in decem præceptis edidit: quia etsi in ea carnale aliquid foris protulit, intus hanc spiritualis intelligentię perfectionem signavit. Decem millia igitur virorum Juda contra Amalech producenda sunt, ut fornicationis spiritus aptis viribus superetur. Lambit quippe suggestione, quia levia, & blanda consulit; sed res quas lambendo consulit, per cogitationum phantasias ostendit. Ergo ut mens obscena sibi a dæmonibus ostensa, non videat: electorum exempla revelanda sunt. Et ut eam suggestionibus turpibus immundus spiritus delinire non possit, lingua prædicatorum debet per pudicitię laudem tangi. Lingat hanc prædicator, ut malignus spiritus lingere nequaquam possit. Et hanc verbis oblectet: ne cui cęlestia desunt, hanc diabolus per suggestionum oblectamenta dilaniet. Contra duplex ergo bellum cordis, quia duplex est necessarium bonum auxilii, bene contra Amalech & pedites, & viri Juda parari perhibentur. Si quis autem alios per pedites, alios per

Fortitudine et doctrinaque præstent, qui vitiis carnis bellum indicunt.

Exod. 31.

[a] Gussanv. & Vatic. amor dicitur.

viros Juda vult intelligi, sensus aperte veritatis patet: quia summi doctores habent, qui docere nesciunt prædicatione, prodesse autem valeant opere. Sed jam recensiti ad tanta prælia audiamus, qua arte subsequenter dimicent. Sequitur.

Vers. 5.

Cumque venisset Saul [a] *usque ad civitatem Amalech, tetendit insidias ad torrentem.*

Pia prædicatorum stratagemata. Psal. 109. 7.

12. Quis hic torrens est, nisi ille, de quo per Psalmistam dicitur: *De torrente in via bibit*? Torrens quippe decursum nostræ mortalitatis designat. Saul ergo in torrente insidias tendit, quando prædicator Ecclesiæ æternis præmiis considerationem nostræ mortalitatis inserit. Ut enim lubricas animas quasi per fraudem capiat, modo cælestia loqui inchoat, sed repente ad exponendam æternarum pœnarum acerbitatem convertitur, ut securæ in carnis delectatione mentes terreantur. Quasi enim per fraudem educit, per insidias percutit, dum læta loquens, ad audiendum provocat, & mortis [b] tristitia inserit, ut audiant lubrici quod expavescant. Saul ergo ad Amalec civitatem venit, cum doctor munita per illicitum amorem corda peccatorum dulcedine æternæ jucunditatis attrahit. Sed insidias ei in torrente abscondit, quia mortis considerationem inducit; ut quasi ex insidiis erumpentem contra se militem peccator videat; & dum se velociter moriturum considerat, moram peccati tendere ultra pertimescat. Sequitur:

Vers. 6.

Dixit Saul Cyneo: Discede ab Amalech, ne forte involvam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum [c] *ascenderent de Ægypto.*

Meretricius copulæ usus conjugibus interdicitur. 1. Cor. 7. 3.

13. Quis est Cyneus, qui cum Amalech habitare cognoscitur, qui & discedere cogitur, ne cum eo pariter involvatur? Sed fortasse hic ille est, de quo dicit Apostolus: *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro.* Cui etiam nomen convenit: quia Cyneus, possidens dicitur. Qui profecto conjugati, quia conjugio obligati sunt, relinquere omnia non coguntur. Quid est ergo, quod Cyneo dicitur: *Discede ab Amalech*: nisi quia his verbis in conjugibus omnis obscenitatis turpitudo damnatur? Cum Amalech quidem conjuncti sunt, qui meretricio more junguntur. Quos discedere ab Amalec doctor præcipit, cum ad honestatem conjugalem eos revocare contendit. Quasi dicat: Si continere ab invicem non potestis, honorabile connubium vobis sit, & thorus immaculatus. Ab Amalech itaque discedere, est conjuges seipsis uti, non ad turpidinem meretriciæ obscenitatis, sed ad temperantiam honestatis, & ad fructum propaginis. Unde & idem Doctor egregius de vidua, quæ juxta ejus consilium sic permanere non potest, dicit: *Quod si se non continet, nubat, tantum in Domino.* Nec in Amalech, sed in Domino; ut quæ a nuptiis abstinere non prævalet, obscenos gestus in fœdere nuptiarum vitet. Cui etiam comminatur, dicens: *Ne involvam te cum eo.* Involvi peccatoribus, est æterna pœna damnari. Unde & de nequam servo in Evangelio Dominus dicit: *Ligatis pedibus & manibus, projicite in tenebras exteriores.* Modo ergo prædicatores auditores reprobos non involvunt: quia etsi verbum contemnunt, redire tamen ad pœnitentiam donec vivunt, cum volunt, possunt. Instanter ergo conjugibus conjugalis honestas imperanda est: quia valida mulctatione dicitur: *Abite, recedite absque læsione. Discede ab Amalech, ne involvam te cum eo.* Absque læsione quidem nunc, non tunc receditur: quia qui per omnia turpibus similantur, eorum læsionis expertes non erunt. Qui etiam fecisse cum filiis Israel de Ægypto ascendentibus misericordiam dicitur: quia infirmi sanctæ Ecclesiæ filii, dum perpetuæ continentiæ bonum servare nequeunt, conjugii miseratione suscipiuntur. Ab Ægypto quidem ascendunt: quia luxuriæ & fornicationis tenebras deserunt. Et misericordiam a Cyneo suscipiunt, quia conjugii indulgentiam promerentur. Unde & doctor gentium dicit: *Hoc dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Et quia sancta Ecclesia electis subditis bona, quæ loquendo exhibet, persuadet, sequitur.

Ibid. 3. Conjugalem honestatem prætergredientibus Deus æternam pœnam comminatur. Matt. 22. 13

1. Cor. 7. 6.

Ibidem.

Et recessit de medio Amalec.

Voluptatis tamen affectum vitare nequeunt.

14. De medio quidem Amalech discedit conjunx, de parte, non potest: quia etsi gestus vitat turpidinis, vitare non potest affectum voluptatis. Ignem quippe temperare per honestatem conjuges possunt. De medio igitur Amalech exeunt: quia etsi carnalibus desideriis omnino carere nequeunt, ipsum tamen carnis imperium, sub præcepto honestatis vinculo moderantur. Sequitur:

Vers. 7.

Percussitque Saul Amalech ad Evilat, donec veniret Sur, quæ est e regione Ægypti.

Concupiscentiæ fructus peccatum, angustia, tenebræ.

15. Evilat, parturiens, interpretatur; Sur, angustiæ; Ægyptus, tenebræ. Concupiscentia autem peccatum parit. Merito igitur parturientis nomine concupiscentia designatur. Propheta etiam impœnitentis cordis angustias incurrere metuens, obsecrat, dicens: *Ne absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Doctor ergo ab Evilat usque Sur Amalech percutit, cum in auditorum suorum cordibus vitia conceptæ delectationis comprimit, & finem deliberationis. Sur etiam percutit, cum eas mentes videtur ad pudicitiæ amorem trahere, quæ in luxuriæ fœtore proposuerant vitam finire. In angustia enim sunt, qui capti jam malæ consuetudinis laqueo constringuntur. Et notandum, quia Sur e regione Ægypti esse ostenditur: quia qui in luxuria vitam finire deliberat, modo in interioribus tenebris clauditur, a quibus ad exteriores perducatur. Sed etiam liber [d] iste claudatur, ut ad consequentis considerationem per silentium veniamus.

Psal. 68. 16.

Caput II.

Ex historia Saulis, qui bene cœpit, & non perseveravit, quid colligere debeamus.

Rex Saul, qui principia bona habuit, sed in bonis, quæ cœperat, nequaquam perseveravit, per sacræ historiæ textum ostenditur, ut in eo imitanda, & cavenda videamus. Sic nimirum & male cultas segetes carpimus, quæ ad messionem spinis admixtæ consurgunt. Bene quidem eas legere novit, qui sic curat spicas carpere, ut spinas studeat evitare. Sic dum horti cura negligitur, cum olere, quod reficit, nascitur vicia quæ pungit. Quasi enim male cultos agros ingredi caute discipulis præcipiebat Dominus, cum dicebat: *Super cathedram Moysi sederunt principes, & Pharisæi. Quæcumque dixerint vobis, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Quasi dicat: Quia mixta sunt acta, & verba reproborum, sic utendi sunt, ut in eis sumatur quod vivificat, vitetur quod necat. Hinc iterum prænuntians, dicit: *Venient ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Hucusque

Matt. 23. 2.

Ibid. 7. 15.

a Deest, *usque* in Gilot.
b Gilot. & Vatic. *mortis tristitia*.
c Gilot. *ascenderet de Ægypto*.
d Forte hic liber quintus absolvitur, & sextus inchoatur; adeoque caput præcedens libro quinto debetur. A communi tamen editorum omnium divisione recedere non licet, nullis mss. nobis prælucentibus.

usque ergo regem Saul strenue regni curam gerentem, libenter attendimus: contemtorem jam Dominicæ jussionis, in qoo vitari & abjici debeat subtiliter videamus. Nam sequitur:

Vers. 8. & 9. *Apprehendit Agag regem Amalech vivum, omne autem vulgus interfecit in ore gladii. Et pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum: & vestibus, & arietibus, & universis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quidquid vero vile fuit, & reprobum, hoc demoliti sunt.*

a Detestabilis inobedientiæ culpa.

2. Verbum Domini fuit: *Nunc vade, & percute Amalech, & demolire universa ejus. Non* [a] *parcas ei, & non concupisces ex eis aliquid.* Aperte ergo transgressor per inobedientiam extitit, quia implere præceptum Domini per superbiam recusavit. Dominus quidem Prophetæ præcepit, dicens: *Ne* B *parcas ei, & non concupisces ex rebus ipsius aliquid.* Hic vero & pepercisse, & omnia electa ejus concupisse ostenditur: ut dum transgressionis modus ostenditur, quam sit detestabilis inobedientiæ culpa, moostretur.

In Pastoribus lapsus carnis maximi. *Matth. 5, 13.*

3. Quod si carnis bella describimos, magnos esse lapsus regios invenimus. Unde & Dominus io Evangelio dicit: *Si sal evanuerit, in quo salietur?* Reges vero Ecclesiæ, ejus sunt prædicatores, sicut supra jam ostensum est. Quis ergo est Agag rex Amalech, nisi sensus carnalis? Nam cum ex anima rationalitatem, ac sensualitatem habeamus, rationalitas menti, sensualitas carni adscribitur: & per illam cum Angelis, per istam cum brutis animalibus convenimus. In illa quo altius extollimur, supernis civibus appropinquamus. Per istam vero quo ad carnis blandimenta dilabimur, carnaliores, ut ita dixerim, invenimur. Unde & visis & concupitis jam filiabus hominum, jam impletis in luxuria voluptatibus, de his qui puritatis merito filii Dei vocabantur, in Genesi Dominus minatur, dicens: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, eo quod caro sit.* *Genes. 6, 3.* Caro quippe homo efficitur, quando sensui carnis ratio subjugatur. Rex ergo Amalech vigor est sensus carnalis, qui motibus turpibus imperat, ut captivam rationem ad illecebras obscenitatis trahat. Bene autem carnali sensui nomen congruit Amalechitæ regis. Agag quippe, meditans, sive loquens interpretatur. Meditari quippe ei est, phantasmata lasciviæ interna meditatione colligere. Et loqui ei est, carnem motibus turpibus ad libidinem excitare. Quasi enim magnum clamorem locutionis habet, quia carnem pulsando ardentius commovet. Nam & meditando colligit, quod loquendo exponat: quia unusquisque carnali sensui subditus, quo liberios lasciviæ simulacra intus conspicit, eo validiores motus turpitudinis foris sentit. Meditatur ergo per internam visionem turpitudinis, loquitur ausem per exteriorem motum delectationis. Rex ergo Amalech loquens, & meditans dicitur; quia illis labentia blandimenta carnis excitare potest, quibus per turpes cogitationes illudit, & quos per experientiam blandæ motionis erudit. Sed notandum, quia quo liberius meditatur, eo & liberius loquitur: quia carnem eo fortius commovet, quo causas suæ commotionis intus impressas per cogitationem tenet. More etenim ignis quo attentios insufflatur, eo magis accenditur: quia si flatus immundæ cogitationis deest, ardor libidinosæ commotionis adesse non potest. Rex ergo Israel contra Amalech regem pugnat, cum doctor Ecclesiæ contra fornicationem disputat. Quem vi- A ctum capit, quando ad veniam conversos peccatores non solum pœnitentes, sed etiam confitentes accipit. Quasi ergo Amalech regem jam vinctum tenet, qui carnalem sensum, in conversis peccatoribus per amorem pudicitiæ, jam rationi subjectum videt. Sed quid est, quod vinctus vivit: nisi quia nonnulli sunt, qui propriis passionibus non moventur, sed auditis alienis obscenitatibus, moventur? Pugnantes fortes sunt, sed victores cadunt. Qui enim expugnatum regem vivum servavit, liquet quia in ejusdem belli triumpho capti sibi regis persona placuit.

Periculum est ne peccatorum confessionem excipientes, ad obscena, quæ audiunt, inardescant.

4. Quid vero aliud faciunt, qui ab aliis peccatorum confessionem recipiunt? Nam dum cogitant, quæ confitentes fecerunt, ad scelera, quæ audiunt, inardescunt. Nam sæpe dum audiunt, quibus se alii blandimentis obruerant, amare ipsi incipiunt, quæ jam eorum exhortatione morientes illi confitentur. Jam ergo in urbe sua victus, & captus est Agag, sed a victore servatur, cum quod detestatur a subditis, diligitur a prælatis: quia carnalis sensus in eis vigere incipit, qui in illis vigorem iniquæ dominationis amisit. Et quia dum Pastores currunt ad præcipitium, subjecti comitantur; rex vivum Agag cepisse dicitur, sed idem rex, & populus eidem regi, & quibusque Amalech optimis pepercisse memorantur. Pareere enim, affectæ mentis est, amore ejus cui parcit. Quod certe libidinis vitio convenit: quia ut placere incipit, mentem in sui amorem trahit. Quia etiam vehemens est virtus illius, statum habere non novit: quia nimirum cito perficit, si a se hanc cito e vigilans animus non expellit. Nam dum meotem invadit, se per innumeras turpitudinum cogitationes spargit. Unde & bene optimis gregibus & armentis, & Saul & populus pepercisse memorantur. Cogitationes quidem libidinum greges, & armenta dicuntur: quia & innumeræ sunt, & de contemplatione immunditiæ in reprobo corde pascuntur. Optimi etiam sunt, non probatione bonitatis, sed appetitu eligentis. In corde etenim reprobo, quia nihil diligitur carius, optimi greges dicuntur, quibus alia nulla compatantur. Sed optimi dicuntur pro cæcitate cordis, armenta vero pro reatu transgressionis. Reprobis quippe mentibus magnum non est, immunda cogitare: sed coram Deo [b] parvum non est, in templo Dei, hoc est in regenerato spiritu immunda reponere. Parcit ergo non solum ovibus, sed armeotis: quia qui per amorem libidinis, quasi parvas immunditiæ culpas aspicit, quasi parvis modo parcit, sed merita pœnarum parva non invenit. Possunt autem ovium nomine leviores luxuriæ cogitationes intelligi, armenta vero fortiores, & molestiores. Quibus otique rex & populus parcit, cum reprobus doctor, & subditi, tam levibus, quam fortibus immundæ cogitationis vexationibus substernuntur. Quid vero est parcere vestibus, nisi damnatæ jam menti immunda deliberare? Si enim aureus vestitus sponsæ virginalis gloria est, quæ sunt vestes Amalech, nisi fœda inquinamenta luxuriæ? Sed vestimenta dicuntur: quia eorum velamine E tam anima, quam corpus inficitur. Quia enim animam fœdat & corpus perpetratio luxuriæ, non vestis, sed vestes nominantur. Sed, ut dixi, parcere deliberare, per affectum meotis immunda diligere est. Infelix vero anima sic capta, sic illaqueata, quia miris impulsionibus ad deliberatam pravitatem perpetrandam cogitur, bene post oves, armenta, & vestes, arietibus pepercisse memoratur.

Libidinis vitium quam subtiliter serpat & mentem inficiat.

b Immundis cogitationibus templum Dei profanatur.

Quasi

a Gilot. & Vatic. *non parcas eis.*

b Vatic. & Gilot. *peccatum parvum.*

Quasi enim arietum cornua sibi in lenes libidinum ictus placent: qui hoc in se unum retinere nititur, unde ad immunditię mortem perforetur. Arietibus ergo parcit, qui præcipitationis suæ ictus gratanter recipit. Pungitur quippe, ut carnis suæ desideriis serviat: sed quod se fortiter pungit, leviter oblectat. Quia item per innumeros modos obscenitatis mentem libido [a] illicit, non solum his nominatis rebus, sed omnibus, quæ pulchra erant, pepercisse memorantur. Omnia, quę sibi immunda anima de luxuriæ voluptate [b] gratanter fingere cernitur, Amalech pulchra nominantur. Appetere hęc quippe nullatenus posset, si vehementer sibi eorum species non placeret.

Per innumeros obscenitatis modos libido mentem illicit.

Si pravis cogitationibus occurramus, facile libido superatur.

5. Sed quia casus victorum asseritur, dicitur: *Nec voluerunt disperdere ea*. Quasi dicat: Potuissent disperdere, si voluissent. Nam nil facilius, quam libido vincitur, si omnis immunda cogitatio devitetur. Tanto igitur facilius disperdi potest, quanto unusquisque cogitare alia, quam carnis oblectamenta potest. Quia enim duas simul res imaginari non possumus, dum quidquid est, aliud cogitamus, cogitare immunda non possumus. Celer ergo, & facilis victoria libidinis, est circumspectio cogitationis: si quoties carnalia obviant, ad aliquid omnium recurramus, quod libidinis non sit blandimentum. Hoc quidem facile stantibus, non lapsis facile dixerim: quia qui perpetratione peccati immundi spiritus servus efficitur, nec carnis cogitationes libere potest vitare, nec ad alias cito recurrere. De victoribus ergo dicitur: Noluerunt ea disperdere, qui potuerunt, quia ante casum a liberis facile peccata vitantur: sed si nolunt vitare, cum possunt, postea non possunt, si volunt, quia perfecte velle non possunt. Quibus utique per se Veritas dicit: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis*. Quasi dicat: Quia sponte liberi esse desiistis, potestatem adipiscendæ libertatis in vobis jam non habetis. Quid vero est, quod dicitur: *Quidquid vero fuit vile, & reprobum, hoc demoliti sunt*: nisi quia nonnulli majorum delectationum usu, minores fastidiunt? Reprobum quidem & vile eis est, quod electione eorum, quæ magis placent, vilipendunt. Quia enim delicatiora peccata expetunt, quędam reprobant: & quia pretiosiora peccata approbant, vilia minora putant. Bene ergo dicitur: *Quidquid vile fuit, & reprobum, hoc demoliti sunt*. Quia delicatiora peccata eligunt, & quæ minus placent, quasi inepta reprobant, & velut vilia contemnunt.

Qui peccata non cavent cum possunt, postea nec possunt, etiamsi velle videantur. Joh. 8. 36.

6. Ista vero omnia moraliter intellecta, libidinum pugnas atque victorias; sed ad historiam, superborum, & inobedientium tumorem designant. Nam præceptum a Domino Saul fuerat, ut Amalech sic deleret, ut alicui eorum non parceret, nihilque concupisceret. Qui ergo & Regi Amalech pepercisse, & optimis quibusque rebus asseritur, superbus & inobediens aperte monstratur. Sed forsasse præceptum contempsit: quia hoc a Propheta, non a Domino audivit. Qui certe sic prophetam audire debuit, ut auctoritatem attenderet, quam præmisit. Nam pręcepturus Propheta, ut Amalech regem percuteret, pręmisit dicens: *Hæc dicit Dominus*: ut pręceptum, quod per hominem audisset, quasi hominis despicere non auderet. Ne iterum ministerium ejus rex elatus vilipenderet, item præmisit, dicens: *Me misit Dominus ungere te in regem*. Quasi dicat: per illum tibi Dominus regale ministerium præcipit, per quem te in dignitatem regiam sublimavit. Tanto igitur humilius obedire debuit, quanto hunc esse a Deo missum apertius agnovit. Sed dum missum Prophetam sprevit, mittentem pariter Dominum contempsit. Unde subdit:

In Saule Samuelem non audiente, superbi & inobedientes arguuntur.

Factum est verbum Domini ad Samuelem, dicens: Pœnitet me, quod constituerim regem Saul: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit. Vers. 10. & 11

7. Ille Prophetę verba se non audire credidit, sed Dominus se derelictum conqueritur, dum verba sua opere non impleta ostendit. Nunc Ecclesiæ Dominus loquitur, dicens: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*. Qui ergo per inobedientiam a prædicatorum verbo discedunt, Dominum derelinquunt: quia ab illis recedunt, per quorum ministerium divinæ voluntati præsentes fiunt. Verba Domini tunc opere non implent: quia foris homines loquuntur, intus vero in hominibus Deus loquitur. *Non ergo ipsi sunt qui loquuntur, sed Spiritus sanctus*. In prædicatoribus ergo contemnenda non est foris vilitas carnis, quorum mentes tam dignanter incolit sublimitas deitatis. Quid est ergo, quod pœnitere Dominus dicitur, cum mutari affectibus non credatur? Sed quia cum mutabilibus summa immutabilitas loquitur, more eorum, quibuscum loquitur, dum pœnitere dicitur, displicere sibi superborum temeritas designatur. Pœnitere enim solemus, cum mala nobis illi retribuunt, quibus nos honores aut dona impendisse meminimus. Quia ergo more nostro omnipotens Deus de superbi regis ingratitudine queritur, dignitatem regiam contulisse se illi, pœnitere perhibetur. Quod profecto ad cumulum magnæ damnationis de superbis dicitur: quia quod sunt, jam non ad meritum, sed ad pœnam sunt, quia in voluntate Dei non sunt. Pęnitere ergo Dei, est voluntatem in reprobis non habere, cum a se honores impensos meminit, sed eos, quibus bona contulit, male uti bonis, quæ contulit, agnoscit. Hanc quippe pœnitentiam suam Deus verbis aliis per Malachiam Prophetam Judęis insinuat, dicens: *Non est mihi voluntas in vobis, & sacrificium non suscipiam de manu vestra*. Quantum ergo cavenda sit inobedientię culpa cernimus, si his verbis Domini, quam districte percutimur, attendamus.

Cum Pastori non obtemperatur, Deus despicitur. Luc. 10. 16.

Matth. 10. 20.

Deum pœnitere quomodo intelligendum sit.

Malach. 1. 10.

8. Nos autem in bello Amalech fornicationis pugnam descripsimus, qui nobis omnino deleri per sacra eloquia jubetur. Merito igitur de lapsis in carnis bello doctoribus intelligi potest, hoc quod Dominus queritur, dicens: *Pœnitet me, quod constituerim regem Saul: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit*. Verbum quippe ejus præceptum prædicatoribus est: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*. Qui ergo verbum in prædicatione habet, & in præcinctu castitatis non habet: loquendo, Dei esse cernitur, sed operando, Deum derelinquere probatur. Foris divina exequitur, sed occulte, dum in carnis voluptate resolvitur, verba Domini opere non implere declaratur. Dominum quippe dereliquit, mala proponendo: verba ejus non implet, prohibita præsumendo. Bene ergo dicitur: *Pœnitet me, quod constituerim regem Saul*. Quasi dicat: Quem præesse aliis tunc volui, modo nolo: quia quem humilem prętuli, nunc superbientem, & elatum transgressorem cerno. Quod nimirum de quibuslibet lapsis non dicitur: sed de his, quorum lapsus ostenditur, & pœnitentia nequaquam prævidetur. Nam de justorum casu scriptum est: *Septies in die cadit justus, &*

Constituisse Pastores, qui postea lapsi sint, ipsum præsertim pœnitet.

Luc. 12. 35.

Prov. 24. 16

a Vitiose in Vatic. & Gussl. *illicite*.

b Corrupte in Gussl. & Vatic. *gratantem*.

& resurgit. Eorum certe casus, quodam modo status eorum est: quia aliquando permittuntur cadere, ut semper valeant fortius stare. Permittuntur, ut in malis corruant, ne summa virtutum dona per elationem perdant. Hi profecto, etsi verba Domini quandoque non implent, a Domino non recedunt: quia ad tempus relinquuntur, ut æternaliter teneantur; & in modico desipiunt, sed post modicum resipiscunt. Dum ergo Saul non solum verba Domini opere non implesse reprehenditur, sed ipsum Dominum reliquisse; quos melius, quam lapsos, & impœnitentes significat? De quibus profecto per Prophetam dicitur: *Percusserunt fœdus cum morte & inferno*. Cum morte quidem fœdus percutere, est mala audacter perpetrare, & ea semper agenda promittere. Mala quippe indesinenter faciunt, sed diligendo quod faciunt, quasi a mortis amicitia se numquam recedere pollicentur. Hi quippe in mortis fœdere quanto insensibiliores fiunt, viscera matris Ecclesię tanto acrius miserando quatiuntur. Unde bene subjungitur.

Isa. 28. 15.

Ibidem.

Contristatusque est Samuel, & clamavit ad Dominum tota nocte.

De subditorum casu Pastores affligantur.

9. Samuel quidem contristatur, quia de perditione subditi summus prędicator affligitur. Et tota nocte ad Dominum clamat, quia pro restitutione lapsi divinam misericordiam devotis precibus obsecrat. Clamare quippe doctori, est pro peccatis subditorum magnis desideriis omnipotentis Dei misericordiam postulare. Qui tota nocte clamat, cum per affectum totam illius peccati caliginem suscipit, & pro ea, quasi pro proprio crimine, Deo pœnitens satisfacit. Tota ergo nocte prædicatori clamare, est totam subditi causam suscipére, & omnem caliginem peccati illius, devotæ compunctionis affectu destruere conari. Sed quid est, quod clamasse dicitur, & Dominum non respondisse; nisi quia ea, quam dixi, cordis impœnitentis caligo, in illa, pro qua clamat, Saul culpa signatur? Responderet quidem Dominus, si vocem clamantis exaudiret. Sequitur:

Vers. 12.

Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, quod venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem.

Eos occulta compassione plangant, & aperta increpatione percutiant.

Ephes. 5. 8.

10. Quidnam est peccatoris vita, nisi nox? Et quid justi lux aliud, quam dies? Unde & per Paulum conversis peccatoribus dicitur: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. De nocte autem prædicatori surgere, est ab alienę culpæ susceptione affectum mentis erigere. Quasi enim in nocte jacet doctor quando alieni peccati tenebras luget, quia ab alta innocentię suę securitate deponitur, ut in imo alienæ considerationis peccatorum caligo destruatur. De nocte ergo surgit, cum ab afflictione se erigit; & mane ad reum venire disponit, quia occulte per compassionem plangit, & aperta increpatione per zelum percutit. Nocte etiam luget doctor, sed mane ad arguendum venit: quia intus peccantem subditum diligit, sed palam errantem arguere nequaquam erubescit. Quasi enim mane lucescit, cum doctor aperire crimen, quod latet, incipit. Quid ergo est, quod in Carmelum venisse, & fornicem sibi triumphalem erexisse is, ad quem venit, asseritur; nisi quia profectus mali liquido prædicatur? Post inobedientiæ quidem culpam, triumphalem arcum, vel fabricam erigere, est mala agere, & de eorumdem malorum perpetratione superbire. Quasi enim triumphalia signa erigunt, quando cum

Peccati fomitis gradus, de ipso superbire.

quadam ostentatione ea proferunt, quibus aliis se excellere arbitrantur. Quod certe tam arrogantibus, quam lubricis doctoribus convenit. Illi quidem, dum magna dicunt, se in sublime ęstimationis erigunt; & quales se intus aspiciunt, per jactantiam & ostentationem foris innotescunt. Cumque & illud, quod per se alii proficiunt, ad favorem propriæ laudis trahunt, quid aliud videntur agere, nisi altum victorię signum insigni titulo demonstrare? Nonnulli vero & cum turpiter vivunt, & honestissime loquuntur, considerant verborum honestatem, non tamen reputant proprię vitæ turpitudinem. Cum ergo non rebus operum, sed splendore verborum apparere gestiunt: nimirum triumphalem arcum fabricant, in quo se quasi victores extollant. Et quia turpium verbo, turpes plerique alii resipiscunt, post expugnatum Amalech, eis in Carmelum venire est, & fornicem triumphalem erigere, de extincta in subjectis libidine, inaniter coram simplicibus gloriari. Carmelus quidem, mollis, sive tener interpretatur. Qui enim teneri hujus nomine, nisi in sancta conversatione rudes intelliguntur? Qui etiam molles vocantur, nisi qui adhuc per usum virtutis non sunt in inchoata bonitate solidati? In Carmelo igitur signum victoriæ erigunt: quia rudibus & debilibus se ostendunt, ne a peritis fortibus, quales in veritate sunt, inveniantur.

Quorumdam doctorum jactantia & ostentatio.

11. Hi enim non in verbis, sed in operibus fulgorem victorię quęrunt: quia arbores non in decore foliorum judicant, sed in sapore pomorum probant. Unde & Dominus docens, ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Quia ergo laudari inaniter appetunt, quia probatissimorum virorum judicia fugiunt, & rudibus, ac debilibus aliud, quam sunt, se esse mentiuntur, Saul in Carmelum venisse, & fornicem sibi triumphalem erexisse dicitur. Quid vero est, quod in Galgala transit, nisi quia eo modo, quo se simplicibus & religiosis ostendit, in religiosis & doctis innotescere appetit? Galgala quippe, ut jam multoties dixi, rota nominatur. Quidam vero intra sanctam Ecclesiam & eruditi in sacra Scriptura sunt, & religiosi non sunt; quia virtutem Scripturæ, videlicet caritatem, non habent. Qui dum loquentes facundos viros & carnales audiunt, verba, quę sciunt, admirantur. Sed discutere non possunt eorum occulta, quæ nesciunt. Bene igitur Saul in Galgala transire dicitur: quia qui favorem de facunda locutione quærunt, id quod cupiunt, non apud eruditos religiosos, sed apud simplices & rudes, aut apud irreligiosos sapientes inveniunt. Sed summi viri cum reprobi bona docent, electis subditis magis timent: ne quos lingua ædificant, mane, id est operatione pervertant. Quia ergo diu in ministerio prædicationis lubrici doctores dimittendi non sunt, apte illatum est:

Non in verbis sed in operibus victoria laus posita.

Matth. 7. 20.

Ibidem.

Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocaustum Domino, initia prædarum, quæ attulerat de Amalech.

12. Venit quippe ad Saul, ut superbum deponat, quem humilem ad regni culmen extulerat. Quem qualis erat, invenit: non qualem se superbiæ signis ostenderat. Quid est ergo, quod holocaustum Domino Amalech primitias offert, nisi quia nonnulli & prave vivunt, & placere se Deo per aliorum profectum arbitrantur? Et quia non parum placere credunt Deo, quod offerunt; non sacrificium aut victimam, sed holocaustum offerre perhibentur. Initia vero prædarum dicuntur, ut in Samuele summi

A vero bono tum a se eo doctores, qui cum male vivunt, de subditorum profectu sibi blandiuntur.

mi, & electi antistitis vigilans studium designetur, a quo malorum principia velociter comprimuntur. Quasi dicat: Valde festinus occurrit, quo absente nec initium holocaustorum habere liberum potuit. Possunt initia prædarum intelligi electa quæque de prædis. Quæ aperto ore lubrici, sed occulta cæcitate percussi offerunt, quando inde se placere Deo credunt, quod in auditoribus suis ea perimunt, quæ in se vivere permittunt. Quasi enim indiscrete offerentem apertius reprehendens dicat: Illud vivum offerebat, quod melius offerret extinctum. Nam si juxta verba Domini prædam omnem in Amalech extingueret, holocaustum omnino acceptabile omnipotenti Deo obtulisset. Sic nimirum & doctor lubricus, si cuncta blandimenta carnis, quæ loquendo reprobat, volendo B reprobaret; holocaustum combureret, quod reprobari non posset. Quid est ergo, quod dicitur, quia, *Offerebat prædarum initia, quæ attulerat de Amalech*: nisi quia cæci cordis caligo damnatur, quod sic de co reputat, quod prodest aliis, ut videre negligat, quod obest sibi? Quasi dicat: De illo quasi victor gaudebat victor in aliis, quod in se vivum & invictum portabat. Et quia plerumque tam dementer insaniunt, ut etiam ipsis electis & summis prædicatoribus prætextum virtutis offerre conentur; sequitur:

Vers. 13. *Et dum venisset Samuel ad Saul, dixit Saul: Benedictus tu a Domino, implevi verbum Domini.*

Impudici sua flagitia latere falso credunt.

13. Verbum Domini fuit, ut Amalech delere C debuisset. Quid est autem, quod dicit: *Implevi verbum Domini*: nisi quia culpa fornicationis quo fœdior cernitur, eo a reprobis studiosius occultatur? Quia ergo ii, qui eidem fornicationis vitio subjecti sunt, semper latere appetunt, in eorum typo & Amalech Saul demoliri despexit, & ad Samuelem dixit: *Implevi verbum Domini*. Quasi dicat: Et in altis libidinem domui, & in meipso ejus blandimenta peremi. Et quia blanda adulatione summi viri flectere mentem nititur, præmisit, dicens: *Benedictus tu a Domino*. Quasi dicat: Hoc quidem ego egi, sed agere non meis viribus, sed tuis meritis, & intercessionibus potui. Sed perfecti viri audire laudes suas possunt, a rigore autem justitiæ flecti nequeunt. Quare & subditur: D

Vers. 14. *Dixitque Samuel: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?*

Palam voce publicantur.

14. Vox gregum & armentorum Amalech, fama turpitudinum est. Quando de minoribus luxuriæ culpis quilibet diffamatur, vox gregum resonare dicitur. Quando item de criminosioribus & obscenioribus accusatur, vox armentorum. Quasi sub falsæ virtutis suæ simulatione reconditum denudet, dicens: Tu te proprio ore justificas; sed immunditiarum tuarum turbæ per omnium ora clamant. Sed jam qui excusationes prætendere cœpit, quibus defensionibus objectæ infamiæ crimen evadat, videamus. Sequitur:

Vers. 15. *De Amalech adduxerunt ea. Pepercit populus melioribus ovibus & armentis, ut immolarent Domino Deo tuo: reliqua occidimus.*

Peccata sua dissimulantium vana effugia.

15. Quid est quod ait: *De Amalech adduxerunt ea*: & non dixit, Adduximus? Sed quando probi arguuntur, culpas aliquando negando tegunt, aliquando in alios transferunt. Tegunt quidem negando, cum latere possunt: sed dum quasi in aperto deprehensi tenentur, quod negare nequeunt, aliis adscribunt. Horum siquidem mores Saul insinuans, ait: *De Amalech adduxerunt ea. Pepercit populus melioribus ovibus & armentis*. Quasi dicat: Malum, quod auditur, ex populi fragilitate pensandum est, non ex virtute Pastoris. Peccata quidem subditorum in prælatorum comparatione despicienda sunt. Dicit ergo: *De Amalech adduxerunt ea*. Quasi dicat: Hoc, quod de turpi vita resonat, verum est, sed tamen eadem turpitudo in parvulis viguit, non in magnis. Adhuc item eamdem culpam levigans, ait: *Pepercit populus melioribus ovibus & armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo*. Quasi dicat: Vere peccavit populus, sed non ad mortem: quia peccata operis, jam, me exhortante, delere nititur humilitate confessionis. Greges quippe Amalech, & armenta Domino immolantur, quando lubrici & incontinentes ad confessionem veniunt, & quod nequiter egerunt, pœnitendo delere satagunt. Dicit ergo: *Pepercit populus*: id est peccato indulsit. *Sed adduxerunt ea, ut immolarentur*: quia in quibus se cecidisse populus recolit, jam se confitendo & pœnitendo compungit. Meliores vero greges & armenta, ut supra, electiora peccata luxuriæ designantur. Quasi dicat: Et si graviter deliquit populus, arguendi non sumus: quia pro magnitudine criminis habet lamenta compunctionis. Quid est, quod ait: *Ut immolarentur Domino Deo tuo*? Sed fallacium per hoc consuetudo ostenditur, qui dum summis viris latere appetunt, adulantur. Quid enim est, quod Deum suum singulariter asserit, nisi quia eum familiarem Dei amicum ostendit? *Domino*, inquit, *Deo tuo*. Non meo, sed tuo: quia ego peccator, tu singulariter sanctus es. Sed mirabili usu fraudis fallaces sic se tegunt, ut proferant: & justificant, ut accusent. Accusationis quoque modum sic temperant, ut accusando justi appareant, ne excusando innotescant. Dum enim suum Deum dicit, illum quidem extollit, se minuit. Sed dum adducta ab Amalech asserit, quæ Domino immolentur; tacite profert non unde reprehendi debeat, sed laudari. Et adhuc addens, dicit: *Reliqua vero occidimus*. Occiduntur quidem peccata, quæ dimittuntur. Viva quidem peccata sunt, quæ aut in mente adhuc per concupiscentiam regnant, aut quæ per conversionem contempta, sed per pœnitentiam adhuc non sunt deleta. Illa quidem vivunt adhuc ad voluptatem, ista vivunt ad pœnam: quia etsi jam peccare desivimus, nisi commissa plangamus, commissorum obligatione retinemur. Sed majora minoribus, leviora majoribus tribuit. Nam quid est, quod dicit: *Reliqua occidimus*: nisi quia sunt parvissima peccata majoribus, quæ sola confessione lavantur? Quæ doctores occidunt, quando humiliter confitentibus apostolica auctoritate dimittunt. His enim verbis omnibus, quia se fallaces tegere nituntur, non prodere, qua electorum prædicatorum auctoritate reprobentur, adjungitur:

Incontinentiæ remedium, confessio.

Vivunt peccata, quamdiu per pœnitentiam non delentur.

Occiduntur, cum confitentibus apostolica auctoritate dimittuntur.

Vers. 16. *Dixit enim Samuel ad Saul: Sine me, indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte.* E

Peccatores Pastorum constantiam adulationibus frangere conantur.

16. Quid est, quod ait: *Sine me, & indicabo tibi*: nisi quia dum fallaces verbositati insistunt, examinantibus prælatis loquendi locum non tribuunt? Quasi dicat: Dum a verbositate non desinis, ea quæ audire debes, loqui me non permittis. Potest etiam hoc verbo adulatoris intentio derideri; qui dum blandimento laudis placere se credit, eos quos laudat, se quasi tenere eisdem laudibus arbitratur. Tale est ergo ac si laudatorem suum electus præsul honesta gravitate derideat, dicens: Qui me laudas,

das, loqui tibi dura non possum. Sine ergo, id est permitte me loqui, & ea quæ sum locuturus, intellige. Et quia ut dixi, placere se laudando adulatores credunt, audire ab eis dura, quos laudant, nequaquam putant. Quasi ergo jam læta & prospera auditurus, subsequitur Saul dicens: *Loquere*. Sed electi viri, cum laudes suas audiunt, inter fomenta laudis a rigore justitiæ non mollescunt. Nam qui reproborum acta despiciunt, excipere verba nequaquam possunt. Quia ergo flecti laudibus nequeunt, laudatores improbos & subtili ratione discutiunt, & districtis sententiis insequuntur. Unde sequitur:

Quibus non cedendum.

Vers. 17. 18. 19.

Et ait Samuel: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Unxitque te Dominus in regem super Israel; misitque te Dominus in viam, & ait: Vade, interfice peccatores Amalech, & pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum. Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini?

Sic arguendi sunt, ut nullus relinquatur effugiendi locus.

17. His quippe verbis superbi regis inobedientia subtiliter examinatur: quia ei prius dona collata objicit, deinde audaciam transgressionis per ejusdem culpæ exquisitionem ferit. Subtilis namque examinatio est, quando sic versutus quisque peccator discutitur, ut ei culpæ excusatio nulla relinquatur; ut hunc ad mortem flagitii quasi vinctum Dei sententia teneat, cui peccati confugium nullum restat. Ut ergo omnis via fugiendi fallacibus superbis obstruatur, memorantur ei & sublimitas dignitatis & modus ministerii, cum dicit: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es: & ait tibi Dominus: interfice peccatores Amalech?* Et ut circumdatum jam & obsessum ratiocinationibus capiat, manum culpæ injicit, dicens: *Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, & fecisti malum coram oculis Domini?* Quasi dicat: Ecce quid eras, quid factus es, quid debuisti facere, ecce quid fecisti: ecce quantum ab eo, quod debuisti exercere, recesseris. Dum ergo intulit, dicens: *Quare fecisti malum in oculis Domini?* quasi fallacem reum circumdando comprehendit.

Sæpe qui crescunt dignitate, elatione decrescunt.

18. Sed in hoc loco notandum est: quia dum rex superbus arguitur, electionis ejus tempora memorantur: ut tumor cordis sentiatur, non adfuisse eligendo, sed ex culmine crevisse prælato. A Domino quidem bonus electus est, sed dum crevit ex culmine decrevit elatione. Dicit ergo. *Dum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es: modo versus ad prædam, fecisti malum in oculis Domini.* Quasi dicat: Per veritatem humilitatis regnum promeruisti, sed nunc prætextu humilis, veritate tumidus regnum perdis. Quid enim sunt oculi cordis, nisi aspectus rationis? Nam qui integros visus rationis habet, perfecte illuminatus est. In oculis ergo suis est humilis, qui se perfecte respicit, & humilem perfecta visione cognoscit. His ergo verbis lapsi regis non solum præterita humilitas, sed etiam rationis acuitas commendatur: quia videlicet tantus erat ratione, ut se perfecte cognosceret; & tantus virtute, ut se subtiliter intuens, vere humilem videret. Quia igitur cum arguitur, ejus præterita memorantur, quid aliud, quam his, quæ habebat, carere describitur? Nam superbire nequeunt, nisi qui prius oculos cordis perdunt. De libidinosis vero valde clarius constat: quia in fornicationis baratro se numquam obruerent, si a luce intimæ glo-

Superborum & libidinosorum excæcatio.

riæ non ante caligarent. Qui quia alta pudicitiæ præcepta contemnunt, etiam tumoris arguuntur. Qui ergo deponere præpositum regem venerat, dicit: *Cum esses pa vulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es: nunc fecisti malum in oculis Domini.* Quasi dicat: Superbus modo, & cæcus juste deponeris, qui priùs videns & humilis regnum sortiri meruisti. Nam & superbi Pharisæi ab ipsa veritate cæci nominantur, quæ ad discipulos ait: *Sinite eos: cæci sunt, & duces cæcorum.* Quæ utique cæcitas specialiter libidinosis adscribitur: quia nulla sunt vitia, quæ spissiores tenebras menti ingerant, quam libido. At nunc plerosque videas stetisse Clericos, Sacerdotes corruisse. Quibus certe per Samuelis imperium dicitur: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Quasi dicat: Cum in minori ordine illuminato corde pudicitiæ præcepta servaveris: nunc, amissis oculis, in fornicationis baratrum corruisti. *Ad prædam versus es*, quia divina præcepta violenta præsumtione rupisti. Quia enim prohibente, & quasi minis armato & obstante Deo, ad violandum sacrarium castitatis irrumpunt: quasi per rapinam prædę, Amalech electa ad Domini terram ducunt. Et quia quantum possunt, lubrici prædicatoribus absconduntur, in conspectu Domini malum Saul fecisse reprehenditur. Quasi enim minans & terrens prædicator in carnis voluptate lapso dicat: Crimen immunditiæ hominibus quidem absconditur, sed videnti omnia non cælatur. Hæc quidem & his similia cum impœnitentes audiunt, terreri nequaquam possunt. Unde etsi jam ratiocinatione capti sunt, velut angues per lubricum dilabi a tenentis se manibus satagunt. Caudam proferunt, caput abscondunt: quia videntur jam extrema operum, sed earumdem tegitur qualitas actionum. Unde & sequitur:

Matt. 15. 14.

Nulla vitia spissiores tenebras obducunt, quam libido.

Plurimi sacerdotes pudicitiam, quam clerici coluerunt, amittunt.

Et ait Saul ad Samuelem: Immo audivi vocem Domini, & ambulavi per viam, qua misit me Dominus: & adduxi Agag regem Amalech & Amalech interfeci.

Vers. 20.

19. Quasi enim occulta tegens, aliorum discooperta proferens, sed lubricus doctor de profectu prædicationis commendat, dicens: de subditorum culpa reprehendi non debeo, sed laudari, quam in delinquentibus prædicando delevi. Amalech percussi: quia fornicationis spiritus in auditorum meorum cordibus linguæ meæ gladio corruit. Rex etsi vivit, adductus est: quia etsi sensus carnis quamdiu sumus in carne, omnino perdi non potest, captus est, ut capi potuit: quia prævalere rationi non potest. Ipsos subditos correptos, & peccata confitentes ostendere gestiens, subjunxit, dicens:

Eorum artes, ut sua peccata tegant.

Tulit autem populus de præda oves & boves, primitias eorum, quæ cæsa sunt, ut immolaret Domino Deo suo in Galgalis.

Vers. 21.

20. Quando armatorum violentia alicujus aliquid proprium tollitur, præda nominatur. Vitia autem carnis & animæ, quia diabolo suggerente propagantur, ejus velut proprium sunt. Quisquis ergo in se nuper remissus, nunc autem violentus vitia destruit, prædam facit: quia quæ aliena sunt, potenter rapit. Et notandum, quia *cædere & præda* dicitur, ut alia mortua relicta, alia viva delata esse doceatur. Cæduntur quidem oblectamenta libidinis, quando virtute supernæ intentionis depelluntur a corde, & contritione spiritus reciduntur a corpore. Sed viva ad immolandum deducuntur: quia et conversione peccatoris, carnis aut mentis delectamentum deseritur, pœna præteritæ delectationis penitus non deletur. Cædantur ergo vi-

Qui peccata deserunt, nec tamen plangunt, arguuntur.

tia, primitiæ vivæ ad immolandum nullatenus serventur: ut qui vim peccati in contemtum oblectationum potenter perimit, vivere sibi ad immolandum timeat pœnam delectationis. Primitię ergo cæsorum quid sunt, nisi delectationes peccaminum? Has quidem offerre dicitur, qui coram Deo sacerdotibus confitetur. Et oblata immolantur, quando eorum pœna pœnitendo destruitur. Quasi enim in primitiis cæsa offeruntur, & per posteriora vivunt: quando aliquis peccata confitetur, & immolare, hoc est coram Deo mactare pœnitendo non nititur. Dum ergo cæsorum primitiæ reservari ad immolandum dicuntur, quorumdam error confunditur, qui peccata deserunt, nec tamen plangunt. Quia ergo non solum confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentię austeritate delenda, dum boni doctoris Saul typum simulat, subjectos suos cęsorum primitias immolandas tulisse asseverat. Qua etiam ratione Scripturarum modus pœnitentiæ decernendus est, in Galgalis primitię immolandæ deducuntur. Boves autem non solum, sed & oves ad immolandum servantur: ut qui circa salutem suam solliciti sunt, sic delere pœnitendo magna studeant, ut minora plangere non omittant. De superbis autem manifestum est: quia cum semper magni videri appetant, notari peccatores erubescunt. Deprehensi etiam resistunt, & in his etiam justi apparere cupiunt, quę agunt. Quid est ergo, quod ait: *Imo audivi vocem Domini?* Samuel autem dicit: *Sine me, & indicabo tibi, quid locutus sit mihi Dominus nocte.* Et post pauca: *Quare versus ad prædam es, & fecisti malum coram oculis Domini?* Patet ergo, quam mirabiliter tumeat, qui tunc se justificare appetit, quando Dominum se reprehendere de peccato recognoscit.

Coram Deo confessio sacerdotibus fit.

Ex Scripturarum ratione modus pœnitentiæ decernendus. Non solum majora, sed minora etiam peccata lugenda.

21. Si vero idcirco sic respondisse creditur, quia verba Prophetę, non Domini esse crediderit, sed Prophetæ: videmus adhuc imitatores Saul, qui dum in propria eruditione confidunt, majorum jussa quæ audiunt, & per rumorem despiciunt, & meliorare permutando credunt. Quid est ergo, quod dicit: *Immo audivi vocem Domini, & adduxi Agag regem Amalech?* Sed tale est, ac si dicat: Et quod præceptum fuit, implere studui, & quod minus erat supplevi. Agendum fuit, ut Amalech percuteretur: sed quia, Deo auxiliante, vincitur, supplendum erat, ut quæ in ejus immolarentur sacrificio, servarentur. Quod aperte in superbis apparet: quia cum apertas culpas celare non possunt, permutare aut minuere conantur. Quasi dicat: Et si judicas apertas culpas operis, attendenda est occulta simplicitas intentionis. Culpa quidem esset de Amalech aliquid afferre, nisi allata Deo deberent immolari. Hoc quidem sæpe in monasteriis accidit, cum quisque nimis religiosus subditus spiritualium prelatorum imperiis adjicere pręsumit: cum regularem communem vitam despicit, & proprię sequitur arbitrium voluntatis. Dum enim meliorare vitam eligendo, quam obediendo nititur, quid aliud quam apertam inobedientiam intentione virtutis colorare monstratur? Quem profecto locum non solum subditi, sed etiam prelati intueri subtiliter debent. Subjecti quidem notare subtiliter debent: quia ex eo Saul Deo displicuit, quod Deo immolare pręter Prophetæ præceptum tentavit. Subtiliter notent pręlati: quia demoliendi Amalech Propheta regi pręceptum dedit. Sic enim debet doctor laudare communia, ut singulorum propria non contemnat. Illa quidem communis vita laudatur, quæ ca-

Eorum qui majorum jussa in melius commutare putant, præsumtio.

Id sæpe in monasteriis accidit.

Et non apertam inobedientiam debet habere.

Quam in regendis animabus regulam servare debeant prælati.

A ritate conjungitur, vitiis mediantibus non fuscatur. Apostoli quidem sententia est: *Quia unusquisque proprium donum habet a Deo, unus quidem sic, alius vero sic.* Quorum ergo cibi & mensa communes sunt, debent attendere non solum commune bonum refectionis, sed proprietatem passionis: ut pariter comedant, sed contra fornicationis stimulos certare per abstinentiam pariter non contendant. Ejus vero caro amplius domanda est, cui carnis stimulus magis infestus est. Jam ergo non excitare communis est vita, ubi communitas refectionis attenditur, sed contra singularem pugnam pugnare singulariter perhibetur. Nec doctor bene pręcipit, si non præcipit, unde Amalech percutitur, sed unde vivit. Præcipiat ergo doctor,

1. Cor. 7. 7.

B sed ut fornicationis spiritus superetur. Non obedire subjecti refugiant, sed ubi superbiæ crimen incurritur, non unde baratrum mortis devitatur. Inobedientes autem dum tumenti corde majorum jussa non faciunt, cum meliorare quod eis injungitur, conantur, sua opera Deo offerre dum cupiunt, semetipsos tollunt. Nam per alias virtutes nostra ei impendimus, per obedientiam nosmetipsos exhibemus. Samuel ergo subjungens, ait:

Per obedientiam nosmetipsos, per alias virtutes nostra Deo consecramus.

Vers. 22.

Numquid vult Deus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?

22. Quid enim sunt bona electorum hominum opera, nisi victimæ & holocausta? Cum ergo holocausta & victimas per legem offerri Dominus

C præcepisset, quid est, quod Dominus holocausta, & victimas nolle dicitur, velle autem ut ei obediatur, pollicetur: nisi quia quæ pręter obedientiam fiunt, holocausta & victimæ non sunt? Quasi dicat: Tunc bona opera, quando a præpositorum conscientia non discordant. Si vero hoc ideo dicitur, ut virtus obedientiæ commendetur; liquet, quam sublime bonum sit, quod victimis & sacrificiis excellit. Quod est ergo, quod dicitur: *Vult ut obediatur voci Domini*: nisi quia omnia bona opera postponenda sunt his bonis, quæ jubentur? Nam cum bene prelati jubent, bona quę ex arbitrio subjecti eligunt, prælatorum imperiis postponuntur. Ipsa vero opera illis postposita, holocausta & victimæ nominantur, ut non solum sentiantur non esse conferenda majo-

Quæ citra præpositorum conscientiam fiunt, a Deo reprobantur.

Holocaustis & victimis præstantior obedientia.

D rum imperiis, minorum parva, sed maxima holocausta quidem eorum sunt, qui se omnino subtrahere volunt a publico opere, ut Deo se totos per amorem combustos offerant in secreto contemplationis. Victimę sunt eorum, qui se a communi publico nequaquam separant, sed singulari virtute agunt, ut virtutes aliorum districtius vivendo transcendant. Hæc quidem, & hujusmodi cum bonorum Rectorum permissione aguntur, victimę & holocausta sunt, quæ Deus probat: cum vero sic fiunt, ut per ea majorum præcepta negligantur, audiant qui offerunt, quid a Domino missus ad inobedientem regem Propheta loquitur: *Numquid vult Deus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?* Quasi jussa patrum velut minora

E despicientes, & sua quasi majora exhibentes terreat, dicens: Hoc quia magnum agere putatis, parvum, & abjectum despicitis; sed si aperte cernitis, per hoc Domino non placetis. Bene autem, dum superborum opus discutitur, Propheta acute exquirit, dicens: *Numquid vult Deus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?* Exquirit siquidem, ut superbiæ tumor pastorali auctoritate feriatur. Dicit: *Numquid vult Deus holocausta & victimas?* Quia qui sequi propriam volun-

Propriam voluntatem majorum jussis præponentes feriuntur.

tatem

tatem eligunt, Deo placere se putant: sed Deus eorum opera, cum magna & ingentia sunt, nequaquam probat. Sed jam quibus laudibus obedientia prædicanda sit subjunait, atque ait:

Ibidem.

Melior est enim obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.

Magnis jejuniis & compunctioni præponitur obedientia.

23. Quia enim superius ait. *Numquid vult Deus holocausta & victimas?* Numquid utrumque obedientiæ laudibus subjiciens, dum victimas & arietum adipem posuit, in adipe holocaustum intellexit? Quidquid melius ast, bono utique melius est. Illa autem holocausta & victimæ, quas oon vult Deus, bona minime sunt. Quid est ergo, quod in obedientiæ laudes dicitur: B *Melior est obedientia, quam victima, & auscultare; quam offerre adipem arietum*: nisi quia tutte obedientia melior est, cum holocanstum & victima mala non est? Quasi ergo superbientes, inobedientesqua ad tanti boni considerationem reducat, dicens: Et si nil a vobis per præsumtionem fieret, obedientiæ virtus operibus, quæ eligitis, meliot esset. Liquet argo, quo sita sit culmine, quam divinis oblationibus Propheta vidit altiorem. Quod si, ut supra, spiritualem sensum sequimur, victimæ ad magnæ conversationis ansteritatem, holocausta ad compunctionem vitæ secretioris referenda sunt. *Melior est enim obedientia, quam victima, & auscultare magis, quam offerre arietum* C *adipem*. Quia longe altioris mariti est propriam voluntatem alienæ semper voluntati subjicere, quam magnis jejuniis corpus atterere, aut per compunctionem sa in secretiori sacrificio mactare. Quid est enim adeps arietum, nisi pinguis & interna devotio electoris? Adipem ergo arietum offert, qui in studio secretæ conversationis devotę orationis affectum habet. *Melior est tamen obedientia, quam victimæ, & quam offerre adipem arietum*: Quia qui perfecte voluntatem præceptoris sui implere didicit, in cælesti regno, & abstinentibus & flentibus excellit. Hoc certe, quia contra superbientem, atqua aperte Domini mandata contemnentem dicit, non confert bonum, quod fecit, bono quod contemsit: sed boni simulatio- D nem destruit, melioris boni ostensa veritate. Quasi dicat: Et si pro eacellentiori virtutum gloria excellens bonum quærebas, bonum obedientiæ, quod eacellentibus etiam axcellit, eligere potius debuisti. Sie profecto loquens simulationem boni argumentando destruit; sed subjungendo, parens inobedientiæ malum aperte confundit, dicens:

Ibid. 23.

Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.

Ariolis & idololatris cur inobedientes similes fiat.

24. Quidnam est, quod ariolis & idololatris, repugnantes, & acquiescere nolentes a Propheta a simulantur, nisi quia arioli divina cognoscere atque absconsa divinare nitebantur: idololatræ E autem figmentis se venerando subdidere? Qui autem repugnant prælatorum imperiis, ideo utique repugnant, quia divinam voluntatem se scire melius æstimant. Quasi ergo peccatum ariolandi est, repugnare: quia velut contemto divino altari, ad aras dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinventionibus credunt, & salubribus prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur. Nolle autem acquiescere, idololatriæ sceleri simile dicitur: quia nimirum in inobedientiæ suę obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde, quasi idolum non gestare*. Dum enim agenda in corde concipit, qua- A si idolum facit, & dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulacrum se inclinat. Quasi ergo scelus idololatriæ est, nolle acquiescera: quia quisquis in propria deliberatione obstinatus est, idcirco foris in majorum contemtum erigitur, quia intus eis, quæ fingendo statuit propositi sui simulacris, incurvatur. Sed quærendum valde est, cur repugnare ariolandi peccato, & nolle acquiescere sceleri idololatriæ comparatur. Scelus quippe nonnisi magnum peccatum dicitur; peccatum vero atiam, quod leve est, nominatur: sed si ab ara dicebantur arioli, eo quod responsa percipere B consulendo consueverant, idololatriæ peccatum in ejus comparatione scelus erat: quia dementius erat lapides adorare, quam sub specie divinorum falsa bene vivendi responsa percipere. Cur ergo repugnare peccatum per similitudinem esse dicitur, acquiescere autem nolla scelus? Sed repugnare, est ab imperantis voluntate dissidere. Plerique autem ad horam repugnare videntur, dum statim præpositorum imperia non recipiunt, qui tamen eisdem imperiis post modicum acquiescunt. Nolle autem acquiescere, quid est nisi & injunctæ obedientiæ repugnare, & in ejusdem repugnationis obstinatione persistere? Non enim acquiescunt, qui in cordis sui proposito invincibiles sunt, & C quæ decernunt agere nullius auctoritate prætermittunt. Merito igitur in comparatione repugnandi scelus nolle acquiescere dicitur, quod majus valde, atque horribilius peccatori esse videatur. Quia ergo qui hujusmodi sunt, rationibus non vincuntur, qua pœna cohibeantur; Propheta intulit, dicens:

Scelus magnum peccatum significat.

Arioli unde dicti.

Ibidem.

Pro eo quod abjecisti sermonem Domini; abjecit te Dominus, ne sis rex.

Inobediens verbum Dei abjicit.

25. Quid est enim, quod Saul abjicitur, nisi quia incorrigibilis judicatur? Quasi ergo dicat: Quia cuncta salutis consilia respuis, pro culpa pervicaciæ non debes verbis ulterius corrigi, sed abjectionis pœna damnari. Quantum itaque timeri debeat inobedientiæ culpa ostenditur, si hoc at- D tente consideretur: quia propter hanc etiam reges deponuntur. Quid est, quod ait: *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus?* Sed sermo projicitur, quando in sui sublimitate venerabiliter non servatur: projicere enim, est de manu aliquando labi in terram aut negligenter finere, aut violenter jactare. Sermo autem Domini, quia salubria loquitur, cælestis aut sublimis est: qui in terram negligenter projicitur, quando per desidiam non impletur. Per contemtum vero projicitur, quando hunc superbi & inobedientes tumenti corde repellunt, & manu operationis observare dedignantur. Quia vero non projicere, E sed abjicere sermonem reprehenditur, hoc signat: quia dum superbi proprium arbitrium sequuntur, a Domino longe fiunt. Abjicere enim, ast aliquid longe repellere. Qui enim aliorum ducatum digne suscipiunt, non solum per obedientiam Deo vicini sunt, sed etiam illos ei vicinos faciunt, qui per vitia & scelera ab eo longe sunt. Tale est igitur, ac si dicat: Longe ab ordine dignitatis expelleris, quia dignitatis ejusdem merito præsens esse noluisti. Meritum quippe dignitatis est, observatio divini. Quod cum abjicitur, quia meritum dignitatis amittitur, ipsa quoque dignitas amovetur. Liber ergo intueri, quanta per inobedientiam superbis pereant, humiles quanta lucrentur. Illi dum implere propriæ voluntatis arbitrium gau-

Ideo ab ipso projicitur.

Superborum damna, humilium lucra.

a Corrupte in aliis editis *simulantur*.

gaudent, Deo magnos operum labores exhibent, & laborum præmia nulla habent: isti dum se deserunt, dum alienæ voluntatis arbitrium sequuntur, æternæ sublimitatis gloriam promerentur: unde & per beatissimam Mariam Domini Redemtoris nostri genitricem, dicitur: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*. Potentes quidem de sede Dominus deponit, eum inobedientes superbos abjicit, & humiles exaltat: quia æterna gloria obedientes glorificat, superbos autem verba non corrigunt, sed tantum, dum amittere honores trepidant, humilitatem, quam non habent, simulant, ne gloriæ culmen perdant; unde & subditur:

Luc. 1. 52.

Vers. 24.

Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia prævaricatus sum sermones Domini, & verba tua.

Simulata superborum humilitas & pœnitentia.

26. Quid est, quod Saul a Propheta vocem Domini non audisse, & malum in oculis ejus fecisse reprehenditur, & se peccasse minime fatetur: sed eum se abjici de regno conspicit, se peccasse & prævaricasse Domini sermonem, & ejus verba fatetur? nisi quia superbi ad contemnenda verba humilium audaces sunt, sed electorum more honores, quos ambiunt, contemnere non possunt. Audaces quidem sunt, ut majorum contemnant imperia, sed parati non sunt, ut alta relinquant. Econtra autem humiles ad majorum imperia promti sunt, & ad alta perdenda securi. Quia enim non terrena, sed cælestia appetunt, terrenæ sublimitatis alta despiciunt, laborare pro cælestibus conantur: subdi libenter volunt, præferri refugiunt. Saul ergo obedire Deo refugiens, perdere regnum timens, quid aliud nobis, quam superborum mores insinuat, qui cum prævalent, videri parvi, aut peccatores vitant; cum coguntur, humilitatis virtutem simulant. Sed cum compulsi confitentur, peccatum, quod accusant, loquendo minuunt. Quia etsi peccasse sermonem Domini prævaricando perhibuit, eamdem prævaricationem dispensatione potius, quam voluntate se incurrisse memoravit, dicens: *Timens populum, & obediens voci eorum*. Quasi dicat: Peccatum quod fecisse reprehendor, tanto leviori pœna feriri debet, quanto commissum non constat per malitiam, sed per infirmitatem. Studio autem & voluntate peccare magna prævaricatio est: infirmitate vero peccare, tanto tolerabilius est, quanto is, qui peccato subjacet, ejusdem peccati viribus impar est. Et quia eadem cordis sui versutia se prævalere simplicium doctorum humilitati æstimant, quasi jam suasim subjunxit, dicens:

Vers. 25.

Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & revertere mecum, ut adorem Dominum.

Sacerdotes orationibus & oblationibus peccata delent, sed non omnia.

27. Corrigibilia equidem peccata portantur, quia postquam a delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt. Non autem portantur peccata eorum, in quorum mentibus per impœnitudinem inviscerata sunt. Unde & Johannes ait: *Est peccatum ad mortem, ne pro illo oret quis*. Peccatum quippe ad mortem est, quod ab eo committitur, qui resipiscere numquam potest. Quod nimirum peccatum a præpositis non portatur, quia sacerdotum orationibus aut oblationibus non deletur. Saul autem per omnia superbos obstinatosque designans, & tumere non cessat, & peccatum suum portari obsecrat; importabile onus congerit, & quasi leve portari petit. Hoc quidem toties in Ecclesia agitur, quoties hi, qui magna scelera libenter committunt, eorum magnitudinem non attendunt. Importabilia congregant, & hæc levia, atque nullius esse ponderis pensant. Peccata sua suis præpositis abscondunt, & ut vix inveniri possint & argui, quantum possunt, eadem peccata levigant, ne qui eis præsunt, eorum granditudinem attendant. Ad peccatum etiam fortes sunt, ad flenda peccata debiles: volunt quidem peccati delectationibus resolvi, sed pœnitentiæ nolunt acerbitate purgari. Quid est ergo, quod dicit: *Porta peccatum meum*: nisi quia & peccatorum dulcedinem in semetipsis excipiunt, sed onerare prælatos onere eorumdem peccatorum volunt? Quidam etiam sponte ad confitendum veniunt, sed pro quibus se accusant, non ipsi lugent, sed pœnitere alios obsecrant, fide sola salvari æstimant, per pœnitentiam revertere abjecti non curant. Unde & Saul subdit, dicens: *Et revertere mecum ut adorem Dominum*. Quasi enim recedens est prædicator, cum impudentes abjicit: dicit ergo: *Revertere mecum ut adorem Dominum*. Cum eo tantum a communione electorum non dividi putat, quod fidem communem servat: vel certe Dominum adorare est subdi religioni fidei, & custodiæ bonæ operationis. Quia vero fictos hypocritas Saul insinuat, sequitur:

1. Joh. 5. 16.

Pœnitentiæ & confessionis vitia.

Vers. 26.

Ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, & projecit te Dominus, ne sis rex.

Sacerdotum qui alienis se peccatis, etsi debiles onerant, temeritas.

28. Quid est ergo, quod Propheta portare peccatum pœnitentis regis renuit, nisi quia hunc non vere pœnitentem vidit? Cui ea quæ prius abjectionis verba respondit, quia eum immutandum [a] minime cognovit. Qua nimirum Prophetæ constantia quidam nimis clementes hujus temporis sacerdotes arguuntur, qui conversatione infirmi sunt, temeritates fortes. Se se vix sustinent, & portanda suscipere aliorum onera audent: levia sua non ferunt, & importabilibus se subjiciunt. Ecce fortis Propheta refugit suscipere onus regalis peccati, ut sacerdos Ecclesiæ timeat, & peccatorum importabilium pondera subire pertimescat. Plerumque autem sic aliena peccata suscipiat, ut tamen ea quæ expianda suscipit, flere eum, a quo sint commissa, permittat. Unde & Samuel portare peccatum regis minime promisit, & tamen eum, quem retulit, abjectum planxit. Nam de eo post pauca scriptum est: *Lugebat Samuel Saul, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum regem super Israel*. Non quidem promisit ei portare peccatum regis, ut rex illud flere studeret. Sed tamen quem retulerat flebat, ut Dominum ei propitium faceret. Ad litteram vero, dum sententiam Propheta ingeminat, irrevocabilem divinæ æquitatis sententiam monstrat, quia sic peccator projicitur, ut redire ad divinæ misericordiæ manum numquam permittatur. Potest & aliter intelligi, quod reverti secum Prophetam, ut adoret Dominum, rogat. Nam sancti viri, qui Dominum peccando non deserunt, ad eum necesse non habent ut pœnitendo revertantur. Reverti enim abeuntis est. Quod nimirum peccatoribus per peccatum a Domino recedentibus convenit, justis permanentibus non convenit. Quid est ergo, quod reverti cum peccante Saul justus Samuel petitur, nisi quia electi prædicatores pro lapsis subditis velut pœnitentes affliguntur, & quasi recedentes veniunt; dum lapsos subditos paterna afflictione comitantur? Cum eis ergo revertuntur, cum peccata subditorum & ipsi subditi, qui peccaverunt, & prælati qui steterunt, pariter plangunt. Tale est igitur, ac si dicat: Jam te paternis visceribus adhærere

Subditorum peccata flens sacerdos, eos a pœnitentiæ luctu non eximit.

[a] Vatic. & Guss. *minime cognovit*. Error est, quem ex Gilot. emendavimus.

rere per increpationem prædicationis mihi agnovi, quem nec longius peccare reliquisti. Quia ergo, te objurgante, resipui, mecum redire te rogo: quia propriis viribus ad tantæ pravitatis magnitudinem delendam nequaquam sufficio. Sed tanti affectus preces recipiendæ essent, si ex cordis veritate procederent: apte ergo hypocritæ responsum est: *Non revertar tecum*. Quasi dicat: Prore sacrificare Deo nescio, quem veritate humilitatis Deo subditum non attendo: & quæ priora ingeminans, ait: *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex*: & quia versuti & abjiciendi, & deserendi sunt, sequitur:

Hypocritæ abjiciendi & deserendi.

Vers. 27.

Et conversus est Samuel, ut abiret.

In qua profecto majorum decessione magis hypocritæ amissionem temporalis honoris timent, quam æternæ hæreditatis. Unde & quiescere etiam derelicti non possunt, sed ea quæ agere per se non audent, impetrare aliis intervenientibus student. Bene ergo subjungitur:

Ibidem.

Ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quæ scissa est.

Superborum artes, ut honoris culmen assequantur.
Isa. 49. 18.
Psal. 92. 1.

29. Quæ sunt vestimenta doctoris, nisi docere sibi adhærentium subditorum qualitates? De quibus profecto vestibus magno Pastori per Prophetam repromittitur: *Vivit Dominus, quia his omnibus velut vestimento vestiris*. Et per Psalmistam canitur: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem*. Induit quippe decorem, qui ad seipsum splendidas fidelium mentes, quasi vestimenta conjunxit. Saul ergo Samuelis pallium apprehendit, cum superbus & abjectus honorem culminis sibi deferri a summis viris per cohærentes sibi dilectos & familiares quærit: & quia pro reprobo perfectorum nullus obsecrat, non pallium, sed pallii summitatem, idest extremitatem apprehendisse perhibetur: sed ea extremitas scinditur, quia qui inutilia suggerit, reprobatur. Cum enim minor indiscreta rogans repellitur, velut vestimenti summitas scindi perhibetur. Velut enim pars pallii summi Prophetæ scissa est, quando male suggerenti Petro respondit, dicens: *Vade retro me Satana, non enim sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum*. Hinc item præcipit, dicens: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te*: item, *si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*. Quibus nimirum verbis non solum summitas pallii, sed etiam media abscindenda designantur: quia cum male suggerunt, perfecti etiam auditores contemnendi sunt. Hinc namque est, quod Zebedæi filii simul cum matre unus ad dexteram, alter vero ad sinistram Redemtoris sedere petunt: sed quasi bonæ petitionis ignari, repelluntur. Velut enim partem chlamydis Dominus scidit, cum ea membra, quæ movebant scandalum, increpando confutavit. Et notandum, quia non totum pallium, sed pars pallii scinditur: quia dum bonus mala suggerit, in eo, quod male suggerit, repelli debet; & in eo, quod aliter bonus est, ex dilectione retineri.

Matth. 16. 23.
Matth. 5. 30.
Matth. 20.

Prave rogantes, etsi boni, non debent audiri.

30. Per vestimentum etiam Rectoris conversatio designatur, Psalmista attestante, qui ait: *Sacerdotes tui induantur justitiam*. Summitas ergo pallii apprehenditur, quando doctor de magna sanctitate laudatur, cum illud in ejus laudem dicitur, quod decorum foris ostendit. Sed quia justorum plura sunt bona, quæ latent, pallii tantum summitas apprehendi potest: quia parum est, quod de electi doctoris justitia cernitur, multum vero, quod occultatur. Ipsum vero parum, quod scitur, cum apprehenditur, scinditur: quia justi suis laudibus non tenentur. Quia enim eas in momento contemnunt, quasi scissura pallii teneri nequeunt. Tenetur quidem pars scissa vestimenti, Propheta non tenetur: quia verum est, quod de justi laude dicitur, & tamen justi, dum contemnunt, quod audiunt, quasi scissuram in tenentis manibus relinquunt. Majorum ergo quia quædam sciri possunt, quasi pars apprehenditur. Cum vero totum scitur a parvulis quod agetur, si laudatur, nihilominus abjiciendum est: quia aliquid bonorum operum per vanitatem tenendum non est. Hinc namque est, quod dum Johannes adhuc adolescens comprehensum jam Dominum sequitur, & per pallium tenetur, & relicto pallio nudus fugisse describitur. Per vestimentum namque adolescens capitur, quando de bonæ conversationis initio collaudatur: sed relicta sindone nudus profugit, qui laudes quas audit, vilipendit. Nudum namqui fugere, est laudabilem vitam habere, sed electæ vitæ laudem despicere. Quasi enim nudus fugit, qui de ornatu virtutum sibi per vanam gloriam nihil adscribit. Potest etiam idcirco nudus fugisse intelligi, qui per partes sindonis captus asseritur, reliquisse sindonem perhibetur: quia plerumque in electorum conscientia agitur, ut per hoc, quod ex parte laudatur, non pars meritorum, sed omne bonæ vitę meritum perdidisse suspicentur. Samuelis ergo pallium scinditur, quia laudes suas electi doctores vilipendunt. Et quia laudibus non flectuntur, severitatem prioris sententię replicat, dicens:

Justi laudibus suis teneri & capi timeant.
Psal. 131. 9.

Marc. 14.

Scindit Dominus regnum Israel de manu tua hodie.

Vers. 28.

31. Perfecti etenim viri, quia a rigore justitię nulla laude mollescunt, tales ante, quales post laudis suæ testimonium sunt, & quę prius dixerant, eadem post repetendo confirmant. Sed quærendum est, quid significet hoc, quod dicitur: *Hodie*. Si enim reproborum vita nox est, quid est quod in die Saul regnum scinditur? Sed si non est vita Pastoris reprobi, cum ejus regnum scinditur, diem facit. Dies quippe non fit, nisi cum nox recedit: Dicit ergo, *Hodie*: quia caligo inobedientis damnari perhibetur. Unde & exeunte Juda Dominus dicit: *Nunc clarificatus est filius hominis*: quia noctem vitæ illius discedere, & puram lucem justitiæ in aliis discipulis permanere. Dicitur etiam: *Hodie*: Quia amoto superbo, regi humili regnum tradebatur. Unde & subditur:

Justique a rigore justitiæ abduci non patiantur.

Johan 13. 31.

Et tradidit illud proximo tuo meliori te.

Ibidem.

Cum ergo dies dicitur, non abjecti regis lucidum aliquid cernitur, sed substituti gloria prædicatur, qui de regni culmine magnæ virtutis debebat splendore radiare. Et divinę sententiæ incommutabilitatem asserens subdit, dicens:

Porro triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur.

Vers. 29.

32. Quis enim hujus triumphatoris nomine, nisi Conditor humani generis intelligendus est? Nam occultos adversarios quicumque superat, ejus virtute vincit, qui ei gratiam superandę tentationis impendit. Quid est quod triumphator non parcere dicitur, cum Samuel rogatur? quia cum prædicatores peccantibus subditis irascuntur, cum superbos aut lubricos divina sententia feriunt, non impetu furoris sui, sed divinæ voluntatis judicium exequuntur. Quasi certe dicat: Ego quidem non meam, sed illius sententiam protuli, qui quod decernendo profert, revocari non potest. Non ergo par-

Dei judicia mutari non possunt.

parcie, & pœnitudine noo flectitur: sed eis, qui nec a peccatis suis desinere, nec peccatorum possunt, quæ diligunt, pœnitere; & causam subjiciens, ait:

Ibidem.

Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.

Quasi dicat: Et iterum esse ei est, cui mutabilitas nulla est. Potest etiam triumphatoris nomine substituti regis perfectio designari, qui & multorum triumphorum gloriam habiturus erat, & contra voluntatem Conditoris parcere alicui non auderet. Unde & in hoc ipso eodem libro, de eo scriptum est: *Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum, & mulierem.* De eo etiam dicitur: *Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Quid enim hoc loco homo, nisi carnalibus passionibus subditus designatur? Quasi adhuc superbum mordeat, dicens: Te modo peccatorum pœnitet, cum audaciæ tuæ sententiam percipis: sed ille pœnitentiam non eget, qui, ut homo, & inobedientiæ, & tumori non subjacet. Et ille adhuc in ore suo confitetur, dicens:

Infr. 27. 9.

Vers. 30.

Peccavi.

Ipsius autem confessionis qualitatem ostendit, quia subjunxit, dicens:

Ibidem.

Sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.

Honorari velle cum nota est a pœnitentia sit alienum.

33. Liquet, quam pœnitudinem gerat, qui adhuc honorari desiderat. Nam si sui peccati hunc veraciter pœniteret, inhonorari potius, quam honorari concupivisset. Admirari igitur libet projecti cordis duritiam. Ut vir Dei mandatum Cooditoris exequens, dicit: *Projecit te Dominus, ne sis rex:* econtra vero qui abjectionis sententiam suscipit, per appetitum elationis, honores quærit. Quid est ergo, quod dicit: *Peccavi?* Confessionem quidem peccati non honor aut gloria, sed utilitas, & contemtus sequi debet. Quid enim prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem oon sequitur afflictio pœnitentiæ? Tria quippe in unoquoque considerandà sunt veraciter pœnitente, videlicet, conversio mentis, confessio oris, & vindicta peccati. Nam, qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur? Peccatum, quod diligitur, confitendo minime deletur. Nonnulli quidem sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo, oequaquam detestantur. Hi profecto confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde & salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat, dicens: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem, per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonę voluntatis, fructum habet bonæ conversionis. Hic certe jam ad salutem confitetur: quia plus loquendo de vulnere ejicit, quam conversione compunxit. Tertia ergo species, id est vindicta, quasi medicina necessaria est; ut apostema reatus, quod conversione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisque medicina sanetur. Ergo qui corde ad justitiam non credit, confessionem ad salutem nequaquam facit; quia velut malæ arboris folia ostendit, cujus altas radices figit in corde. Signum ergo veræ confessionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Johannes Baptista male conversos Judæos ad se confluentes increpans, ait: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* In fructu ergo, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba quid sunt aliud, nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt: quia idcirco omnis confessio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit: quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis. Saul ergo, qui confitetur, & honorari vult, non affligi & humiliari, quid designat, nisi eos qui confessionem sterilem habent, & fructum non habent: qui decorem confessionis verbis humilibus proferunt, sed verborum virorem, non humilitate pœnitentię, sequuntur?

Tribus constat vera pœnitentia.

Conversione cordis.

Rom. 10. 10.

Confessione oris.

Et vindicta, seu satisfactione.

Matth. 3. 7.

Ex fructu; non ex foliis aut ramis cognoscitur.

Matt. 21.

Prælatorum sacerdotumque flagitia, & imperfecta pœnitentia.

34. Sed quid antiquos attendimus, cum nunc tantam lapsorum regum multitudinem videamus? Catervatim namque nunc in flagitia corruunt, non solum subjecti debiles, sed etiam prę lati & sacerdotes negligentes. Lubrica peccando agunt, qui ordine ministerii sacramentis cęlestibus deputati sunt. Sed plerique illorum dum quodammodo ad cor redeunt, se errasse confitentur. Qui tamen sic volunt contra se peccata proferre, ut velint adhuc de officio sacri ordinis honorari: turpes in secreto se proferunt, sed foris præter ordinis celsitudinem videri humiles erubescunt. Quid ergo isti nisi abjectos se vident, & tamen velle honorari audent? Sępe auem non a seipsis veoiunt, sed inviti capiuntur; abjectionis suæ mandata percipiunt, & tamen rogant, ut honorentur. Volunt quippe immunda agere, sed audent sacris altaribus inhęrere. Ecce quot Saules attendimus, quot reges lapsos a saoctæ Ecclesiæ culmine contemplamur. Quorum profecto singulis dicendum est: *quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex:* ut ministerium cæleste non agant, quos terrena flagitia inquinare non cessant. Sed hoc profecto dicere possumus, lubricis tamen ministris suadere non possumus. Nam Saul & abjectum se audivit & regnavit: quia immundi sacerdotes se sacerdotali culmine dejectos per luxuriæ inquinamenta cognoscunt; & tamen contra Dei voluntatem sacra mysteria tractare non desinunt. Sed rex contra Domioi voluntatem regnans, non est rex, sed tyrannus fuit: quia sacerdos indignus, qui merito suæ inquinationis abjicitur, cum ministrare præsumit, ad tantæ gloriæ culmen [a] damnandus ascendit. Unde & tyrannos terrere volens cæli ille magnus Senator: *Qui manducat panem*, inquit, *& bibit sanguinem Domini indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Plerumque autem instanti confessione agitur, ut confitentibus de cordis etiam conversione credatur. Aliquando reproborum falsam humilitatem electi prædicatores accipiunt, ut exemplo eorum alii ad salutem perducantur. Duo quippe in hypocritis agnoscunt, uoum intus, alterum foris. Intus quidem purum malum, foris bonum simulatum. Utrumque detestantur, sed sæpe prætextum boni in eis simulant: ut qui bonum foris cernunt, malum interius nesciunt; boni, quod aspiciunt, exempla sequantur. Bene ergo subjunctum est:

A sacro ministerio qui terrenis flagitiis inquinantur, abstineant.

a

1. Cor. 11. 27.

Vers. 31.

Reversus ergo Samuel secutus est Saul, & adoravit Saul Dominum.

35. Per malum quippe, quod interius latebat,

Regum & op-

audire

a Gilot, *Damnatus ascendit.*

timorum peccata. Quandoque toleranda.

audire meruit: *Projecit te Dominus, ne sis rex*. Sed ut prætextu boni ad ejusdem boni veritatem alios traheret, Samuel Saul sequi voluit, & eum adorare Dominum vidit. Quandoque etiam mala regum, & terræ magnorum toleranda sunt, ne exasperati ad pejora dilabantur. Deos quippe gentium filii Israel sępe coluerunt. Unde & de conversis a Samuele superius dictum est: *Abstulerunt filii Israel de medio sui Baalim & Astaroth*. Et fortasse si abjectus rex secum ad adorandum Dominum revertentem Prophetam non cerneret, dæmonum simulacra adoraret. Et projecit ergo eum, & cum eo revertitur: quia in potentibus hujus seculi sic est damnanda iniquitas, ut bonum, quod habent, exasperati non perdant. Sæpe enim mali sunt in occulto: & bonum, quod cernitur, alii devotius imitantur. Mala certe potentum seculi, magna eis mala sunt: sed bona, quę proferunt, ad exemplum fidelium, magis quam bona aliorum prosunt. Bene ergo Samuel cum abjecto rege revertitur: quia electi prædicatores, sęculi potentes & pro iniquitate percutiunt, & pro exemplo bona agere quædam sinunt. Unde & sequitur:

1. Reg. 7. 4.

Vers. 32.

Dixitque Samuel: Adducite Agag regem Amalech. Et oblatus est ei Agag pinguissimus tremens.

Hypocritarum simulata pœnitentia. aliorum conversioni quantum prosit.

36. Reges Dominum adorant, quando superbi & contemtores se ad Domini mandata facienda humiliant. Adorant lubrici, quando Deo subjiciuntur per obedientiam castitatis. Aliquando autem adorare se simulant: quia nonnulli prætextum humilitatis aut castitatis habent; sed dum habere in veritate bonum creduntur, alii per bonum, quod credunt, mali operis usum perdunt. Agag ergo regem Samueli tradunt: quia sensualitatis suæ vigorem confitendo proferunt. Quando enim confitentur peccata luxuriæ, quæ per vigorem carnis commiserunt, quid aliud, quam Amalech regem interficiendum Prophetis offerunt? Sed quid est, quod pinguissimus Agag dicitur; sed sensualitatis vigor in aliis pinguis, in aliis macer est? Quid est ergo, quod pinguis offertur, nisi quia a subditis regis reprobi ducebatur? Nam sæpe negligentes sunt subditi: sed dum electi Pastoris sui exempla conspiciunt, inter mala, quę faciunt, ingemiscunt. Per fragilitatem carnis ad immunditias cadunt; sed percussi exemplis majorum, omnino gaudere inter immunditiæ oblectamenta non possunt. In quibus ergo pinguissimus est Agag, nisi in illis de quibus dicitur: *Lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*? Subjecti namque lascivi doctoris tanto audacius peccant, quanto majorum suorum nulla coram posita habent exempla, quę videant. Sed valde dementius se pręcipitant, cum in Pastoribus sui bonum, quod sequantur, non vident: & cujus exemplo pereant, malum vident. In his quippe Agag pinguescit: quia gaudenter, secure & libere vigor carnis in luxuriæ voluptate distenditur, qui usu illecebræ, nulla re obviante, fraudatur. Pinguissimus ergo interficiendus offertur, quando illi convertuntur, qui in voluptate luxuriæ valde lætati sunt: quasi enim traditur rex, quando is, qui menti imperabat, carnalis sensus, Christi sacerdotibus per confessionem revelatur. Nutrire etiam ignem pinguedo solet. Bene ergo Amalechitę regi adscribitur: quia dum mentem fornicationis spiritus obtinet, quo dulcius ac sępius illic per turpes cogitationis pascitur, ad [a] augendum ignem concupiscentię uberiora sibi fomenta tribuuntur. Tremens vero dicitur, quia carnalis sensus, quando spiritualibus viris per confessionem traditur, infirmatur. Signum ergo dat tremens, quia membrorum robur non habet. Dum ergo infirmari vigor sensualitatis incipit, quid aliud, quam rex Amalechitarum tremit? Vel tremere dicitur, quia rigorem pœnitentię plerique, dum converti incipiunt, expavescunt. Et quia carnales quique relinquere oblectamenta carnis solita sine mœrore non possunt, sequitur:

Prov. 2. 14. Doctoribus ad malum pręeuntibus, subditi dementius in pręcepsruunt.

Confessio sacerdotibus facienda.

Dixitque: Siccine separat amara mors?

Ibidem. Magna amaritudinis tela nuper conversi patiuntur.

37. Hoc quippe dicere carnali sensui, est mentem, pro amissione voluptatis solitæ, tristitiæ conversione pulsare. Quia enim magna amaritudinis tela nuper conversi patiuntur, quasi rex, cui servierant, de morte queritur: quia in eis carnalitas sine magna tribulatione minime necatur. Interrogare ergo de separatione mortis, carnali sensui, est tristem adhuc conversi mentem de præteritæ delectationis amissione pulsare. Sed & modus separationis exquiritur, cum dicit: *Siccine?* Quasi enim visis austeritatibus, quibus subdenda est, dicat menti sensualitas sua: Læta pro tam tristibus spernis? Hanc certe vocem Samuel audit: quia tentatum cor subditi, quibusdam indiciis electus prædicator agnoscit. Sed quid prodest agnoscere, si contra id, quod intus in corde subjecti infremit, aliquid ipse non dicit? Sequitur ergo:

Vers. 33.

Et ait Samuel: Sicut fecit mulieres absque liberis gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.

Status hominis ante originalem culpam.

38. Quæ est mater carnalis sensus, nisi originalis culpa? Quia enim ante peccatum primi hominis nulla membris libido inerat, rex Amalechita non erat: Erat quippe sensus carnis, sed turpis ac libidinosus non erat; sed statim ut ad culpam cecidit, pruritum membrorum sensit; quia obedientem motum carnis habere non potuit, quando ipse Deo inobediens fuit. Culpa ergo originalis mater contumeliosi sensus carnis recte intelligitur, quia ex illa nascendo prodit, qui esse ab illa cœpit. Unde & Apostolus quasi severissimi tyranni legem carnalis sensus exhorrens, non solum ipsum regem, sed matrem ostendit, dicens: *Itaque jam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum*. Peccatum namque, quod se non operari perhibuit, motum carnis intellexit: peccatum autem in se inhabitans, originalem culpam. Quia ergo ex originali culpa fit peccatum motionis carnis, dum regem carnalem sensum attendimus, matrem ejus esse primam culpam recte nominamus. Liberi autem hujus matris sunt omnes concupiscentiæ, peccata, & vitia. Absque liberis utique fit mater, quando omnis a carne, omnis a mente jam culpa remanere videtur. Sine liberis namque tunc est, quia etsi a carne nulla jam turpitudo est, si nulla jam regnat concupiscentia in mente, manens tamen in nobis illa culpa, nunc doctoris virtute perdi non potest. Quid est enim, quod ait Apostolus: *Jam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum*? Ex illa quidem culpa, quam ex vitiosa naturæ nostrę radice contrahimus, habemus ut corrumpi vitiorum passionibus valeamus. Lex ergo inordinata membrorum quando præter voluntatem nostram membra movet, nos non hoc operamur, sed quod inhabitat in nos peccatum. Velle quidem nobis tunc adjacet, sed adhuc posse non invenimus; siquidem vellemus, ut nobis invitis, aliquid in nobis moveri non posset. Et hi fortasse

Ex illa contumeliosi carnis sensus.

Rom. 7. 20.

Concupiscentiæ, peccata, vitia.

a Male in Vatic. & Gussi. ad agendum.

tasse pessimæ matris conceptus, quibus culpa illa impræguatur, si in turpes actus & obscenos siuuntur effundi, quasi nasci perhibentur. Filii ergo sunt motus, qui non solum naturaliter intus sunt, sed qui in turpibus & obscenis operibus manifestantur. Mater ergo Agag sine liberis fit, quando originalis culpa sic restringitur, ut nullos actus aut motus edere permittatur. Vel fortasse sine liberis fit, quia liberos habuit. Quando ergo peccatores conversi, esse turpes tam actu, quam gestibus luxuriæ desinunt, quasi mater habitans in eis culpa filiis orbatur.

Cuncta bona opera libido interficit.

39. Et notandum, quia sine filiis fieri dicitur mater per comparationem. *Sicut*, inquit, *sine liberis fecit mulieres gladius tuus, sic erit sine liberis mater tua*. Virtutes mentis, ex quibus bona opera procedunt, matres sunt; gladius vero Agag luxuriæ telum dicitur: qui nimirum mulieres absque liberis facit, quia cuncta bona opera libido interficit. Vel certe mulieres fidelium mentes intelliguntur, filii vero sanctarum mentium bonæ cogitationes, virtutes & bona opera sunt. Agag vero gladius matres absque liberis fecit: quia delectatio luxuriæ, si evaginari quasi gladius sinitur, ab eis nimirum omnes bonæ cogitationes, omnes virtutes, & bona opera necantur. Acuta quippe pestis hujus delectationis, si a mente recipitur, dum libet attentius immundum cernere, mundum & sanctum cogitare nihil potest: & dum ardenter ad nefarii operis expletionem pertrahit, virtutis aliquid agere nihil permittit. Et quia per ejus combustionem omnia pereunt, non solum Agag filii, sed omnes mulierum filii trucidantur. Absque liberis ergo matres facit: quia delectatio luxuriæ ad instar gladii dum fructus mentium percutit, virtutis cogitationes aut operis bonum vivere nequaquam sinit. Sicut ergo absque liberis fecit matres, ita & mater ejus fit absque liberis, cum sic peccator convertitur, ut præter culpam nobis insitam naturalem, nil conversis de obscenis operibus, aut motibus remanere videatur. Unde & apte subjungitur:

Omnes bonas cogitationes & virtutes necat.

Ibidem.

Et in frusta concidit Agag Samuel coram Domino in Galgalis.

Libidinis ignis qua extinguendus arte.

40. Quod in frusta conciditur, per pravas particulas mortuus secatur. Agag quippe interficitur, quando carnis vigor abstinentiis, vigiliis, ac spiritualibus meditationibus sic eliditur, ut nihil lascivum, nihil libidinosum movere sentiatur. Interfici quippe ejus, est carnem turpiter movere non posse. Sed interfecti cadaver integrum est, quando ejus motus remanet. Libibo non remanet, quando solo pondere mentem gravat: cum videlicet membris simplex ac naturalis insidet motus carnis, sed libidinosi nil habet ardoris. Hoc ipsum autem, quia electorum mentes graviter tolerant, quasi regis mortui integrum cadaver portant. Quid vero est, quod in frusta conciditur, nisi quia nec ipsi naturali motui relinquere vigorem volunt? In frusta ergo conciditur, quia quoties pulsat, necatur. Dum ergo vices motuum convenire non sinuntur, quasi cadaver Agag in frusta conciditur. Vel fortasse talis est Agag iste, ut nisi concisus in frusta mori non possit. Ut enim superius dixi, more ignis libido succenditur; &, si negligenter extinguitur, adjacens stipula velociter inflammatur. Magnus quoque ignis dispersus sæpe extingui melius potest. Nam cum in unum multi carbones conveniunt, ingentem massam prunarum faciunt. Ne ergo extinguens comburatur, prunarum massa ante sapienter dispergitur, ut per singulorum carbonum frusta velociter extinguatur. Quid enim cogitationes luxuriæ, quid sunt libidinosi corporis motus, nisi carbones ignis? Qui nimirum si in corde aut in carne conveniunt, comburere cito possunt, extingui facile numquam possunt. Dispergatur ergo ignis, in frusta concidatur Agag, & custodiatur mens, ut immundas cogitationes dispergat, ne unam alteri adhærere permittat. Quia enim agere non potest, ut innoxia numquam cogitet, agat quod potest, ut statim cogitationem ejiciat, quæ negligenter ad mentem intrat. Sic nimirum quasi ignem maximum in carbones singulos & velociter dividit, & celeriter extinguit, si omnes flammas cogitationum sic separat, ut conjungi in mente neque per negligentiam, neque per desiderium sinat. Sic nimirum & motus corporis vigorem mentis reprimit, cum ad invicem convenire minime permittit. Motus quippe illecebrosus carnis, si per cogitationem minime pascitur, convenire cum altero non videtur. Glutinum quippe illecebrosorum motuum, immunda cogitatio est; quia qui libenter immunda videt, statim carnem ad amata concupiscendo violenter movet; quo libentius ac morosius cogitat, quasi carbones carbonibus, turpes turpioribus motus ligat. Teneat ergo fortem custodiam animi, qui potenter vult dispergere motus carnis. Intus quippe ante Agag dividitur, ut foris pariter in frusta dividatur: quia qui cogitationes malas convenire non patitur, ei nimirum turpes motus carnis, quasi in frusta dividuntur. Sic nimirum Agag pinguissimus occiditur, si in frusta dividatur: quia sensum carnis cum immundis motibus, cum in corpore, tum in anima tunc potenter extinguimus, si ad ejus singulas insidias singulari intentione vigilemus. Unde & Sapiens ille diligenter admonet, dicens: *Omni custodia serva cor tuum: quia ex ipso vita procedit, & de neglecto mors exit*. Vita namque procedit, cum cor servatur; quia dum immunditia omnis repellitur, ad virtutes conversorum spiritus animatur. In frusta ergo Agag a Propheta conciditur, quando per doctorum consilium singulæ immunditiarum particulæ, & in corpore auditorum, & in mente perimuntur. Bene autem & coram Domino & in Galgalis concidi perhibetur: quia illi minutias illecebrosarum cogitationum, & turpium motuum dividere potenter possunt, qui & de omnipotente Deo, & de sanctis Scripturis cogitare sapienter sciunt. Sed, ut dixi, simulata bona malorum, sæpe doctores non pro ipsis, sed pro aliis sustinent: quia quod simulare agunt non simulatoribus, sed videntibus podest. Sæpe quidem electi simulata bona malorum vident; sed quia cordis nesciunt, bonum, quod fulgere videtur exterius, imitantur. Saul Samuelem ut secum ad adorandum Dominum reverteretur, rogavit; sed ille reversus Agag in frusta concidit: quia electi doctores per opera, quæ reprobi faciunt, electos ad bene vivendi studia convertunt. Sed quia idipsum dispensative, id est propter aliud faciunt, cum dispensationis necessitas transit, ipsos reprobos, quos quasi ad bona opera sequuntur, ad reprobi cordis impœnitudinem lapsos deserunt. Bene itaque subditur:

Cogitationes quibus succenditur, statim ejiciendæ.

Contra singulas libidinis insidias, singularis adhibenda vigilantia.

Proverb. 4. 23

Doctorum consilium adhibetur.

Abiit autem Samuel in Ramatha, Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa, & non vidit Samuel ultra usque ad diem mortis suæ.

Vers 34 & 35

41. Quæ est domus transgressoris, nisi consuetudo pravi operis? Quisquis enim in perversa consuetudine clauditur, quasi in domo conversatur. In do-

Domus in qua quiescit peccator, prava est consuetudo.

domum ergo suam Saul ascendit, quando reprobus quisque post increpationem doctorum ad mali operis usum redit. Quasi enim ad plana descendit, quando humilitatem simulat, ut præsulum mandata cognoscat. Quid est vero, quod prius Samuel abire, quam Saul in domum suam ascendere dicitur? Sed, ut dixi, cum necessitas aliorum non est, manere cum versuto electus prædicator non potest: & quia in absentia doctoris simulator proficit, Saul in domum non abiit, sed ascendit. Ascendere quippe reprobis, est de malo ad pejus proficere. Cum item descendere superbus dicitur, ascendere perhibetur. Ascendere quippe in domum suam superbo, est superbiendo usque ad mensuram, [a] qua damnandus est, se extollere. Domus namque superbi, est nequitiæ suæ mensura. Dum enim per prospera seculi agere tyrannidem, turbare terram, premere bonos, innocentes affligere permittuntur, quid aliud, quam ascendere superbi videntur? Sed quia præfinitum est a Deo quantum noceant, quantum sæviant, quantum per tyrannidem se extollant, usque ad domum suam ascendere permittuntur. Domus namque eorum, mensura nequitiæ est, in qua semper erunt: quia ubi ad plena flagitia venerint, rapiuntur per mortem, & per æterna tormenta puniuntur. Quasi enim in domo manet, qui a conversationis suæ pœnis egredi numquam potest. Quod non solum de superbis, sed & de luxuriosis, & omnibus reprobis convenienter intelligi potest. In ascensu quippe, & non in domo adhuc erant, de quibus dicitur: *Nondum impleta sunt peccata Amorrhæorum*. Hinc item beatus Paulus Apostolus dicit: *Ut impleant peccata sua*. Ergo ad domum ascendunt, quando profectu mali ad opera nequiora proficiunt, pro quibus æterna tormenta sustinebunt.

A Deo prædefinitum est malis quantum noceant

Impleta mensura, ad æternas pœnas rapiuntur.

Genes. 15, 16
1. Thess. 2. 16

42. Samuel autem in Ramatha abire dicitur. A reprobis quippe divisi doctores non eunt, sed abeunt. Vadunt quippe, quando corrigendos deserunt: quia quos velut irati dimittunt, ab eis postmodum bona emendatione invitati redeunt. Abire ergo doctoris, est impœnitentes impios perpetua animadversione deserere. Sic enim peccata ad mortem per impœnitudinem operantes deserunt, ut ad eos redire ulterius non cogantur. Bene ergo dixit: *Non vidit Saul Samuelem ultra usque ad diem mortis suæ*. Et quia hoc esse agendum in summæ veritatis contemplatione percipiunt, in Ramatha abire memoratur. Consummata namque visio, est intimæ veritatis ratio perfecta. Ne ergo prædicatorum districtio nimia esse carnalibus judicetur, cum ab Ecclesiæ communione reprobos in perpetuum separant, audiant: quia postquam Samuel in Ramatha venit, Saul ultra non vidit: quia illum doctor æternaliter dividit, quem pertinere ad electorum numerum non cognoscit. Sed hoc fiducialiter creditur, si in forma Samuelis prædicatorum sanctæ Ecclesiæ caritatis affectus districtius videatur. Districtionis quippe zelus ostenditur; quia non vidisse Saul usque ad diem mortis suæ memoratur. De affectu vero caritatis subjunctum est:

Juste contra impœnitentes excommunicationis pœna decernitur.

Verumtamen luge at Samuel Saul, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset regem Saul super Israel.

Vers. 35.

43. Quid enim est, quod luget, quem cernere dedignatur: nisi quia & cum zelo rectitudinis sancti doctores habent affectum magnæ caritatis, ipsa autem caritatis magnitudo ostenditur, quia projectum regem plangere perhibetur? Quo ergo affectu electorum subditorum peccata plangunt, qui pro projectis reprobis plangere tam affectuose didicerunt? Instantia namque luctus ostenditur, quia subjunctum est:

Ita rejectos lugere debent Pastores.

CAPUT III.

Dixit Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Israel?

1. Reg. 16. Vers. 1.

1. Cui enim dicitur: *Usquequo tu luges?* instanter lugere declaratur. Magnus ergo est affectus Sanctorum, etiam cum austeritatem vindictæ exterius proferunt. Nam foris sæviunt, sed intus per amorem liquescunt. More matrum parvulos verberant, sed affectu gemunt cum parvulis, quos castigant. Sed quid est, quod Dominus ait: *Usquequo tu luges Saul?* An potest mater filium morientem cernere, & per scissionem viscerum nequaquam flere? Mortuum sine luctu tolerat, quæ moritur, sed infirmatur. Quid est, quod dicit: *Usquequo tu luges Saul?* Nisi quia perditi nimis lugendi non sunt? Nam sæpe doctor de perditione subditi vehementer affligitur, sed respectu summę justitiæ consolatur. Hoc ergo dicere Dei ad Prophetam quid est, nisi prædicatoris mentem per internum solatium ab afflictione relevare? Et quia lapsis prælatis electi per divinam misericordiam subrogantur, subjungens Dominus ait:

Sancti foris sæviunt, intus diligunt.

Imple cornu tuum oleo, & veni: mittam te ad Isai Bethlehemitem. Providi enim in filiis ejus mihi regem.

Ibidem.

2. Quasi enim lugentem consolans, ait: Cur projecti persona plangitur, cum melior subrogatur? Unde & Saul non provisus, David autem provisus ostenditur. Quantus ergo, & qualis fuerit, citata consideratione pensetur, qui judicio & electione Dei omnipotentis decernitur. Quid est autem, quod Deus providet, & Propheta ad ungendum mittitur; nisi quia sanctæ Ecclesiæ spirituales mores describuntur, quæ prȩligere & prȩordinare Deum contemplatur? constituere nulla cernitur, nisi quæ *Veni*, inquit, *mittam te ad Isai Bethlehemitem. Providi enim in filiis ejus regem*. Quasi dicat: A te nihil præsumas, sed illum, quem prævidi, ordinando subsequeris. Unde & paulo post subdit, dicens: *Et unges quem monstravero tibi*. Quid est hoc, nisi quia Prophetæ esse debent, qui in culmine Ecclesiæ alios volunt ordinare? Prævisum namque a Deo cognoscere possunt, si ad inveniendum personam eligendi pontificis sacras consulunt Scripturas. Quasi enim loquente Deo ostenditur, cum talis Pastor eligitur, qualis per sacrum aloquium commendatur. Ad litteram vero Samueli venire a Domino dicitur, ut a reprobi & abjecti regis compassione revocetur. Si vero luctu assiduo lapsi restitutionem poscebat, ei venire fuit, a tali intentione quiescere. Et cornu suum oleo implevit, quia pastoralem sublimitatem in ungendo rege laudis nitore temperavit. Cornu quippe aspero Saul impetiit, quia peccantem velut magno impetu prostravit, dicens: *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex*. Quid est ergo, quod cornu impleri oleo præcipitur, nisi quia ungendi regis justitia commendatur? Quasi dicat: Rex, qui modo ungitur, non erit increpatione feriendus, sed miræ laudis favore prædicandus: non eget impeti, sed faveri. Ad Isai Bethlehemitem mittitur, ut rex, qui eligitur, per-

Nullos constituit Ecclesia, nisi quos a Deo prærdinata novit.

In culmine Ecclesiæ positi Prophetæ esse debent.

Supr. 15. 23

[a] Gilot. qua damnata est.

mansurus esse doceretur. Per Patriarcham quippe Jacob longe ante regni mansuri status ostensus est, quia dixit: *Non deficiet sceptrum de Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniat, qui mittendus est.* In filiis ergo Isai rex prævisus asseritur, ut rex, qui ungi præcipitur, non ut Saul recessurus, sed durabilis doceatur. Quasi Prophetam in abjecti angustia tabescentem excitet, dicens: Cur abjectus pro culpa plangitur, cum laudandus subrogetur?

Gen. 49. 10.

Qui & quales ad pastoralem curam eligendi.

3. Hæc autem ad litteram tetigimus: nunc sub litteræ narratione prælatorum nostrorum electionem videamus. Quid est, quod cornu oleo implere præcipitur, nisi quia talis in sancta Ecclesia Pastor eligendus est, qui non argui velut transgressor debeat, sed ad exemplum aliorum miris laudibus commendari? Cornu namque telum animalium est. Auctoritas autem & increpatio summi antistitis quid suus aliud, nisi tela? Cornu quippe feriunt, quando peccatoribus per increpationem acumina conjunguntur. Ferire etenim cornu, est peccatores acute redarguere. Cornu oleo impletur, quando prædicatoris sublimitas non habet asperitatem minarum, sed blandimenta favorum. Vel cornu oleo impletur, quando electo Pastori simul datur & sublimatus culminis, & virtus unctionis: quando & sublimis gradus ascenditur, sed qui ad alta sustollitur, meritorum ubertate repletur. Cornu ergo pleno sacerdotes unguntur, qui ad summum gradum perveniunt cum plenitudine gratiarum. Quia vero oleo ignis accenditur, oleum doctoris amor est cordis. In quo ignis accenditur: quia in pinguedine oris virtus & gratia ardet Spiritus sancti. Quia ergo pinguedinem magnæ caritatis habere doctor debet, rex, qui ungi præcipitur, pleno cornu ungi perhibetur. Dicitur etiam plenitudo cornu pro perseverantia gratiarum: nam qui ante finem deficiunt, ungi cornu plenitudine non merentur. Adhuc quoque dicendum de cornu hujus plenitudine est: quia idcirco præcipitur, quia magna unctione indiget, qui de sua plenitudine replere alios debet. Unde & Moyses tam plenus extitisse dicitur, ut de spiritu ejus Dominus tulisse & aliis dedisse doceatur. Vel cornu Prophetæ impletur, cum pontificalis sublimitas ad perfectiora docenda præparatur. Quando enim Ecclesiæ principes ordinantur, eis, quæ agere debeant, semiplena prædicanda non sunt. Cornu ergo pontifices implent, quando plenas atque perfectas virtutes proferunt, quas electi Ecclesiæ principes imitentur. Quia vero ipsi, qui ungunt, esse spiritales debent, cornu jubentur implere. Cornu quidem de carne est, sed clausum in carne non est. Cornu ergo spiritualis conversatio doctoris est. Cornu vero oleum effundit, cum ille alta prædicat, qui hæc alta conversatione demonstrat. Cornu ergo oleo implere, est prædicationem magnarum virtutum in alta conversatione suscipere. Et in capite effundit, quando in mente illius imprimis, qui ad summum ordinem novus venit. Quando ergo electi promoventur, pleno cornu unguntur, quia ad altitudinem ordinis proficiunt virtute perfectionis.

Quid eorum unctione designetur.

Amore flagrent.

Gratiarum plenitudine gaudeant, ea qua ceteri accipiant.

Num. 11.

4. Sed Propheta ad Isai Bethlehemitem mittitur, rex in ejus filiis providetur: quia ille Pastor eligitur, qui ecclesiastica religione eruditus est. Bethlehem igitur, quæ domus panis dicitur, quid aliud, quam unamquamque designat domum religionis? Panis namque nomine doctrina perfectionis ostenditur, Paulo attestante, qui ad conversionem debiles excitans, ait: *Lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed necdum potestis.* Si enim lac parvulorum est, panis non est nisi perfectorum. Unde & de perfecti viri robore dictum est: *In excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est.* In domo ergo panis rex ad ungendum quæritur, quia utiliter promoventur, qui in perfectæ conversationis ordine nutriuntur. Ille etenim facere fortes alios potest, qui remissa & negligenti conversatione nutritus non est. In domo igitur quæritur panis; quia in promovendo antistite, quærendum est robur conversationis. De congregatione quidem debili fere numquam accipitur persona virtutis. Unde bene in Isai filiis quæritur, qui salus Domini, aut certe salus absolute nominatur. Salus quidem recte prælatus dicitur. Quid enim sunt peccata & vitia, nisi languores animarum? Electus autem prædicator per integritatem sanæ doctrinæ, per soliditatem innocentiæ, per splendorem electæ vitæ, salus Domini recte nominatur. Alii quidem sunt doctores, quorum sermo serpit, sicus cancer. De horum quippe familia rex non assumitur, quia ægras mentes ad salutem non ducit, sed interficit. Et notandum, quia Isai alio nomine Jesse dicitur. Duplex quidem nomen habet, quia bonus doctor non semper in pace est. In pacis quidem tempore salus Domini dicitur, ut bellorum munera, quasi intra domus secura vestibula sanare doceatur. In bello autem Jesse nomen habet: quia & seipsum fortiter munit, & alios valenter protegit. Jesse quippe insulæ levamen dicitur. Quid autem insulæ nomine, nisi mentes tentationum fluctibus vallatæ intelliguntur? Insulæ quidem sunt: quia etsi magnos conflictus sustinent, non moventur. Unde & electorum victoriam Psalmista prædicans, ait: *Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ.* Dominus quidem regnat, quando ejus sedem, electas videlicet mentes, turbo hostium nullus inquietat: sed lætatur terra, quia solida corda doctorum gratulantur. Lætantur insulæ, quia cum ejus gratiam tentamenta superant, majorum auditores hilarescunt. Terra quidem est mens fortis, & firma lingua doctoris. Insula vero dicitur, cor forte subjecti, quod adhuc tentamentis impetitur, nec tamen movetur. Quid est ergo, quod esse levamen insulæ dicitur, nisi quia per robur doctorum minorum corda sublevantur? Nam inter tot fluctus tentamentorum corruerunt, si non majorum robore ad altæ vitæ desiderium eorum corda levarentur. In Isai ergo, & Jesse filiis rex latere describitur: quia illi utiliter ad Ecclesiæ culmen veniunt, qui electorum magisterio & pacem custodire & disponere, sive conficere spiritualia bella didicere. Bene ergo dicitur: *Providi enim in filiis ejus mihi regem.* In his quippe, non in aliis rex providetur: quia ad culmen Ecclesiæ per divinam gratiam nulli perveniunt, qui electorum magisterium per omnes temporum ordines non sequuntur. Sequitur.

Ex congregatione in qua religio vigeat, assumantur.

1. Cor. 3. 2.

Isai. 33. 16.

Salus populi esse debent.

Fluctuantes corroborent ac confirment.

Psal. 96. 1.

Et ait Samuel: Quomodo vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni. Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias.

Vers. 2. & 3.

5. Quid his verbis ostenditur, nisi quia tyrannorum versutia atque sævitia quandoque est pia fraude deludenda? Præcepto namque Domini de armento vitulus tollitur, immolatio simulatur, & ad regiam unctionem pervenitur: quia dum nocere tyranni cupiunt, objicienda sunt eis quædam, quæ credant, ut nocendi aditum non inveniant. Sic ty-

Mali citra mendacii periculum, aliquando pia fraude sunt deludendi.

tyranni deludendi sunt, ut caveatur culpa mendacii. Quod tunc bene perficitur, cum illud fit, quod asseritur, sed quod fit sic dicitur, ut celetur: quia ex parte dicitur, & ex parte reticetur. Prophetæ namque Samueli præcipitur, ut ad ungendum regem vadat, & se immolaturum Domino, non regem uncturum asserat: ut immolans verum dicat, & unctionem celans, tyranni sævitiam, vera dicens, deludat. Quia anim immolaturus abiit, paulo post manifesta exponit, ubi dicit: *Sanctificavit ergo Isai, & filios ejus, & vocavit eos ad victimam.*

Qui dicit & non facit, ori proprii gladio jugulatur.

6. Sed jam melius agitur, si quid spiritualiter designent ista, videamus. Quid est ergo, quod vitulum in manu Propheta tollit, & sic ad ungendum regem pervenit? Sed vitulus quid est, nisi splendor imaginis Redemtoris? Quia enim eum, quem eligit, conformem facere Redemtori studet, quando formam ipsam Redemtoris prędicat, quasi vitulum in manu portat. Et quia splendorem Dominicę conversationis, quam prędicat, in virtute operis monstrat; vitulum quem de armento suscipit, per manum ducit. Vitulum namque in manu tollere, ast prędicationem Dominicæ conversationis servare in virtute operis. Sic nimirum vadens non occiditur, aliter occideretur: quia qui dicit, & non facit, oris proprii gladio condemnatur. Quid est, quod dicere jubetur: *Ad immolandum Domino veni!* Quid ast item, quia facit, quod dicit, dum venit & immolat: nisi quia tantæ debet esse afficaciæ qui alios promovet, ut bona non solum dicat, sed persuadeat? Immolationis quidem victima, quę in Prophetæ manu videtur, in altari cognoscitur. Quid est enim cor electi auditoris, nisi altare Dei? Quando enim bona doctor loquitur ore, & ostendit opere, vitulus in manu est. Quando antem & quod dicit, & agit, auditoribus persuadet, victima in altari est. Tunc ergo immolat, quando electa corda per amorem suscipiunt, hocquod in verbo & exemplo doctoris radiat, de imitatione Redemtoris. Sequitur: *Et vocabis Isai ad victimam:* Fortasse hoc, locus iste insinuat, quod præter prælatorum conscientiam subditi promovendi non sunt. Isai prius ad victimam vocatur, ut bonum quod subire subjectus cernitur, in magistri sui mente fundetur. Bene subjungitur: *Et ostendam tibi quid facias.* Idipsum quoqua exprimens, ait: *Et unges, quem monstravero tibi.*

Pastor faciendo quod dicit, efficaciter persuadet.

Vers. 3.

In eligendis Pastoribus consulendus Deus.

7. Nisi anim Isai prius vocetur, ei, quæ facienda sunt, non pandentur: quia sine magistri voluntate aliquid de subjecti persona faciendum non est. Illo ergo vocato, quod est faciendum, ostenditur, quia cum voluntate religiosi doctoris, subjecti humilitas ad arcem sustollitur prælationis. Quid est autem, quod dicitur: *Unges quem monstravero tibi*, nisi quia electi Pastoris æquales discipuli omnes non sunt? Sunt namque ex illis, alii utiles ad obediendum: alii & humiliter obediunt, & jubere discrete didicerunt. Dicit ergo: *Unges quem monstravero tibi*, ut, cum culmen sacerdotii persona quæritur, cum magna subtilitate requiratur. Quibus nimirum verbis ordinatoribus Ecclesiarum in electione aliorum nihil suum relinquitur. *Quem*, ait, *monstravero tibi, illum unges.* Qui sunt qui ungunt, quos non monstrat Deus, nisi qui carnali affectu ad Ecclesiarum culmen ordinandos ducunt, qui non merita discernunt, sed personas accipiunt? Isti quidem reges ungunt, sed non qui a Deo monstrantur. Quod suum est, faciunt: quod Dei est, tollunt. Dei quidem, personam monstrare est; ordinatoris

Non carnalis affectus.

prębere unctionem. Dum ergo ipsi sibi monstrant quos ungant, habere Deum cooperatorem nolunt. Unde & per Prophetam Oseam de talibus electis Dominus queritur, dicens: *Ipsi regnaverunt, non ex me; principes extiterunt, & ego ignoravi.* Dicitur ergo alectis, quod audire non possunt reprobi: *Unges quem monstravero tibi*: ut nullus promoveatur, nisi qui dignus tanto ordine, Scripturarum sanctarum laude decernitur. In eis quidem Dominus loquitur, ibi qualis & quantus esse debeat magister Ecclesiæ, memoratur. Ille ergo monstratus a Domino eligitur, qui per sacrum eloquium commendatur. Hęc quidem mali Rectores contemnunt, boni faciunt. De bonorum ergo obedientia recte subjungitur: Osee 8. 4.

Fecit ergo Samuel, quod locutus est ei Dominus. Venit in Bethlehem, & admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei. Vers. 4.

8. Ad historiam seniores admirantur, quia illuc venire Propheta non erat solitus. Quo in loco fortasse signatur: quia electi doctores vix aliquando videri in publico debent, esse frequentes in secreto, negotiis civilibus vacui, spiritualibus pleni. Miraculum ergo fit populi, in publico visa persona Pastoris. Mirantur quod exeat, quem secreti cultorem sciebant. Qui quia in magna populi veneratione sustollitur, seniores civitatis & admirati, & ei occurrisse referuntur. Quia vero non populus, sed seniores admirantur, perfecta doctorum virtus ostenditur; quæ non a parvulis & simplicibus, sed a magnis & eruditis prædicatur. Qui etiam de pacifico ingressu Prophetę sciscitantur. Quasi ergo ingressum non pacificum minabatur, qui dicebat: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Quid est argo, quod dicitur:

Pastor in publico, raro videatur.

Non rudibus tantum, sed etiam perfectis magnam moveat admirationem.

Pacificus est ingressus tuus? 1. Cor. 4. 21.

Ibidem.

9. Nisi quia electi fideles dum bene spiritualium doctorum acta considerant, in eis utique divinam voluntatem pensant. Quia enim esse Samuelem Prophetam sciebant, utique quia divinæ dispensationis secreta cognoverat: Dum ergo de pacifico ingressu interrogant, quid aliud interrogando faciunt, quam divini consilii nosse velle secretum? Utinam & nos quoties sanctos viros cernimus, inquirere de pacis nostrę securitate studeremus, & diligenter ab eis scire, quales a Deo cernamur, qui cognitionis nostræ oculos non habemus. Pacificus ergo ingressus doctorum est, cum ad eos veniunt, qui non sunt pro culpa feriendi, sed pro justitia prædicandi. Qui ergo promotum justum venerat, respondit, dicens:

Ex ipso divina voluntas requirenda.

Pacificus, ad immolandum Domino veni. Sanctificamini, & venite mecum, ut immolemus. Vers. 5.

10. Cum doctoribus, ut immolent, vadunt, qui intentionem ad superna dirigunt. Et coram cunctibus Propheta immolat, quando id doctor, quod verbo pronuntiat, in assistentium cordibus per amorem ligat. Sed ut historiam paululum attendamus, vigilanter est discutiendum, quod dicitur: *Sanctificamini & venite mecum.* Si enim interesse sacrificiis non audent, nisi sanctificati, quid de sacrificantibus censendum? Sanctificare anim purgare est. Quantum argoduros decet esse pontifices, ubi invitatæ ad sacrificium nonnisi sanctificatæ admittendæ sunt plebes? Sanctificatio quippe corporis pudicitia est, sanctificatio mentis caritas & humilitas. Sanctificetur ergo ad sacrificium invitatus, sed magis ille cogitur, a quo invitatur. Notent sacerdotes, quæ invitatis dicant: *Venite mecum.* Secum

Sacrificio interesse non debent, nisi sanctificati.

Quanta ergo sacrificium offerentes, decet sanctitas.

quippe sanctificati veniunt, si cum mundis plebibus ad Dei obsequia mundi sacerdotes accedunt. Secum quippe ire, est mundos cum mundis accedere. Nam si mundę sunt plebes, non mundi sacerdotes, secum non veniunt: quia æquali puritatis ordine non accedunt. Audiant hujusmodi quid alter Propheta admoneat, dicens: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Audiant item, quod dicit: *Lavamini, mundi estote*. Quia ergo mundanæ sunt plebes, dicit: *Sanctificamini*. Quia item summi viri in continuo munditiæ suæ statu semper debent permanere, & ad formam suæ puritatis alios trahere, subdit: *Et venite mecum*. Sed quia seniores ad victimam invitantur, quid per typum demonstrant, nisi quia ad eligendum antistitem, sive ad ungendum & consecrandum, plures sapientes atque religiosi viri vocandi sunt? Qui nimirum sanctificantur & veniunt, si proponunt, ut in electione illa carnale aliquid non sequantur. Sanctificari quidem eis est, ad præbenda dona sancti Spiritus spiritualem & sanctam intentionem adducere. Bene autem in typo electorum & de Isai, & ejus filiis dicitur:

Isai. 52. 11.
Isai. 1. 16.

Sanctificavit ergo Isai, & filios ejus, & vocavit eos ad sacrificium.

Ibidem.

11. Et quia per sacra eloquia Dominum eligendos antistites monstrare docuimus, jam quales monstret, qualesque reprobet subsequenter, loquentibus sacræ hujus historiæ mysteriis, videamus. Sequitur:

Quales eligendos antistites monstret, aut quales reprobet Scriptura sacra.

Vers. 6. & 7.

Cumque ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus ejus? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominum judico. [a] *Homo enim videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuebitur cor.*

Quid enim est sapientibus ingredi, nisi ad subtile discretionis sacrarium intrare? Sed ingressum Eliab vidit: quia illum esse dignum prælatione sanctæ Ecclesiæ Pastor agnoscit, qui & fortitudinem habet boni operis, & scientiam veritatis. Quid est autem, quod ei Dominus nec staturam ejus, nec vultum aspicere præcipit: nisi quia in sancta Ecclesia nec opus, nec scientia sine humilitate prędicatur? Quid est enim vultus alicujus, nisi exterior conversatio, per quam noscitur? Et quid est statura ejus, nisi altitudo scientiæ, per quam ad superiora sublimatur? Quos ergo Eliab rectius, quam bona agentes, & eruditos significat, sed arrogantes? Unde & Eliab, Deus meus pater, interpretatur. Hoc quippe ejus nomen, quod audent præsumere. Quid namque est, quod Deus meus pater dicitur: nisi quia dum fortiter bona agunt, spiritualia sapienter intelligunt, se per singulare meritum in filiorum Dei numerum transisse gloriantur? Nam pater non meus, sed noster omnipotenti Domino dicerent, si per humilitatem se cum electis ceteris in supernę generationis ordine communiter viderent. Merito ergo repellitur, quia in spirituali culmine nonnisi humiles præferuntur. Subtiliter ergo Propheta de ungendi persona exquirit, dicens: *Num coram Domino est Christus ejus?* Modo hoc fit, quando summus doctor, & vitam & intelligentiam eligendi cognoscit, sed adhuc de humilitatis virtute perquirit. Sed vultum & staturam ejus abjectam videt, quando ei, quidquid pulchrum habet in opere, quidquid altum in eruditione inest ei, absque humilitatis virtute cognoscit.

In eorum electione nec scientiæ, nec boni operis, absque humilitate habenda est ratio.

A Merito igitur Dominus dicit: *Projeci eum, nec juxta intuitum hominis judico: quia homo videt in facie, Deus autem intuebitur cor*. Quasi dicat: Homines solent magna opera, & scientiæ verba laudare: ego autem nec verba, nec opera laudo, quæ in humilitate vera fundata non video. Indignitatis quippe suæ repulsam, qui ejusmodi sunt, expavescerent, si attente audire vellent, quod ad Prophetam Dominus dicit: *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quia projeci eum*. Pro magno namque habent, quod arrogantes faciunt: sed ecce tam vile esse a Domino dicitur, ut nec respiciendum esse judicetur. Sed isto amoto, quid sequatur ostenditur:

Et vocavit Isai Aminadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus. *Vers. 8.*

B 12. Aminadab interpretatur, urbanus. Merito igitur, Domino consulto, repellitur: quia sancta Ecclesia ad regimen animarum non eligit negotiis secularibus strenuum, sed spirituali conversatione decorum. Urbani quidem sunt, qui postposita intentione cęlestium, exterioribus studiis se ostendere strenuos conantur. Nec hunc ergo elegit Dominus: quia pii Pastoris studio cælestia, non terrena, provideri fidelium gregibus debent, non infirma & labentia, sed sublimia & æterna.

Non sunt, propter negotiorum secularium peritiam eligendi.

Adduxit autem Sama, de quo & ait: Etiam C *hunc non elegit Dominus.* *Vers. 9.*

13. Sama, audiens interpretatur. Quid ergo Sama designat, nisi obedientes & simplices? Audire quidem eis, est ea quæ a majoribus jubentur, obediendo perficere. Unde & de obedientia gentilis populi per Psalmistam dicitur: *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi*. Quid est autem, quod non eligi a Domino dicuntur: nisi quia in Ecclesię culmine non ponuntur imperiti humiles, sed humiles sapientes, qui & facere jussa sciant, & quæ facienda sunt, sapienter jubeant? Facere quidem eum oportet, & docere. Faciat ergo humiliter, doceat sapienter. Quia ergo qui facere per humilitatem sciunt, & jubere D per eruditionem nesciunt, in dignitatem regiam assumendi non sunt, Sama ad regnum a Domino non eligi perhibetur. Hinc ergo, hinc simplices & inobedientes colligant, quam pœnaliter ad prę-eminendum se ingerunt, si omnipotens Deus nec illum ad regimen suscipit, qui per humilitatem obedientiæ audiens vocatur. Et quia plures sancta Ecclesia hujusmodi tam simplices & bene viventes, quam humiles sapientes habet, sequitur:

Imperiti humiles rejiciendi.

Psal. 17. 45.

Adduxit itaque Isai omnes filios suos coram Samuele. Et ait Samuel: Non elegit Dominus ex istis. *Vers. 10.*

14. Quia in septenario numero soleat perfectio designari, testatur Isaias Propheta, qui dona sancti Spiritus in Redemtore nostro manentia asserens, ait: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus* E *sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*. Quid est ergo, quod hi, qui a prædicationis officio repelluntur, septenario numero designantur, cum idem numerus perfectionem designet, quam alius nisi de sancti Spiritus infusione non habet? Sed convenienter hoc asseritur: quia pluribus gratia Spiritus sancti ad bene vivendum datur, ad docendum non datur. Qui quia plures sunt, & in bona operatione perfecti, apte septenario numero continentur. Item quia robusta faciunt, & subtilia non intelligunt, a regni gubernatione repel-

Pluribus gratia Spiritus sancti ad bene vivendum datur, non ad docendum.
Isa. 11. 2.

a Gilot. & Vatic. non enim videt.

repelluntur. Et septem ergo sunt filii, & eorum aliquis ad animarum regimen non assumitur: quia etsi bene vivendo regere fortiter semetipsos sciunt, tueri alios fortiter per doctrinam nequaquam possunt. Numquam se tam in ordinando præcipitet ordinator Ecclesiæ: quia etsi plures habet, qui ad suscipiendam animarum curam non sunt idonei, qui tamen præesse possint, ei deesse non possunt. Quęrat ergo doctor instanter, non deficiat quęrere, donec latentes possit invenire. Magnę quidem alectorum virtutes quasi thesauri omnipotentis Dei fere semper in occulto sunt. More etenim timoratorum divitum omnipotens Deus facit: quia ne virtutum thesauros perdat, hos & in electis mentibus collocat, & ipsas mentes per secretum celat. Quærat ergo, qui ordinare, immo ornare Ecclesię caput cupit, occultos thesauros. Christi sponsam ornare gestit; sed non potest, nisi occultos sponsi thesauros ad ejus ornatum producat, & non desistat, donec latentes inveniat. Sed quid hortor Pastores quærere, enim nisi Deus * oculos proferat, nequeant inveniri? Quid ast enim aliud: *Unges quem monstravero tibi?* Tamen quærendi sunt: quia nisi quęsiti diu, minime monstrantur. Nam & Dominus se monstraturum promittit, & taman Propheta quęrere nititur, ut invenire mereatur. Unde & Dominus quærendi instantiam imperat, dicens: *Quærite & invenietis, petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis.* Quærens ergo Propheta & tot jam repulsis, quærere perseverans, quid nobis insinuat, nisi ut nulla dispensatione indigni ad culmen religionis venire * permittamur? Nam cum in plerisque sanctæ Ecclesiæ negotiis salubris sit dispensatio, lethalis profecto & mortifera ast, ubi aut cæci per ignorantiam, aut irreligiosi sapientes, aut ad secularia negotia projecti ad aliorum primatum venire permittuntur. Hi enim ignorando, illi sciendo, & non faciendo, subditorum animas perimunt: illi item negligendo spiritualia, sequendo carnalia & terrena. Illi quidem totis viribus laborant, ut laudentur, quę dicunt: isti quæ dicant, nesciunt: illi ad hoc omni intentione conantur, ut inter summos seculi abundantius honorentur: qui profecto tanto pejores prioribus sunt, quanto illi in spiritalibus, isti in carnalibus & secularibus apparere sublimes volunt. Horum finis desiderium est, fulciri divitiis, honoribus extolli, potentum hujus seculi familiaritatibus sublimari. De quibus omnibus reprobæ mentis affectibus oriri potest negligentia animarum subditorum, contemtus Christi, & Ecclesiæ dilapidatio facultatum. Quærat itaque doctor, ut nulla dispensatione indignos pręferat: quia quod lethiferum est, numquam permitti debet. Unde & subditur:

Indefesso labore quærendi qui ad animarum curam idonei sint.

Deus thesauros suos, sc. Sanctos abscondit.

* Legendum videtur, oculos.

Matt. 7. 7.

* Forte permittantur. Lethale malum Ecclesię, indignis Pastoris ordinatio.

Dixitque Samuel ad Isai: Numquid completi sunt filii?

Quid est, quod aliom quærit, nisi quia non debet ante quærens quiescere, quam mereatur invenire? Et quia sępe abjecta foris & vilia, intus excelsa sunt, sequitur:

Vers. 11.

Qui respondit: Adhuc reliquus est, & qui pascit oves.

Qui ad Pastorale officium præponendi

15. Quid est reliquus, nisi abjectus? Abjectum dico a se, non a Deo: quia a Deo per superbiam quis abjicitur: a se abjectus est, qui vilis & humilis ęstimatur. Vel reliquus dicitur, qui in aliorum comparatione esse aliquid non videtur. Abjectus ergo humilis dicitur: quia contemni se videt, & tolerat,

A ostendi nequaquam curat, sed oves pascit: quia cogitationes simplices in contemplatione æternæ hereditatis nutrit. De his certe pascuis electorum a Domino dicitur, *Ingredientur & egredientur, & pascua invenient.* Intus quippe habent pascua contemplationis, foris pascua boni operis. Intus mentem devotionibus impinguant, foris se piis operibus satiant. Merito parvulus iste dicitur oves pascere, quia electus quisque humilis est, & sterilis non est, qui quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. Merito ergo non solum parvulus, sed pastor asseritur: quia qui vere humiles sunt, foris se dejiciunt, sed per internam societatem in summis, & æternis pascuis immorantur. Nam scriptum est: *Deus superbis re-*

B *sistit, humilibus autem dat gratiam.* Quæ autem gratia? Nisi ut summa videant & cognoscant & diligant, atque ad ipsa delicta quasi pingues & fortes currant. Hic itaque, quia valde idoneus est, instanter exhiberi jubetur. Nam sequitur:

Joh. 10. 9.

1. Pet. 5. 5

Et ait Samuel ad Isai: Mittite, & adducite eum. Neque enim discumbemus, priusquam ille veniat.

Ibidem.

16. Quid est autem, *Non discumbemus, priusquam veniat?* Quem requirit: nisi quia in observatione jejunii celebranda sunt sacramenta unctionis? Nobis autem non solum ipsa sacramenta, sed vis sacramentorum attendenda est. Nam quidam cibi sunt, qui si non caventur, ungere bene reges nequaquam sinunt. Exteriora quidem Ecclesiæ negotia quidam cibi animæ sunt, qui

C ab electis devote administrantur. Sed si negotiorum multitudine anima saturetur, ad suscipienda spiritualia intrare perfecte non sinitur. Cum ergo spiritalia instant, exteriora differantur: quia cum magna mentis quiete disponenda sunt. Sequitur:

Cum negotia spiritualia urgent, ab aliis feriandum.

Misit ergo, & adduxit eum.

Vers. 12.

Rex futurus adducitur, quando ab occultationis suæ latibulis humiles producuntur. Latent quidem, sed in pascuis: quia etsi hominibus intra carnis vilia & infirma se tegunt, magna est supernæ contemplationis latitudo, in qua morantur. Sed qualis jam prælatus appareat, videamus. Sequitur enim, & dicit:

Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque

D *facie.*

Ibidem.

17. Quid est, quod tanta pulchritudo regis asseritur: nisi quia magnis virtutum fulgoribus ornari debet persona doctoris? Nam de Redemtore dictum est: [b] *Spiritus ejus ornavit calos.* Cęli namque sunt sublimes prædicatores. Qui profecto cęli a spiritu ornati sunt: quia virtutes, quibus emicant, a Spiritu sancto percipiunt. Quid ast ergo, quod rufus asseritur, nisi quia in rubra sæpe materia caritatis fervor designatur? unde & in veste Pontificis coccus ponitur bis tinctus, ut duplici vestiatur caritate. Rufus ergo dicitur per ardorem caritatis: quia dum ardentia præcepta caritatis exhibet, quasi per calorem rubet. Quid item est pulcher aspectu,

E nisi interna contemplatione conspicuus? Quasi enim pulchrum aspectum habet, qui decore visionis radiat in interna contemplatione. Quid ergo facies designat, nisi exteriorem gloriam honestatis? Nam quia per faciem quisque cognoscitur, decor faciei est præclara honestas conversationis. Quasi enim per faciei decorem cernitur, qui in omni gestu corporis splendidus invenitur. Rufus ergo amore est pulcher aspectu propter scientiam, decora facie, splendidus honestate. Quia vero cari-

Quibus virtutum fulgoribus doctor debeat ornari.

b Job. 26. 13.

b Corrupte in aliis excusis, *Spiritus ejus ornavit calos.*

kata-

ritatis fervor per sancta opera demonstratur, potest per ruborem ipse labor operis designari. Qui enim nimis laborat, faciei ruborem repræsentat: quia dum intus incalescit, foris in vultu ruborem trahit. Sic namque est omnis spiritualis labor. Quia enim unusquisque quanto amplius pro æterna vita laborare conatur, tanto ferventius ad laborandum sancti Spiritus ardore succenditur, velut in fervescendo ruborem excitat, quam foris portat. Rufus est ergo doctor labore pii operis, pulcher aspectu in fulgore contemplationis. Decor vero faciei ipsa est pulchritudo caritatis. Per alias quippe virtutes formam sanctitatis accipimus; per ipsam caritatem, ipsam formam nobis quasi mirabili decore vestimus. Illæ aliæ virtutes corpus justitiæ sunt, caritas vero hujus corporis facies recte intelligitur. Per faciem quippe, non per corpus unusquisque cognoscitur. Nam si corpus videas, & faciem non videas, cum, cujus solum corpus aspicis, non agnoscis. Quid vero est aliud, quod fatuis virginibus respondetur a sponso: Nescio vos? Ecce per magnos labores virginitas conservatur, ipsa quoque virginitas magna & incomparabilis virtus agnoscitur. Quid est ergo, quod fatuæ virgines a sponso non cognoscuntur, nisi quia corpus habent, quo subsistant, decorem vero non habent faciei, quem sponsus agnoscat? Habent quidem laborem in conservando corpore, non habent decorem vultus in perfecta caritate. Hæc namque tria eo, quo ponuntur, ordine, in electi conversatione proficiunt. Nam pulchros contemplationis aspectus habere non prævalet, nisi qui prius se in labore pii operis vehementer exercet. Æternæ quidem lucis gaudia illius summi luminis immensitas, æternus ille vigor splendoris ineffabilis, quo laboriosius quæritur, se quærentibus laxius aperitur. Qui ergo jam talis est, idoneus quidem ad docendum cernitur: sed nisi decora facie fulgeat, nisi mentem caritatis perfectæ radiis illustratam gerat, dignus tanta celsitudine non probatur. Sit ergo rufus Pastor, & non sit remissus in opere: sit pulcher aspectu, videlicet sublimis in eo contemplatio: sit decora facie, ut totum robur operis, & altitudo contemplationis, supernæ majestatis oculis notum, sit per ineffabilem pulchritudinem caritatis. Hæc quippe tria immensi decoris insignia, quia sanctæ Ecclesiæ doctor habere debet, pro omnibus Petrus assumitur, & an amet Redemtorem tertio interrogatur. Primo namque ei dicitur: *Petre amas me?* Ut per amorem agere fortia studeat: secundo, ut in contemplando alta cognoscat: tertio, ut perfectæ caritatis affectu, & erga proximum ferveat, & ad speciem Conditoris ferventius inardescat. Talis ergo ac tantus tam pulcher, tam decorus puer, quo testimonio proferatur, audiamus. Nam sequitur:

Matt. 25. 12. Nonnisi per magnos labores virginitas conservatur.

Trina interrogatio Petro facta quid significet. Joh. 21. 16.

Surge, & unge eum, ipse enim est.

Ibidem. Humilium celsitudo quanta sit.

18. Quid est, *Surge, & unge eum?* An tantus erat parvulus, ut sedendo ungi non posset? Sedendo quippe, tangere alta non possumus. Magna ergo est virtus, magna celsitudo humilium, si ad eorum summa nec Prophetæ pertingunt. Surgit ergo Propheta, cum se Pontifex in miram electi prædicatoris venerationem erigit. Nam foris humilem quasi videndo conspicit; sed interius ejus meritum, nisi se in interna contemplatione erigat, non agnoscit. Surgere ergo doctor præcipitur: quia cui tanta vult sacramenta impendere, ejus ante cognoscere meritorum sublimitatem debet. Quid est ergo, quod dicitur: *Surge, & unge eum, quia ipse est:* nisi sublimi sublimia sacramenta sublimiter præbe? Nam sæpe indiscreti Pastores negligentem & reprobam accedentium vitam sciunt, & eos promovere non metuunt. Hi profecto ungunt, & non surgunt: quia quibus sacramenta unctionis tribuunt, in alto sitos meritorum loco non cernunt. Quando igitur doctor sublimis ostenditur, ejus ordinator surgere monetur: quia per ministerium tunc digne tribuuntur sacramenta unctionis, cum ungendus in alta conspicitur sublimitate virtutis. De quo nimirum, *Quia ipse est*, dicitur: Si ergo ipse est, alius non est: quia nisi his virtutibus fulgeat, necesse est, ut ordinem tantæ celsitudinis non attingat. Quem ergo monstraturum se Dominus promisit, rufum & pulchrum aspectu, & decora facie ostendit, dicens: *Ipse est enim.* Quia nullus debet subire culmen regiminis, qui robur non habet magni operis, scilicet contemplationis scientiam, & fervorem caritatis. Bene ergo subjungitur:

Inconsulta Pastorum ordinatio notatur.

In ordinato conveniant contemplatio & caritas.

Tulit igitur Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum suorum.

Vers. 13.

19. Cornu olei tollitur, ut tota vita pontificis spiritualis esse doceatur. Cornu olei tollitur, ut in excellenti liquore magister Ecclesiæ vir esse studeat magnæ misericordiæ. Oleo ungitur caput regis, quia lucere super candelabrum debet per flammam verbi. Cornu oleum recipit, ut increpando purget: & miserando per blandimentum trahat. Cornu etiam recipit in sublimitate ordinis, oleum ad somenta virtutis. Sed pleno cornu ungitur, ut virtus pontificis plena doceatur. Cornu namque plenum in unctione sua habet, si tam in virtute misericordię, quam caritatis & verbi perfectus est. Plenum etiam cornu in unctione sua habere cognoscitur, cujus omnis potestas per misericordiam dispensatur. Ipsa quippe auctoritas sanctæ Ecclesiæ, cum sine misericordia est, nulla est: quia tunc spiritualis est rigor disciplinæ, cum a linimento non vacat misericordiæ. Cornu ergo & oleum simul ostenditur, ut disciplina semper cum misericordia teneatur. Cornu namque oleo plenum dicitur; ut ubicumque cornu acumen exhibet, exhibeat refusæ gratiæ unctionem. Sed dum ad ungendum regem unctio ducitur, cornu foris cernitur, intus plenitudo olei occultatur. Portet igitur Propheta cornu foris, intus oleo repleat: foris textum insinuet, intus sacramenta declaret. Sciat ergo Propheta quod tribuat: sciat rex unctus exhibita recipiendo, quid agat. Quid est ergo, quod foris est cornu, intus oleum: nisi quia plerumque subditorum duritia meretur, ut Pastoris increpationem sentiat, sed misericordiæ ejus aliquid non attendat? Rector ergo cornu exhibet, in quo oleum latet: quia cum quis acriter ex caritate corrigitur, pœna sentitur, caritas non videtur. Sævus enim Rector aspicitur, qui sic increpat, quasi qui non amat; quasi qui vehementer odit, sic objurgat. Quid tunc a compunctis cernitur, nisi cornu acumen, quo acrius feriantur? Sed quia valde intus prius Pastor diligit, quem foris arguendo ferit: quid aliud, quam cornu increpando monstrat, oleum diligendo celat? Plenum ergo cornu in unctione regis asseritur, ut in electo prædicatore perfectum utrumque esse doceatur. Nam acutus ad arguendum esse debet, mollis ad miserendum. Perfecte feriat, ut omnem viam morbi perfecte confodiat: perfecte per misericordiam ungat, ut plagas, quas pungit, ad sanitatem reducat. Si enim minus violenter, quam debet, ferit; pus quod latet, non ejicit. Et si violenter ferit, &

Unctionis sacerdotalis mysteria.

Auctoritas Ecclesię, sine misericordia, evanescit.

Sub increpationis asperitate caritas lateat.

Pastor sit acer ad arguendum, & mollis ad miserendum.

abunde

abunde non ungit, percussum per austeritatem interficit, & saluti non reddit. Sit ergo integrum cornu, integra olei plenitudo, ut austere per cornu feriantur vulnera, & per oleum foveantur.

Virtutis exempla circumquaque spargere jubetur.

20. Sed quid est, quod in medio fratrum ungitur: nisi quia virtutis exempla circumquaque spargere jubetur? In medio fratrum ungitur, ut tantæ unctionis fieri participes omnes possint. Qui enim in medio ponitur, ab omni parte videtur. Oleo quippe in medio aliorum ungitur: quia qui in aliorum exemplum positus est, nullam sui partem habere obscuram debet, ut hunc omnes aspiciant, & ab eo lucis exemplum sumant. Unde & sancta animalia in circuitu oculos habere describuntur: quia electus doctor dum ardorem caritatis, dum virtutem misericordiæ, dum zelum rectitudinis ex dono sancti Spiritus recipit, quasi globum habitat luminis, qui eum ex omni parte circumstantibus fulgentem reddit. Vel in medio fratrum ungitur, ut unctum & medium se esse semper arbitretur. Agnoscat ergo dignitatem suam, & vim dignitatis exerceat: quia unctus est. Videat se medium, & communis conditionis hominem, ut pares sibi esse eos, quibus eminet, recognoscat. In medio ergo fratrum ungitur, ut sit humilis, & sublimis. Sublimis ordine, humilis æstimatione. In medio item ungitur, ut se privato amore non diligat, sed ex omni, quod præeminet, lucra aliorum quærat. Unde & Saul solus in extrema parte civitatis unctus fuisse perhibetur. Quid est enim, quod solus a solo inungitur, nisi quia de culminis potestate per amorem privatum debeat intumescere? Dum enim de accepta dignitate se singulariter amare voluit, velut fomentum luminis solus tulit. Unde & puer, qui comitabatur, præmittitur: quia electorum nullus ejus exempla sequitur, qui divina auctoritate reprobatur. David ergo in medio fratrum ungitur: quia electus doctor de eo, quod singulari sublimitate sustollitur, singulari amore nequaquam gloriatur. Et quia per ministerium hominum spiritualia in electis Rectoribus dona cumulantur, adjunctum est: *Et directus est spiritus Domini in David a die illa, & in reliquum.*

Ezech. 1.

Non sibi, sed suis vivat.

1. Reg. 9.

Saul, quia sibi soli victurus erat, soli a solo unctus.

David cunctis prælaturus, in medio fratrum ungitur.

Ibidem.

Unctionem quam Spiritus sancti gratia comitetur.

21. Spiritus quippe Domini post unctionem dirigitur: quia foris sacramenta percipimus, ut intus sancti Spiritus gratia repleamur. Foris namque homo, intus Deus operatur, & non homo. Foris namque homo surgit, intus se spiritus dirigit: quia ordinem religionis homo homini præbet, sed in eum, cui ordo datur, spiritus dirigitur: ut foris sublimitatem suscipiat ordinis, & intus robur sancti Spiritus. Foris ordo committitur, ut quæ Dei sunt, agere debeat: intus dirigitur spiritus, ut quod injungitur, potenter agat. Magnum quippe est onus ordinis, magna fragilitas carnis. Onus ergo tantum quia debili committitur, dirigitur spiritus: ut debilis roboretur, & magnum onus [a] tanto gratius ferat, quanto ipsum omnipotens spiritus fortius ad ferendum juvat. Sed dirigi spiritus dicitur, ut conversus a rege superbo sentiatur. Se ergo spiritus in alterum dirigit, quando ejusdem spiritus gratia superbos ac fictos fugit. Unde & scriptum est: *Spiritus Domini disciplinæ effugiet fictum*. Hinc & per semetipsum in Evangelio ait: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, aut quo vadat*. Spiritus quidem venit & vadit: quia reprobos deserit, electos assumit. Et quia judicium omnipotentis Dei imperscrutabile est, unde veniat & quo vadat, homo nescit: quia sciri non potest, an quis in gratia, quam recipit, perseverare in perpetuum debeat. Ab eo igitur, qui defecit, venire spiritus dicitur; ire ad eum, qui perseveraturus est: quia alios in tempore deserit, alios assumit, nec tamen deserit. Unde & in typo electorum de David dicitur: *Directus est spiritus Domini in David a die illa in reliquum*. In die quidem unctionis dirigitur, quando sic foris Christi sacramenta percipimus, ut intus sanctis Spiritus gratia repleamur. Et in reliquum dirigitur spiritus, quia a gratia, quam percipit, numquam recedit. Hanc quippe gratiam directi spiritus sic prędicatoribus adscribimus, ut omnibus ordinibus sanctę Ecclesię tribuamus. Quisquis enim Redemtoris nostri fidem suscipit, per redemtionis nostræ baptismum renascitur, & Spiritus sanctis gratia ab omni peccato redimitur. Unde & electis redemtis ejusdem Spiritus sancti donum insinuans Paulus Apostolus, ait: *In quo signati estis in die redemtionis*. Si ergo consideremus populum dudum in circumcisione superbum, Spiritum sanctum amittere, videmus pariter in baptizatos ejusdem spiritus directionem. In quo nos quidem dirigimur, quia per superbiam illi sancti Spiritus gratiam perdiderunt. Quid est ergo, quod dicitur: *A die illa & in reliquum*: nisi quia sancti Spiritus gratia sic recipitur, ut in ea electi usqua in finem perseverare doceantur? Multi quidem post remissionem peccatorum peccata ad mortem faciunt, in quibus nimirum spiritus in reliquum dirigi non videtur. Dirigitur ergo spiritus in electis tantum in die illa in reliquum: quia reprobis in exortu fidei per Spiritum sanctum peccata dimittuntur, sed Spiritus sancti gratiam postmodum per iniquitatem perdunt. Dirigitur namque in reliquum, sed in David: quia manu fortis interpretatur. Manu quidem fortis est quid diabolo prævalet, & bonum, quod accipit, per perseverantiam usque in finem tenet. De quibus certe Dominus ait: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*. Quod si universalis Ecclesiæ status conspicitur, spiritus Domini in David in reliquum directum videmus: quia electos sanctæ Ecclesiæ ab ejusdem Ecclesiæ primordiis Spiritus sancti gratia replere cœpit, quos usque ad mundi finem custodire non desinit.

Hæc superbos & fictos fugit.

Sap. 1. 7.

Johan. 3. 8.

Qui in accepta gratia perseveraturi sint, ignoramus.

Ephes. 4. 30.

Electorum perseverantia.

Mat. 10. 22.

22. Jam quippe juxta popositum nostrum claudi liber ad finem debet: sed ad memoriam redit, quia principia voluminis ad conversationem retulimus Redemtoris. Et quia per Johannem initium, & finis idem Redemtor noster asseritur, optimo liber fine clauditur, si in Redemtoris nostri narratione [b] consummetur. David ergo manu foris ipsum Redemtorem humani generis insinuat, qui antiquo hosti prævaluit, & de ejus potestate electos tulit. Qui Bethlehemitæ Isai filius dicitur: quia de eo populo nasci voluit, quem Scripturarum sanctarum scientia quasi ex pane saturavit. Domus quippe panis Judæa fuit, quæ solidum Scripturarum cibum in spirituali intelligentia, quasi ex pane habuit. Quid vero Samuel, nisi, ut jam sæpe diximus, novorum prædicatorum ordinem signat? Quid vero David, nii Redemtorem insinuat? Ad eum ergo ungendum Samuel mittitur. Ungere quippe eum, est ejus incomparabilem sanctificationem ignorantibus prædicare. Nam quasi ungitur, quando nescientibus opinionis ejus odor aperitur. Hunc namque ungebat, qui dicebat: *Quia ei se infundis omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Sed quid tantum

In David Christus adumbratus.

Apoc. 1. 8.

Coloss. 2. 9.

a Gussanv. tanto gravius ferat.

b Vatic. & Gilot. consumetur.

tum novos prædicatores ad ejus unctionem recipimus, cum etiam veteres tam venerabiliter unxisse videamus? Quid enim melius, ac suavius redolet, quam illud, quod in eo Propheta Isaias effudit, dicens: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini?* [a] Hinc item, qui tenetur in manibus, David ei loquens, ait: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Et post pauca: *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hunc autem Daniel unxit, & omnis unctionis sacramentum Judæis præbuit, dicens: *Cum venerit Sanctus Sanctorum, cessabit unctio vestra.* Ad ungendum ergo Propheta mittitur: quia ejus odor a parvulis numquam capitur, nisi per prædicatorum ora pandatur. Unde & tres illæ mulieres aromata præparant, & in sepulcro Redemtorem ungunt. In sepulcro quidem Jesus ungitur, cum resurrectionis ejus gloria prædicatur. Unde & cum veniunt, Jesus non invenitur: quia cum bene de Dominica morte disputant, mortuum jam resurgentem monstrant, & quasi veniendo non inveniunt: quia ubi bene mortis causam cognoscunt, vitam esse redditam per illius mortem inveniunt.

Isai. 11, 1. — Psal. 44. 3. — Dan. 9 — Marc. 16.

In eo non asperitas legis, sed singularis emicuit misericordia.

23. Sed quid est, quod implere cornu oleo jubetur? Quid namque fuit austeritas legis, nisi cornu acuitas? Quasi enim cornu percussit, dum peccata non per misericordiam indulsit, sed pœnam infligendo vindicavit. Cornu ergo oleo impletur: quia talis Rex ungitur, qui peccata hominum misericorditer dimittat, non per legis austeritatem puniat. Nam Moysi cornu præferebant, qui de ea, quæ in adulterio deprehensa fuerat, Domino dicebant: *Moyses jubet hujusmodi lapidare: tu quid dicis de ea?* Sed qui pleno cornu unctus fuerat, dicit: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Quasi cornu feriendi ille assumserat, qui dicebat: *Hic si esset Propheta, sciret qua & qualis est hæc mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.* Sed qui ex plenitudine cornu unctus Jesus fuerat, totum remittebat, dicens: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Hinc de peccatorum assumtione murmurantibus dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Cornu ergo pleno ad ungendum David Propheta mittitur, quia illum modo doctores prædicant, qui duritiam legis solvit, & omne, quod rigidum prætulit, per gratiæ suæ fomenta reparavit. An non ungebat eum ille, ad eum ungendum missus, de quo dicitur: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes: hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine?* Sed audivimus quomodo missus fuerat, audiamus quomodo ungat: *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Johan. 8. 15. — Luc 7 39. — Matth. 9. 13. — Johan 1. 6. — Ibid 29.

Ecclesiæ regnad gnitas nec austera, nec superba.

24. Potest per cornu, regni ejus videlicet, sanctæ Ecclesiæ sublimitas designari, quæ magna est; sed austera, & superba non est. De quo nimirum cornu superius per Annam Samuelis matrem dicitur: *Sublimabit cornu Christi sui.* Hinc namque per Zachariam dicitur: *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.* Cornu quidem salutis quid est, nisi sublimitas ecclesiasticæ potestatis? Nam quod antiquis nusquam dicitur, modo universali Ecclesiæ dicitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quod profecto, cornu erectum, & oleo plenum dicitur: quia sancta Ecclesia cum sublimitate potestatis, extendit viscera miserationis. Et quia per damnatæ humanitatis vitium, facilius in auctoritatem potestatis extolli possumus, quam flecti ad molliciem pietatis: bene non cornu, sed præparare oleum jubetur. Qui enim, *imple cornu tuum oleo*, dicit, cornu sine oleo esse signavit. Quid est hoc, nisi quia irasci, & arguere etiam inconsulti possumus: sed flecti ad misericordiam, nisi ex magna meditatione non possumus? Quasi dicat: Zelum, quem naturaliter habes, imple oleo, quod si non habes ex te, habere potes ex virtute. Quod certe ei dicitur, qui ungere Redemtorem mittitur: ut qui in officio prædicationis ponitur, dives esse misericordia semper conetur.

Super. 2. 10. — Luc. 1. 69. — Matth 16 19.

Christum prædicanti quid addiscendum.

25. [b] Potest hoc cornu mentis affectus ostendi. Quod certe cornu impleri præcipitur: quia perfecte debet Redemtoris nostri unctio, id est sanctificatio ante sciri, quam sufficienter valeat prædicari. Cornu ergo impletur, quando bene sanctitas Redemtoris agnoscitur. Et pleno cornu ungitur, quando optime prædicatur. Nam Johannes quia prædicando ungere venerat, quasi cornu implevit sciendo: ut eum ungere bene loquendo potuisset. Si autem bene scire impletionem volumus, audiamus quod in Evangelio dicitur: *Factum est verbum super Johannem Zachariæ filium in deserto.* Cornu ergo pleno eum unxit, qui perfecte prius a verbo doctus est, quam verbi divinitatem, & assumtam hominis naturam loqui potuisset. Sed veniens, in manu vitulum habuit: quia ut dignus præco Redemtoris fieret, carnem suam Deo per abstinentiam mactavit. Potest etiam vituli appellatione ipse Dominus designari. Quid ergo est, quod Propheta in manu vitulum tulit, nisi quia, qui Jesum vult prædicando ostendere, per mortificationem carnis debet ejus, quem prædicat, passiones imitari? Vitulum quippe in manu tenere, est similitudinem passionis Christi in virtute operationis ostendere. Aliter enim, qui ad ungendum regem venit, occiditur: quia nimirum in salutis suæ periculum prædicator veritatis efficitur, qui verbum, quod ore prædicat, prava operatione conculcat. Samuel itaque ad ungendum regem veniens, in manu vitulum tulit: quia præcursor Domini se prius mirabilem per supernæ conversationis fulgorem præbuit, & sic bonum tantæ gratiæ nescientibus indicavit.

Luc. 3. 2. — Quid faciendum. — Male operantia periculum.

Ubi & quomodo quærendus Christus.

26. Sed quid est, quod quæri inter filios Isai jubetur: nisi quia & de veteri populo nasciturus erat, & æqualem nullum habiturus? Quæri itaque præcipitur, ut ei rationabiliter credamus. Et quia per semetipsum dicit: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* bene Samueli a patre dicitur: *Unges quem monstravero tibi.* Quasi enim monstratum unxerat prius, qui ab eo, quem unxerat, audiebat: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis.* In Bethlehem ergo mittitur, quia cum secundum carnem quæritur Christus, natus ex Judæorum populo invenitur. Venit etiam in Bethlehem: quia ordo prædicatorum ante Judæam convertere studuit, & postea gentibus Redemtoris * finem prædicavit. Quid est autem, quod seniores civitatis mirantur, nisi quia, qui ad maturitatis sensum pervenerant, in tantæ novitatis prædicatione stupebant? Sed admirantes ei occurrunt, quia prædicationem veritatis libenter audiunt. Occurrere quidem prædicatoribus, est verbum fidei, quod prædicant, desideranter audire. Quid de pacifico ingressu ejus in-

Johan. 6. 44. — Matt. 16, 17. — * Legendum videtur, fidem.

a Gilot. & Vatic. hicitem.

b Vatic. & Gussanv. post hoc cornu, ubi omnino deficit sensus.

interrogant? Quid est ingressus pacificus, nisi cum præsentia pacis venerit? Hanc item pacem ostendit, qui ait: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*. Quid est ergo qood de pacifico ingressu interrogant: nisi quia patrum promissionem electorum Judæorum corda desideranter expectabant? Quasi nutantes, qui expectabant, dicant: Numquidnam venit pax, quæ se venturam, tanto temporum spatio præcurrente, prædixit? Et quia novi doctores, quod antiqui patres promiserant, exhibitum narrant, dicunt: *Pacificus*. Quasi dicat: Nos non futura promittimus, sed præsentia pacis dona monstramus. In ingressu nostro præsens est, in verbo nostro futura oon est. Jam justus Simeon vidit, jam tenuit & adoravit, dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace*. Jam Pastoribus apparuit, jam missa de cęlis diu expectata pace, Angelorum multitudo cantavit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Et quia non solum prędicare pacem venerat, sed etiam persuadere, subdit, dicens: *Ad immolandum veni*.

Eph. 2. 14.

Luc. 2. 29.

Luc. 2. 14.

Christum scire, nisi ametur, inutile.

27. Quid est sacerdoti immolare, nisi Redemtori nostro corda electorum per amorem conjungere? Quasi dicat: Vos, an venerit, scire vultis, sed non prodest sciri nisi prosit amari. *Ad immolandum ergo Domino veni*. Hinc est, quod Paulus eos, in quibus immolare non poterat, expellit, dicens: *Qui non amat Dominum Jesum, anathema sit*. Sed invitatis ad victimam dicitur: *Sanctificamini, & venite*. Judæi idcirco nobiscum ad fidei sacrificium venire nequeunt, quia Dominum Jesum ex Scripturis judicare oolunt, sed solo odio audire ejus prædicationem refugiunt. Unde per semetipsum Dominus queritur, dicens: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent, quia viderunt & oderunt me, & Patrem meum*. Quid est ergo, quod dicitur: *Sanctificamini, & venite*? Sed sanctificari auditoribus, est audiendum puræ mentis secretum præparare. Sanctificari quippe eis, est odium de corde projicere, & ad audiendum verbum prædicationis, intentionis puritatem parare. Sanctificatis ergo venire pręcipitur: quia venire nihil prodest, qui intentionem puritatis audiendo non habent. Et quia per doctores sanctos sanctus loquitur Spiritus, dicit: *Venite mecum*. Quasi dicat: Sic loquentem attendite, ut vobiscum credatis audientem: quia sic loquor, ut audiam, dum ipse sum, qui loquor, & locutionem administro. Et quia io initio nascentis Ecclesiæ multi ex Judæis, & devote audierunt, & fideliter crediderunt, bene dicitur, quia Isai & ejus filii sanctificati a Samuele sunt, & ad victimam invitati.

1 Cor. 16. 22.

Joh. 15. 24.

Quantum ceteris Sanctis antecellat.

28. Sed in septem Isai filiis rex non invenitur. Quid enim septem Isai filii, nisi omnes sunt Synagogæ perfecti? Qui ad Prophetam veniunt, sed eorum nullus eligitur: quia electus prædicator, & perfectos Synagogæ filios aspicit, & ex eis Redemtorem humani generis nullum credit. Adducit ergo omnes priores filios, ut cum perfectos omnes aspicimus, Redemtoris excellentiam cogitemus. In quibus profecto nisi parvulus adducitur, rex esse a Domino non monstratur: quia nimirum cum Redemtori nostro magnos viros conferimus, quantum excellat ejus dignitas, videtur. Non invenitur ergo in aliis, quia puri homines sunt. Quęritur ergo in pascuis puer, qui pascit oves: quia usque ad mortem patri obediendo se subdit: *generationem tamen ejus quis enarrabit?* Parvulus quippe dicitur, quia humilitatis ejus gratia commendatur. Parvulus ergo dicitur, qui minoratus ab Angelis per Psalmistam perhibetur. Sed parvulus oves pascit, quia per humilitatem est humilis, & per majestatem sublimis. Hic laborat & esurit, sed ibi de gloria majestatis suæ Angelos pascit. Dum enim de plenitudine glorię ejus omnes accipiunt, quasi in illis beatissimis pascuis per puerum saturantur. Parvulus etiam pastor asseritur: quia de carnis ejus assumtione, superni cives ineffabiliter gaudent. Gaudium quippe illud ineffabile beatorum civium, quasi ovium cibus est. Hic ergo adduci instanter præcipitur, hic donec veniat, discubitus necesse est differatur. Discumberet quippe, antequam veniret, si plebs in alium credidisset. Expectari ergo debuit, qui beatarum animarum singularis & unicus cibus fuit. Unde & per semetipsum dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Sed quia *qui ascendit, ipse est, qui descendit*, illuc mittitur, ut adducatur. Mittere namque ad pascua, est mentem supra Angelos usque ad ęqualitatem ęterni patris extendere. Et invenire eum, est summo patri eum per omnia æqualem credere. Adducit autem eum, qui etiam ad Redemtionem humani generis per assumtam humanitatem venisse jam asserit. Miserat namque, & adduxerat eum huc, ad quem in ejus typo mittitur, cum dicebat: *Qui de cælo venit, super omnes est*. Parvum pascentem oves adducebat Isaias, cum dicebat: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*. Sed quia doctoris fides ad salutem sibi tantum, oon etiam auditoribus proficit; mitti, & adduci præcipitur, ut unusquisque fidem ejus habeat, per quam salvari mereatur. Ire etenim singuli, & adducere eum debent, quia firmiter debent eum credere per divinitatem æterno Patri ęqualem, & per humanitatem naturę nostræ participem.

Isai 53. 8.

Psal. 8.

Joh. 1.

Joh. 6. 51.

Eph. 4. 10.

Eum non inveniunt, nisi qui patri æqualem credunt.

Joh. 3. 31.

Isai. 9. 6.

Christi decor & pulchritudo.

29. De cujus etiam descriptione dicitur: *Qui erat rufus, & pulcher aspectu, & decora facie*. Rufus quippe, qui lancea vulneratus: rufus, quia ex passione rubicundus. Unde & per Prophetam ei dicitur: *Quare rubrum est indumentum tuum?* Rufus quippe extitit, qui candorem tantæ innocentię pretiosi sanguinis rubore coloravit. Pulcher etiam aspectu fuit, quia & resurgendo immortalitatis pulchritudinem induit, & mortales nos ex magna caritate respexit. Quasi enim aspectus sui pulchritudinem repromittens discipulis, ait: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum*. Hinc item repromittens, ait: *Vado parare vobis locum, & veniam, & accipiam vos ad meipsum, ut, ubi ego sum, & vos sitis*. Quis est decor faciei, nisi ejus gloria majestatis? Facies namque ejus perfecta cognitio est. Hanc etiam Paulus commemorans, ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*. Decor ergo faciei quid est, nisi splendor æternæ divinitatis? Qui nimirum decor modo creditur, oon videtur: tunc non creditur, sed videtur, quia Apostolus ait: *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*. Unde & Moysi quærenti eumdem faciei decorem, respondit: *Posteriora mea videbis*. Quidquid de illius divinitate contemplari nunc possumus, non est ipse decor, sed velamentum decoris. Posteriora quidem cernimus, ut sequamur: sed dum sequendo pervenimus ad eum, anteriora, id est faciei decorem cernimus.

Isai. 63. 2.

Joh. 16. 22.

1 Cor. 13. 12.

1 Joh. 3. 2.

Exod. 33. 23.

Rufus ergo in seculo fuit pulcher in paradiso, decora facie perennis in cælo. Potest & omuis hæc trina pulchritudo in hac præsentis vitæ ejus conversatione cognosci. Rufus quippe extitit: quia serventer amavit eos, pro quibus animam posuit. Pulcher aspectu fuit; quia omnia novit. Decora facie; quia bona omnia fecit. Sed quæ illa aspectua pulchritudo? *Nemo novit patrem nisi filius.* Hunc item Petrus admirans, ait; *Nunc scimus, quia scis omnia, & non est opus, ut quis te interroget.* Decorem faciei turbæ intuentium protestantur, quæ dicunt: *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Hinc item alii admirantes, dicunt: *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Decor ergo faciei quid est, nisi pulchritudo sanctitatis? Quid item est decor faciei, nisi splendor conversationis ejus incomparabilis? quia per omne, quod egit, incomparabili luce gratiæ resplenduit. Hunc namque faciei decorem Psalmista admirans, ait: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Hanc Paulus prędicans, ait: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dextram majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* De hoc igitur recte Prophetæ præcipitur: *Surge, & unge eum, ipse est enim.*

Matt. 11. 27. Joh. 16. 30. Marc 7. 37. Matt. 8. 27. Psal. 44. 3. Hebr. 1. 3.

30. Petrus quoque Apostolus non solum Propheta, sed summus Patriarcha, vidit inenarrabilem lucem fusam desuper, nubem obumbrantem, clamantem patrem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ibi dicitur: *Ipse est enim.* Hic dicitur: *Hic est filius meus dilectus.* Ibi quia in typis ostendebatur, quasi absentior cernitur, dum dicitur: *Ipse est.* Hic autem, quia jam revelata claritas ejus erat, præsentior cernitur, quia dicit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hic ergo ungendus est, hic laudandus, & perpetuis favoribus demulcendus. Sed quis digne laudare sufficiat, cum non sufficiat gloriam videre, quam laudat? Quid est, quod Petrus cadit, cum vocem audit insonantem tanti verba præconii? Sed parvulus erat, adhuc videbat, quod videre non sufficiebat. Videbat, & quia videndo cadebat, significat, quod ad id non poterat attingere quod merebatur videre. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Quia ergo Petrus nondum illam plenitudinem spiritus acceperat, prędicare Jesum quasi parvulus non valebat: ergo surgere jubetur prius & visionem nemini dicere, donec a mortuis resurrexisset. Post resurrectionem quippe accepturus erat Spiritum sanctum. Unde scriptum est: *Nondum erat spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.* Nondum debebat ergo Petrus ante resurrectionem visionem dicere, quoniam quidem bene vidit, sed antequam spiritum haberet, non intellexit.

Petrus non solum Propheta, sed summus Patriarcha, ejus gloriam tantum imperfecte vidit. Matt. 17. 5. Marc. 1. 11. Luc. 3. 22. 2 Petr. 1. 17. 1 Cor. 12. 3. Joh. 7. 39.

31. Quid est ergo, quod ad Samuelem Dominus ait: *Surge, & unge eum?* Quid est, quod surgere jubetur, ut ungat: nisi quia multum oportet eum erigi ad superna, qui sublimitatem Domini gestit prædicare? Sed quantum erectus erat Petrus, qui ad videnda sustollebatur? Sed si ille adhuc altiorem statum perfectionis expectat, quis tantæ prædicationis officium subire non metuat? Si Prophetam Dominus surgere admonet, prædicare Dominum audet, qui per lapsum pravitatis jacet? Hinc est enim, quod unicuique prædicatori per Isaiam præcipitur: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion.* Mons excelsus, perfectio doctrinæ, & operis est. Surgat ergo qui ungere regem præcipitur, in sublimia se extendat. Surgat in alto opere, surgat in alta contemplatione, surgat in sapientia verbi, surgat in virtute caritatis. Ille quidem, qui prædicando ungitur, tantus est, ut vix ad eum a sublimibus perveniatur. Et fortasse Paulus hunc ideo ungere poterat, quia dicit: *Nostra conversatio in cælis est.* Ideo hunc ungere poterat, quia ad tertii cæli secreta se erexerat, & in paradiso arcana verba audiebat. Quia ergo Dominus Jesus sublimiter a sublimibus prædicari debet, surgere Propheta pręcipitur: quia eum, per quem ipse signatur, ungere jubetur. Alta quidem, immo altissima hæc perfectæ conversationis virtus est, sed a multis perfecte perficitur. Magna quidem sublimitas hęc est, sed tamen sublimes Ecclesia sancta multos habet. Nam ex quo Synagogam repulit, in innumerabilem celsitudinem virtutis sanctam Ecclesiam sublimavit. Bene ergo dicitur: *Et directus est spiritus Domini in David a die illa in reliquum.* Dies quidem est fides Redemtoris: in que nimirum & sancta Ecclesia illuminatur, & repulsa Synagoga mira cęcitate deprimitur. In die ergo illa Spiritus sanctus in David dirigitur: quia ejus gratia Synagogæ tollitur, & sanctæ Ecclesiæ electis datur. Dirigitur enim, qua illos deserit, istos assumit. Sed in die dirigitur, quia qui in fide Redemtoris illuminatus non est, in se se dirigentem spiritum habere non potest. Spiritus ergo in die dirigitur, quia fidei lumen habentibus datur. Dirigitur autem in David, quia hunc sola sancte Ecclesia suscipit, quæ corpus est Redemtoris. Sed quia, auctore Deo, ea, quę proposuimus, de libro Regum tractanda complevimus, orandus est summus atque omnipotens Spiritus, ut qui verba per quem voluit, protulit, tam scribenti, quam legenti tribuat affectum virtutis. Amen.

Illam prædicare non audent, nisi qui ad cælestia eriguntur. Isai. 40. 9. Philip. 3. 20.



ADMO-

ADMONITIO
IN SUBSEQUENTEM
CANTICORUM EXPOSITIONEM.

I. CUM *ex omnibus sacræ scripturæ Canticis, illud præstantissimum sit, quod ideo* Canticum Canticorum *eam ab Hebræis, quam a Græcis & a Latinis dicitur: mirum videri non debet in ipso interpretando & exponendo, non solum ex Christianis, sed etiam ex Judæis tot virorum eruditorum ingenia desudasse. Inter Hebræorum doctores celeberrimi recensentur Rabbi Salomon, Aben Ezra, David Kimbi. At ex Christianis, ut a Græcis incipiamus, insigniores Ecclesiæ Græcæ Patres ac magistri, in investigandis & eimandis hujus divini Cantici mysteriis suam exercuerunt industriam; præsertim Origenes, Gregorius Nyssenus, Theodoritus. Inter Latinos autem, omissis etiam recentioribus interpretibus, Nicolao Lyrano, Hugone Cardinali, Dionysio Carthusiano, & sexcentis aliis; quotquot fere seculis superioribus pietatis ac doctrinæ laude floruerunt, in hujus sacri Cantici reconditis sensibus, unde se aliosque ad divinum amorem inflammarent, sollicite scrutati sunt: In his Thomas Aquinas, Honorius Augustodunensis, Ricardus a S. Victore, Bernardus Claræ-vallensis, Rupertus Tuitiensis Abbas, Robertus de Tumbalenia, cujus Commentarii meminit Ordericus Vitalis lib. 8. ad an.* 1087. *Angelomus Luxoviensis, Alcuinus, Venerabilis Beda, Aponius, Cassiodorus, aut quivis alius auctor Commentarii Cassiodoro adscripti, & Justus Urgelitanus. Julianum Celanensem, vel potius Eclanensem, in Campania Episcopum, quem in Cantica scripsisse testatur Venerabilis Beda, præterimus, utpote gratiæ hostem, qua in hoc libro sacro copiosissime effunditur.*

Canticum Canticorum qui exposuerint, & sint interpretati.

Ex Judæis.
Ex Græcis.
Ex Latinis.

Lib. 1. in

II. *Attamen ante nostrum Gregorium, ex quatuor sanctis Doctoribus, quos potissimum colit & observat Ecclesia Latina, nemo data opera librum Cantici Canticorum explanare aggressus fuerat.*

Ex quatuor primariis Latinorum doctoribus, solus Gregorius.

Itaque non satis fuit sanctissimo Patri sparsim suis scriptis excerptos ex Cantico Canticorum flores interserere, & adjectis juxta multiplices Scripturæ sacræ sensus, variis interpretationibus, velut totidem vittis coccineis & aureis innectere (ex quibus tamen flosculis, eorum odore delectatus Venerabilis Beda, integrum librum septimum in Cantica contexuit; quo in scribendi genere Paterium sibi prælusisse libenter fatetur:) verum suavissima divinorum mysteriorum in illo sacro libro reconditorum contemplatione inebriatus, in Commentario quem hic edendum aggredimur, quod assidua meditatione biberat, eructavit.

III. *Egregiam quidem hanc expositionem Gregorio nostro abjudicare conatus est, qui ipsius operibus evulgandis ultimus insudavit Petrus Gussanvillæus; quem errantem olim secuti sumus in vita sancti Gregorii gallice scripta: cum nondum incidissemus in tot libros manu exaratos, tum expositionis hujus, in quibus hucusque magna ex parte latitarat, tum genuinæ collectionis Paterianæ, ex qua invictum eruitur argumentum, ad hoc opus Gregorio adscribendum. Verum rationes omnes, quibus opinionem suam adstruit, exsufflare operosum non est, ex tot veteribus monumentis in lucem a nobis erutis.*

Expositio in Cantica ipsi abjudicatur a Gussanvillæo.

IV. *Sane inficiari nemo potest Gregorium de Canticis Canticorum disseruisse, & Homilias habuisse, quæ ab ejus discipulo Claudio postea Abbate descriptæ sunt: id enim docet ipse epist.* 24. *libri* 12. *Indict.* 5. *Johanni Subdiacono, jam laudata in Præfatione ad Commentarium in librum primum Regum.*

Sancto doctori asseritur, ex ipsius testimonio.

Præterea non negat ipse Gussanvillæo Ildefonsum Toletanum Episcopum, opus morale in Cantica Canticorum Gregorio nostro tribuere. Neque vero tanti viri auctoritatem elevare absque negotio est, ut putat Gussanvillæus. Sexaginta solummodo annis Gregorio junior fuit Ildefonsus; floruitque Hispanica in Ecclesia, quæ prima fere libris eximii hujus Pontificis potita est, nempe missis ad S. Leandrum Hispalensem Episcopum ejus amicissimum.

Et sancti Ildefonsi.

Libenter tamen assentimur Gussanvillæus respondenti, unius Paterii hac in causa auctoritatem, multis præponderare. *As pro nobis militat ipse Paterius, non quidem spurius, qualem Gussanvillæus edidit, alios prius errantes secutus; sed genuinus & sincerus, quem ex plurimis indubitatæ fidei mss. mox in lucem sumus emissuri. Nimirum in explanatione Evangelii secundum Lucam cap.* 17. *ad illa verba*: Et erat pernoctans in oratione Dei. *legitur in Paterio nostro.* Item de eodem, in expositione Cantici Canticorum lib. 1. Compunctio quæ per caritatem fit, quæ ex desiderio accenditur, quasi quoddam osculum est. Toties enim

Præsentiique Paterii.

 anima

anima osculatur Deum, quoties in amore ejus compungitur, *&c. ut leges lib.* 1 *num.* 5. *pene integro; scilicet usque ad hæc verba*: nulla necessitas est (*vel* nequaquam necesse est.) ut solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus. *Hæc in omnibus veri Paterii codicibus, quos consulere nobis licuit, extant; nimirum in Vaticano, in Belvacensi S. Petri, in Beccensi, in Val-cl. & in Michaelino; quæ diu casso labore in expositione Cantici Canticorum Gregorii nomine in vulgatis munita inquisivimus. At in omnibus mss. quos mox recensebimus, loco jam indicato, totidem verbis leguntur. Ergo Paterius Gregorii discipulus & Notarius pro legitimo sancti Patris fœtu habuit expositionem in Cantica Canticorum, pro qua hic decertamus. Si cui vero scrupulus superesset de nostri Paterii sinceritate, legat quæ ad eum præfati sumus: ubi non solum indubitatis testimoniis, Paterio restituimus ipsius Collectanea e tenebris eruta, verum etiam Alulfo longe sequioris ævi Monacho vindicamus excerptiones, quæ pro Paterianis hucusque venditatæ sunt. Nunc vero mss. codicum Expositionis in Cantica fides statuenda est ac sinceritas; ex qua dirimendæ hujus controversiæ ratio aliqua ex parte pendet.*

Idem ex mss. fide confirmatur. Divionensis. V. *In primis magnam antiquitatem redolet codex Divionensis S. Benigni, ubi legitur*: In nomine Domini, &c. Incipit Expositio in Cantica Canticorum Beati Gregorii Papæ urbis Romæ. Postquam a Paradisi gaudiis, &c. *In homilia prima continetur insignis locus a Paterio prolatus. In his verbis desinit Homilia prior*, tunc enim post currimus, quando & amando & timendo divina judicia non prævenimus.. *Post hæc verba quæ leges lib.* 1. *n.* 11. *in fine, sequitur*. Explicit Hom. 1. Incipit .2 INTRODUXIT me rex &c. Ecclesia Dei quasi quædam domus regis est. Et ista domus, &c.

Mirum non videbitur hic in homilias distribui hoc Gregorii opus; cum in ejusdem Epistola superius in testimonium adducta constet Expositiones in lib. Regum, in Cantica, &c. ex Homiliis exceptas & collectas fuisse: Quia, *inquit*, carissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis Canticorum... de libris quoque Regum...... quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo sensu & stylo dictavit, &c. *Ad primam igitur ac rudiorem hujus operis delineationem spectando, potuit in Homilias dividi. Tempore tamen Paterii partitionem in Libros jam receptam fuisse liquet, cum insignem locum pro compunctione decerptum laudet ex libro primo Expositionis S. Gregorii in Cant.*

Turonensis. *Hæc varios in Libros divisio perseverare videtur in codice optimæ notæ S. Martini Turon. plusquam* 500. *annorum. Nam initio præmittitur:* Incipit liber I. Beati Gregorii Papæ urbis Romæ super Cantica: POSTQUAM a paradisi. *Qui usque ad Versum* 3. *capitis* 1. *Cant.* Introduxit me rex, *continuatur: hic enim, quasi alterius libri exordium sit, linea incipit a maxima littera. Ibi etiam absolvitur prima Homilia in codice Divionensi, & in Val-cl. similis divisionis extant signa. Secundus hic liber pervenit usque ad partem versus noni cap.* 2. En ipse stat post parietem, &c. *quæ verba præmissa littera quadrata maxima inchoant lineam, & novum veluti librum, scilicet tertium. Desinit hic in expositione versus* 5. *capitis* 4. *post quam sequitur, adhibita maxima littera initio lineæ*: Vadam mihi ad montem myrrhæ, *qui Versus est ejusdem capitis sextus. Quartus liber hinc incipiens protrahitur usque ad versum* 3. *capitis* 6. Pulchra es, amica mea, *quæ eodem modo scribuntur ac aliorum librorum initia; unde conjicimus hic libri* 5. *esse exordium, cujus finis, simulque sexti libri & ultimi principium, signari videntur ad hæc verba versus noni capitis* 6. Quæ est ista quæ progreditur, &c. *ut ex grandiori littera initio observata deprehendimus. Libro primo occurrit prolatus a Paterio de compunctione contextus, uti in aliis mss. infra enumerandis.*

Vallis-clar. *Horum præstantior est, qui in monasterio Vallis-Claræ asservatur, imo ceteris a nobis adhibitis ob antiquitatem elegantiamque videtur anteponendus; ideoque accuratius hic describendus. Codex hic primo loco continet librum Regulæ Pastoralis, in cujus calce legitur litteris rubris.* Explicit liber Pastoralis beati Gregorii Papæ urbis Romæ. *Deinde eadem manu, iisdemque characteribus minio splendentibus*: Incipit Prologus beati Gregorii Papæ super Cantica. POSTQUAM a paradisi &c. *Absoluto Prologo, minio scriptum legitur*: Explicit Prologus. Incipit Explanatio in Canticis Canticorum. OSCULETUR ME. *Nulla est hoc in codice sive librorum, sive capitum distinctio. Ultima verba sunt, uti in editis & in nostris mss.* Cui pro nobis tradito in mortem, & resurgenti in immortalitatem, nos ipsos & spiritum & corpus debemus. Qui vivit, &c. *Mox subditur*. Explicit Expositio beati Gregorii Papæ super Cantica Canticorum.

Eadem manu codex videtur exaratus ac priores chartæ ad monasterii fundationem dotationemque pertinentes: illius autem Cœnobii exordium assignatur ann. 1134. *Lectum olim fuisse codicem hunc in conventu Fratrum ante Completorium, ut apud Cistercienses & alios sub S. Benedicti regula militantes Monachos moris est, manifestum fit ex interpunctione ac notulis vocem modo attollendam, modo deprimendam signantibus. Unde non leve argumentum suppetit,*

tit, scriptum fuisse & ad quotidianas lectiones publicas adhibitum fuisse, antequam eximium S. Bernardi opus super Cantica elucubratum foret, aut saltem vulgatum. Neque enim par est credere Cistercienses, post hanc Canticorum explanationem ceteris longe præstantissimam, in lucem emissam a tanto Cisterciensis familiæ alumno, imo patre, aliam legendam in collatione ante Completorium adhibere voluisse.

Ex codicis hujus antiquitate facile conficitur Prologum in eo descriptum: Postquam a paradisi, *Richardo Victorio immerito attributum; qui nimirum de scribendo super Cantica necdum fortasse cogitaverat, quando laudatus codex est exaratus. Quid igitur responderent Richardi operum editores, si ipsis exhiberentur codices Richardo longe antiquiores, qualis est codex Divionensis, de quo jam dictum, seculo* 10. *vel saltem* 11. *descriptus?*

Uticensis Codex.

Ad hanc ætatem accedit Uticensis seu Monasterii S. Ebrulphi codex. Hic quidem (ne quidquam dissimulare videamur quod causæ nostræ officiat) S. Gregorii, vel alterius auctoris nomen non habet, aut in exordio, aut in fine; sed simpliciter legitur: Incipit Prologus, &c. *Verum cum in ipso, sicut in ceteris mss. legatur insignis sententia de Compunctione, quam Paterius Collectioni suæ inserendam judicavit, dubitare non licet, quin assutus Expositioni Gregorianæ Prologus, his verbis continuo & consequenter scriptis:* Explicit Prologus. Incipit Expositio super Cantica Canticorum, *pro Gregoriano tunc habitus sit. Verum qui codicem hunc descripserunt, & in eo multa ex diversis Patribus opuscula complexi sunt, non solent ipsis auctorum nomina præfigere. Liber hic accuratissime est exaratus, ita ut in ipso vix unum mendum notaverimus. Non dividitur in Libros, aut in Homilias; imo nec in capitula; sed eadem serie scriptura decurrit absque ulla linearum interruptione, etiamubi absoluta unius versus explicatione, alius profertur explanandus; si septem dumtaxat versus excipias, qui lineam incipiunt, scilicet:* Filii matris meæ pugnaverunt adversus me. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Egredimini filiæ Sion. Duo ubera tua sicut duo hinnuli. Revertere, revertere Sunamitis. Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens? Vinea fuit pacifico. *Alii tamen versus plurimi littera grandiori rubra incohantur, at non interrumpitur idcirco scripturæ series.*

Remensis & Theodericensis.

Ultimo loco commemorandi veniunt duo alii codices, unus ex Bibliotheca Remigiana apud Remos, alter ex Theodericensi Monasterio, non longe ab eadem urbe. Uterque codex 400. *annorum ætatem non superat, sed Theodericensis ex longe antiquioris ejusdem Monasterii, qui nunc desideratur, descriptus est.*

Magistri sent. & S. Thomæ hac de re sententia.

VI. *Tot mss. inspectione, testimonioque præsertim Paterii confirmati, non dubitavimus quin Gregorio lucubratio hæc, tanto sane doctore digna, restituenda foret. Accessit Magistri sententiarum auctoritas, lib.* 1. *dist.* 37. *num.* 1. *ubi legitur:* Beatus Gregorius super Cantica Cantic. inquit, LICET Deus communi modo omnibus rebus insit, præsentia, potentia, substantia, &c. *quem locum laudat etiam S. Thomas. Etsi vero uterque in hac sententia laudanda, videatur hallucinatus (abest enim ab expositione in Cantica) inde tamen probatur Petri Lombardi temporibus, qui floruit duodecimo seculo, Richardique Victorini coævus fuit, ac postea, dubium non fuisse S. Gregorium exposuisse Cantica; cujus opus tunc in omnium manibus versabatur.*

De breviori Expositione ejusque Prologo sub nomine S. Gregorii vulgatis, quid sentiendum.

VII. *Neque vero quis suspicetur, pro Gregoriano potius opere habendum, quod jam typis mandatum est, cujus Prologus ita incipit:* Quia si cæco, si longe a Deo posito. *Extant sane nonnulli codices mss. in quibus ita legitur Prologus, quem sequitur Expositio ab his verbis incipiens:* Os sponsi inspiratio Christi, &c. *ut in vulgatis. Tres invenimus Parisiis in Bibliotheca Victorina, in quibus auctoris nomen tacetur, nisi quod in uno recentior manus S. Gregorium inscripsit, cum alterius nominis erasi supersint vestigia. His aut similibus codicibus usi sunt, qui priorem expositionis Gregorii in Cantica editionem curarunt Parisiis apud Rembolдum ann.* 1498. *quam videre nobis non licuit; at usi sumus alia Parisiensi anni* 1518. *Gilotiana* 1571. *Vaticana, &c. Et facile deprehendimus Prologum hunc nihil aliud esse quam nostri compendium, quod cuilibet legenti & conferenti statim patebit.*

Quod spectat ad Expositionem jam vulgatam, quæ a nostra discrepat, usque ad illa verba: Pulchræ sunt genæ tuæ, *vers.* 9. *cap.* 1. *post indubitatum Paterii testimonium pro nostra prolatum, hanc alteri anteponendam esse quis neget?*

Noverat hoc opus Johannes Trithemius, qui in indice voluminum a S. Gregorio Papa scriptorum, quem ipse Gussanvillæus exhibet, illa designans per priora verba a quibus incipiunt, istud commemorat: Scripsit, *inquit,* plura necessaria volumina, in quibus feruntur subjecta: In lib. Job: *inter multos sæpe quæritur* .... In Cantica Cantic. *Postquam a paradisi gaudiis, &c.*

VIII. *Itaque tot in mss. latitans insigne opus e tenebris eruendum & publica luce donandum*



SANCTI GREGORII PAPÆ SUPER CANTICA CANTICORUM EXPOSITIO.

a

[a] *PROOEMIUM.*

Hominis cæci as post lapsum.

1. POSTQUAM a paradisi gaudiis expulsum est genus humanum, in istam peregrinationem vitę pręsentis veniens, cęcum cor a spirituali intellectu habet. Cui cæco cordi si diceretur voce humana, sequere Deum, vel dilige Deum, sicut ei in Lege dictum est: semel foris missum & per torporem infidelitatis frigidum, non caperet quod audiret. Idcirco per quædam ænigmata fervo divinus animæ torpenti & frigidæ loquitur, & de rebus quas novit, latentar insinuat ei amorem quem non novit.

Et torpor. Cæco & frigido loquitur Deus per ænigmata.

2. Allegoria enim animæ longe a Deo positæ quasi quamdam machinam facit, ut per illam levetur ad Deum. Interpositis quippe ænigmatibus dum quoddam in verbis cognoscit quod suum est, in sensu verborum intelligit quod non suum est; & per terrena separatur a terra. Per hoc enim quod non abhorret cognitum, intelligit quoddam incognitum. Rebus enim nobis notis, per quas allegoriæ conficiuntur, sententiæ divinæ vestiuntur; & dum ea cognoscimus exteriora verba, pervenimus ad interiorem intelligentiam.

Allegoria, tamquam machina, a terra sublevamur.

3. Hinc est enim quod in hoc libro, qui in Canticis canticorum conscriptus est, amoris quasi corporei verba ponuntur, ut a torpore suo anima per sermones suæ consuetudinis refricata recalescat; & per verba amoris qui infra est, excitatur ad amorem qui supra est. Nominantur enim in hoc libro oscula, nominantur ubera, nominantur genæ, nominantur femora; in quibus verbis non irridenda est [b] sacra descriptio, sed major Dei misericordia consideranda est: quia dum membra corporis nominat, & sic ad amorem vocat, notandum est quam mirabiliter nobiscum & misericorditer operatur. Qui ut cor nostrum [c] ad instigationem sacri amoris accenderet, usque ad turpis amoris nostri [d] se verba distendit. Sed unde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat: quia ex sermonibus hujus amoris discimus qua virtute in divinitatis amore ferveamus.

Hinc Canticum canticorum allegorice scriptum.

Verba carnalis amoris in eo usurpata, qui intelligenda.

4. Hoc autem nobis solerter intuendum est, ne cum verba exterioris amoris audimus, ad exteriora sentienda remaneamus: & machina, quæ ponitur ut levet, ipsa magis opprimat, ne levemur. Debemus ergo in verbis istis corporeis, in verbis exterioribus quidquid interius est quærere, & loquentes de corpore, quasi extra corpus fieri [e] debemus. Ad has nuptias sponsi & sponsæ cum intellectu intimæ caritatis, id est cum veste venire nuptiali necesse est: ne si veste nuptiali, id est digna caritatis intelligentia non induimur, ab hoc nuptiarum convivio in exteriores tenebras, id est in ignorantiæ cæcitatem repellamur. Debemus per hæc verba passionis transire ad virtutem impassibilitatis. Sic est enim Scriptura sacra in verbis & sensibus, sicut pictura in coloribus & rebus: & nimis stultus est qui sic picturæ coloribus inhæret, ut res quæ pictæ sunt ignoret. Nos enim si verba quæ exterius dicuntur, amplectimur, & sensus ignoramus; quasi ignorantes res quæ depictæ sunt, solos colores tenemus. *Littera occidit*, sicut scriptum est, *spiritus autem vivificat*: si enim littera cooperit spi-

Scriptura sacra picturæ similis.

2. Cor. 3. 6.

a In Cod. Rot. *Prologus*, ut in edit. Richard, a S. Victore.
b Rich. *Sacra Scriptura*.
c Rem. & Theod. *ad investigationem*. Sequimur Rotom. Val-cl. & edit. Rich.
d Abest *se* a Theod. & Rem. In Rotom. & Rich. legitur, *ad turpis amoris nostri verba descendit*.
e Hic versum in Val-cl. & in Rich. incipit sequentem periodum, in qua minime legitur, *necesse per*.

Littera, quasi palea qua frumentum tegitur, vesci jumentorum est, non hominum, ratione utentium.

spiritum, sicut palee tegit frumentum; sed jumentorum est, paleis vesci; hominum, frumentis. Qui ergo humana ratione utitur, jumentorum paleas abjiciat, & frumenta spiritus edere festinet: ad hoc quippe utilis est, ut mysteria litteræ involuta tegantur. Hinc enim scriptum est: *Sapientes abscondunt intelligentiam*. Quia nimirum sub tegmine litteræ spiritalis intelligentia cooperitur. Hinc rursum in eodem libro scriptum est: *Gloria Dei celare verbum*: Menti enim Deum quærenti tanto Deus gloriosius apparet, quanto subtilius atque interius investigatur, ut appareat: sed numquid quod in mysteriis Deus celat, nos requirere non debemus? Debemus utique, nam sequitur: *Et gloria regum investigare sermonem*. Qui enim jam corpora sua vel motus carnis regere & investigare noverunt, reges sunt. Regum ergo gloria investigare sermonem, quia bene viventium laus est perscrutari secreta mandatorum Dei. Humanæ ergo conversationis verba audientes, quasi extra homines esse debemus: ne si humanitus quæ dicuntur audimus, nihil divinitatis de his quæ audire debemus, sentire possimus. Quasi jam non homines desirabat esse Paulus discipulos suos, quibus dicebat: *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne homines estis?* Quasi jam non æstimabat homines discipulos suos Dominus, eum dicebat: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Cui cum verba hominum respondissent, illico adjunxit: *Vos autem quem me esse dicitis?* Cum enim supra dicit, *homines*, ac deinde subjungit: *Vos autem*; inter homines & discipulos quamdam distantiam facit, quia videlicet divina eis insinuans, esse eos super homines faciebat; ut ait Apostolus: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt.* Et scimus quia in resurrectione nostra ita corpus spiritui adnectitur, ut omne quod fuerat passionis in virtute spiritus assumatur. Is ergo qui Deum sequitur, imitari debet quotidie resurrectionem suam; ut sicut tunc nihil passibile habebit in corpore, ita nunc nihil passibile habeat in corde: ut secundum interiorem hominem jam nova creatura sit, jam quidquid vetustum fuerit calcet, & in verbis veteribus solam vim novitatis inquirat.

Prov. 10, 14. Prov. 25. 2. Ibidem. 1. Cor. 3. 3. Matth. 16. 13. 2. Cor. 5. 17.

Scriptura sacra mons umbrosus. Habac. 3. 3.

5. Scriptura enim sacra mons quidam est, de quo in nostris cordibus ad intelligendum Dominus venit: de quo monte per Prophetam dicitur: *Deus a Libano veniet, & Sanctus de monte umbroso & condenso*. Iste mons & condensus est per sententias, & umbrosus per allegorias. Sed sciendum est quia cum vox Domini in monte sonat, vestimenta lavare præcipimur, & ab omni carnis inquinatione mundari, si ad montem accedere festinamus. Scriptum namque est, quia, *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur*. Bestia enim tangit montem, quando irrationabilibus motibus dediti, Scripturæ sacræ celsitudini propinquant, & non eam secundum quod debent, intelligunt, sed irrationabiliter ad suæ * voluptatis intelligentiam flectunt. Omnis enim absurdus, vel sensu piger, si circa hunc montem versari studuerit, atrocissimis sententiis veluti lapidibus necatur. Ardet enim mons iste, quia Scriptura sacra videlicet, quem spiritaliter replet, amoris igne succendit. Unde scriptum est: *Ignitum eloquium tuum*. Unde cum verba Dei audirent quidam in via ambulantes, dixerunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis Scripturas?* Unde per Moysen dicitur: *In dextera ejus ignea lex*. Sinistra Dei iniqui accipiuntur, qui in dextera parte non

Ad quem non accedunt carnalibus dediti. Hebr. 12. 20. * Forte leg. voluntatis. Scriptura sacra ignis. Ps. 118. 140. Luc. 24. 32. Deuter. 33. 2.

transeunt; dextera Dei electi sunt, qui a sinistris separantur. In dextera ergo Dei lex ignea est; quia in electorum cordibus, qui ad dexteram ponendi sunt, flagrant divina præcepta, & caritatis ardore succensi sunt. Iste ergo ignis, quidquid in nobis est exterius rubiginis & vetustatis, exurat, ut mentem nostram velut holocaustum in Dei contemplatione offerat.

6. Nec vacue attendendum est quod liber iste non Canticum, sed Canticum canticorum vocatur: sicut enim in veteri Testamento alia sunt Sancta, & alia Sancta Sanctorum, alia Sabbata, & alia Sabbata Sabbatorum; ita in Scriptura sacra, alia sunt Cantica, & alia Cantica canticorum. Sancta erant quæ in Tabernaculo, & quæ exterius agebantur: Sabbata erant quę & singulis hebdomadibus celebrabantur; sed Sancta Sanctorum secretiori quadam veneratione suscipiebantur, & Sabbata Sabbatorum nonnisi in suis festivitatibus colebantur. Ita Cantica canticorum secretum & solemne quoddam interius est, quod secretum in occultis intelligentiis penetratur. Nam si exterioribus verbis attenditur, secretum non est.

Unde hic liber Canticum canticorum dictus.

7. Sciendum est etiam, quia in Scriptura sacra alia sunt Cantica victoriæ, alia Cantica exhortationis & contestationis, alia Cantica exultationis, alia Cantica adjutorii, alia Cantica conjunctionis cum Deo. Canticum victoriæ est, quod Maria transacto mari rubro cecinit, dicens: *Cantemus Domino; gloriose enim honorificatus est: equum & ascensorem projecit in mare*. Canticum exhortationis & contestationis est, quod Moyses Israelitis ad terram promissionis propinquantibus dixit: *Attende cælum quæ loquar, audiat terra verba ex ore meo*. Canticum exultationis est, quod Anna perspecta fecunditate Ecclesiæ in semetipsa, cecinit dicens: *Exultavit cor meum in Domino*. Ubi per semetipsam figuratam fecunditatem prolis Ecclesiasticæ expressit, cum dicit: *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est*. Canticum adjutorii David quod post prælium cecinit, dicens: *Diligam te Domine virtus mea*. Canticum vero conjunctionis cum Deo, hoc est quod in nuptiis sponsi & sponsæ canitur, idest Canticum canticorum; quod tanto est omnibus Canticis sublimius, quanto & in nuptiis solemnitatis sublimioris offertur. Per illa enim Cantica vitia devitantur, per ista vero unusquisque virtutibus locupletatur: per illa cavetur hostis, per hæc Dominus familiari amore complectitur.

Variæ Canticorum species in sacra Scriptura. Exod. 15. 1. Deuter. 32. 1. 1. Reg. 2. 1. Ibid. v. 5. Psal. 17. 1. Canticum canticorum ceteris præstantius.

8. Et notandum, quia aliquando se Dominus in Scriptura sacra Dominum vocat, aliquando patrem, aliquando sponsum. Quando enim se vult timeri, Dominum se nominat; quando vult honorari, patrem; quando vult amari, sponsum. Ipse per Prophetam dicit: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Si pater ego sum, ubi est honor meus?* Et rursum dicit: *Desponsavi te mihi in justitia & fide*. Vel certe: *Recordatus sum diei desponsationis tuæ in deserto*. Et quidem apud Deum quando & quando non est, sed quia prius timeri se vult ut honoretur, & prius honorari ut ad eum perveniatur; & Dominum se propter timorem nominat, & patrem propter honorem, & sponsum propter amorem. Per timorem venitur ad honorem, per honorem vero ejus pervenitur ad amorem. Quanto ergo dignius honor quam timor, tanto plus gaudet Deus pater quam Dominus dici: & quanto carius est amor quam honor, tanto plus gaudet Deus sponsus dici quam pater. In hoc ergo libro Do-

Cur Deus aliquando Dominum, modo patrem, aut sponsum se dicat. Malach. 1. 6. Osee 2. 20. Jerem. 2. 2.

Dominus & Ecclesia, non Dominus & ancilla, A sed sponsus nominatur, & sponsa; ut non soli timori, non soli reverentiæ, sed etiam amori deserviatur, & in his verbis exterioribus incitetur affectus interior. Cum se Dominum nominat, indicat quod creati sumus; cum se patrem nominat, indicat quod adoptati; cum sponsum se nominat, indicat quod conjuncti. Plus est autem conjunctos esse Deo, quam creatos & adoptatos. In hoc ergo libro ubi sponsus dicitur, aliquid sublimius insinuatur, dum in eo fœdus conjunctionis ostenditur. Quæ nomina in Testamento novo (quia jam peracta conjunctio Verbi & carnis Christi & Ecclesiæ celebrata est) frequenti iteratione memorantur. Unde Johannes dicit,

Johan. 3. 29. Domino veniente: *Qui habet sponsam, sponsus est.* B

Matt. 9. 15. Unde idem Dominus dicit: *Non jejunabunt filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus.* Unde Eccle-

2 Cor. 11. 2. siæ dicitur: *Desponsavi vos uni viro virginem castam*

Ephes. 5. 27. *exhibere Christo.* Rursum: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Et

Apoc. 19. 9. rursum in Apocalypsi Johannis: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Et rursum ibi-

Ibid. 21. 2. dem: *Et vidi sponsam quasi novam nuptam descendentem de cælo.*

Quid per tres Salomonis libros adumbretur. 9. Nec hoc a magno mysterio abhorret, quod liber iste Salomonis tertius in opusculis ejus ponitur. Veteres enim tres vitæ ordines esse dixerunt, moralem, naturalem, & contemplativam: quas Græci vitas, ethicam, physicam, theoricam nominaverunt. In Proverbiis C quoque moralis vita exprimitur, ubi dicitur:

Proverb. 2. 2. *Audi, fili mi, sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam.* In Ecclesiaste vero naturalis: ibi quippe quod omnia ad finem tendunt,

Eccles. 1. 2. consideratur, cum dicitur: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* In Canticis canticorum contemplativa vita exprimitur, dum in eis ipsius Domini adventus & aspectus desideratur; cum sponsi

Per Cantica canticorum contemplativa designatur. *Cant. 4. 8.* voce dicitur: *Veni de Libano, veni.* Vel etiam ordines trium Patriarcharum & vitas significavit, Abraham videlicet, Isaac, & Jacob. Moralitatem quippe Abraham per obedientiam tenuit: Isaac vero naturalem vitam puteos fodiendo figuravit. In imo enim puteos fodere, est per considerationem naturalem omnia quæ infra sunt, perscrutando rimari. Jacob vero contemplativam D vitam tenuit, qui ascendentes & descendentes Angelos vidit. Sed quia naturalis consideratio ad perfectionem non perducitur, nisi prius moralitas teneatur; recte post Proverbia, Ecclesiastes ponitur. Et quia superna contemplatio non conspicitur, nisi prius hæc infra labentia despiciantur, recte post Ecclesiasten Cantica canticorum ponuntur. Prius quippe est mores componere; postmodum omnia quæ adsunt, tamquam non adsint considerare; tertio vero loco munda cordis acie superna & interna conspicere. His itaque librorum gradibus quasi quamdam ad contemplationem scalam fecit, ut dum primum in seculo bene geruntur, postmodum & honesta seculi despiciuntur: ad extremum etiam Dei in- E tima conspiciantur. Sic autem generaliter ex voce Ecclesiæ adventus Domini in hoc opere præstolatur, ut etiam specialiter unaquæque anima ingressum Dei ad cor suum, tamquam aditum sponsi in thalamum conspiciat.

In Canticis qua tuor personæ loquuntur introducuntur. 10. Et sciendum est, quia in hoc libro quatuor personæ loquentes introducuntur; sponsus videlicet & sponsa; adolescentulæ vero cum sponsa; & greges sodalium cum sponso. Sponsa enim ipsa perfecta Ecclesia est: sponsus, Dominus: adolescentulæ vero cum sponsa, sunt inchoantes animæ, & per novum studium pubescentes: sodales vero sponsi, sunt sive Angeli, qui sæpe hominibus ab ipso venientes apparuerunt, seu certe perfecti quique viri in Ecclesia, qui veritatem hominibus nuntiare noverunt. Sed hi qui singillatim adolescentulæ vel sodales sunt, toti simul sponsa sunt, quia toti simul Ecclesia sunt. Quamvis & juxta unumquemque tota hæc tria nomina accipi possunt. Nam qui Deum perfecte amat, sponsa est; qui sponsum prædicat, sodalis est; qui adhuc novellus viam bonorum sequitur, adolescentula est. [a] Invitamur ergo ut simus sponsa: si hoc necdum prævalemus, simus sodales: si neque hoc adepti sumus, saltem ad hunc thalamum adolescentulæ conveniamus. Quia igitur sponsum & sponsam, Dominum & Ecclesiam diximus, velut adolescentulæ vel sodales audiamus verba sponsi, audiamus verba sponsæ; & in eorum sermonibus fervorem discamus amoris. Itaque sancta Ecclesia diu præstolans adventum Domini, diu sitiens fontem vitæ, quomodo optet videre præsentiam sponsi sui, quomodo desideret, edicat.

CAPUT PRIMUM.

Can. 1. Vers. 1. O *Sculetur me osculo oris sui.*

Per Ecclesiam sponsi Christi adventum enixe Patriarchis desiderat. 1. Angelos ad eam Dominus, Patriarchas ad illam & Prophetas miserat, spiritualia dona deferentes: sed ipsa munera non per servos sponsi, sed per ipsum sponsum percipere quærebat. Ponamus ante oculos omne genus humanum ab exordio mundi usque ad finem mundi, totam videlicet Ecclesiam, unam esse sponsam quæ arrhas spirituali dono per Legem perceperat: sed tamen sponsi sui præsentiam quærebat, quæ dicit: *Osculetur me osculo oris sui.* Suspirans enim sancta Ecclesia pro adventu Mediatoris Dei & hominum, pro adventu Redemptoris sui, ad patrem orationem facit, ut filium dirigat, & sua illam præsentia illustret: ut eidem Ecclesiæ non jam per Prophetarum, sed suo ore allocutionem faciat. Unde & de eodem sponso in Evangelio scriptum est, cum sederet in monte, & sublimium præceptorum

Matt. 5. 2. verba faceret: *Aperiens autem os suum dixit:* ac si aperte dicatur: Tunc os suum aperuit, qui prius ad exhortationem Ecclesiæ aperuerat ora Prophetarum. Sed ecce cum suspirat, cum quasi absentem quærit, subito intuetur præsentem. Habet hoc gratia Creatoris nostri, ut cum de illo quærentes, eum loquimur, ejus præsentia perfruamur. Unde in Evangelio scriptum est, quia dum Cleophas & alius de illo in itinere verba facerent, præsentem eum videre meruerunt. Dum ergo sancta Ecclesia incarnandum sponsum adhuc absentem desiderat, subito intuetur præsentem, atque subjungit:

Ibid. & c. 4. Vers. 10. *Quia meliora sunt ubera tua vino. Et odor unguentorum super omnia aromata.*

Per vinum, Lex, per ubera, evangelica prædicatio figuratur. 2. Vinum fuit scientia Legis, scientia Prophetarum. Sed veniens Dominus, quia sapientiam per carnem [b] voluit prædicare; quasi fecit eam in carnis ubera lactescere: quam [c] enim in divinitate sua capere minime poteramus, in incarnatione ejus agnosceremus. Unde non immerito ejus ubera laudantur, quia prædicationis ejus condescensio hoc egit

a [illegible] legitur: *Invitamur.*
b In Cod. Turon. *ut agere*, ceteris dissentientibus.
c Hic aliqua desiderari videntur. Sensus pateret si legeretur: *ut quam in divinitate, &c.* Sed quia in hac lectione conveniunt mss. omnes, ab illa recedere non audemus.

egit in cordibus nostris, quod doctrina Legis minime valuit; [a] prius enim nos nutrivit incarnationis prædicatio, quam Legis doctrina. Dicat ergo: *Meliora sunt ubera tua super vinum*. Quod adhuc confirmans subjungit ac dicit: *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Unguenta Domini virtutes sunt: ungenta Domini Spiritus sanctus fuit, de quo per Prophetam dicitur: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Hoc oleo tunc unctus est, cum incarnatus: non enim prius homo extitit, & postmodum Spiritum sanctum accepit; sed quia Spiritu sancto mediante incarnatus est, eodem [b] hoc oleo tunc unctus est, cum homo creatus. Odor ergo unguenti ejus, est flagrantia Spiritus sancti, qui ex illo procedens, in illo permansit: odor unguentorum ejus, est flagrantia virtutum quas operatus est. Habuit autem Ecclesia aromata, quia habuit multa Spiritus sancti dona, quæ in domo Dei, idest in congregatione Sanctorum, odorem bonæ opinionis redderent, & suavitatem futuri Mediatoris nutiarent. Sed *odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, quia flagrantia virtutum sponsi, quæ per incarnationem ejus facta est, vicit prædicamenta Legis, quæ in arrhis a sponso fuerant prærogata. Tanto quippe amplius ad intellectum crevit Ecclesia, quanto & amplioris visionis gratia meruit illustrari. Illa Legis aromata per Angelos administrata sunt: istud unguentum per præsentiam datum est. Sed quia claritate ejus præsentiæ superata sunt bona Legis, quæ sublimia esse credebantur, dicatur recte: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*.

Odo unguentorum Christi, fragrantia Spiritu sancti. *Psal. 44. 8.*

Quantum ... libus præstat.

3. Hoc autem quod generaliter de cuncta Ecclesia diximus, nunc specialiter de unaquaque anima sentiamus. Ponamus ante oculos esse animam quamdam donorum studiis inhærentem, intellectum ex aliena prædicatione percipientem, quæ per divinam gratiam etiam ipsa illustrari desiderat; ut aliquando etiam per se intelligat, quæ nihil se intelligere, nisi per verba prædicatorum considerat, & dicit: *Osculetur me osculo oris sui*. Ipse me tangat intus, ut cognoscam intelligentia; & non jam prædicatorum vocibus, sed internæ gratiæ [d] ex tactu perfruar. Quasi osculo oris sui osculabatur Moysen, cum ei per fiduciam familiaris gratiæ intellectum porrigeret. Unde scriptum est: *Si fuerit Propheta, in somnio loquar ad eum; & non sicut famulo meo Moysi: os enim ad os loquor ei*. Os quippe ad os loqui, quasi osculari est, & internam intelligentiam mente tangere. Sequitur:

De unaquaque anima ...

Num. 12. 6.

Quia meliora sunt ubera tua vino.

Ibid. v. 1. In incarnatione ... nobis Dei ubera.

4. Ubera Dei sunt, sicut prius diximus, humillimæ incarnationis ejus condescensio. Sapientia autem seculi quasi quoddam vinum est: debriat enim mentem, quia ab intellectu humilitatis alienam reddit. Quasi quodam vino debriantur Philosophi, dum per secularem vulgi amorem transeunt. Quam sapientiam Ecclesia despiciat, humillimam dominicæ incarnationis prædicationem appetat: plus ei sapiat quod per infirmitatem carnis ejus nutritur, quam quod mundus hic per elationem falsæ prudentiæ extollitur; & dicat: *Quia meliora sunt ubera tua vino*; idest humillima incarnationis tuæ prædicatio, velatam mundi sapientiam superat. Unde scriptum est: *Quod infirmum est Dei, fortius est quam hominis: & quod stultum est Dei, sapientius est quam hominis*. Sed quia ipsi hujus seculi sapientes nonnumquam videantur quibusdam virtutibus studere (videas enim plerosque habere caritatem, servare mansuetudinem, honestatem exteriorem in omnibus exercere; quas virtutes, non ut Deo, sed ut hominibus placeant, exhibent; quæ idcirco virtutes, virtutes non sunt, quia placere Deo non appetunt: olet tamen in humanis naribus, dum humano judicio bonam opinionem reddunt) sed comparentur hæc vero odori Redemtoris nostri, comparentur veris virtutibus, & dicatur: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Idest, flagrantia virtutum tuarum, omnem speciem virtutum sapientium mundi superat; quia videlicet fictas imagines eorum ex veritate transcendit. Quia secundo loco sentiri hoc, quod dictum est, de unaquaque anima diximus; adhuc eumdem sensum, si possumus, adjuvante Domino, subtilius exequamur.

Incarnationis prædicatio, locata mundi sapientia longe præstantior.

1. Cor. 1. 25.

5. Omnis anima quæ timet Deum, jam sub jugo ejus est, sed adhuc longe, quia timet: nam tantum quisque ad Deum proficit, quantum pœnam timoris amittit, & gratiam de illo caritatis percipit. Ponamus ante oculos animam cujuslibet electi, quæ continuo desiderio in amorem visionis sponsi accenditur, quia quod in hac vita perfecte percipere non valet, contemplatur ejus celsitudinem, & ex ipso amore compungitur; [e] ipsa enim compunctio quæ per caritatem fit, quæ & desiderio accenditur, quasi quoddam osculum est: toties enim anima osculatur Deum, quoties in ejus amore compungitur. Sunt enim multi, qui jam quidem Dominum metuunt, jam bonam operationem recipiunt; sed needum osculantur, quia amore ejus minime compunguntur. Quod bene in convivio Pharisæi signatum est, qui cum Dominum recepisset, cumque osculanti mulieri pedes ejus, in corde suo derogaret, audivit: *Intranti in domum tuam, osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo ingressa est, non cessavit osculari pedes meos*. Omnis quia jam eleemosynas facit, qui jam bonis operibus studet, quasi Christum in convivium recipit: Christum pascit, qui eum in membris suis sustentare non desinit; sed si nondum per amorem compungitur, adhuc ejus vestigia non osculatur. Præponitur ergo Pastori mulier quæ osculatur, quia [f] præponitur exteriora sua danti, is qui interno mentis ardore in desiderio Domini compungitur. Bene autem dictum est: *Non cessavit osculari pedes meos*. Non enim sufficit in amorem Dei semel compungi & quiescere, sed compunctio esse debet & crebrescere: unde mulier ideo laudatur, quia osculari non destitit, idest compungi minime cessavit. Unde per Prophetam dicitur: *Constituite diem solemnem in frequentationibus, usque ad cornu altaris*. Dies solemnis Domino, est compunctio cordis nostri: sed tunc in frequentationne dies solemnis constituitur, cum ad lacrymas pro amore ejus assidue movetur. Cui velut si diceremus: Quamdiu ista acturi sumus? Quamdiu tribulationibus afficiemur? Illico terminum quousque fieri debeat subjunxit, dicens: *Usque ad cornu altaris*. Cornu quippe altaris, est exaltatio sacrificii interioris, ubi

Compunctio ex amore describitur.

Per eam anima Deum osculatur.

Luc. 7. 44.

Aliud est Christum pascere, aliud osculari.

Osculari semel non sufficit.

Psal. 117. 27.

a Valcel. & Romaq. *plus enim*.
b Rem. ac Theod. *hoc loco*.
c Ita Valcel. aliis contradicentibus ubi legitur, *beaviat autem*.
d Sic habet Rotom. In tribus aliis, *ex auct.* Priorem lectionem pluris habendam suaserunt quæ paulo post leguntur: *Os quippe ad os loqui, quasi osculari est, & internam intelligentiam mente tangere*.

a Hic locus in geminis Paterii collectione, quam dederimus, laudatur tamquam a Gregorio prolatus in Canticorum expositione, quod observatione dignum. Ne vero ... oriatur suspicio, admoneo sententiam hanc ex integro reperiri in omnibus mss. nostris, scilicet Turonensi S. Martini, Divionensi S. Benigni, Valcel. Theod. Rem. ac Rotomag.
f In Theod. Rem. solum legitur, *præponitur danti*.

ubi cum pervenerimus, jam nequaquam necesse est, ut solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus. Anima ergo quæ jam per amorem compungi desiderat, quæ jam contemplari visionem sponsi sui appetit, dicat: *Osculetur me osculo oris sui.*

Per osculum sponsi perfectio pacis internæ potest etiam intelligi.

6. Vel certe osculum ejus oris, est ipsa perfectio pacis internæ, ad quam cum pervenerimus, nihil remanebit amplius quod quæramus. Unde & apte subjungitur. *Quia meliora sunt ubera ejus vino.* Vinum enim est scientia Dei, quam in ista vita positi accepimus: ubera autem sponsi tunc amplectimur, cum eum jam in æterna patria per amplexum præsentiæ contemplamur. Dicat ergo: *Meliora sunt ubera tua vino.* Ac si dicat; magna est quidem scientia, quam de te mihi in hac vita contulisti: magnum est vinum notitiæ tuæ, quo me debrias; sed ubera tua sunt vino meliora, quia tunc per speciem & per sublimitatem contemplationis transcenditur quidquid de te modo per fidem scitur. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata;* dum virtute scientiæ, virtute castitatis, virtute misericordiæ, virtute humilitatis, virtute caritatis pollet. Si Sanctorum vita odorem aromatum ex virtutibus non haberet, Paulus non diceret: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Sed longe excellentior est illa unctio Dei, ad quam quandoque ducendi sumus: longe excellentior est odor unguentorum Dei aromatibus virtutum nostrarum: Et si jam magna sunt quæ accepimus, valde tamen potiora sunt quę de contemplatione Creatoris nostri accepturi sumus. Unde anhelet anima & dicat: *odor unguentorum tuorum super omnia aromata:* idest, bona illa quę per contemplationem præparas, ista omnia virtutum munera quæ in hac vita tribuisti, transcendunt. Dicamus huic Ecclesię, dicamus huic animæ, sic amanti, sic æstuanti in amorem sponsi sui, unde tantum desiderium perceperit? Unde notitiam divinitatis ejus apprehenderit? Sed ecce unde exprimeret, dicit:

Per aromata virtutum fragrans odor.

2. Cor. 2, 15.

Unguentum effusum nomen tuum.

Vers. 2. Unguentum effusum, est divinitas incarnata.

7. Unguentum effusum, est divinitas incarnata. Si enim sit unguentum in vasculo, olet minus, si vero effunditur, odor effusi unguenti dilatatur. Nomen ergo Dei, unguentum effusum est, quia ab immensitate divinitatis suę ad naturam nostram se exterius fudit, & ab eo quod est invisibilis, se visibilem reddidit: si enim non se effunderet, nequaquam nobis innotesceret. Effudit se unguentum, cum se Deum servavit, & hominem exhibuit. De qua effusione Paulus dicit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Quod Paulus dixit, *exinanivit;* hoc Salomon dixit, *effudit.* Quia ergo humano generi Dominus per humilitatem incarnationis innotuit, dicatur ei: *Unguentum effusum nomen tuum.* Sequitur:

Philip. 2, 7.

Ideo adolescentulæ dilexerunt te.

Ibidem. Cur per adolescentulas electorum animæ sint intelligendæ.

8. Quid hoc loco adolescentulas, nisi electorum animas per baptismum renovatas accipimus? Vita quippe peccati ad veterem hominem pertinet; vita justitię ad novum. Quia ergo unguentum foras effudit, in amore suo adolescentulas ardentes fecit: quia renovatas animas desiderio suo fragrantes exhibuit. Puerilis ætas amori necdum congruit: senilis ab amore desinit. Puer est, qui vitæ ardentis studium necdum cepit: senex est, qui ceperat quidem, sed desiit. Quia ergo neque hi flagrant in Domino, qui necdum ceperunt, neque hi qui jam ceperant, sed friguerunt; postposita puerili vel senili ætate, adolescentulæ currere dicuntur, idest illæ animæ quæ in ipso fervoris amore sunt.

9. Quod tamen intelligere aliter possumus: Potest enim adolescentia ad infirmitatem referri. Juveniles quippe ætates sunt ordo Angelorum, qui nulla debilitate victi sunt, nulla infirmitate superati. Dicatur ergo: *Unguentum effusum est nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te:* Idest, quia per incarnationem tuam, notitiam tuam exterius effudisti, idcirco infirmę animæ naturam humanam diligere prævalent. Illę quippe Virtutes summę quasi ætatis juvenilis, etiam ibi te diligunt, ubi fusus non es, quia & ibi te vident, ubi in statu divinitatis te contines. Qui ergo ab illis summis Ordinibus, quasi a juvenilibus ętatibus etiam non fusus videris, exterius propter homines funderis: ut etiam ab adolescentulis, idest ab infirmis mentibus diligaris. Sequitur:

Quam infirmæ, Angelis comparatæ, videantur.

Trahe me.

Vers. 3. Qui invitatem trahendæ sunt, etsi non invitæ.

10. Omnis qui trahitur, aut non valens, aut non volens, invitus trahitur. Sed qui dicit: *trahe me*, habet aliquid quod vult, habet aliquid quod non [*] vult. Natura humana sequi Deum vult, sed infirmitatis consuetudine superata, sicut debet sequi non prævalet. Videt ergo aliud in se esse quo tendit, aliud in se esse quo non valet, & recte dicit: *trahe me.* Quasi volentem, nec valentem se viderat Paulus, cum diceret: *Mentem servire legi Dei, carnem autem legi peccati:* Et *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Quia ergo aliud est in nobis quod nos incitat, aliud quod gravat, dicamus: *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum.* In odorem unguentorum Dei currimus, cum donis ejus spiritualibus afflati, in amorem visionis ejus inhiamus.

[*] Forte fugendo non valet.

Rom. 7. 25. Ibid. v. 23.

11. Sciendum vero est, quia in eo quod homines Deum sequuntur, aliquando ambulant, aliquando currunt, aliquando fortiter currunt. Quasi post Deum ambulat, qui tepide sequitur: currit, qui frequenter sequitur; perfecte currit, qui perseveranter sequitur. Immobile enim erat cor ad sequendum Deum, & post eum ambulare nolebat, cum adventus Domini in mundo apparuit, & ab insensibili sua statione humanas mentes movit. Unde scriptum est: *Pedes [b] ejus steterunt, & mota est terra.* Hic autem non motus, sed cursus dicitur, quia non sufficit ut sequamur, nisi etiam desiderando curramus. Quia vero neque currere sufficit, nisi etiam perfecte curratur, Paulus dicit: *Sic currite ut comprehendatis.* Et nonnulli dum nimis currunt, in indescriptionem dilabuntur; plus enim quam necesse est sapiunt, & se jam ei quem sequebantur præferunt, dum suas virtutes eligunt, & ejus quem sequebantur judicia postponunt. Unde bene cum diceretur, *curremus:* præmissum est, *post te.* Post Deum enim currunt, qui ejus judicia considerant, ejus voluntatem sibi præferunt; & pervenire ad eum sub digna operatione, discretione contendunt. Hinc Propheta voluntatem Dei considerans ait: *Adhæsit anima mea post te.* Hinc Petro consilium danti dicitur: *Redi post me, Satanas; non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Quia ergo perfectæ animę summa cautela Dei judicia contuentur, & neque per torporem, neque per indiscretum fervorem prævenire præsumunt, bene dicitur: *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Tunc enim

Deum sequentium tres species.

Habac. 3. 6. juxta.

1. Cor. 9. 24. Currendum post ipsum, non ante.

Torpor & fervor indiscretus, pariter cavendi.

Psal. 62, 9.

Matt. 16. 23. & Marc. 8. 33.

a Vatic. non potest.

b Apud LXX. int. legitur ad pedes ejus stetit & commota est terra.

post te currimus, quando & amando sequimur, & timendo divina judicia non prævenimus. [a]

Vers. 5.

Introduxit me rex in cubiculum suum: exultabimus, & lætabimur in te.

Ecclesia domus regis.

12. Ecclesia Dei, quasi quædam domus regis est; & ista domus habet portam, habet ascensum, habet triclinium, habet cubicula. Et omnis [b] qui intra Ecclesiam fidem habet, jam portam istius ingressus est: quia sicut porta reliqua domus aperit, ita fides reliquarum virtutum ostium aperit. [c] Omnis qui intra Ecclesiam spem habet, jam ad ascensum domus venit: spes enim elevat cor, ut sublimia appetat, & ima deserat. Omnis qui in ista domo positus, caritatem habet, quasi in triclinium deambulat: lata enim est caritas, quæ usque ad inimicorum dilectionem tenditur. Omnis qui in Ecclesia positus, jam sublimia rimatur, jam occulta judicia considerat, quasi in cubiculum intravit. De porta domus istius dicebat quidam: *Aperite mihi portas justitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino.* De ascensu spei dicebat: *Ascensus in ejus corde disposuit.* De triclinus latis domus istius dicitur: *Latum mandatum tuum nimis.* In mandato lato specialiter caritas designatur. De cubiculo regis loquebatur, qui dicebat: *Secretum meum mihi.* Et alias: *Audivi arcana verba, quæ non licet hominibus loqui.* Primus ergo aditus domus istius, porta fidei: secundus provectus, ascensus spei: tertius, latitudo caritatis: quartus, jam perfectio caritatis ad cognitionem secretorum Dei. Quia Ecclesia sancta in membris suis perfectis, in sanctis ergo doctoribus, in eis qui jam pleni & radicati sunt in mysteriis Dei, quasi ad sublimia secreta pervenit, & adhuc in ista voce posita, jam illa penetrat. *Introduxit me rex in cubiculum suum*, ait: per Prophetas enim, per Apostolos, per doctores, qui in ista vita positi jam sublimia secreta illius vitæ penetrebant, Ecclesia in cubiculum regis illius ingressa fuerat.

(Margin: Cujus porta, fides. — Spes, ascensus. — Caritas, triclinium. — Cubiculum est contemplatio. — Psal. 117. 19. — Psal. 83. 6. — Psal. 118. 96. — Isa. 24. 16. — 2. Cor. 12. 4.)

Ex dono contemplationis in humilitate proficiendum.

13. Et caute intuendum est, quia non dicit *in cubiculum sponsi*, sed *in cubiculum regis*. Nominando enim regem, reverentiam secretorum vult ostendere: quia quanto potens est cubiculum, tanto major est reverentia exhibenda in his ad quæ intratur. Ne ergo dum cognoscit secreta Dei unusquisque, dum occulta judicia rimatur, dum ad sublimia contemplationis attollitur, extollatur & in superbiam dilabatur, regis dicitur cubiculum intrare: id est, cui tanto major reverentia exhibenda est, quanto magis anima ad cognoscenda ejus secreta ducitur. Ut unusquisque proficiat, qui jam exaltatus per gratiam ad sublimia secreta pervenit, seipsum attendat, & ex ipso profectu amplius humilietur. Unde & Ezechiel, quoties ad sublimia contemplanda ducitur, filius hominis vocatur, ac si ei dicatur: Attende quid es, & non extollaris de his ad quæ attolleris. Sed paucorum est in Ecclesia, ista sublimia & occulta judicia Dei rimari & comprehendere. Tamen dum videmus fortes viros posse ad tantam sapientiam pervenire, ut contemplentur secreta Dei in cordibus suis, & nos parvuli habeamus fiduciam; quia quandoque ad veniam, quandoque ad ejus gratiam veniamus. Unde & ex verbis adolescentularum subditur:

(Margin: Paucorum est ad perfectam contemplationem ascendere.)

Ibidem.

Exultabimus & lætabimur in te.

Ex eorum consideratione infirmi in spem misericordiæ eriguntur.

14. Dum Ecclesia in his qui perfecti sunt, ingreditur cubiculum regis, adolescentulæ spem sibi exultationis promittunt: quia dum fortes ad sublimia contemplanda perveniunt, infirmi spem de venia peccatorum sumunt.

Ibidem.

Introduxit me rex in cubiculum suum, exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.

Quæ sponsi sint ubera.

15. Habet iste sponsus ubera, qui etiam rex propter reverentiam vocatur. Habet ubera, sanctos viros corde adhærentes sibi. Ubera [d] in area pectoris fixa sunt, & interno nutrimento trahunt ad eos quos fortes nutriunt. Sancti ergo viri ubera sponsi sunt: quia ex intimis trahunt, & exterius nutriunt. Ubera illius sunt Apostoli, ubera illius sunt omnes prædicatores Ecclesiæ. Vinum, sicut superius diximus, fuit in Prophetis, vinum fuit in Lege: sed quia ampliora sunt data per Apostolos mandata, quam data fuerant per Prophetas, recte nunc dicitur: *Memores uberum tuorum super vinum*: Quia qui ista possunt implere quæ in novo Testamento mandata sunt, illam scientiam Legis sine dubio transcendunt.

Major est humilitas scientia.

16. Quod tamen & aliter intelligere possumus: *Memores uberum tuorum super vinum.* Sunt multi qui vinum quidem sapientiæ habent, sed cognitionem humilitatis non habent. Istos scientia inflat, quia caritas non ædificat. Sunt vero multi qui sic vinum scientiæ habent, ut sciant considerare dona doctrinæ, dona spiritualis gratiæ; dona enim spiritualis gratiæ quasi quædam mamillæ sunt in pectore, quæ subtiliter occultis mentibus spiritualibus ministrant, & nutriunt. *Memores* ergo *uberum tuorum super vinum*: quia hi qui sectari sciunt dona gratiæ tuæ, ut sibi non tribuant quod sapiunt, sed de eadem sapientia, quam acceperunt, non extolluntur: super illos qui de sapientia sua extolluntur, efferuntur. Plus est enim humiliter sapere, quam sapere: neque enim vere sapere est, humiliter non sapere. *Memores* ergo *uberum tuorum super vinum*: quia scientes dona spiritualis gratiæ considerare, transcendunt eos qui scientiam quidem habent, sed cognitionem in memoriam donorum non habent. Aperte ergo dicere est: *Memores uberum tuorum super vinum*: quia fortior est humilitas quam scientia. Vinum enim, est scientia quæ inebriat, memoria uberum que debriat, quæ ad cognitionem donorum revocat. *Memores uberum tuorum super vinum*: quia vincit humilitas abundantiam scientiæ.

(Margin: Dona spiritualis gratiæ quædam etiam mamillæ sunt.)

Qui timent nec diligunt, recti non sunt.

17. *Recti diligunt te*; Ac si diceret; non recti adhuc timent. *Recti diligunt te*; omnis enim qui bona opera agit pro timore, etsi in opere rectus est, in desiderio rectus non est: vellet enim non esse quod timeret, & bona opera non faceret. Qui vero bona opera pro amore agit, & in opere & in desiderio rectus est, [e] sed dulcedo amoris timentibus absconditur. Unde scriptum est: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, & perfecisti eis qui sperant in te!* Dulcedo enim Dei, timentibus Deum incognita est, amantibus fit nota. Qui ergo per amorem studuerit rectus esse, perfecta dilectio illius est, ut judicem venientem non timeat, ut quidquid de æternis suppliciis audierit,

(Margin: Psal. 30. 20. — Perfecta dilectio, timoris expers.)

non

a In Divion. absolvitur hic Homilia prima. In Val-cl. quoque, veluti finito primo Libro, scribitur, *Introduxit*, majori littera variis coloribus ornata & depicta.

b Ita Divion. & Val-cl. In Rotom. legitur, *qui intrat Ecclesiam*, consentientibus Rem. & Thead.

c Hic sequimur adhuc Divion. & Val-cl. cum in aliis legatur, *omnis qui intrat Ecclesiam*.

d Val-cl. *In arcano pectoris fixa sunt*.

e Desunt hæc in codd. Val-cl. Thead. ac Rem. Sumta sunt ex Rotomag.

non formidet. Unde & Paulus dum adventum judicis expectaret, dum præmia vitæ æternæ quæreret, dicit: *Quæ præparavit Deus non solum mihi, sed & omnibus qui diligunt adventum ejus.* Præmia enim diligentibus a judice præparantur æterna, quia omnis qui se mala opera agere scit, judicem venientem timet; qui vero de operibus suis præsumit, judicis adventum quærit. Parantur ergo præmia exspectantibus adventum Dei, & diligentibus adventum ejus: quia non diligunt adventum judicis, nisi de causa sua præsumentes. Omnis autem certitudo, [a] rectitudo certitudinis in dilectione est; & ideo recte dicitur: *Recti diligunt te.*

2. Tim. 4. 8.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, [b] *sicut pellis Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.*

Vers. 4. & 5.

18. Scimus quia in primordiis Ecclesiæ, dum prædicata fuisset gratia Redemtoris nostri, alii crediderunt, alii non crediderunt; sed hi qui crediderunt, ab infidelibus despecti sunt, & quasi persecutionem passi, quasi in viam Gentium discessisse judicati sunt. Unde Ecclesia in eisdem clamat adversus eos qui conversi non sunt: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem.* Nigra sum quidem vestro judicio, sed formosa per illustrationem gratiæ. Quomodo nigra? *Sicut tabernacula Cedar.* Cedar interpretatur tenebræ: Cedar enim secundus fuit de genere Ismahel, & Cedar tabernacula Esau fuerunt. Quomodo ergo nigra sicut tabernacula Cedar? quia in conspectu vestro ad similitudinem Gentium judicata sum, idest ad similitudinem peccatorum. Quomodo formosa sicut pellis Salomonis? Fertur Salomon quando templum ædificavit, omnia illa vasa templi factis pellibus cooperuisse. Sed nimirum pelles Salomonis decoræ esse potuerunt in obsequium regis. Sed quia Salomon interpretatur pacificus, nos ipsum verum Salomonem intelligamus; quia omnes animæ adhærentes Deo, pelles Salomonis sunt, macerantes seipsas in obsequium regis pacis redeuntes. Sum vero in judicio sicut tabernacula Cedar, quæ quasi in viam Gentium discessisse judicor: sed juxta veritatem sicut pellis Salomonis sum, quia in obsequium regis adhæreo.

Cur nigra simul & formosa dicta Ecclesia.

Cedar quid significet.

Quid Salomonis pelles.

Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.

Ibidem.

19. Peccatricem attendebat, illam partem quæ Christo crediderat. Sed dicat ista: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Sol ipse Dominus, ipse veniens decoloravit me. Præceptis suis ostendit, quia pulchra non fui in præceptis Legis. Sol quem arctius tangit, ipsum decolorat: ita & Dominus veniens, quem per gratiam suam districtius tetigit, decoloravit; quia dum plus appropinquamus ad gratiam, plus nos esse peccatores agnoscimus. Videamus Paulum ex Judæa venientem decoloratum: *Quod si volentes in Christo justificari, inventi sumus & ipsi peccatores.* Qui se in Christo peccatorem invenit, in sole se decoloratum invenit. Sed ecce pars ista quæ ex Judæa credidit, persecutionem ab infidelibus Judæis passa est, afflicta multis tribulationibus. Unde sequitur:

Quo propius ad nos accedit Christus, eo magis fœditatem nostram nobis ostendit.

Act. 2. 37.

Filii matris meæ pugnaverunt adversum me,

Vers. 5.

20. Quia filii Synagogæ qui in infidelitate permanserunt, bellum persecutionis contra Synagogæ fideles gesserunt: sed dum persecutionem patitur ea pars, quæ ex Judæis venit ad fidem, discessit ad prædicationem Gentium. Unde & sequitur:

Conversi ex Judæis, quantas ab aliis persecutiones passi.

Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi.

Ibidem.

21. Quia dum me persequuntur hi qui in Judæa sunt, [c] in Ecclesiis me custodem fecerunt. Vineam meam non custodivi, quia Judæam deserui. Unde & Paulus dicit, unde & Apostoli: *Vobis missum fuerat verbum Dei: sed quia indignos vos judicastis, ecce imus ad Gentes.* Ac si dicat: Nos vineam nostram custodire volumus, sed quia nos ipsi respuistis, ad alienarum custodiam nos transmittitis. Itaque quæ diximus de Synagoga ad fidem conversa, dicamus modo de Ecclesia ad fidem vocata: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem.* Ecclesia ex Gentibus veniens considerat fidelium animas, quas invenit, quas & filias Jerusalem vocat. Jerusalem quippe visio pacis dicitur: considerat quid fecit, quid facta est: & confitetur præteritas culpas, ne superba sit: confitetur præsentem vitam, ne ingrata sit, & dicit: *Nigra sum, sed formosa.* Nigra per meritum, formosa per gratiam; nigra per vitam præteritam, formosa per conversationem sequentem. Quomodo nigra sicut tabernacula Cedar? Cedar, tabernacula Gentium fuerunt, tabernacula tenebrarum fuerunt. Et Gentibus dictum est: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Quomodo formosa sicut pellis Salomonis? Macerati enim sumus per pœnitentiam. Mortificata caro per pœnitentiam, quasi pellis in obsequium regis adducitur. Omnes per pœnitentiam seipsos affligentes, membra Christi se faciunt. Membra ergo Christi per pœnitentiam afflicta, pelles Salomonis sunt, quia mortificata caro fiunt.

Eos, tu ad gentes transivent, deseruerunt.

Act. 13. 46.

Ecclesia per meritum nigra, formosa per gratiam.

Ephes. 5. 8.

Per pœnitentiam afflicta, similis est pellibus Salomonis.

22. Sed ecce erant in Judæa fideles, qui dedignabantur ad fidem venire Gentiles: unde & Petrum redarguunt, quod Cornelium susceperat. Unde in Ecclesia Gentium subjungitur: *Nolite me considerare quod fusca sim.* Nolite despicere Gentilitatem meæ infidelitatis, nolite despicere peccata priora, nolite attendere quid fui. Quare? quia decoloravit me sol. Sol in eo decolorat, in quo arctius & districtius se imprimit. Deus quando districtum judicium tenet, quasi districtionem suam amplius exhibet, & decolorat dum amplius fulget, quia dum districtionem subtilius exercet, districte adjudicat. Quasi enim radios suos suspendit sol, quando clementer opera nostra considerat: quasi districte virtutem suam exhibet, quando districte opera nostra pensat. Dicat ergo Ecclesia: inde sum fusca, unde peccatrix, quia me sol decoloravit: quia Creator meus dum me deserit, ego in errore lapsa sum.

Ecclesia ex Gentibus congregata, olim quoque a fidelibus despecta.

23. Sed o tu sic afflicta, sic destituta, quid meruisti? quid ex dono consecuta es? *Filii matris meæ pugnaverunt adversum me.* Filii matris sunt Apostoli: mater enim omnium Jerusalem superna est. Ipsi pugnaverunt contra Ecclesiam, dum ab infidelitate ad fidem prædicationibus suis, quasi quibusdam lanceis confoderunt. Unde & Paulus quasi quidam pugnator dicit: *Cogitationum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Qui altitudinem destruit, utique pugnator est. Isti ergo pugnatores, isti filii matris Jerusalem debellaverunt Ecclesiam ab errore suo, ut illam fundarent ad justitiam. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Et quid fecerunt pugnantes? *Posuerunt me custodem in vineis.* Vineæ Ecclesiæ, sunt virtutes quæ fructificant: quia dum depugnant in me vitia, quasi de mala mea me expugnant fructificatione,

Apostolorum in eos, qui ad fidem vocabant, certamina.

2. Cor. 10. 5.

Vineæ Ecclesiæ, virtutes.

a Ita Rotom. Theod. &c. In Valsl. legitur: *Omnis autem certitudo rectitudinis in dilectione.*

b Rotom. *sicut pelles*, at infra cum ceteris habet, *sicut pellis*.

c Valsl. *in Ecclesiæ*.

tione, & virtutum studia mihi dederunt: in vineis me custodem fecerunt, ut fructificationem afferent. Post expugnatinnem specialiter dicat: *Vineam meam non custodivi*. Vinea Ecclesiæ, antiqua consuetudo erroris est, quæ dum custos ad virtutes ponitur, deseruit antiquam consuetudinem erroris sui.

Attendi non debet, quid fuerint Ecclesiæ prædicatores, sed quid sint facti.

24. Diximus de Synagoga ad fidem veniente: diximus de Gentilitate conversa: dicamus ergo generaliter de tota simul Ecclesia, & specialiter quid de unaquaque anima sentiendum est. Solent pravi auditores, doctores suos non considerare quod sunt, sed quod fuerunt. Sani ergo doctores ei confitentur quod fuerunt, & proferunt quod sunt: ut nec peccatores se abscondant, nec iterum dona velut ingrati denegent. Dicat ergo in istis Ecclesia: *Nigra sum, sed formosa*. Nigra per me, formosa per donum: nigra sum de præterito, formosa ex eo quod facta sum in futuris. Quomodo nigra, quomodo formosa? Nigra sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pellis Salomonis. Et non est justum ut aliquis ex præterita vita pensetur, [a] & non magis attendatur quod fuit, sed quod est. Unde subjungit: *Nolite me considerare quod fusca sim: quia decoloravit me sol*. Aliquando in Scriptura sacra, sol ponitur nimius æstus terrenorum desideriorum. Unde ergo fusca? *Quia decoloravit me sol*, & ardore amoris terreni apud sponsum decolorata sum, idest indecora apud regem facta.

Terrenis desideriis denigramur.

Ibidem.

Filis matris meæ pugnaverunt adversum me.

Lapsorum Angelorum pr[illegible], ut hominem ad terrena desideria pr[illegible] hant.

25. In omni creatura duæ creaturæ rationales sunt conditæ, humana & angelica: cecidit Angelus; persuasit homini [b]. Mater enim omnis creaturæ, benignitas & potentia Dei. Nos ergo & Angeli, ex eo quod rationales conditi sumus, quasi quamdam societatem fraternitatis habemus. Sed quia Angeli ab eadem potentia conditi sunt, a qua & nos; qui tamen cadentes Angeli contra nos quotidie bellum gerunt; dicat: *Filii matris Ecclesiæ pugnaverunt contra me*. Ecce dum pugnant isti spiritus rationales, isti spiritus filii matris dum pugnant contra animam, faciunt eam rebus terrenis incumbere, actionibus secularibus vacare, res transitorias quærere. Unde & subjungit: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi*. Vineæ enim sunt actiones terrenæ. Ac si dicat: in actibus terrenis custodem me posuerunt, [c] & quæ vineam meam, idest animam meam non custodivi, vitam meam, mentem meam custodire neglexi: quia dum exterius in rerum terrenarum actione involuta sum, ab interna custodia elapsa sum. Plerique ex eo se considerant quod juxta ipsos est, non ex eo quod sunt. Juxta ipsos sunt dignitates, juxta ipsos sunt exteriora ministeria, & dum custodiunt quod juxta se habent, seipsos custodire negligunt. Dicat ergo: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi*: idest, dum exteriori custodiæ in actibus seculi deservio, interioris custodiæ sollicitudinem amisi. Sed ecce reducta anima ad gratiam Creatoris sui, jam amet, jam requirat ubi Redemtorem suum inveniat.

[illegible] ab anima [illegible] custodi[illegible] [illegible] cent.

Vers. 6.

Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.

In corde Sanctorum, fervente caritate, recumbit Christus.

26. In meridie sol ferventior est. Omnis qui in fide fervet, in amore desiderii fervet. Iste sponsus qui subter hinnulus vocatur, in corde ipsorum pascit virtutum viriditatem, in corde ipsorum recumbit in meridie, in fervore caritatis. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Quare sic quærat ubi pascat, ubi cubet, reddit causam inquisitionis suæ.

Ibidem.

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

Ab hypocritis & falsis doctoribus quam cavendum.

27. Sodales Dei, sunt amici familiares, sicut omnes qui bene vivunt: sed multi apparent sodales esse, & sodales non sunt. Multi enim doctores dum perversam doctrinam suaderent, sodales quidem videbantur, sed inimici extiteruot. Dum adhuc doctor esset Arius, Sabellius, Montanus, quasi sodales videbantur: sed dum districte diffusi sunt, inimici apparuerunt. Et plerumque fideles animæ, dum inhærent verbo Dei, dum amant in doctoribus unde proficiant, cavere nesciunt perversorum verba doctorum, & ex ipsorum ore deficiunt. Quam multæ enim plebes istæ, quæ de sodalibus crediderunt, & dum eas persequuntur, per greges sodalium erraverunt? Dicat ergo: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*. Indica in quorum corda veraciter requiescas, ne incipiam vagari post greges eorum, qui sodales tibi videntur, idest qui familiares tui creduntur, & non sunt. Omnes sacerdotes, omnes doctores sodales Dei sunt, quantum ad speciem; quantum vero ad vitam, multi non sodales, sed adversarii sunt. Sed hæc ipsa quæ diximus de hæreticis magistris, possumus de Catholicis non bene agentibus dicere. Multi enim parvuli intra Ecclesiam fideles, appetunt bene vivere, volunt vitam rectitudinis tenere, considerant vitam sacerdotum qui eis præpositi sunt: & dum sacerdotes ipsi non bene vivunt, dum hi qui præsunt, non recte vivunt, hi qui subsequuntur in errorem dilabuntur. Unde & Ecclesia quasi in eis parvulis & fidelibus dicit: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Vitam mihi, veraciter servientium tibi, indica, ut sciam ubi pascas; viriditatem virtutum, ut sciam ubi cubes in meridie, idest ubi quiescas in fervore caritatis: ne dum greges sodalium tuorum aspicio, ipsa vagari incipiam, nesciens cujus verbis me & doctrinis committam. Caute enim debet omnis auditor, omnis infirmus, considerare cujus verbis se credere debeat, cujus magisterio uti debeat, cujus exempla sequi debeat. Et ecce verba sponsi redduntur ad sponsam.

Ad Deum, ut qui cavendi sunt indicet, assidue convertamur.

Quam mature consilio morum nostrorum moderatorem eligere debeamus.

Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula Pastorum.

Præcipuum hominis studium sit, seipsum scire.

28. Omnis anima nihil debet amplius curare, quam ut seipsam sciat. Qui enim seipsum scit, cognoscit quia ad imaginem Dei factus est, non debet similitudinem jumentorum sequi, sive in luxuria, sive in appetitu præsenti dissolvi. De qua ignorantia alibi dicitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Vestigia gregum, sunt actiones populorum, quæ quanto multæ sunt, tanto impeditæ, tanto perversæ. Dicatur ergo Ecclesiæ: *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos, juxta tabernacula Pastorum*. O tu quæ fœda per ignorantiam, per fidem pulchra facta es inter aliorum animas. Quod evidenter dicitur ad Ecclesiam electorum: si ignoras te, idest hoc ipsum, quod ad imaginem meam facta ignoras; egredere, idest foras. Si vero non cognoscis [d] a quo facta es, egredere & abi; vade post vestigia gregum; sequere, non exempla mea, sed

Psal. 48. 13.

Qui se nesciunt, pascu[illegible]

a Hic *non magis*, idem significare videtur, ac, *minime*.
b Supple *ut caderet*, Angeli lapsi superbiam sequendo.

c Forte legendum, *atque*.
d Vat. cl. *ad quid*, *a qua facta es*.

dis hoedis, hoc est carnalibus motibus addicuatur.

A sed exempla populorum, & pasce hœdos tuos juxta tabernacula Pastorum. Hœdi nostri sunt motus carnales, hœdi nostri sunt tentationes illicitæ. Abi post vestigia gregum, idest descende post vastigia populorum, & pasce hœdos tuos, idest nutri motus carnales, non jam sensus spirituales, sed motus carnales. Abi juxta tabernacula Pastorum, si agnos pascis in tabernaculo Pastorum, pesceris, idest in doctrinis Magistrorum, in doctrinis Apostolorum, in doctrinis Prophetarum. Si vero hœdos pascis, juxta tabernacula Pastorum pesce, ut fide voceris christiana, & non operibus; quia intra videris esse per fidem, & non intra per opera. Quia ecce increpasti, ecce redarguisti (quid enim non dicis) quid tu benigne ea jam operatus es? B Dic plane: Nam sequitur:

Vers. 2.

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.

Qui sint equi Pharaonis; qui Dei.

29. Omnes qui luxuriæ, qui superbiæ, qui avaritiæ, qui invidiæ, qui fallaciæ deserviunt, adhuc sub curru Pharaonis sunt, idest sub regimine diaboli: omnis vero qui in humilitate, in castitate, in doctrina, in caritate fervet, jam equus effectus est Creatoris nostri, jam in curru Dei positus ast, jam sessorem Deum habet. Unde cuidam cui Dominus præsidebat, dicitur: *Durum est tibi adversus stimulum calcitrare.* (*Act. 9. 5.*) Ac si diceret: Meus equus es, jam contra me calcitrare non potes, jam tibi ego præsideo. De istis equis alibi dicitur: *Misisti in mari equos tuos turbantes aquas multas.* (*Habac. 3. 15.*) C Habet ergo currus Deus, quia animabus sanctis præsidet, & per animas sanctas circumquaque percurrit. Unde scriptum est: *Currus Dei decem milia, multiplex millia lætantium Dominus.* (*Psal. 67. 18.*) Habet currus Pharao, qui tamem currus in mari rubro submersi sunt, quia multi perversi in baptismate mutati sunt. Dicat ergo Sponsus: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea;* idest, dum adhuc tu esses in curribus Pharaonis, dum adhuc operibus dæmonicis deservires; ego te equitatui meo assimulavi, quia attendi quid prædestinatione in te fecerim, & equis meis te comparavi. Videt enim Deus adhuc multos luxuriæ, adhuc avaritiæ servientes, & tamen attendit in secreto judicio quid jam de seipsis operatus est, D quia habet equos Deus; sed multos videt adhuc equos esse Pharaonis. Et quia considerat occulto judicio, occulta prędestinatione ad bonum commutandos, similes illos attendit jam equis suis, quia videt [a] illos ad currum suum ducturus, qui prius in curru Pharaonis deserviebant. Ubi consideranda sunt occulta judicia, quia multi videntur per prædicationem, per sapientiam, per castitatem, per largitatam, per longanimitatem equi Dei esse; & tamen occulto judicio Dei, equis Pharaonis assimilantur: & multi videntur per avaritiam, per superbiam, per invidiam, per luxuriam equi Pharaonis esse; & tamen occulto Dei judicio equis Dei assimilantur. Quia & illos videt de bonis ad mala verti, & istos videt de malis ad bona reduci. Sicut ergo E [b] per discretionem multi qui equi videntur Dei, equi sunt Pharaonis per reprobam vitam quæ illos sequitur: ita per pietatem multi qui equi Pharaonis videntur, ejus electi per sanctam vitam quam in fine suo servaturi sunt, equis Dei assimilantur. Un-

Occulta de iis Dei judicia.

A de blanditur Sponsus & dicit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica.* Idest, ut adhuc in curribus Pharaonis subdita deserviebas, sub vitiis currebas, sed ego attendi quid de te per prædestinationem feci. *Equitatui meo assimilavi te,* idest electis meis similem te [c] attendi.

Vers. 9.

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.

Pia anima turturis amorem & gemitum debet imitari.

30. Turtur postquam parem suum perdiderit semel, numquam alteri se jungit, sed semper solitarie habitans in gemitu perseverat: quia quem diligebat non inveniens quærit. Sic sancta quæque anima dum a Sponso suo absens est, ab ejus amore non recedit, sed in ejus desiderium semper anhelat & gemit: & dum illum quem B valde diligit, non invenit, quia ab omni alieno amore se retrahit, quasi in genarum verecundia castitatem cordis ipso habitu & actu exteriori ostendit. Sequitur: *Collum tuum sicut monilia.* Per collum sponsæ, prædicatores sanctæ Ecclesiæ designantur. [d] In monilibus gemmæ in auro ponuntur. Per aurum quippe sapientia, per lapides opera exprimuntur. Collum ergo sponsæ sicut monilia existit: quia quilibet rectus Ecclesiæ prędicator & sapientia interius se induit, & opera exterius exercet, quæ in sapientia videt. Cui & adhuc dicitur:

Vers. 10.

Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.

Prædicatores sapientia & religione fulgeant.

31. [e] Murenulis monilia collo ligantur: quia C & sapientia & religio a Scripturis sanctis prædicatoribus adjungitur: per murenulas enim sancta Scriptura intelligitur. Quæ bene aureæ & argento vermiculatæ dicuntur; quia & sapientia sancta Scriptura fulget, & sonora prædicatione per mundum auditur. Sicut enim per aurum sapientia, sic per argentum sancta prædicatio demonstratur. His verbis Sponsi sponsa respondet, & per corporeas rerum species amorem intimat, quo spiritualiter intus ardet, dicens:

Vers. 11.

Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

De Christi Ascensione quæ tum Ecclesia protecerit.

32. [f] Accubitum suum rex tunc intravit, quando Dominus noster Jesus Christus corporaliter cæli interiora penetravit. Quo ibi requiesD cente, nardus sponsæ odorem suum dedit: quia virtus sanctæ Ecclesiæ suavem famam bonitatis longe lateque sparsit. Ad cælos enim Dominus ascendit, & spiritum sanctum suum super discipulos misit (*Act. 2.*): quo impleti verba salutis mundo prædicarent, & per sancta opera boni odoris famam circumquaque diffunderent. Hunc quippe spiritum in Baptismo unaquæque fidelis anima recipit; ut per eum sibi ex virtutum confectione unguenta componat, & proximos exempli exhibitione quasi unguenti odora reficiat. Sequitur:

Vers. 12.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Corpora nostra ne verminum æternorum esca fiant, mortificationis myrrha condienda.

33. Mortuorum corpora myrrha condiri solent, E ne putrescant. Myrrham quippe corporibus ne putrescant adhibemus, dum membra nostra in Christi exemplum, per eorumdem mortificationem a putredine luxuriæ restringimus; ne dum ea sine condimento dimiserimus, dissoluta putredine e-

a Vat-cl. *illos currum suum ducturos.*

b Vat-cl. *per indiscretionem*, Rotomag. *per prædestinationem.*

c Hic absolvitur Homilia secunda in codice Divionensi.

d In vulgatis additur, *monilibus prædicatores comparantur vel quia Ecclesiæ sunt ornamentum, vel quia Ecclesiam [illegible]. ac pectus monili vel a [illegible], idest perfectione.* In mss. Quæ nulli ex mss. codicibus [illegible] exhibent.

e In nullis mss. invenimus, quæ in editis hæc antecedunt, scilicet: *Murena piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad cujus exemplar sit [illegible] quæ murenula dicitur; qua designatur prædicatio, quæ auribus [illegible], & nos penetrat. Murenulis.*

f Præmittitur in excusis: *Nardus est herba humilis, quæ gustata frigus expellit, & calefacit membra;* quæ mss. nesciunt.

scam vermibus æternis nostra corpora faciamus. Sed quid est quod dilectum suum sponsa non myrrham, sed fasciculum myrrhæ nominat, nisi quod dum sancta mens Christi vitam ex omni parte considerat, contra omnia vitia ex ejus imitatione repugnantes virtutes congregat: ex quibus sibi fasciculum aptat, quo carnis suę putredinem sempiternam abstergat? Qui bene inter ubera commorari dicitur, quia in dilectione Dei & proximi habitatio Christi sancta ædificatur. Sancta quippe anima dum Deum sic diligit, ut proximum non contemnat, & proximi amorem sic exequitur, ut divinum non minuat, proculdubio ubera in pectore sibi locat, quibus Christum amplectens ipsum nutriat. Quasi enim uberibus Christus nutritus roboratur, dum hac gemina dilectione, ut fortius inhęreat, delectatur. De quo & adhuc dicitur.

Vers. 13. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.*

Quales suam ei nat Ecclesia. 34. Cyprus insula est, in qua uberiores vineæ quam alibi nascuntur. Per Cyprum ergo Ecclesia universalis designatur, quę multas vineas nutrit, dum in multas Ecclesias divisa, vinum quod lætificat cor hominis, gignit. [a] Engaddi interpretatur fons hœdi. Hœdus autem antiquitus pro peccatis immolabatur. Quid ergo per fontem hœdi nisi baptismus Christi figuratur? In quo dum corpus intinguitur, anima abluitur; & per illius fidem qui pro peccatoribus mortem pertulit, anima humana a peccatis omnibus mundari se credit. Cui mox dilectus respondet:

Vers. 14. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.*

Unde gemina Ecclesiæ pulchritudo. 35. Bis pulchram Sponsus sponsam suam vocat; quia cui dilectionem Dei & proximi donat, geminam pulchritudinem ei inserit, qua delectatur, & quam laudat. Cujus oculi bene columbarum esse perhibentur; quia dum in temporalibus gemit, & ad ęterna [b] desiderio rapitur, in simplicitate sensus suos custodit, & carnales concupiscentias detestatur. Columba quippe in amore pro cantu gemit. Et bene sancta anima columbæ comparatur; quia dum reprobi quique in amore mundi garriunt & lętantur, mens electa in cælesti desiderio atteritur: quia timet ne amittat quod diligit, dum differtur. Possunt etiam per oculos columbarum, Ecclesiarum prædicatores intelligi: qui simplicitatem quam prædicant, servant, & visibilia contemnentes, ad æterna cum magnis gemitibus anhelant. Sequitur vox sponsæ dicentis:

Vers. 15. & 16. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus: lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.*

Unde Sponsi decor. 36. Pulcher & decorus dilectus dicitur, quia in divinitate & humanitate ab omni amanti se mente sine macula reprehensionis aspicitur. Quem dum sponsa pleno desiderio sequitur, omnium mundi perturbationum obliviscitur: & dum in ejus pace quiescit, magis ac magis decoratur. Unde sequitur: *Lectulus noster floridus.* Quid lectulum sponsæ, nisi otii quietem intelligimus? *Quid lectulus sponsæ significet.* Mens enim quæ sponsum suum Christum singulariter amat, inquantum potest, ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, virtutes quibus Sponso suo placeat, intus accumulat. Quæ dum omnia quæ temporalia sunt contemnit, lectulum sibi cum sponso in pace victoriæ facit, ubi quo quietius pausat, eo amplius flores invenit quibus se decorum Sponso ostendat. Sequitur: *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* [c] Per domus, plures Ecclesias intelligimus, [d] per tigna cedrina prædicatores designamus, per laquearia cypressina ipsos populos figuramus. *Quid tigna cedrina, & laquearia cypressina.* Tigna enim tectum sustentant, laquearia vero domum implent & ornant. Sic in sancta Ecclesia prædicatores boni Scripturam divinam in corde & ore portant, quam fidelibus [e] expandentes prædicant; ut dum Ecclesia prædicatione cælesti instruitur, munimen accipiat, quo ab imbribus tentationum protegatur. Cedrus autem & cypressus imputribilia ligna esse perhibentur. Quibus bene omnes electi figurantur: quia dum temporalia nullo desiderio sectantur, æterni fiunt, eo quod mente in æterna figuntur. Respondet Sponsus & dicit:

CAPUT II.

Cap. 2. Vers. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium.*

Cur flos dicitur Christus. 1. Bene florem Christus se nominat, qui dum spinas peccatorum exterminat, mentem sponsæ & pulchritudine suæ justitiæ exornat, & naribus cordis dum cæleste desiderium applicat, interiora animæ quasi odore refocillat. Qui sequitur adhuc & dicit:

Vers. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Lilii candorem & odorem pia gerit anima. 2. Bene sicut lilium inter spinas, sponsa inter filias esse perhibetur: quia cum multi sint in Ecclesia qui solis verbis Christum confitentur, operibus vero nihil nisi humanas sollicitudines sectantur, dum sola illa anima in lilii dignitate computatur, quæ a mortalitatis radice ad cælestem pulchritudinem assurgit, & munditiæ candorem corde & corpore sibimet custodit, & proximos quosque bonæ opinionis odore reficit. Sed quia Sponsus sponsam suam tanta laude dignam habuit, ipsa jam ex debito laudat, [e] quo laudari perspicit, & dicit:

Vers. 3. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.*

In solo Christo cibum salutis invenimus. 3. Ligna sylvestria esui hominum habiles fructus non gignunt: malus vero quod gignit, congrue & salubriter homines edunt. Merito ergo per malum Christus, per sylvestria vero ligna ceteri homines figurantur: quia in solo Christo cibum salutis quoties quærimus invenimus; in ejus verbis & exemplis animas nostras fructu suavi & salubri reficimus. Ipse est quippe lignum vitæ, [f] quod nobis tribuit. Ipse est qui dum nobis semetipsum inspiret, animam pascit. In ceteris vero si quid refocillationis invenimus, non quod illorum, sed quod Christi est, ab illis sumimus: quia quidquid in eis præter Deum est, mortiferum nobis proculdubio invenimus.

Ibidem. *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Umbra Spiritus sancti recreamur. 4. Umbra Christi, protectio est Spiritus sancti. Spiritus quippe sanctus mentem quam replet, obumbrat: quia omnem tentationum fervorem temperat; & dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quidquid noxii caloris sustinebat expellit; & quam jam forsitan nimius vitiorum ęstus mar-

a Hic inseritur in aliis excusis: *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dono Sancti Spiritus exprimuntur. Engaddi, &c.* Quæ utpote mss. ignota expunximus. Desumta videntur ex Beda lib. 2. in Cant. ad eumdem vers. *Botrus.*
b Editi, *ad æterna desideria.*

c Hoc loco octo linearum assumentum resecuimus, mss. omnium consensu resecandum.
d Hæc omissa ex mss. revocavimus.
e In vulgatis, contra mss. fidem, *quasi tectum expandentes.*
f Excusi, *quam nobis tribuit.*

marcidam fecerat, umbra sancti Spiritus protegens recreat: ut dum in ejus inspiratione sedens pausat, vires colligat quibus ad æternam vitam robustius currat. Sequitur: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Arbor quippe fructifera ipse Christus in corde plantatus consistit: quam si mens nostra digne diligit, & instanter excolit; fructus nimirum interius pulchros & utiles gignit, Quos dum mens capiens avide comedit, omnes mundi voluptates præ ejus dulcedine postponit. Dulce enim est valde sibi cælestia cogitare, in æternitate oculum intimum figere, ut aliquando in fletibus etiam mens accensa compungatur, & inter lacrymas sublevata, Angelorum cibo, ipsa videlicet sapientia, quanto dulcius, tanto avidius pascatur. Inde est quod subditur:

Christus arbor fructifera nostris in cordibus excolenda.

Vers. 4.

Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem.

Cella vinaria contemplatio vocatur.

5. Quid enim per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate Angeli sancti vino sapientiæ inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spiritali satiantur. Hanc sancta mens (postpositis omnibus temporalibus) si a Sponso introducatur, intrat; in qua ea illis angelicis deliciis quantum sibi conceditur, gustat. Et quia adhuc in corpore corruptibili detinetur, se perfecte non satiat: tamen ex illo minimo quod cursim sumit, considerat quantum debeat amare quod amat. Potest tamen per cellam vinariam Scriptura divina figurari. Per hanc quippe in sponsa caritas ordinatur, quia in ejus doctrina manifeste discitur, qualiter Deus & proximus ordinate diligantur. Hac caritate percussa sequitur & dicit:

Vers. 5.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Quibus floribus & fructibus Ecclesia fulciri petat.

6. Per flores, teneri quique & incipientes; per mala vero, perfecti fideles designantur. Sponsa quippe quia amore languet, fulciri se floribus & stipari malis appetit: qui dum se æternitatis desiderio afficit, dum qualiter illuc perveniat, tota anxietate perquirit, [a] sed perventionam dum in carne vivit, omnino non invenit, fatigata in desiderio suo requiescit; & in hoc solo gaudet, si circa se prospicit vel quibus ipsa, vel in quorum perfectione consolationem de languore suo perspicere possit. Quibus de Sponso suo subsequenter hæc dicit:

Vers. 6.

Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Temporalia ex necessitate tolerans, ad æterna contendit.

7. Per lævam Sponsi vita præsens, per dexteram vero vita æterna designatur. Per caput autem sponsæ, mens quæ animæ dominatur, assumitur. Sed læva Sponsi sub capite sponsæ esse dicitur, & dextera ejus ampleaatur eam: quia vitam temporalem sub mente sua semper ponit, vitam vero æternam ut omni modo amplexetur concupiscit. Hæc quippe quæ videt, magnanimiter mente sublimi conculcat, officiis cælestibus se occupat. Hæc ex necessitate tolerat, ad illa summo desiderio quasi brachio dextero sponsi astricta suspirat. In quæ cum aliquantulum intrat, delectabiliter quiescit, cujus quietis dilectione mundanos tumultus omnino fastidit. Sic quiescentem utique Sponsus amplius diligit, & ab ejus excitatione improbos quosque repellit, dicens:

Vers. 7.

Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, [b] donec ipsa velit.

In sinu sponsi dormientem animam excitare carnales prohibentur.

8. Cervi & capreæ munda animalia in Lege esse perhibentur. Quid ergo per cervos & capreas, nisi fidem, spem, & caritatem accipimus? Quas dum nobis mundas servamus, per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autem anima sponsa Christi a cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit in sinu Sponsi sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit: ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, soliusque Sponsi collocutione quanto quietius, tanto serenius hilarescat. Sed hanc dormientem carnales qui sunt in Ecclesia, nonnumquam importune excitant, negotiis mundi eam implicare desiderant: quia ejus vitam inutilem existimant, dum ab eorum curis eam se abstinentem considerant. Hi tales satis congrue non filii, sed filiæ nominantur: quia dum effeminatos mores nutriunt, virili dignitate amissa, quales interius habentur, exterius nomine femineo designantur. Hi dilectam suscitare sub adjurationis pondere prohibentur; ne videlicet mentem quæ ad vocandum Deo se accingit, & solis spiritalibus studiis inhærere concupiscit, importunis sollicitationibus inquietent, & tenebris curarum terrenarum oculum cordis ejus obnubilent. Et tamen non eis omnis cura proximi interdicitur, sed quando suscitari debeat, ejus voluntati relinquitur: quia profecto omni perfectæ animæ discernendum est, & quando cælesti contemplationi studeat, & quando proximorum utilitatibus inserviat. Hanc vacandi Deo licentiam libentissime sponsa suscipit; statimque verbum Sponsi amplectitur & dicit:

Sic tamen contemplationi quieti vacandum, ut caritatis opera non omittantur.

Vers. 8.

Vox dilecti mei: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

Vacandi Deo licentiam libentissime sponsa suscipit.

9. Ac si diceret: Hanc vocem dilecti mei Sponsi esse recognosco, hanc ab ejus ore semper audire desidero: quia in hoc video quantum me diligat, cum me ab amplexibus ejus desiderabilibus impediri prohibeat. Ad hos amplexus qualiter pervenerit, subito narrat, dicens: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Ad amplexus sponsæ suæ Christus venire disponens, humanitatem nostram dignanter assumsit. Ad quod mysterium peragendum, quasi saliens in montibus venit: quia quædam opera inter homines ostendit, quæ valde sublimia & super homines esse perspiciens humanum genus admirari potuit, attingere non potuit. Quod enim de virgine natus est, quod ad vagientem adorandum ire Pastores Angelus admonuit, Magos stella perduxit: quod pendens in cruce qua hora voluit spiritum amisit: quod mortuus tertia die seipsum suscitavit; quod cælum ingressus Spiritum sanctum quibus sibi placuit donavit: quod fidei suæ per piscatores & idiotas mundum subjugavit: hæc faciens quasi in montibus ambulavit, quo eum nulla creatura assequi valuit. In his nimirum operibus colles transilivit: quia Sanctos omnes, quantumcumque excreverint, potentia suæ operationis transcendit. De quo & sequitur:

In amplexus sponsæ ruens Christus, quos montes & colles transilierit.

Luc. 2. Matt. 2.

Vers. 9.

Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.

Similis capreæ bene esse dicitur; quia ex Synagoga carnem traxit, quæ per capream ostenditur.

a Sic legitur in omnibus mss. Quam lectionem etsi obscuriorem præferendam duximus editorum alteri; *perquirit, eo quod perfectionem, dum in carne vivit ... requiescit. Et in hoc solo gaudet si circa se respicit, vel in quibus ipsa perficiat, vel in quorum profectione consolationem de languore suo recipere possit.*

b In Rotomag. & Val-el. *quoadusque ipsa velit.*

Et quia ex antiquorum Sanctorum stirpe progenitus est, quasi hinnulus cervorum recte esse perhibetur. Sequitur:

Ibidem.

En ipse stat post parietem nostrum, aspiciens per fenestras, [a] *prospiciens per cancellos.*

In carne absconditus Deus, velut post parietem latuit.

10. Quasi post parietem nostrum Christus incarnatus stetit; quia in humanitate assumta divinitas latuit. Et quia ejus immensitatem si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum objecit; & quidquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit. Per fenestras autem & cancellos qui aspicit, partim videtur, partim vero se abscondit. Sic & Dominus Jesus Christus dum & miracula per divinitatis potentiam fecit, & abjecta per carnis infirmitatem pertulit, quasi per fenestram & cancellos prospexit: quia in alio latens, in alio quis esset apparuit. Incarnatus itaque Ecclesiæ suæ, vel unicuique perfectæ animę loquitur, & ad ęternam exhortatur patriam, dicens:

At per fenestras & cancellos quandoque prospexit.

Vers. 10.

Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.

Anima per fidem amica fit, per simplicitatem columba, formosa per operationem.

11. Propter fidem Christus sponsam suam amicam vocat, columbam propter simplicitatem, formosam propter operationem. Quia enim sine fide Deo placere non possumus, bene per fidem amici vocamur; quia dum fide cælestia appetimus, abjectis terrenis Deo adhęremus. Columba vero bene anima propter simplicitatem dicitur; quia dum simplicem Deum cordis simplicitate perscrutatur, nequaquam mundi ineptam lætitiam dissoluta sectatur, sed semper ad æterna festinans, columbæ gemitum diligendo imitatur. Propter operationem, anima formosa recte appellatur: quia dum præteritæ vitæ peccata per bona opera redimit, quasi antiquam turpitudinem assumta forma meliori ante sponsi oculos abscondit. Hanc itaque hortatur Sponsus ut surgat & veniat; quia dignum est ut quicumque ad amorem Christi properat, carnis torporem quantum potest abjiciat, & se ad æterna consequenda celeriter accingat. Sed quia ut ad cęlestia festinemus, per exhibitionem novi Testamenti a Deo accepimus, ideo recte sequitur:

Ut moveatur, surgat & properet.

Vers. 11.

Jam enim hyems transiit, imber abiit & recessit.

Hyems adventu Christi fugata.

12. Quid per hyemem, nisi Legis austeritas intelligendum est? Quæ dum in carnalibus sacrificiis populum antiquum detinuit, ad appetenda spiritalia & cęlestia observatores suos non adjuvit. Possumus etiam per hyemem vitam præsentem intelligere, quę dum nos assiduis tentationibus impetit, quasi imbribus importunis ad sequendum Christum torpore compellit. Sed jam sponsa surgat, quia hyems transiit: quoniam quanto magis dies ultimus instat, præsens vita recedit: & quo amplius tempus ad terminum ducitur, eo citius currendum est, ne electa anima oblatis sibi muneribus ęternis privetur. *Transiit* enim dicitur, quia in proximo transitura esse non dubitatur. Sequitur:

Instantique æternæ felicitatis æstate.

Vers. 12.

Flores apparuerunt in terra; tempus putationis advenit.

Sanctæ animæ a corpore in cælo fruuntur.

13. Flores apparuisse in terra dicuntur; quia sanctæ animę cum a corporibus recedunt, in cęlo recipiuntur. Et quia in hac vita quamvis hyems fuerit, a bono opere non torpuerunt, mox ut recesserunt, in terra viventium gloriose floruerunt. Bene ergo sequitur quod dicit: *Tempus putationis advenit*: quia quo amplius in

A cælo electorum numerus congregatur, eo celerius reprobi ab Ecclesia tamquam sarmenta inutilia amputantur, ut mundus citius finiatur. Sequitur:

Ibid. & Vers. 13.

Vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.

Ecclesiæ gemitus exauditur.

14. Quid per turturem, nisi Ecclesia; quid per terram Sponsi, nisi vita illa beata designatur? Sed vox turturis in terra Sponsi audita esse dicitur: quia dum pro desiderio suo sancta Ecclesia deprecatur, a Christo in cęlo clementissime exauditur. De qua recte subditur: *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* Ficus quippe grossos suos protulit; quia sancta Ecclesia Martyres suos ad æternam patriam pręmisit. Post quos vineę florentes odorem suum dederunt; quia per universum mundum exempla bonorum operum excreverunt. Vineæ utique flores producunt, cum singulæ Ecclesię animas prius infideles ad fidei novitatem per Baptismum educunt. Sed flores ipsi odorem proferunt, cum credentes animæ exempla bona per suavem opinionem sibi invicem & aliis aspergunt. Sed quia Christus utroque modo exhortationis nos trahit, ut videlicet & præceptis nos admoneat, & exemplis Sanctorum nos erigat, idcirco sponsę suæ prius ut surgeret admonendo præcepit, & deinde exempla Sanctorum ad cognitionem adduxit, & post exemplorum exhibitionem iterum se ad præcepti commonitionem convertit, dicens:

Ad æternam patriam martyres præmisit.

B

Vineæ Ecclesiæ odor, bona sunt exempla.

Ibid. & Vers. 14.

C *Surge amica mea, soror mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.*

Prius a peccatu surgendum, deinde ad cælestia properandum.

15. Surgit anima, cum a peccati perpetratione se erigit: venit, cum per bona opera desiderii sancti passibus sanctis ad cęlestia tendit. Sancta etenim mens cum pręteritæ vitę turpitudinem conspicit, cum peccata sua enumerat quę fecit, mox secum in conscientia erubescit, & quæcumque in mundo dilexerat, ad odium sibi transferens fletibus se punit; & ipsa pœnitentia facta robustior, ab omni inquinatione etiam [b] exilit, & ab omni torpore negligentię se excutit; ut jam non infimis cogitationibus non jaceat, sed ad appetenda invisibilia per sancta desideria se extendat. Hæc itaque mens D surgit & venit; quia & a torporis infirmitate per compunctionem se erigit, & in sanctis studiis se exercens, ad æterna pedibus amoris currit. Per foramina autem petræ, vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim. Cavernam vero maceriæ, vulnus lateris quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ & in caverna maceriæ esse dicitur: quia dum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum quo convalescat, invenit. Possunt tamen per foramina petrę, incarnationis Christi sacramenta singari, & per cavernam macerię, ipsa protectio angelicę custodię figurari. In qua custodia cum anima ponitur, ei a Sponso dicitur:

b

Foramina petræ sunt Christi vulnera.

Et ejus incarnationis mysteria.

E

Ibidem.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Ita prædicanda fides, ut per bona opere comprobetur.

16. Quid enim per faciem, nisi fidem qua a Deo cognoscimur, accipimus? Et quid per vocem, nisi prædicationem intelligimus? Sed præcipit Sponsus ut ei sponsa faciem suam ostendat: quia quicumque se fidem dicit habere, necesse est ut in bonis ope-

a Val-cl. *per fenestras & per cancellos.* Rot *per fenestras & cancellos.*

b In excusis, *etiam cogitationis exilit.*

operibus se exerceat; ut in operibus exterioribus fides interior innotescat. Sed & opera necesse est ut vox prædicationis sequatur: quia quicumque in sanctis operibus se dilatat, consequens est ut ad eadem facienda proximos quosque exhortetur. Ideo sequitur: *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Tunc enim & vox placet, & facies decoratur, quando & opera prædicatio sequitur, & rursum prædicationem bona opera comitantur. Hujusmodi prædicatoribus consequenter dicitur:

Vers. 15.

Capite nobis [a] *vulpeculas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.*

Vulpeculæ hæretici, maxime qui humilitatem simulant.

17. Per vulpes hæretici, per vineas singulæ Ecclesiæ designantur. Sed vulpes vineas demoliuntur; quia per hæreticos Ecclesiæ a rectæ fidei viriditate exsiccantur. Quæ bene parvulæ dicuntur; quia quamvis contra veritatem intus superbiant, exterius tamen in verbis humilitatem per simulationem sectantur. Quæ tunc a sanctis prædicatoribus capiuntur, quando instante altercatione, sententiis veritatis convincuntur. Prædicatores quippe sancti aliquando canes per similitudinem dicuntur: quia prædicationibus assiduis, quasi latratibus importunis, adversarios quosque a grege ovium arcere nituntur. Isti canes vulpes Christo capiunt; quia ducem suum dum fideliter diligunt, pro ejus amore laborantes, tergiversantes hæreticos ab involutionibus quæstionum, quasi a tenebrosis caveis ad lucem veritatis educunt. Quare vero vulpium demolitio timeatur, manifestatur cum dicitur: *Nam vinea nostra floruit.* Vinea quippe floruit; quia sancta Ecclesia per Baptismum filios ad fidei novam conversationem perduxit. Quibus timendum est, ne ab hæreticis depraventur; quia dum quique credentes in novitatem Christi regenerantur, quo quisque tenerior est, eo citius ad pravitatem seducitur. Floribus omnino timendum est, ne pereant: quia dum adhuc quisque ad perfectionem per exercitium diuturnum non convaluit, facile si a dente venenoso mordetur, ad hoc quod nactus fuerat, evanescit. Perfecta enim quæque anima in quo se jam diu exercuit, facile non amittit: quia quo frequentius palato intimo quam dulcis sit Dominus gustavit, eo constantius Sponsi rectitudinem tenet, & distorta fastidit. Quæ prosequitur convenienter, & dicit:

A prædicatoribus, tanquam canibus, e latebris suis sunt exagitandi.

Ab his quantum infirmis periculi immineat.

Vers. 16. & 17.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.

Perfecti vero nx eorum affatu non ita periclitantur.

18. Ac si diceret: Dilecti mei amicitiam constanter teneo, quia ejus constantem benevolentiam erga me sentio. Quia dum ejus familiaritatem benignam habeo, durum mihi est quidquid ei adversum inimicos latrantes audio. Et dum in ejus assiduitate qualis sit video, si quid erroris proferunt adversarii, a veritate quam in ejus visione cognovi, non recedo. De quo bene sequitur: *Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.* Quid per lilia, [b] nisi animæ designantur? Quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusque suaviter olent. Inter lilia Sponsus ergo pascitur; quia proculdubio animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiam carnis conservant, & per nitidas cogitationes coram eo placent, & exempla proximis quasi odoris suavitatem donant. Dies vero tunc aspirabit, & umbræ inclinabuntur, quando vita æterna apparebit, & præsens vita finietur. Quippe dies erit, hic vero [c] nox: quia hic in visione caligamus, ibi dies ipsa tota veritas mentibus elucebit. Ad hanc diem prorsus animæ enituntur ut perveniant: propter hanc, justitiam illibatam in quantum possunt conservant: & quia sine Christo nihil possunt, ejus auxilium invocant, ejus familiaritatem desiderant. Quarum dum mentem considerat, prope est benignus & adjuvat; & quo amplius proficiunt, eo familiarius semper amat, donec finitis tenebris mundi, ad vitæ æternæ lucem perfectas educat. Quam lucem quia valde desiderant, eamque cum Dominus ad judicium venerit, videndam esse putant, idcirco cum summo desiderio dicunt:

Animæ castæ, lilia quibus Christus delectatur.

Et quorum odore mulcetur Ecclesia.

Nunc nox est, Quando dies erit?

Ibidem.

Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel.

Quando & qualis Christus, qui per Ascensionem abest, ad nos reversurus sit.

19. A nobis dilectus corporaliter tunc abiit, quando post resurrectionem in cælum ascendit. Tunc autem revertetur, quando in fine mundi resuscitatis corporibus hominum, omnibus in judicio manifestabitur. Qui vere similis capreæ & hinnulo cervorum apparebit: quia in carne nostra veniens ad judicium, omnibus se monstrabit. Per capream enim, quæ mundum est animal, Ecclesia designatur; quæ dum in cælestibus mente habitat, quasi in montibus pascitur. Per cervos autem quid aliud quam Patres antiqui designantur, ex quorum carne Christus natus, quasi hinnulus cervorum mundo est præsentatus? Bethel autem domus Dei interpretatur. Quæ bene Ecclesia Dei dicitur; quia in ea Dominus habitat, dum per fidem corda nostra mundantur. Super montes ergo Bethel similis capreæ hinnuloque cervorum apparebit; quia in ea humanitatis forma ad judicium veniet, quam ab Ecclesia sumsit, quando in hoc mundo ex patrum progenie quasi hinnulus ex cervis humilis natus fuit. Qui vere & similis capreæ, & super montes Bethel apparebit: quia ex humanitatis forma similis Ecclesiæ erit & tamen super ipsos summos, qui quasi montes excellunt, in Ecclesia sublimior eminebit. Qui dum venire moratur, quia eum semper sancta anima perquirere nititur, ideo sequitur:

CAPUT III.

Cant. 3. Vers. 1.

IN *lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.*

Animæ lectulus, omnium perturbationum fuga, & secretum.

1. Lectulum sibi sancta anima per noctes facit, dum omnes perturbationes mundi fugiens, secretum comparat, in quo requiescit. In hoc lectulo quem diligit quærit; quia dum ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, in ejus inquisitione quomodo ad illum perveniat, non quiescit. Notandum est autem quia per noctes quærit, qui modo in hoc mundo vivit, & perfecte tenebras temporalitatis [d] a se excutit. Quas quo graviores patitur, eo ferventius quærit eum; quo invento, tenebras amplius non patietur. Sed quia quem quærit, numquam perfecte in hoc mundo invenit, ideo subjungit: *Quæsivi illum & non inveni.* Quia vero maximo desiderio æstuat, & quidquid tenet, ei non sufficit, donec dilectum inveniat, ideo constantiam inquisitionis subjungit, dicens:

a Sic legimus in omnibus mss. ubi editi habent, *vulpes parvulas*, forte quia postea legitur: *parvulæ dic.*
b Addunt vulgati, *nisi mundæ animæ*, silentibus mss.
c Ita legitur in omnibus mss. At in excusis: *hic quippe nox est, ibi vero dies erit: quia hic in visione veritatis caligamus, ibi Deus ipse tota veritas mentibus elucebit.*

d Vulgati, reluctantibus omnibus mss. *a se non excutit.* Lectio nostra, etsi prima fronte, veritate carere videatur, est tamen verior, juxta S. Gregorii mentem: animæ enim *quæ omnes mundi perturbationes fugiens lectulum sibi facit*, tenebras temporalitatis perfecte, quantum in ipsa est, a se excutit.

Vers. 2.

Surgam, circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.

Dilectus ejus quam sollicite quærendus. Matt. 7.

2. Quid per civitatem in hoc loco, nisi Ecclesiam: quid per vicos civitatis, nisi spiritales quosque accipimus? Qui dum [a] ad Ecclesiam toto corde gradiuntur, angustam viam tenent, qua ad vitam perducantur. Per plateas autem, seculares designantur, qui dum voluptates suas multas sequuntur, latas vias gradiuntur. Surgit ergo sponsa & civitatem circuit, quia perfecta anima quæ visibilia fastidit, omnes Sanctos qui sunt vel fuerunt in Ecclesia, mente conspicit, si quid forte in eorum actibus reperit quod imitando, ad Sponsi inventionem aliquando pervenire possit, Per vicos autem & per plateas quærit: quia dum per bonorum imitationem ad dilecti familiares amplexus pervenire satagit, non solum in spiritalibus, sed & in ipsis etiam carnalibus aliquando invenit quod imitari digne possit. Sed postquam laborem geminatum insinuavit, iterum difficultatem inventionis subdit, dicens: *Quæsivi illum, & non inveni*. Sed dum quærit & non invenit, ipsa etiam quæritur & invenitur, & ideo subditur:

Vers. 3.

Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea vidistis?

Vigiles sunt Ecclesiæ doctores.

3. Quid per vigiles, nisi doctores Ecclesiæ designantur? Qui dum lucrandis animabus & scriptis & dictis invigilant, ubi desiderii aliquantulum sentiunt, augmentsre ad melius numquam cessant. Hi sponsam quærentem inveniunt; quia piam animam Christum invenire satagentem excipiunt, & ut citius inveniat, præceptis instruunt, exemplis accendunt. Quos illa interrogans, dicit: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Bene eos sponsa interrogare dicitur; quia dum eorum scripta vel verba vigilanti animo perscrutatur, tamquam præsentibus etiam absentibus animi intentione loquens, quid de Christo senserint, sciscitatur. Quia vero dum in eos intendit, numquam sponsum invenit, consequenter subjungit:

Vers. 4.

Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.

Ut ad Christum perveniatur, omnes homines pertranseundi.

4. Paululum vigiles transit, & dilectum invenit; quia dum eos puros homines esse cogitat, ad divinitatem mentem erigit, ibique Sponsum suum supra homines Patri æqualem cognoscit. Quem tunc invenisse se dicit, cum sanctis laboribus adjuta, in ejus divinitatis claritatem oculum fidei tamquam per speculum contemplando aliquantulum figit. Quod tantillum quanta aviditate mentis suscipiat, ostendit, dicens:

Ibidem.

Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Synagogæ futura conversio.

5. Mater Ecclesiæ Synagoga extitit; quia ex ipsa sanctos prædicatores habuit, a quibus verbum veritatis suscepit, per quod in fide regenerata fuit. Tenet ergo Sponsum Ecclesia donec in domum matris eum introducat: quia usque in finem mundi ab ejus fide & amore non recedit, donec ad fidem Judæos adducat. Non quod postea recedat: quippe quem in exilio diligit, in patria videns amplius amabit. Sed de illo tempore dici debuit, de quo a quibuslibet propter obsistentes tentationes dubitari potuit. In domum ergo matris dilectum introducet, quando in fine mundi Ecclesia per prædicationem in plebem Judaicam Christiana sacramenta immittet. In cubiculum autem quasi in secretiorem partem domus eum introducet: quia ex eadem plebe ita plurimos convertet, ut omnes mundi sarcinas abjiciant, & in intimis cogitationibus soli Deo placere concupiscant. Hujuscemodi homines cubiculum facient Sponso: quia dum a se omnes sordes cupiditatis abjicient, quasi secretum locum in mente in quo delectetur, component. A quorum inquietatione in eis delectabiliter pausans Sponsus, improbos prohibet, dicens:

Vers. 5.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Et quorumdam ejus filiorum perfectus status.

6. In hoc utique ostendit, quia ejusdem perfectionis quosdam de Synagoga post conversionem inveniet, cujus de Ecclesia quam plurimos, dum in eorum quiete similiter delectatur, ab eis [b] inquietatorem prohibet, sicut ab Ecclesia prohibuit. Introducta ergo ad fidem Synagoga, Ecclesiæ mentem per opera quæ videt, conspicit, & sublimitatem ejus valde admirans, dicit:

Vers. 6.

Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?

Hic exulans Ecclesia quasi in deserto, spretis omnibus ad cælestem patriam anhelat.

7. In deserto itaque, in hoc mundo Ecclesia, sive sancta quæque anima vivit, dum a regno exul inter bestias, dæmones videlicet, degit. Hic enim etsi non omnino a Sponso deseritur, tamen dum in carne est, nondum ad certam ejus visionem admittitur, dum ab eo per exilia & tentationes peregrinatur: quia dum adhuc cum eo non regnat, deseri ab eo sibi videtur. Ob hoc semper laborat ut ascendat, ut quem valde diligit, magis ac magis sentiat: quatenus quoniam perfecte cum in deserto non tenet, vel in ipso ejus desiderio se reficiat; ut sic in via roborata, quandoque ad hoc quod diu concupivit, perveniat. Sunt quippe nonnulli, qui dum omnia visibilia fastidiunt, mentem in cælestia erigunt: & quia in infimis nihil quod eis dulcescat, conspiciunt, totum cor ad superna convertunt. Hi ab omnibus malis moribus se exuunt, censum mundi cum cupiditatibus contemnunt, spe ad invisibilia tendunt; & quo ampliori desiderio illis inhærent, eo magis ac magis moleste corruptionem ferunt quam habent. Hi nimirum per desertum ascendunt: quia dum in hoc mundo inter tentationes vivunt, quo amplius dum hic morantur deseri metuunt, eo quidem fortius ista deserunt, & ferventius ad illa gradiuntur, in quibus cum fuerint, nihil amplius quod eos amoveat, jam timebunt.

Cur fumo ex aromatibus exhalato comparata.

8. Bene autem sicut virgula fumi ascendere dicuntur: quia & odorem bonæ famæ, & subtilitatem mentis habere dicuntur. Non autem quarumlibet rerum fumus iste esse dicitur, sed ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii existere declaratur. Myrrha quippe mortuorum corpora condiuntur ne putrescant: thura vero accenduntur, ut redoleant. Per myrrham ergo, carnis mortificatio designatur; per thus vero, orationum munditia intelligitur. Sancta igitur anima dum carnem suam a putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quasi myrrham morituro corpori adhibet; ut post judicium a corruptione æterna sanum permaneat. Cum vero se ad cælestia majori desi-

a Ducust, qui dum ad cælestia.

b Rotomag. inquietationem: Lectio priorum editorum paululum est diversa.

desiderio accendit, & a cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes ferventer abjicit, quasi thuribulum cor suum coram Deo facit. In quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo coaptat, in quo seipsam mens in conspectu Dei igne caritatis accendat. Dumque ferventes & mundas orationes ad Deum emittit, quasi summum aromatum ex thuribulo educit; ut coram dilecto suave redoleat, & proximos quoque ad ejus amorem per bona exempla concitare non desinat. Sed notandum, quod non ait, universi pigmenti, sed universi pulveris pigmentarii. Pigmenta quippe facimus, quando virtutes congregamus in corde. Quando vero ipsas nostras virtutes per singula quæque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus nostris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat, tunc proculdubio unguenta virtutum quasi in pulverem tundimus; ut eo mundiora sint opera nostra, quo subtilius ea ab omni subreptione vitiorum discernere non cessamus. Hujuscemodi mentes dilecto suo delectabiles se per ejus gratiam faciunt, & dum ab omni mundano strepitu se dividunt, locum in quo Sponsus requiescat, in seipsis componunt. De qua requie subditur:

Vers. 6. & 5.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

Lectulus Christi, mens a mundi sollicitudinibus libera.

Ephes. 2. 14.

9. Salomon quippe pacificus interpretatur. Quid ergo per Salomonem, nisi Christus intelligitur, de quo scriptum est: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum?* Salomoni ergo lectulum facimus, quando a mundi sollicitudinibus omnino cessamus, dum in solo desiderio Christi libenter pausamus, eique ut nobiscum pauset, cor ab omni terrena cupiditate mundamus. Denarius autem numerus si per senarium multiplicetur, nimirum sexaginta complentur. Per denarium itaque Decalogum Legis accipimus: per senarium autem totum hoc tempus intelligimus, quod sex diebus operatoriis volvi videmus. Per sexaginta igitur fortes, omnes perfectos qui fuerunt ante nos in Ecclesia, intelligimus: qui dum decem præcepta Legis quo spiritalius, eo fortius in sex diebus compleverunt, quasi sexagenarium numerum perfecerunt. Hi lectulum Salomonis ambiunt; quia mentem sanctam in qua Christus pausat, verbis & examplis muniunt, quibus ab aditu mentis venientes hostes repellunt, dum ipsam mentem exemplis sustinent, scriptis erudiunt. Hi tenent gladios, & ad bella doctissimi existunt: quia dum verbum Dei opere complent, quod corde sciunt, magis ac magis semper docti hostem suum, dæmonem scilicet, sapientia & fortitudine vincunt. Per gladium enim, verbum Dei designatur: per manus autem quibus gladios tenent, ipsa opera figurantur. De quibus bene subditur: *Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Quid per ensem, nisi rigorem conversationis; & quid per femur, nisi carnis appetitum accipimus? Electi ergo quique, qui jam ad perfectionem vitæ provecti sunt, semper ensem super femur suum ferunt; quia rigore conversationis appetitum carnis assidue frangunt, ne hostis quem in nocte hujus mundi timent, repente veniens, mollem aditum inveniat, & per voluptatis mollitiem eo facilius, quo voluptuosiores invenerit, ad graviora peccata perducat. De laude itaque Salomonis adhuc subditur:

Huic lectulo qui excubitores & custodes adhibendi.

Vers. 9. & 10.

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media caritate constravit, propter filias Jerusalem.

Christi ferculum electorum Ecclesia.

Quig. columnæ, prædicatores.

10. Ligna Libani imputribilia esse asseruntur. Ferculum ergo fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; quia secundum [a] præscientiæ suæ gratiam, Christus sanctam Ecclesiam de Sanctis in æternum permansuris construxit. *Columnas ejus fecit argenteas;* quia eidem Ecclesiæ prædicatores dedit, qui & ut eam exemplis sustentarent, magna justitiæ rectitudine roboravit, & ut prædicationibus erudirent, nitore eloquii, quasi splendore argenti, decoravit. *Reclinatorium aureum* fecit, quia dum in cordibus perfectorum resplenduit, eis divinitatis suæ potentiam per contemplationem ostendit. In qua contemplatione dum eis pulchritudinem cælestium gaudiorum monstravit, quasi reclinatorium ex auro composuit; quia locum in quo se refocillantes requiescant, apposuit. Quod reclinatorium bene aureum esse dicitur: *quia melior est sapientia cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur [b] huic non valent comparari.* Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus ascenditur, ita ut si necesse fuerit, etiam sanguis effundi permittatur. Ideo ascensus recte purpureus esse dicitur. Dum enim sancti quique Martyres propter vitam æternam corpora sua ad supplicia tradiderunt, dum flagella, [c] equuleos, ignes, gladios, & alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt, nonne ad reclinatorium istud, ad beatam scilicet vitam, per ascensum purpureum ascenderunt? Sed nos miseri quid agimus, qui in hoc ferculo columnæ argenteæ non sumus; quia sanctam Ecclesiam nec exemplis sustentamus, nec prædicatione docemus? In ea reclinatorium aureum non habemus; quia terrenis cogitationibus involuti, ad splendorem sapientiæ per contemplationem non assurgimus. Ascensum purpureum nec etiam cognoscimus; quia voluptatibus vacantes, labores & persecutiones pro æterna beatitudine ferre recusamus. Consolatur nos aliquantulum quod de hoc ferculo subditur: *Media caritate constravit, propter filias Jerusalem.* Quid enim per filias Jerusalem, cum non filios sed filias dixerit, intelligimus, nisi nos debiles, qui in Ecclesia non viri, sed feminæ sumus; quia contra vitia fortiter non reluctamur, viriliter non resistimus, muliebriter subjacemus? Jerusalem enim visio pacis interpretatur, per quam Ecclesia, quæ est mater nostra, designatur, eo quod assidue pacem perpetuam contemplatur. Si ergo nos in ferculo Regis columnæ argenteæ non sumus, reclinatorium aureum non habemus, per ascensum purpureum ascendere non valemus; saltem caritatem, quæ communis omnibus electis quasi in medio posita est, teneamus. Per hanc quippe rex Salomon nos in ferculo suo esse cognoscit; quia in eo cum columnis argenteis, cum reclinatorio aureo, cum ascensu purpureo, propter filias Jerusalem etiam media caritate constravit: quia cum Ecclesiæ membris ad eamdem Sponsi beatitudinem pervenimus, si caritatem indefessam observamus. Sequitur:

Reclinatorium aureum vita æterna, ad quam ascensu purpureo pervenitur.

Prov. 8. 11.

Aut reclinatorium communem omnibus electis caritatem vindicat. [illegible]

Egre

a Val. cl. *præsentia suæ gratiam*, quod minime probamus. Contradicunt quoque alii mss.

b Excusi, *ei non possunt comparari.*

c Ita omnes mss. & edit. Paris. 1518. Aliæ habent, *aculeos*. Erroris occasio fuit modus scribendi veterum amanuensium, *eculeos*.

Vers. 11.

Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

Quo diademate Christus a matre redimitur. Matth. 1.

12. Mater Christi beata Maria esse creditur, quæ coronavit eum diademate, quia humanitatem nostram ex ea ipse assumsit, sicut in Evangelio recitatur. Et hoc in die desponsationis ejus & in die lætitiæ cordis ejus factum esse dicitur: quia quando unigenitus Filius Dei divinitatem suam humanitati nostræ copulare voluit, quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam [a] suam sibi assumere placuit, tunc cum caritatis exultatione carnem nostram ex matre virgine suscipere voluit. In qua cum doloribus pro tempore vivens, de redemtione nostra vehementer exultavit. Sed cum diadema pro gloria assumatur, in humanitatis autem susceptione non gloria Verbi Dei, sed humilitas esse cognoscatur; quomodo humanitate nostra quasi diademate coronatus fuisse dicitur? Sed cum ipsa ejus incarnatio vere gloria nostra fuerit; quia membra ejus sumus propter communionem corporis, diadema membrorum bene capitis Scriptura prædixit. Hic itaque quia a sponsa laudatur, & ipse vicissim sponsam laudare dignatur, dicens:

CAPUT IV.

Cant. 4. Vers. 1.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es & decora! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.

Sup. cap. 1. num. 35. Quæ sit potior sponsæ pulchritudo.

1. Quia hæc superius exposuimus, ut potuimus, nunc eadem repetere propter brevitatem servandam devitamus. Sed quia adjunctum est, *Absque eo quod intrinsecus latet*, breviter videndum est quomodo superioribus conjungatur. Pulchra est ergo sponsa, & oculi ejus columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, quia valde honestum est quidquid in exterioribus operatur, quod simpliciter inter homines conversatur, quod ea quæ videt, temporaliter concupiscere dedignatur, & si quid tamen in hoc mundo placet, post concupiscentias suas ire detestatur. Sed vehementer pulchrius & honestius est, quod cordis desiderium illibatum retinere conatur, quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, erecta contemplatur, quod in his quæ interius videt, suaviter requiescit, & mundatur. Sequitur:

Ibidem.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

Per oculos sponsæ, prædicatores, per capillos populi designantur.

2. Si per oculos, prædicatores Ecclesiæ designantur, quia ceteris viam ostendit, bene per capillos populi significantur, quia eidem Ecclesiæ ornatum tribuunt. Capilli ergo sponsæ sicut grex caprarum esse dicuntur; quia populi Ecclesiæ dum præcepta legis ruminantes, cælestia fide contemplantur, munda sunt animalia, & in altis pascuntur. Galaad autem acervus testimonii interpretatur. Quid autem per acervum testimonii, nisi multitudinem Martyrum intelligimus? Qui dum fidem Christi insuperabiliter tenuerunt, eos testimonium veritati etiam per mortem suam perhibuisse scimus. Grex itaque iste caprarum de monte Galaad ascendit; quia populus Ecclesiæ eo magis fide se ad æterna suspendit, quo fortius sanctos Martyres eidem fidei testimonium perhibuisse scivit. Sequitur:

Multitudo Martyrum, acervus testimonii.

Vers. 2.

Dentes tui sicut [b] *greges tonsarum, quæ ascendunt de lavacro: omnes gemellis fetibus, & sterilis non est inter illas.*

Ecclesiæ dentes sunt, qui & infideles comminuunt, & parvulis fidelibus cibum parant.

3. Sicut per oculos prædicatores intelliguntur, quia per eos Ecclesia illuminatur; similiter & dentes ejusdem possunt dici, quia per eos infideles consumuntur, & parvuli nutriuntur. Dentes quippe bene sancti prædicatores vocantur; quia dum sanctam Scripturam exponendo minoribus fratribus elucidant, quasi panem parvulis, tamquam matres filiis commasticant, quo infirmi ad fortiora convalescant. Hi nimirum bene sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, esse dicuntur; quia dum se a peccatis omnibus in Baptismo ablutos esse recordantur, libenter onera mundi deponunt, ut ad cælestia consequenda & prædicanda quo liberius, eo facilius gradiantur. De quibus subditur: *Omnes gemellis fetibus, & sterilis non est inter illas*. Gemellos fetus omnes sancti prædicatores habent; quia dum in duobus præceptis caritatis ceteros homines supereminent, geminam dilectionem prædicant, & in ea duos populos, Judaicum & Gentilem gignere non cessant. Inter quos nullus est sterilis; quia profecto prædicator non est dicendus, si filios spiritales gignere contemnit. De quibus adhuc subditur:

Vers. 3.

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

Labia sponsæ, qui vitæ præcepta prædicant.

4. Iidem prædicatores labia Ecclesiæ dicuntur; quia nimirum per eos populis præcepta vitæ loquitur. Qui bene sicut vitta dicuntur; quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt, quasi sparsos crines ne immoderate diffluant, reprimunt. Sed quid est quod non tantum vittæ, sed coccineæ comparantur, nisi quia per coccum flamma caritatis intelligitur, qua illi ardent, & per eos alii accenduntur? Per quos eloquium sanctæ Ecclesiæ dulcoratur: quia dum quæ dicunt faciunt, prædicationes suas hominibus quasi sapidas escas apponunt. Sequitur:

Ibidem.

Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.

Ecclesia malo punico est similis.

5. Quid per genas Ecclesiæ, nisi eosdem ipsos prædicatores intelligimus, qui dum in populis ut eis proficiant eminent, quasi in facie Ecclesiæ manifesti apparent? Per malum autem punicum ipsa Ecclesia designatur: quia dum multos populos in unitate fidei nutrit, quasi multa grana sub uno cortice stringit. Fragmen ergo mali punici sancti prædicatores existunt: quia dum se ut grana in divino servitio ceteris fortius affligunt, dum omnia mundana contemnunt, dum [c] voluptates suas abnegant, & vitia sua omnino mortificant, [d] & ceteros extollunt, & dum per exempla sua ceteros nutriunt, quasi fracti & aperti se cibos offerunt. Sed quamvis magna sint quæ extrinsecus apparent, majora tamen in occulto retinent, quæ divini oculi soli vident. Ideo subjunctum est: *Absque eo quod intrinsecus latet*. Sequitur:

In sanctis prædicatoribus, quæ patent, magna sunt, quæ latent, majora.

Vers. 4.

Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Sancti prædicatoris vigilantia & fortitudo.

5. Collum quippe extendimus, quando longius prospicere volumus. Propter aliud ergo sancti prædicatores oculi, propter aliud dentes, propter aliud autem genæ, & collum propter aliud convenienter vocantur. Bene igitur sicut turris David, collum sanctæ

a Placuit recentioribus edit. explicationis gratia inserere *sponsam suam*. Lectio nostra est mss. & edit. vet. Paris.
b Rotom. & Remens. *grex tonsarum*.

c Editi, *voluntates suas abnegant*.
d Ibid. post, *mortificant*, additur, *dum seipsos humiliant*. Quæ absunt a mss.

sanctæ Ecclesiæ dicitur; quia sancti prædicatores, procul venientes hostes sanctæ Ecclesiæ speculantur, & fortiter resistunt, si quid in Ecclesia lædere conantur, & libere terrena despicientes, cælestia contemplantur. Collum ergo propter hostium speculationem, turris vero dicuntur propter fortitudinem, & propter excelsam cælestium gaudiorum contemplationem. Quæ turris recte David esse dicitur: quia David manu fortis interpretatur: per quod Christus significatur, cujus est quidquid forte & excelsum operatur. De qua subditur: *Quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cum propugnaculis turris David ædificata dicitur; quia sancti prædicatores contra adversarios homines, si necesse sit, miraculis armantur. Contra vitia autem se clypeis muniunt; quia ne spiritalibus hostibus succumbant, virtutibus se defendunt. In quibus omnis armatura fortium pendet; quia quisquis hostium cuneis fortiter resistere vult, in eis exempla videt, quibus [a] armatos hostes strenue valet superare. Mille autem hic pro perfectione ponitur: quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur. Sequitur:

Qui bus armis utatur, & muniatur.

Vers. 5. & 6.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.

Duo prædicatorum ordines.

7. Per duo ubera, duo prædicatorum ordines, unus in circumcisione, alius in præputio designantur. Qui bene sicut duo hinnuli capreæ dicuntur; quia & filii Synagogæ existunt, & in montibus contemplationum pascuntur. Gemelli vero ideo dicti sunt: quia concorditer prædicant, & concorditer sapiunt. In liliis vero pascuntur donec aspiret dies, & inclinentur umbræ: quia munditiam infatigabiliter sectantur, donec in die judicii præmia recipiant, quæ in laboribus noctis assidue contemplantur. Sequitur Sponsus, dicens:

Vers. 6.

Vadam [b] *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

Quibus virtutibus sponsa Christi muniatur, & placeat.

8. Quid per montem myrrhæ, nisi fortem altitudinem mortificationis in opere, & quid per collem thuris intelligimus, nisi altam humilitatem in oratione? Ad montem ergo myrrhæ & ad collem thuris Sponsus vadit; quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas & humiles orationes suaviter redolere perspicit. His quippe virtutibus sancta Ecclesia, vel unaquæque anima munda efficitur: quia dum per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, & per sanctas orationes frequenter lacrymis abluitur, sordes lavat ut Sponso placeat, cui pulchra apparere conatur. Cujus conatum ad effectum Sponsus per gratiam suam ducit, opusque suum in sponsa benigne laudat & dicit:

Vers. 7.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Quæ tota pulchra sit & maculæ expers.

Job. 14. 4. sec. Septuag.

Job 25. 5.

Jacob. 3. 2.

1. Johan. 1. 8.

Ibid. 6.

9. Cum scriptum sit: *Nemo mundus sine peccato, nec infans cujus vita est unius diei super terram:* quid est quod sponsa tota pulchra esse dicitur, in qua macula non habetur? Alibi quippe scriptum est: *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Et alibi: *In multis offendimus omnes.* Et Johannes Apostolus ait: *Si dixerimus* [c] *quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Et idem: *Si dixerimus quia non peccavimus, mendacem facimus eum, & veritatem non facimus.* Sed dum sancta anima a peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat; dum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit, & a majoribus se observat, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam assidue servat. Hinc enim alibi præcipitur: *Semper sint vestimenta tua candida.* Et illud: *Justus autem ex fide vivit.* Quamvis enim mox ut peccat, a justitia deviet, tamen dum semper credit in eum qui justificat impium, & assidue sub ejus fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones justitiam suam retinet. Se igitur ita mundanti sponsæ consequenter dicitur:

Eccli. 9. 8.

Rom. 1. 17.

Vers. 8.

Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

Baptismi aquis abluitur.

10. Libanus quippe dealbatio interpretatur. Quid ergo per Libanum nisi Baptisma intelligitur, in quo sancta Ecclesia aqua abluitur, & a peccatorum nigredine per Spiritum sanctum quem recipit, & per Christi fidem dealbatur? Unde scriptum est: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor.* De Libano ergo sancta Ecclesia ad coronam venit; quia in Christi baptismo fidem percipit; sub qua cum Christi gratia meretur, ut præmium recipere possit. Sed quid est quod ter dicitur, *Veni*, nisi quia in fide & in spe & in caritate quidquid operatur, subsistit: ut his tribus munita virtutibus robur habeat, per quod in via non lassescat? De fide enim dicitur: *Fide mundans corda eorum.* Et iterum: *Sine fide impossibile est placere Deo.* De spe autem dicitur: *Non confundentur omnes qui sperant in te, Domine.* *Quis enim in te speravit, & derelictus est?* De caritate autem dicitur: *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Et iterum: *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Et Johannes Apostolus: *Deus caritas est.* Potest tamen & aliter intelligi quod ter dicitur, *Veni*. Venit enim sponsa sancta ad Christum, dum in hoc mundo vivens, bona quæ potest operatur. Venit quando in hora mortis anima, ipsa videlicet sponsa, a carne exuitur. Venit tertio quando in die judicii ultimi carnem resumit, & cum Christo thalamum cælestem ingreditur. Ibi quippe omnium laborum suorum præmia consequitur: ibi jam omnino prostratis & exclusis hostibus, gloriose coronatur. Ideo & hic per promissionem ei dicitur: *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Ps. 50. 9.

Et tribus virtutibus præcipue munitur.

Act. 15. 9.

Hebr. 11. 6.

Eccli. 2, 11.

Ibidem 10.

1. Pet. 4. 8.

1. Cor. 13. 3.

1. Johan. 4. 16.

Ter venit ad Christum.

Corona ejus ex seculi potentibus conversis contexta.

11. Quid per Amana, Sanir, & Hermon, nomina videlicet montium, nisi potentes hujus seculi intelliguntur? Qui quanto ditiores, tanto excelsiores & firmiores apud infirmos esse videntur. Sed de his montibus sancta Ecclesia coronatur: quia dum regnum prædicat æternum, dum exemplo suo omnia quæ mundi sunt, vilia esse demonstrat, ipsos etiam potentes ad pœnitentiam inclinat, & sibiipsi pro eorum [d] inquisitione coronam in cælestibus parat. Sic quippe fit ut humiles superbos prosternant, & [e] infirmi excelsos inclinent. Ideo scriptum est: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Sed quid est quod non solum de montibus, sed etiam de capitibus montium coronanda

Isa. 40. 4.

a Excuss. quibus armatur.

b Rotom. Tu o: Rem. & Theod. *Vadam mihi ad montem myrrhæ.* De hoc loquendi modo jam dictum cap. 4. lib. 1. Dial. col. 275. nota e.

c Excuss. *quia peccatum non habemus.*

d Mutarunt editores vocem hanc in, *acquisitione*, quæ sane convenire magis videtur. Prior tamen est in omnibus nostris mss.

e Mss. & vet. ed. Paris. ita habent; at in aliis excusis legitur, *infimi*.

esse dicitur, nisi quod impletum videmus, quia jam ipsæ excelsiores personæ in Christum credunt, & ejus præcepta per Ecclesiæ prædicationem obediunt? Reges enim & Imperatores Christo serviunt, coronas deponunt, & per pœnitentiam in Ecclesia veniam petunt. Si itaque per capita montium summas personas intelligimus, bene per cubilia leonum, & montes pardorum, principes quique & ministri designantur, qui crudelitati inserviunt, & dolositatibus suis, quos vi non possunt lædere, decipiunt. Pardi quippe maculas in cute semper portant. Per quos qui alii quam hypocritæ, vel discordes significantur? In illis quippe qui crudelitatem sectantur, dæmones tamquam leones cubant. In illis vero quasi pardi montes edificant, quos dum vitiis suis aliquas virtutes admiscere consentiunt, pro omnibus bonis suis laudis gloriam affectare compellunt. Hi itaque vere pardorum varietatem imitantur; quia dum cum virtutibus etiam vitia sectantur, quasi in vario corio coloris dissimilitudine dividuntur. Sed de cubilibus leonum, & de montibus pardorum Ecclesia coronatur: quia dum per ejus prædicationem & crudeles ad pietatem, & hypocritæ ad vitæ humilis unitatem convertuntur, pro his omnibus præmium percipiet quod meretur. Cui iterum dicitur:

Reges & Imperatores Christo per pœnitentiam subjecti.

Leones & pardos domuit.

Vers. 9.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

12. Per oculos sponsæ, sanctæ Ecclesiæ prædicatores, sicut dictum est, designantur. Per crines vero, populi multitudo figuratur. Per collum autem, sancti capitis & corporis conjunctio demonstratur, quæ fides Ecclesiæ intelligitur. Per hanc enim caput & corpus conjungitur, dum Christo quisque eo tenacius inhæret, quo fidelior in bona conversatione habetur. In uno ergo oculorum & in uno crine colli sponsæ Sponsus vulneratur; quia profecto usque ad mortem crucis afficitur, ut unitas prædicatorum & plebis in Ecclesia confirmetur. De cujus dilectione erga sponsam iterum subdit Sponsus:

Sup. cod. cap. ad vers. 1. & 2. Christus, ad unitatem inter Ecclesiæ membra confirmandam mortem pellatur.

Vers. 10.

Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa!

13. Quid per mammas convenientius in hoc loco, quam ipsa dilectio Dei & proximi, de qua superius diximus, intelligitur? Per quas mens sancta omnes sensus suos in dilectione nutrit, dum Deo suo caritatis tenacitate conglutinatur, & proximis si quid utilitatis habet, quando licet, libenter impendit. Has mammas sponsæ quantum Sponsus diligat, in repetitione laudis aperte manifestat, dicens:

Dilectio Dei & proximi, sponsæ mammæ, quibus Christus delectatur.

Ibidem.

Pulchriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

14. Quod superius de Sponsi uberibus diximus, hoc & hic cum de sponsa loquitur, intelligi posse æstimamus. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Per unguenta quippe ipsæ virtutes quæ ex caritate oriuntur, intelliguntur. Habent quippe etiam reprobi aliquando aromata quibus redolent: quia virtutes quasdam possident, & bona opera perpetrant: sed quia sine caritate vivunt, in conspectu Dei nulla quæ faciunt placent. Unde in judicio cum dicent: *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Respondebitur eis: *Numquam novi vos, discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Bene ergo unguenta Ecclesiæ super omnia aromata redolere dicuntur: quia etsi opera reproborum aliquando hominibus placent, hæc quæ sancta Ecclesia ex caritate conficit, in divinis naribus sine cessatione redolent. Sequitur:

Bonorum operum, quæ ex hac dilectione fiunt, fragrantia.

Matth. 7. 22.

Vers. 11.

Favus distillans labia tua sponsa: mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

15. Prædicatores Ecclesiæ bene labia sponsæ esse dicuntur; quia per eos populis loquitur, & per eos ad fidem parvuli quique erudiuntur, dum per eos occulta divinæ Scripturæ quasi cordis latentia manifestantur. In favo autem mel latet, & cera videtur. Recte ergo labia sponsæ favus vocantur; quia dum in carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cera absconditur. Quando vero electus quisque prædicat, quando cælestia gaudia nescientibus revelat, tunc favus distillat: quia quanta dulcedo sapientiæ in corde lateat, per oris fragilitatem audientibus manifestat. Unde scriptum est: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Ideo subditur: *Mel & lac sub lingua tua.* Nimirum falsi prædicatores mel in lingua portant, quod sub lingua non habent: quia cælestia gaudia aliquando prædicant tamquam veri sint, cum ipsa terrestria bona totis desideriis appetant. Sancta vero mens mel in lingua prætendit; quia sapientiæ dulcedinem loquendo ostendit, quam veraciter prædicans, audientes tamquam mellis dulcedine reficit. Lac gerit, quia congruenti sibi doctrina parvulos quosque in Ecclesia nutrit. Sub lingua autem hæc omnia sibiipsi reservat; quia internam dulcedinem assidue secum portat. Dum enim terrena abjicit, dum vitiorum amaritudinem respuit, in interioribus sensibus sapientiæ dulcedine se pascit, qua robur colligit, ut ad æterna gradiens, in labore viæ lassescere non possit.

Cur sanctus prædicator favo comparatus.

2. Cor. 4. 7. Mel & lac ita aliis propinant, ut etiam sibi servent.

16. Cui bene dicitur: *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Quid per vestimenta hæc, nisi sancta opera designantur, quibus præcedentium malorum turpitudo operitur, ne videatur? Hinc enim scriptum est: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videatur turpitudo ejus.* Thus vero per significationem pro oratione ponitur, sicut scriptum est: *Ascendat oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Sancta itaque anima in hoc mundo, quanta potest, bona opera operatur, & bene operans desiderio & intentione sancta ad æterna se extendit; nihilque boni agit, nisi ea intentione, ut ad cælestia quæ diligit, quandoque pervenire possit. Bene igitur odor vestimentorum ejus sicut thuris esse perhibetur: quia in omnibus operibus suis orat, dum perveniendi intentione, ea quæ potest bona operatur. Sequitur:

Bona opera comitatur oratio.

Apoc. 16. 15.

Psal. 140. 2.

Vers. 12.

Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

17. Hortus sancta Ecclesia existit; quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus conclusus bene esse dicitur: quia caritatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur. Unaquæque anima sancta etiam hortus conclusus esse intelligitur: [a] quia dum bona sua, intentione vitæ æternæ abscondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumpere possit. Fons etiam dicitur; quia dum cælestia assidue cogitat, dum scientiam Scriptura-

Hortus conclusus Ecclesia & anima pia.

[a] In recent. ed. inseritur: *quia dum virtutes nutrit, flores gignit; & dum obvoluta contemplatione se reficit, fructus quos generat eadem custodit. Conclusus enim hortus esse dicitur &c. quia dum bona.* Hujus additamenti nulla extant vestigia in mss. aut in vet. ed. Paris.

Cur etiam signato fonti nens sancta similis.

turarum semper in ventrem memoriæ congregat, quasi aquas viventes sancta mens in sa gignere non cessat, quas sitientibus proximis præbere ut reficiantur valeat. Unde scriptum est dicente Domino: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et alibi: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus.* Sed cur dicitur fons ille signatus, nisi quia sensus spiritalis mentibus indignis absconditur? Infideli enim homini a Domino dicitur: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis & nescis unde veniat, aut quo vadat.* Et iterum scriptum est: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quod enim ibi lumen signatum, hoc hic proculdubio fons signatus esse perhibetur. Sanctus enim Spiritus mentem quam replet, & illuminans irrorat, & irrorans illuminat: ut & de luce ejus videat quid appetat, & de rore ejus se refrigeret, ne lassescat. Sequitur:

Johan. 4. 13 — *Johan. 7. 38* — *Johan. 3. 8* — *Psal. 4. 7*

Vers. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.*

Fructus Ecclesiæ, et ejus filii, præsertim Martyres.

18. Quid emittit sancta Ecclesia, nisi cum sanctis operibus sancta verba, quibus filios gignit & nutrit? Quorum dum alios usque ad martyrium perducit, alios in sancta conversatione erudit: hos sanguine martyrii rubentes ad æternam patriam transmittit, illos vero in sanctis operibus viventes, proximis in exemplum sanctitatis tradit, quid aliud quam mala punica & pomorum fructus emittit? Mala enim punica sub rubeo cortice multitudinem granorum continent: fructus vero pomorum in se refectionis dulcedinem habent. Sic sic Martyres dum sub igne tribulationis laborant, dum pro Christo sanguinem exterius fundere non dubitant, multitudinem virtutum interius sibi congregant in mente. Sancti etiam quique qui in pace Ecclesiæ vivunt, fructus pomorum gerunt: quia dum sancta opera faciunt, proximis exempla tribuunt, quorum exhibitione se qui volunt reficiunt. Quotquot enim sunt in Ecclesia Sancti, sive igne passionis ardeant, sive in pace Ecclesiæ quiescentes succrescant, sanctarum virtutum odorem tamquam paradisum suavitatis & deliciarum construere in se, dum vivunt, non cessant. Cujus paradisi ubertatem Scriptura demonstrat, dum sub voce Sponsi per arbustorum nomina, quasque virtutes designat, dicens:

Vers. 14. *Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis.*

Eius aromata, virtutum odor & profectus.

19. Quid enim per has diversas aromatum species designatur, nisi sanctarum virtutum [a] odor & profectus, qui in Sanctis habetur? Ex his quippe speciebus regalia unguenta conficiuntur, ex his corporum sanitates inveniuntur. Bene igitur virtutes animarum designant, quibus congregatis & confectis, & bonus odor opinionis egreditur, & ægris animabus competens sanitas reparatur. Sed adhuc laus Ecclesiæ a Sponso repetitur, cum subditur:

Vers. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.*

Cur sacra Scriptura fons simul & puteus dicatur.

20. Recte in emissionibus, fons hortorum & puteus aquarum viventium describitur. Quid enim per fontem & puteum, nisi sancta Scriptura designatur? quæ sic aquam sapientiæ generat, ut & potantes semper reficiat, & tamen manare non desistat. Quæ bene hortorum esse perhibetur: quia illorum specialiter est sancta Scriptura, in quorum mentibus virtutum semina oriuntur. Sed quærendum nobis est, quare fons & puteus utrumque simul Scriptura dicatur, cum fons in superficie appareat, puteus vero in imis latens, omnes se quærentes majori labore exerceat. Sed sciendum est, quod divina Scriptura in quibusdam manifesta existens, in quibusdam vero locis obscuram se præbens, & aliquando leviter sicut invenitur, tamquam fons potatur, & aliquando magna inquisitione [b] eget, ut inventa sumatur. Quod vero sanctæ Scripturæ intellectus per quam designetur, ostenditur alibi cum divina voce de reprobis dicitur: *Mittam eis sitim aquæ, & famem panis.* Et per Isaiam dicitur: *Auferet Dominus ab Jerusalem & Juda omne robur panis, & omne robur aquæ.* Ubi notandum, quod robur panis prius, & postea robur aquæ aufertur. Dum enim gravia dicta Scripturæ non perquiruntur ut mandantur, paulatim a scientia decidit mens, ut aliquando levia etiam intellectu non capiantur. Sed aquæ istæ bene de Libano fluere cum impetu dicuntur: Libanus enim, ut dictum est, dealbatio interpretatur. In Baptismo quippe dealbamur, dum amissa nigredine peccatorum, ad munditiam novæ vitæ reformamur. De Libano ergo aquæ [c] putei cum impetu fluunt: quia in Baptismo electi quique donum Spiritus sancti accipiunt, quo illuminati Scripturæ sacræ sensum intelligunt. Quæ Scripturæ sanctæ scientia tanto fluit impetu, ut electos dum tangit, ab hujus vitæ amore submoveat, & ad æterna gaudia vi impetus sui quosque adhærentes trajiciat. Hinc est enim quod in Psalmo scriptum est: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Impetus enim fluminis civitatem Dei lætificat, cum per donum sancti Spiritus fortiter inundans Scripturæ sapientia sanctam Ecclesiam, vel cujuslibet capientis mentem, infusione sua exhilarat. Ad cujus Spiritus adventum malignus spiritus increpatur, cum hic in subsequentibus dicitur:

Amos 8. 11. — *Isai 3. 1.* — *Eius aquæ quanto impetu fluant.* — *Psal. 45. 5.*

Vers. 16. *Surge Aquilo, & veni Auster: persla hortum meum, [d] & fluent aromata illius.*

U. Sponsi hortus flores ac fructus ferat, flatu Spiritus sancti indiget.

21. Quid enim per Aquilonem qui in frigore constringit, & torpens facit, nisi immundus spiritus designatur, qui reprobos omnes dum possidet, a bono opere torpere facit? Per Austrum vero, calidum scilicet ventum, Spiritus sanctus figuravit: qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat, & ferventes facit, [e] ut bona quæque desideranter operentur. Hinc enim dicitur: *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.* Surgat ergo Aquilo, & veniat Auster, & perflet hortum Sponsi, & fluant aromata illius: ut videlicet spiritus malignus ab Ecclesia vel ab unaquaque anima discedat, & Spiritus sanctus adveniat. Qui veniens caritatis ignem cogitationibus infundat, & a torpore negligentiæ dum se infuderit, solvat. Quod dum agit, aromata fluunt: quia dum adveniente sancto Spiritu, cor quod prius torpuerat, ad opera se excitat, mox sanctæ operationis opiniones per proximos quosque suaviter discurrunt, ut quique audientes ad eadem se accendant, & Austro flante, idest Spiritu sancto se infundente, vir-

Psal. 125. 4.

a Val. cl. & Rotom. honor.
b In excusis, si excipias vet. ed. Paris. additur, *tamquam puteus*, post *eget*. Glossema est quo carent mss.
c In vulgatis omissum, *cum impetu*.
d In Rotom. & Val-cl. *& fluant aromata*, quod etiam in Vulgata legitur, habeturque paulo infra: *surgat ergo Aquilo ... & fluant, &c.*
e Sic restituimus ex mss. In editis legitur, *ut bona quæ desiderant operentur*.

virtutum odores emittant, ut ubique sanctus hortus floreat, & post florem fructus redolentes & reficientes producat. In quem hortum sponsa dilectum invitat, cum subdit:

CAPUT V.

Cap. 5. Vers. 1.

VEniat dilectus meus in hortum suum, [a] ut comedat fructum pomorum suorum.

Christus bonis operibus pascitur.

1. In hortum dilectus venit & fructum comedit, quando Christus mentes visitat, & bonorum operum delectatione se satiat. Unde & idem subjiciens dicit:

Ibidem.

Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.

Myrrham metit Sanctis mortificatione consummatis, eosque in cælo inserendo.

2. Myrrham dilectus cum aromatibus metit, quando Christus mortificatione vitæ ad perfectionem perducta, electum suum ab hac vita succidens, ad cæleste horreum cum sancta opinione inducit. Favum cum melle comedit, quando desiderium sanctum in sanctis operibus latens perficit, & ad Sanctorum convivium sanctam animam sua delectatione impinguandam transfigit. Vinum vero suum cum lacte bibit, quando & perfectione quorumdam se reficit, & innocentiam aliorum cum pietate diligens, utrosque ad æternum convivium ingerit. Ad quorum exemplum quosque remanentes invitat, cum subjungit:

Quorum convivia, & deliciæ.

Ibidem.

Comedite amici mei, bibite & inebriamini carissimi.

In convivio Christi alii solummodo comedunt.

3. Notandum in primis est, quia qui comedunt, amici; qui vero bibunt & inebriantur, carissimi esse perhibentur. In quibus verbis intelligi datur, quia in hoc loco comedere bonum est, sed bibere & inebriari amplius bonum est. Sunt nimirum quidam in sancta Ecclesia, qui sic præcepta divina audiunt, ut cælestia plusquam terrena amare discant, pro eorum desiderio multa pauperibus tribuant, a parvis operibus se custodiant, nulla alicui violenter rapiant, Ecclesiæ prædicationem libenter audiant, in fide se instruant, quam & operibus sanctis exerceant; & tamen uxores habeant, pignora nutriant, res suas diligant, quamvis his omnibus Christum præponant. Hi profecto comedunt, & amici sunt: quia sanctam Scripturam audientes, talem sibi refectionem assumunt; ut etsi ad summam perfectionis adhuc non assurgunt, tamen secundum modum suum perfecti, in præceptis divinis sine crimine vivunt. Quod dum beati Johannis parentes, Zacharias videlicet & Elizabeth, conservare studuerunt, per revelationem angelicam in senectute sua filium accipere meruerunt, quo major inter natos mulierum non surrexit, & ipsum Salvatorem mundi digito ostendere & baptizare meruit. De cujus parentibus dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Sunt vero alii qui tanta aviditate divinam Scripturam audiunt vel legunt, ut protinus cunctis terrenis operibus abdicatis sola cælestia ambiant, parentes, uxores, domos, filios etiam & omnia transitoria abjiciant; solummodo Christum sequi & amplecti concupiscant. Ejus desiderio se affligunt jejuniis, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus divinis, sola quæ sunt æterna cogitant, contemplationibus vacant, ad hoc laborantes, ut ea quæ retro sunt obliviscentes, in anteriora magis ac magis se extendant. Quid profecto isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur: ut dum omnium terrenorum per desiderium obliviscuntur, jure a Sponso cælesti non tantum amici, sed & carissimi vocari mereantur? De quibus idem sponsus sequitur & dicit:

Luc. 1. *Matt. 11.* *Luc. 1. 6.* *Alii inebriantur.* *Philip. 3.*

Vers. 2.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

Qui cor Sponsi dici possunt.

4. Hujusmodi quippe electi cor Sponsi bene vocari possunt, qui quo amplius exteriora quæ sunt in mundo, fugiunt, eo secretius ea quæ sunt interiora sponsi cognoscunt. De quibus proculdubio idem sponsus alibi dicit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Dormit ergo sponsus, & cor ejus vigilat: quia dum Christus jam glorificatus, in beatitudine quiescit, quicumque eum perfecte diligit, ut ad ipsum perveniat allaborat. De qua vigilantia sponsa superius dixit: *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Quod enim illud quiescere dormire dicatur, id manifestat quod alibi legitur: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Quod tamen ipsum & ipsa sponsa de se dicere potest. Dicat ergo: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ac si aperte mens sancta loqueretur, dicens: Dum a mundanis tumultibus exterius dormio, interiori cogitatione quæ sint cælestia vigilans penso. Sancti etenim viri dum terrena omnia despiciunt, dum tumultus mundi omnino fugiunt, dum otium in via Dei assumunt, nequaquam ut torpori vacent, ea dimittunt: sed interius laborantes, quæ sint illa ad quæ facti sunt, in corde aspicere contendunt. Neque enim ut torpeant dormiunt, sed ut liberius æterna contemplentur, a transitoriis rebus quiescunt. Quos tamen aliquando sponsus ad profectum proximorum excitat: & ut eis cum quibus vivunt proficiant, ab otio quod diligunt, revocat. Cujus vocem audiens, etiam cum dormit, sponsa dicit:

Johan. 14. 21. *Eorum somnus vigilantiæ conjunctus.* *Cant. 1. 18.* *Psal. 4. 9.* *Non ut torpeant, sed ut cælestia contemplentur, dormiunt.*

Ibidem.

Vox dilecti mei pulsantis.

Quid etiam pulsans dicat, subjungit:

Ibidem. b

Aperi mihi [b] soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.

Causam etiam clamoris annectit, dicens:

Ibidem.

Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.

A somno eos aliquando Christus excitat, ut aliorum saluti incumbant.

5. Dum sponsa dormit, dilectus ut aperiatur ei pulsat: quia dum sancta mens sibiipsi per otium intendit, Christus multa peccatorum opera in hoc mundo tolerat: quæ nisi spiritales viri ad doctrinam se accingant, numquam per seipsos carnales vel agnoscunt, vel corrigere curant. Vult ergo sponsus ut aliquando otium dimittatur, & ad ædificationem proximorum spiritales quique sollicitentur: quia dum perfecti viri sibi solis per interiorem quietem intendunt, dolet sponsus quod seculares ad pejora magis ac magis corruunt, dum eum propter silentium spiritualium semper minus ac minus cognoscunt: quod ipse manifestat cum dicit: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quid per caput sponsi, nisi Deus, & quid per rorem in hoc loco, ubi lamentando dicitur, nisi frigus mentium accipitur? Scriptum est enim: *Caput Christi Deus.* Et de frigore cujuslibet carnalis mentis iterum scriptum est: *Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam fecit malitiam suam.* Caput ergo Christi plenum est rore: quia multi in Ecclesia positi & Deum eum credunt, & tamen frigidi persistentes, ad ardorem caritatis non accenduntur. [c] Per cin-

1. Cor. 11. 3. *Jerem. 6. 7.*

a In excusis, & comedat.
b In edit. sponsa mea, quod mss. & sacro textui contrarium.

c Vet. ed. Paris. cui favent omnes mss. nostri, per cincinnos autem eosdem populos. Alia tamen lectio potior videtur.

cincinnos autem ejuſdem, populos intelligimus, quos in fide divinitatis, quaſi in capite Chriſti pendentes & opprimentes ſcimus. Sed cincinni pleni eſſe dicuntur guttis noctium; quia dum [a] in tempore hujus tenebroſæ temporalitatis ſe ſuſpendunt, magis ac magis ſtillationibus iniquitatum fluunt. Ad hos accendendos ſponſa excitatur, dum ſpiritalis quilibet pro ædificatione plurimorum, ab otio ad prælationem Eccleſiæ vocatur. Sed quoniam metuit ne ſi ad prælationem venerit, ſollicitudinibus mundi occupari neceſſe ſit: ſicque dum per occaſionem ædificationis plurimorum, temporalibus ſe inclinaverit, quietem amittat, [b] etiamque ſordibus peccatorum inficiat, ideo clamanti ſponſo reſpondet, dicens:

Verſ. 3.

Exſpoliavi me tunica mea, quomodo iterum induar illa? Lavi pedes meos, quomodo iterum inquinabo illos?

Exteriorum abdicatione verbum Dei acquirendum.

6. Tunica ſua ſponſa ſe exſpoliavit, quia omnia exteriora, [c] quibus onerabatur, abjecit. De qua tunica dicitur: *Nunc autem qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium.* Gladium quippe vendita tunica emit, qui pro æternis temporalia abdicat: & in ſancta converſatione vivens, verbum prædicationis acquirit. De quo dicitur: *Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Pedes autem ſuos ſponſa lavit; quia dum in ſancto otio ſancta anima vivit, opera ſua ſtudioſe ad memoriam reducit: & quidquid in eis ſordidum examinando deprehendit, lacrymis quotidianis & gemitibus plangit. Pedes itaque lavit, quia præterita opera, quibus per hunc mundum diſſolute ambulaverat, planxit. Pedes lavit, quia peccata abluens lacrymis, munda in conſpectu dilecti ſui apparere concupivit. Hos pedes iterum inquinare metuit; quia valde ſollicita eſt, ne ſi in prælatione ponantur, per terrena ambulans, iterum ſuſcipiat quod dimiſit. Idcirco ab otio invita recedit; quia dum a maris fluctibus aliena eſt, quaſi in littore poſita ſecurius vivit. Sed dilectus non leviter mortem proximorum tolerat. Ideoque propius accedens, per ſeipſum eam excitare non dubitat, dum dicitur:

Luc. 22. 36.

Epheſ. 6. 17.

Qui ſuos pedes laverunt, prælationem metuunt, & otium amant.

Verſ. 4.

Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum illius.

Divina tamen inſpiratione tacti ſurgunt ad prædicationis laborem.

7. Manum dilectus ad ſponſam mittit per foramen ut ſurgat, quando per ſubtilem intellectum quanta ſit operationis divinæ virtus, ei inſpirando manifeſtat: quod videlicet & inter pericula ſalvare poſſit; quod etiam in pace niſi per eum ſalvus ſit nemo; quod in tumultu certaminis ſperantes in ſe non derelinquit. Ad cujus tactum venter ſponſæ intremiſcit: quia ſancta anima quo amplius divinam potentiam per interiorem viſitationem præſentialiter ſentit, eo diſtrictius judicat quidquid in ſe carnale deprehendit. Quo enim majori caritate in eum ardet, quem mente concupiſcit, eo timidius ſe ei ſubjicit, & amplius veretur ne ſponſus in ea aliquid inveniat, propter quod eam a ſe dimittere velit. Idcirco ſponſo obediens ad laborem ſe præparat; ut ſicut in quiete familiaris ſponſo, ſic & in labore devote ſerviens appareat. Ideo ſubdit, dicens:

Verſ. 5.

Surrexit ut aperirem dilecto meo.

Verbo & exemplo in mentibus locum ſponſo parant.

8. Tacta ſurgit ut aperiat: quia dum ſpiritum dilectionis amplius ſolito accipit, mox de ædificatione proximi cogitat; & prędicando agit, ut apertis cordibus Sponſus ad inhabitandos proximos veniens aditum intrandi inveniat. Quæ etiam cum prædicatione exempla operum auditoribus demonſtrat, dicens:

Ibidem.

Manus meæ ſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.

Carnis mortificatio nunquam deſerenda.

9. Quid per manus, niſi operationes: quid per myrrham, niſi mortificatio carnis accipitur? [d] Manus ergo ſponſæ prædicantis myrrham ſtillant; quia quicumque aliis prædicant, neceſſe eſt ſi multis proficere velint, ut in omni opere ſuo carnalem vitam mortificare contendant. Sed ut hoc cum magna diſcretione fiat, manifeſtat cum ſubjungit, dicens: *Digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſſima.* Sicut enim ab una manu plures digiti dividuntur: ſic in una ſancta converſatione per diſcretionem diverſæ virtutes inveniuntur. Alia enim eſt virtus largitatis, alia virtus parcitatis. Aliud opus humilitatis, aliud liberę increpationis. Aliud vero agimus quando nos ſub ſilentio continemus propter ædificationem propriam; aliud quando proximis loquimur propter utilitatem ſuam. Sed digiti myrrha probatiſſima pleni eſſe perhibentur; quia in omni quod agitur, ſemper neceſſe eſt ut mortificatio carnalitatis teneatur. Quæ tunc probatiſſima eſſe jure dicitur, quando in omni ſuggeſtione quæ ab hoſte ingeritur, ſine ceſſatione voluptas carnalis cavetur ne ſuſcipiatur. Quod quando fit, omnis duritia mentis diſſolvitur, & ut Sponſus intret ad cor, aditus præparatur. Hinc eſt quod ſequitur:

Verſ. 6.

Peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat atque tranſierat.

Quomodo cor noſtrum aperire Chriſto debeamus.

10. Peſſulum oſtio facimus, quando per voluptates carnis, aditum cordis contra ſponſum obſeramus. Peſſulum vero aperimus, quando remotis voluptatibus fluxis, cor noſtrum in amorem Chriſti, quod prius durum fuerat, ſolvimus, & Sponſo pulſanti ad oſtium, introitum liberum facimus. Quod cum in hac carne vivimus, quia repente fieri non poteſt, reſtat ut magis ac magis quotidie faciamus. Nemo enim, ſicut ſcriptum eſt, repente fit ſummus. Aliquando enim dum in hac corruptione poſiti Dóminum noſtrum quærimus, magis nobis elongari quam appropiare videtur. Ideoque ſequitur: *At ille declinaverat, atque tranſierat.* Modo Sponſus dilectam tangit, modo declinat: quia quando nos torpentes conſpicit, ad amorem incitat: quando vero laborantibus nobis poſſe apprehendi videtur, tunc ne apprehendatur tranſit & declinat. Quod maxima in nobis ejus gratia agitur, ut videlicet nec in torpore noſtro jacentes, omnino eum amittamus, nec de plena ejus, ut nobis videtur, apprehenſione ſuperbiamus. Qui mox tamen ut receſſerit, redit: & ne diutius anima ſancta a dilecto ſuo alienetur, verbo inſpirationis ſuæ deſideranti animæ ſe infundit, & eam liqueſacit. Unde exultat ſponſa, dicens:

Cur modo pulſat, modo declinat.

Ibidem.

Anima mea liqueſacta eſt, ut dilectus locutus eſt.

Ad verbum ſponſi mens colliqueſcat.

11. Ad verbum Sponſi liqueſactam ſe dicit; quia dum Chriſtus ſe per ſpiritum ſuum animæ deſideranti infundit, omnem duritiam cordis mox diſſolvit: & aliquando mentem in tantas lacrymas liqueſacit, ut vix capere poſſit hoc quod ſe capere intra ſe exultat: & intus miretur quid fuerit, & quid fa-

a Eadem vet. ed. Pariſ. cum omnibus mſſ. ita habet. ubi in aliis excuſis legitur *in corpore*. Paulo poſt Rotomag. pro, *ſtillationibus* habet, *titillationibus*.

b In vulgatis præter vet. ed. Pariſ. *eamque*.

c Vulgati omnes, *quibus honorabatur & onerabatur*.

d Ita cum omnibus mſſ. vet. ed. Pariſ. ſed recentiores ed. mutarunt *prædicantis*, in *prædicationis*.

factam subito seipsam videat. Quem liquorem dum sentit, perfectius apprehendere concupiscit: & aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modo sentiebat, jam non sentit. Unde sollicitatur ad quęrendum, ut hoc idem inveniat: sed aliquando cum etiam fatigetur, non invenit, quod modo tam præsens tenebat. Ideo sequitur:

Ibidem.

Quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi.

Ne hac suavitate diu perfruatur, quid obstet.

12. Quęrit sponsa dilectum, sed non invenit; quia a Deo inspirata mens assidue suavitate illa intima perfrui concupiscit, sed corruptio prohibet, quam in hac vita gerit. Vocat ergo & non respondetur ei: quia & orationibus & operationibus suis dulcedine illius præsentiæ satiari appetit, sed ad votum suum hoc quod invocat, non occurrit. Restat ergo ut in se revertens se cognoscat, & per Scripturas sanctas dilectum suum magis illo gustu adjuta perquirat. Et hoc est quod sequitur:

Vers. 8.

Invenerunt me custodes, qui custodiunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum.

Sponsam quæ eos custodes adeat.

13. Dum inquisitione dilecti sponsa sollicitatur, in custodes civitatis incidit: quia dum sancta mens desiderio sponsi sui Christi se affligit, prędicatorum verba in Scripturis divinis suscipit, & eis quamdiu a Christo [a] exultat, ejusdem quem quærebat [b] amori intendit. In quibus quid exercitationis inveniat, subjungit: *Percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum.* Custodes percutiunt sponsam & vulnerant; quia prędicatores sancti dum cælestia loquuntur, amantem animam afficiunt, & majori amore sagittant. Pallium tollunt; quia si quid pompæ secularis residuum erat in corde, exhortationibus suis ab animo auferunt. Pallium tollunt: quia aliquando ante verba prædicatorum nos non cognoscebamus, ipsique omne quod interius latebat dum loquuntur, detegunt. Quod dum fit, amplius diligendi sunt: & ut pro nobis dilecto loquantur, devotius exorandi. Quod agit sponsa dum subjungit:

A quibus salubriter vulnerabitur & spoliabitur.

Vers. 8.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langeo.

Sancti quærantur intercessores, & amoris apud Deum internuntii.

14. Dum enim sanctis viris cogitationes nostras reseramus, dum eis sive viventibus nobiscum, sive jam vitam ęternam ingressis desiderium nostrum expandimus, & per Deum oramus, ut Domino Christo pro nobis orando offerant desiderium quo afficimur, quid aliud agimus, quam filias Jerusalem adjuramus, ut dilecto, cui nobis proximiores sunt, nuntient quia amore languemus? Sed & ipsi Sancti, si adhuc nobiscum sunt, & oratores suos orant, & qui ut nuntient, orantur, præ humilitate tamquam ignari interrogant, dicentes:

Vers. 9.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum?

Sed quia quo ardentius diligunt, eo dulcius verba de eo repetunt, idem ipsum iterum dicunt:

Ibidem.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto: quia sic adjurasti nos?

Dilectus ex dilecto Sponsus dicitur: ut videlicet per repetitionem dilectionis, maximus amor loquentis ostendatur. Vel dilectus ex dilecto bene Christus vocatur; quia si Filium diligimus, & Patrem ex quo est, consenquenter amamus. Respondet sponsa subsequendo, dicens:

Vers. 10.

Dilectus meus candidus est & rubicundus, electus ex millibus.

Cur Christus dicatur candidus & rubicundus.

15. Candidus & rubicundus Christus esse perhibetur; quia nullum omnino peccatum faciens, justitię pulchritudinem ex integro tenuit, & tamen tamquam peccator esset, ad mortis passionem accessit. Cui per Prophetam dicitur: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* Electus vero est ex millibus, quia ex totius generis humani massa, nullus sine peccato reperitur: ipse vero non solum sine peccato fuit, sed etiam peccatores sua justitia & sanguine redemit. Sequitur:

Isai. 63. 2. Utrum solus peccati fuerit expers.

Vers. 11.

Caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ sicut corvus.

Caput Christi Deus.

16. Caput Christi Deus. Quod caput bene aurum dicitur; quia ad comparationem Creatoris omnis creatura res vilissima perpenditur. *Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ sicut corvus.* Quid per comas Christi, nisi fideles quosque intelligimus? Qui dum fidem Trinitatis in mente custodiunt, & Deo adhærentes, quod credunt faciunt, quasi in capite pendentes honorem portanti conferunt. Palma autem in altum ascendendo valde proficit, & victoriam significatione sua prætendit. Comæ ergo sicut elatæ palmarum sunt: quia electi quique dum semper ad alta virtutum se efferunt, per Dei gratiam quandoque ad victoriam se perducunt. Nigræ autem sicut corvus existunt: quia quamvis virtutibus se erigant, semper tamen peccatores se esse cognoscunt. Sequitur:

1. Cor. 11.

Comæ ejus, fideles omnes.

Vers. 12.

Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.

Ipsius oculi, prędicatores.

17. [c] Oculi sponsi sicut columbæ sunt; quia prædicatores Christi quia viam nobis ostendunt, simplicitate vivunt. Super rivulos autem aquarum esse perhibentur, quia semper in refectione divinarum Scripturarum conversantur. Lacte vero sunt lotæ: quia gratia creatricis sapientię tamquam lacte matris, a peccatis per Baptismum sunt mundatæ. Quid autem per fluenta plenissima, juxta quę resident, intelligimus, nisi sacræ Scripturæ profunda & arcana dicta, quæ discerpimus, quibus nos reficimus, dum ea legendo vel audiendo haurimus? Ad hoc etiam columbæ juxta fluenta residere solent, ut volantium avium umbram in aqua videant, super quam se projicientes, ungues rapientium sic effugiant. Sic sancti viri in Scriptura sancta fraudes dæmonum perspiciunt, & ex descriptione quam vident, quasi ex umbra hostem cognoscunt. Dumque se consiliis Scripturæ ex toto addicunt, ut videlicet nihil agant nisi quod ex responso Scripturarum audiunt, quasi in aquam se projicientes, hosti illudunt. Quę fluenta plenissima dicuntur: quia de quibuscumque scrupulis in Scripturis consilium quæritur, sine minoratione de omnibus ad plenum invenitur.

Sancti in Scriptura sacra fraudes dæmonum perspiciunt.

Vers. 13.

Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis.

Genæ Christi, Martyres.

18. Si per oculos prædicatores designantur, bene per genas ipsi in Ecclesia figurantur, qui in Ecclesia martyrio vitam finisse perhibentur. Dum enim pro fide Christi sanguinem suum fundere non dubitant, quasi genę in facie Sponsi rubent. Per eos quippe pulchritudo fidei Christianæ publicatur: quia ad quantum fidei pręmium tendant, ostendunt, dum pro ea moriuntur. [d] Quæ bene sicut areo-

a Rotomag. quem sequitur edit. Gilot. *exultat*.
b Nonnulli ed. *amore incendit*; ceteri *amore intendit*.
c In nonnullis mss. & omnibus excusis, *oculi sponsæ*; errore manifesto.
d In Val-cl. Rem. & Theod. *qui* (*scilicet Martyres*) *bene finit*.

areolæ aromatum esse dicuntur: quia dum in constantia fidei, martyrio electi exercentur, per cultum virtutum sanctæ opinionis fama, [a] quasi odore aromatum dilatantur. Sed areolæ aromatum à pigmentariis conseruntur: quia Martyres sancti & a præcedentibus prædicatoribus ad confessionem roborantur, & a subsequentibus ad imitationis exemplum populis adducuntur. Ab illis qui præcesserunt, pigmenta virtutum coluntur: ab his vero qui sequuntur, pigmenta exemplorum sumuntur. Unde & sequitur:

Ibidem. *Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.*

Qui Martyres laudant, labia sunt myrrham primam distillantia.

19. Quid enim per labia Sponsi, nisi ipsos quos dicimus prædicatores Christi, intelligimus? Qui dum mortes Martyrum populis prædicant, quasi myrrham mortificandis carnibus ad condimentum distillant. Quæ myrrha bene prima esse dicitur: quia nullus sic mortificatur, quomodo ille qui pro Christo martyrio finitur. Primam enim dixit non pro tempore, sed pro dignitate. Quid est quod labia Sponsi lilia esse dicuntur, nisi quod illi per quos Christus loquitur, necesse est ut mundi sint, & per eos bonus odor aspergatur? De quibus erat Apostolus Paulus, qui dicebat: *Bonus odor sumus Deo in omni loco, & in his qui pereunt, & in his qui salvi fiunt.* (2. Cor. 2. 15.) Sed notandum est, quoniam quidquid in Ecclesia justitiæ & fortitudinis habetur, ab ipso Christo per exempla operum illius trahitur. Ideo sequitur.

Vers. 14. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.*

Manuum Christi de se ipso. Forte Joan. 12. 26. 1. Joan. 2. 6.

20. Quid enim per manus Christi designatur, nisi opera sancta quæ in mundo gessit, & quæ nobis imitanda proponuntur? Ipse enim ait: *Qui me diligit, me sequatur.* Et Apostolus: *Qui dicit se in Christo manere, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare debet.* Manus vero tornatiles esse perhibentur: quia sancta opera ejus sine impositione iniquitatis ex omni parte in justitia gradiebantur. Quod enim tornatur, in rotunditate sui sine obstaculo volvitur. Sic Christi opera in rectitudinis rotunditate volvebantur: quia nulla culpa ei adhærebat: qua minus justitia ejus in rotundum duceretur. Aureæ etiam manus esse dicnotur: quia quidquid exterius inter homines operabatur, interius in divinitatis pulchritudine disponebatur. [b] Manus quoque Sponsi plenæ hyacinthis esse dicuntur: quia quicumque illius opera pio corde imitantur, felicitatis æternæ muneribus in retributione ditantur. Unde & idem Redemtor ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* (Joan. 12. 26.) Sequitur.

Ibidem. *Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.*

Christi mortalitas immortalitati juncta, & gemmis ornata.

21. Quid per ventrem, nisi mortalitas? Et quid per ebur, nisi incorruptio designetur? Ebur quippe valde durabile os habetur, & in ornamenta Regum assumitur. Venter ergo Christi recte eburneus esse dicitur: quia mortalitas Christi ad immortalitatem perducitur, dum per resurrectionem ad gloriam Patris sui, Regis videlicet æterni, in vita æterna collocatur. De quo dicitur: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* (Rom. 6. 9.) Qui vere in ornamento Regum assumitur: quia quisquis carnis suæ rex & dominus esse probatur, ipsius Christi mortalitate & resurrectione, amore cognitionis & spe immortalitatis ornatur. Unde alibi dicitur: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. Cor. 1. 31.) Sed venter distinctus sapphiris esse perhibetur: quia in nostra corruptione quam portavit, cælestia opera per miracula quæ faciebat, passionibus nostris inseruit. Sapphirus enim qui aereum colorem portat, bene cælestia facta quæ in miraculis ostendebantur, designat. Venter vero Christi sapphiris distinguitur: quia dum inter passiones carnis divina miracula operabatur, quasi incorruptione corruptio variebatur. Qua dispensatione Apostoli in fide eruditi sunt, & ad passiones tolerandas robusti extiterunt. Ideo sequitur.

Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Vers. 15.

His ad fidem eruditis, & ad patientiam confirmatis Apostoli.

22. Per crura enim Apostolos intelligimus, per quos universum mundum circuivit, & fidem eis prædicantibus, populis audientibus sparsit. Quibus ipse in Evangelio ait: *Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ.* (Marc. 16. 15.) Sed crura columnæ marmoreæ esse perhibentur: quia Ecclesiam inflexibiliter sustinent, dum contra omnes adversarios eorum prædicationibus & exemplis roboratur. Super bases autem aureas columnæ fundatæ sunt: quia a Prophetarum dictis, ut fortes existerent, fidem integram acceperunt. Unde ipse primus Apostolorum ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes tamquam lucernæ ardenti in caliginoso loco.* (2. Pet. 1. 19.) Ideo enim aureæ dicuntur, quia luce sapientiæ resplendere feruntur. Sequitur:

Illæ columnæ Ecclesiæ quibus basibus innixæ.

Species ejus ut Libani, electus ut cedri. Ibidem.

Per Christum dealbamur, & sublimes efficimur.

23. Libanus quippe mons est in quo sublimes valde & odoriferæ arbores habentur. Interpretatur autem Libanus dealbatio sive candidatio. Et de Christo dicit Apostolus Paulus: *Ipse factus est nobis a Deo sapientia & sanctificatio & justitia.* (1. Cor. 1. 30.) Bene ergo species ejus ut Libani existit: quia per eum credentes dealbamur: et si adhæremus radicitus, sublimes efficimur. A cujus gratia etiam bonæ opinionis odorem, si quem habemus, accipimus. Electus etiam ut cedri esse dicitur; quia de eo Pater loquitur: *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* (Isai. 42. 1.) Cedrus autem excelsa est valide arbor & odora & imputribilis. Christus autem excelsior cedris existit: quia quamvis homo sit, tamen Deus esse non desistit. De quo per Isaiam dicitur: *Et sublimis erit valde.* (Isai 52. 13.) Odorus etiam super omnes est Christus, quia ipse de seipso ait: *Ego flos campi, & lilium convallium.* (Cant. 2. 1.) Et per sponsam ei dicitur: *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* (Cant. 1. 3.) De quo hic bene sequitur:

Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis. Vers. 16.

Verbum Christi quantum sapiat.

24. Per guttur quippe voces transferuntur, & sapores in ventrem hauriuntur. Quid ergo per guttur Sponsi, nisi Testamentum Christi intelligitur, per quod Christus nobis loquitur, & in quo quam suavis sit Dominus a fidelibus gustatur? Totus ergo desiderabilis esse dicitur: quia per hoc quod de eo bona omnia anima sancta audit, magis ac magis semper eum videre concupiscit. Cujus tot bonis enarratis consequenter concludit, & dicit:

Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. Ibidem.

Mutua de Christo colloquia amoris incentivum.

25. Sed enumeratis tot laudibus, ostensis tot muneribus, quis audiens non concupiscit, quis intendens non inardescit? Fidelis quippe anima quæque, quo dulciora & ampliora de Redemtore suo audit,

eo

a Val-cl. *quasi odor*.
b In aliis edit. excepta vet. Paris. post *disponebatur*, additur: *quid vero per hyacinthum, qui valde pretiosus lapis est, nisi munus retributionis æternæ designatur? Manus ergo Sponsi, &c.* Hæc nullus in mss. extant.

eo ardentius inhiat, & manifestiora de eo cognoscere appetit, dicens:

Vers. 19.

Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?

Cum enim proximus proximo de Christo loquitur, cum alter ab altero qualiter inveniatur sciscitatur, quid aliud quam quomodo quæri debeat perscrutatur? Quamvis hoc de Synagoga intelligi valeat, ut aliquando conversa Ecclesiam interroget, cui protinus Ecclesia respondet:

CAPUT VI.

Cap. 6. Vers. 1. a

Dilectus meus [a] *descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.*

Quanto emolumento Christus visitet Ecclesiam.

1. Dilectus in hortum suum ad areolam aromatum descendit; quia Ecclesiam visitans, ad eos majori gratia venit, quos sanctis operibus & virtutum exemplis bonæ famæ odorem ex se proximis emittere cognoscit. In hortis pascitur, cum multarum animarum virtutibus delectatur. Lilia colligit, quando perfectos quosque ab hac vita succidit. Sed quia sancta Ecclesia in filiis suis fide Christo ita conjungitur, spe suspenditur, caritate conglutinatur, ut nihil extra Christum diligat, & eum sibi familiariter fide & amore inseparabilem teneat, ideo subjungit:

Vers. 2. b

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur [b] *in liliis.*

Synagogæ ad Christum futura conversio.

2. Notandum quippe, quod Synagoga per prædicationem Ecclesiæ ad fidem quandoque convertetur, ita ut se abnegans, Christum solum sequatur, & eodem desiderio diligat Christum, quo cum Ecclesia diligit, quem ceteris postpositis solum amat. Quam jam amicam factam, jam sponsam sibi conjunctam Sponsus alloquitur, congratulans & dicens:

Vers. 3.

Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Unde pulchritudinem trahat.

3. Pulchra & amica, suavis & decora sicut Jerusalem, Synagoga esse perhibetur: quia sancta quatuor Evangelia, aliquando conversa sicut Ecclesia sectabitur. Jerusalem quippe visio pacis interpretatur. Per quam bene sancta Ecclesia figuratur: quia dum in mundo semper pressuram patitur, viam fastidiens, quæ sit pax patriæ cælestis currendo contemplatur, confidens in eo qui discipulis suis dicebat: *In mundo quidem pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.* Digne autem Synagoga conversa, sicut Jerusalem pulchra & amica & suavis & decora dicitur; quia dum sanctam Ecclesiam imitatur, quatuor Evangeliorum præcepta operatur, a quibus pulchritudinem morum accipit ut placeat, exercitium sanctæ operationis colligit ut in amicitia hæreat, suavitatem mansuetudinis discit ut permaneat, speciem decoræ conversationis ostendit, ut per exemplum trahat. De qua consequenter dicitur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Notum expertis est, quod milites cum in procinctu contra hostes vadunt, si strictim & concorditer gradiuntur, ab hostibus contra venientibus timentur: quia dum in eis aditum per scissuram non aspiciunt, qualiter eos penetrent, hæsitantes non inveniunt. Illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati seipsis semetipsos tuentur. Dum enim de seipsis sibi vallum efficiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt, & ut occidantur appetiti, ipsi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est ut pace caritatis constringatur, [c] quo salva sit. Si enim pacem tenet, terribilis hostibus apparet. Si per discordiam scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur. Pace se itaque muniat, unitate se vinciat, caritate se uniat: ut dum in seipsa per scissuram damnum non patitur, ducem suum semper exultans sine confusione sequatur. In pace quippe oculus mentis mundatur, ut in ipsam beatitudinis visionem intendatur. Quam nemo sicut est, in hac vita conspicit: quia impossibile est patriam tenere, dum in exilio unusquisque nostrum gemit. Ideo sanctæ animæ inardescenti, inhianti, propinquanti Sponsus respondet, dicens:

Ecclesia, ut sit hostibus terribilis, pace se muniat, unitate se vinciat.

c

Vers. 4.

Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.

Christus quo magis videtur, eo magis invisibilis cognoscitur.

4. Oculos ad Sponsum tendimus, dum intuitum mentis ad videndam Christi beatitudinem aliquantulum aperimus. Sed oculos avertere præcipimur, ne videlicet aspicere eam sicuti est, quantumcumque videamus, arbitremur. Ipsi enim oculi eum avolare fecerunt: quia quo amplius videtur, eo magis invisibilis esse cognoscitur. Et a nobis avolat: quia quantulumcumque ictu mentis apprehensus, incomprehensibiliter super omnem conatum nostrum se exaltatum esse manifestat. Oculi quippe mentis quasi hoc efficiunt ut avolet: quia per hoc tantillum quod videtur, valde longinquus & avolans a nobis, sicut dictum est, apparet. Sequitur:

Ibid. & Vers. 4. & Vers. 6. d e f g

Capilli tui sicut greges caprarum, [d] *qui ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges* [e] *tonsarum ovium, quæ ascenderunt de lavacro: omnes gemellis fetibus, & sterilis non est* [f] *inter eos. Sicut cortex mali punici, sic gena tua,* [g] *absque occultis.*

Martyres sub Antichristo passuri.

5. Hæc omnia dicta de Ecclesia superius, ut potuimus, exposuimus: ideo nunc de Synagoga eadem replicare devitamus. Unum est tamen quod non similiter repetitur: quia ibi sicut fragmenta mali punici, hic autem sicut cortex mali punici dicitur. Quo nihil aliud designari puto, nisi sanguinem Martyrum, qui sub Antichristo morientur [e] & unitatem fidei, sub qua multi Judæorum stringentur. In cujus constantia dum sanguinis effusionem patientur, fidei tribulatione quasi corticis rubore decorabuntur. Sequitur:

Vers. 7.

Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ: & adolescentularum non est numerus.

Quæ prudenter corpora regunt animæ, reginæ sunt.

6. Quid per reginas, nisi Sanctorum animæ designantur; quæ dum corpora sua prudenter regunt, & aliis præsunt, regnum sibi æternum acquirunt? Sunt enim nonnulli in sancta Ecclesia qui carnem suam macerant, & propter Deum affligunt, vitia vincunt, dæmones velut tyrannos sibi subjiciunt, omnes motus suos ut ordinate currant, sapienter regunt, aliis prædicant hoc quod ipsi faciunt, multos a faucibus dæmonum gladio verbi pugnantes ab-

a Val.cl. Rem. Theod *ascendit*.
b Ed. recent *inter lilia*.
c Val-cl. & Rem *quo salva sit*.
d Rotomag. *quæ ascenderunt*. Vulgati *quæ apparuerunt*.
e Omittitur *tonsarum*, in excusis.

f Omnes mss. nostri *inter eos*, scilicet *greges*: editi ut in Vulgata.
g Hic etiam sequimur unanimem mss. consensum. In editis legitur, *absque eo quod intrinsecus latet*.

abstrahunt. Quid hujusmodi animæ nisi reginæ existunt, quæ dum Regem Christum sponsum suum valde diligunt, amoris commixtione & libidinis execratione, regios filios, id est fideles populos gignunt? Quibus omnibus beatus Petrus Apostolus dicebat: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* (1. Pet. 2. 9.) Sed reginæ sexaginta esse perhibentur. Denarius quippe numerus per senarium multiplicatus in sexaginta completur. Et quid per denarium, nisi decem præcepta Legis: & quid per senarium, nisi labor hujus vitæ signatur? (Exod. 23 & 31) Sex enim diebus quod necessarium est operamur, & in septimo quiescere per Legem jubemur. Bene ergo sexaginta reginæ esse dicuntur: quia dum decem præcepta in hoc seculo operantur, seculum autem hoc sex diebus operatoriis evolvitur, in eis quasi per senarium numerum, denarius replicatur. Prædicant enim quique decem præcepta Legis, in quorum operatione se exercent in temporalitate hujus corruptionis. Sex igitur decies, vel decem sexies multiplicant: quia universale hoc tempus in explenda decem præcepta Legis spiritaliter esse transigendum, operibus suis manifestant, & verbo prædicant. Quorum laudem in hoc mundo aliquando reprobi aspiciunt: & ut similiter laudentur, vel ut aliquod commodum in hac vita quomodocumque adipiscantur, etiam ipsi per semetipsos prædicatores fiunt. De quibus bene subditur: *& octoginta concubinæ.*

(Concubinis similes mali prædicatores.)

7. Concubinæ quippe non vere, sed ficte dominos diligunt, & ab eis non posteritatem filiorum, [a] sed præsentiam expetunt, nec continentia se exercent, sed libidinem explere concupiscunt. Sic falsi prædicatores in Ecclesia existunt: quia dum non Christum, sed lucrum vel laudem diligunt, non spiritaliter & caste, sed carnaliter & libidinose, Christo se conjungunt. Bene ergo concubinæ vocantur; quia Christum quem prædicant, non in spiritu, sed carne sectantur. De quibus Apostolus Paulus dicebat: [b] *Multi quidem secundum carnem ambulant, sed non secundum Christum.* (Phil. 3. 18) De quibus idem ipse ait: *Quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est.* De quibus ipse idem ait: *Hujusmodi non serviunt Domino Jesu, sed suo ventri.* (Rom. 16. 18) Quæ tamen concubinæ bene octoginta esse dicuntur; quia etsi toto corde terrena diligunt, cælestia tamen loquuntur. Octonarium quippe numerum per denarium ducimus, & ad octoginta venimus. Per decem autem Decalogus, sicut dictum est, significatur: per octo vero resurrectio, quia octavo die Redemtor noster resurrexisse probatur. (Falsi recte prædicant.) Prædicatores vero etsi falsi sunt, per desiderium tamen, & Scripturam divinam, & resurrectionem quam credimus, manifestant per verbum. Si enim aliud prædicarent prædicatores, inter Christianos non essent; de quibus in Evangelio Veritas ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* (Matth. 23. 2)

(Cum electis multi intrant, qui ad eorum sortem non pertinent.)

8. Sed quia & falsorum & verorum prædicatorum prædicatione plurimi ad fidem veniunt, & cum electis multi intrant, qui ad sortem electorum non pertingunt, ideo subditur: *Et adolescentularum non est numerus.* Cum enim scriptum sit: *Adolescentia & juventus vana sunt:* (Eccle. 11. 10 ex Hebr.) quid per adolescentulas has, [c] nisi animas intelligimus, quæ dum vana hujus mundi sectantur quæ diligunt, numerum electorum excedunt? De quibus per Psalmistam dicitur: *Annuntiavi & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* (Psal. 39. 6) Quod enim electorum numerus apud Deum sit constitutus, manifestat Apostolus Paulus qui ait: *Novit Dominus qui sunt ejus.* (Numerus electorum apud Deum constitutus. 2 Tim. 2. 19) Et per semetipsum Dominus ait: *Ego scio quos elegerim.* (Joban 13. 18.) Quos, quia non imperfecte scit, sed perfecte novit, proculdubio & numerum in quo eliguntur, cognoscit. De quibus per Paulum dicitur: *Quos enim præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* (Rom. 8. 29) Bene ergo adolescentularum non est numerus: quia dum per vanitatem quam diligunt, in numerum electorum non currunt, extra remanentes quasi in cognitionem divinam non veniunt. Quibus ipsa Veritas in futuro judicio dictura est: *Nescio vos*: &: *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* (Matth 25. 12 Psal. 6. 9) Sed dum reprobi mundana quærunt, & per multiplices cupiditates animum dividunt, sancta quælibet anima in numerum electorum se stringit, multa quæ videt fastidiens, unum quod non videt, ardenter appetit, quod quamdiu non tenet, in fide se nutrit, in caritate se unit. Et dum id quod unum & idipsum est sequitur, de hujusmodi multis una Ecclesia conficitur, de qua per Sponsum dicitur:

Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. (Vers. 8.)

(Soli qui in simplicitate manent & in unitate sunt electi.)

9. Mater nostra est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur, quia illos solos eligit, qui in simplicitate permanent, & ab unitate non scinduntur. Multi quippe fideles dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum & animam unam, in caritate se vinciunt, ex multis membris corpus efficiunt. Omnesque in unitatis simplicitate viventes, una columba existunt. Quæ sola perfecta & electa genitrici suæ dicitur, quia extra hanc quam dicimus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam gratia fovente nutritur. De qua bene subditur.

Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt: reginæ & concubinæ laudaverunt eam. (Ibidem.)

(Ecclesia felicitas, quæ carne Sponsi sui pascitur, sanguine lavatur, verbo saginatur.)

10. Sion filiæ, filiæ sunt Ecclesiæ, quæ dum vitam æternam in hac carne contemplantur, a peregrinante Ecclesia ad regnantem Ecclesiam eriguntur. Vident filiæ Sion columbam, & beatissimam prædicant: quia sanctæ animæ dum virtutes Ecclesiæ spectant, in laudem prorumpunt, & ad ejus beatitudinem inhiant. Sancta quippe Ecclesia gratia genitrice nutritur, dum fide eruditur, carne sui Sponsi pascitur, sanguine lavatur, Scriptura divina saginatur. Hujusmodi robusta nutrimentis dæmones expugnat, vitia suffocat, carnem domat, spiritum roborat, vitam expectat. Hæc omnia quicumque aspicit, recte in admirationem protinus assurgit, & beatissimam pronuntiat, quia videt ad quantam gloriam per tot virtutes exurgat. Cum reginis etiam concubinæ laudant; quia etsi operibus falsi prædicatores contradicunt, sermonibus tamen eadem quæ & veri populis ostendunt. De talibus ipsa Veritas dicit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* (Matth. 15. 8 ex Isai. 29) Quod aperte manifestat dum iterum dicit: *Dicunt enim, & non fa-* (Matth. 23. 3)

a Recent. editoribus placuit explicationis gratia interserere, commodorum; sic enim legendum exhibent: *sed præsentiam commodorum*; nimirum non intelligentes ad quid referri possit, *præsentiam*. At optime refertur ad *dominos*, quorum præsentiam expetunt ut libidinem expleant.

b Multa hic ex mss. supplevimus, quæ in vulgatis desunt.

c Ed. *nisi vagas animas?* Frustra autem additum *vagas*, restituta interpunctione.

faciunt. De quibus & per Apostolum Paulum dicitur: *Dictis confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. [Tit. 1. 16.] Sancti autem viri dictis & factis Deum confitentur; quia quod credunt faciunt, & ad bona quæ faciunt, etiam alios sermonibus & exemplis trahunt. Quorum virtutibus adversarii ad fidem excitantur, dum in eis & pietatem fidei, & constantiam operis admirantur. Unde & Synagoga ad fidem erigitur, cum in Ecclesia quæ sint merita fidei admirans contemplatur, dicens:

[Vers. 9.] *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum aciem ordinata?*

[Cur Ecclesia auroræ ac soli comparata.]

11. Ecclesia sancta quasi aurora consurgens in judicio ultimo progreditur, quia relictis tenebris corruptionis, incorruptionis claritate innovatur. Quæ bene ut sol electa dicitur; quia ad eamdem gloriam perducitur ad quam caput ejus Christus, qui sol justitiæ esse perhibetur. Unde est quod idem sol ait: *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic & minister meus sit*. [Joan. 12. 26. & 17. 24.] Quod tamen & de membris ejusdem Ecclesiæ adhuc in hac carne viventibus intelligi potest. [In Ecclesia alii fulgent ut aurora.] Sunt enim nonnulli qui magna intentione quæ sint tormenta reproborum aspiciunt, et quæ sunt facta sua sine palpitatione examinare contendunt. Dumque se peccasse cognoscunt, et per hoc ire ad reproborum tormenta pertimescunt, subito tenebras iniquitatis derelinquunt, et luce justitiæ accendi concupiscunt. Mox ad sanctam operationem consurgunt; et per bona opera quæ faciunt, clarere quibusque proximis incipiunt. Hi proculdubio velut aurora consurgentes progrediuntur; quia subito noctem peccati evacuantes, ad lucem magis ac magis dilatantur. Sic anima quæ prius erat in tenebris, nunc splendens apparet; et quæ etiam in se ipsa offuscabatur, nunc aliis lumine sanctæ operationis resplendet. De qua bene subditur: *Pulchra ut luna, electa ut sol*. [Alii ut luna] Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonstrat. Sic nimirum quæque anima, quæ tenebras dimittit, et in sanctam operationem se extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis spargit. Dum enim peccantes quique bonum opus aspiciunt, et ad idem faciendum se convertunt, quasi errantes in nocte, per lumen lunæ ad viam redeunt. Hæc itaque sancta anima dum peccantibus exempla præbet, quasi luna in nocte lucet. Dum vero magis ac magis crescit, & de die in diem per consuetudinem operis lumen justitiæ tam perfecte accipit, ut etiam bonis exempla imitationis præbeat, quæ prius solis peccatoribus imitando apparebat, profecto jam luna sol efficitur; quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantibus lumen veritatis manifestat. Hinc est quod sequitur: *Electa ut sol*. De qua bene subditur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Hoc quia jam dictum est, iterum non necesse est exponi, ne sic videatur fastidium generari. Sequitur ergo Sponsus, & causam dicit unde tanta virtus in Ecclesia excrescere possit. Visitatione quippe renovatur, & quod in ea tenebrosum est, respectione ejus illuminatur. Et hinc est quod subdens ait:

[Vers. 10.] *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium: & inspicerem si floruissent vinea, & germinassent mala punica.*

[Christus perfectorum corda visitat,]

12. Quid per nuces, nisi perfectos quosque intelligimus, qui dum divinam sapientiam intra corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant? Sunt enim quamplures in Ecclesia, qui assidue divinæ Scripturæ intendunt, quam suavis sit Dominus gustantes, amplius gustare concupiscunt, sancta gaudia in corde ruminant, & ruminantes magis ac magis convalescunt; & tamen foris nescientibus eos, viles apparent; quia ignoratur quam suavem in suis interioribus cibum portent. Quid isti, nisi nuces existunt, qui nuclei dulcedinem intus ferunt, exterius vero carnis utilitatem prætendunt? De quibus erat Apostolus, qui dicebat: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*. [2. Cor. 4. 7.] Hortus igitur nucum, corda sunt Sanctorum, qui dum diligunt, cælestem dulcedinem in intimis gerunt. Unde in Psalmo scriptum est: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* [Psal. 30. 20.] Sed quid est quod in hortum nucum Sponsus descendit, ut poma videat, cum potius nuces videre debeat? Verumtamen sciendum est, quod plerumque corda perfectorum visitat, eisque benignitatis suæ suavitatem manifestat; [ut per eos ad infirmiores veniat.] ut per eos ad infirmiores postmodum veniat, & quantum in augmentum justitiæ profecerint, per illos cognoscat. Unde scriptum est: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum*. [Psal. 13. 2.] Dum enim divina bonitas corda perfectorum illustrat, eosque ad curam proximorum per caritatis sollicitudinem instigat, quid hoc est aliud, nisi quod ad hortum veniens, poma convallis per illos quibus præsidet, prospectat? Tunc enim Dominus videre, vel cognoscere dicitur, cum Sanctos suos quos illustrat, ad videndum exhortatur. Sed quid est quod non poma montis, sed poma convallis, ut videat, descendit, nisi quod illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit? [Modo in humilitate permaneant.] De quo per Psalmistam dicitur: *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit*. [Psal. 137. 6.] Et ipse Dominus per semetipsum ex voce Prophetæ dicit: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* [Isai. 66. 2.] Sequitur autem Sponsus, & dicit: *Et inspicerem si floruissent vinea, & germinassent mala punica*. Vineæ florent, quando in Ecclesia filii recenter in fide generantur, & ad sanctam conversationem, quasi ad fructus soliditatem, præparantur. Mala punica germinant, quando perfecti quique per exempla sua proximos ædificant, & in novitatem sanctæ conversationis per prædicationem & bonorum operum ostensionem [a] immutant. Illud quippe malum punicum, videlicet Apostolus Paulus germinaverat, qui dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. [Gal. 4. 19.] Sic etenim in sancta Ecclesia agitur, ut per bonos mali convertantur, per perfectos imperfecti nutriantur, donec & ipsi ad perfectionem veniant, & infirmos quosque sicut ipsi perducti sunt, ad meliora perducant. Hoc Christus Ecclesiæ Sponsus [b] visitando prospicit, respiciendo corpus sanctum conjungit: qui ideo corpus infirmitatis assumsisse cognoscitur, ut in corpus suæ claritatis tota simul Ecclesia transformetur. Unde beatus Paulus ait: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. [Philip. 3. 21.] Hæc omnia in fine mundi Synagoga tandem excitata percipiet, & se tamdiu hæc ignorasse reprehendet, dicens:

[Vers. 11.] *Nescivi: anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab.*

13. Ac si diceret: Tot virtutes in sancta Ecclesia fieri

a Male legerunt edit. *invisant*, pro *immutant*, quod habent mss. omnes.

b Excusi, *visitando perficit*.

Synagogæ de præteritis suis tenebris pœnitentia.

fieri videns, quare in tanto tempore non percepi? Quare incredula perstiti? Cur tamdiu per infidelitatem meam in tenebris ignorantiæ perstiti? Sed propter quadrigas Aminadab conturbatur, quia quandoque per Christi prædicationem ad fidem suscipiendam excitatur. Aminadab enim spontaneus populi mei interpretatur. Et bene proculdubio Christus Jesus a Patre spontaneus populi mei dicitur; quia vere spontanea caritate ad populum salvandum descendit, & ut nos a morte relevaret, pia voluntate & benigna gratia mortem in cruce suscepit. Unde & ipse ad Patrem ait: *Voluntarie sacrificabo tibi.* (*Psal. 53. 2.*) Et unus ex redemtis ad Christum loquens, aiebat: *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* (*Psal. 68. 17.*) Propter quadrigas ergo Aminadab Synagoga conturbatur: quia quando tandem quatuor Christi Evangelia in mundo currentia, in cordibus hominum ferventia per fidem contemplatur, mox de infidelitatis suæ tenebris confunditur, & oborta confusione salubri, ad pœnitentiam comovetur. Cui Ecclesia benigne loquitur, dicens:

Vers. 12. *Revertere revertere, Sunamitis, revertere revertere, ut intueamur te.*

Ad conversionem ab Ecclesia provocatur.

14. Sunamitis quippe captiva interpretatur. Sunamitis ergo ut revertatur vocatur: quia Synagogæ in fine mundi fides ab Ecclesia offertur, ut dignitatem pristinam recipiat, quæ sub infidelitatis jugo a dæmonibus captivatur. Et bene quater reverti admonetur; quia in quatuor mundi partes modo Judæi dispersi sunt, qui ubicumque fuerint, ut dictum est, in fine mundi convertentur, sicut prædictum est per Prophetam: *Si fuerit numerus filiorum Israel velut arena maris, reliquiæ salvæ fient.* (*Isai. 10. 22. Rom. 9.*) Revertatur ergo Sunamitis, ut eam intueamur, id est Synagoga ad fidem convertatur, & in pœnitentia sua omnibus ostendat quantum malum faceret, quando Deum suum in cruce configebat. Sed protinus cum Ecclesie fidem Synagogæ intueri appetit, Sponsus congratulando quasi interrogans respondet, & dicit:

CAPUT VII.

Vers. 1. Cap. 7. *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?*

Strenue pro fide pugnatura erit.

1. Castra quippe militantium sunt. Castra ergo in Sunamite videbantur: quia pro fide, quam modo impugnat, tunc robuste contra perfidos præliabitur. Sed quia hoc per sanctam Ecclesiam fiet ut Synagoga convertatur, quia sermonibus & exemplis prædicatorum ad fidem convertetur, ideo recte ad laudem sponsæ Sponsus se convertit, dicens:

Ibidem. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis tuis, filia principis?*

Exemplorum Sanctorum utilitas.

2. Filia principis sancta Ecclesia dicitur, quia prædicatione Christi in vitam novam regeneratur, qui per divinitatis potentiam, omni creaturæ quam condidit, principatur. Quid autem sunt calceamenta Ecclesiæ, nisi exempla præcedentium patrum, quibus in via mundi hujus munitur, ut per omnes tribulationes quæ exurgunt, confidenter calceata gradiatur? Unde alibi prædicatoribus Paulus dicit: *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis:* (*Ephes. 6. 15.*) Calceamenta quippe de mortuis animalibus fiunt. Et nos pedes spiritaliter calceamus, quando a patribus sanctis carne mortuis exempla sumimus, ut ad eorum similitudinem mundi hujus tentationes expugnemus. Potest tamen intelligi quod Ecclesia calceatur, quando in prædicatione sita ad præferenda insurgentia mala morte Christi munitur. Pulchri ergo sunt sponsæ gressus calceatæ, quæ filia est principis; quia coram divinis oculis placet officium cujuslibet electi secundum exempla patrum prædicantis. Sequitur:

Ibidem. *Junctura [a] feminum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.*

Prædicatorum concordia Christo opus.

3. Per duo femina sponsę, duo populi Ecclesiæ: per juncturam feminum, concordia designatur prædicatorum, quibus populi uniuntur, dum ad Fidem catholicam circumcisio & præputium per eos erudiuntur. Qui ut monilia existunt; quia dum in sapientia, qua refulgent, sancta opera faciunt, quasi in auro lapides gerunt. De quibus sequitur: *Quæ fabricata sunt manu artificis.* Manu artificis monilia fabricantur, quia opere Christi prædicatores pulchri & utiles efficiuntur. Sequitur.

Vers. 2. *Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.*

Quæ aliis propinat prædicator, abundantius cæteris bibat.

4. Umbilicus etiam sanctorum prædicatorum ordo est: qui bene crater esse dicitur, quia dum per eos populus eruditur, vino spiritali ipsorum officio ebriatur. Qui bene tornatilis nuncupatur; quia juxta mores hominum universos necesse est ut lingua prædicatoris volvatur. Qui poculis non indiget: quia quod aliis propinat, necesse est ut abundantius ceteris bibat, & plenius quod dat, contineat. Sequitur:

Ibidem. *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.*

Exemplis Sanctorum muniendi sumus.

5. Per ventrem, populi latitudo designatur: qui bene sicut acervus tritici liliis vallatur: quia dum operibus sanctis intendens, in cęleste horreum præparatur, exemplis Sanctorum, ut perseveret, undique munitur: de quibus iterum dicitur:

Vers. 3. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli.*

Judæorum & Gentilium in fide genitorum fraterna concordia.

6. Duo ubera, duo populi existunt: quia dum in amore fraterno semper vivunt, se invicem lacte pietatis in caritate nutriuntur. Qui bene duo hinnuli capreę gemelli nominantur: quia dum per prædicationem Synagogę in fide geniti, in ejus Scripturis nutriuntur, in spem æternitatis intendentes, quasi in montibus concordes pascuntur De quibus prædicatoribus sequitur:

Vers. 4. *Collum tuum sicut turris eburnea.*

Collum sponsæ prædicatores. Cur.

7. Collum sponsæ sicut turris eburnea dicitur: quia prædicatores Ecclesiæ & alti per contemplationem, & fortes per sanctorum operum exercitationem, & pretiosi per divinam sapientiam habentur. De quibus iterum dicitur:

Ibidem. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.*

Oculi, qui lugent & flent.

8. Hesebon cingulum mœroris interpretatur. Oculi ergo sponsæ sicut piscinæ in Hesebon dicuntur; quia dum de peregrinatione sua contristantur, & mœrore corroborati, contra spiritales hostes accinguntur, lacrymis se levant, ut per eos populi convenienter coram Deo mundentur. In porta autem filiæ multitudinis sunt: quia in fide stant, per quam Ecclesiæ multitudinem ad cælestia introducunt. Sequitur:

Ibidem. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.*

Per nasum, prædicatorum discretio signatur. [b]

9. In naso odoris discretio habetur. Per nasum ergo [b] ordo prædicatorum designatur: quia per eos nobis virtutum odores, & vitiorum fœtores demonstrantur. Sed nasus sicut turris Libani existit: quia dum semel prædicatores aqua Baptismatis la-

a Ita mss pro femora, femorum quod habent vulgati.

b Excusi, discretio prædicatorum.

vantur, & quotidianis lacrymis a peccatis quæ contra Deum commiserunt, dealbantur, digni fiunt ut ad altiora magis ac magis per fortitudinem erigantur. Sed turris contra Damascum respicit: quia peccatoribus semper sanctus quilibet prædicator contradicit. Damascus quippe sanguinoeus interpretatur, & peccatrici genti dicitur: *Manus tuæ plenæ sunt san uine.* Sed quia de membris dixit, dignum est ut de capite loquatur. Ideo subditur:

Isai. 1. 16.

Vers. 5.

Caput tuum ut Carmelus, & comæ capitis tui ut purpura Regis juncta cana'ibus

Caput Ecclesiæ Christus.

10. Caput Ecclesiæ Christus: qui bene ut Carmelus dicitur; quia ipse per passionem quam sustinuit, ad gloriam Patris est exaltatus. De quo scriptum est: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* In Carmelo quippe Elias orans pluviam impetravit: & nos in carmelo orantes pluviam impetramus, quando in Christum credentes Christum desideramus, & a Patre irrigationem gratiæ suscipimus, quam rogamus. Moraliter autem caput sponsæ mens vocatur: quia sicut a capite membra, sic a mente omnes cogitatus nostri disponuntur. Carmelus autem scientia circumcisionis interpretatur. Caput ergo sponsæ ut Carmelus esse perhibetur; quia quælibet sancta mens novit qualiter digne circumcidatur: novit quia nihil est quidquid in corpore agitur, si mens immunda fuerit; quæ templum Christi si efficitur, ab ipso inhabitatur. Quod quia Pharisæi non agebant, ideo dicebat beatus Stephanus eis qui eum occidebant: *Dura cervice, & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper restitistis Spiritui sancto.* Comæ autem capitis ejus ut purpura Regis juncta canalibus esse memorantur. Purpura quippe per fasciculos in canalibus ligatur, super quos dum aqua projicitur, per canales ad vestem quæ supposita est, currit, ut vestis tingatur; & inde nomen accipit, ut tincta colore purpureo purpura vocetur; quæ omnia sanctæ menti congruunt, si intelligantur. Comæ quippe capitis sunt cogitationes mentis, quæ in canalibus ligantur, quia in Scripturis divinis ne inutiliter fluant, stringuntur. Super quas aqua projicitur, quæ vestem regiam tingit: [a] quia in cogitationibus sanctæ mentis, gratia cœlestis suscipitur, & totam animam in cæleste ornamentum componit; ut jam tota anima in vitam æternam inardescat, & ad æternum Sponsum etiam per sanguinem martyrii pergere concupiscat. De tota quippe Ecclesia Paulus dicit: *Qui exhibuit sibi Ecclesiam, vestem sine macula & ruga.* Et de singulis Ecclesiæ fidelibus dicitur: *His omnibus velut ornamento vestieris.* Sic tinctæ ergo, sic pulchræ, sic purpuræ factæ sponsæ adgaudens sponsus loquitur, dicens:

Isai. 2. 2.
3. Reg. 18.
Act. 7. 51.
Capitis hujus comæ.
Ephes. 5. 27.
Isai. 49. 18.

Vers. 6.

Quam pulchra es, & quam decora carissima in deliciis.

Christus carus non est, nisi qui sacris Scripturis delectatur.

11. Notandum quod carissima in deliciis dicitur, quia ad caritatem & familiaritatem Christi non pervenit, quisquis Scripturæ sanctæ deliciis [b] abundare non contendit. Inde enim dicitur: *Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* His enim deliciis qui abundat, reficitur: his refectus, assidue ad majora percipienda præparatur. Unde & huic sponsæ carissimæ dicitur:

Matt. 13. 12.

Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris.

Vers. 7.
Initia & progressus caritatis.

12. Palma quippe dum crescit, deorsum stringitur, & sursum dilatatur. Sic sancta anima ab imis ad minima incipit, & paulatim ad majora crescendo, usque ad amplitudinem perfectæ caritatis pervenit. Nemo enim, sicut scriptum est, repente fit summus. In Psalmo autem de justo homine dicitur: *Justus ut palma florebit.* Ubera autem sponsæ, duo præcepta caritatis existunt; quæ animam possident, vino cælesti inebriant & nutriunt. Potest tamen per palmam crux Christi intelligi. Palma enim in sublime valde crescens, dulcissimos fructus gignit: & crux Christi cælestem cibum nobis præparavit. Cui statura sponsæ assimilatur: quia pro Christo mori non dubitat, quisquis Christum valde diligens digne imitatur. De palma sequitur Sponsus, dicens:

Psal. 91. 13.
Christi crux cælestem cibum parat.

Vers. 8.

Dixi, Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus: & erunt ubera tua sicut botri vineæ: & odor tui sicut malorum.

Hanc quasi palmam Christus ascendens, ejus fructus nobis obtulit.

13. Dixit vere, & ascendit: quia sicut ante secula pro morte nostra mori disposuit, sic in fine mundi propitius & verax adimplevit. In palmam ergo ascendit, & fructus ejus apprehendit: quia in cruce suspensus, fructum invenit, apprahendit, & nobis tribuit. Unde adimpletum est quod sequitur: *Et erunt ubera tua sicut botri vineæ.* Vere per crucem ubera sponsæ sicut botri vineæ existunt; quia in morte Christi duo præcepta caritatis sensus animæ susceperunt, quibus pasta anima debrietur, debriata posteriora obliviscatur, & in anteriora extendatur. His uberibus etiam proximos quosque nutrit, ac roboratos secum ad ea quæ concupiscit perducit. Unde scriptum est: *Qui audit, dicat: Veni.* Sequitur: *Et odor oris tui sicut malorum.* Mala punica, de quibus superius tam sæpe dictum est, hic rememorantur, quorum odori odor oris sponsæ bene satis assimilatur. Pee mala autem punica Martyres designari superius diximus. Per os autem sponsæ hic debere intelligi ejus prædicationem putamus. Quæ dum virtutes Martyrum prædicat, dum ad eorum similitudinem animos audientium instigat, dum in unius prædicatione fidei multas virtutes esse manifestat, quid aliud quam malorum odorem io ore portat? Quia & ruborem corticis in martyrio ostendit quod prædicat, & in virtutibus multitudinem granorum sub eadem fide quasi sub eodem cortice demonstrat. De quo & subditur:

Hinc caritate inebriamur.
Apoc. 22. 17.
Supr. c. 4. ver. fin.

Vers. 9.

Guttur tuum quasi vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.

Quæ prædicatio vinum sit optimum.

14. In gutture quippe vox est. Per guttur ergo ipsa prædicatio iterum designatur: quæ quasi vinum optimum esse dicitur, quia mentes hominum inebriat, ut præteritorum, sicut dictum est, obliviscantur, & in anteriora currentes non lassentur. De quo sponsa, verbum de ore Sponsi suscipiens, adjungit: *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.* Tale est sponsæ vinum, ut dignum sit dilecto ad potandum: quia dum sancta Ecclesia fidem veram prædicat, dum auditores suos ad sancta opera excitat, dum solum Christum diligere, imitari, amplecti, bonum esse, verbis & operibus demonstrat, quid aliud quam vinum suum dignum facit, ut in ore Sponsi sapiat? Quod bene Christus potare dicitur: quia a corpore suo, id est a populis fidelibus amabiliter potatur. De quo notandum est quod omnes potant, sed labia sola & soli dentes ruminant: quia dum Eccle-

a Hic nonnulla mutavimus, ope cod. mss. etsi excusorum lectio non multum a sensu deflecteret.
b Vat cl. *abundare contendit.*

A Eccleſia per Sanctos ſuos prædicat, omnes quidem audiunt, ſed non omnes quanta ſit virtus ſententiarum quæ dicuntur, diſcernunt. Labia vero & dentes ruminant; quia dum perfectiores quique poſt auditum verba ad memoriam revocant, dum audita quæque exercitatione aſſidua cogitant, quaſi ad os revocantes quod ſumſerunt, quanta ſit virtus cibi quem comedunt, ſentiunt. Idcirco in Lege ſcribitur, quia animal quod non ruminat, immundum habetur: quia quiſquis bona quæ audit ſive legit, non recogitat, vacans a ſanctis cogitationibus, neceſſario [a] immundas cogitat. Sequitur ſponſa & dicit:

Levi. 11.

Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.

Verſ. 10.

Soli Deo adhærendum.

B 15. Ac ſi diceret: Quoniam fide ac dilectione ſoli Chriſto adhæreo, ſolum ſequor, ſolum cum Patre & Spiritu ſancto unum Deum videre concupiſco, reſpectionis ejus ſuavitatem, viſitationis benignitatem, [b] converſionis dulcedinem gaudenter experior, experiens proclamo:

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis: mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

Verſ. 11. & 12.

Chriſti & ejus ſponſæ de proximi ſalute ſollicitudo.

C 16. Dum ſponſa Sponſi dulcedinem experta ſe reficit, de proximo etiam cogitat, quem ipſius Sponſi præcepto ſicut ſe diligit: & quia ſponſi [c] præcepta intelligit, etiam ut alii intelligant concupiſcit, dicens: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.* Ager quippe, teſte Veritate, eſt hic mundus. In agrum vero cum ſponſa ſponſus egreditur, [d] quando Verbum Dei carne ſuſcepta, in thalamo Virginis mundo monſtratur. In villis commoratur, quando Gentes per fidem viſitat, quam recipientibus largitur. Mane ad vineas ſurgit; quia poſt reſurrectionem ſuam in gloria Patris ſedens, Eccleſias quas conſtruit, etiam defendit. Si floruit vinea conſpicit; quia omnem profectum Eccleſiæ diſtricto examine perpendit. Videt ſi flores fructus parturiunt; quia perſpicit ad quem profectum teneri quique & imperfecti exereſcunt. Videt etiam ſi floruerunt mala punica; quia perfectos quoſque reſpicit, & quid utilitatis in proximis habeant, quaſi in floribus fructum cognoſcit, de quibus bene ſequitur: *Ibi dabo tibi ubera mea.* In malis punicis dat Sponſo ſponſa ubera: quia in perfectis vivit caritas gemina, ex qua dum infirma membra in Eccleſia nutriunt, quaſi Chriſtum lactant, quem in minimis ſuis eſſe præſentem cognoſcunt. De quibus bene ſubditur:

Matth. 13.

D *Mandragoræ dederunt odorem ſuum in portis noſtris.*

Verſ. 13.

Ex perfectorum virtutibus medela & ſuavis odor.

17. Quid per mandragoram, herbam ſcilicet medicinalem & odoriferam, niſi virtus perfectorum intelligitur? Per quam perfecti quique dum imperfectorum infirmitatibus medentur, in fide quam prædicant, id eſt in portis Eccleſiæ veri medici eſſe comprobantur. Qui dum exempla bonorum operum circumquaque per ſanctam famam tribuunt, quaſi odorem quo ægroti ſanentur, E aſpergunt. Sequitur:

Omnia poma, nova & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi.

Ibidem.

18. Hic per poma, ſenſus Scripturarum ſanctarum intelliguntur: quæ dum ex Patribus ſanctis ad nos uſque perveniunt, & creduntur, quaſi ex arboribus poma exurgunt, quibus animæ delectantur. Omnia ergo poma, nova & vetera dilecto ſuo ſponſa ſervat: quia ſic novum Teſtamentum Eccleſia catholica recipit, ut vetus non abjiciat: ſic vetus veneratur, ut novum ſemper in ipſis ſacrificiis carnalibus per ſpiritum intelligat: in novo ſcilicet Chriſtum veniſſe congaudens, in veteri autem ſemper venturum expectans, & dicens:

Quid ex utroque Teſtamento diſcendum.

CAPUT VIII.

Cap. 8. Verſ. 1.

Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te ſolum foris, & deoſculer, & jam me nemo deſpiciat? [e]

1. In veteri Lege poſita Chriſtum [f] expectabat, & in ſecreto Patris manentem, foras venire per carnem ad humanos oculos non mediocriter cupiebat. Unde & David deſiderans dicebat: *Exurge, & ne repellas in finem.* Et alibi: *Inclina cælos tuos, & deſcende.* Et Iſaias valde cupiens eum videre, dicebat: *Utinam diſrumperes cælos, & deſcenderes.* Vult ergo Sponſum foris ſponſa invenire, & deoſculari: quia concupiſcit ſub Lege poſita ut per carnem appareat: ut ei per amorem ſerviat, cui prius non accepta gratia, plus timore quam amore ſerviebat. Poſt cujus oſculum jam a nemine deſpicitur: quia poſtquam Chriſtus venit, & fidelibus ſuis ſpiritum libertatis infundit, ab ipſis etiam Angelis Eccleſia honoratur. Hinc eſt quod Joſue Angelum adoravit: Johanni vero volenti ſe adorare dixit: *Vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum, & [g] fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu.* Sed quia venientem Eccleſia ſuſcepit, Synagoga repulit, quæ iterum eum in fine mundi ſuſcipiet & amabit, ideo ſubſequitur Eccleſia, & dicit:

Veteris Eccleſiæ Chriſtum expectantis deſideria.

Pſal. 43. 23.

Pſal. 143. 5.

Iſa. 64. 1.

Joſue. 5.

Apoc. 22. 9.

Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis, & ibi dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.

Verſ. 2.

2. Apprehenſum in domum matris ſuæ ducit, quia Synagogæ in fine mundi Chriſtum, in quem credit, prædicabit: dumque per prædicationem Eccleſiæ ſuſceptus fuerit, ibi Eccleſiam docebit: quia ſe doceri gaudebit, quando Synagogam jam idem corpus factam erudiri ſecum videbit. Poculum ex vino conditum Eccleſia dabit, quia ipſi Synagogæ novum Teſtamentum cum veteri prædicabit: & quaſi vino poculum condiet, quia dulcedinem Evangelii teſtimoniis Legis, quæ aſpera eſt, ut robuſtius teneatur, cinget. Muſtum vero malorum granatorum ſuorum tribuet, quia fortium virorum qui unitatem Eccleſiæ etiam in martyrio tenuerunt, exempla apponet, ut ad eorum ſimilitudinem Synagoga inardeſcat, & Antichriſti perſecutionibus, Martyrum præcedentium exemplis roborata non ſuccumbat. Cum enim fortium pugnatorum victorias audierit, ad eorum imitationem pugnam ſubire non dubitabit. Quod aperte manifeſtat cum ſubjungit:

Eccleſia Chriſtum apprehenſum in domum Synagogæ matris ductura eſt.

Cui novi Teſtamenti vinum optimum propinaturæ eſt.

Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Verſ. 3.

3. Læva Chriſti vita præſens, dextera vero vita bea-

Ff iij

a Excuſſ, *immundas congregat.*

b Iidem, *converſationis.* Optime mſſ *converſionis*: cum hæc verba exponantur: *& ad me converſio ejus.*

c In recent. vulgatis, *pœcepta vel ſecreta*; quod in mſſ non legimus.

d Hic non conſentiunt mſſ. In Vel-cl. legitur: *quando verbum Dei ſuſceptum in thalamo Virginis in mundo monſtratur.* In Theod. & Rem. autem *quando Verb. Dei ſuſcepta ... carne in mundo monſtratur.*

e In Val-cl. Theod. et Rem. *etiam cum me nemo deſpiciat.*

f In recent. ed. *Chriſtum expetebat & expectabat.* In vet. Pariſ. tantum, *Chriſtum expetebat, & in.* Superfluit tamen, *expetebat*, cum paulo poſt legatur, *cupiebat.* Alioquin abeſt ab omnibus mſſ.

g In vulgatis, & *nos fratrum.*

[illegible] inebriati cuncta despiciunt.

beata habetur. Caput autem nostrum spiritualiter mens esse perhibetur. Dicit ergo Synagoga prædicationibus Ecclesiæ jam conversa, exemplis roborata, imitatione sublevata: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Ac si diceret: Quoniam nunc tandem Christi fidem teneo; ejus ineffabilem gratiam experior concupiscibilem, & quam desiderare nesciebam dulcedinem sentio: jam terrena omnia postpono, etiam ipsam vitam carnis pro ejus amore contemno, & ad ejus beatitudinem videndam totis desideriis anhelo. Hoc quippe quod rem aliquam amplectitur, ipsam quam amplectitur rem, ex omni parte intra se habere non ignoratur. Læva ergo sub capite est, & dextera amplexatur, quando sancta anima menti ea quæ videt supponit, & ea quæ non videt, omni conatu & universis suis cogitationibus appetit. Sunt quippe modo nonnulli, qui tanto desiderio cælestia sectantur, ut omnia visibilia pro nihilo reputent; mentem suam cælestibus studiis sine intermissione occupent; ut nihil aliud agere libeat; quidquid extra spiritalem actionem est, animus fastidiat, hanc solam diligat, cetera contemnat, nisi forte ea isti necessaria esse cognoscat.

a Isti vero sub capite lævam habent, * quia mente erecta ad beatitudinem Christi, vitam præsentem sub se vident. Et dextera Christi eos amplexatur; quia ex omni parte eos dilectio cælestis intra se retinens tuetur. Hujusmodi quippe viri sancto otio delectantur, in quo vitæ beatæ dilectione concupiscibiliter per contemplationem perfruuntur. In qua contemplatione oculum cordis mundant, ut Deum adhuc etiam in hac carne positi, quantum humanæ infirmitati datum est, videant, cujus visione se illuminent, suavitate reficiant. Isti illam beatitudinem jam aliquantulum experiuntur, de qua in Evangelio Veritatis voce dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Quod enim futurum est, jam in eis incipit compleri: quia etsi in hoc mundo adhuc in carne vivunt, jam tamen per hoc quod majus est in eis, extra carnem sunt. Ab his impletur quod per Psalmistam divina voce præcipitur: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*. Hi enim quo sine mundi strepitu vivunt, eo mentem in Dei visionem per desiderium & contemplationem figunt. Et quoniam tales multi ex Synagoga in fine mundi, ut credimus, per conversionem erunt, bene ad hujusmodi dictum intelligitur: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. De quibus & pro quibus Sponsus loquitur consequenter:

Hi beatæ vitæ delicias prægustant.

Matt. 5. 8.

Psal. 45. 11

Vers. 4. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Ad vers. 7. cap. 2. &c. Sed quia hoc superius exposuimus, iterum exponere recusamus. Sed de eadem Synagoga jam facta Ecclesia, filiæ Jerusalem admirantes interrogant & dicunt:

Vers. 5. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?*

Ex hoc exilio fidelis animus ad cæles ascendit super Christum innixa.

4. Sancta Ecclesia, vel quælibet sancta anima, de deserto ascendit, quia in exilio hujus peregrinationis posita, ad cælestia gaudia mente & cogitationibus tendit. Unde & Paulus dicebat: *Nostra conversatio in cælis est*. Deliciis affluit, quia sanctæ Scripturæ meditationibus intendens, cælesti pabulo assidue mentem pascit. Super dilectum innititur, quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente, ab exilio ad patriam transfertur. Ipsa quippe Veritas omnibus fidelibus ait: *Sine me nihil potestis facere*. Unde vero acceperit, ut ab infimis ad superiora, a deserto ad regnum ascendere possit, manifestat dilectus cum subdit:

Philip. 3. 20

Johan. 15. 5

Ibidem. *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

5. Quid per arborem malum, nisi sancta crux designatur? quæ malum illud sustinuit, de quo eadem sponsa in superioribus dicit: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Sed sponsam suam Christus sub arbore malo suscitavit, quia in cruce positus, subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocavit; ut a somno mortis resurgeret, & cum illo se crucifigens, ad novam resurrectionem properaret. Unde & Apostolus cuivis animæ mortuæ dicit: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*. Et quibusdam qui jam surrexerant, alibi dicit: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*. Sed quia infidelitas Synagogæ Christum crucifixit, ideo sequitur: *Ibi corrupta est mater tua*. Sub arbore malo mater Ecclesiæ corrupta esse dicitur, quia quando Salvatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corrupit. Cujus sceleris magnitudinem inculcat, cum idem replicat, dicens: *Ibi violata est genitrix tua*. Sed quoniam ad hoc cæcitas in Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret, ideo intranti Ecclesiæ dicitur:

Christus in cruce moriens Ecclesiam suscitavit.

Cant. 2. 3.

Ephes. 5. 14.

Col. 3. 1.

Rom. 11.

Vers. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

6. In corde sunt cogitationes, & in brachio operationes. Super cor ergo & super brachium sponsæ, dilectus ut signaculum ponitur; quia in sancta anima quantum ab ea diligatur, & voluntate & actione designatur. Signum quippe sancta mens interius & exterius Christum portat; quia dum in ejus meditationibus assidue laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quo ejus dilecta esse dubitari non debeat. De quo signo ipse Sponsus discipulis suis aiebat: *In hoc cognoscent omnes quia vere mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. De qua dilectione mox subditur:

Christi signaculum super cor & super brachium ponatur.

Johan. 13. 35.

Ibidem. *Quia fortis est ut mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum.*

7. Bene proculdubio fortis ut mors dilectio esse perhibetur: quia dum per dilectionem a vitiis mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui sic diligunt Deum, ut omnia visibilia negligant, & dum mente in æterna tendunt, ad omnia temporalia pene insensibiles fiant. In his nimirum ut mors dilectio fortis existit, quia sicut mors exteriores corporis sensus ab omni proprio & naturali appetitu interficit, sic dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contemnere mentem alias intentam compellit. Hujusmodi mortuis & vivis dicebat Apostolus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Hi proculdubio vitam suam cum Christo abscondunt; quia dum omnia quæ videmus, postponunt, in his quæ non videmus, in beatitudine scilicet Christi, veraciter & secrete vivunt. Quia enim falsam vitam despiciunt, quæ visibiliter apparet, in vera vita se abscondunt, quæ non nisi invisibilibus oculis se manifestam præbet. Potest tamen intelligi, ut hoc de seipso Christus dicat, inquiens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio*. Ac si diceret:

Cordi imprimenda est dilectio, quæ fortis est sut mors.

Col. 3. 3.

a Iidem, *qui mente erecta ad beatitudinem Christi currentes*,

ceret: Dignum est ut in mente & actione signum dilectionis meæ meipsum tecum feras, quia in fortitudine dilectionis tuæ mortem subii, ut tu quæ mortua in infidelitate eras, mecum resurgens, in fidei novitate spiritaliter vivas.

Æmulatio in bonum & in malum sumitur.

8. Sed quia in cruce suspensus nequaquam fuisset, nisi ad magnam invidiam cor Synagogæ exarsisset, ideo subditur: *Dura ut infernus æmulatio*. Æmulatio quippe & in bonum & in malum accipitur. In bonum enim accipitur, sicut per Apostolum dicitur: *Æmulamini* [a] *charismata meliora*. In malum autem assumitur, ubi per Samuelem Sauli dicitur: *Auferetur a te regnum, & dabitur æmulo tuo*. Æmulus quippe ejus David dicitur, cui Saul invidere non ignoratur. Dura est ergo ut infernus æmulatio; quia dum Synagoga Christum ad inferos posse transmittere se putavit, ei usque ad mortem corde immisericordi invidit. Ut infernus æmulatio dura extitit; quia sicut infernus sine misericordia quos tenet cruciat, sic Judaica plebs Christum apprehendens sine respectu pietatis ad mortem trahebat. De qua bene subditur: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum*. Sicut enim ignis quæ incendit consumit, sic Judæos ab omni fidei virtute invidia sua destruxit: de quibus bene alibi dicitur: *Et nunc ignis adversarios consumit*. Ac si diceretur: Antequam ad æternum ignem veniant, in præsenti consumuntur, quia in se ipsis ignem invidiæ portant, qui sine portantis combustione non portatur. Hic ignis invidiæ flammas protulit, quando per exempla in quibus accensus est, etiam in Gentilibus usque ad Christianorum martyria per mundum universum excrevit. Sed quia hinc ignis invidiæ, hinc ignis caritatis se extulit, ideo subditur:

1. Cor. 15. 12.
2. Reg. 15. 28.
Dura Judæorum contra Christum invidia, quæ ipsos consumit.
Forte Psal. 96. 3 ubi legimus: Ignis ante ipsum præc. & inflammabit in circ. inimicos ejus.

Vers. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.*

Per caritatem vicerunt Martyres.

9. Caritate quippe Martyres sancti vivaciter ardebant, quia in Dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc caritatem aquæ multæ extinguere non poterant; quia quantæcumque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare non valebant. Hoc nimirum esset caritatem extinguere, si in tribulationibus quas ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuissent. Sed cum aquæ dictæ sint, quid rursum per flumina, nisi aquarum ipsarum incrementa & vivacitas intelligitur? Flumina quippe vivas aquas solere dici cognoscimus. Flumina ergo maximas tribulationes accipimus; quæ dum per totum orbem super Martyres ebullierunt, ad extinguendum caritatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina [b] adeo caritas vivit, ut potius flumina consumeret, quam se ab illis extingui permitteret; ideo multi etiam persecutorum, ad eamdem caritatem se convertebant, ita ut dimitterent quidquid in mundo possidebant, & seipsos morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferebant. Unde & subditur:

Ibidem. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Pro caritate cuncta despicienda.

10. Cum terrenæ substantiæ cupiditate Deus non diligitur, quia terrenus amor oculum cordis sordidat, ne divina claritas videatur. Contra quod in Evangelio dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et Johannes Apostolus ait: *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo*. Nec mirum: quomodo enim eum diligere potest, quem nescit? Aut quomodo eum scit, ad quem sciendum, oculum cordis claudit? Sed homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione tribuit, quando quidquid in mundo possidet, pro Christo distribuit; ut abjiciens quod impedit, Deum diligat, & terso pulvere sollicitudinum, oculos aperiat ut videat. Et cum omnem substantiam dederit, quasi nihil eam despicit: quia postquam oculum tersit, & Deum conspexit, in illius visione quidquid possederat, nihili pendit. Hoc Apostoli fecerunt, qui non solum possessa, sed etiam cupita, ut Christum sequerentur, dimiserunt. Quibus ipse Christus, pro quo omnia dimiserant, dicebat: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus*. Sed quoniam abjecta terrena substantia non statim ad perfectionem ascenditur, quia rebus abnegatis, restat etiam labor, ut idem ipse homo a semetipso abnegetur, quatenus gradatim proficiat, & quandoque perfectus non solum se, sed & alios secum ad vitam trahat, ideo de nova & tenera adhuc Ecclesia, vel unaquaque anima consequenter dicitur:

Matth. 5. 8.
1. Joan. 2. 15.
Luc. 17. 10.

Vers. 8. *Soror nostra parvula est, & ubera non habet.*

11. Sororem Christus Ecclesiam vocat, quia de ipsis Apostolis dicebat: *Ite, dicite fratribus meis*. Soror autem parvula, ubera non habebat, quando in solis Apostolis Ecclesia erat, in quibus seipsam, vel alios nutrire lacte prædicationis non poterat. Quid enim Petrus alii prædicaret, cum seipsum discipulum Christi in unius ancillæ voce detestando & jurando negaret? Parva ergo Ecclesia ubera non habebat, quia post resurrectionem in una domo inclusa, inter persecutores suos non dico prædicare, sed & videri timebat. Consequenter ergo dicitur:

Junior Ecclesia in caritate fuit infirma.
Matt. 28. 10.
Matth. 26.
Johan. 20. 19.

Ibidem. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?*

Act. 2.

Allocutus est Christus sororem suam, quando Spiritum sanctum super Apostolos misit, & eis in interioribus loquens, illos omnes mundi loquelas multiplici distributione docuit. Sed a quibus hoc quærere intelligendus est qui omnia novit, nisi a sanctis patribus, quos ad quærendum Spiritu sancto instigavit? Quibus eodem Spiritu quo in quæstionem eos induxit, respondet protinus convenienter, & ait:

Vers. 9. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.*

Accepto Spiritu sancto Ecclesia, murus effecta.

12. Dato Spiritu sancto murus sancta Ecclesia efficitur, quia quæ prius timida erat, instruente eodem Spiritu omnipotente, ad resistendum adversariis impenetrabiliter roboratur. Quod manifestat idem Petrus sub ancilla timidus, mox contra principes rigidus, quibus dicebat: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Et iterum: *Si justum est vos potius audire quam Deum, judicate: nos enim non possumus quæ vidimus & audivimus, non loqui*. Et de ceteris discipulis scriptum est: *Ibant discipuli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Ecce qualis murus facta est Ecclesia, quæ modo tenerrima, nec pedem cujuslibet gradientis sine sui læsione gerit, modo vero accepto mirabili artifice Spiritu sancto, [c] universi exercitus assultantis contumelias illæsa contemnit. Super quam propugnacula ædificantur, quia ut non tantummodo se defendat, sed ut & impugnantes resistendo prosternat, miracula ei facere

Act. 5. 29.
Act. 4. 19.
Act. 5. 41.
Et propugnaculis munita.

a Rem. Theod. Aniom. *charismata majora*.
b Editi, *adeo caritatis vigor vivit*.
c Ita omnes mss. In vet. ed. Paris. legitur: *universi exercitus assultantis illæsa pedem contemnit*. In recent. *universi exercitus assultus illæsa contemnit*.

cere conceditur, quæ cum hostes viderint, ab ejus A aggressione jacula timentes terreantur. Quæ propugnacula bene argentea esse perhibentur, quia ipsa miracula cum verbi prædicatione donantur. Et quia argentum valde sonorum est metallum, argentea propugnacula existunt, quia per miracula factum est, ut eorum verba per universum mundum convalescerent, & fidei prædicationem inflexibiliter circumquaque diffunderent: quod manifestat Psalmista, dicens: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Sequitur:

Psal. 18. 5

Ibidem.

Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Cur etiam ostium dicatur.

13. Ostium etiam bene esse Ecclesiam dicimus, quam ab ipso Christo potestatem aperiendi & claudendi accepisse scimus. Ostium proculdubio in suis B prædicatoribus existit, quia per eos aditus ad vitam se nobis aperit. Unde & ipsi primo Pastori Ecclesiæ dicitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. Vel ostium in ipso capite suo existit, quia ipse de se veraciter dicit: *Ego sum ostium*. Ostium vero tabulis cedrinis compingitur, quia sancta Ecclesia fidem prædicans, multitudinibus populorum decoratur: & dum populi variis virtutibus asperguntur, ut videlicet alius de rebus quas possidet, indigentibus necessaria tribuat: alius omnia abjiciens, etiam a legitimo connubio se abstineat: alius vero tantum proficiat, ut C aliorum etiam prædicator fiat: tamquam pictura multis coloribus, sic Ecclesia multis [a] ditionibus honestatur, quæ sancto Spiritu convalescens hilariter respondit, dicens:

Matth. 16. 19

Joban. 10. 7

Ego murus, & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

Vers. 10.

Cur ubera ejus, turres.

14. Ubera sua sicut turrim habuit, ex quo pacem coram Sponso reperit; quia postquam sub ipso spiritum pacis accepit, prædicatores contemplatione altos, & robore inflexibiles nutrivit. Sed quid est quod non ait pacem, sed quasi pacem reperiens: nisi quia dum in hoc mundo sumus, [b] a peccato omnimodis non desistimus, & quamdiu cum peccato vivimus, pacem perfectam cum illo qui sine peccato in carne vixit, non habemus? D Sed quoniam tantillam pacem quam habemus, per ipsum Mediatorem Dei & hominum tenemus, ideo subditur:

Perfectam pacem hic consequi non possumus.

Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus: vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

Vers. 11.

Christi solius veri pacifici, quæ sit vinea.

15. Ipse vero pacificus noster esse dicitur, quia per ipsum Deo omne genus humanum reconciliatur. Huic pacifico vinea fuit; quia in labore præceptorum carnalium Synagogam plantavit, de qua dicitur: *Vinea Domini sabaoth domus Israel est*. Quæ vinea in ea quæ habet populos extitit; quia in Lege posita est, quæ multos sub se populos collegit. De quibus populis dicitur: *Populi meditati sunt inania*. Hanc vineam custodibus tradidit; quia Synagogam Moysi & ceteris patribus E custodiendam subjecit. De qua bene subditur: *Vir affert pro fructu ejus mille argenteos*. Hæc vinea fructum protulit, quia ex Synagoga botrus ille magnus qui de terra promissionis allatus est, Christus videlicet Jesus, per humanitatem processit. De quo fructu Pater ad David ait: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Unde & Apostolus scribit: *Quorum patres, & ex quibus Christus*. Per argenteos vero in hoc loco omnem terrenam substantiam intelligimus, de qua Petrus eleemosynam petenti claudo dicebat: *Argentum & aurum non est mihi*. Pro fructu ergo vineæ vir mille argenteos affert; quia quisquis viriliter in fide quam suscepit, se habet, libenti mente & perfecte omnia terrena dimittit, ut Christum veraciter habeat. Millenarius enim perfectus est numerus, ideo per eum perfectio rei cujuslibet demonstratur. Hos ergo argenteos in primitiva Ecclesia illi offerebant, de quibus in Actibus Apostolorum scriptum est: *Quotquot autem possessores agrorum aut domorum erant, vendebant, & afferentes ponebant ad pedes Apostolorum pretia eorum quæ vendebant*. Isti congregati aliam vineam, videlicet sanctam Ecclesiam, ex seipsis construxerunt, & ut boni agricolæ, sanguine suo propagaverunt, & prædicationibus usque ad fines terræ dilataverunt; ut jam mundum pene universum impleat, & fructum gratum locata agricolis, suis temporibus reddat. Unde in Evangelio dicitur: *Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis*. De qua vinea jam bonis locata ipse Pacificus dicit:

Isai. 5. 7.

Psal. 2. 1.

Quibus agricolis locata.

Psal. 131. 11

Rom. 9. 5

Act. 3

Act. 3. 6

Act. 4. 34

Ab Apostolis prælatum culta.

Matth. 21. 41

Vinea mea coram me est.

Vers. 12.

Coram ipso vinea sua existit, quia perditis malis agricolis, sanctam Ecclesiam bonis doctoribus respectu benigno erudit. Cui dicit:

Mille tui pacifici, & ducenti iis qui custodiunt fructus ejus.

Ibidem.

Fructus ejus perseveranter custodientium duplex merces.

16. Qui sunt isti pacifici qui mille dicuntur esse & ducenti, nisi illi superiores argentei, quos dum perfecte dimittimus, pacem per eorum distributionem cum Sanctis nobis ipsis acquirimus? Unde & in Evangelio Dominus dicit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Sed quid per ducentos intelligimus, nisi duplicem retributionem quam acquirimus, dum [c] eos in hoc mundo perfecte pro Christo contemnimus? Mille ergo & ducenti Ecclesiæ argentei existunt, quia dum fideles quique omnia quæ possident, ex toto relinquunt, & pacem sibi cum Sanctis faciunt, & præsentis vitæ remunerationem cum cælesti percipiunt. Et hoc est quod Dominus in Evangelio ait: *Amen amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus: & in seculo futuro vitam æternam*. Sed quibus ista remuneratio sic duplicatur, nisi his qui custodiunt fructus ejus? Qui sunt autem qui fructus vineæ custodiunt, nisi illi qui in sancto opere quod inceperunt, perseverantes existunt? Opus enim quod sancto desiderio incipitur, si constantia mentis usque ad finem non tenetur, sine fructu habetur: quia immature ab hoc unde processerat, vacuatur. Ideoque Dominus in Evangelio ait: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Sequitur Sponsus, & dicit:

Luc. 16. 9

Marc. 10. 29 & 30

Matth. 10. 22

Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.

Vers. 13.

Fructus semper ferendus.

17. Sponsa in hortis habitat, quia sancta Ecclesia, vel quælibet sancta anima in fructificationem vir-

a Sic restituimus ex omnibus mss. cum prius legeretur, multis distinctionibus.

b Edit. maluerunt, a peccatis omnimodis.

c Ita legere cogunt omnes mss. quod editores ita mutandum putarunt: *Dum in hoc mundo perfecte pro Christo omnia terrena contemnimus*.

virtutum mentem versat. Cujus vocem sponsus A audire desiderat, quia hoc summopere Christo placet, ut perfectus quilibet vir infirmos quosque verbo sanctæ prædicationis admoneat. Amici enim auscultant, quia fideles in Ecclesia, ut amicus sponsi loquatur, pio desiderio expectant. Et notandum quod amicus est qui auscultat; quia qui Deum mente integra diligit, prædicantem quod diligit, libenter audit. Unde in Evangelio dicitur: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Sed quia dum Ecclesia veritatem prædicat, multi non intelligunt, multi quod percipiunt, pravo intellectu subvertunt; ideo admonenti ut prædicet, respondet sponsa, & dicit: B

Amicus est Dei qui vocem ejus audit.

Johan. 8. 47

Fuge, dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.

Vers. 14.

18. Dilectus fuit, quia a reprobis cordibus se, ne intelligatur, abscondit. Dum enim reprobæ mentes ad audienda vel legenda verba Dei, perversa intentione accedunt, digno judicio veritatem non inveniunt, quam digno appetitu non requirunt. Unde & ipsa Dei sapientia dicit: *Quærent me mali, & non invenient*. Sed fugiens reprobos dilectus, montes aromatum petit: quia perversos dimittens, sanctas animas visitare non desinit, quæ & per contemplationem excelsæ fiunt, & per confectiones virtutum odora unguenta ferunt. Super hos montes dilectus capreæ & hinnulo cervorum assimilatur; quia in cordibus sanctorum virorum manifestatur, quia pia caritate humanitatem pro nobis assumsit. Qui dum ex patribus antiquis natus fuit, quasi ex cervis hinnulus, sicut dictum est superius, venit. Qui dum esset dives, pauperem se, ut nos ditaremur, fecit; & dum esset super omnia excelsus, humilitatem nostram ineffabili dignatione suscepit. Cui immensas gratias quoadusque vivimus reddamus: cui pro nobis tradito in mortem, & resurgenti in immortalitatem, nosipsos, & spiritum, & corpus debemus: Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per infinita secula seculorum. Amen.

Qui verbum Dei prava intentione legunt, veritatem non inveniunt.

Johan. 7. 34

2. Cor. 8.





DE OPERE SUBSEQUENTI
CENSURA.

UTRUM S. *Gregorii Papæ primi sit hic in septem Psalmos pœnitentiales Commentarius, an alterius, non levis aut facilis est quæstio. Illum quidem sancto Doctori tribuit, qui primus e tenebris eruit, & publica luce donavit an.* 1512. *& iterum an.* 1518. *Berth. Remboldus; cujus sententiam secuti sunt quotquot deinceps Gregoriana opera ediderunt, excepto dumtaxat uno Petro Gussanvillæo. Qua autem potissimum ratione adductus sit vir doctissimus, ut tritam ab ceteris viam desereret, ipse proponat.*

Argumentum, *inquit*, aliud jam volo adjungere, & quidem quod, ni fallor, esse debeat hac in causa decretorium. Ducitur autem ex tribus ejusdem Commentarii locis, in quibus multa sunt, quæ cum historia, & cum sancti Gregorii doctrina pietateque pugnant. „ Primus est Psalmi 5. versu 9. ubi Auctor in Simoniæ vitium invehens ita loquitur: „ Cujus erroris vesania licet ex tunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine „ pestifero pullulavit. Nostris vero maxime temporibus malitiæ suæ virtus exercuit, & totius „ Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbavit. Concitavit enim adversus Ecclesiam „ Dei non solum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam, si fas est „ dici, potestatem. Nulla enim ratio sinit ut inter Reges habeatur, qui destruit potius „ quam regat imperium, & quoscumque habere potest perversitatis suæ socios, eos a consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captivam cupit abducere, & passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit „ evacuare. Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis pretio redemtam Salvator *noster* voluit esse liberam, hanc iste potestatis jura transcendes, facere conatur ancillam. Quanto melius foret sibi dominam suam esse agnoscere, eique religiosum principum exemplo, devotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis „ a quo suæ dominium accepit potestatis. Ipse enim ait: *Per me Reges regnant*. Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & divino, ut patet, ingratus beneficio, & contra „ Deum fastuosus, terminos quos posuerunt Patres nostri, contemto divino timore, transgreditur, & contra catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferatur. In tantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, & in domina gentium terrenæ jus potestatis usurpet, *&c.*

Secundus in eodem Psalmo vers. 26. in quo imperatoris impietatem sic exaggerat: „ Sunt etiam portæ inferi quædam potestates hujus mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste qui hoc tempore Ecclesiam persequitur? *&c.*

Tertius in Procemio Psalmi 7. ubi in imperatorem tunc regnantem ita invehit: Persequitur etiam hoc tempore schismaticus corpus Christi: impugnat hæreticus Ecclesiam: „ unitatem infidelis perturbat.

Quis porro imperator tempore Gregorii Magni Ecclesiam persequebatur? Quis contra catholicam veritatem efferebatur? Quis Ecclesiæ unitatem turbabat? Certe tempore S. Gregorii duo tantum principes Romanum imperium administrarunt, Mauricius & Phocas. De Mauricio hæc dici non possunt, quem historici omnes catholicum imperatorem, religiosissimum, liberalissimum, & in pauperes effusissimum appellant. Gregorius ipsemet piissimum & clementissimum passim nuncupat, & ut ipse diu imperium pro Dei gloria & Ecclesiæ utilitate administret, litteras ad quosvis dirigit. Legantur epistolæ 62. lib. 2. ind. 10. epist. 48. lib. 2. ind. 11. ep. 40. lib. 9. & plures aliæ, in quibus de pietate & bonitate Mauricii multa congerit.

Sed neque tria illa loca, quæ retulimus, ad Phocam pertinere videntur, qui uno tantum anno Gregorii tempore imperavit. Quomodo autem inveheretur in Phocam, cui de „ adepto imperio ita gratulatus est: *Gloria in excelsis Deo*, *&c.* De qua exultationis abundantia roborati nos citius credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad imperiale „ fastigium pervenisse gaudemus? Tota epistola similiter in laudes pietatis & benignitatis „ Phocæ excurrit, sicut & epist. 45. ejusdem libri, quam ita concludit: In omnipotente „ Domino confidimus, qui quæ cœpit consolationis suæ nobis bona perficiet: & qui suscitavit in Republica pios Dominos, etiam extinguet crudeles inimicos.

Ex

Ex his liquido apparet relata Commentarii loca nec Mauricium nec Phocam attingere. Si quem vero imperatorum fpectant, revera Henricum IV. Gregorio VII. æqualem, immo & ipfi infenfiffimum, utpote qui eum eo graves inimicitias exercuit, ut videre eft apud fcriptores hujus temporis. Unde & non abs re Gregorio VII. Commentarium iftum quidam adjudicant.

In tribus his locis id folum negotium faceffit, quod agatur hic de quodam imperatore, qui Ecclefiæ fuit infenfiffimus, & Simoniæ ubique graffanti patrocinatus eft; quod Gregorium noftrum dixiffe vel de Mauricio piiffimo principe, vel de Phoca quem ultra modum laudavit, fufpicari non licet. Refponderi poteft primo afperas illas nefcio cujus principis infectationes, affutas fuiffe Gregoriano Commentario: ut fane plurima funt hujufmodi affumenta, quæ ex quibuslibet fere S. Gregorii operibus, manufcriptorum codicum ope revulfimus. As defunt hic nobis veteres fcripti codices.

Secundo quid vetat hic dicta, intelligere de Langobardorum regibus Arianis Ecclefiæ Romanæ hoftibus atrociffimis, Ecclefiarum omnium depopulatoribus, & Simoniæ Patronis; qualis fuit nefandiffimus *Autharis; fic enim appellatur ab ipfo Gregorio epift. 17. libri primi? De rege aliquo fane non minus quam de imperatore, interpretari licet:* Concitavit adverfus Ecclefiam Dei non folum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam, fi fas eft diei, poteftatem. Nulla enim ratio finit ut inter reges habeatur, qui deftruit potius quam regat imperium. *In his tamen verbis unicus eft difficultatis nodus.*

Tertio non omnino abfurdum nobis videtur ifta de Mauricio imperatore accipere, cujus temporibus paffim in Ecclefiis illi fubditis invaluerat Simonia; ut ex multis Gregorii epiftolis liquet. Videfis lib. 5. epiftolam 57. Johanni Corinthiorum Epifcopo, & 58. univerfis Epifcopis per Helladiam provinciam conftitutis. In utraque videlicet epiftola hæc leguntur: Pervenit ad nos quod in illis partibus, nullus ad facrum ordinem, fine commodi datione perveniat. *Confule quoque lib. 4. ep. 27. lib. 11. ep. 46. lib. 12. ep. 28. lib. 13. ep. 41. Præterea qui Gregorii vitam fcripfit Johannes Diaconus, Mauritium appellat* avariffimum & rapaciffimum, *lib. 3. cap. 50. ubi de* funeftiffima *lege ab eo lata loquitur. De ejufdem* tyrannide *in Gregorium pergit agere Johannes lib. 4. capp. 16. & 17.*

De eodem imperatore Gregorius ipfe licet modeftius ita fcribit, lib. 13. ep. 31. Com injuftorum multorum peccata ferienda funt, *unus imperitus* erigitur per cujus duritiam tribulationis jugo fubjectorum colla deprimantur. Quod in noftra diutius afflictione probavimus. *Et exponens, quomodo fub Mauricio Refpublica prædæ patuiffet, fubdit:* Ceffent teftamentorum infidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis, in rebus propriis fecura poffeffio. *Et ep. 38. pergit conqueri de jugo* triftitiæ afperifque temporibus, *quæ regnante Mauricio perpeffus fuerat. Denique ep. 39. eafdem iterat querelas, gratulaturque,* tam dura longi temporis pondera cervicibus *tandem* amota effe. *Quis igitur adeo miretur Gregorium toties a Mauricio pulfatum, imo graviter vexatum, illa de ipfo fcripfiffe aut dixiffe, quæ ex feptem Pfalmorum Commentario excerpfit Guffanvillæus: non eo tamen animo ut vivente Imperatore publica luce Commentarius hic donaretur.*

At qua ratione, inquies, Mauricius fidei catholicæ addictiffimus, & hoc nomine laudatus a fancto Pontifice, potuit ab eodem infamari ut hæreticus, fchifmaticus, infidelis? Verum refpondeo, ea quæ leguntur in Proœmio feptimi & ultimi Pfalmi: Perfequitur etiam hoc tempore fchifmaticus, &c. *ad quoslibet fchifmaticos, hæreticos, & infideles referri poffe. Ecclefiam autem multis fchismatibus tempore Gregorii laboraffe, multaque ab hæreticis, & ab fidei hoftibus paffam effe, quis nefciat?*

Ultro tamen concedimus a Guffanvillæo prolata melius convenire Henrico IV. quam Mauricio; quæ confideratio perfuafit doctiffimo viro Commentarium hunc Gregorii Papæ feptimi fetum effe. At vero lucubrationem hanc laudato Pontifici prorfus abjudicat ftylus omnino diverfus. Decem epiftolarum a Gregorio VII. fcripfarum libros habemus, quæ fi conferantur cum Commentario in feptem Pfalmos, non eumdem effe fcriptorem palam fiet. Contra vero hoc in Commentario phrafis tota eft Gregoriana; unde fancto Doctori potius quam alteri cuipiam tribuendus videtur. De hoc tamen controverfia judicet prudens lector. Unum tantummodo hic afferimus opus hoc dignum effe quod fanctiffimo Patri vindicetur. Ad tuendam conjecturam noftram non ufurpavimus quod lib. 12. epift. 24. fcribit ipfe Johanni Subdiacono: Dic ei (*Mariano Ravennæ Epifcopo*) ut commenta Pfalmorum legi ad vigilias faciat; *Etfi nonnulli hoc utantur teftimonio, ut probens Gregorium Commentarii in feptem Pfalmos pœnitentiales parentem fe prodidiffe. Nam quæ fequuntur:* Neque enim volo dum in hac carne fum, fi qua me dixiffe contigit, ea facile hominibus innotefci; *fatis oftendunt fanctum doctorem non de fuo in Pfalmos Commentario locutum effe, fed de alio quopiam five Hieronymi, five Auguftini, five Ambrofii, &c.*



SANCTI GREGORII PAPÆ IN SEPTEM PSALMOS PŒNITENTIALES EXPOSITIO.

PROOEMIUM

in primum Psalmum pœnitentialem.

In finem in Carminibus, Psalmus David pro octava.

1. Reg. 17. In David, sanctæ animæ fortitudo signatur.

SI ille Rex & Propheta convenienter David, id est manu fortis vocatus est, quia ursum interfecit, leonem suffocavit, Goliath fortissimum lapidis unius ictu prostravit, & Gentes innumeras imperii sui ditioni subegit: non incongrue eodem nomine sanctam animam accipimus, quę illum, qui quasi leo rugiens circuit quęrens quem devoret, in se ipsa interfecit. Et si quando eam sicut fortis armatus aperto certamine aggreditur, lapidis, quem reprobaverunt ædificantes, illum ictu prosternit, corporis nihilominus passiones subigit, atque ad virtutum officia convertit. Psalterium quoque eamdem animam spiritalibus exercitiis assuetam non inconvenienter nominamus. Sicut enim musicum illud instrumentum triangulum decem chordarum inferius quidem percutitur, superius vero sonare videtur: ita anima sanctæ Trinitatis fide formata, decem Legis præceptis instructa, inferius percutitur, & superius auditur: quia cum carnem aliquis perfecte afflixerit, tunc suavissimum Deo in dulcedine melos reddit. Per Psalmum ergo, meditationes & laudes & gaudia de Deo in animo concepta accipimus, sicut cantum illius musici instrumenti Psalmum vocamus. Psalmus ergo iste, id est hęc meditatio, David, id est fideli animæ virtutibus [a] exercitatæ attribuitur: animæ scilicet tendenti in finem, id est in Christum, qui est initium & finis. Christus finis dicitur, vel quia est consummatio Legis & Prophetarum, sicut ipse pendens in cruce testatus

1. Petr. 5.

Luc. 11. 1. Petr. 2.

Psalterium quale instrumentum, quidve significet.

a Christus cur noster finis. Apoc. 21.

A est, cum aceto & felle potatus dixit: *Consummatum est*. Vel quia bonorum omnium perfectio est, quia nullum bonum perficitur, nisi quod in summo bono solidatur. Sicut enim nobis non sufficit alios bonos quærere nisi ad ejus studeamus agnitionem pervenire; ita eo invento nullus jam melior quæritur, quia omnis creatura eo, sub cujus pedibus a Patre omnia sunt subjecta, inferior invenitur. Pro [b] octava vero Psalmus iste factus asseritur, quia pro consideratione futurę resurrectionis Domino decantatur. Omne pręsentis vitę tempus septem diebus evolvitur; & ideo æterna dies, quæ expleta horum dierum vicissitudine futura est, octava vocatur.

B Et quia pro consideratione extremi judicii Psalmus iste concinitur, recte pro octava intitulatur. Vel quia sequitur finem carnalis & spiritalis generationis, ideo octava dicitur resurrectionis. Caro enim ex quatuor constat elementis, anima tribus vegetatur naturis. Est enim rationalis ad discernendum, concupiscibilis ad virtutes appetendum, irascibilis ad vitia aversandum. De hac enim ira per eumdem Prophetam dicitur: *Irascimini, & nolite peccare*. Quod enim se contra seipsum erexerit, & zelo rectitudinis inflammatus, contra vitiorum se importunitates viriliter commoverit, in conspectu interni judicis nequaquam deliquit. Vel secundum quosdam octava dicitur, quia sequitur sex ætates in hoc seculo viventium, & septimam dormientium justorum.

C Hunc autem Psalmum in hymnis habendum titulus adstruit: quia qui tactus dolore cordis intrinsecus peccata sua confitens, cor in pœnitentia conterit, suavem ad aures misericordis Dei vocem exultationis reddit. Majus est enim Angelis Dei super uno peccatore pœnitente gaudium, quam de nonaginta novem perseverantia justorum. Et qui pro indulgentię desiderio iniquitates suas annuntiat, in tabernaculis justorum dulciter hymnizat.

Johan. 19. 30.

Psal. 8. b Octava æternam vitam adumbrat.

Psal. 4. 5.

Peccatorum pœnitentia quam grata sit Deo.

Luc. 15.

a Alludit ad Psalmi titulum, in quo legitur: *In finem in Carminibus, Psalmus David, pro octava*.
b Vide superiorem notam.

nizat. Loquitur ergo in hoc Psalmo fidelis anima, A octavam illam, id est diem judicii tremendam considerans, terroremque districtionis divinę & reproborum damnationem perpetuam prudentię intuitu contemplans. Et quia de suis meritis diffidens, in se qualiter in illo tremendo examine iram ultionis divinę effugere possit, non invenit; audacter quidem, sed confidenter ad fontem misericordiæ, faciem ejus præoccupans accedit, malens in hac vita per pœnitentiam & flagella conteri, quam in futuro horrendis suppliciorum cruciatibus affligi. Quid ergo dicat audiamus, & illius exemplo cum fiducia ad thronum gloriæ Dei adeamus.

EXPLANATIO.

PSALMI PRIMI POENITENTIALIS.

Psal. 6. Vers. 1. Anima pœnitens ad Dominum redire festinat.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

1. Vides quam bonum principium, quam affectuosum, quam gratię plenum. In eo enim quod Dominum eum vocavit, quod sui jure misereri deberet ostendit. Dominorum enim est, servos alere non negligere: delinquentes corrigere, non necare: fugientes requirere, non abdicare. *Domine, ne in furore tuo.* Solet fieri, ut qui dominorum iram incurrunt, si eis reconciliari appetunt, patronos quærant, interventores adhibeant, advocatos adsciscant. Sed hæc anima illius terribilis judicii terrore perculsa, amoris Dei desiderio accensa, mo- C ras non patitur, dilationem aversatur; & si ad horam Deum convenire distulerit, damnationem se evadere non posse arbitratur. Desiderium enim non sustinet, & in patientia modum non habet. Vires ergo colligit, de misericordia Conditoris confidit, & quasi eum præsentem videat, loqui præsumit. Ac si dicat: Scio quidem quia ab oculis tuis, meis excludor meritis: sed tamen minor sum cunctis miserationibus tuis. Tu igitur, Domine, cujus me servum esse non abnego, cujus imperiis obtemperare desidero, cujus suave jugum ferre nequaquam recuso, *ne arguas me in furore tuo*. Hic me potius argue: dum tempus est misericordiæ, corripe: dum dies salutis est, exerce. Quisquis in hac vita flagellis atteritur, in mansuetudine corripitur; quia correptionibus emendatur. In illo autem tremendo examine iniquus omnis in furore arguitur; quia pœnam interminabilem venia nulla comitatur. Absit ut in Deo furorem credamus. Non enim esset incommutabilis, si eum commovere posset alicujus necessitas passionis. Sed quia aliter de Deo, nisi secundum humanum morem loqui non possumus, infinitæ damnationis sententiam, furorem vocamus. Non ut in illa justitię severitate, aliqua omnino perturbatione Deus moveatur, sed quia in eos qui duplici sunt contritione conterendi irremediabiliter vindicatur. *Ne arguas me in furore tuo:* non humano, non transitorio. Furor humanus sicut cito præterit, ita suæ vigorem potestatis nonnisi in corporibus extendit: divinæ vero ultionis animadversio, non solum pœnas in corpore & anima multiplicat, verumetiam in damnatis immobiliter perseverat. *Neque in ira tua corripias me.* Sicut major est furor quam ira, ita arguere majus est quam corripere. Eos corripimus, quos amantes emendamus. Et quia post mortem carnis alii æternis deputantur suppliciis, & alii ad vitam per ignem transeunt purgationis; fidelis anima non solum furorem timet, sed etiam iram abhorret, teste beato Augustino: Hi omnes qui non posuerunt sibi fundamentum Christum, in furore arguuntur, quia a ęterno igne cruciantur. Qui autem eidem fundamento superposuerunt lignum, fenum, stipulam, in ira corripiuntur: quia igne purgati, ad beatitudinis requiem [a] deducuntur. Dicat ergo fidelis anima, quid fecit considerans, & quid sit receptura contemplans: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ac si aperte dicat: Hoc solum tota cordis intentione efflagito, hoc indesinenter votis omnibus concupisco, ne me in illo tremendo examine vel cum reprobis ferias, vel cum purgandis, flammis ultricibus affligas. Et ut hoc B fiat:

Deus hic semper arguit in misericordia. In furore reprobos arguet.

Jerem. 17.

Furoris & iræ discrimen.

S. Aug. in hunc vers.

1. Cor. 3. Ignis purgatorius, ira Dei signum.

Vers. 2.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Deus hic parciendo miseretur.

2. In eo quod nomen venerandum repetit, piæ precis affectum se habere ostendit. Quasi dicat: Tu Domine, quem suave videtur mihi sæpius [b] invocare, miserere mei dum tempus est misericordiæ. Hic me misericorditer corripe: hic per flagella contere: hic igne tribulationis exure. Et ne quid in me post hujus vitæ terminum vindicandum invenias, oro ut per ignem tui amoris omnem in me vitiorum rubiginem consumas. Et hoc opus est ut facias, *quoniam infirmus sum*. Ex peccato primi parentis pœnam contraxi magnæ infirmitatis: non enim quod volo, ago; sed quod odi malum, illud facio. *Infirmus sum*, quia ad malum pronus sum. Sed tu, Domine, animarum debilium velox medice, *sana me*, scilicet interius omni vitiorum labe emunda: *quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.* Id est, virtutes animę obscuratæ sunt, & extenuatæ virtutes simul conturbatæ sunt. Caritas enim confunditur, humilitas impingitur, fortitudo dejicitur, castitas impugnatur. Per ossa virtutes accipimus, per quas nimirum animam sustentamus. Sicut enim in ossibus est fortitudo corporum, ita in virtutibus robur invenitur animarum. Et plane debilis omnis comprehenditur anima, nisi quę fuerit virtutum fortitudine fulta. Postquam enim in ordine culpam incurrit primus humani generis parens, ab illa in qua positus fuerat mentis celsitudine decidit, claritatem visionis divinæ perdidit, suavissimas verborum Dei epulas, quibus interius reficiebatur, amisit: oculos carnis ad obscena & D turpia videnda aperuit, qui prius aciem mentis, qua lucis summæ fulgor intuebatur, obscuravit.

Rom. 7. Ex primi parentis peccato, infirmitatis pœna.

Vers. 3.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo?

Lacrymis & gemitibus provocanda Dei misericordia.

3. Et quia me infirmum sentio, quia ossa mea conturbata agnosco, *anima mea*, scilicet eo quod mea est, quod per me corrupta est, quod per me debilis & ægra facta est, turbata est ad gemitum, commota est ad compunctionem & lamenta, valde magna scilicet & multimoda turbatione. Turbatur enim, quia peccavit, quia bonum Dominum offendit, [c] quia vitam perdidit, mortem incurrit. *Sed tu Domine usquequo* turbaris contra me, quia peccavi, quia te ad iracundiam delinquendo provocavi? Vel, *tu Domine*. Dæmones quidem invasores E non domini, naturaliter malunt meam perditionem quam salutem: sed tu, Domine, *qui non vis mortem peccatoris*: singulariter *Domine*, non abusive, sed proprie: *usquequo*, id est quamdiu differs sanare? Ecce in conspectu boni medici & curare va-

Ezech. 33.

len-

a Oilot. & Vatic. *reducuntur*.
b Rembold. Oilot. & Vatic. *invocari*.

c Omittitur in Gussl. *quia vitam perdidit*.

lectis assisto, vulnera detego, preces emitto, dolores augeo, lacrymas effundo. Cur ergo dissimulas, cum non sit tibi minor potentia, quam voluntas? Licet hoc celes in corde tuo: tamen scio, quia universorum memineris. Omnis curatio quanto difficilius acquiritur, tanto acquisita cautius custoditur.

Vers. 4.

Convertere Domine, & eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Deus impeditos carnalium delectationum vepribus liberat.

5. Ne magis turberis, supplico: ne ultra misereri differas, peto: imo *convertere, Domine*: Sicut anima mea conversa est ad te per turbationem pœnitudinis, ita tu converte ad eam per serenitatem miserationis. Et conversus, *eripe animam meam*. Impediunt eam vepres carnalium delectationum, detinent illam secularium illecebræ cupiditatum: sed tu, qui potens es omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, eam eripe: igne tui amoris, terrenarum dumeta voluptatum, quibus irretitur, adure; extra omnem peccati appetitum illam tuæ manu fortitudinis trahe. *Salvum me fac propter misericordiam tuam.*

Ephes. 3.

Contra hostis tentationes protegit.

Parum est ut animam meam a mundi voluptatibus liberes, nisi me ab hostium tentationibus virtutis tuæ protectione conserves. Boni medici officium est, non solum salutem restituere, sed etiam restitutam custodiæ sedulitate servare. Sic ergo & tu cum animam meam a carnalibus desideriis eripueris, da mihi in bono perseverantiam, ne mihi demissos laqueos iterum tentationum incurram. Et hoc *propter misericordiam tuam*: non de meis meritis confidens, me ut salvum facias supplico, sed de sola misericordia tua præsumens impetrare, quod non de meis meritis spero.

Vers. 5.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Jac. 1.

Quo animæ considerandum sit magno timore concutiat.

5. Peccata consummata generant mortem. Nisi enim conversus fueris, nisi animam meam eripueris, nisi me salvum feceris, in peccatorum me caligine, id est in morte dimittis: quod si in morte fuero, tui proculdubio memoriam perdo. Et inde hoc scio, quod in morte penitus tui memor esse nequibo: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui.* Quomodo namque mihi conceditur, quod omnibus denegatur? *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Sicut de morte ad infernum peccator pervenit, ita de peccatorum multitudine in desperationis foveam cadit. Unde & scriptum est: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit.*

Prov. 18. 3.

Fidelis anima non exaudiri metuens, miseriasque perlatura est si non exauditur, enumerans ut se maximo timore concutiat, & Deus citius ad misericordiam flectat. Ait ergo: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Quasi dicat: Deus si non eripueris me, ? in morte futuram me prævideo. Et non solum in morte futuram me prævideo, sed etiam in inferno, idest in desperatione me sepeliendam cognosco. Quod si in inferno fuero, tibi me confiteri non posse perpendo. Nullus enim in inferno confitebitur tibi. Et hoc est quod ait sub specie interrogantis: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Scilicet nullus. Non enim est *speciosa laus in ore peccatoris*. Aliter: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui*, precor ut animam meam liberes a carnalibus desideriis, quæ militant adversus eam. Si enim hoc non feceris, interficient me: quia a te, qui es vita mea, separabunt me. Cum enim tu sis illud idem animæ, quod est anima corpori: si tibi inseparabiliter non inhæsero, necessario mortem incurro. Et si in morte fuero, tui memor non ero: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui.* Sicut nullius rei meminit caro mortua, ita nec te sentire prævalet a te Deo anima divisa. Nulla societas luci ad tenebras. Ubi autem tui ingreditur memoria, ibi est lux veritatis immensa. Quod tamen intelligi & aliter potest, quasi dicat. Immedicabile corpus est recidendum ense, & membri in corpore mortui abscissio potius est necessaria, quam medicina. Sed ego non sum ut membrum mortuum, cui medicina non proficiat, sedulitas nihil conferat. Nam sum memor tui, scilicet misericordiæ. Te enim medicum scio, misericordem non ambigo, longanimem agnosco, quod non facerem si in morte essem. Et hoc apparet a toto, quoniam non est in morte.

Eccle. 15. 9.

1. Petr. 2.

Deus animæ vita.

2. Cor. 6.

Vers. 6.

Laboravi in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Pœnitens non solum se miserum agnoscat, sed in luctu lavare perseveret.

6. Dixerat superius, *Salvum me fac*, & tempus est ut facias: nam ego *laboravi in gemitu meo*. Adest miseria, adsit & misericordia. Miseriam meam ego cognosco, vulnus non dissimulo, peccatum non celo. Nisi enim miserum me agnoscerem, in gemendo non laborarem. Sed ego laboravi, idest studiose egi, ut essem in gemitu, scilicet ut quousque viverem, gemendum mihi putarem. Et *laboravi in gemitu*, id est, modo mihi proprio. Nemini enim sicut mihi ingemiscendum æstimo, quia præ omnibus me peccasse perpendo. & quia non sufficit bene incipere, nisi studeat quis in bono opere perseverare, adjungit: *Lavabo per singulas noctes*, id est per singulas tenebrosas cogitationes, *lectum meum*. Per lectum, conscientiam accipimus: quia sicut in lecto jacentes quiescimus, ita in ea vel legi Dei vel legi peccati consentimus. Et sicut laboribus pressi in lecto quiescentes reficimur: ita dum mundi hujus adversitatibus premimur, in bona conscientia interius delectamur, Paulo attestante qui ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Lectum ergo per singulas noctes lavat, qui conscientiam a cogitationibus tenebrosis, lacrymis compunctionis emundat. Et non solum conscientiam purificabo, sed etiam *lacrymis meis stratum meum rigabo*. Quia vilis lectus est stratum, per ipsum carnem accipimus. Et quoniam sicut stratum facile concutitur, ita caro ab infirmo animo varie versatur, sicut per eum Prophetam dicitur: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Rigat ergo lacrymis stratum suum, qui continuo luctu & dolore, carnis maculas diluit, & cordis duritiam imbre compunctionis emollit: ut sicut hortus recepta suavi pluvia evidenter germinat, ita caro lacrymarum fluentis rigata, bonorum operum & justitiæ germen emittit. Cur autem laboraverit, causam subdit, ac si dicat: Ideo laboravi, ideo ingemui quia,

2. Cor. 1. 12.

Psal. 40. 11.

Vers. 7.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Gen. 3.

Ex primi parentis peccato pœnalis cæcitas.

7. Humana natura ad imaginem primitus, & similitudinem Dei condita, per prævaricationis culpam a contemplationis divinæ claritate expulsa, sicut immortalitatis æternæ beatitudinem perdidit, ita interiorem oculum animæ, scilicet rationabilem obscuravit. Et quia postea bonum a malo discernere noluit, volens postmodum quid sibi sequendum, quidve fugiendum esset, scire nequivit. Et quia illum qui lux est, & in quo non sunt ullæ tenebræ, non

1. Johan. 1.

a Hic multa restituimus ex aliis editis in Gussanv. edit. omissa; unde sensus labefactatus.

non tenuit, sicut in nocte, sic postea in meridie A palpavit. Dicat ergo fidelis anima: *Turbatus est a furore oculus meus:* quia discernendi recte voluntatem non habui, per furorem, id est damnationis sententiam, ipsam eligendi potentiam amisi. Vel etiam illius a furore oculus turbatur, quia tremendi diem judicii, damnari metuens, intuetur. Cum enim quod quisque gesserit, quia ibi sit receptus, considerat; mentem quæ hoc prævidet, malorum suorum consciam, ipse judicii terror perturbat. Et quia ad illud judicium venire non trepidat, nisi quem conscientia de peccatis accusat, ideo adjungit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Ac si diceret: Ideo ad illud terribile examen deduci metui, quia per consuetudinem & perseverantiam pravorum operum, non B novum, sed veterem me peccatorem agnosco. Cum enim sim inter inimicos meos, spiritus videlicet malignos; quia eorum a me suggestiones non repuli, illis consentiens in tenebrarum operibus inveteravi, id est in veteris hominis inobedientiam redii. Factus sum comparabilis veteri vesti. Sicut enim vetus vestis nec ornatum adjicit, nec frigus repellit: ita ego nec frigus tentationis expellere valeo, nec proximorum animas per doctrinæ verbum adorno. Vel, inveteravi habitans inter inimicos meos, inimicos scilicet catholicæ Fidei, & Christianæ religionis.

Peccato pejor, peccando continuando.

Vers. 8.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

2. Cor. 6. 14. A peccatorum societate recedendum.

8. *Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conventio C Christi ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infideli?* Sicut enim qui diabolum sequitur, Sanctorum collegium affectu & opere aspernatur: ita qui Deo perfecte adhæserit, impiorum consortium nequaquam admittit. Quia ergo inveteravi conversatus inter inimicos meos, ne amplius aliquid vetustatis in me appareat, ne inimicorum conversatio notam mihi prævaricationis infigat: vos qui operamini iniquitatem, qui culpas vestras confiteri negligitis, qui in malis operibus impœnitentes perseveratis, hic a me affectu discedite, hic vos a me operum dissimilitudine elongate: ut quia a Deo receditis hic animo, & in futuro etiam corpore a me discedatis. Discedite, ut amplius non communicem operibus vestris iniquis: *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Vocem flebilem Dominus exaudivit: quia ab omni inquinamento carnis & spiritus me mundavit. Quomodo autem exauditus sit, ostendit:

Cant. 5.

Vers. 9.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Flenti peccatori Deus parcit, & dat perseverantiam.

9. *Exaudivit Dominus deprecationem meam*, peccata dimittendo. *Dominus orationem meam suscepit*, perseverantiam dando; quasi dicat: Non solum pro peccatis meis flenti delictorum mihi indulgentiam contulit, sed etiam ne eadem ulterius committerem, gratiæ suæ ubertatem concessit. Dixerat superius: *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Sed quia caritas non quærit quæ sua sunt: & hinc vera esse ostenditur, cum ille diligitur E qui adversatur, ideo subjungit:

1. Cor. 13.

Vers. 10.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubescant valde velociter.

Summa eorum qui de peccatis non erubescunt, impudentia. Luc. 6. 27.

10. Ille veraciter caritatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Ne ergo surda aure præcepta transeat A Dominica, pro inimicis orat anima exaudita: *Erubescant & conturbentur.* Ergo quia propter peccata quæ perpetraveram, erubui: erubescens vero ut ea diluerem, in gemitu meo laboravi, exaudita veniam impetravi. Et utinam meo exemplo erubescat quicumque quod ad imaginem, & similitudinem Dei sit factus intelligit, & qualiter illam peccando fœdavit, agnoscit. Si se circumspiciens, consideret & decorem quem perdidit, & obscenitatem, qua se velut quodam teterrimo colore perfudit, de operum suorum qualitate, nisi sit lapis, erubescit. Nobilis anima si quas aliquando peccati notas admiserit, verecundiam tamen a se funditus non repellit. Nam & illud verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur B peccatum. Unde sub Judææ specie contemnenti animæ dicitur: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Qui enim neglecto Dei timore peccata peccatis accumulat, profecto ut meretrix frontem obdurat.

Gen. 1.

Jerem. 3. 3.

Emendanda peccata de quibus erubescimus.

11. Sed quia minus est de anteacta vita erubescere, nisi quis etiam studeat ea quæ admisit, pœnitendo corrigere, subjungit: *Et conturbentur vehementer.* Quisquis peccati sui modum considerans, sibi iratus, contra seipsum graviter, quod egit puniendo, invehitur, per compunctionis lacrymas vehementer conturbatur. Quia vero per dolorem pœnitentiæ pervenitur ad conversionem vitæ, protinus additur: *Convertantur.* Ille nimirum ad Deum convertitur, qui tam cogitatus suos, quam etiam C operationes ad Deum semper dirigere conatur. Et quoniam tempus breve est, & finis peccatorum mors est; nequis putaret in hominis esse potestate quando vias velit corrigere, repetit: *Erubescant*, se peccasse, erubescant conversionem distulisse. Et hoc faciant *valde velociter*. DIES enim *Domini sicut fur in nocte ita veniet.* Unde & Salomon; *Ne tardes*, inquit, *converti ad Dominum, neque differas de die in diem.*

2. Petr. 3. 10.

Eccli. 5. 8.

P R O OE M I U M

in secundum Psalmum pœnitentialem.

Ipsi David intellectus.

D Sicut supra jam diximus, per David, fidelis anima accipitur, cui & nominis interpretatio, & operum magnificentia convenienter aptantur. Fidelis ergo anima, ea quæ in hoc Psalmo dicuntur, intelligat, & ab isto numquam intellectu recedat. [a] Intellectus vero David in hoc Psalmo est, ut nemo se ante fidem de meritis suis, quæ nulla sunt, efferat: nemo fide per gratiam accepta, de peccati impunitate præsumat: nemo bonum quod facit, sibi, sed gratiæ Dei attribuat: nemo per desidiæ torporem in bona operatione pigrescat. Videamus nunc quid dicat.

a

E X P O S I T I O

E PSALMI SECUNDI POENITENTIALIS.

Psal. 31. Vers. 1.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Peccata tegimus, ea per confessionem detegendo.

1. Quasi dicat: Cum omnes velint esse beati, diversi de beatitudine diversa sentiunt: & desideriorum suorum errorem sectantes, ad beatitudinis portum per devia venire proponunt. Sed quidquid illi æstiment, istud est ratum, istud est catholicum, quod

a Hæc ad titulum Psalmi referuntur: *Ipsi David intellectus.*

quod illi solum sunt beati, quorum remissæ sunt iniquitates originales per baptismum: *& quorum tecta sunt peccata*, actualia post baptismum commissa. Si tegit infirmus vulnera, quomodo illi a medico adhibetur medicina? Nonne si celare vulnus cœperit, latius extensum introrsum putrescit? Sic & peccatum, nisi per confessionem detegatur, lethaliter in intimis dilatatur. Et sicut vulnus non ostensum etiam sanam carnem putredine inficit: ita peccatum nisi confitendo reveletur, etiam si qua ibi sunt bona corrumpit. Non enim accepta sunt Deo bona, quæ malorum admixtione maculantur. Sed aliud est quod a peccatore homine per obstinationem tegitur, aliud quod miserante Deo per remissionem operitur. Tegit medicus vulnus sanandum medicamine, tegit Deus peccatum ea, quæ multitudinem peccatorum operit, caritate. Si quis ergo peccata sua tecta esse desiderat, Deo ea per vocem confessionis ostendat. Sunt tamen quædam peccata quæ quamdiu in hac vita vivitur, etiam a perfectis viris aut vix, aut nullatenus declinantur. Habent enim sancti viri aliquid quod in hac vita operire debeant: quia omnino est impossibile ut in locutione, aut etiam in cogitatione numquam delinquant. Student igitur viri Dei oculorum linguæque culpas tegere meritis vitæ, student pondere bonorum operum premere immoderata verborum. Verum quomodo in electis est possibile eorum transgressiones contegi, cum ab illo, cujus oculis nuda & aperta sunt omnia, non possunt abscondi? Sed quia hoc quod tegitur, inferius ponitur, & aliquid aliud superducitur, ut quod est subterpositum, tegatur: tegere peccata dicimus, quæ quasi subter ponentes abdicamus. Quibus nimirum quasi tegmen superducimus, dum bonorum nos indumento vestimus. Peccata itaque tegimus, si bona facta malis actibus superponamus.

Nulla Deo accepta bona quæ malorum admixtione maculantur.

1 Petr. 4. 8.

Hebr. 4. 13.

Peccata tegenda sunt, bona opera superinduendo.

Vers. 2.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

1. Cor. 11. 31.

Peccata nostra ne nobis imputentur, puniamus.

2. Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Si nobis peccata nostra imputaverimus, non ea nobis imputat Deus. Si ea satisfaciendo puniremus, nullum qui nos in futuro puniat, inveniremus. Imputare sibi Adam peccatum suum noluit, quando culpam suam in Creatorem refudit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Unde quia se confiteri culpabilem renuit, mortiferæ damnationis sententiam ad posteros misit. Judicare autem seipsum nemo poterit, nisi qui virilem animum ad vitia persequendum assumit, sicut per eumdem Prophetam dicitur: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant*. Qui enim mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est opera sua dissipantis. Ideo dixit: *Beatus vir*. Quasi dicat: Ad hoc opus nemo assurgere prævalet, nisi qui sanctæ fortitudinis vires habet. Quid enim fortius, quam omnes animi sui motus rationi subigere, omnia carnis desideria spiritus virtute frenare, proprias voluntates abjicere, contemptis visibilibus ea quæ non videntur amare? Unde & Salomon ait: *Melior est patiens, viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*. NEC *est in spiritus ejus dolus*. Illi quidem peccatum non imputabitur, in cujus spiritu dolus mendacii non invenitur: qui se justum esse non simulat, qui ea etiam quæ occulte deliquit non celat. In spiritu publicani ad templum ascendentis, dolus non fuit: quia dum illum quem occulta non transeunt, placare voluit judicem, confiteri se non erubuit peccatorem. Ait namque: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Magis ergo justificatus descendit, quam qui se de meritorum enumeratione jactabat. Denique & justus in principio sermonis accusator est sui. In Pharisæi vero spiritu dolus fuit, qui magis videri, quam esse justus optavit. Dum ergo ea quæ clamare debuerat, tacuit, miser quod sibi tacendum esset, clamavit. Et per superbiam, si qua in eo fuerant, minuit merita, qui humiliari contemnens, adauxit peccata. Et nos ergo exemplo hujus publicani, præoccupemus faciem hujus judicis in confessione, & effundamus coram illo corda nostra, levantes puras manus sine ira & [a] disceptatione, in habitu ordinato, cum verecundia & sobrietate: ut qui omni tentationi patentes, manum effugere non possumus judicis, per confessionem mundati, clementiam experiamur misericordis.

Gen. 3. 12.

Psal. 17. 38.

Prov. 18. 9.

Ad hoc fortitudine opus est.

Prov. 16. 32.

Ac sincera humilitate.

Luc. 18. 13.

Prov. 18. 17.

1. Tim. 2. v. 8. & 9.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Vers. 3.

4. Ille, in cujus spiritu dolus non est, beatus est: econtrario ille, in cujus spiritu dolus est, infelix est. Et hoc mihi experto credendum est: nam *inveteraverunt ossa mea, quoniam tacui, dum clamarem*. Per ossa nimirum virtutes accipimus, quia per eas animam, sicut corpus per ossa, sustentamus. Quæ profecto inveterantur, quando a statu suæ fortitudinis infirmantur. Sicut enim morborum infestationes corporis ossa debilitant, vitiorum importunæ turbationes animæ virtutes infirmant. Ait ergo: *Inveteraverunt ossa mea*. Ac si dicat: Virtutes & justitia, vel ratio & intelligentia, ita in me debilitatæ sunt, ut nec per me quidem vitiis resistere, nec animum ægram, & ad ima ruentem, virtutum valeam fortitudine sustentare. Et quia per humilitatem confessionis ad novum hominem pervenire nolui, per arrogantiæ jactantiam in veteris infirmitate permansi. Quare autem inveteraverunt, causam aperit, cum ait: *Quoniam tacui, dum clamarem tota die*. Cum clamare & tacere inter se repugnent, quomodo potest fieri ut aliquis taceat, & clamet? Sed ille tacet nimirum, & clamat, qui peccata quidem sua silentio contegit, merita vero per vocem magnificationis extollit. Aut certe ille tacet, & clamat, qui peccata quidem præterita per confessionem non annuntiat, & per cor impœnitens alia committere, accepta peccandi libertate, non cessat. Nam quod peccatum clamor sit, testatur Scriptura quæ dicit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum ascendit ad me*. Et iterum: *Descendam videre utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint*. Peccatum quippe cum voce, culpa est in actione: peccatum cum clamore, est culpa cum libertate. *Dum clamarem tota die*. Tota die clamat, qui pro omni bono opere quod agit, laudari affectat: vel etiam tota die clamat, qui publice peccare non trepidat.

Per superbiam virtutes atteruntur.

Qui peccator & taceat, & clamet.

Gen. 18. 20. Ibid. 21.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Vers. 4.

4. Sicut per noctem opera tenebrarum, ita per diem, bonarum intelligimus lucem actionum. Qui ergo peccare non desinit, & ceteris se præferens, per bona opera superbit, die ac nocte divinæ potentiæ iram incurrit. Vel *die ac nocte*, id est in prosperitate & adversitate. *Gravata est super me manus*

Manus Dei super superbos gravis.

a Rem. cum Glos. & Vatic. disceptatione; quod pro errore ab una ed. in alias incaute translato, haberi debet.

tua. Quia enim & in adversis succubui, & in prosperis me nimis erexi, iram tuæ potentię super me provocavi: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*: quoniam manus tua, quæ superbos humiliat, humiles exaltat, gravata est super me. Me enim superbum depressit; quia non solum peccatum mihi dominari permisit, sed etiam de qua nimis gloriabar, justitiam mihi difficilem fecit. Ideo *conversus sum in ærumna mea*. Qui enim de me præsumens, quasi divitem me prius & nullius egentem credidi; postea ad me rediens, quam sim miser & infelix agnovi. Et hoc feci, *dum configitur spina*. Per spinam, omne peccatum ideo accipitur; quia dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Tunc autem pœnitentis anima ad lamentum ducitur, cum perpetrata nequitia in memoria fixe retinetur. In translatione non configi, sed confringi spina dicitur: quia nimirum mens ad luctum vertitur, ut peccati compunctio pœnitendo frangatur. Quomodo autem sit conversus, ostendit, dum subdit:

Vers. 5.

Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.

Hebr. 4. 13. Rom. 10. 10. Ad perfectam confessionem narrandæ sunt omnes peccati circumstantiæ.

5. Quamvis omnia sint nuda & aperta oculis tuis, tamen quia ore confessio fit ad salutem, feci tibi cognitum delictum, dicens illud esse meum. Mihi enim, quia deliqui imputo, me solum in operum meorum pravitate culpabilem clamo. Plus est dilectum cognitum facere, quam delictum manifestare. Ille enim delictum cognitum facit, qui non solum quod fecit annuntiat, sed etiam omnem peccati causam & originem narrat. Qui non superficie tenus peccatum loquitur, sed & quando, & ubi, & quomodo: & si vel ignorantia, vel casu, vel studio deliquerit, confitetur. *Et injustitiam meam non abscondi*. Nullum in corde meo dolositatis scrupulum retinui: injustum esse quidquid a me habeo intimavi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi*. Non solum quod deliqui, quæ mihi facienda fuerant bona prætereundo aperui; sed quidquid commisi, quæ prætereunda fuerant mala faciendo narravi. *Jac. 1. 17.*

Vers. 6.

Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.

Non alteri quam sibi peccatum imputandum.

6. Quod delictum meum cognitum tibi feci, quod injustitias meas non abscondi, non fuit ex necessitate, vel alicujus levitatis occasione, sed ex pœnitendi & confitendi præmeditatione. Nam *Dixi*, id est in corde meo statui. *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino*. Adversum se confitetur qui omnino confitetur quod aperit. Qui in peccati confessione sibi non parcit: quidquid peccavit, non Deo imputat, non Deo annotat, non fortunæ attribuit, non diabolo, non constellationi adscribit. In eo autem evasurum se credit, si sibi iratus se sine moderatione accusat. *Et tu remisisti impietatem peccati mei*. Attende quantę sit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta misericordiæ Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perveniat pœnitentia; ante remissio ad cor perveniat, quam confessio in vocem erumpat. *Tu remisisti impietatem peccati mei*. Tu qui solus parcis, qui solus peccata dimittis, quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus? *remisisti impietatem peccati mei*: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Indulgentiæ divinæ velocitas.

Luc. 5. 21. Isa. 38. 17.

Non solum peccatum remisisti, sed etiam ipsam impietatem, pravæ scilicet operationis intentionem: ut jam nulla in corde meo malitiæ radix remaneat, ex qua pestiferę actionis de cetero germen succrescat. *Isa. 5.*

Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Vers. 7.

7. Scriptum est quia *nemo sine peccato, neque infans cujus est unius diei vita super terram*. Et iterum Job testatur, quia *cæli non sunt mundi in conspectu ejus, & in Angelis suis reperit pravitatem*. Quanto ergo electus quisque majori sanctitate præeminet, tanto magis de his, sine quibus hæc vita non ducitur, venialibus peccatis dolet. Quis autem sanctior Paulo, qui cum delectaretur Legi Dei secundum interiorem hominem, & aliam Legem in membris suis, Legi mentis suæ videret repugnantem, miserum se exclamans commemorat, & de se diffidens, de corpore mortis illius per Dei gratiam liberari expectat? Idem nihil sibi conscius fuerat, sed nequaquam in hoc se justificatum credebat. Sancti etenim viri licet magnis jam virtutibus polleant, habent tamen adhuc de culpæ obscuritate quod feriant. Et licet magna jam vitæ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, velut quasdam noctis reliquias, nolentes trahunt. Quod divinæ profecto pietatis dispensatione agitur, ut qui ascensiones in corde suo disposuit, ad humilitatis celsitudinem sua melius infirmitate sublevetur: quatenus unde parva reprehensibilia humiliter patitur, inde verius in justitię virtute roboretur; & eo se in virtutis culmine erectus minimum sentiat, quo suis viribus etiam parva quę eum impediunt, non expugnat. Orat ergo pro remissione peccati omnis Sanctus: quia sine peccati macula solus invenitur homo Jesus Christus. Denique de ipso solo legimus, quod non haberet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde [a] pro populi.

Job 14. 4. sec. Sept. *Job. 15. 15. & c. 4. 18.* Orat pro suis Sanctus, quia nullus est peccati expers. *Rom. 7.* *1. Cor. 4. 4.* *Psal. 83. 6.* *Heb. 7. 27.*

Sancti in oratione nihil transitorium postulant.

8. Verum ne aliquid intelligas transitorium appeti in oratione Sanctorum, adjungitur, *Ad te*. Electi etenim Dei orantes ut ad Deum perveniant, infirmitatis suæ incessanter excessus deplorant: quia & inde refectionis intimæ dulcedinem sentiunt, unde vim suavissimi amoris per lacrymas emittunt. *In tempore opportuno*. ECCE *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, dicit Apostolus. Tempus opportunum, tempus gratiæ, dies remissionis, plenitudo temporis: in quo *propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos Deus, misit filium suum ex muliere, factum sub Lege: ut eos qui sub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*. Sed quid est, quod dicit: *In tempore opportuno?* Numquid & ante adventum Christi non extiterunt Sancti, qui orarent pro hac sua & populi ignorantia? Fuerunt plane: sed quia ipsum in carne venturum expectabant, eumque solum Salvatorem suum esse sciebant, per ejus nimirum fidem salvati sunt. Jamque illud tempus opportunum in corde susceperant; quia ad ipsum toto cordis desiderio nihil hæsitantes suspirabant.

2. Cor. 6. 2. Ephes. 2. 4. Gal. 4. 5. Nunc orandi tempus est opportunum.

Veruntamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Vers. 7.

9. *Aqua profunda, verba ex ore viri*. Et de hæreticorum adinventionibus scriptum est: *Aquæ furtivæ dulciores sunt*. Per aquarum ergo diluvium, multiplicitatem intelligimus doctrinarum. A quibus nimirum Paulus nos prohibet, dicens: *Doctrinis*

Prov. 18. 4. Prov. 9. 17. Illud non invenient superbi hæretici. *Hebr. 13. 9.*

a In Rembol. Vatic. & Gilot. *pro populo*.

nis variis & peregrinis nolite abduci. Quisquis enim hæreticas & profanas novitates susceperit, longe a veritate abducitur. Et eo ad litus misericordiæ Dei non approximat, quo inanium garrulitatum fluctibus raptus, in procellosam se disputationum caliginem omnes recipiens ineptias jactat. Illis ergo tempus opportunum non est, qui de sua stulta sapientia inflati, unde Deum placare debuerant, inde eum magis per vanarum assertionum blasphemiam irritant. Et excusando excusationes in peccatis, ut ad Deum veniant non inveniunt remedium, quem per compendium confessionis possent habere placatum.

Vers. 9.

Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Hi ad Deum non accedunt.

10. Quasi dicat: Illi in diluvio aquarum, id est in multiplicitate doctrinarum & excusationum, ad te non approximabunt: sed ego, qui delictum meum cognitum tibi feci, qui injustitias meas non abscondi, qui a fidei unitate non exorbito, qui de me diffidens, de multitudine miserationum tuarum præsumo, ad te per humilitatem confessionis approximo. Nam *tu es refugium meum*. MALEDICTUS *homo qui spem suam ponit in homine*: & benedictus homo qui confidit in Domino. Impugnant me carnis illecebræ, circumveniunt ignominiosæ passiones, perturbant inordinati desideriorum tumultus: sed eo tutius omnia despicio, quo de me vilia sentiens, in solo virtutis tuæ munimine confido. *Exultatio mea, erue me*. In divinæ contemplationis claritate electorum mentes quanto graviores rerum temporalium tumultus tolerant, tanto in meditatione securæ in perpetuum felicitatis suavius exultant. Et cum cœperint eis mundanæ perversitatis inæqualitates amarescere, tunc primum possunt internæ quietis suavitatem sentire. Et quia nihil de seculo, nisi tristitiæ fructus colligunt, Deum solummodo suum esse gaudium ducunt. Ceterum quoniam secundum Apostolum, *omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur*: ideo subjungitur: *Erue me a circumdantibus me*. Sancta etenim anima divini amoris spiculis vulnerata, cum anhelare in Deum cœperit, cum ad supernam se patriam per desiderium extendit, ad tentationem ei vertitur quidquid in hoc seculo amicum antea blandumque putabatur: quia qui peccantem amare consueverant, recte viventem crudeliter impugnant. Voluptates nihilominus pristinæ ad memoriam redeunt, & resistentem sibi gravi aperti certaminis perturbatione affligunt. Orat ergo ut in his omnibus liberationis præsidium a Deo habeat, metuens ne ipso fatigationis suæ tædio devicta succumbat.

Jer. 17. 5.

Sed qui de se vilia sentientes, in Deum fiduciam habeat.

2. Tim 3. 12

Vers. 10.

Intellectum tibi dabo, & instruam te: in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Deus non solum præterita peccata dimittit, sed a futuris tuetur.

11. Pendent inferiora ex superioribus. Dixerat enim Propheta superius: *Remisisti impietatem peccati mei*: nunc vero ipsius propitiationis divinæ verba interserit, in quibus significat, non solum de præteritis adeptum veniam, sed etiam de futuris peccatis divinitus sibi provisam esse tutelam, dicens: *Intellectum tibi dabo, & instruam te*. HOMO *cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis*. Qui naturæ rationalis dignitatem contra auctoris nostri præcepta superbiendo perdidimus, per infusam cordibus nostris Spiritus sancti gratiam, quam in nobis peccatum obscuraverat, intelligentiæ lucem confessionis humiliatione revocamus. Cum enim ad secretarium cordis accedimus, & quam districtus judex futurus sit, qui nunc est patiens & longanimis, consideramus; cum ad intuenda Sanctorum præmia, & iniquorum damnationem oculos mentis attollimus; cum de futuris incerti, ne labamur metuimus; & ea quæ male egimus, flendo punimus: tunc nimirum salutari a Deo intellectu accepto, de cordis nostri habitaculo ignorantiæ tenebras effugamus. Sed quia minus est recte intelligere, nisi studeat quis recte intellecta morum honesta complere, adjungitur: *Et instruam te*. Non te permittam perfunctorie voluntatis meæ arcana cognoscere; sed & hoc tibi conferam, ut etiam bonum quod intellexeris, peragas: & qualiter id agendum sit, cauta consideratione discernas. Sunt namque nonnulli, qui recte quidem offerunt, sed recte dividere non sciunt: quia bonum quodlibet recta intentione incipiunt, sed habere in eodem bono opere discretionis virtutem postponunt. Hi nimirum quod bene inchoant, malo plerumque fine consummant: quia inde reatum incurrunt criminis, unde fructum habere potuerunt virtutis.

Ps. 48. 21.

Intelligentiæ lumen infundendo.

12. Quia vero nihil est bonum quod incipimus, nisi perseveranti illud fine compleamus, recte subditur: *In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos*. Quamdiu hic vivimus, in via sumus, qua ad patriam tendimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi custodiunt, & operi nostro insidiantes, deceptionis suæ ubique laqueos tendunt. Facile ergo inter laqueos ambulantes labimur, nisi sapientiæ Dei ducatu gubernemur. In hac vero via ille non graditur, qui temporalium rerum vel copiam cupiens, vel inopiam metuens, a rectæ operationis studio revocatur. Sed quoniam is qui spiritu Dei operatur, non desidia corrumpitur, non timore repellitur, non labore lassatur, non incongrue subjungitur: *Qua gradieris*: quid nimirum semper de virtute in virtutem graditur, qui a sanctæ operationis studio nulla antiqui hostis calliditate superatur. Super eum ergo qui in hac via graditur, Deus oculos suos firmat: quia quicumque boni propositi intentione non deficit, respectus ab eo divinæ misericordiæ numquam recedit: quatenus eum semper in omnibus adjutorem habeat, ad quem indeficientis amoris desiderio incessanter anhelat. Unde & alibi per eumdem Prophetam scriptum est: *Oculi Domini super justos*.

Et perseverantiæ donum conferendo.

Psal. 33. 16.

Vers. 11.

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

13. Sancti viri cum mala sua superant, cum ad superna intuenda bonorum operum perfectionibus volant, nihil esse quod faciunt deputant, nisi etiam alios ab errore compescant. Scriptum enim est: *Caritas non quærit quæ sua sunt*. Sollicitæ ergo discretionis inspectione in secretis cordium ipsam matrem virtutum caritatem exquirunt, quam profecto se non habere comperiunt, nisi omnibus etiam inimicis eadem velint tribui, quæ sibi optant impendi. Unde sancta anima quæ per confessionis vocem peccata sibi dimissa non dubitat, & ipsius promissionis divinæ oraculo roborata, in eo quod superest viæ hostium insidias incurrere non formidat, ad proximos alloquendos convertitur, & ne ipsi ab hac immensitate pietatis Dei inveniantur exortes, hortatur, dicens: *Nolite fieri sicut equus & mulus*. Ac si dicat: Quoniam quidem ad naturæ vestræ statum pietas divina vos revocat, & similitudinis suæ imaginem quam inobedientia destruxerat, boni-

Sancti viri non de sua tantum, sed etiam de aliena salute solliciti sunt.

1. Cor. 13. 5.

nignitas Salvatoris nostri in vobis reformat: nolite divitias bonitatis Dei contemnere: nolite sicut equus alienum sessorem indifferenter portare. Equus enim sicut dominum suum ad portandum recipit, ita etiam sine discretione alios, qui volunt ascendere, sessores admittit. Qui ergo timore Dei postposito, qui Dominus omnium est, diabolicæ se potestati subjecerit, & animam quæ sedes sapientiæ esse debuerat, fallacis domini ditioni mancipaverit, sine intellectu proculdubio sicut equus existit. Mulus vero sicut onus domini sustinet, ita se cuilibet extraneo onerabilem præbet. Quisquis itaque Domini illius, cujus jugum suave, & cujus onus leve, præcepta rejiciens, gravissimas peccatorum sarcinas ferre non recusaverit, irrationabilem se profecto sicut mulum ostendit.

[Alium sessorem non admittamus præter Deū.] [Matt. 11, 30.]

In camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. [Vers. 12.]

14. Plerumque qui præcepta Dei aure cordis audire renuunt, persecutionum verberibus admonentur, ut ad virtutis amorem pœnarum dolores pertrahant, quos æternæ vitæ præmia non invitant. De quibus nimirum scriptum est: *Sola vexatio intellectum dabit auditui*. Sæpe etenim amator præsentis seculi ita ab eodem, quem diligit, mundo despicitur & impugnatur; ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat. Quod divinæ profecto dispensatione miserationis agitur: [a] quia in hoc mundo despectus, tanto celerius trahitur ad Deum, quanto nihil habet in seculo ubi delectetur. Orat igitur fidelis anima, ut lubricos peccantium cursus mundana adversitate virtus divina coerceat: quatenus erroris sui desideria sequi non valeant; & hoc modo ad se reversi, saltem ex difficultate & impotentia peccandi resipiscant. Possumus quoque per camum & frenum verba divinæ Legis accipere: quæ quia peccantibus aliquando graviter minantur de pœna, aliquando suaviter blandiuntur de venia, dum in ora fidelium veniunt, vagos eorum gressus more freni & cami reflectunt. Maxillas constringunt, quia vocem jactantiæ comprimunt; dum qui ex vitio superbiæ solebant jactare merita, per humilitatis virtutem discunt confiteri peccata. Quare autem tantopere pravorum hominum etiam invitam conversionem exoptet, ostendit cum subdit:

[Adversitates peccatoribus prosunt, ut coerceantur.] [Isai. 28. 19.] [Divinæ Legis freno sunt cohibendi.]

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. [Vers. 13.]

15. Qui enim per superbiam erectus contra Conditorem peccata augere non desierit, & hic curarum adversantium flagellis affligitur, & in futuro duplici nihilominus contritione conteretur. Cui si ad iniquitatis suæ cumulum peccanti contigerit exterius proficere, hoc ipsum sibi est divinæ animadversionis flagella tolerare: quia modo in conspectu Dei eo ipso interius dejicitur, quo falsa gloria in conspectu hominum exterius elevatur. Et illi sua in pœnam vertitur culpa: quia hoc ipsum fuit vere intus cadere, quod foras ostenditur profecisse. Hæc quidem prædicta inconfidentes inveniunt: *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit*. Diligentibus enim Deum, omnia cooperantur in bonum. Qui in amorem cælestium fixus, seculum perfecte despexerit, nulli omnino vanitati succumbit; nulla hunc adversitas dejicit: nulla prosperitate corrumpitur: flagellis proficit: quippe qui ea aut quæ perpetravit peccata obliterat, aut quæ perpetrare poterat, futura devitat. Et sibi omnia fore existimat prospera, quæ a dilectoribus mundi putantur adversa.

[Flagella Dei in iniquos. Jerem. 17.] [Fres justos misericordia. Rom. 8, 28.]

Lætamini in Domino, & exultate justi: & gloriamini omnes recti corde. [Vers. 14.]

16. Quasi diceret: quandoquidem sperantes in Domino misericordiæ divinæ clypeo muniuntur: *Lætamini in Domino, & exultate justi*. Non est impii gaudere, dicit Dominus: quia qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Et quanto quis ad temporalia acriore cura exarserit, tanto magis ab æternis damnabili torpore frigescit. Justis ergo solummodo ut in Domino lætentur dicitur: quia qui Deum toto corde non diligunt, in eo lætari, quamdiu secularibus delectantur, non possunt. Scriptum est enim: *Quicumque amicus hujus seculi esse voluerit, inimicus Dei constituitur*. Neque enim possumus hic gaudere cum seculo, & illic regnare cum Christo. Sed justi tantum in Domino exultant; quia ita extra mundum sunt facti, ut nec prosperari in mundo cupiant, nec adversa pati nullo tacti præsentium amore pertimescant. Et notandum, quia non solum *lætamini* dixit, sed etiam *& exultate* adjecit: ut intelligas, eos non posse tristari in corpore, quibus divinæ claritas miserationis fulget in mente. *Et gloriamini omnes recti corde*. Illi quidem qui habent cor ad terrena distortum, non gloriantur in Domino: quia spem suam posuerunt in mundo. Vos autem qui cor vestrum secundum Dei voluntatem dirigitis, in spe beatitudinis ęternę gloriari debetis: *ut qui gloriatur, in Domino glorietur*. Illa namque sine dubio est vera gloria, quam nullius mœstitiæ obtenebrat pœna.

[Solis justis lætari datur.] [Isai. 48. 2.] [Jacob 4. 4.] [Et omni tristitia carere.] [2. Cor. 10. 18.]

PROOEMIUM

in tertium Psalmum pœnitentialem.

Psalmus David in rememorationem de Sabbato.

Sabbatum requies interpretatur. Sabbatum humanum genus in primo parente habuit, qui quamdiu in Conditoris sui obedientia perstitit, in suavissimo contemplationis divinæ lecto requievit. In paradiso namque primus homo deliciis potius, sicut nullam in anima poterat sentire esuriem, ita etiam omnem quæ ex carne nascitur, ignorabat passionem. At postquam divini colloquii peccando familiaritatem perdidit, mortis legibus succumbens, requiem felicitatis æternæ amisit: & in procellosos mundanæ instabilitatis corruit fluctus, quia statum rectitudinis servare contemsit. Fidelis ergo anima requiem in primo homine perditam ad memoriam revocans, & futurum nihilominus vitæ æternę Sabbatum spiritus agilitate contemplans, ab omni spiritus & carnis optat corruptione eripi, & ad futuram indeficientis beatitudinis requiem, consummato hujus vitæ termino, orat sine cunctatione perduci. Ait ergo:

[Felix primi hominis status.]

EXPLANATIO.

TERTII PSALMI POENITENTIALIS.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. [Psal. 37. Vers. 9.]

1. Quasi dicat: Scio futurum esse, ut post hujus vitæ exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeant damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsen-

[Ignis purgatorii quam formidandus.]

a Gillot. & Vatic. *quo in hoc.*

senti æstimo intolerabiliorem, non solum in furo- A re æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari. Tu ergo, Domine, cui in spiritu meo servio, quem omnium Salvatorem esse cognosco, ne arguas me in furore damnationis perpetuæ, neque corripias me in ira expurgantis vindictæ. De furore & ira, quia sufficienter in superioribus exposuimus, iterum tractare superfluum putamus: ne eadem repetentes, legentibus fastidium generemus. Quare autem non debeat in ira corripi, & in furore damnari, subjungit cum ait:

In Psal. 8.

Vers. 2.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Quæ sagittæ homini peccanti infixæ.

2. Quanto quisque plus cœperit quod amisit intelligere, tanto plus incipit corruptionis suæ sen- B tentiam, quam subivit, lugere. Fidelis ergo anima perpendens quod perdidit, considerans quod invenit, videns se a paradisi gaudiis venisse ad miserias vitæ præsentis, a societate Angelorum transisse ad curas necessitatum: pensat quod subjacet periculis, quæ peccando gloriam perdidit æternæ incorruptionis. Novit etiam quia mortem nulla possit ratione evadere quæ posset, si non peccasset, semper vixisse. Has ergo sibi sagittas infixas esse conqueritur: quia jam nobis est naturaliter inditum, quod primo homini fuit pro culpæ vindicta illatum. Mortalitas & passibilitas, sunt sagittæ quæ nimirum nobis infixæ sunt; quia quamdiu in præsenti seculo vivimus, ab eis liberari aliqua ratione nequimus. Dicat ergo fidelis anima: C Quandoquidem pro originali commisso mortalis effectus, magnam hujus seculi miseriam sustineo, pro me autem pœnitentiam ago; tu qui visitabis iniquitates in virga, ne impleas amaritudinibus universa: sed cum in hoc seculo peccati pœnam lugeam, saltem in futuro districtæ animadversionis terrorem evadam. Quod ut facere debeas, *confirmasti super me manum tuam*. Sicut studiosus magister frequenter verbere puerum corripit, ita a me tuæ vindictæ manus numquam recedit. Per manum Domini, quam super se asserit confirmatam, miseriarum frequentiam & assiduitatem intellige. Quam ideo memorat, ut tanto facilius in futuro acquiratur venia, quanto major hic fuit irrogata vindicta. Possumus etiam D per sagittas verba Dei intelligere, quæ corda quidem nostra transfodiunt, cum nobis altius infixa, amoris Dei nos vulnere compungunt. Quomodo autem sit contimua hæc pœna quam patitur, ostendit, dicens:

Vers. 3.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Pœnæ quibus homo subjacet in corpore.

3. Caro humana, ex quo maledictionis promeruit sententiam, portare non destitit peccati continuam pœnam. Et quia nos ejus incessanter infirmitas debilitat, iræ Dei faciem nobis indesinenter repræsentat. Portamus namque corpus mortala, doloribus obnoxium, indigentiis impeditum: quod nimirum tentationes sollicitant, sollicitudines angustant, angustię conterunt, E contritiones affligunt; quodque etiam si aliquando videatur esse validum, ipsa sua valetudine magis invenitur infirmum. Quid enim infirmius, quam assidue fame tabescere, difficultate somni languere, frigore dissolvi, ęstu torreri? Quę autem sanitas esse potuerit, ubi tot malorum multitudo concurrit? Dicat ergo fidelis anima: *Non est sanitas in carne mea*. Ut videlicet corpus infirmum esse sentiat, quod tam facile passionum inęqualitas permutat. Ne autem intelligas propter peccati pœnam non infirmari in mente, quia dixerat sibi non esse sanitatem in carne, subjungit: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*. Sicut jam dictum est, per ossa virtutes accipimus, quia sine eis nullum in anima robur habemus. Omnes autem virtutes in conspectu Dei vicaria ope se sublevant, nec virtutes veræ sunt, si a se invicem aliqua diversitate discordant. Una enim virtus sine altera, aut omnino nulla est, aut minima. Si enim aut castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas derelinquat, cum Deus detestetur tam superbiam, quam immunditiam, quomodo oculis ejus accepta erit castitas elata, vel humilitas immunda? Non enim bona accepta sunt Deo, quæ malorum admixtione maculantur; quia *modicum fermentum totam massam corrumpit*: & qui in uno offendit, multa bona perdit: & qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. Quia ergo virtutes animę aut vitiis impugnantur, aut plerumque elatione deprimuntur, recte nunc dicitur: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*: quotidieque peccatorum pœnam patior, quam in ipsa peccatorum facie contemplor. Et quia sentio pœnam, recogito culpam. Vel: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*; quia videlicet nullam anima mea potest habere requiem, donec aliquam peccati in se habeat recordationem.

Et in mente.

Psal. 1. & Psal. 2.

1. Cor. 5. 6.

Vers. 4.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Peccati pondus & gravitas. Zach. 5. 7.

4. Quasi dicat: Non est mirum si non est pax ossibus meis: nam iniquitates meæ gravatæ sunt super me sicut onus grave. Iniquitas in talento plumbi sedet. Plerumque anima amore Dei desiderio accenditur, adeo ut etiam ad summa ambienda sustolli videatur: sed quia gravi peccatorum pondere premitur, eo citius ad ima labitur, quo admissorum conscientia interius gravatur. Et quidem ascendere ad Deum ea qua potest virtute nititur, sed ipso suo conamine lassata, relabi compellitur. Causam vero tantæ gravitatis præmisit, cum ait: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*. Nisi enim iniquitates principale cordis mei superando transcenderent, nequaquam tanta me pravorum operum depressione gravarent. Sancti namque viri, si quando in mente tentationes tolerant, illicitum cordis appetitum magna virtutis dominatione refrenant: ne si in aliquo lapsu tentatori consentiant, non jam cogitationum suarum, sed servi crudelium dominorum existant. Cum enim diabolicis anima subesse suasionibus cœperit, quanto se hosti callido crebrius subjicit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit: ut ei jam in nullo resistere valeat, qui in uno sui oblita assensum præstat. Solerter itaque vigilandum est, ut cum pulsare mentem culpa inchoat, peractam culpam quia finis sequitur, attendat: ne si malæ suasionis blandimenta non perspiciat, in nequissimæ tenebras perpetrationis nesciens ruat.

Huius gravitatis caussa.

Vers. 5.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.

In peccatum relabentium insipientia.

5. Fidelis anima quæ in seipsam, sibi non parcens, vehitur, deteriora adhuc de se quam prius dixerat, confitetur, dicens: *Putruerunt & corruptæ sunt cicatriers meæ*. Super curatum vulnus cicatrix obducitur, dum signum præteritæ plagæ in resarcita cute monstratur. Quæ nimirum cicatrix necessario corrumpitur, si caro sanata iterum vulneratur. Ubi quanto magis extenditur inæqualitas corporis, tanto difficilius ostenditur efficacia curationis.

Sed quid per vulnus, nisi peccatum exprimitur? Quid vero per cicatricem, nisi pœnitentiæ actio designatur? Qui enim per pœnitentiæ lamenta peccatum corripit, quasi cicatricem vulneri superducit. Quod si dimissæ nequitiæ mentem iterum ad delectationem pertrahunt, superductæ vulneri cicatrices putrescunt. Cicatrices namque putrescere, est sanata jam peccatorum vulnera rursum in tentationem serpere, atque de eorum iteratione delectationem sentire. Cicatrices computrescere, est ex peccatorum suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ, dolorem iterum culpæ in occulto cordis per putridas cogitationes perpeti, & tandem per opus miserum quasi effuso fœtore corrumpi. Quare autem hoc sibi contigit, ostendit cum ait: *A facie insipientiæ meæ*. Sicut summa prudentia est aliquem post acceptam pœnitentiam sollicitæ sibi circumspectionis studio in posterum prospicere, ita miserabilis insipientiæ est in istius vitæ ambiguo quasi accepta securitate dormire. Per insipientiam ergo negligentiæ, vulnus jam sanatum computruit: quia dum per studium vigilantiæ mens ingrata sibi in posterum providere noluerit, miserabilius ea quæ prius abdicaverat, mala committit.

Vers. 6.

Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Nemo infelicior, quam qui suam infelicitatem non cognoscit.

6. Tanto unaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto fuerit despectior ante oculos suos. Quid autem infelicius, quam infelicitatem suam non cognoscere, & inter ipsa vitæ discrimina nullum infirmitatis dolorem sentire? Sicut enim phrenetici mentis alienationem tolerant, cum se non solum nihil pati, sed etiam incolumes putent: ita qui mortali carne circumdatus, ærumnas præsentis vitæ non senserit, a virtute sapientiæ alienus existit. Innumerabiles namque humanæ dejectionis miseriæ, sicut corda justorum gravi tristitiæ dolore convulnerant, ita iniquorum mentes ipsa sua importunitate delectant. Cum enim omni vanitati [a] patentes, sola quæ carnis sunt cogitant, & lacrymatum causas tripudiantes peragunt, mortis suæ negotium ridentes exequuntur. De quibus profecto scriptum est: *Quia lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Verum qui ad Sabbatum quietis æternæ pervenire desiderat, circumspecta quas patitur miseriarum multitudine, seipsum humilians dicat: *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem*. Usque in finem curvatur, qui iniquæ voluntatis studium usque ad effectum pravi operis terrenis inhians, protrahit; & ad cælestia ambienda non solum non per gradum operis, sed nec per intentionis volatum assurgit.

Prover. 2. 14.

Sancti blandimenta seculi timent, & cum luctu tolerant.

7. Sed quia culpam sæpe sequitur pœnitentia, & plerumque qui cadit, adjicit ut resurgat, sequitur: *Tota die contristatus ingrediebar*. Cum sollicito se timore mens humana circumspiciens, modo quæ egit mala enumerat: modo quæ agere neglexit bona ad memoriam revocat: modo reprehensibilia esse in quibus versatur, conspicit: modo sibi recta opera adhuc deesse perpendit: quia malorum tantorum in se remedium non invenit, tristitiæ intolerabilis pondere prægravata tabescit: & tanto se durius in cogitatione dilaniat, quanto terribilius esse quod imminet judicium pensat. Tota autem die contristatus ingreditur, qui miseriam esse deputat, si quando ei prosperitas seculi fallaciter perniciose que blanditur, sicut in Canticis canticorum Sponsus ad sponsam loquitur, dicens: *Oculi tui columbarum*. Columba enim pro cantu gemitum habet. Quia ergo sancti viri seculi blandimenta timentes & dolentes cum luctu & gemitu tolerant, in quibus amatores mundi securi & gaudentes exultant, sancta Ecclesia columbis assimilatur: quia inde Sanctus omnis cum dolore ingemiscit, unde iniquus quisque cum gaudio hilarescit. Unde per Salomonem dicitur: *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis?* Quare autem contristatus, viam præsentis vitæ ingrediatur, ostendit dicens:

Cant. 4. 1.

Eccl. 2. 2.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Vers. 7.

Quot modis diabolus nobis illudat.

8. In lumbis carnalis delectatio continetur, & inde nimirum humana generatio propagatur. Possum ergo per lumbos animam accipere: quia sicut ex lumbis carnales delectationes prodeunt, ita ex anima omnes cogitationes procedunt. Deinde cum illiciti operis tentatio subrepit, per vanatum cogitationum phantasmata spiritus malignus illudit. Sæpe namque sanctorum etiam virorum mentes, cogitationes illicitæ polluunt: & eas jam ad summa tendentes, terrenarum rerum delectationibus tangunt. Sæpe etiam in ipso orationis tempore importune se illis ingerunt; ut hoc ipsum sacrificium aliquo modo commaculare valeant, quod in odore suavitatis Deo acceptum, contrito corde & contribulato spiritu mactatur. Quod nobis aperte illud quod de Abraham scriptum est, innuit: quia circa solis occasum sacrificium offerens, insistentes aves pertulit, quas ne oblatum raperent sacrificium, sollicite abigere curavit. Nos ergo si quando in ara cordis sacrificium Deo offerimus, a malignis hoc spiritibus sollicite custodiamus; ne tenebrosarum importunitates cogitationum hoc aliquando valeant diripere, quod Deo speramus utiliter offerre. Quod autem sequitur: *Non est sanitas in carne mea*; idem est quod ait Apostolus: *Non invenio in me, hoc est in carne mea, bonum*. Omnia namque corporis membra quæ ad usum vitæ accipimus, ad erroris materiam inclinamus. Oculos enim ad videndum obscena & turpia inflectimus: aures libenter ad audiendas detractiones acommodamus: illecebrosos odoratus naribus haurire concupiscimus: iniquitatem in excelso loquimur, & inter fratres discordiam seminamus: salutem etiam corporis redigimus in usum vitiorum: omnia tandem quibus uti utiliter possemus ad Dei servitium, in pravi operis convertimus instrumentum. Non est in carne nostra sanitas: quia nulla pars nostri corporis intentata remanet, per quam nos peccati desiderium non titillet. Sequitur:

Gen. 15. 11.

Rom. 7. 18

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Vers. 8.

Gravissimo peccati pondere in corpore & in anima obruimur.

9. Qui enim dixerat, *Non est sanitas in carne mea*: ne forte in anima nihil pati putaretur, subjecit: *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis*. Ut intelligas in anima gravissimo iniquitatis pondere obrutum, quem in carne vides tot miseriis & passionibus afflictum. Peccatum enim sicut peccantis mentem retibus delectationum illaqueat, ita etiam implicitam quasi mole superposita gravat; ut ad sublimia levari jam non valeat, quoniam iniquitatis eam gravitudo coarctat, sicut per Psalmistam dicitur: *Filii hominum usquequo gravi corde?* Plerumque enim & quæ agenda sunt bona conspicimus, & ad hæc assurgere cordis desiderio non valemus. Et si forte mens aliquando ad bonum anhelare inchoat,

Psal. 4. 3.

a Rembol. *parentes*.

choat, gravitas quam sustinet, cogit ut cadat: quia ex pœna peccati est, ut a bono quod per rationis judicium clare conspicitur, per vitæ meritum anima infirma pellatur. Unde fit, ut quia ad supernam lucem intuendam non valet ascendere, peccatis exigentibus delectetur in tenebris jacere: & quam a supernis dejecit necessitas, eam in infimis illicita teneat voluptas. Nimis ergo humiliatus est, qui ex peccati pœna non solum cælestia non appetit, sed etiam carnalibus & terrenis cum amore & delectatione intendit. Sed quia plerumque tanto citius ad Deum anima convertitur, quanto longius se ab eo separatam intuetur, adjungitur: *Rugiebam a gemitu cordis mei*. Rugitus, gemitus est cordis cum magno dolore: quia quanto vehementius pœnitentis animum concutit, tanto velocius ad aures divinæ misericordiæ conscendit. Et notandum quod dixit: *A gemitu cordis mei*; quia sicut dolorem carnis generat amissio pecuniæ & pignorum, ita cordis dolorem confert exterminatio virtutum.

Vers. 9.

Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus.

Ut ante Deum sit omne desiderium nostrum, terrena despiciamus, & amemus cælestia.

10. Tale est desiderium meum, ut dignum sit in conspectu tuo. Quia enim requiem pro qua semper est orandum, desidero, esse coram te desiderium meum confido. Sancti viri, quia mundi gloriam contemnentes, supernæ claritatis lumine illustrari solummodo cupiunt, divinę majestatis conspectui semper assistunt. Cum enim sola cælestia appetunt, usque ad contemplandum Deum per mentis desiderium ascendunt. Et quia quam dulcis est Dominus interius sentiunt, numquam ab eo per pravæ voluntatis studium recedunt. Si enim a Deo Elias Propheta aliquo modo discessisset, nequaquam dixisset: *Vivit Dominus, ante cujus conspectum sto*. Quo contra de reprobis dicitur: *Non apparebit in conspectu Dei omnis hypocrita*. Hypocrita enim nequaquam cælos penetrat; quia per opus bonum non Deum, sed humanas laudes, vel transitorios quæstus affectat. Et quia ad Deum desiderium non dirigit, se ab ejus oculis sub nequitiæ latebris abscondit. Qui autem per amorem spiritus cælestia appetit, oculis Dei intentionem suam ostendit. Despiciamus ergo terrena, & amemus cælestia, ut possimus & nos dicere cum Propheta: *Domine, ante te omne desiderium meum*. Qui Deum amat, ipsum solum desiderat. Qui autem eum desiderat, ad ipsum cordis voce clamare non cessat. Nisi enim de corde desiderantis, magnus ad aures misericordis Dei clamor procederet, nequaquam Moysi diceretur: *Quid clamas ad me?* Sicut ergo frigescente caritate cor a bonis silet: ita clamorem emittit, cum caritas fervet. Et notandum, quia dicturus *desiderium*, præmisit, *omne*; ut intelligas illud Deo non posse placere desiderium, quod pravæ voluntatis commaculat additamentum. *Et gemitus meus a te non est absconditus*. Omne desiderium in pœnam convertitur, si non cito evenerit quod optatur. Desiderium enim non sustinet, quia sicut scriptum est: *Cupiditati ipsa celeritas tarda est, & cupienti animo nihil satis festinatur*. Quisquis ergo de Deo in corde desiderium concipit; quia statim quod optat non obtinet, ingemiscit. Igitur [a] hoc animo cum præmisisset desiderium, statim adjecit gemitum, dicens: *Et gemitus meus a te non est absconditus*. Quasi dicat: Quia desiderium quod de te concipio, per judicium approbas, ideo dolorem quem inde sustineo, non ignoras. Scire enim Dei, approbare est: sed nescire, est reprobare. Moysi namque dicit: *Novi te ex nomine*. Et reprobis in fine dicturus est: *Nescio vos*. Non ergo a Deo absconditur gemitus, qui illi spiritui qui discretor est cogitationum, existit acceptus.

3. Reg. 17. 1. Job. 13. 16. Cordis voce ad Deum clamandum. Exod. 14. 15. Exod. 33. 12. Matt. 25. 12.

Vers. 10.

Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

A Deo derelictus homo tentationum pulsibus concutitur.

11. Ac si dicat: Non est mirum si doleo, si gemo: nam *cor meum conturbatum est in me*. Latrones enim timeo, temporalia damna formido, cæli motus & terræ perhorresco, undique sollicitudinibus angustor, undique angustiis premor, undique pressuris dejicior. Adversitas me deprimit, successus extollit, convicia commovent, adulationes demulcent. Hæc autem omnia ideo patior, *Quia dereliquit me virtus mea*. Humanum cor ad omnem tentationis impulsum facile concutitur, si virtute constantiæ interius non firmatur. Possumus quoque per hanc virtutem, rationalitatem accipere, quæ ita in nobis per peccatum primi parentis hebetata est, ut Dei in nobis offuscantes imaginem, creaturas sequentes, relinquamus Creatorem. Sequitur: *Lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum*. Solet plerumque animæ peccanti contingere, ut mox cum in culpam labitur, & a sui cognitione longius separetur. Peccatum enim ipsum quod peragit, quasi murum quemdam oculis se mentis opponit; adeo ut nec unde ceciderit conspicere valeat, nec bonum quod sibi quærendum sit, cognoscat. Voluntatis namque tenebris obvoluta, quanto malis tenacius adhæserit, tanto difficilius intelligit bona perpetua, quæ amisit. Lux quippe veritatis pravorum culpas subtiliter examinans, si ab opere repellitur, nequaquam in corde versatur. Districto enim & occulto agitur judicio, ut a quo inventa negligitur, ab eo postmodum nec amissa requiratur; & qui illam non servat in opere, notitiam illius non habeat in corde. Sed tunc homo lumen quodammodo intelligentiæ habere incipit, cum cæcitatis suæ tenebras recognoscit. Quicumque ergo claritate luminis divini illustrari desiderat, ignorantiæ suæ primitus agnoscens caliginem, dicat: *Lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum*. Nec vacat quod ait, *Et ipsum*. Ipsum, sine quo cor humanum in tenebris est, sine quo vivere non valeo, sine quo bonum a malo discernere non queo. Sequitur.

Et tenebris cæcatur.

Vers. 11.

Amici mei & proximi mei, adversum me appropinquaverunt & steterunt.

Dei Spiritu pleni, aliquando de ipsis loquuntur, tamquam de seipsis.

12. Sciendum nobis est, quod hi qui spiritu prophetiæ replentur, sicut aliquando verba de se quasi de aliis proferunt, ita nonnumquam de Deo quasi de seipsis loquuntur: ut in hoc quoque quod unum cum Deo sint innuant, cum Dei opera quasi sint sua narrant. Sic etiam fideles quique, quia in corpore Christi, quod est Ecclesia, positi, membra sunt Christi, de eo quasi de seipsis aliquando loquuntur; ut dum verba capitis sui, Christum induti, quasi sint sua enuntiant; alium esse qui per ipsos profatur, ostendant. Spiritus enim sanctus per eos loquitur, sicut ipsa Veritas Apostolis loquens testatur. Ait enim: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Hinc etiam Paulus ait: *An quæritis experimentum ejus, qui in me loquitur Christus?* Ipse est enim qui dixit: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*. Ipse etiam ait: *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum*. Cum itaque non Prophe-

Col. 1. Matth. 10. 20. 2. Cor. 13. 3. Psal. 80. 11. Isai. 52. 6.

[a] Rembol. hac anima.

phetas, sed se locutum esse denuntiat; profecto quia ipse in eis loqueretur, affirmat. Non autem admirandum est, si de seipso aliquando loquitur, qui intus præsidet: quandoquidem ipse est qui os & animam per officium obsequentis adimplet. Sic ergo & in hoc loco, enumeratis aliquibus humanæ infirmitatis miseriis, passionem suam commemorat, ut capiti congruere quod convenit membris ostendat: & fiat nobis magnum consolationis remedium, si illum etiam passionis nostræ fieri participem cognoscimus, quem laborum quos patimur, futurum remuneratorem speramus; sicut etiam alias loquitur:

Johan. 15.20

Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Ait ergo: *Amici mei & proximi mei, adversum me appropinquaverunt & steterunt*. Quasi dicat: Non solum membra mea illis, quibus prædictum est, modis conturbantur; sed etiam ego, ut virtutem in primo parente perditam eis restituam, conturbationem auferam, lumen nihilominus amissum reddam, solus inter mortuos liber, factus sum obediens Patri usque ad mortem. In qua morte, *amici mei & proximi mei, adversum me appropinquaverunt & steterunt*. Multi ex Judæis amicos se Christi dicebant, multi eum miracula facientem sequebantur: multi eum Dominum, multi vocabant magistrum; sicut legis doctor, qui cum vellet eum capere in sermone, dicebat: *Magister, scimus quia verax es, & vitam Dei in veritate doces*. Proximos quoque eosdem appellat Judæos, secundum carnis sibi cognationem propinquos. *Neque enim fratres ejus credebant in eum*. Qui omnes appropinquaverunt Christo, non mente, sed corpore: non passibus fidei, sed processu nequitiæ; non voluntate sequendi, sed intentione nocendi. Quod factum est, quando congregati in atrio principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, consilium fecerunt, ut eum dolo caperent, & occiderent. Adversus eum steterunt, quando constanter accusabant eum, & quando clamantes dicebant: *Crucifige, crucifige eum*.

Psal. 87. 4. Philipp. 2.8.

Judæi ad Christum accedebant, non voluntate sequendi, sed intentione nocendi.

Matt. 22.16

Johan. 7. 5.

Matth. 26.

Marc. 15.13 Vers. 12.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam eam.

13. Scriptum est enim: *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt*. Et iterum: *Stabant autem noti ejus de longe*. ET *vim faciebant, qui quærebant animam meam*. Volente Pilato Christum dimittere, Judæi clamabant: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari*. Vim ergo faciebant, qui judicem injuste judicare minis & clamoribus urgebant. Animam Christi Judæi quærebant, non ut in eum crederent, sed ut illum perderent. Vel aliter: *Vim faciebant*, quia suavi & potestate Christo mortem inferre putabant. Sed ipse eis dicebat: *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam*. Et iterum: *Potestatem habeo ponendi animam*.

Matt. 26.56 Luc. 23.49 [illegible] Joan. 19.12

Johan 10.18

Ibidem.

Vers. 13.

Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

Eorum doli & fictæ criminationes.

14. Mala Christo principes sacerdotum inquirebant, quando falsum testimonium contra eum, sicut Evangelica lectio testatur, quærebant. Et omnibus inquisitis, *locuti sunt vanitates*. Dicit enim Evangelista, *quia non erat conveniens testimonium ipsorum*, sicut illorum qui dicebant: *Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & in tribus diebus readificare illud*. ET *dolos tota die meditabantur*. Non enim casu aut ignorantia peccaverunt, [a] qui scienter mendacia confinxerunt. Graviori ergo pœna plectuntur, quia eorum delicta qui ex præcipitatione

Marc. 14.59 Matth 26.61

a Rembol. *qui concinnere*.

corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt, sicut in eadem passione sua Veritas ait: *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Et alibi: *Si non venissem, & loquutus ei fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Et iterum: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt, & me, & Patrem meum*. Tribus namque modis peccatum admittitur: aut ignorantia incurritur, aut infirmitate committitur, aut studio perpetratur. Sed sicut gravius est infirmitate, quam ignorantia delinquere, ita pejus est studio, quam infirmitate peccare. Ignoranter quidem Paulus peccaverat, qui dicebat: *Qui prius fui blasphemus & persecutor, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*. Per infirmitatem vero Petrus cecidit, quando mentis suæ ædificium, fidei fundamento titubante concussit. Et quia subire mortem pertimuit, ad ostiariæ vocem, vitam negavit. Unde post fletum amaritudinis a Domino respicitur: quia electi quique eo citius miserationis divinæ divitias inveniunt, quo se, si quando per carnis infirmitatem deliquerunt, durius & amarius affligunt. Ex industria autem Judæi peccaverunt, qui eum quem inaudita miracula facientem videbant, execrabilis invidiæ facibus accensi, ut morti traderent, consilium quærebant. Unde excusationem de peccato suo non habent: quia etsi malum sit bona non agere, tamen nequius est bonorum acta odisse.

Joh. 19.11

Joh. 15.22

Ibid. 24

Tribus modis peccatur.

1. Tim. 1.13

Luc. 22. 61

Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

Vers. 14.

15. Disce qui maledicta & irrisiones pateris, in omnibus servare patientiam, & obtrectantium linguas audire. Dissimula, ne si tu contumeliis convicia retuleris, a doctrina Christi extorris inveniaris. Mediator namque Dei & hominum homo Christus Jesus, qui ad hoc venerat, ut humilitatis & patientiæ præberet exemplum, non solum injurias sustulit, sed nec convicantibus respondit: nos in hoc instruens, ut cum perfidorum injuriis impetimur, etiamsi vera dicere possumus, ad contumelias reddendas non erumpamus, ne ministerium correptionis in arma vertamus furoris.

A Christo patientiam discamus.

1. Tim. 2. 5

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Vers. 15.

16. Sicut homo non audiens erat, cui nihil ad objecta respondenti, Pilatus dicebat: *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?* Qui cogitationes iniquorum noverat, blasphemantium voces non audiebat. Nulla enim blasphemia eum movere poterat, qui penitus omnem mutabilitatem ignorat, & qui posset eis vera pro falsis respondere; ut adimpleretur quod de eo per Prophetam scriptum est: *Tamquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum*. Redargutiones enim in ore suo Christus non habebat, qui unde eos reprehenderet, nihil in cordibus, nihil in actibus eorum laudabile videbat. In ore redargutiones non habebat, qui unde eos reprehenderet, in promtu habebat, & in ore suo habebat unde posset eos redarguere, ex quo nullus umquam potuit mendacium audire.

Accusatus siluit. Matth. 27.13

Isai. 53. 7

Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

Vers. 16.

17. Quasi dicat: Ideo omnia patienter sustinui, ideo ad eorum contumelias non respondi, *quoniam in te Domine speravi*. TIBI *enim Domine revelavi causam*

In Deo solo sperandum & confidendum.

Jerem. 20. 12

causam meam: in te Domine speravi; non in sapientia seculi, non in divitiis mundi, non in viribus corporis, non in nobilitate carnis; non in tutamento principum, non in præsidiis amicorum. Verba sunt hæc Christi secundum humanam naturam. Sic ergo & membrum Christi, si quando persecutionibus affligitur, si flagellis atteritur, si conviciis provocatur, illum qui propositus est nobis forma justitiæ, in omnibus imitetur: non deficiat si causa sua non auditur apud terrenum judicem, sciens quoniam conscium habet in excelsis regem cælestem. Speret, quia si in hoc seculo immerito accipit damnationis sententiam, a Deo accipiet in cælo coronam. Sciat quia retributionis æternæ gaudium nequaquam in cælo colligitur, nisi prius in terra cum fletu & gemitu & amaritudine seminetur, sicut scriptum est: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Sicut enim carne quiescente spiritus deficit, ita ea laborante convalescit. Et quemadmodum carnem mollia nutriunt, ita animam dura ad alta sustollunt. Illa namque delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Denique illam lenia refovent, istam vero aspera exercent. Et rursum, sicut carnem dura convulnerant, ita spiritum mollia necant. Et sicut carnem laboriosa attenuant, ita spiritum delectabilia angustant. Nos ergo quanto graviora in hoc mundo tentamenta perferimus, tanto spei nostræ anchoram in Deo immobilius figimus; ut dicere veraciter cum capite nostro possimus: *Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus*.

Job. 16. Patientiæ incentiva.

Psal. 125. 6.

B

C

Vers. 17.

Quia dixi, Ne quando supergaudeant mihi inimici mihi: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt:

Christi de Judæis victoria.

18. Gavisi sunt Judæi occiso Christo; sed non sunt ei supergavisi, quia in causa mortis ejus ipso sunt inferiores inventi. Qui enim ut a morte redimeret hominem, mortis legibus subjacuit, tertia mox die victoriosissime a mortuis surrexit. Hoc est quod ante omnia secula clementissimæ dispensationis moderamine sapientia Dei statuerat: hoc est quod caro sine contagione peccati assumta evidenter rogabat, cum diceret: *Pater, clarifica Filium tuum*. Hoc etiam multo ante tempore per Prophetam manifestaverat, dicens: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ipse enim dixit, & facta sunt*. Sequitur: *Et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt*. Pedes dicti sunt Apostoli: quia sicut pedes corpus deferunt, ita Apostoli Christum in omnium gentium notitiam detulerunt; juxta quod scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum*. Qui nimirum commoti sunt, quando eum quem pati viderunt, esse filium Dei dubitaverunt; sicut ille qui dicebat: *Nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel*. Pedibus ergo commotis, super Christum inimici ejus magna locuti sunt; quia Apostolis conturbatis & fugientibus, Judæi illum reum esse mortis judicaverunt.

Johan. 17. 1.

D

Psal. 15. 10.

Psal. 32. 9.

Ejus pedes, Apostoli.

Psal. 18. 5.

Luc. 24. 21.

E

Fidelis animæ hostes interni & externi.

19. Possunt quoque hæc verba fideli animæ convenire. Habet namque fidelis anima inimicos suos in hac vita; habet qui contra eam interius dimicent; habet etiam qui eam extrinsecus impugnent. Sed super eam inimici gaudere non valent: quia consilii spiritus & fortitudinis repleta, & suggestiones diabolicas abdicat, & rabiem persequentium calcat. Cujus affectus, si timore aliquo senserint qui persequuntur arcem intentionis, propositto promoveri: vel si cognoverint invisibiles hostes pravis eam suggestionibus delectari, tanto graviores tentationes ingerunt, quanto magis de victoria confidentes, quasi unum ingrediendi aditum invenerunt. Difficile enim inimico resistitur, si persuasionibus illius anima delectatur. Ideo ut non supergaudeant mihi inimici mei, confido.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper. Vers. 18.

Persecutionum quas patimur utilitas.

20. Malo enim occidi, quam vinci. Flagella libenter patior, persecutiones amplector, visitationes desidero, correptiones concupisco. Sancti viri in hac vita flagellari desiderant; ut flagellis correcti, & imminentes culpas videant, & commissas ante oculos ponant. Sæpe enim delinquentes oculos flagella aperiunt, quos inter vitia insolentiæ & securitatis tenebræ concludunt. Sæpe torpentis animus persecutionibus tangitur ut excitetur: quatenus qui statum suæ rectitudinis per securitatem perdidit, in afflictione consideret quo pervenit. Sequitur: *Et dolor meus in conspectu meo semper*. Sicut causam reddidit quare visibiles inimicos non timeat, quasi imputet beneficio quod ipsi inferunt pro tormento: ita etiam quare versutias diaboli non timeat, subdendo manifestat: *Et dolor meus in conspectu meo semper*. Scriptum est enim: *Cor quod cognoscit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miscebitur extraneus*. Nam qui omnes vitæ præsentis ærumnas frequenter cogitat, quam sunt tranquilla quæ perdidit, quam confusa in quibus incidit, pensat: quia qui supernæ patriæ desideriis accensus, mundo nequam & concupiscentiis ejus moritur, nullis vanitatis mundanæ delectationibus occupatur. Prov. 14. 10.

Quoniam iniquitatem meam ego annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Vers. 19.

Optimæ confessionis ac pœnitentiæ leges.

21. Qui peccatum suum confitendo annuntiat, & pro ejusdem peccati satisfactione cogitare non cessat; quia nullam in mundo invenit requiem, in conspectu suo semper habet dolorem. Unde cum dixisset: *Dolor meus in conspectu meo semper*; quasi quomodo hoc fieri possit quæreremus, subjecit dicens: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo*. Hæc sunt namque veræ humilitatis testimonia, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis nuntiare, & nuntiatam pœnitentiæ satisfactione delere. At contra, omne pravorum hominum vitium est, & peccatum labendo committere, & commissum negando abscondere, & vulgatum defendendo multiplicare. Sciendum tamen est, quia peccata sua sæpe & reprobi confitendo aperiunt: sed quia novæ vitæ habitum immutare despiciunt, ea ipsa quæ confitentur, flere obstinati contemnunt. Electi vero culpas suas non solum voce confessionis denuntiant, sed etiam districtæ animadversionis eas fletibus abolere procurant. Ad pœnitentiæ namque se lamenta incitantes, occulta se increpatione dilaniant, & futuri judicii timore perculsi, si qua in eis adhuc male gesta lateant, diligenter investigant. Sæpe enim quod torpentes latuit, flentibus innotescit. Et qui reatum suum securi nesciunt, hunc in se contra se erecti deprehendunt. Cogitemus ergo & nos pro peccato nostro, & amara illud pœnitentiæ invectione persequamur; ne dum culpas nostras pensare negligimus, peccati pondus per negligentiam augeamus. Sequitur:

Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me inique. Vers. 20.

Cur Deus iniquos diu vivere finat.

22. Occulti dispensatione consilii, Conditor noster & culpas mortalium inspicit, & spatia vitæ disponit: ut diuturnæ vitæ tempora quibus justus utitur ad bene operandi auxilium, iniquus accipiat ad damnationis augmentum. Si enim accepta quis pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtus cum venerit judex, indulta misericordiæ spatia convertit ad pœnam. *Et confirmati sunt super me*. Ad hoc namque omnipotens Deus aliquando perversos patitur diutius vivere, ut & ipsi male viventes prava quotidie opera augeant, & contemtores seculi ex eorum nihilominus persecutione clarescant. Qui fastu superbiæ tumentes, eo se gravius adversus electos erigunt, quo in mundo eis cuncta ad votum succedunt. Nec intelligunt, quod in vita sua plerumque bona mali recipiant, & ideo eos aut raro, aut numquam adversa conturbant. Nam & iniquitatum suarum fautores perditos quosque eo citius ii tales inveniunt, quo mundi gloriam quæstu & muneribus quærunt. Unde & subditur: *Et multiplicati sunt qui oderunt me inique*. Nihil est iniquius, quam odium pro dilectione rependere, mala pro bonis retribuere, pro correptione injurias respondere. Quod plerumqne mali faciunt, cum justos qui eorum salvationem appetunt, execrabilis nequitiæ percussionibus affligunt. Atque ideo subjungit:

Vers. 21. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem*.

Iniquorum adversus justos machinamenta.

23. Qui reddit mala pro malis, bonus non est. Qui non reddit bona pro bonis, ingratus est. Qui autem reddit mala pro bonis, iniquus est. Solent namque perditi homines bene viventibus invidiose detrahere, aut notam eis excogitati criminis infigere, aut puræ vitæ innocentiam, simulationem vocare. Quare autem hoc faciant, ostendit cum ait: *Quoniam sequebar bonitatem*. Bonitatem sequitur qui Christum imitatur. Cujus imitatores tanto in hac vita graviora tentamenta perferunt, quanto longius corde a mundo discedunt. Dicit enim Apostolus: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur*. (*2. Tim. 3. 12.*) Et alibi scriptum est: *Multæ tribulationes justorum*. (*Psal. 33. 20.*) Justi namque qui ea quæ Dei sunt, tota intentione desiderant; & supra mundum facti, mundana omnia quadam virtute dominationis conculcant, non solum in occulto cordis diabolicas infestationes tolerant, sed etiam perversorum malitiam decore suæ conversationis inflammant. Verum quia ad superandum nullus invenitur idoneus, nisi qui fuerit virtutis divinæ fortitudine roboratus: qui persecutorum flagellis atteritur, qui detrahentium dentibus mordetur; præsentiam & auxilium divinæ majestatis expostulat, ut ejus fultus præsidio, contra omnia quæ patitur adversa convalescat. Ait ergo:

Vers. 22. *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me*.

Ut vincamur Dei auxilio indigemus.

24. Illos proculdubio Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit. Necessario enim sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicumque a Deo fuerit derelictus. Qui ergo tentamenta diaboli metuit, qui pati in hoc seculo adversa pertimescit, ad Deum tota virtute se convertat: clamet ad Deum medullis cordis, & dicat: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus*. Quod verbum si cum affectu & desiderio sæpe replicare studuerit, puto quod quamdam in eo dulcedinem sentiet, quam sermo noster explicara non valet.

a Gilot. & Vatic. *tu me ab omni malo, auxilio, &c.*

A Sequitur: *Ne discesseris a me*. Sancta anima quæ solum Deum perfecte desiderat, precatur ut nec ad horam Deus ab illa discedat. Novit enim quia inter inimicos graditur: novit quia omni tempore diabolus sibi adversatur. Quia ergo omni tempore intelligit sibi imminere pericula, etiam momento temporis non potest esse secura.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. *Vers. 23.*

Quod assiduis precibus impetrandum.

25. Quasi dicat: Tu qui es adjutor in opportunitatibus in tribulatione, noli me velut alienum negligere, noli velut extraneum abdicare: immo *intende in adjutorium meum*, tuque me inter lethifera tentationum jacula protege, tu ab omni inimicorum incursione defende, tu in corde meo intelligentiæ lucem illumina, [a] tu me B auxilio tuæ virtutis circumda. Quod bene debes facere; quia *tu es Dominus Deus meus*. Te enim solum habeo Dominum, te solum confiteor Deum. Congruum ergo videtur, ut qui es restitutor salutis in primo parente perditæ, sis & conservator ejusdem in me per gratiam restitutæ.

PROOEMIUM

in quartum Psalmum pœnitentialem.

Cum venit Nathan Propheta ad David, quando intravit ad Bethsabee.

2. Reg. 12. *Pœnitentium speculum David.*

C NOta est historia de qua titulus iste sumtus est. David enim captus pulchritudine Bethsabee uxoris Uriæ, non solum cum ea carnaliter coiit, sed etiam occiso viro eam sibi in conjugem copulavit. Postea vero cum venisset ad eum Nathan Propheta, eumque suo judicio, inducta de ovibus similitudine, condemnasset, non solum peccatum celare vel defendere noluit, sed etiam confessus quod fecerat, ad dura se pœnitentiæ lamenta convertit. (*2. Reg. ibid.*) In Psalmo tamen nulla fit de historia mentio, sed magna cognoscitur animi dolentis affectio. Admonemur autem in hoc Psalmo prospera metuere, & contra omnem seculi felicitatem acrius vigilare. Sæpe namque præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta. Sicut enim per fletus ad gaudia ducimur, ita per gaudia ad fletum pervenitur. D Ille nempe qui dixit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*; ipsemet ait: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis*. (*Matt. 5. 5. Luc. 6. 25. 2. Reg. 24.*) Quis sanctior David? qui cum Saulis persecutionibus urgeretur, non solum persequentem occidere non voluit, sed ipsi persecutori, cum ipsum occidere posset, pepercit. Tanto enim in Dei misericordia spem suam fixerat, quanto miserabilius infirmitatem suæ tribulationis sentiebat. Verum ubi devictis hostibus, pressuris caruit, homicidium adulterio incaute securus adjecit. Admonemur etiam in hoc Psalmo carnales cupiditates restringere, & de Dei misericordia numquam desperare. Quisquis ergo desperans de venia, agere pœnitentiam dubitat, David pœnitentiam ad animum reducat. (*2. Reg. 12.*) Audiamus & nos E David clamantem, & nos cum eo clamemus: gementem, & congemiscamus. Audiamus flentem, & collacrymemur: correctum, & collætemur.

EXPOSITIO.

PSALMI QUARTI POENITENTIALIS.

Psal. 50. Vers. 3.

M*Iserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*.

Po-

Peccator graviter vulnerato similis.

1. Ponamus ante mentis oculos aliquem graviter vulneratum, & vix jam ultimos hujus vitalis auræ trahentem anhelitus, qui & nudus in sterquilinio jaceat, & vulnus nondum ligatum ostendat, advenientis medici desiderio confici, & agnitum ut sui misereatur precari. Vulnus enim animæ peccatum est: de quo dicitur: *Vulnus, & livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Agnosce interius, vulnerate, medicum tuum, & ei peccatorum tuorum vulnera detege. Audiat cordis tui gemitum, cui omne patet cogitationis arcanum. Moveant illum lacrymæ tuæ, & quadam illum importunitate quærendi, semper ad eum alta de profundo cordis suspiria educito; perveniat ad eum dolor tuus, ut dicatur etiam tibi: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Clama cum David; vide quid ipse dixerit: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Quasi diceret: Ingenti vulnere perielitor, quod nullus medicorum curare valeat, nisi medicus ille qui est omnipotens, succurat. Omnipotenti enim medico nihil est insanabile; qui sicut medetur sine pretio, ita salutem restituit verbo. Desperatem ergo de vulnere, si non præsumerem de omnipotente. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Quærant parvam misericordiam, qui ignoranter contrahunt culpam. Ego autem sicut graviter cecidi, ita etiam scienter peccavi. Sed tu, omnipotens medice, & contemtores corrigis, & nescientes instruis, & confitentibus ignoscis. Utinam, Domine Jesu, ad me misericordia motus digneris accedere, qui descendens ab Jerusalem in Jericho, proruens scilicet de summis ad infima, de vitalibus ad infirma, in Angelos tenebrarum incidi, qui non solum gratiæ spiritalis mihi vestimentum abstulerunt, sed etiam plagis impositis semivivum reliquerunt. Utinam peccatorum meorum vulnera, data mihi recuperandæ salutis fiducia, alliges, ne deterius sæviant si sanari desperent. Utinam oleum mihi remissionis adhibeas, & vinum compunctionis infundas. Quod si in jumentum tuum me imposueris, de terra inopem, pauperem de stercore suscitabis. Tu es enim qui peccata nostra pertulisti, qui pro nobis quæ non rapueras exsolvisti. Si in stabulum me Ecclesiæ tuæ duxeris, corporis & sanguinis tui me refectione cibabis. Si curam mei egeris, nec præcepta tua prætereo, nec frementium rabiem bestiarum incurro. Custodia enim tua indigeo, quamdiu carnem hanc corruptibilem porto. Audi ergo me, Samaritane, spoliatum & vulneratum, flentem & gementem, invocantem, & cum David clamantem: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

Isa. 1. 6. — *2 Reg. 12. 13.* — Quanta indigeat misericordia. — *Luc. 10.* — *Psal. 112.* — *1. Pet. 2.*

Vers. 2. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

Multis morbis laboranti subveniat miserationum multitudo. Misericordiæ & miserationis differentia & definitio.

2. Peccata mea magna sunt & multa, & ideo non solum magnam misericordiam expeto, sed etiam multitudinem miserationum tuarum requiro; ne pro aliquod metuo subeam supplicium, si unum solum non deleris peccatum. Per misericordiam, miserentis affectum intelligimus; per miserationem vero, ipsam misericordiæ exhibitionem signamus, juxta quod scriptum est: *Misericors & miserator Dominus.* Superfluum enim esset utrumque ponere, nisi esset varietas in significatione. Scire debemus quia nemo est insanabilior eo qui sibi sanus videtur. Illud enim est clarum venturæ salutis indicium, si incipit homo cognoscere semetipsum. Semetipsum autem David cognoscebat, A cum multitudinem miserationum quærebat. Dicat & peccator cum eo: *Secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Immensas & innumerabiles mundo exhibuisti misericordias, quando genus humanum de servitute diabolicæ tyrannidis eripuisti, & a peccatis suis in sanguine tuo electos tuos lavisti. Lavet sanguis iste peccatorum meorum maculas, qui totius mundi potuit delere offensas. Non postulo a te aurum, non lapides pretiosos, non laboribus & naufragiis exquisita commercia, non peregrinas merces de remotis terrenarum regionum multo ad nos discrimine delatas, quæ etiam fortium sæpe virorum mentes effeminant, & falsæ pulchritudinis imagine illectas captivant: verum quod omnibus his est præstantius B & pretiosius, remissionem peccatorum expeto. Quæ tunc vera esse probabitur, si addito fructu pœnitentiæ, gratiæ tuæ muneribus cumulatur. Quid enim mihi prodest malorum quæ feci impunitas, nisi etiam bene operandi subsequatur facultas?

Psal. 110. 4. — *Apoc. 5.*

Vers. 3. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.*

Non solum de maximis, sed de minimis etiam peccatis agenda pœnitentia.

3. Quid iniquius, quam alienam contrectare uxorem? Virum ejus nec scientem nec lacrymantem occidere? Et hoc quidem fecerat Propheta de gregibus ovium sublatus, de post fœtantes ad regni gubernacula assumtus, corporis fortitudine præditus, spiritalis gratiæ donis illuminatus. Qui tanto gravius ceciderat, quanto celsius & regni gloria & excellentia virtutum C ceteris præeminebat. Gloriæ namque præcedentis præconium, sequentis culpæ adauxit reatum. Tanto enim quisque gravius corruit, quanto antequam caderet, in conspectu Dei altius ascendit. Dicat ergo: *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Prosit mihi, Domine, quod cecidi: laventur cum hac macula notæ delictorum, quas hactenus neglexi. Sæpe namque dum quædam male gesta plangimus, ipsa vi amaritudinis ad discutiendos nos excitati, alia in nobis plangenda invenimus. Quæ admissa eo facilius oblivioni tradimus, quo ea vel nulla vel levia putamus. Sed succrescens amaritudo pœnitentiæ, non solum majora peccata cordi nostro congerit, sed etiam minima quæque ad memoriam reducit. Quæ omnia tanto obstinatius prosequimur, quanto omne mali- D tiæ germen vigilantius exstirpare de corde conamur. Lavatur ergo amplius, cui non solum quod in se punit peccatum dimittitur, sed etiam alia quæ obduxerat oblivio, nihilominus delentur. Aquæ, quibus diluitur iniquitas, dona sunt sancti Spiritus: quæ quasi torrens de supernis venientia, sicut electorum corda ut germinent irrigant, ita etiam ab omni iniquinamento carnis & spiritus emundant. De hoc quippe torrente scriptum est: *Fulminis impetus lætificat civitatem Dei.* Et *a peccato meo munda me.* Inquinavit me facinorum colluvies, polluit peccati contagium: sed ad fontem confugio misericordiarum. Potens es me & ab iniquitate abluere, & a peccato mundare. Inique egi innocentem opprimens: E peccatum feci mihi ipsi non parcens. Sciebat enim Propheta, quia quicumque molitur lædere alium, prius proprio jaculo percutit semetipsum. Quid crudelius, quam semetipsum occidere? Si os mentientis occidit animam, quanto magis gladius ferientis extinguit vitam? Unde scriptum est: *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Et iterum: *Qui sibi nequam est, cui bonus erit?*

Quibus aquis lavantur peccata. — *Psal. 45. 5.* — *Eccli. 30. 24.* — *Eccli. 14. 5.*

Vers. 4. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.*

Ut peccata impunita sint, non rogandus Deus.

4. Quasi diceret: Scio quem invocem. Justum invoco, qui & peccata odio habet, & ista impunita non dimittit. Sicut ejus misericordiam expeto, ita etiam justitiam ipsius attendo. Non sic postulo misericordiam accipere, ut velim ab eo justitiam suam auferre. Nolo ut peccatum meum remaneat impunitum. Sic misericordia est ut peccanti ignoscat; sic justitia est ut peccatum impunitum non transeat. Sed quia peccatum meum ego ipse paveo, ideo ut tu me non punias tam vehementer, exoro. Ideo agnosco, ut tu ignoscas. Ergo miserere mei, lava, munda, *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco: & peccatum meum contra me est semper*. Non posui super dorsum quod feci, non intueor alios oblitus mei. Non affecto de oculo fratris festucam ejicere, & trabem quæ in oculo meo est, non considerare. *Peccatum meum contra me est semper*. Quicumque misericordiam Dei invenire desiderat, necesse est ut jam graviter peccata agnoscat, puniat culpas fletibus, faciem Domini in confessione præveniat, ponat ante cordis oculos & culpas operis, & ultimæ terrorem animadversionis: penset [a] quam discretus judex veniat, qui ideo peccatores sustinet, ut eis conversis minus inveniat quod condemnet. Ascendat tribunal mentis suæ, constituat se ante se, videat fœditatem suam ut corrigat, ne volens tandem videat & erubescat. Sit sibi judex incorruptus, torqueat eum timor, erumpat confessio, ut cum Propheta possit dicere Deo: *Iniquitatem meam ego cognosco*.

Peccatum non in dorsum rejiciendum, sed ante oculos ponendum.

Vers. 5. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.*

Deus solus juste peccata ulciscitur.

5. Homo homini non peccat, quia eum aut par aut gravior culpa inquinat. Deus solus juste peccata ulciscitur, quia ipse solus est, in quo non potest inveniri quod puniatur. Quia ergo solus Deus parcit, solus juste judicat; ipsum solum offendit qui peccat. Quo enim se quisque peccando dissimilem Deo facit, eo tremendam superni judicis majestatem offendit. Clamet ergo ad Deum peccator, clamet iniquitatum suarum conscius, clamet medullis cordis, & dicat: *Tibi soli peccavi*, quia tu solus es sine peccato: *& malum coram te feci*. Ab aliis quidem peccatum meum ignorari potuit, te autem latere nequivit. Penetrabilior enim omni gladio ancipiti, penetras usque ad divisionem animæ & spiritus, artuum quoque & medullarum, & discretor es cogitationum cordis. Nulla creatura in conspectu tuo est invisibilis: quia omnia nuda & aperta sunt oculis tuis. In tantum es sine peccato, ut etiam *justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris*. Scribit Apostolus, dicens: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax; sicut scriptum est: ut justificeris in sermonibus tuis*. Si Deus verax est, necessario in verbis suis justus est. Nam si in sermonibus suis falsa veris insereret, justus omnino non esset. Sed absit a fidelium cordibus, ut esse in Deo mendacium putemus. *Fidelis enim est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*, sicut ipse etiam ait: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Deum ergo veritas justificat, hominem vero mendacium condemnat. Sequitur: *Et vincas cum judicaris*.

Hebr. 4. 13. Rom. 3. 4. Psal. 144. 13. Matth. 24. 35.

A Davide præscita Verbi incarnatio.

6. Prævidebat Propheta Deum in carne venturum, qui humano condemnandus esset judicio, ut æternæ mortis homo careret tormento; ideoque ait: *Et vincas cum judicaris*. Quasi diceret: Omnes qui judicati sunt, etiam si multum fuerint in virtute provecti, non omnino injuste subierunt judicium; quia antequam judicarentur, aliquo modo commiserunt peccatum: tu vero cum mortis injustæ sententiam acceperis, quia solus homo inter homines ab omnibus peccatis es immunis, vincis ergo omnes judicatos, cum judicaris: vel tu Deus Pater in Filio, vel tu Deus Verbum in homine assumto. Quod tamen intelligi & aliter potest, quasi dicat: Ideo ut miserearis precor, ut laves, ut mundes: *ut justificeris in sermonibus tuis*, id est verax appareas in promissis. Promisisti enim justis regnum æternum, & virtutum amatoribus vitæ æternæ bravium præparasti. Sed nisi me & alios justifices, non poteris invenire quos non damnes. Justifica ergo me, *ut tu justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris*. Judicant te, qui negant post lapsum reparationem fieri, & remissionem peccatorum nemini dandam adstruunt. Quos, si mihi peccatum remiseris, velut fabricatores mendacii & perversorum dogmatum cultores superabis. Vel justifica me, *ut justificeris in sermonibus tuis*. Promisisti enim quod de stirpe mea carnem sis assumturus: sed si me de tanto non emundes scelere, de cujus semine carnem assumas videor indignus. Tu enim es qui dixisti: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Lava me ab iniquitate, ne sim fraudatus a promissione. *Et vincas cum judicaris*. Judicatus Dominus vicit, quia unde in passione succubuit, inde majorem sui gloriam resurgendo manifestavit. Judicatus vicit; quia quorum ad tempus judicium moriendo subiit, eos justo judicio condemnatos æterna morte mulctavit.

Psal. 131. 11.

Vers. 6. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Peccatum originale per carnalem concupiscentiam propagatur.

7. Opus est, Domine, ut miserearis; quia ab ineunte vitæ primordio in peccati foveam incidi, & concupiscentiæ carnalis sordibus inquinata nativitatis meæ initia contraxi. Non in me illa, quam noviter admisi, sola viget iniquitas: habeo in me etiam ex veteri quod ignoscas. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*. Non ideo homines in peccatis concipiuntur, quia peccatum sit conjugibus commisceri: hoc enim opus castum non habet culpam in conjuge, quia nuptiale fœdus non exorbitat a fide. Deus enim copulam maritalem instituit, quando masculum & feminam in principio creavit. Qui quidem sine peccato filios ederent, si in paradiso positi, in Conditoris obedientia perstitissent. Sed quia a statu rectitudinis primus homo peccando corruit, peccati pœnam ad filios misit. Carnalis enim delectatio pœna peccati est; quæ ex radice peccati ita contrahitur, ut nullus absque illa in mundo generetur. Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Confiteatur ergo pœnitens de culpa [b] quod meruit, ut consequi valeat de venia quod cupit.

Gen. 1. 28. 1. Cor. 15.

Vers. 7. *Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Deus nullum sine vindicta delictum relinquit.

8. Ideo vias meas a principio arguo, peccata mea ego ipse condemno, quia veritatem dilexisti. Veritatem Deus diligit; quia sine ultione delictum non deserit. Aut enim hoc homo in se puniens persequitur, aut postmodum Deus districto examine ulciscitur. Sive ergo sit magna sive parva iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur a Deo judi-

a Suspicor legendum, *quam districtus*, quod sæpius apud Gregorium legitur, & huic loco maxime convenit, ubi de severitate summi judicii agitur.

b Remb. *quod meruit*.

judicante; sicut per quemdam sapientem dicitur:

Job 9. 28.

Sciens quia non parceres delinquenti. Delinquenti non parcitur, quia sine vindicta peccatum non relaxatur. Veritatem itaque Deus diligit, quia justum judicium non pretermittit. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Qui non est securus de munere veniæ, non est vehemens in executione vindictæ. Et quidem ante adventum Christi incertum fuit, si graviter lapsi possent habere veniam, & peccatorum remissio complures latuit: sed David qui Redemtorem mundi ut peccata tolleret, futurum præviderat, de peccatorum indulgentia mon dubitat. Non ignorabat opus sapientiæ Dei a seculis absconditum, ante omnia tempora dispositum, exhibitum in fine seculorum. Dei namque sapientia Filius Dei est, de quo scriptum est: *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. Ipse est *per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil*. Ipse est de quo Propheta dicit: *Omnia in sapientia fecisti*. Dignum autem fuerat ut per eum fieret remissio, per quem facta fuerat creatio: & ipse esset largitor gratiæ, qui fuerat omnibus auctor naturæ. Quam remissionem sicut in tempore gratię confitentibus tribuit, ita ante adventum suum eum expectantibus prærogavit. Hæc sunt incerta & occulta divinæ dispositionis consilia, omnibus gentibus per Dei sapientiam ultimis temporibus revelata. Quæ quia David per spiritum cognoverat, de Dei confidenter misericordia præsumebat. An non Ninivitis incerta erant, qui pœnitentiam agentes super prædicatione Jonæ, hæsitando dicebant: *Quis scit si convertatur & ignoscat Deus?*

A Deo tamen remissio peccatorum.

1. Cor. 1. 24.
Johan. 1. 3.
Psal. 103. 24.
Jonæ 3. 9.

Vers. 8.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

9. Hyssopus est herba humilis, saxo quidem adhærens, & parum utilitatis in seipsa sui facie ostendens, quæ tamen pulmonis inflationem deprimit, & virtutis suę acrimoniam si conteratur, ostendit. Quid ergo per hyssopum, nisi Christi humilitas designatur? Ipsa est enim quæ omnem in nobis reprimit contumaciam, sicut herba illa pulmoni inflato adhibet medicinam. Quis etenim jam dedignetur in mundo se pro Deo abjicere, cum audiat Dei Filium opprobria & derisiones subiisse? Quis supplicium pro Deo perpeti arbitretur dedecus, cum ipse Rex regum & Dominus dominantium morte turpissima propter nos sit condemnatus? Presertim cum ipse sit nobis positus forma justitiæ, cujus & audire imperia, & sequi debeamus exempla; sicut ipse in Evangelio ait: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde*. Juxta Legis quoque testimonium inquinatos mundabat ejusdem herbæ fasciculus, vaccæ rufę cruore intinctus. Quid autem per vaccam, nisi ad sacrificium assumta incarnationis Dominicæ infirmitas designatur? Sicut enim per masculinum sexum solet fortitudo intelligi, sic & per femininum potest infirmitas designari: & de eo scriptum est: *Quia etsi mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*. Ipse est enim summus Pontifex noster, qui in ara crucis pro totius mundi sanitate, sui corporis hostiam obtulit. Pontifex videlicet futurorum bonorum, qui per proprium sanguinem in sancta, æterna redemtione inventa, semel intravit. Hæc autem vacca rufa dicitur, ut in ea sanguinis Christi robur evidenter demonstretur. De quo in Canticis canticorum Sponsa loquitur, dicens: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*. Candidus nimirum ex divinitatis specie, rubicundus ex passionis cruore. Hac itaque hyssopo ille solummodo aspergitur, qui vias Dominicæ passionis imitatur. Sanctificatur vero aspersus, sicut per Paulum dicitur: *Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Sequitur: *Lavabis me, & super nivem dealbabor*. Quemadmodum corpus aqua lavat a squaloribus sordium, ita gratia sancti Spiritus animam purgat a maculis peccatorum. Quod vero ait: *Et super nivem dealbabor*; ostendit quia nulla pulchritudo quæ inest corpori, valet decori sanctæ animæ comparari. Quid namque in corporibus nive candidius? Et tamen qui vias passionis Christi sequitur, super nivem dealbatur. De Sanctis etenim scriptum est: *Justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum*. Quis vero ignoret solem nive candidiorem? Præterea candor nivis cito præterit, decor autem Sanctorum in æternum manebit.

Christi humilitatem & passionem imitando, veniam consequimur.

Apoc. 19.
Sap. 2.
Matth. 11. 29.
Num. 19.
2. Cor. 13. 4.
Hebr. 9.
Cant. 5. 10.
Hebr. 9. 13.
Matt. 13. 43.

Vers. 9.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

10. Tunc quidem verum & inæstimabile gaudium habituri sunt Sancti, cum impiis æterna morte mulctatis, & in horrendam perpetui cruciatus voraginem per extremæ damnationis sententiam missis, audituri sunt: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*. In eo autem quod ait: *Gaudium & lætitiam*; duplicem Sanctorum venerationem intelligo: qui visionis claritate in illa die, quantum cogitare non possumus illustrati, sicut animarum perfruentur beatitudine, ita etiam corporis vestientur incorruptione. De ipsis enim scriptum est: *In terra sua duplicia possidebunt*. Sancti etenim viri mundi gloriam mentis despectu calcantes, omnes in se carnales voluptates mortificant, ut in Deo postmodum perenniter vivant. Qui quoniam mundi miserias pro Deo pati minime refugiunt, beatitudinis æternæ retributionem acquirunt. Quæ nimirum beatitudo & animabus eorum ante resurrectionem tribuitur, & corporibus nihilominus post judicium confertur; sicut in Apocalypsi Johannes Apostolus scribit, dicens: *Vidi sub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine, sanctus & verus, non vindicas sanguinem nostrum, de his qui sunt in terra? Et data sunt eis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conversorum & fratrum ipsorum, qui interficiendi sunt sicut & illi*. Quid namque est singulas illis stolas albas tribuere, nisi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid vero est, donec electorum numerus impleatur requiescere, nisi futuræ resurrectionis gloriam expectare? In qua nimirum iterum singulas stolas albas accipient; quia immortalia & incorruptibilia corporum suorum vestimenta resument. Quia ergo sancti viri ad æternæ felicitatis præmia non solum anima sed etiam corpore post judicium transeunt, recte de eis dicitur, quia in terra sua duplicia possidebunt. Hujus incrementa felicitatis Propheta intuens, ait: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam & exultabunt ossa humiliata*. Animarum nostrarum ossa virtutes sunt, quæ nimirum in hac vita humiliantur, quia assiduis tentationum impugnationibus indesinenter turbantur. Tentatio enim est vita hominis super

Duplex Sanctorum beatitudo, animæ scilicet ac corporis.
Matt. 25. 34.
Isai. 61. 17.

Animabus sanctis beatitudo ante resurrectionem confertur.
Apoc. 6. 9.
Isai. 61.
Psal. 3. 12.
Psal. 2.
Psal. 5.
Job. 7.

per terram; in æterna autem vita non solum invictæ potestatis accipient fortitudinem, sed etiam nullam vitiorum adversantium sentient impugnationem.

Vers. 10. *Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*

Peccata nostra præ oculis semper habeamus, ut ut ab ipsis Deus oculos avertat.

55. Quia peccata sua semper habet præ oculis, merito rogat ut Deus faciem suam avertat ab ipsis. Superius nempe Propheta dixerat: *Peccatum meum contra me est semper.* Qui ergo peccatum suum semper videbat, continuum pro eo dolorem in corde gestabat. Et ideo oculos ab ejus peccato Deus avertit, quia ipse illud sine cessatione animadvertit. Non enim Deus eorum peccata ulciscitur, qui in oculto cordis de pravorum operum memoria affliguntur. Qui nimirum ad hoc semetipsos judicant, ut terribile omnipotentis judicium evadant, juxta illud Apostoli; *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* (1. Cor. 11. 31.) At contra reprobi, quia ea quæ commiserunt, nequaquam conspiciunt, actus suos a conspectu judicis non abscundunt. Et quanto magis errores suos ipsi considerare refugiunt, tanto magis eos conspectui divinę majestatis opponunt. Delinquentium autem mala Deus videt, non ut approbet, sed ut condemnet: non ut foveat, sed ut puniat: non ut semper patiatur, sed ut in judicio ulciscatur. Denique *oculi Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* (Psal. 33. 17.) Gravis ultio, non solum de terra mala facientes expellere, sed etiam omnem penitus memoriam eorum abolere. Consideremus ergo mala quæ fecimus, & ea ante mentis oculos sine intermissione ponamus: ne cum ante judicis illius conspectum venerimus, tunc primum quidquid gesserimus, nolentes videamus. Impœnitenti enim Deus terribiliter minatur, dicens: *Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* (Psal. 49. 21.) Similis tui essem, si peccatum tuum impunitum dimitterem. Tu enim illud non solum non vis punire, sed & post tergum projicis, ne possis videre. Ego autem qui illud video, quid faciam? Numquid impunitum dimittam? Judex sum & justus, judex sum & ultor iniquitatum. Quomodo ergo injuste judicabo? Quomodo veritatem mendacio mutabo? Tacui, numquid semper tacebo? Tacui, quia misericordiam prærogavi. Iniquitatem tuam dissimulavi, tempus pœnitentiæ indulsi. Sed numquid semper tacebo? Immo *arguam te, & statuam contra faciem tuam.* (Ibid. 21.) Arguam quidem te de mendacio, quando cordium consilia manifestabo. A peccatis tuis avertis oculos tuos, & quamdam tibi vanæ spei securitatem promittis. Et quia ipse te non vides, quod nec ego te videam suspicaris. Putas quod te non videam fornicantem, quem video adulterium cogitantem? Ex hoc itaque te arguam, & statuam contra faciem tuam. Si nos vis hic attendere faciem tuam, faciam ut agnoscas miseriam tuam. *Et omnes iniquitates meas dele.* Per Prophetam Dominus dicit: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autem memor esto, & judicemur.* (Isai. 43. 25.) Audi qua conditione iniquitatum tuarum se esse immemorem dicat, videlicet si tu memor fueris. Cave ergo ne umquam quod deliquisti, a memoria tibi excidat, aut aliqua oblivione peccata tua obliteres: ne si carnalium voluptatum illecebris captus, iniquitatum tuarum memor non fueris, dicatur tibi in tempore necessitatis: *Projecisti sermones meos retrorsum.* (Psal. 49. 18.)

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis. *Vers. 12.*

52. In Evangelio scriptum est: *Beati mundo corde.* (Matt. 5. 8.) *Cor quomodo mundandum.* Si illum qui ab omni peccato mundus est, in cordis nostri hospitio habere volumus, oportet primo ut illud ab omni vitiorum sorde purgemus. Emundemus ergo interiora mentis nostræ, & diligenter peccatorum nostrorum secreta scrutemur, ne ex affectu nostro peccati delectatio pullulet; ne turpe desiderium cor in occulto titillet, ne passionum ex eo contentiones prodeant, ne perversarum cogitationum dispensationes aliquando erumpant. Templum enim Dei non potest esse pollutum, quia scriptum est: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* (1. Cor. 3. 17.) Verum *quis gloriabitur mundum se habere cor, aut immunem esse se a peccato?* (Prov. 9. 20. sec. Septuag.) Si Propheta pollutum labiis se esse asserit, cujus os Seraphim carbone quem susceperat de altari, purgavit: (Isai. 6.) quid dicturi sumus nos, quos luxuria inquinat, invidia angustat, ambitio præcipitat, superbia exaltat? Non est enim virtutis humanæ ita ab illicitis motibus mundare animum, ut perstrepentium voces non sentiat cogitationum. Sed quia Deo nihil est impossibile, clamemus ad Deum tota virtute: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Et spiritus innovandus.

53. Vide ordinem: primo cor mundum, deinde spiritum rectum Propheta a Deo requirit. Prius enim abrenuntiandum est tibi omni peccato, & omnis a corde vitiorum fœditas eliminanda; ut omne quod agitur aut dicitur, eo purum in conspectu Dei ac lucidum appareat, quo ex bonę intentionis origine quasi de puro quodammodo fonte manat. Quomodo enim poterit esse perspicuum, quod in ipsa origine fuerit vitiatum? Scriptum est enim: *Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* (Matth. 12. 35.) Omnibus igitur carnalibus desideriis a corde exclusis, pete a Deo ut spiritum rectum renovet, ne forte spiritus ille immundus inveniens domum de qua exivit vacantem, assumtis aliis septem nequioribus se, cum eis ibi habitet, & fiant novissima tua pejora prioribus. (Ibidem.) Hæc est autem spiritus recti innovatio, ut omnem mundi gloriam mente despicias, mentem medullitus in Conditoris tui amore infigas, illatis contumeliis patientiam custodias, & custodita patientia dolorem a corde repellas, omnibus te per humilitatem inferiorem deputes, de morte inimici nullatenus exultes, aliena non ambias, propria egentibus distribuas, amicum in Deo, & inimicum propter Deum diligas, in afflictione proximi teipsum per compassionem affligas. Hæc quidem est illa spiritus innovatio, quam persuadet Apostolus, dicens: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* (Ephes. 4. 23.) Et iterum: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, & ecce facta sunt nova.* (2. Cor. 5. 17.) Ad veterem quippe hominem pertinet, mundi hujus gloriam concupiscere, animum a Deo avertere, patientiam non servare, opportunitatem vindictæ exquirere, melioribus quibusque despectis superbire, aliena diripere, propria retinere, nullum propter Deum diligere, de inimici morte gaudere. Hæc autem omnia ille respuit, qui Deum induit, quique in novitate vitę ambulare contendit.

Ne projicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. *Vers. 13.*

54. A facie Dei projicitur, cui spes veniæ post peccatum negatur. *Qui enim peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo,* (Matt. 12. 32.)

neque

In Spiritum ſanctum peccat, qui de peccati remiſſione deſperat. Matth. 3. 11 Ibidem.

neque in futuro. Quis eſt autem qui peccat in A Spiritum ſanctum, niſi qui non credit remiſſionem peccatorum? Remiſſio enim peccatorum, opus Spiritus ſancti eſt. Nam & de baptiſmo Christi, in quo remiſſio peccatorum danda erat, dixit Johannes: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne*. Unde etiam ſuper baptizatum Dominum in columbæ ſpecie Spiritus ſanctus deſcendit; ut ex hoc aperte oſtenderet, quia ſpiritalis gratia per lavacrum baptiſmatis credentium corda mundaret. An non in Spiritum

Geneſ. 4. 13.

ſanctum Cain peccavit, quando dixit: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear?* Et quia de venia deſperavit, ideo dixit: *Ecce ejicis me a facie tua*. De quo & poſtea ſubditur, quod egreſſus ſit a facie Domini. Vides quemadmo- B dum ille qui in deſperationis foveam labitur, a facie Dei projicitur. *Et ſpiritum ſanctum tuum ne auferas a me.* Attende qualiter poſtulat, ne ſpem veniæ poſt peccatum amittat. Ubi ſpiritus ſancti præſentia eſt, ibi deſperatio eſſe non poteſt. Fides enim in ſpiritu datur, ſicut Apoſtolus ait: Denique *ipſe poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. *Et nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu*. Nam in eo clamamus: *Abba pater*; quia ſcriptum eſt: *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*.

Rom. 8. 26. 1 Cor. 12. 3. Rom. 8. 15. Johan. 4. 23.

Verſ. 13.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

David ne ſibi propter peccata negaretur promiſſus Chriſtus, timuit. 2 Reg. 12.

15. Lætabatur Propheta de adventu Filii Dei antequam peccaret; & certus quod de ſuo naſci- C turus erat ſemine, antequam laberetur, gaudebat. Sed poſtquam uxoris Uriæ amore deceptus modum in peccando non habuit, ne ſibi Deus hoc offenſus ſubtraheret, quod antea placatus promiſerat, formidavit. Ideoque ait: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*. Salutaris quis eſt, niſi Dei hominumque Mediator? De quo, iſte idem Propheta in perſona Dei Patris dixerat: *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo*. Exurgere enim dicitur Deus Pater, cum Filium miſit: qui quaſi jacere viſus eſt, cum ſervos miſit. Illi etenim neminem ſalvare potuerant; ſed *filius hominis venit quærere, & ſalvum facere quod perierat*. Ideoque perfectam & manentem D ſalvationem in eo ſe poſiturum adſtruit, & in eo fiducialiter ſe dicit agere, quem conſtat nihil omnino peccati habuiſſe. Qui enim gravium ſibi conſcius eſt delictorum, non poteſt fiducialiter agere; quia poterit eum vel ille quem corripit reprehendere, vel conſcientia propria remordere. Redemtor vero noſter eo libere loqui potuit, qui numquam peccati maculam ex nativitate, vel etiam ex operatione contraxit. Unde turbis Judæorum & principibus ſacerdotum invidentibus & detrahentibus ipſe dicebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Fiducialiter ergo agebat, quem in nulla conſcientia accuſabat. Nam & de eo ſcriptum eſt, quod *erat docens tanquam poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi*. Hujus ergo ſalutaris ſibi reddi lætitiam David poſtu- E lat, in quo omnis ante adventum ipſius electus ſperabat.

1. Tim. 2. Pſal. 11. 6.

Luc 19. 10.

Johan. 8. 46.

Matth. 7. 29.

De accepta venia ſic lætemur, ut de culpa ſemper formidemus.

16. *Et ſpiritu principali confirma me.* Solet quibuſdam contigere, ut dum ſe purgatos per ſatisfactionem reputant, ab internæ mentis cuſtodia animum reſolvant. Qui quidem ipſa ſua elatione depreſſi, eo deterius corruunt, quo ſibi de indulgentia blandientes, vanæ ſpei ſecuritatem promittunt. Inde eſt quod propheta exorat, dicens: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*. Non dicit lætetur, ut ſecurum ſit; ſed lætetur, ut timeat. Ac ſi aperte dicat: Ita me correctum facito gaudere de venia, ut tamen numquam deſinam eſſe ſuſpectus de culpa. Sic & in hoc loco, poſtquam ſibi reddi ſalutaris Dei lætitiam petit, ne ſibi dimiſſus ad deteriora proruerit, illico adjunxit: *Et ſpiritu principali confirma me*. Sciebat enim quia infirma eſt omnis anima, niſi ſancti Spiritus fuerit virtute firmata. Nam & de Apoſtolis dictum eſt: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Quid enim cælorum nomine, niſi ſancti Apoſtoli deſignantur? Qui nimirum verborum imbribus terram cordis noſtri inebriant, venturi judicii minis & terroribus intonant, miraculorum ſignis & operum ſanctitate coruſcant. Denique ipſi ſunt, qui enarrant gloriam Dei. Quibus profecto tunc Spiritus virtutem tribuit, cum in igneis linguis apparens, in cordibus eorum divini flammas amoris accendit. Quod quidem aperte cognoſcere poſſumus, ſi quales ante, quales poſt adventum ſancti Spiritus fuerunt, perpendamus. Qui enim ad paſſionem tendentem magiſtrum fugientes reliquerant, poſtmodum per adjunctam ſancti Spiritus gratiam roborati, conſtanter & publice nomen Chriſti prædicabant. Nam ut reliquos prætermittamus, ipſe Apoſtolorum princeps qui mori metuens vitam negaverat, cum facto conventu, cæſis Apoſtolis, ſacerdotes & Scribæ ne in nomine Chriſti loquerentur, prohiberent, aiebat: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Cælorum igitur virtus de Spiritu ſancto eſt, quia per infuſam ſancti Spiritus gratiam facti ſunt in Chriſti confeſſione fortes Apoſtoli, qui prius fuerant ex fragilitate carnis infirmi. Niſi enim promiſſa chariſmatum dona illi Dominici gregis Paſtores ſuſciperent, eorum corda nullo virtutis decore claruiſſent. Hæc namque virtus Spiritus, ſicut ab omni pœnarum & mortis timore quos repleverit efficit liberos, ita ab omni diabolicę redddit tentationis incurſu ſecuros. Merito ergo cui ſalutaris Dei in remiſſionem peccatorum lætitia redditur, poſtulat ut in vera innocentia ſpiritus principalis virtute confirmetur.

Hominis infirmitas, niſi Dei virtute roboretur. Pſal. 32. 6.

Pſal. 18.

Act. 2.

Matth. 26.

Ibidem.

Act. 5. 29.

Verſ. 14.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.

Peccatores converſi, alios ad pœnitentiam vocare curant. Act. 9. 15.

17. Illos divina clementia a peccatis per remiſſionem efficit liberos, quos prævidet utilitati Eccleſię poſt converſionem profuturos. Unde Ananiæ de Saulo dixit: *Vade, quoniam vas electionis mihi eſt iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael*. Magno igitur fructu dimiſſa ſunt illi a Deo peccata. Qui enim prius blaſphemus, & perſecutor, ac injurioſus extitit, poſtmodum plus omnibus laboravit. Propheta ergo qui deleri iniquitates ſuas, & Spiritu ſancto confirmari a Domino poſtulat, quod non ſine fructu hoc ſit futurum affirmat, dicens: *Docebo iniquos vias tuas*. UNIVERSÆ *viæ Domini miſericordia et veritas*. Miſericordia eſt, qua ſine ullis præcedentibus meritis, pœnitentibus veniam tribuit: veritas, qua poſt gratiam vocationis & venię, peccata impœnitentium punit. Ille ergo cui peccata dimittuntur, vias Dei iniquos docet, cum peccantibus ſi reſipuerint, exemplo ſui ſpem tribuit veniæ, & inconvertibilibus, niſi ad veniam redeant, infert timorem gehennæ. *Et impii ad te convertentur*. O quam utilis eſt peccatorum remiſſio, quæ converſos non ſolum a peccatis liberos efficit, ſed etiam alios a via impietatis & injuſtitię retrahit, flamma caritatis accendit

1. Tim. 1.

Pſal. 24. 10.

dit. Hæc est enim caritatis evidens probatio, ut cui per gratiam Dei contigerit a peccatorum vinculis eripi, ipse ex zelo justitiæ studeat ad spem veniæ delinquentes hortari. Nullum quippe tam gratum Deo est sacrificium, quam zelus animarum. Exerceat ergo se in via Dei, cui Deus peccata dimisit, & exemplo suo peccatores quosque ad pœnitentiæ confugere remedium admoneat. Non sit arbor infructuosa, aut otiosus operarius; sciens quia non solum mane venientibus ad vineam merces promittitur, sed etiam circa undecimam horam vocatis vitæ æternæ denarius præbetur.

Nullum tam gratum Deo sacrificium, quam animarum zelus.

Matth. 20.

Vers. 15. *Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ; & exultabit lingua mea justitiam tuam.*

18. Nisi primitus me a peccatis liberaveris, non potero aliis esse exemplum conversationis. Libera ergo me de sanguinibus, desideriis videlicet carnalibus, quæ militant adversus animam. *Caro enim & sanguis regnum Dei non possidebunt.* DEUS *Deus salutis meæ.* Nota in repetitione nominis magnum affectum cordis, quasi dicat: Merito te ut me salves invoco, quia tu solus es auctor salutis meæ. Nam *Domini est salus.* A te solo est salus, quia ab omnibus aliis est infirmitas, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Non salvatur rex per multam virtutem, & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* Denique, *fallax equus ad salutem.* Ex quibus verbis colligitur, quod nec ex divitiis temporalibus, nec ex corporali fortitudine salus acquiratur. *Et exultabit lingua mea justitiam tuam.* Justitia Dei, fides est, sicut scriptum est: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam;* quia *Justus ex fide vivit.* Si ergo justi vita fides est, consequens est eamdem fidem esse justitiam, sine qua quisque esse justus non potest. Hanc itaque Dei justitiam ille cum exultatione enuntiat, qui nec mundi hujus copiam cupiens, nec inopiam metuens, omnem hæreticam pravitatem impugnat. Vel justitia Dei est, quod non vult mortem peccatoris. Homini nampe justum videtur, ut suam ulciscatur injuriam: Dei vero justitia est confitenti relaxare offensam.

1 Petr. 2. *1. Cor. 15.*

Psal. 32. 16.

Gen. 15. 6. *Rom. 1. 17.*

Vers. 16. *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.*

19. Non aliter justitiam tuam proferre potero, nisi ut labia mea aperias. Tu es enim, qui ora superborum obstruis, & linguas infantium disertas facis. Hactenus os meum ego ipsa aperui, & ideo ex vaniloquio peccatum contraxi. Nunc vero ut tu aperias desidero, quia nihil nisi quod suggesseris loqui concupisco. Illius labia Deus aperit, qui non solum quid loquitur, sed etiam quando, & ubi, & cui loquatur, attendit. Sapientia namque Dei dicit: *Dominus dedit mihi linguam eruditam,* quando scilicet oporteat sermonem dicere. Merito ergo sapiens est, quia accepit a Domino quo tempore sibi loquendum sit. Unde non inconvenienter ait Scriptura: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus.* Hinc rursum scriptum est: *Ori tuo fac ostium & vectem, & in verbis tuis jugum & stateram.* Et fortasse hoc ostium sibi Propheta postulabat a Domino, cum dicebat: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Debemus enim os nostrum claudere, & diligentius observare, ne quis in iracundiam excitet vocem nostram, & contumeliam rependamus contumeliæ. Jugum etiam in verbis nostris esse & statera præcipitur, ut omne quod loquimur, & humilitate condiatur, & mensura ponderetur. Proferamus ergo sermones examinatos libra justitiæ, ut sit gravitas in sensu, modus in verbis, pondus in sermone. Nec prius loquendo os aperiamus quam expediat; sed examinemus verba nostra, si tacendum hoc, si dicendum adversus hunc, si tempus sit sermonis hujus, postremo si a virtute modestiæ non dissentiat. Nihil indecens, nihil inhonestum, nihil invidum sonans erumpat. Verum quia ad hæc omnia idonei esse non possumus, nisi hoc a largitore omnis gratiæ percipiamus, exclamandum est nobis cum Propheta: *Domine labia mea aperies; & os meum annuntiabit laudem tuam.* NON *est speciosa laus in ore peccatoris.* Ideoque Propheta indulgentiam peccatorum primum a Domino expetit, & postmodum laudem se Dei annuntiaturum esse promittit; nobis patenter innuens, quia illi soli laudis Dei possunt sentire dulcedinem, qui peccatorum suorum meruerint percipere remissionem. Unde scriptum est: *Rectos decet collaudatio.* Quid autem laudabilius in Deo, quam misericordia? Scriptum namque est: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus.* Denique *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Quamvis enim laudabile sit quod hominem de limo terræ condidit; laudabilius tamen est, quod perditum proprii filii morte redemit. Denique illud potestatis est, hoc gratiæ. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.* Sunt enim plerique qui non suo ore laudant Deum. Numquam suo laudat ore Deum avarus: numquam suo ore laudat luxuriosus. Nonne quasi alienum os tibi videtur assumere, dum ea conatur quæ in corde non sentit proferre? De quibus profecto scriptum est: *Cor eorum longe est a disciplina, propterea non exultabunt:* quia nimirum eorum laus ad omnipotentis Dei aures nequaquam extollitur, quorum cor a semita justitiæ per pravæ intentionis studium alongatur. Tales erant illi, de quibus Dominus dicebat: *Populus hic me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

Sap. 10. Deus labia aperit, docendo quid, quando, ubi, & cui loquendum.

Isai. 50. 4.

Eccl. 20. 7. *Eccli. 28. 28.*

Psal. 140. 3.

Eccli. 15. 9.

Psal. 32. 1.

Psal. 144. 8.

Multi ad laudandum Deum alienum os assumunt.

Job. 17. 4.

Matth. 15. 8.

Vers. 17. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.*

20. Sciebat Propheta per spiritum, quia illa legalium instituta sacrificiorum, ad invisibilis essent oblationis intelligentiam transferenda: quia illud verum & acceptabile est sacrificium, quod aliquis puro corde laudat Deum. Unde & alio in loco dicit: *In me sunt, Deus, vota tua quæ reddam, laudationes tibi.* Et iterum: *Immola Deo sacrificium laudis.* Et rursum: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Cum ergo dixisset: *Os meum annuntiabit laudem tuam,* illico subjunxit: *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique.* Ac si dicat: Laudis tibi offeram sacrificium, sciens quia carnalium nolis observantiam cæremoniarum. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.* Ideo nolo confidere in carnalis ritu sacrificii, quia scio te hircorum & arietum occisione non delectari. Tu es enim qui dixisti: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.*

Verum & acceptabile sacrificium quale sit.

Psal. 55. 12. *Psal. 49. 14.*

Ibid. 49. 9.

Vers. 18. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

21. Nequaquam vere pœnitentiam agit, qui ex peccatorum suorum recordatione quamdam spiritus tribulationem non sentit. Quod quidem reprobis familiare est; quia etsi aliquando peccata sua confiteantur, ea tamen districtæ animadversionis fletibus non persequuntur. Electi vero etiam si minima sint quæ in se punienda inveniunt, zelo rectitudinis contra se erecti, ad pœnitentiæ se lamenta studiose succendunt. Qui dum sanctæ contemplationis pennis ad cælestia se intuenda erigunt, eo subtilius

Verum pœnitentiam comitetur spiritus tribulatio.

subtilius si quid in ipsis vitiosum latebat inveniant, quo ad divinæ lucis claritatem vicinius accedunt. Tantoque eis displicet quod infirmum ex carne tolerant, quanto eos delectat quod ex incorruptibilis vitæ suavitate degustant. Unde fit quod gravi in seipsos vel pro otiosis verbis, vel pro vanis cogitationibus invectione dasæviant; & quæ levia ante crediderant, mox ut gravia & mortifera perhorrescant. Beneficia sibi divinitus collata conspiciunt, culpas nihilominus anteactas ad memoriam reducunt. Vitæ hujus corruptibilis ærumnosas necessitates enumerant, quanta sit cælestis gloriæ felicitas, in meditatione pertractant. A qua quia per carnis fragilitatem retrahi se sentiunt, validissimi seipsos interius vulnere doloris transfigunt. Dum ergo hæc omnia ante mentis oculos intenta consideratione recolligunt, vehementissimæ tribulationis igne intrinsecus inardescunt. Hæc est illa spiritalis Sanctorum tribulatio, quam in cordibus eorum generat pœnitentiæ & desiderii dilati amaritudo. Hanc nimirum Job sentiebat, cum dicebat: *Loquar in tribulatione spiritus mei*. Electorum etenim linguas tribulatio spiritus commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*.

Job. 7. 11.

Cor frustra contritum, nisi humiliatum sit.

22. Multi habent cor contritum, qui non habent cor humiliatum. Sunt enim plerique, qui etsi peccata sua fletibus puniant, pauperes tamen opprimere potestatis suæ dominatione non cessant. Hi nimirum nequaquam purum sacrificium Deo offerunt; quia detestabilis superbiæ illud admixtione corrumpunt. Vel sicut beatus Hieronymus hunc locum exponit, illi cor conterunt, sed non humiliant, qui peccata quidem quæ commiserunt deflent, sed tamen eadem committere etiam post fletus non timent. Dum enim errorum suorum consideratione revocati, ad ea quæ dimiserant redeunt, se contra Conditorem suum per opera pravitatis extollunt. Ex superbiæ namque vitio est timorem Dei contemnere, Conditoris præcepta pravæ actionis transgressione calcare, cælestis vitæ gaudia mansura negligere, damnationis perpetuæ infinita supplicia non timere. Illorum ergo sacrificium Deus non accipit, qui lacrymis quidem se compunctionis abluunt, sed eisdem, a quibus ante mundati esse videntur, peccatorum maculis in idipsum revertentes sordescunt. De talibus scriptum est: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid prodest lavatio ejus?* Ille quippe lavatur a mortuo, qui per pœnitentiam mundatur a peccato. Quem si contigerit eadem quæ punierat, iterando peccata committere, nihil contulisse videtur adhibita satisfactionis lavatio, quem maculavit inhonestius iterata facinoris turpitudo. Quia igitur scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: illos qui superbiendo ad peccata redeunt, divina justitia respuit. Illos vero qui continendo & humiliando post tergum non respiciunt, clementia Dei non despicit: quia scriptum est: *Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit*.

In hunc Psal.

Eccl. 34. 30.

1. Pet. 5. 5.

Psal. 33. 19.

Vers. 19.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.

Christi erga sponsam Ecclesiam benignitas.

23. Sion speculatio interpretatur, per quam sancta significatur Ecclesia. Quia in eminentioribus virtutum & scientiæ locata vestigiis, & cælestem patriam a longe prospicit, & irruentes spiritalium inimicorum cuneos interiori intuitu deprehendit. Cui Deus tunc benigne fecit, quando filium suum in mundum misit. Veniens autem Filius Dei, quam de diabolica potestate eripit, sanctam sibi Ecclesiam in unitate spiritus confœderavit. De quo Johannes ait: *Qui habet sponsam, sponsus est*. Quid autem benignius, quam Filium Dei servilem formam induere, mortis legibus subjacere, proprio sanguine nos redimere, æternæ vitæ aditum, quem culpa obstruxerat, aperire; corpore suo nos pascere, & de tenebrarum potestate erutos, ad celestem gloriam & ad regnum nos lucis transferre? Quid denique benignius, quam quod Deus tradidit filium, ut redimeret servum? Benignitatem nihilominus Dei quotidie sentit Ecclesia, cum illam Deus claritate suæ cognitionis illuminat, inter seculi turbines fluctuantem spiritus sui virtute confirmat, suavitatis intimæ deliciis reficit, atque per eam peccantibus peccata dimittit. Et notandum quod ait: *In bona voluntate tua*, ut intelligas nihil perfectum haberi posse ex meritis, sed tantum conferri gratuito munere divinæ miserationis. *Ut ædificentur muri Jerusalem*. Per Jerusalem, quæ visio pacis interpretatur, sancta anima accipitur, quæ futuram Sanctorum pacem mentis intuitu conspicit, & omnibus in se mortificatis hostibus, illicitorum motuum impugnationem non sentit. Cujus muri virtutes sunt: quos ille nimirum ædificat, qui ex operibus justitiæ & pietatis, spiritale construere ædificium non cessat. Unusquisque autem Jerusalem, aut Babylonis civis est. Sicut enim per amorem Dei Sanctus quisque Jerusalem civis efficitur; ita per amorem seculi, omnis iniquus in Babyloniæ structura operatur.

Joh. 3. 29. Philip. 2.

Non ex meritis, sed gratuito.

Omnes aut Jerusalem, aut Babylonis cives sunt.

24. Ad construendum autem hujus spiritalis Babylonis ædificium, perversi quique illius antiquæ Babel imitantur exemplum. Cujus, teste sancta Scriptura, civitatis auctores, & pro saxis lateres, & pro cemento bitumen habuisse leguntur. Per quod intelligitur quod mundi amatores carnalis vitæ construunt municipium, quod ad vim ventorum, & impetus fluvii, facili impulsu velociter est subruendum. Notandum vero est, quia illi de quibus agitur, de Oriente venisse, & in campo Senaar habitasse perhibentur. Cum enim Christus vere sit Oriens, Propheta attestante qui ait: *Ecce vir Oriens nomen ejus*; de Oriente veniunt, qui a Christi consortio male vivendo recedunt. Sennaar autem interpretatur excussio dentium, sive fœtor eorum. In campo ergo Sennaar habitant, qui positi non in celsitudine virtutum, sed in planitie vitiorum, & detractionum morsibus proximos lacerant, & in otiosæ vitæ volutabro jacentes, infamiæ suæ circumquaque fœtorem exhalant. Quorum dentes tunc omnipotens excutit, cum illorum facta simul & verba confundit. Unde per Prophetam scriptum est: *Dentes peccatorum contrivisti*. Et iterum: *Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum; molas leonum confringet Dominus*. Nam de fœtore eorum per alium Prophetam scriptum est: *Computruerunt jumenta in stercore suo*. Computrescere jumenta, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Et Isaias ait: *Et erit pro suavi odore fœtor, pro zona funiculus*. Quia nimirum hi pravi operis fœtorem emittunt, qui abjecto cingulo castitatis, funiculum intexunt lasciviæ. De quibus dicitur per Prophetam: *Væ qui trahit peccata sicut restem longam*. Merito ergo qui in Sennaar habitant, de lateribus civitatem ædificant: quia qui terrenis dediti sunt, voluptatibus carnis inserviunt, de fragili materia mentis mutationem attollunt.

Babylonem quinam ædificent. Gen. 11.

Ibidem.

Zach. 6. 12.

Psal. 3. 8.

Psal. 57.

Joel. 1. 17.

Isa. 3. 24.

Isai. 5. 18.

Qui Jerusalem.

25. Ceterum qui contemta terrenarum opum cupi-

cupiditate, & carnalis vitæ abdicatis illecebris, A
per opera sanctitatis virtutum in seipsis sanctifica-
tionem accumulant, hi profecto lateres in lapi-
1. Cor. 10. Matth. 7. des mutant. Et neque in arena mundanæ confi-
dentiæ spiritalem structuram erigunt, sed in pe-
tra fidei, quæ Christus est, atria nulli exci-
dio obnoxia, ad similitudinem Evangelicę illius
parabolæ constituunt. Tales nimirum recte cum
Isai. 9. 10. Isaia possunt dicere: *Lateres ceciderunt, sed quadris
lapidibus ædificabimus: sycomoros succiderunt, sed ce-
dros immutabimus*. Lateribus quippe cadentibus,
lapidibus quadris ædificat, quicumque carnis la-
sciviam disciplinæ strictioris rigore castigat; qui
membrorum legem, mentis lege superat; qui
Isai. 40. 31. corporis fortitudinem, spiritus virtute commu-
tat. Hinc namque per Prophetam dicitur: *Qui* B
confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. Qui
dum non dixit, accipient, sed mutabunt; aper-
te ostendit, quia alia est fortitudo quę deponi-
tur, & alia quæ noviter inchoatur. Habent enim
sancti viri suam in hac carne positi fortitudinem,
cum vel pro fide certantes, tormenta omnia con-
stantiæ virtute despiciunt, vel tentationes diabo-
licas armis spiritalibus protecti repellunt. De eis
Cant. 3. 7. namque per Salomonem scriptum est: *En lectu-
lum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis
Israel*. Lectulum quippe Salomonis fortes ambiunt,
quia intimam nostri Redemtoris requiem, San-
cti quique indefessa desiderii sedulitate contem-
plantur. Hinc de sancta Ecclesia electorum dici-
Prov. 31. 25. tur: *Fortitudo & decor indumentum ejus*. Qui enim C
ita se in virtutibus decorum exhibet, ut tamen
tentationum impugnationibus non repugnet, hic
nimirum decore ad tempus induitur, sed fortitu-
dine nequaquam vestitur. Quia vero Sancti Dei
& ex operibus justitię fulgidi, & ex adversario-
rum apparent impugnationibus vestiti, recte de
eis sub typo Ecclesiæ dicitur: *Fortitudo & decor
indumentum ejus*. Quisquis ergo infirma carnis for-
titudine contemta, in virile spiritus robur ani-
mam excitat, quasi lateres in saxa, quibus mu-
ri Jerusalem ædificentur, commutat. Possumus
Apoc. 21. quoque per Jerusalem, illam sanctam civitatem
accipere, quę ex vivis lapidibus in celis construi-
tur, & sicut sponsa ornata viro suo a Deo pa-
Gal. 4. 26. ratur. De illa namque dicit Apostolus: *Illa au-
tem quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est ma-
ter nostra*. Quæ merito dicitur libera: quia ab
omni corruptionis molestia invenitur aliena. Nec D
incongrue Jerusalem dicitur, quæ veram in seipsa
pacem sine defectu experitur. Illa est enim civitas
pacis, in quam nullus hostium ingreditur, &
ex qua nullus civis egreditur. Civitas, inquam,
Apoc. 21. cujus plateæ auro mundo sternuntur, & in qua
canticum lætitię indesinenter cantatur. Quæ qui-
dem, sicut scriptum est, non eget sole neque lu-
na: quia cum illam Deus præsentia suę claritatis
illuminet, impossibile est ut eam aliqua caliginis
obumbratio obscuret. *Deus enim lux est*, sicut ait
Joh. 1. 5. in epistola sua Johannes Apostolus; *& tenebræ in eo
non sunt ullæ*. Quod si tanta est claritas solis, ut to-
tam ortu suo terram illuminet; quanta æstimanda
est Dei claritas, qui & ipsum solem condidit, &
ei ad utilitatem nostram hanc quam cernimus lumi- E
nis venustatem infundit! Hujus igitur Jerusalem
muri ædificantur, cum fideles ad vitam prędestina-
3. Reg. 6. ti, ad perfectionem justitiæ deducuntur. Figuram
autem hujus civitatis illud Salomonis templum
Hujus lapides per flagella tundendi & poliendi. gestavit, in cujus ædificatione lapidibus extructa,
mallei sonitus auditus non fuit. In sacris enim ædi-
ficiis permansuri, adhuc foris per flagella tundi-
A mur, ut in templo Domini postmodum sine aliqua
percussione disciplinæ disponamur: quatenus quid-
quid in nobis superfluum, aut distortum est, mo-
do percussio resecet, & tunc sola in cælesti ædificio
concordia veritatis liget. Nec mirum si templum
eadem civitas dicatur, quæ etiam tabernaculum
dicitur, sicut scriptum est: *Ecce tabernaculum Dei* *Apoc. 21. 3.*
cum hominibus.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et *Vers. 20.*
holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

26. Ædificata cælesti Jerusalem, sacrificium *Quale sit Sanctorum sacrificium in cælo.*
dumtaxat justitiæ acceptum erit Domino: quia i-
bi non erit opus offerri sacrificium pro peccato. In
hac enim vita quia in multis quotidie delinquimus,
oportet ut contriti cordis & contribulati spiritus
B Deo sacrificium offeramus. In resurrectione au- *1. Cor. 15.*
tem, cum corruptibile hoc induerit incorruptio-
nem, & mortale hoc induerit immortalitatem,
nec ullus Sanctorum peccare postmodum poterit,
nec quisquam ad Deum pro peccato orabit. In tan-
tum namque peccatum delebitur, ut etiam pœna
peccati omnino destruatur, sicut scriptum est:
Absorpta est mors a victoria. Ubi est mors victoria *Ibid. 15. 55.*
*tua? ubi est mors aculeus tuus? Stimulus enim mortis
peccatum est*. Necessario ibi peccatum deesse con-
vincitur, ubi mortis aculeus non invenitur. Non
igitur oportet ibi offerri pro peccato sacrificium,
ubi nec in cogitatione admittitur delictum. Sa-
crificium itaque justitiæ Sancti in æterna vita
Deo offerent; quia in Solo Conditoris amore
C intenti, indefessas remuneratori suo in lætitia cor-
dis laudes dicent: Unde scriptum est: *Beati qui ha-* *Psal. 83. 5.*
*bitant in domo tua Domine, in secula seculorum lau-
dabunt te*. Et iterum: *Vox exultationis et salutis in
tabernaculis justorum*. Tunc electorum suorum o- *Psal. 117. 15.*
blationes Deus acceptas habebit; quia sanctas eo-
rum meditationes nullius pravitatis admixtio com-
maculabit. Holocausta nihilominus eorum ac-
cipiet; quia totum quod in eis erit, flamma di-
vinæ caritatis accendet. Et *Tunc imponent super al-* *Eorum altare Dei Filius.*
tare tuum vitulos. Altare, Dei Filius est, de quo
ipse Dominus ait: *Altare de terra facietis mihi*. *Exod. 20. 24.*
Quid est enim aliud altare de terra facere, nisi de
Dei Filii incarnatione non dubitare? Ipse est nam-
que cui in hac vita cordium nostrorum sacrificia
imponimus, & in quo cogitationes illicitas ne
convalescant mactamus. Unde scriptum est: *Beatus* *Psal. 136. 8.*
qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram. Ad pe-
D tram quippe parvulos nostros allidimus, cum o-
rientes motus illicitos, imitationis Christi inten-
tione mortificamus. Scriptum est enim: *Petra au-* *1. Cor. 10. 4.*
tem erat Christus. Ipse ergo est petra, ad quam cogi-
tationes nostras tenemus: ipse altare, cujus clemen-
tię peccatorum victimas imponere præsumimus.
Denique *peccata nostra ipse portavit*. Super ipsum er- *1. Petr. 2. 24.*
go vitulos in æterna vita Sancti seipsos imponent;
quia per gratiam Dei liberati a lege peccati & mor-
tis, quod nulli jugo Legis postmodum erunt subdi-
ti, totum attribuent gratiæ Filii Dei. Nullus enim
hominum in cælum ascenderet, nisi Filius Dei pro
salute nostra carnem sumsisset. Vel certe vitulos su-
per altare imponent, cum deposita primi hominis
vetustate, & mortalibus exuti exuviis, facti vitu-
E li, id est innovati & puri in perpetuum vivent.

27. Quod si, ut præmissum est, secundum mora- *Corpus nostrum, templum Dei: cor, altare.*
lem intelligentiam ædificationem Jerusalem acci-
pere volumus, hunc quoque versum eidem intel-
lectui hoc modo convenienter aptamus. Dictum
est David regi a Domino: *Non tu ædificabis mihi* *1. Paral. 17. 4. 3. Reg. 6.*
domum, quia vir sanguinum es. Postea vero filius
ejus re & nomine pacificus, & sapientiæ gratiam a
Do-

Domino ultra mortales obtinuit, & templum mirifici operis, sicut liber historiarum attestatur, Deo Israel ædificavit. In quo datur intelligi, quia dum cum hostilibus vitiorum cuneis, virtutum oppositione confligimus, domum sapientiæ nequaquam ædificare valemus: ubi vero superatis adversariorum agminibus, & passionum depulsa barbarie, pacem in nobis factam, omnibus mentis imperiis carne jam obtemperante senserimus; tunc corpus nostrum inviolabile templum Domino construimus: in quo & sacrificium quod ex zelo justitiæ veritatem prædicantes offerimus, Deus accipit, & oblationes sanctarum meditationum, & igne ferventis desiderii ardentium orationum holocausta assumit. Super altare quoque cordium nostrorum ponimus vitulos, cornua producentes & ungulas, si hæreticorum sententias utriusque Testamenti auctoritate noverimus comminuere, & virtutes a vitiis per studium discretionis separare. Per ungulas enim vitulorum, quæ finduntur, discretionem accipimus: per cornua vero, utriusque Testamenti præcepta notamus. Vel certe cornua producimus, si etiam in his quæ carnis sunt, Deo placere studeamus. Cornu namque cum de carne sit, carnem superexcedens durescit. Quisquis ergo, carnis infirmitate deposita, etiam per carnis obsequium opera virtutis effecerit, quasi cornua de carne producit.

Psal. 68.

P R O OE M I U M

in quintum Psalmum pœnitentialem.

Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, & coram Domino effuderit precem suam.

Quis est iste pauper cujus in hoc Psalmo notatur oratio, nisi ille de quo ait Apostolus: *Qui cum esset dives pauper pro nobis factus est?* Ipse enim ut nos divitiarum suarum efficeret participes, paupertatis nostræ suscepit necessitates: *Exinanivit namque semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Sicut autem pauper pro nobis factus est, ita & pro nobis anxiatus est. Denique & pro nobis est morti traditus, & pro nobis in ligno suspensus. *Mortuus est enim*, ut ait Apostolus, *propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Ex humana autem natura habuit ut anxiaretur, ex qua habuit etiam ut moreretur. Orat ergo caput nostrum in Psalmo hoc, ut illuc reducamur per gratiam, unde per primi parentis cecidimus culpam. Potest etiam hæc oratio convenire unicuique, qui pauperem se esse intelligit, & suarum miseriam necessitatum agnoscit: qui fallaces esse divitias seculi istius considerat, & quam horrendum sit in manus Dei viventis incidere, pensat. Qui post tergum reductis oculis cogitat unde ceciderit, & circumspectis omnibus quæ imminent, quas invenerit calamitates attendit. Hæc itaque omnia ante mentis oculos omnis pauper congerat, & pauperem Christum pro nobis anxiatum considerans, miseriarum suarum multitudinem attendat: quanta gloria in Adam fuerit creatus recolligat; & in his omnibus anxiatus, non in oculis hominum, sed coram Domino precem suam effundat, dicens:

Psalmus hic oratio Christi est. — *2. Cor. 7. 9.* — *Philip. 2. 7.* — *1. Cor. 15. 3.* — *Rom. 4. 25* — *Hebr. 10.*

EXPLANATIO

QUINTI PSALMI POENITENTIALIS.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. *Psal. 101. Vers. 2.*

1. In hac oratione quam expositnri sumus, quædam ipsi attribuuntur capiti, quædam nostræ conveniunt infirmitati. Nec mirandum, si ea quæ nobis solummodo congrunt, quasi sint sua Christus pronuntiat. Unum quippe corpus est tota sancta universalis Ecclesia, sub Christo Jesu, suo videlicet capite, constituta. Unde ait Apostolus: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Ipsa est enim quæ per Prophetam jucundatur, & dicit: *Nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.* Pater enim Filium, qui est caput Ecclesiæ, super inimicos ejus exaltavit, cum destructo mortis imperio, in suæ illum majestatis æqualitate constituit, cui & dixit: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Christus itaque cum tota sua Ecclesia, sive quæ adhuc versatur in terris, sive quæ cum eo jam regnat in cælis, una persona est. Et sicut est una anima quæ diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus sanctus vegetat & illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiæ, de Spiritu sancto conceptus est: sic sancta Ecclesia quæ corpus ejus est, eodem Spiritu sancto replètur ut vivat: ejus virtute firmatur, ut in unius fidei & caritatis compage subsistat. Unde dicit Apostolus: *Ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.* Istud est corpus, extra quod non vivificat spiritus. Unde dicit beatus Augustinus: *Si vis vivere de spiritu Christi, esto in corpore Christi.* De hoc spiritu non vivit schismaticus, non vivit excommunicatus: non enim sunt de corpore. Ecclesia autem spiritum vivificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhæret. Scriptum est enim: *Qui adhæret Domino unus spiritus est cum eo.* Pro membris itaque orat caput in hoc Psalmo, ut corporis sui orationem Deus Pater exaudiat, & ut ejus clamor ad divinæ majestatis aures ascendat. Quotidie enim orat Christus pro Ecclesia, de quo testatur Apostolus Paulus: Quia *sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis.* Denique & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Potest autem hæc oratio unicuique convenire fideli, qui a Deo postulat in bono perseverantiam, & tam sancti desiderii, quam etiam irremissæ operationis emittit clamorem. Clamor autem aliquando in bona, aliquando in mala significatione accipitur. Clamat enim justus, cum operatur justitiam ex desiderio: clamat & impius cum peccatum adjungit peccato. Clamabat Moyses cum populum de Ægyptiaca servitute liberatum, ad terram promissionis per desertum deduceret. Clamabat & populus Gomorrhæus, cum ex frequentissima peccati perpetratione Deum ad iracundiam provocaret. Denique & Moysi tacenti dictum est a Domino: *Quid clamas ad me?* Et de illis ait Dominus: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum ascendit ad me.* Unde quidam nos admonet, dicens: *Auferatur clamor de medio vestrum.* Hic autem pro irremissa operatione clamor accipitur, cum dicitur: *Clamor meus ad te veniat.* Notandum vero est quod cum præmisisset: *Exaudi orationem meam*; statim adjecit: *Et clamor meus ad te veniat.* Illi enim a Domino exaudiri meren-

Unum sunt Christus & Ecclesia. — *Col. 1. 18.* — *Psal. 26. 6.* — *Psal. 108. 1.* — *Ephes. 5.* — *Col. 2. 2.* — *Corpus Ecclesiæ sancto Spiritu vegetatur.* — *Tract. 36. in Johan.* — *1. Cor. 6. 17.* — *Orat Christus pro Ecclesia.* — *Rom. 8. 34.* — *1. Johan. 2.* — *Exod. 14. 15* — *Gen. 18. 20.* — *Forte Eph. 4. 31. ubi legitur: Omnis amaritudo & clamor .... tollatur a vobis.*

rentur, qui divini zelo amoris accensi, omnia quę possunt bona operantur. Nam qui perversis actionibus assuetus, operibus iniquitatis invigilat, nequaquam dignus est exauditione cum orat. Hinc namque per semetipsam Veritas ait: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Si volumus igitur ut ad aures Dei nostra perveniat oratio, studeamus necesse est, ut ab omni admixtione pravitatis nostræ mundetur operatio, ut possimus Deo cum Propheta dicere: *Clamor meus ad te veniat.*

Matt. 7. 21.

Vers. 2.

Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

Dei nos etiam aversos vocantis misericordia.

2. Ad similitudinem dominorum dictum est, qui cum pro alicujus suorum culpa graviter offenduntur, solent eum a conspectu suo expellere, & a familiarium assistentium collegio separare, a supplicante faciem avertere, roganti veniam denegare. Deus vero, licet cum superbiendo ab eo avertimur, a nobis per justitiam avertatur: tamen cum humiliati ad eum convertimur, ad nos per misericordiam converti non dedignatur. Ipse est enim qui dicit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et iterum: *Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis suis quæ operatus est, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; & in justitia sua quam operatus est, vivet.* Ecce patet nobis sinus misericordiæ Dei. Quare misericordiam Dei a nobis excludimus? quare vocationem ejus audire dissimulamus? Non enim solum a conversis non avertitur, sed etiam aversos ut convertantur, hortatur. Hinc est enim quod per Prophetam dicit: *Si dimiserit vir uxorem suam, & illa recedens duxerit virum alium, numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus tuis multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Mulieris derelictæ & fornicantis similitudinem adducit, ut ejus cognoscamus pietatem, & sciamus eo nos illum gravius offendere, quo non cessat nos etiam post delictum vocare. Hæc autem vocationis Dei clementia a parte exprimitur, cum homini averso per alium Prophetam dicitur: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem post tergum monentis.* Ille enim coram positus verba Dei percipit, qui antequam peccatum perficiat, voluntatis ejus præcepta cognoscit. Quasi enim adhuc ante faciem ejus stare, est necdum cum peccando contemnere. Ceterum si abjecto timore Dei iniquitatem operari cœperit, quasi tergum in faciem ejus mittit. Sed & post tergum subsequens Deus abscedentem admonet, quia etiam nequitia perpetrata ad se eum reverti persuadet. Audiamus ergo vocem post tergum monentis, & ad invitantem nos Deum, saltem post peccata revertamur: ut si justitiam vindicantis formidare negligimus, saltem vocantis & miserentis pietatem erubescamus.

Zach. 1. 3.
Ezec. 18. 21.

Jer. 3. 1.

Isa. 30. 20.

Christus in membris suis iterum patitur.

3. *In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.* Ecce jam caput nostrum sedet a dextris Dei, & tamen se dicit tribulari. Ubi ergo tribulatur, nisi in corpore? Nam quod in corpore tribuletur, manifesto ostendit cum Saulo persecutori dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et Petro ait: *Venio Romam iterum crucifigi.* Qui enim in seipso jampridem crucifixus fuerat, in Petro iterum se crucifigendum dicebat. Quamvis sit in electorum cordibus etiam alia tribulatio, quam in eis generat continua pœnitentiæ amaritudo. Qui enim mala quæ

Act. 9. 4.
Hegesipp. l. 3. c. 2.

A commisit, ante mentis oculos congerens, pro singulis quibuscumque compungitur, in arcano cordis magna & amara doloris & metus anxietate contribulatur. Solent namque electi viri, ad ea quorum sibi sunt conscii peccata, mentis intuitum reducere, & modis eorum cauta singulatim consideratione perspectis, singula quæque deflere; ut hoc modo cordis sui præparent habitaculum, dum per unumquodque erroris sui deplorant excessum. Hinc namque Jeremias ait: *Divisiones aquarum deduxit oculus meus.* Divisas quippe aquas ex oculis deducere, est dispertitas lacrymas unicuique peccato tribuere, & iniquitatis gaudia satisfactionis doloribus compensare; quatenus dum nunc hujus, nunc illius delicti B memoria mens acrius tangitur, simul de omnibus singulis commota purgetur. Quod vero ait: *Inclina ad me aurem tuam;* tale est, quasi dicat: Æger sum, non possum erigere ad te, quia non est hominis dirigere viam suam. Sed tu mora fidelis medici, inclina ad me aurem tuam. Inclina aurem, quia ego non erigo cervicem. Scio enim quia si me erexero, longius discedis: si humiliavero, propius accedis. Sicut enim humiliato appropinquas, ita te ab elato elongas. Ideo ergo tribulor, ut ad me inclines aurem tuam.

Thren. 3. 48.

In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.

Vers. 3.

Quid Deum rogare debeamus.

4. Non jam terrenus terrena desidero, sed a prima captivitate liberatus, cælestia concupisco. C Exaudi ergo me orantem non pro divitiis seculi, non pro gloria temporali, non pro fecunditate pignorum, non pro morte inimicorum. Velociter autem exaudi, ut in me adimpleas quod dixisti: *Adhuc loquente te, dicam: Ecce adsum.* Multi vocant Deum, sed non invocant; quia labiis tantummodo, non cordis affectu orare procurant. Qui vero Deum toto corde desiderat, confidenter clamat: *In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.* In die invocat, qui in mentis puritate Deum exorat. Cujus justitia, cum vias suas Domino revelaverit, sicut lumen educitur, *& judicium,* sicut ait Propheta, *tamquam meridies illustratur.* Unde & scriptum est: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Cordis enim simpli- D citas dies est, quam fraus non obnubilat, non obtenebrat mendacium, non obscurat invidia, non obfuscat dolus: quam lux veritatis illuminat, præsentiæ divinæ claritas illustrat. Scriptum est enim: *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Deo autem sermocinari, est per suæ præsentiæ illuminationem humanis mentibus voluntatis suæ arcana revelare. Cum simplicibus igitur Deus sermocinari dicitur, quia illorum mentes de arcanis cælestibus suæ inspirationis claritate illuminat, quos nulla caligo duplicitatis obumbrat. Quo contra de non simplicibus dicitur: *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Et Salomon ait: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Constat ergo quia istos in- E habitando illuminat, illos recedendo excæcat.

Isai. 58. 9.

Ps. 36. 6.

Sap. 1. 1.
Simplicitatis encomium.

Prov. 3. 32.

Psal. 5. 7.

Sap. 1. 5.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt.

Vers. 4.

Omnia quę caducarum rerum desiderio accensi agimus, evanescunt.

5. Spectat hoc ad id quod dixit: *Velociter exaudi me.* Quasi diceret: Opus est ut velociter me exaudias, quia dies mei defecerunt, videlicet ad defectum velut fumus devenerunt. Per dies suos hic vult intelligi omne tempus, quo mandata Dei postposuit, & funestis periturarum rerum accensus desideriis, sibi non Deo militans carnaliter vixit. Ha-

bet

bet enim in hac vita diem suum anima perversa, A quæ transitorio gaudet in tempore, & lethifera carnalis delectationis perfruitur jucunditate. Hinc est quod Salvator noster prævaricatrici Jerusalem, destructionis suæ justum excidium comminans, Luc. 19. 42. ait: *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Diem etenim suam illa tunc populus habebat; quia in rerum labentium opulentia confidens, quieta & successu gaudebat. Oculos claudit prosperitas. Quorum nimirum oculos prosperitas clauserat; ut nec visitationis suæ tempus cognoscerent, nec imminentium malorum contritionem viderent. Sicut enim cordis oculos flagella aperiunt; sic mentis aciem aliquoties successus prosperi retundunt; adeo ut seipsam mens cognoscere non valeat, quam prosperitatis mundanæ oblectatio captivat. Hinc namque Salomon B Prov. 1. 32. ait: *Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos.* Israeliticum ergo populum prosperitas perdidit, cujus in die sua oculos ne futuri excidii vastitatem cognoscerent, clausit. Hæc est dies, de qua Jeremias ait: *Diem hominis* Jerem. 17. 16 *non desideravi.* Dicat & fidelis anima: *Defecerunt sicut fumus dies mei.* Fumus, sicut est omnibus notum, in altum quidem se in primis erigit, sed cito deficiens, quasi non fuerit evanescit. Sic nimirum sic humana superbia cum rerum opulentia intumescens se in altum extulerit, a statu suæ celsitudinis corruens, ad ima ruit. Hinc namque per Luc. 14. 11 semetipsam Veritas ait: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Hinc per Psal. 36. 35 Prophetam scriptum est: *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Qua in re pensandum est, perversorum potentia qualiter destruitur, quorum nec locus quidem post modicum invenitur. Sequitur: *Et ossa mea sicut cremium aruerunt.*

Qui per ossa Christi, qui per carnem significentur. 6. Per ossa, rationem & intelligentiam possumus accipere: quæ quasi sicca remanent, dum factorum & virtutum pinguedinem non habent. Job. 62. 6. De qua profecto pinguedine dicit Propheta: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Vel per ossa, fortiores qui sunt in Ecclesia, accipimus: quia sicut per ossa corpus nostrum vegetatur, ita per illos corpus Christi, quod est Ecclesia, regitur & sustentatur. Habet enim & corpus Christi carnem suam, D infirmos scilicet, virtutum carentes fortitudine, qui perfectorum indigent sustentatione. De hac carne in persona Christi recte per Job dicitur: Job. 19. 20. *Pellis mea consumtis carnibus, adhæsit os meum.* Quod nimirum in passione Christi impletum est, quando discipulis fugientibus mulieres steterunt, & usque ad crucem secutæ sunt. Luc. 23. Scimus enim quia in corpore hominis pellis exterius eminet, caro vero ossibus introrsus adhæret. Pelli ergo consumtis carnibus os Christi adhæret, quia fugientibus & dubitantibus Apostolis, qui ei familiarius adstiterant, mulieres quæ quasi remotiores esse videbantur, nec a cruce suspensi, nec a sepulti monumento discedebant. Quia vero sancti viri imperfectis delinquentibus condolent, & eorum infirmitati compatiuntur, E recte nunc dicitur: *Ossa mea sicut cremium aruerunt.* Quod evidenter ostendemus, si unum exemplum ad medium deducamus. Videamus unum de ossibus Christi quomodo cum infirmantibus infirmetur, cum dolentibus doleat, cum arescentibus arescat. 2. Cor. 11. 29 Ait enim: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Vides quomodo omnium in se infirmitates transtulerat, omnium casus velut proprios deflebat. Ideoque ait: 2. Cor. 12. 21 *Ut lugeam multos qui peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam.* 1. Cor. 9. Denique & omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Ossa ergo sicut cremium consumto adipe arent, cum perfecti quique carnalium infirmitatibus condolent, & se quasi spiritali pinguedine æstimant vacuos, dum illos aspiciunt virtutum auxiliis destitutos. Cujus infelicitatis causam manifeste aperit, cum subjungit:

Vers. 5. *Percussus sum ut fenum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.*

7. Scriptum est in Isaia: Isa. 40. 6. *Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.* Ibid. 8. Et rursum: *Vere fenum est populus.* Cur homo feno comparetur. Homo namque feno comparabilis est; quia per nativitatem viret in carne, B per juventutem candescit in flore, per mortem aret in pulvere. Ipse est enim, Job attestante, Job. 14. 2. *qui quasi flos egreditur & conteritur.* Hæc autem mors & contritio, quæ ad omnes homines ex justæ damnationis sententia pervenit, ex primi hominis peccato descendit. Unde & Apostolus Rom. 5. 12. ait: *Primum hominem peccatum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.* Homo ergo qui si in Creatoris obedientia perstitisset, posset in æternum vivere, propter inobedientiæ culpam percussus est mortalitate. De qua nimirum percussione in hoc loco dicitur: *Percussus sum ut fenum & aruit cor meum.* Quia ergo primus homo peccando in mortem incidit, propagata generis humani successio a C rationis intimæ viriditate consequenter exaruit. Quare autem cor humanum ab illo aruit virore in quo conditum fuit, subdendo manifestat, ait enim: *Quia oblitus sum comedere panem meum.* Panem suum in paradiso primus homo conditus habuit, quamdiu [a] inconcusso mentis vestigio Conditoris sui præcepta servavit. a Panis hominis quis sit. Panis autem ejus fuit visionis divinæ delectatio, verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, lucis inaccessibilis splendor, sapientiæ refectio, Angelorum societas, amor Dei, jubilum spiritus, contemplationis suavitas, collocutionis desiderium, securitas mentis, præsentia Creatoris. Gen. 3. Quem panem tunc profecto perdidit, cum serpentis suggestioni consensit. Tangens enim vetitum, oblitus est præceptum. Unde factum est ut qui tenebat arcem D beatitudinum, in lacum incideret miseriarum: & qui intimæ reficiebatur suavitate dulcedinis, panem postmodum manducaret doloris. Quicumque ergo illius portat imaginem, factus de terra terrenus, panem suum comedere obliviscitur: quia terrenæ voluptatis captus illecebris in verbo Dei [b] non delectatur. b Panis etenim noster, verbum Dei est. Hinc namque per semetipsam Veritas Matt. 4. 4. ait: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Sequatur ergo oblivionem commemoratio, & esuriem refectio comitetur: ut panem illum qui de cælo descendit, Johan. 6. manducantes, & pœnam evadamus mortis perpetuæ, & vitæ participemus æternæ, sicut Dominus ait in Evangelio: Ibidem 52. *Si quis manducaverit ex* E *hoc pane vivet in æternum.*

Vers. 6. *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.*

8. Arescente corde propter panis & vini inopiam & oblivionem, vox gemitus emittitur: quia ubi a desiderio vitæ æternæ defecerit intentio, consequenter de corde procedit malarum cogitationum vociferatio. Hunc panem comedere oblitum, quæ prosequantur mala. In qua nimirum os adhæret carni, si ratio subigitur delectationi. Quæ nimirum vox gemitus dicitur, quia per eam ad tristitiam pervenitur

a Acab. incon usse mentis vestigio.

b Reml. non delectatur.

nitur. Aut enim in hac vita generat dolorem pœnitentiæ, aut in futuro cruciatum parit vindictæ. Possumus quoque per vocem gemitus, vocem serpentis accipere, quia primis hominibus ut de interdicto gustarent persuasit, eosque deos futuros fraudis suæ dolositate promisit. Illa est enim vox gemitus, per quam omnes peccavimus, per quam mortales & passibiles facti sumus: vox per quam a cælestibus gaudiis cecidimus, & in felle lacrymarum exulamus. Per hanc vocem os carni adhæsit, quia Adam Evæ consensit. Habet in se unusquisque Adam & Evam. Sicut enim in illa prima hominis transgressione suggessit serpens, delectata est Eva, consensit Adam: sic & quotidie fieri videmus, dum suggerit diabolus, delectatur caro, consentit spiritus. Nos quippe cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur. Sicut autem peccatum illud subsecuta est mors, sic & peccato consentiens moritur anima: quia a vita sua, quæ Deus est, separatur. Mortui enim sumus, quando implemur ossibus mortuorum. Mortuus est sermo malus, qui ex ore nostro procedit. Scriptum namque est: *Sepulcrum patens guttur eorum*. Habemus autem portas, per quas mortui efferimur, corporis videlicet sensus, de quibus ait Propheta: *Qui exaltas me de portis mortis*. Hæ sunt enim portæ, per quas mors ingreditur, & per quas mortuus effertur. Nam quod per illas mors ingrediatur, testatur alius Propheta, qui ait: *Intravit mors per fenestras nostras*. Qui enim vidit mulierem ad concupiscendum eam, mortem per oculorum fenestras admisit. Qui vero seminat inter fratres discordias, & iniquitatem in excelso loquitur, per oris portam mortuus effertur. Et quidem mihi hoc significare videtur juvenis extra civitatis portam delatus, quem suscitavit Jesus. Signat enim hominem delectatione mortuum & per pravi operis judicia jam extra portas perlatum. Obsecro, Domine Jesu, ut cunctas meæ civitatis portas justitiæ facias, ut ingressus in eas confitear nomini tuo, tuæque majestati, cum justis per eas intrantibus, ut mors ibi aditus ingressum non habeat, passio non dominetur, sed occupet salus muros ejus, & portas illius laudatio.

Gen. 3. — Et interdictum de fructu scientiæ non comedendo contemnentem. — In nobis Adamum & Evam habemus. — Psal. 5. 11. — Psal. 9. 15. — Jer. 9. 21. Matt. 5. — Luc. 7.

Similis factus sum pelicano solitudinis, & factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vers. 7.

9. Pelicanus avis est amans solitudinem, in qua venenatis animalibus vescitur: & ideo per eam peccator designatur, qui in deserto hujus mundi corde habitans, ærumnosis istius vitæ captus illecebris, veneno delectatur diabolicæ persuasionis. Nycticorax, qui alio nomine bubo dicitur, in dirutarum domuum ædibus moratur. Solet autem nocte cantum cantare: per quod notantur hi, qui in tenebroso tripudiant opere, & in mentium suarum exultant destructione. Sed quia sagena Ecclesiæ missa in mare præsentis seculi, non solum malos pisces colligit, sed etiam bonos trahit, recte nunc dicitur:

Carnales pelicanus & nycticorax adumbrant. — Matt. 13.

Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Vers. 8.

10. Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui servat operando quod credit, sicut scriptum est: *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua*. Vestimentum tuum, fides tua est: vestimentum tuum, operatio tua est. Custodi ergo, ne diripiant alieni laborem tuum: ne denuderis, & appareat ignominia tua. Esto sicut passer solitarius in tecto. Per passerem quæ cauta & querula avis est, & in domibus nidificat, recte homo intelligitur, qui in excelsis habitans, & solitudinem incolens, pro peccatis suis clamare non cessat. Prudentis enim & circumspecti viri est, in alto nidum ponere, & pro peccatis plorare, & solitudinem inhabitare: quatenus in opere terrena non appetat, & in lamentis veniam acquirat, & in habitatione inanium strepitus cogitanum effugiat, ut possit dicere cum Propheta: *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine*. Vel etiam caput nostrum, pelicanus fuit solitudinis, quando natus est in Judæa, quæ erat sola civitas plena populo, Prophetis videlicet & justis orbata, & Spiritus sancti virtute destituta. Nycticorax extitit, quando his qui in tenebris erant, regnum Dei evangelizavit. De illo namque scriptum est: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. SI ENIM *cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Per domicilium, Judæos intelligimus, qui ex parte diruti erant, & ex parte stare videbantur, pro eo quod circumcisionem tenentes, Legem & Prophetas habebant, sed in eum quem Prophetæ in carne venturum prædixerant, nequaquam credebant. Stabant quidem in eis parietes carnalis observantiæ, sed corruerat tectum fidei & disciplinæ. Occiderunt ergo vitam mortui, & lucem tenebræ extinxerunt. Sed quid ultra fecerit audiamus: *Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto*. Vigilavit, quia a mortuis resurrexit. Qui enim dormivit in morte, vigilavit in resurrectione. Hinc namque ait: *Ego dormivi & somnum cepi, & resurrexi*. Hinc Jacob in benedictione ait: *Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo & quasi leæna: quis suscitabit eum?* Quis est iste catulus leonis, nisi ille de quo in Apocalypsi ad Johannem dicitur: *Sicut leo de tribu Juda?* Qui ad prædam ascendit; quia fortem armatum fortior superveniens expugnavit. Arma ejus abstulit, quia jure illo quod in hominibus habere videbatur, eum privavit. Ille enim dum ambiit illicita, perdidit acquisita. Spolia quoque ejus distribuit; quia vasa iræ fecit vasa misericordiæ. Hinc ergo leo requiescens accubuit: quia mortem sponte subivit. Sed nullus eum suscitavit; quia per divinitatis suæ potentiam ipse a mortuis resurrexit. Et quia post resurrectionem suam in cælum ascendit, recte cum præmisisset, *Vigilavi*; subjecit: *& factus sum sicut passer solitarius in tecto*. Quia solus inter mortuos liber, cum Pater regnat in cælo. Unde & ait: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo*.

Solitudine delectari debemus, & in ipsa nidum ponere ac gemere. — Apoc. 16. 15 — Psal. 54. 8. — Tren. 1. — Johan. 1. 5. — 1. Cor. 2. 8. — Christus in morte dormivit, vigilavit in resurrectione. — Psal. 3. 6. — Gen. 49. 9. — Apoc. 5. 5. — Luc. 11. — Rom. 9. — Joan. 3. 13.

11. Ferunt Philosophi quod pelicanus filios suos statim ut nati sunt, interficit: postea vero per triduum multo dolore se afficit, eisque quodammodo naturæ affectum ostendit. Postea vero mater seipsam vulnerat, eosque sanguine suo resuscitat. Quis vero pater noster & mater, nisi Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus? qui occidit in nobis omnem iniquitatem, ut meliorem inveniamus resurrectionem, sicut ipse ait: *Ego occidam, & ego vivere faciam*. Et de eo per Prophetam scriptum est: *Vivificabit nos post duos dies, in tertia suscitabit nos*. Clamat adhuc in solitudine caput nostrum vel membrum ejus, cum eos vocat, qui nondum agnoverunt veritatem. Clamat in domicilio, dum eos ad pœnitentiam qui ceciderunt invitat. Clamat in tecto, cum admonet ut foras mittamus timorem. Unde in Evangelio discipulis ait: *Quæ in aure auditis, prædicate super tecta*.

Christus pelicano similis. — 1. Tim. 2. — Deut. 32. 39. — Osee 6. 3. — Marc. 10. 27.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui lauda- Vers. 9.

laudabant me, adversum me jurabant.

Lev. 19. Judæorum probra in Christum.

12. Quid iniquius? Venerat Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat. Venerat inquam, ut auferret gemitum dolentium, ut reconciliaret nos Deo: sed Judæi, quos iniquitatis suæ caligo cæcaverat, pro nobis mala retribuentes, illum quasi hostem oderant, eique maledictionis convicia exprobrantes inferebant, cum dicerent: *Dæmonium habes*, & cetera insaniæ deliramenta quæ Evangeliorum liber continet. Qui etsi ei aliquando extrinsecus blandirentur, intrinsecus sæviebant, sicut hi qui eum capere in sermone volentes dicebant: *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo*. Magistrum eum vocabant, qui venerant non discendi intentione, sed nocendi cupiditate. Nam quod ita se res habeat, Veritas manifestat, cum tentatores eos & hypocritas vocat. Quasi ergo adversum eum juraverant, qui ex consilio contra eum mendacia confingebant. Toto etiam vitæ hujus tempore veritatis inimici Ecclesiæ Dei exprobrant, cum eam hæretica pravitate, aut morum dissimilitudine impugnant.

Johan. 8. 42

Matt. 22. 16

Et hypocritarum subdola consilia.

13. Plerique autem in causa Dei subdole & fallaciter intendentes, & esse se in corpore Christi simulant, & pacem Ecclesiæ Dei occulta machinatione perturbant. De quibus profecto hic dicitur: *Qui laudabant me, adversus me jurabant*. HI *sunt qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Qui in verbis quidem socialem videntur habere mansuetudinem, in corde vero hostilem gestant furorem. Talis erat ille Simon Magus ab Apostolis baptizatus, sed postea ab Apostolorum principe propter nefandæ venalitatis ambitionem reprobatus. Unde & dictum est ei: *Non est tibi pars in sermone isto*. Dum enim Spiritus sancti gratiam pretio comparare voluit, a doctrina Christi miser se alienavit. Ipse namque præceperat, dicens: *Gratis accepistis, gratis date*. Hæc est, inquam, hæresis, quæ ipsa nascentis Ecclesiæ rudimenta tentavit, & ante alias hæreses prima apparuit. Cujus erroris væsania licet ex tunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulavit. Nostris vero maxime temporibus malitiæ suæ virus exercuit: & totius Ecclesiæ pacem schismaticæ infestatione turbavit. Concitavit enim adversus Ecclesiam Dei non solum innumerabilem populi multitudinem, verumetiam regiam, si fas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio sinit, ut inter Reges habeatur, qui destruit potius quam regat imperium: & quotcumque habere potest perversitatis suæ socios, eos a consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captivam cupit abducere, & passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit evacuare. Ecclesiam quippe, quam sui Sanguinis pretio redemtam Salvator noster voluit esse liberam, hanc iste, potestatis regiæ jura transcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret sibi, dominam suam esse agnoscere, eique, religiosorum Principum exemplo, devotionis obsequium exhibere; nec contra Deum fastum extendere dominationis, a quo suæ dominium accepit potestatis. Ipse est enim qui ait: *Per me reges regnant*. Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & divino, ut patet, ingratus beneficio, & contra Deum fastuosus, terminos quos posuerunt patres nostri, contemto divino timore transgreditur, & contra catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferatur. Intantum autem suæ temeritatem extendit væsaniæ, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, & in domina gentium terrenæ jus potestatis usurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apostolo specialiter commisit, dicens: *Tibi dabo Ecclesiam meam*. Obstruatur ergo os loquentium iniqua, & omnis hæreticorum acies obmutescat: quia nullas vires habet mendacium, quod ipsius voce veritatis invenitur destructum. Sequitur.

Matth. 7. 15

Simonis magi hypocrisis.

Act. 8. 22.

Matth. 10. 8

Ejus hæresis quantum in Ecclesia pullularit.

Regia profectio potestate freta.

Prov. 8. 15.

Matt. 16. 18

Quia cinerem tamquam panem manducabam: & poculum meum cum fletu miscebam:

Vers. 10.

Peccatores cineri similes.

14. Ex hoc maxime Scribæ & Pharisæi Redemtorem nostrum criminabantur, quia publicanos & peccatores non solum non respuebat, sed etiam cum illis in cibo & potu communicabat. Unde quidam eorum indigne ferentes dicebant: *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester?* Sed ille qui non justos, sed peccatores vocare venerat, quid dicebat? *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus*. O immensam Dei clementiam! O inæstimabilem gratiæ caritatem! Illos volebat curare, qui salutem nolebant habere, qui adversus salutem suam armati, & phreneticorum more medicum incusantes, volebant potius ex infirmitate mortem incurrere, quam vitam ex salute invenire. Sed cineres Redemtor noster manducabat, quando in corpus suum eos trajiciebat. Cineres namque erant; quia dum principem tenebrarum magis quam auctorem sequerentur luminis, in eorum cordibus quasi extinctus fuerat divini prorsus ignis amoris. Cineres, inquam, erant, videlicet nullo apti usui, & sine caritatis glutino omnino dissoluti. Quis non has miretur misericordiæ Dei divitias? Quis jam de remissione peccatorum desperet? Quis non credet se, si convertatur, veniam consequi, cum audiat etiam incredulos tanta benignitate admitti? Unde ait Apostolus: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus ab ira per ipsum*. Quia ergo Redemtor noster in mundum veniens, vasa iræ fecit vasa misericordiæ, & omnibus ad se venientibus pietatis suæ sinum aperuit, recte nunc dicit: *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam*.

Matth. 9. 11.

Ibidem. 12.

Hunc cinerem quomodo Christus manducet.

Rom. 5. 10.

Christi cibus & potus.

15. Quæ autem esuries ejus, vel sitis fuerit, ipse evidenter ostendit, cum ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, qui misit me*. Et iterum: *Me oportet operari opera Patris mei, qui me misit, donec dies est: venit nox quando nemo operari potest*. Quæ sunt hæc Patris opera, quæ in die dicit & non in nocte operanda, nisi salutifera agri intellectualis cultura? Ipse est enim homo qui seminavit bonum semen in agro suo: ad cujus culturam postea operarios destinabat, cum diceret: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*. Quis sit ergo iste ager, ipse ostendit, cum agrum mundum, & semen dixit esse verbum Dei. Seminavit ergo ut meteret, messuit ut manducaret. Hujus agri fructum quotidie colligit, & quasi eo pascitur, cum electorum profectibus delectatur. Unde Sponsus in Canticis canticorum dicit: *Comedi favum cum melle meo*.

Johan. 4. 34

Johan. 9. 4

Matt. 13. Matth. 9. Luc. 8. 5.

Cant. 5. 1.

Ejus vinea, Ecclesia. Matth. 20.

16. Habet iste homo & vineam, sanctam videlicet Ecclesiam, ad quam excolendam primo mane operarios misit, & postea singulis quibusque temporibus mittere non cessavit. Patet ergo quia sicut

agrum

agrum excoluit ut comedat, ita vineam plantavit A ut bibat. Bona vinea, quæ uvarum decorata coloribus, & dilectionis ac perseverantiæ palmitibus propagata, Regi omnium suavem in fructibus suis haustum præbet. Bona inquam vinea, Cant. 8. 11 quæ potest dicere: *Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populus.* Quæ est illa quæ habet populos, nisi sancta Ecclesia per totum orbem diffusa? Illa namque habet populos, quia ex omni parte terrarum recte credentes continet. In hac ergo solummodo electus quisque vinea efficitur; quia nullum aliquando fructum ferre poterit, qui ab unitate Ecclesiæ discedit. Eo enim Deo poculum subtrahit, quo hæreticorum ineptæ garrulitati consentit. Quid enim sitit Deus, nisi fidem no- Johan. 4 stram? Unde & a muliere Samaritana quæsivit bi- B bere, de cujus eum non legimus aqua bibisse: sed spiritalem potum ei mulier obtulit, cum mundi J. an. 19 eum Salvatorem agnovit. In cruce quoque positus sitiebat, & pœnitentiam peccantium, & fidem exoptabat perfidorum. Sed vinea Domini sabaoth in patribus a Deo plantata, & doctrinæ aratro & verbi ligonibus per manus Prophetarum exculta, novissime in amaritudinem versa, dum ei vinum lætitiæ ferre debuit, feralis invidiæ acetum porrexit. Plerumque etenim bonum vinum corrumpitur, & in acetum mutatur. Quia ergo ille populus & in patribus sanctus, & in filiis nequam extitit; quasi primo vinum, postmodum vero acetum fuit. Fuerunt tamen aliqui etiam intar illos, qui hunc omnium Salvatorem crediderunt: C fuerunt & qui de peccatorum profundo ad misericordiarum se patrem levaverunt. Quis enim pluribus aut majoribus criminibus umquam obligatus extitit, quam mulier illa peccatrix, de qua se- Marc. 16. ptem, ut ait Evangelista, dæmonia ejecit? Nam Luc 19. & Zachæus publicanis & raptoribus publicanus Luc. 7. ipse & raptor præfuit, & tamen ad ipsius hospi- Luc. 19. tium Dei Filius divertit. Sed & Simon indigne tulit de admissione mulieris: & turba murmuravit de hospitio peccatoris. Poculum namque suum cum fletu miscuerat, & ideo sibi inimicorum protervitas exprobrabat. Quod quotidie in Ecclesia fieri cernimus, cum peccatores pro peccatis suis plangentes, Christum indui, & ad ipsius intrare unitatem videmus. Vel certe poculum Deo cum fletu miscere, est alios ab exterioribus D introrsus trahere, alios ab interioribus exterius jactare. Scimus enim, quia potus ab exterioribus interius trahitur, fletus ab interiori exterius derivatur. Quia ergo Conditor noster occulta nostra examinat, & non solum opera, verumetiam intentiones redicitus pensat, occulto ejus judicio fit, ut quosdam qui in oculis hominum justi esse videntur, reprobet; quosdam criminibus reos per pœnitentiam correctos salvet. Et Rom. 9. 16 cum juxta Apostoli sententiam, *neque volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei*, alios qui corruerant, misericorditer erigit; alios qui stare videbantur, cadere juste pemittit. Ex peccato namque primi parentis accepimus, ut nec in ipsa justitia stabiles esse possimus, sed aut contra E Deum, nobis bonum quod facimus imputando, erigimur, aut contra proximos in superbiam levamur, unde & subditur:

Ex peccato originali fit ut in justitia non stemus.

Vers. 12. *A facie iræ & indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.*

Homo in honore positus, per peccatum dejectus est.

17. Quia enim justæ damnationis sententiam primus homo peccando pertulit, quam postmodum nepotum successio consequenter incurrit; ideo Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, & ab ea qua tenebantur damnatione liberare. Ecclesia vero quæ corpus ejus est, cui claves regni cælorum tribuit, & ligandi atque solvendi potestatem dedit, ideo peccatores quotidie suscipit, quia illam iræ Dei sententiam agnoscit. Quia enim per faciem personam agnoscimus hominis, recte per faciem iræ, damnationis intelligimus cognitionem. Nam quod iram indignationis agnoscat, manifeste ostendit cum subjungit: *Quia elevans allisisti me.* Creatis ceteris animalibus, homo præ cunctis elevatus fuit: quia & libertate extitit arbitrii præditus, & rationis lumine illustratus. Cui etiam datum est ut non sicut cetera animantia terram semper aspiceret, sed ut ipso situ corporis cælos erectus videret: ut ex hoc quoque aperte cognosceret, quia & intentionem ad summa dirigere, & mentem deberet ad Deum levare. Nam & terror ejus & tremor omnibus animantibus incubuit, quia divina voce eis prælatus fuit. Mortem quoque nequaquam incurreret, si divinis præceptis obediens numquam peccaret. Sed Conditoris sui mandata transgrediens, tanto gravius corruit, quanto antequam caderet, altius stetit. Cadens igitur allisus est; quia peccare non metuens, & pro salute infirmitates pertulit, & pro vita mortem suscepit.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fenum arui. Vers. 12.

18. Gravis allisio, per quam lux in tenebras vertitur, & in ariditatem viror mutatur. Diem namque sicut umbram primus homo habuit, quando se a facie Conditoris abscondit. Nam Genes. 3. inter opaca nemorum latere voluit, ut ex hoc quoque patenter ostenderet quas cæcitatis umbras interius pertulisset. Si enim in umbra non esset, Deum esse localem non crederet, nec ab ejus oculis putaret se abscondi, a quo sciret etiam cordis occulta videri. Quæsivit ergo umbram corporis, qui prius incurrit umbram mentis. Dies namque ejus inclinata fuerat, & ideo illi lumen sapientiæ interius non fulgebat. Sol etenim dum inclinat, majores umbras efficit, & caloris sui magnitudinem paulatim subtrahit. Ibidem. Unde post meridiem Adam a Deo vocatus esse describitur, ut ab exterioribus agnoscamus quid interius gereretur. In meridie enim lux est purior, aer limpidior, æstus ferventior. Quasi ergo meridies in Adam pectore inerat, dum lumine divinæ contemplationis illustratus, amoris summi facibus ardebat. Sed hunc miser meridiem perdidit cum peccavit. Ibi enim amoris refriguit incendium, caligavit claritas, defecit visio. Veniens autem in mundum lux verax Dei Filius, hanc nobis claritatem reddidit, cum cordis nostri tenebras præsentiæ suæ illuminatione fugavit. Unde scriptum est: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Isai. 9. 2. Magna lux remissio peccatorum, donum gratiæ, intelligentiæ claritas, contemplationis gaudium, collatio virtutum. *Dedit enim nobis*, ut ait Apostolus, 2. Cor. 5. 5 *pignus spiritus*: gustavimus bonum Dei verbum, Hebr. 6. virtutesque seculi superventuri. Hi sunt dies gratiæ, quos nobis contulit excellentia bonitatis Dei. In quibus si noctem nequitiæ contemnimus, ad cælestis regni hereditatem inoffenso itinere ambulamus. Hinc etiam Salvator ait: *Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.* Johan. 11. 9 Sed hi dies in nobis sicut umbra declinant, cum peccatorum nostrorum nebulas propitiationi divinæ opponentes, & mentis patimur caliginem, & divinæ extinguimus caritatis ardo-

ardorem. Scimus autem quia sole ad occasum vergente, umbræ crescunt donec nox veniat, & lumen omnino diei deficiat. Sic nimirum cum in reproborum cordibus sol justitiæ occidere cœperit, cæcitatis umbra vehementer excrescit; adeo ut divino non illuminentur lumine, sed mortifera noctis involvantur obscuritate. Sequitur:

Homini a Deo recedentis ariditas. a

19. *Et ego sicut fœnum arui*. Nemo est qui nesciat, quod quantumlibet tenera aut delectabilis herba sit, si apposita falce succiditur; * & coloris venustate confestim exuitur, & a radicia humore siccatur. Sic profecto quicumque per opera pravitatis a Deo recessit, necessario a virtutis intimæ humore arescit. Hinc etenim Salvator discipulis ait: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic & vos nisi in me manseritis*. Nam etsi florere in hac vita peccatores plerumque videantur; ariditatem tamen suam in fine recognoscunt, dum simul amittunt & ridentis vitæ dulcedinem, & temporalis gloriæ dignitatem. In sapientiæ quippe suæ vanitate confisi, dum sperant facile sibi cuncta suppetere, arbitrantur utique se religionis virtute non egere. Et dum de inani sapientia se jactant, insipienter vivere nequaquam formidant. Et quia a veræ sapientiæ radice præcisi sunt, in stulta sua sapientia aruerunt. Qui si voluerint in ipsa sapientiæ vitalis radice reviviscí, summopere studeant ad fontem vitæ, mentis processu properare.

Jo. cap. 15. 4.

Vers. 13.

Tu autem, Domine, in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem.

Ut hanc ca veamus, Christo inhærendum.

20. Spectat hoc ad id quod ait: *Ego sicut fœnum arui*. Quasi dicat: Qui diligens vanitatem, & sequens mendacium, in æternitate & stabilitate persistere noluit, temporalis & instabilis factus, mortis ariditatem incurrit. Sed tu, Domine, in æternum permanes. Hæc ergo est unica spes salutis meæ, ut tibi inhæream: ut sicut per me factus sum aridus, ita per te fiam æternus: & in te vivens mortem effugiam, a quo discedens perdidi vitam. Nos quoque scientes quia primus homo factus est de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis, sicut terreni imaginem portavimus, ita cælestis imaginem portemus, & cum eo unum efficiamur, qui resurgens a mortuis, jam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur. Ipse est enim qui factus est in spiritum vivificantem: cujus si membra fuerimus, quo caput nostrum præcessit, pariter ascendemus. Cujus ascensus spem ipse nobis contulit, quia ait: *Pater, volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum*. Quod si ab ejus separati fuerimus corpore, velut abscissa membra participatione carebimus vitæ, nec cum eo in cælum ascendemus. Cum eo ergo unum simus, quia sicut ipse ait: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo*. Et notandum quia non dixit, vivis, sed, permanes in æternum. Homo etiamsi multo tempore vivat, non tamen uno die permanet: quia ut semper mutetur, ex conditione mortis habet. De quo quidam sapiens perhibet, dicens: *Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet*. Deus vero qui solus vere æternus, vere immortalis est, in æternum permanet: quia in eo nihil est transitorium, nihil mutabile, nihil quod alienum sit a sempiterna ejus divinitate. *Memoriale tuum in generationem & generationem*. Quid magis memoriale in Deo, quam misericordia? De illa namque scriptum est: *Miserationes ejus super omnia opera ejus*. Et *misericordia Domini ab æterno & usque in æternum super timentes eum*. Licet enim hominem mirabiliter condiderit, mirabilius tamen perditum per Filii sui mortem redemit. Hæc memorialis Dei misericordia in generatione & generationem permanet, quæ omnibus per temporum curricula viventibus usque in finem seculi patet.

1. Cor. 15.

Rom. 6.

Johan. 17. 4

Johan. 3. 13

Job. 14. 2

Misericordia Dei quanta.

Psal. 144. 9

Psal. 102. 17

Vers. 14.

Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

In Judæos Gentilesque.

21. Si Sion ad litteram accipimus, Judæorum in hoc loco & Gentium vocationem notare valemus. Et videbitur hoc modo quasi præcedentis verbi expositio; ut cum duas generationes nominat, qualiter in generatione & generationem misericordia Dei sit permansura, ostendat. Ait ergo: *Tu exurgens misereberis Sion*. Per Filium Deus Pater exurrexit; quia qui antea non cognoscebatur, per eum in hominum notitiam venit. Unde & Verbum Patris & splendor dicitur: quia per eum & voluntas Dei agnoscitur, & ipsa divinitatis essentia declaratur. Sion vero, id est Judaici populi misertus est, quando de eorum progenie nasci voluit, & prius eos ad fidem vocavit. *Tempus miserendi*, tempus plenitudinis intellige: quia juxta Apostoli sententiam, *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. Quod vero ait: *Quia venit tempus*; tempus nimirum gratiæ vult intelligi, de quo Dominus per Prophetam dicit: *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te*. Quod exponens Apostolus, ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*.

Heb. 1.

Gal. 4. 4.

Isa. 49. 8.

2. Cor. 6. 2.

Vers. 15.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terra ejus miserebuntur.

Apostoli, lapides Ecclesiæ.

22. Per lapides Sion, Apostolos intelligere possumus, qui de Judaico nati populo, Ecclesiam demum ex seipsis ædificaverunt. Qui profecto lapides servis Dei placuerunt, cum quales futuri essent, Prophetæ per spiritum viderunt. Nisi enim Prophetis Apostoli placuissent, nequaquam de eis Isaias diceret: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Et iterum: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem; evangelizantium bona?* Qui sunt pacem evangelizantes, nisi Apostoli Christum prædicantes? *Ipse est enim pax nostra*, ut ait Apostolus, *qui fecit utraque unum*. Unde etiam ipso nato, hominibus pacem redditam Angeli Pastoribus nuntiaverunt, quam postea Apostoli omnibus Gentibus publice prædicaverunt. Per pedes vero evangelizantium, affectus intelligimus Apostolorum; qui quidem speciosi erant, quando non sua commoda, sed auditorum utilitatem quærebant. Speciosi, inquam, erant, qui terreni lucri inquinamenta ex ipso operationis suæ incessu non contrahebant. Tunc namque corporeos pedes habere speciosos dicimur, quando nulla cœnosæ viæ labe fœdamur. Quia ergo ex prædicationis officio terrenas divitias Apostoli non quærebant, recte de eis dicitur, quia pedes eorum speciosi erant. Hinc namque Anna de Deo prophetavit, dicens: *Pedes Sanctorum suorum servabit*. Quia ergo quales futuri essent Apostoli, per Spiritum sanctum Prophetæ viderunt, recte nunc dicitur, quia servis Dei lapides Sion placuerunt. Qui porro lapides terræ misertí sunt; quia pœnitentiam agentes a peccatis absolverunt. Per terram quippe peccatores accipimus. Unde serpenti a Domino dictum est: *Terram*

Isai. 60, 8.

Rom. 10. 15. ex Isai. 52.

Ephes. 2. 14

Luc. 2.

1. Reg. 2. 9.

Gen. 3. 14.

a Reg. b. Vatic. Gilot. ex exiorus.

comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Antiquus enim hostis terram comedit: quia peccatores quosque in ventrem suæ malitiæ abscondit: isque hominum perditionem desiderans quodammodo reficitur, dum pravis eorum operationibus delectatur. Terræ ergo Sion Apostoli miserti sunt, quando Judæos ab errore conversos a peccatis absolverunt. Ecce constructus est unus paries domus Dei, quæ est Ecclesia; paries, inquam, ex circumcisione: veniet paries ex præputio, ut duo parietes in unum juncti lapidem angularem, unam construant civitatem. Videamus ergo quid sequatur:

Christus vero, lapis angularis.

Ephes. 2.

Et timebunt Gentes nomen tuum, Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Vers. 16.

Miseretur tum Judæorum, tum Gentium.

23. Quasi dicat: Non solum misereberis Sion, Judæos vocando, sed etiam Gentium, eas ad fidem convertendo. Quæ quidem non resistent Evangelio, sed agnita veritate, *timebunt nomen tuum, Domine*. Timebunt, inquam, non timore servili, sed casto & filiali. Timuerunt Gentes Deum, quando spreta idolorum cultura, & antiquæ contemtis superstitionis erroribus, baptismo sunt mundatæ pœnitentiæ, & Christianæ susceperunt instituta doctrinæ: In quibus verbis notandum, quia non ait: Sion timebit nomen tuum, Domine; sed, *Gentes timebunt nomen tuum*: quia etsi missus sit Christus ad oves quæ perierunt domus Israel, tamen illis verbum Dei repellentibus, & indignos se æternæ vitæ judicantibus, conversi sunt ad Gentes Apostoli, quæ nomen Christi cum gaudio susceperunt. Hinc namque Apostolus ait: *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas traditiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo cantabo*. Hinc rursus ait: *Quod quærebat Israel, non est consecutus, electio autem consecuta est*. ET *omnes Reges terræ gloriam tuam*: Infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia. Ignobiles vocavit, ut nobiles vinceret: piscatores elegit, ut Reges subjugaret. Ecce impletum est quod de Christo prædictum est: *Omnes Reges terræ timebunt gloriam tuam*. Omne enim culmen seculi, ad reverentiam Christi flectitur: omnis dignitas humanæ conditionis ad obsequium Christi inclinatur, sicut ait Apostolus: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Gloria Christi, resurrectio est, per quam a diabolo regnum abstulit, & mortis destruxit imperium. Qui enim in morte visus est infirmus, in resurrectione apparuit gloriosus. Unde dicit Apostolus: *Et si mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute*.

Matt. 15.
Act. 13.
Rom. 15. 8.
Rom. 11. 7.
1. Cor. 1.
Per piscatores, Reges subjugavit.
Phil. 2. 8.
2. Cor. 13. 4

Quia ædificavit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua.

Vers. 17.

Ex utroque populo ædificata est Ecclesia.

24. Causa est quare Gentes & Judæi ad fidem vocentur. Ex utroque enim populo ædificata est Sion spiritalis, quæ in celsitudine virtutum posita, terrena deserit, cælestibus intendit, futura prævidet, hostium incursus non timet. Hujus fundamenta in montibus sanctis sunt, quia sicut ait Apostolus: *Jam non sumus hospites & advenæ, sed cives Sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. In hac civitate Deus homini conjungitur, sicut scriptum est: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*. Synagogam enim reprobavit, Ecclesiam A elegit. Ideoque scriptum est: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*. Illa nempe Deus tabernacula deseruit, Sion vero, id est Ecclesiam, præsentia suæ habitationis illustravit. Unde & illic nequaquam conspicitur, hic autem ab his qui mundo sunt corde, mentis intuitu videtur; nam subditur: *Et videbitur in gloria sua*. In gloria sua Christus videtur in Ecclesia, qui in infirmitate visus est in Synagoga. In qua infirmitate nequaquam a morte videbitur, qui immortalis & impassibilis factus, cum Patre Deus in illa jam cælesti sede gloriatur. Unde dicit Apostolus: *Etsi novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus*. Possumus quoque per id quod superius dictum est: *Tu exurgens misereberis Sion*, remissionem B peccatorum quæ in Ecclesia datur, intelligere, & multiformis dona gratiæ, quæ quotidianis divinitus incrementis consequitur. Quæ in illis Deus multiplicat, quibus Sion placent lapides, id est qui & Apostolorum doctrinam recipiunt, & eorum pro posse exempla imitantur. Sed jam ad sequentia revertamur.

Psal. 86. 2.
Ephes. 2. 19
Apoc. 21. 3
2. Cor. 5. 16

Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum.

Vers. 18.

Christus justorum desideriis & precibus concessus.

25. In humilium Deus orationem respexit, quando ad humanam naturam reformandam Filium in mundum misit. Hoc enim justorum requirebat oratio, hoc Prophetarum expectabat desiderium, ut ille in mundum veniret, qui & a diabolica servitute hominem redimeret, & vitæ C aditum, quem culpa obstruxerat, gratuito pietatis suæ munere reseraret. Hinc namque Isaias ait: *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos*. Ex quibus verbis liquido colligitur, quia in eorum respexit orationem, quibus in tribulatione clamantibus non solum Salvatorem contulit, sed etiam propugnatorem misit. Idem vero qui fuit Salvator, fuit & propugnator. Salvator namque Dei Filius est, de quo scriptum est per Prophetam: *Deus ipse veniet, & salvabit nos*. Unde etiam Jesus priusquam in utero conciperetur, vocatus est ab Angelo. Nam quod propugnator sit, ipse ostendit cum per Prophetam ait: *Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum*. Ex hoc preces non sprevit: quia eis D quod deprecabantur indulsit. Si enim preces eorum sprevisset, nequaquam ad eos liberandos Filium misisset. Hinc namque Moyses ad Dominum ait: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es*. Hinc Propheta alius exclamavit, dicens: *Utinam dirumperes cælos, & descenderes*. Hinc etiam David dixit: *Deus judicium tuum Regi da*. Judicium suum Regi Deus Pater dedit, quando Dei Filius carnis humanæ substantiam assumsit. Hinc namque ad Filium ipse Pater ait: *Postula a me, et dabo tibi Gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ: reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos*. Patet ergo quia judicium suum illi dedit, cui & bonorum regnum, & inconvertibilium traE dit comminutionem. Vas enim figuli postquam semel confringitur, nullo modo postmodum reparatur. Quid ergo per confractionem vasorum figuli, nisi extrema damnatio designatur? Ibi enim per judicii severitatem quicumque confringitur, nequaquam ulterius per pœnitentiæ remedium reparabitur. Quod profecto judicium per Dei & hominum Mediatorem fiet, quia scriptum est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. In humilium nihilominus orationem

Isai. 15. 20
Isai 35. 4.
Luc. 1. & 2.
Isa. 63. 1.
Exod. 4. 13.
Isai. 64. 1.
Psal. 71. 1
Psal. 2. 8.
Johan. 5. 22

Deus

Deus respicit, cum pro se vel aliis exorantes fideles exaudit.

Vers. 19.

Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

In fidei unitate colliguntur carnales & spiritales.

26. Sicut ex duobus populis primitiva est constructa Ecclesia; ita gemina est generatio in fidei unitate collecta, carnalis scilicet, & spiritalis. Sive ergo Sion, & ea quæ sunt supradicta, ad litteram intelligamus; sive per intellectum mysticum ad Ecclesiam cuncta referantur, conveniunt superioribus sequentia, & prælibatis exponenda concordant. Dictum est enim: *Tu exurgens, Domine, misereberis Sion.* Et iterum: *Quia ædificavit Dominus Sion.* Nunc vero ait: *Scribantur hæc in generatione altera.* Quod enim Judæis fuit promissum, hoc in Gentibus videtur impletum. Si vero

Spiritalium status.

B juxta spiritalem intelligentiam per Sion Ecclesiam accipimus; per generationem alteram, spiritalem intelligimus, in qua nimirum divinæ scriptæ sunt promissiones: quia quidquid de remissione peccatorum, quidquid de æternitate felicitatis Scriptura sacra asserit, hoc in cordibus suis per amorem spiritus spiritalis generatio inscribit. Cui & dicitur: *Audi Israel præcepta Domini, & ea in corde quasi in libro scribe.* De hac præceptorum Dei inscriptione per Prophetam Dominus dicit: *Hoc est testamentum quod testabor eis: dabo leges meas in cordibus eorum, & in sensibus eorum scribam eas.* Bonus pater, qui filiis non terrenæ hereditatis jura, non luto aut lateribus constructas domos, non auri argentive præscribit acervos, quæ livoris plerumque & invidiæ seminarium sunt, &

Deuter. 6. v. 3 & 7

Jerem. 31. 33

C superbiæ ac luxus existunt fomenta; sed caritatis & dilectionis gratiam, justitiæ & pietatis proponit edicta, & veritatis legem non in lapide, vel membrana, vel ligno, vel cera, sed in tabulis cordis præscribit; ut æternæ filii promissionis vanis numquam cogitationibus occupentur, sed semper omnipotentis patris testamentum quasi præ oculis habentes, quid timere, quidve sperare debeant cogitent, & in exequendis mandatis cælestibus, votis omnibus elaborent. De his quippe ait Propheta in Psalmo: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* Quid nobilius generatione divina? Quid sublimius cælesti? Quid castius conceptione spiritali? Voluit immaculatus Dominus ut homo sine macula

Psal. 23. 6

D nasceretur peccati, & absque vitio carnalis delectationis humanæ sobolis propagaretur successio. Et ideo talem fecit Adam, ut absque peccato filios ederet, si in Conditoris obedientia perstitisset. Posset namque fieri ut sicut absque delectatione fructus suos terra germinat, ita sine peccato filium mulier pareret; & sicut ipse a Deo Adam pure conditus fuerat, ita homo hominem pure procrearet. Quod homini cur esse incredibile videatur, cum apibus etiam hoc ipsum conferatur? Sed quia Domino suo obedire humana anima renuit, animæ imperio caro obtemperare contempsit. Nam & rebellis ei semper postmodum extitit, et adversus eam cujus ancilla fuerat, se in

Et carnalium.

E superbiam erexit. Plerumque autem usque adeo erigitur, ut ipsa dominæ suæ versa vice dominetur. Unde fit, ut in filiorum procreatione per delectationem in peccatum incidat, et bonum opus male operando, delinquat.

Hominem carnalem factum, Christus ex Virgine natus reparavit.

27. Sed Dei hominumque Mediator, sicut nobis quam perdideramus vitam contulit, ita etiam hanc in nobis generationem reparavit. Unde et de Virgine, et sine peccato nasci voluit: ut ex hoc patenter ostenderet, quia hoc etiam nobis inter

A innumera beneficiorum suorum dona conferret. Ideoque ait: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Quam Virginis conceptionem nequaquam signum esse diceret, nisi aliquid nobis in ipsa sua nativitate quod credere deberemus signaret. Unde rursum scriptum est: *O radix Jesse, qui stas in signum populorum.* Signum enim fuit populis illa Christi sine virili commixtione nativitas, quod his qui credunt in nomine ejus, daturus erat *potestatem filios Dei fieri: his videlicet qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Sicut namque beata Maria Christum peperit virgo, et post partum incorrupta permansit: ita et mater Ecclesia filios Deo

Isai. 7. 14.

Isai. 11. 10

Johan. 1. 12

Ecclesia Virgo filios Deo generat.

B sine dolore generat, et virgo semper illibata perseverat. Qui in hoc quoque quod Deum toto corde diligunt, patrem se Deum habere evidenter ostendunt. Filiorum enim est diligere, non timere. Porro in hac dilectione nequaquam torpescunt otio, aut operibus insolescunt, sed et in mandatis cælestibus voluntatem Dei custodiunt, et ex virtutum operatione nullam ab hominibus laudem quærunt. Unde et subditur: *Et populus qui creabitur, laudabit Dominum.* In operibus nempe suis Deum laudant, qui bonum quod faciunt, nequaquam sibi, sed gratiæ Dei attribuunt. Unde et Paulus cum plus omnibus se laborasse dixisset, subjecit atque ait: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Sed quæ in nobis sunt sanctitatis ope-

1. Cor. 15. 10.

C ra, ita sunt ad proximorum ædificationem exterius trahenda, ut in eis non favor aut gratia humana requiratur, sed ipse, a quo hæc sunt hominibus collata, Deus laudetur. Hinc namque per semetipsam Veritas Apostolis ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.*

Matth. 5. 16

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit.

Vers. 20.

28. Nec nova post creationem nasceretur, nec Deum perfecta Sanctorum vita laudaret, nisi per eum nos divina miseratio respexisset, qui nos in Nicodemo denuo nasci docuit, dum aliter in regnum intrare non posse, nisi ex aqua & spiritu renasceremur, monstravit. Unde dum populum

Non solum in Judæos qui prope erant, sed etiam in Gentiles qui longe, effusa Dei misericordia.

Johan. 3.

D creandum Dominum benedicturum esse Propheta dixisset, causam illico nostræ redemtionis adjecit, velut qui indubitanter sciret, aliter novum non posse creari populum, nisi Dominus & redemtor noster novus homo veniret in mundum. Nec posse quemquam amplius de vera salute ambigere, cum sciret omnipotentem medicum ad infimos descendisse. Dicatur ergo: *Quia prospexit de excelso sancto suo.* Prospicere dicimur, cum a longe intuemur. Quia ergo per Verbi Dei incarnationem non solum Judæa, quæ juxta esse videbatur, sed etiam Gentilitas liberanda erat per misericordiam, recte nunc dicitur: *Quia prospexit de excelso sancto suo*, juxta quod scriptum est: *Pacem iis qui longe, & pacem iis qui prope.* Redem-

Ephes. 2. 17

E tor noster non immerito excelsus dicitur; quia divinitatis ejus potentiam nemo mortalium intuetur: denique & sanctus extitit, & Dei per omnia fuit. Hinc namque ipse de se in Evangelio ait: *Quem Deus sanctificavit, & misit in mundum.* Nam quod Dei per omnia fuerit, ipse testatur cum ait: *Non potest Filius a seipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Idem autem qui excelsus extitit, ipse etiam cælum fuit: sed excelsus propter sublimitatem, cæ-

Johan. 10. 36

Johan. 5. 19

Coloss. 2. 9.
Isai 66 1.

lum vero propter divinam inhabitationem. *In eo* A *enim*, sicut testatur Apostolus, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Et per Prophetam quoque Dominus ait: *Cælum mihi sedes est*. Quæ autem major sedes Dei, quam Christus? Cælum igitur Dei Christus est, de quo Dominus in terram aspexit, ut eum peccantibus quibusque spem per eum veniæ tribuit, de cælo in terram aspexit, ut cælum fieret qui terra fuit. Quod aperte ostenditur, cum illico subjungitur.

Vers. 21

Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum.

Sancti cur compediti dicantur.

29. Sancti viri non incongrue compediti dicuntur: quia ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea quæ exteriora sunt vagantur, & quasi gressum operis immobiliter figunt, dum a Con- B ditoris desiderio nusquam discedunt. De his namque compedibus scriptum est: *Injice pedes tuos in compedes ejus, & in torques illius collum tuum*. Quia profecto cujus a pravitate gressus compescitur, ejus fides sanctarum varietate virtutum adornatur. Collum namque fides est, per quam Deo fidelis quisque conjungitur, & quasi per collum capiti suo Christo Ecclesia, quæ ejus est corpus, unitur. Unde in laudem sponsæ in Canticis canticorum dicitur: *Collum tuum sicut monilia*. Quia enim, sicut Jacobus ait: *Fides sine operibus mortua est*; quasi collum sponsæ monilibus circumdatur, dum fides sanctæ animæ operibus decoratur. Gemunt continue compediti; quia dum exilii sui tenebras electi considerant, ad claritatem C visionis Dei indesinenter suspirant. Sed eorum gemitus nequaquam Deus audiret, nisi Mediatorem nobis Filium suum dedisset. Unde dicit Apostolus: *Per quem accessum habemus ad Patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Constat ergo quia nullius audiret gemitum Deus, nisi ille venisset, per quem ad Patrem habemus accessum. *Ut solveret filios interemptorum*. Filii interemtorum sunt imitatores Martyrum, eorum scilicet, qui vel pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine Agni laverunt stolas suas: vel qui membra sua super terram mortificantes, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifixerunt. Possumus quoque per compeditos, eos accipere, qui mortalitatis & passibilitatis vinculis se astrictos in- D telligunt, & miseriis humanæ necessitatis afflicti indesinenter gemunt.

Eccl. 6. 25.
Cant 1. 10.
Jacob. 2. 26.
Ephes. 2. 18
Duplex martyrum genus. Apoc. 7.
Gal 5.

Vers 22

Ut annuntient in Sion nomen Domini, & laudem ejus in Jerusalem.

Nomen Domini, misericordia.

30. Solutis peccatorum vinculis, eo magis in Ecclesia nomen Dei annuntiant, quo eis dimissum est de peccatorum excessibus quod timebant. Quid vero aliud est nomen Domini annuntiare, nisi Dei misericordiam in Ecclesia prædicare? Dominorum enim est misereri. Hinc namque de Christo dicitur: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Scimus enim quia Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus judex est humani generis; juxta quod scriptum est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. Qui si in E primo adventu venisset in nomine judicis, nemo profecto foret, qui pœnam æternæ evaderet damnationis. *Omnes enim*, ut ait Apostolus, *peccaverunt, & egent gloria Dei*. Venit ergo in nomine Domini, qui venit ut peccata dimitteret, non ut peccatores damnaret. Venit, inquam, in nomine Domini primo, qui in nomine judicis in adven-

Matth. 21. et Psal. 117. 26.
Johan. 5. 22.
Rom. 3. 23.

A tu veniet secundo, In Sion ergo nomen Domini annuntiant, qui Dei misericordiam populis prædicant. Sequitur: *Et laudem ejus in Jerusalem*. Unam Ecclesiam propter diversas causas diversis appellat nominibus: Sion eam nominans, sicut quæ ad alta sustollitur: Jerusalem vero, quæ quasi jam mortificatis hostibus, veram in se pacem intuetur. Notandum vero quia nomen Domini prius annuntiandum, postea vero posuit esse laudandum. Agnitionem enim nominis, laus sequitur confessionis. Quomodo enim credent ei quem non audierunt? Quæ autem major laus Dei, quam quod mundus in unitate fidei collectus, non solum opera ejus annuntiat, sed etiam vita eum & operibus laudat. Unde & subditur:

Ecclesia variis nominibus.
Rom. 10.

B *In conveniendo populos in unum, & Reges ut serviant Domino.*

Vers. 23.

Respondit ei in via virtutis suæ, paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Vers. 24.

31. In unum convenerunt populi in Ecclesia per totum orbem diffusa, quæ Christum credit esse Filium Dei. De hac unitate dicit Apostolus: *Unus Deus, una fides, unum baptisma*. Extra hanc nemo laudat Deum, nemo annuntiat. Hanc designabat ille unus qui post motionem aquæ in piscinam descendens sanabatur. Nemo namque est qui veræ possit invenire salutis remedium, nisi ad unitatem fidei veniat, & per sanctificationem vitæ Christum induens, unum cum eo fiat. Hinc namque per semetipsam Veritas ait: *Hæc est vita æterna, ut cogno-* C *scant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Per reges, eos intelligas qui animorum suorum motus secundum Dei voluntatem dirigunt, eisque regum more dominantur, dum in rationis eminentia quasi in regali solio præsidentes, repugnantia quæque servituti subjiciunt, & pacatis omnibus, æquitatis leges, innocentiæ jura, in seipsis disponunt: sive etiam eos, qui populis præfecti, in rerum culmine stare videntur, dum divitiis affluunt, honoribus cumulantur, terreni præeminent dominatione imperii, & gloria mundanæ potentiæ extolluntur, non absurdum videbitur, cum & illi in ipsa cordium suorum directione Domino serviant, & isti religionis Christianæ documenta tenentes, orthodoxæ fidei jugo mentis col- D la supponant.

Ecclesia ex multis & diversis una.
Ephes. 4. 5.
Johan. 5.
Johan. 17. 3.

32. In hoc igitur populorum & regum conventu quilibet fidelis respondit Deo in [a] via veritatis positus, videlicet in Christo, qui viam se nobis proposuit dicens: *Ego sum Via, Veritas, & Vita*. Responsio autem hæc non voce æstimatur, sed opere. Non enim respondent Domino, qui vocati perverse vivunt, qui post illud divinum semen in terra rationabili susceptum, spinas perversitatis, aut tribulos producunt nequitiæ; sed qui in omni bono se aptantes, & de sua vocatione gratias Deo referunt, & fructum Deo centesimum, vel sexagesimum, aut etiam trigesimum in cordis innocentia ferunt. Notandum vero quod dicit: *In via virtutis*. Virtus namque Christi, est gloria resurrectionis ejus. Li- E cet enim opera fecerit quæ nemo alius fecit, & miraculorum signa divinitatis ejus fidem adstruant, credendi tamen in eum nulla potentior aut condecentior via extitit, quam quod mortuus & sepultus tertia die resurrexit. In via ergo virtutis Dei respondet Ecclesia, cum de gloria resurrectionis Christi nihil asserens ambiguum, nihil sentiens obscurum, studet in membris suis Christo per bapus-

a
Deo non verbis, sed operibus respondendum.
Joan. 14. 6.
Matth. 13.
Joan. 15.

a Autumat Gussanv. legendum, *virtutis*. Sicut legitur in editis omnibus, & quidem optime, quia consequenter pro tu- turo: *Ego sum Via Veritas*, &c. In Psalmo sane legitur, *in via virtutis*; ut mendum his locus explicatur.

Vitæ brevitatem intelligere, donum gratiæ est.

præsmum & pœnitentiam commori, & per novitatem vitæ Christum induens, eidem convivificari. Cum enim nihil in se lucidum, nihil vitale conspiciat, a solo Deo se putat posse acquirere & luculentarum virtutum plenitudinem, & desideratam vitæ indeficientis æternitatem. Quæ etiam nonnisi per gratiam Dei potest advertere quot sit obnoxia defectibus, quot infirmitatibus subdita, quot miseriis vallata. Ideoque dicit: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*. Quasi dicat: Qui ex meis viribus hoc consequi non valeo, ut quam pauci sint dies mei intelligam, fac ut per gratiam tuæ inspirationis, & virtutum defectum, & hujus vitæ brevitatem agnoscam; quatenus vitæ hujus volocem considerans transitum, nullum in corde sentiam de amore illius affectum.

Vers. 25.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generatione & generationem anni tui.

Illorum qui amore vitæ præsentis tenentur, periculosa mors.

33. Per dimidium dierum, imperfectionem vitæ accipimus, in qua se fidelis quisque non revocari de mundi hujus exorat exilio; ne si in die exitus sui transitoriæ adhuc vitæ amore occupatus fuerit, ad illam æternitatis vitam transire minus possit. In hac vita dimidium tantum dierum accipimus; quia etsi nos assidue solis hujus materialis splendor illuminet, sequitur tamen nox, quæ assidue illuminatos obscuret. Roget ergo unusquisque, ut dum in vitæ hujus cursu mentis amore defigitur, antequam de adipiscendis æternis satagat, a Deo non revocetur. Sancti viri etsi sunt mortali carne circumdati, nequaquam sunt in dimidio dierum; quia perfecti desiderii amore a terrenis suspensi, illa beatæ vitæ æternitate jam in spe perfruuntur. Hinc namque Paulus dicit: *Spe salvi facti sumus*. Hinc rursus ait: *Nostra conversatio in cælis est*. Sic namque inoffenso cursu ad æternitatis statum perveniunt; sic ante hujus vitæ terminum, in æternitatis desiderio mentem fixerunt. Quod quidem evidenter ostenditur, cum protinus subditur: *In generatione & generationem anni tui*. Nota quod vitam suam dierum paucorum appellatione significat, æternam vero annorum in generatione & generatione permanentium; ut per hoc quoque prudens lector intelligat, & infinitam illius futuræ felicitatis longitudinem, & labentem temporalis gloriæ brevitatem. Quis enim nesciat annos diebus multo longiores? Quia vero etiam in annis finis potest intelligi, in generatione & generatione eos permansuros dicit. Sapientia dicit: *Generatio vadit, & generatio venit, terra autem in æternum stat*. Hæc est namque instabilis vitæ illius permutatio, ut decedentibus aliis alii succedant, quibus postmodum simili modo deficientibus, alii non æquali conditione oriantur. Ex quibus tamen omnibus, quæ in seculo fuerunt vel futuræ sunt generationibus, viva illa & divina generatio perficitur, quæ in æternum claritatis Dei consortio perfruetur. In hac itaque nos, id est æternitatem Dei permansuram dicit Propheta; tunc videlicet, cum generatio quæ præcedit & quæ sequitur, una facta fuerit, novissima utpote morte destructa, quæ antequam in victoria absorbeatur, nihil stabile, nihil solidum, nihil dimittit illæsum.

Rom. 8. 24.
Philip. 3. 20.

Vitæ præsentis & æternæ discrimen.

Eccles. 1. 4.

1. Cor. 15.

Christo pro nobis passo compatiendo respondendum.

Galat. 4.

34. Quæ tamen intelligi & aliter possunt, ut ad superiora hoc modo referantur. Dictum namque est superius: *Populus qui creabitur, laudabit Dominum*. Quomodo ergo laudet, ostendit cum ait: *Respondit ei in via virtutis suæ, & laudem ejus annuntiabunt in Jerusalem*. Jerusalem vero non quæ servit cum filiis, (illa enim vocata nequaquam in laude respondet) sed illa cui dictum est: *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis*; vocata respondet Domino posita in via virtutis suæ. Via virtutis Christi, est imitatio constantiæ ejus. In hac via populus creatus, vel Jerusalem intelligibilis respondet Domino; quia sicut pro nobis Christus animam posuit, ita constantiam Christi sequens, pro fratribus animam ponere in filiis suis non recusavit. Quid vero responderit, ostendit cum ait: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*. Rogat innovatus populus, vel fecunda filiorum spiritalium mater, ut breve sibi videatur hujus tempus tribulationis, comparatione æternæ felicitatis: ne dum nimis extendi quas patitur persecutiones autumat, pro dilatione præmiorum quasi tædio victa, quam imitari proposuit Christi constantiam amittat. Tunc nobis Deus quid sequi debeamus annuntiat, cum voluntatis suæ arcana nobis inspirat. Numquid non paucitatem dierum suorum ille Deus annuntiaverat, qui dicebat: *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*? Noverat enim quia temporalium pressura passionum veloci fine concluditur, gloriæ vero cælestis felicitas nullo termino angustatur.

Isa. 54. 1.

Tribulationis tempus breve videatur.

Rom. 8. 18.

Ecclesia usque ad mundi finem permansura.

35. Possumus per paucitatem dierum, etiam aliud intelligere. Fuerunt namque hæretici qui dicerent Ecclesiam non esse generalem, sed in tempore Donati & ante finem seculi consummandam: non attendentes quod ei Dominus in Apostolis promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. Contra eos nunc dicitur: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*. Constat, quia per multiplicitatem dierum, perennis vita accipitur: per paucitatem vero, cursus istius seculi designatur. Scriptum quippe est: *Longitudo dierum in dextera ejus*. Quid enim per dexteram, nisi perpetua vita designatur? Quia ergo Sanctorum requies nullo clauditur termino, recte in dextera Dei dierum dicitur esse longitudo. Nam quod hic dicitur: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*, tale est ac si dicat Ecclesia: Sunt qui insipientiæ suæ caligine & perfidiæ detestabilis induti erroribus asserant me in brevi finiendam, & usque in finem seculi inhabitatorem non habituram: sed tu, de cujus non diffido promissionibus, nuntia paucitatem dierum meorum mihi. Futura dierum paucitas, inquam, data est Ecclesiæ, quia toto istius vitæ tempore debet fides Christiana in mundo vigere. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*. Per dimidium dierum, imperfectionem accipe temporum transeuntium, in qua quasi Deus revocari permitteret, si huic sententiæ hæreticorum faveret. Hoc autem ideo postulat, ne ab illis annis qui sunt in generatione & generatione, alicujus eam erroris perversitas abducat.

Matt. 28. 20.

Prov. 3. 16.

Vers. 26.

Initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.

36. Initium Dei Filius est, de quo scriptum est: *Ipse est initium omnis creaturæ*. Quod etiam ipse evidenter ostendit, cum se principium nominavit. Denique & in Apocalypsi ad Johannem idem ipse ait: *Ego sum α & ω, primus & novissimus, initium & finis*. In hoc initio fundata est terra, quia in ipso fundata est Ecclesia. Hinc namque Apostolus dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*. Hinc ipse Dei & hominum Mediator, ad Aposto-

Apoc. 3.

Quia in Christo fundata.

Johan. 8.
Apoc. 1. 8 & 22. 13

1. Cor. 3. 11

[Matt. 16. 18.] lorum principem ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Ipse est enim petra, a qua Petrus nomen accepit, & super quam se ædificaturum Ecclesiam dixit. Terra autem dicta est Ecclesia, tum quia in messe fidelium populorum spiritali fecunditate exuberat, tum quia in soliditate Fidei perpetua firmitate immobiliter perseverat. Unde per Salomonem dicitur: [Eccle. 1. 4.] *Terra in æternum stat*. Terra quippe in æternum stare dicitur, quia sancta Ecclesia in hoc seculo a catholica Fide nequaquam deficiet, & in futuro cum Deo æterna stabilitate permanebit. Nam quod in hac vita nullis adversitatibus frangenda sit, nullis persecutionibus superanda, ipse super quem ædificata est, evidenter ostendit cum ait: *Portæ in-* B [Matt. 16. 18.] *feri non prævalebunt adversus eam*. Portæ inferi hæreses sunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata verborum calliditate decipiunt, quasi infernorum eis aditum pandunt. Sunt etiam portæ inferi quædam potestates hujus mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, numquid non omnes portæ inferi? Quis cogitare sufficiat quanti promissionibus eorum devorati sunt? Quanti eorum metu perterriti? Quanti afflictionibus eorum superati? Quos omnes perpetuæ mortis profundum absorbuit, & ad cruciatum damnationis æternæ inferius admisit. Sed Ecclesia in illius, de qua dictum est, petræ soliditate fundata, minarum ventis concutitur, nec persecutionum fluminibus movetur, nec corporalium pœnarum incommodis C titubat, nec mortis ipsius timore vacillat. Illi vero qui inferni aditum sequacibus suis utpote portas aperiunt, eam impugnare & persequi modis omnibus non desistunt. In quo quid aliud faciunt, nisi quod veritatis verba evacuare contendunt? Non prævalebunt adversus eam portæ inferi, dicit Dominus; & tamen ut ei prævaleant, conantur. Sed fidelis Dominus in omnibus viis suis, [Psal. 101. 26] & sanctus in operibus suis. *Initio enim terram fun-* [Terra est Ecclesia prædicatorum imbribus fecunditatem consecuta.] *davit, & opera manuum ejus sunt cæli*. Quid per cælos, nisi prædicatores sanctos accipimus? Qui terram istam, de qua dictum est, verborum imbribus prædicantes inebriant, subjectis fidelium populis perpetuæ damnationis exitium comminantes intonant, ad astruendam verborum fi- D dem miracula facientes coruscant. Nam quod prædicantis verba pluviæ sint, testatur Dominus, cum per Prophetam dicit: [Isai. 55. 10.] *Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc non revertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, panem comedenti: sic erit verbum quod egreditur de ore meo*. [Cæli sunt Apostoli.] Quid apertius? Ecce sicut de cælo descendunt pluviæ, ita de prædicatoribus verba emanant doctrinæ. Isti sunt nimirum qui enarrant gloriam Dei. De quibus etiam hic dicitur, quia opera manuum ejus sunt cæli. In præcedentibus dicit Propheta: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*. [Psal. 8. 4.] hic vero ait: *Opera manuum tuarum sunt cæli*. Quid est quod ibi vocantur opera digitorum, hic ve- E ro manuum: nisi quod diversa ibi dona sancti Spiritus doctorum infundenda cordibus intelliguntur? Hic vero ipsa virtutum opera, ex eisdem tamen donis in hominum prodeuntia notitiam vocantur. Quia enim per manus omne opus agitur, ipsæ virtutum operationes per manuum opera signantur. Primum namque humanis mentibus gratia spiritalis infunditur, postmodum vero in mente quid spiritus egerit, in [Et Ecclesiæ doctores.] operibus demonstratur. Cæli etiam doctores Ec- A clesiæ dicti sunt, quia Dominus in eis præsidet, dum per eos sua judicia exercet. Quibus [Matth. 16. Joh. 20.] namque regni cælorum claves tribuit, eis ligandi atque solvendi potestatem dedit. Per eos ergo judicat, quia quodcumque ab eis ligatum fuerit, ligat. Scimus autem quia sedere judicantis est, & ipse Dominus per Prophetam dicit: *Cælum mihi sedes est*. Si ergo sedes Dei cælum est, et in Rectoribus Ecclesiæ Dominus judicat, cum [Isai. 66.] sedere judicantis sit, necessario consequitur quod Ecclesiæ Rectores cæli dicuntur. Qui profecto cæli opera manuum sunt Dei; quia hoc ipsum quod cæli sunt, ex gratia virtutis acceperunt, sicut scriptum est: *Verbo Dei cæli firmati sunt*, [Psal. 32. 6.] *& spiritu oris ejus omnis virtus eorum*.

B *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent*. [Vers. 27.]

57. Nemo jam spem suam ponat in homine. [In Sanctis perit quod ex carnali generatione est, non quod ex Deo habent.] Ipsi enim cæli etsi sint opera manuum Dei, peribunt tamen. Quomodo autem peribunt, nisi secundum corpus? Quod si secundum corpus perituri sunt, ubi resurrectio? Quam non solum negare scelus est, sed etiam de ea dubitare, summum nefas est. Patet itaque quia non sic peribunt ut non resurgant; sed ut eas quas in hac vita patiuntur, necessitates corporis evadant. In ipsa enim corporis eorum resumtione quodammodo perisse videbuntur, cum pereunte in eis corruptione, destruetur quod animale est, ut quod spiritale est vivat: & jam quasi non C sint quod fuerant, dum in aliam mutati naturam, in lumine claritatis Dei perenniter exultant. Solus namque Deus vere immortalis est, quia solus æternus & incommutabilis est. Unde dicit beatus Augustinus: Vera æternitas & vera immortalitas non est nisi in Deitate Trinitatis, cui quod est esse perfectum est: quia natura initio carens, incremento non indigens, sic nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Creaturæ autem etiam illæ quibus Deus æternitatem dedit, vel daturus est, non penitus omnis finis alienæ sunt, quia non sunt extra commutationem. Inter hæc sciendum est, quia hi, de quibus agitur, cæli peribunt & non peribunt: quia morietur in eis illa, qua ex carnali gene- D ratione contraxerunt, corruptio. Et tamen in [1. Cor. 13.] eis plenior erit, quam in hac vita per speculum & in ænigmate acceperunt, divina inhabitatio. Cæli hoc modo esse non desinent, dum ad recipiendum in semetipsis Deum, sinum cordis amplius laxent. Unde cum eos perituros Propheta dixisset, subjecit atque ait: *Tu autem permanens*. Ac si patenter dicat: Peribit quidem quidquid in eis ex humana habetur corruptione, sed permanebit in illis quod ex tua acceperunt virtute. Tu enim permanes. Liquet ergo, quia in eis non moritur quidquid de divinitatis participatione in ipsis habetur. Caro tamen in pul- [Eorum vestimenta, id est corpora veterascent.] verem redigetur, ut postmodum per resurrectionem in melius reformetur. Unde & subditur: *Om-* E *nes sicut vestimentum veterascent*. Vestimenta Sanctorum, sunt corpora eorum. Unde de quibusdam scriptum est: [Apoc. 3. 4. & 7. 14.] *Isti sunt qui non inquinaverunt vestimenta sua*. Et iterum: *Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni*. Quæ profecto vestimenta tunc veterascunt, cum animabus eorum ad cælum tendentibus, ipsa eorum corpora in terræ essentiam deducuntur. Quia vero mortalitatem corporis immutatio sequitur resurrectionis, consequenter adjunxit, dicens:

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu [Vers. 28.]

au-

autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Duplex futura est Sanctorum commutatio.

38. Non prætereundum nobis est, quod cum dixisset eos sicut opertorium mutandos, subjunxit: *Et mutabuntur.* Signavit enim his verbis duplicem illam Sanctorum in futura vita commutationem: in qua non solum corpora corruptioni in hoc seculo & morti obnoxia perpetuam percipient incorruptionem, sed etiam animę eorum & corda in æternam transibunt stabilitatem, ut sicut mori non poterunt, ita & peccare quidem non possint: & appareat in eis multiplicis bonitatis Dei beneficium, cum & mortale indueris immortalitatem, & affectus non sentiet tentationem. Notandum quod opertorium Dei, Sancti dicuntur. Sicut enim homini nihil est vicinius quam vestis, ita Deo nihil est vicinius Sanctis. Sicut enim vestimentis suis homo circumdatur, ita Sanctis suis Deus vestitur. Hinc namque per Prophetam scriptum est: *Vivo ego, dicit Dominus, quia in sublimatione tua omnibus his velut vestimento vestieris.* Hinc rursus Deo per alium Prophetam dicitur: *Myrrha & gutta & casia a vestimentis tuis.* Quia enim omnium virtutum odoramenta a Sanctis prodeunt, recte dicitur quia a vestimentis Dei myrrha & gutta & casia procedunt. Hinc namque Apostolus ait: *Christi bonus odor sumus Deo.* Vestimenta ergo Dei mutantur; quia Sancti post mortem corporis, in felicitatem transeunt vitæ cælestis. Sequitur:

Sancti cur Dei vestimenta dicantur.

Isa. 49. 18. Sec. lxx.

Psal. 44. 9.

1. Cor. 2, 15.

Dei æternitas explicatur.

39. *Tu autem ipse es.* Hæc est vera Dei æternitas, & vera ejusdem immortalitas, quod non solum nullius finis limite sempiterna ejus virtus & divinitas concluditur, sed quod potestas ac voluntas ipsius nullatenus imperfectionis cujusque, aut inconstantiæ varietate permutatur. Unde ad Moysen de seipso ait: *Ego sum qui sum.* Et iterum: *Hæc dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Ideo hic dicitur: *Tu autem idem ipse es.* Homo namque etsi ipse sit, non tamen idem est: quia hoc ex suæ mortalitatis corruptione accepit, ut in eodem statu diu permanere non possit. Quod de Deo sentire nimis absurdum est. Sicut enim est æternus, ita incommutabilis, non diminutionem sentiens, nec augmentis excrescens, non mutans propositum, non improbans quod semel est approbatum. Unde & subditur: *Et anni tui non deficient.* Si per annos Dei, æternitatem accipimus, qualiter anni ejus non deficient, aperte videmus. Quod si per annos ipsam Sanctorum multitudinem intelligere volumus, anni non deficient, quia cum illo qui numquam deficiet, unum fient. Revolutionem enim quamdam dierum, annum vocamus. Quid autem sunt Sancti, nisi dies; & quid peccatores, nisi nox? Hinc etenim scriptum est: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Anni ergo non deficient; quia Sanctorum chori postquam illam incomprehensibilem semel in semetipsis acceperint lucem, nullam amplius sentient ignorantiæ vel tentationis obscuritatem. Tunc enim dies videtur deficere, cum aut nubium, aut noctis tenebris obscuratus cœperit non lucere. Quod ab illa vita alienum erit; quia vera lux, quæ obscurari non potest, in Sanctis fulgebit.

Exod. 3. 14. Ibidem.

Psal. 18. 3.

Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum in seculum dirigetur.

Vers. 29.

Qui sint in æternitate Dei habitaturi.

40. Qui sunt filii in annis, id est in æternitate Dei habitaturi, nisi Apostolorum imitatores, cum Deo in cælesti regno perenniter mansuri? Omnes enim fideles, Apostolorum dicuntur filii: quia ab eis fuerunt in fide generati. Hinc namque ad Galatas Apostolus ait: *Filioli mei, quos iterum parturio.* In eo quod dicit filios illic & non servos habitaturos, ostendit, quod ad cęleste regnum aliquis pervenire non valeat, nisi prius vetustate abjecta, per novitatem vitæ filius fiat. Nam & ipsi quos servos vocat, Apostolorum filii fuerunt, veterem videlicet conversationem abdicantes, & in novitate vitæ per Christum ambulantes. Fuerunt igitur servi, fuerunt & filii: servi, propter laborem operis, filii propter mutationem novitatis. Hinc est quod ex filiis Israel, qui ex Ægyptiaca servitute liberati sunt, & mare Rubrum prævio ductore Moyse transierunt, nullus terram promissionis, exceptis duobus, intravit: sed filii eorum postea intraverunt, & patribus eorum repromissa divinæ largitatis beneficia acceperunt. Significabatur namque per hoc, quod ad promissam nobis ęternæ hereditatis terram nemo potest ascendere, nisi qui prius per amorem spiritus in novitate vitæ didicerit ambulare. Duo, Caleb videlicet & Josue, caput designant & corpus, Christum scilicet & Ecclesiam, qui soli ingrediuntur illam viventium terram.

Galat. 4. 19

Exod. 14.

Josue 14.

41. Quod vero ait: *Semen eorum in seculum dirigetur;* electorum voluit opera intelligi, quæ tunc profecto diriguntur in seculum, cum omnia spectant ad Deum. Semen quippe suum nequaquam dirigit, qui ex operibus suis aliquid transitorium quærit. Opera autem nostra idcirco semen dicta sunt; quia sicut ex semine fructum colligimus, sic ex operibus nostris mercedem expectamus. Hinc namque Apostolus ait: *Quæcumque seminaverit homo, hæc & metet.* Qui enim in hac vita semen boni seminaverit operis, in futura fructum æternæ consequetur remunerationis. Per seculum vero, illius beatę vitæ intelligitur ęternitas, quæ quia per varias temporum mutationes nullatenus dividitur, unius seculi appellatione non inconvenienter signatur. In illud ergo seculum dirigamus semen nostrum, & cibum operemur non qui perit, sed qui permanet in ęternam vitam. Dum tempus habemus, operemur bonum: ut cum ad indeficientem vitæ illius beatitudinem pervenerimus, perpetuos fructus in cælo colligamus. Ille enim vere perpetuus est fructus, per quem perpetuo vivimus, & perenni panis & vini satietate gaudemus. Perpetuus, inquam, quia & mandendo non minuitur, & vetustate non deterioratur.

Gal. 6. 8.

PROOEMIUM

in sextum Psalmum pœnitentialem.

Canticum graduum.

INter innumeras & rutilantium operum & eminentium structurarum, varietates, quibus templum Salomonicum adornatum fuit, hoc quoque fuisse describitur, quod quindecim ad illud gradibus ascendebatur. Quod quidem non casu vel sine causa factum credendum est. Salomon quippe cęlestium scrutator secretorum, & divinæ receptaculum sapientiæ, sic templum illud manufactum edidit, ut exinde templum aliud non manufactum signaret: quatenus ex corruptibili terrenę domus ædificio, incorrupta cælestis templi quodammodo imaginaretur pulchritudo. Ad illud namque templum quod ex vivis in cælo lapidibus construitur, non plana aut spatiosa pervenitur via, vel gressu ascenditur corporeo, sed processu fidei & caritatis

3. Reg. 6.

Plana & spatiosa non est via ad cælum.

ascen-

Psal. 83. 6. ascensu. Hinc namque Propheta dicit: *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Dixit ascensiones in corde beati viri dispositas: & unde ascendere debeamus ostendit, cum ait: *In valle lacrymarum.* In ea namque exilii nostri damnationem deplangimus, & innumerabiles corruptionis humanę deflemus molestias. Quis enim immunis a molestiis? Hinc etenim Job dicit: *Job.* 10. 15. *Si impius fuero, væ mihi est: si autem justus, non levabo caput, saturatus afflictione & miseria.* *Job.* 7. 1. Et iterum: *Tentatio est vita hominis super terram:* Quia enim in hac vita omnia vidit esse plena laqueis & tentationibus, non in ea tentationes esse dixit, sed ipsam esse tentationem memoravit.

Temporalis vitę labores. Laboriosa enim est vita temporalis, lævior fabulis, velocior cursore, instabilitate fluctuans, imbecillitate nutans: cujus habitatio in luteis domibus, immo ipsi in luto subsistens, cui nulla est fortitudo, nulla propositi constantia, nulla a turbationibus requies, nulla a laboribus reclinatio. Quis denique est quem non excruciet dolor, sollicitudo non urgeat, non subruat timor? Risus fletum sequitur, gaudium tristitia comitatur: esuriei succedit saturitas, saturitatem iterum excludit esuries: in nocte dies optatur, in die nox quæritur: in algore calor, in æstu refrigerium: ante cibum suspiria, post cibum tribulatio: irę, indignationes exagitant, & innumerabiles miseros homines motus perturbant. Hæc est vallis, de qua sancti viri mentis affectibus indesinenter exire disponunt, & ad illud ineffabile bonum, ad illud inæstimabile gaudium ascendere, quod nec *1. Cor.* 2. oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quia etsi corpore quidem inter homines esse videantur, animas tamen suas ad cælestia elevant: & illi puro & summo bono atque immortali & perpetuo adhærentes, temporalia & corruptibilia deserunt, & mundo superiores facti, in sinu divinæ contemplationis quiescunt. Ibi in illo cælesti templo cordis oculis Deum conspiciunt, immo & in ejusdem templi structura ipsi quoque lapides fiunt. Per quindecim vero illius templi gradus, spiritalis Sanctorum signatur ascensus.

Quot & quibus gradibus ad cælum ascendendum. Numerus enim iste in septem & octo dividitur, & ideo per eum gemina justorum vita signatur, activa videlicet, & contemplativa. Activa namque in mundo versatur, contemplativa vero ad cælestia erigitur. Quia vero septenario numero temporalis, octonario vero perpetua vita signatur, recte per eosdem numeros & contemplativa vita exprimitur & activa. Hinc namque prædicti templi auctor Salomon Dominum exorans, ait: *Eccle.* 11. 2. *Da mihi, Domine, partes septem, necnon & octo.* Optabat enim regiæ dignitatis potentia præditus, ita sibi subditos populos regere, ut tamen contemplationis divinæ non defraudaretur perfectione. Ipsa namque officii administratoria necessitate constrictus, cogebatur temporali actioni insistere, sed suavis eum contemplationis divinæ dulcedo reficiebat in mente. Potest etiam intelligi quod ille quindecim gradus ad illud divinę illuminationis templum ascendit, qui sempiternę virtutis Dei amore correptus, temporalibus, quę per septenarium numerum designantur, gradatim contemtis, per scalas octo beatitudinum ad sublimia provehitur, donec Deus deorum in Sion mentis oculis videatur. *Sed videmus nunc,* sicut ait Apostolus, *1. Cor.* 13. 12. *per speculum in ænigmate.* Impossibile est enim ut quis lutei hujus corporis ergastulo inclusus, aut mortalis carnis circumspectus volutabro, ascendentem super Cherubim, & super pennas ventorum volantem *Psal.* 17. Deum conspiciat, vel quanta sit ejus potentia divinitatis agnoscat. Unde per Johannem dicitur: *1. Joan.* 4. 12. *Deum nemo vidit unquam.* Et Moysi Deum videre quærenti, responsum est a Domino: *Exod.* 33. 20. *Non videbit me homo & vivet.* Quod si tanta claritas est solis, ut oculis in eum corporalibus non valeamus intendere: quanta est illius claritas qui fecit solem, ut eum possimus in hac qua sumus corruptione videre? Ipsum vero per speculum in ænigmate intueri, quod humili adventu Sponsi accepit Ecclesia, illius æternæ visionis signum est, & futuræ perfectionis imago, in qua non jam per fidem, sed per speciem ambulabimus, & revelata facie ipsam divinę majestatis gloriam irreverberatis oculis conspiciemus. Quia ergo hi quindecim Psalmi quamdam spiritalis ascensus continent formam, recte sub eodem titulo omnes prænotati sunt: ut sicut ad illud materiale templum per gradus ascendebatur lapideos, ita cæleste illud templum hæc nobis cantica præferant, per quę in Deo exultans anima, quasi per quosdam gradus ascendat. Ascensuri ergo non corpore sed spiritu, non passibus sed affectibus, hunc Psalmum decantemus; & in eo studeamus Dei meditatione appropinquare, dicentes cum Propheta:

EXPOSITIO

PSALMI SEXTI POENITENTIALIS.

Psal. 129. *Vers.* 1. *De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.*

1. Attendat unusquisque in quo profundo jaceat, & quam longe a Deo perverse agens effectus sit. Ut ad Deum oratio perveniat, de humilitatis profundo ascendat. Clamet ad eum totis viribus qui intuetur abyssos, & sedet super Cherubim, donec de profundis tenebris erutus, superno illustretur lumine, & claritate perfruatur cognitionis divinę. *Jonæ* 2. Clamavit Jonas ad Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ, & ad aures Dei oratio illius pervenit: qui eum eruit a fluctibus, eripuit a bestia, absolvit a culpa. Clamet & peccator, quem a Deo recedentem cupiditatum tempestas contrivit, quem malignus hostis absorbuit, quem præsentis seculi fluctus involvit; agnoscat se esse in profundo, ut ad Deum sua perveniat oratio. Quia vero Psalmus iste [a] ad ascendentes pertinet, videamus qualiter ad Deum justus de profundo clamet. Quomodo enim non profundus est, qui ascensiones suas in corde suo disposuit, qui intentionem cordis ad eum dirigit, qui laboris studium ad cælos attollit? Sed sciendum, quod sancti viri eo se magis infirmos & abjectos sentiunt, quo per mentis desiderium erecti, vicinius ad Deum accedunt. Tunc enim primum miseriam suam incipiunt perfecte cognoscere, cum Dei præsentiam cæperint in corde sentire. Hinc est quod Abraham, qui collocutionis divinæ gratiam meruit, pulverem se esse & cinerem memorat, dicens: *Gen.* 27. 18. *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis.* *Gen.* 32. Hinc Jacob postquam Dominum vidit, nervo femoris emarcescente, uno pede claudicavit: quia profecto debiles se esse & infirmos reputant, qui se ad videndum Deum per studium sanctæ contemplationis levant. Qui dum spem suam in carne ponere desinunt, quasi unius cruris vires amittunt. Eoque assuescunt cælesti dumtaxat desiderio inniti, quo senserint se a spe rerum temporalium debilitari. Et quasi nervum non

habent

a Quia est de numero Psalmorum graduum.

habent in femore, dum non confidunt in carnali generatione. Omnia quæ sub cælo sunt, vanitatem æstimant: & cum præsentis vitę miseriis plenos se esse & obsitos circumquaque conspiciunt, quasi de profundis ad Deum clamant. Magna profunditas vita mortalis, in qua nihil est certum, nihil vitale, nihil tutum, nihil tranquillum. Magna, inquam, profunditas, in qua peccator obruitur, impius immergitur, justus turbatur. Ideo namque clamat & dicit: *De profundis clamavi ad te, Domine.*

In oratione perseverandum.

2. In quo notandum, quia non ait, clamo, sed clamavi. Habes in hoc perseverantię documentum; ut si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, immo precibus & clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit: *Regnum Dei vim patitur & violenti rapiunt illud.* Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, cave ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, ut regnum cælorum accipias; esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas cælis. Quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur: proximus non læditur, sed juvatur: peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, qua non quæritur lucrum cito periturum, sed regnum acquiritur sine fine mansurum. Discant qui res alienas, divino postposito timore, diripiunt, & rapinis pauperum magis peccata cumulare quam lucra augere non cessant, aliquid rapere quo & veras sibi vindicent divitias, & gloriam laudis perpetuæ acquirant; ne in hoc quoque stultitiæ arguantur, si cum possint pretiosa & ęterna diripere, vilia solum & transitoria videantur auferre. Inferant & ipsis cęlis violentiam, & regnum cælorum quadam orationis vi rapiant. Sint in precibus importuni, ut ex longo clamoris usu dicere possint: *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Nominis venerandi repetitio, precandi adauget affectum. Movetur enim desiderium, si nomen quod diligitur, replicatur. Videtur hic qui loquitur quamdam exauditionis causam prætendere, cum se insinuat clamasse, ut quasi jure debeat exaudiri, qui dudum institit clamori. Hanc & Apostoli causam Domino dedisse leguntur, cum, Chananæa rogante, dixerunt: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Ideo namque a Domino exaudiri meruit, quia prima Domini responsione repulsa, clamare nequaquam cessavit. Fide quippe & dilectione accensa, a clamore non antea destitit, quam optatam filiæ salutem acquisivit.

Matth. 11. 12 · *Matth. 15. 23*

Vers. 2. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.*

Enixe a Deo postulandum

3. Ascendens iste majus aliquid rogare aggreditur, & in ipsa etiam sua oratione ascendit, cum hoc a Deo expostulat, ut quasi quodammodo aures inclinans orationi suæ Deus intendat; ne forte sit mora in exauditione, si longe sint aures ab oratione. Videtur enim quemdam divinæ miserationis pręcipuum precari affectum, cum rogat eum quodammodo ad audiendum affectari: ut cum vocem velit audire supplicantis, opus non differat exercere miserentis, humanæ in hoc sequens locutionis modum: quasi hujusmodi Deus affectione indigeat, quem non effugit cogitatio, non latet voluntas, dum ei nec intentio silet, nec desiderium tacet. Nam dum potens quilibet supplicantem aliquem audire negligit, quasi primo aditu repulsus, exaudiri qui supplicat diffidit. Si vero qui rogatur, primo libenter audire cœperit, & aliis postpositis negotiis, verbis solummodo rogantis intendere, continuo ille qui rogaturus advenit, quamquam concipit impetrandi fiduciam, & ipsa quodammodo spe animatus, suam liberius proloquitur causam. Magnum quippe bonæ voluntatis suæ dominus illi dedit indicium, cum loquenti se præbuit incunctanter intentum. Sic & nos cum dari nobis veniam a Deo querimus, & cælestis gratiæ vitalia dona conferri, si nobis Deum præsentem aliquibus suavitatis & dulcedinis suæ senserimus indiciis, ad ipsius desiderium studiosius animamur, super his quæ cupimus adipiscendis aliquatenus certiores effecti, cum ille quem anima nostra desiderat, desiderantibus nobis per misericordiam appropinquat. Ascendens igitur iste, qui ad illius incorruptibilis celsitudinem mentem levare proposuit, aures Dei deprecationi suæ intentas deposcit: ut quia oratio sua ad Deum per rectæ studium intentionis dirigitur, circa eum quem rogat, velociter exaudiatur. Ascendenti autem & provecto viro a Domino per Prophetam dicitur: *Adhuc loquente te dicam: Ecce adsum.* Inter orationem & deprecationem hoc interest: quia oratio pro virtute perseverantiæ, deprecatio vero fit pro peccatorum impunitate. Ideo qui ad celsitudinis arcem ascendere contendit, dicit: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Deprecatur enim Deum ut peccatorum suorum obliviscatur, ut pater esse velit, non judex. Ideoque subjungit, dicens:

Isai. 58. 9.

Quid differunt oratio & deprecatio.

Vers. 3. *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?*

Confitenda peccata & emendanda

4. Nomen repetit, ut affectum excitet. Iniquitatem Deus observaret, si peccatoribus veniam negaret. Si solummodo ostenderet severitatem, non etiam adhiberet pietatem. Quod si faceret, nemo æternæ gloriam felicitatis expectaret: nemo ad patiendum justi examinis pœnam sufficeret. *Omnes enim peccaverunt,* ut ait Apostolus, *& egent gratia Dei.* Verum quia pœnitentibus ex corde ignoscit, & peccatore converso omnium iniquitatum ejus obliviscitur, quis jam de misericordia dubitet? quis jam de venia desperet? Hæc etenim per Prophetam Dominus pollicetur, dicens: *Ego sum, ego sum, qui deleo ut nebulam iniquitates tuas, ut justificeris.* Attende qualiter peccati confessio peccata oblitteret, quæ justificat iniquum, tollit a Deo memoriam peccatorum. Confiteamur ut deleantur nostra peccata, nec post confessionem ad ea revertamur, sed juxta Apostolum, in anteriora nos extendentes, quæ retro sunt obliviscamur. Non gestiamus reverti in Ægyptum, aut sedere super ollas carnium; nec simus concupiscentes malorum, nec idola mentis veneremur, nec Deum tentemus, nec in deserto mundi hujus murmuremus. Confiteamur de præteritis peccatis nos accusantes, confiteamur de peccatorum indulgentia Deum laudantes. Est namque confessio peccati, & confessio laudis. Si enim confessio laudis non esset, Salvator noster nequaquam dixisset: *Confiteor tibi, Pater Domine cæli & terræ.* Nam quomodo peccatum confiteretur, qui peccatum non fecit? Præcedat itaque confessio, ut laudatio sequatur, sicut scriptum est: *Rectos decet collaudatio.* Habemus enim Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris, de quo & aperte sequitur:

Rom. 3. 23 · *Ezech. 18* · *Isai. 43. 25.* · *Philip. 3. Exod. 16. 1. Cor. 10.* · *Matt. 11. 25 1. Petr. 2.* · *Psal. 32. 1. Hebr. 4.*

Vers. 4. *Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te, Domine.*

Hebr. 9.

5. Quis est propitiatio nisi Christus Jesus, qui

[Christus propitiatio pro peccatis nostris. Tit. 2. 1 Johan. 2.2. Psal. 109. 1. Rom. 8.]

se obtulit sacrificium Deo, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum? Denique Johannes ait: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Qui est apud Deum: quia sedet ad dexteram Dei, sicut dicit Propheta: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Apostolus quoque perhibet quod ad dexteram Patris sedens pro nobis interpellet.

[Lex Dei misericordia.]

6. ***Et propter legem tuam sustinui te, Domine.*** Lex Dei, misericordia est, qua peccantibus veniam contulit, revertentibus ęternæ vitę aditum patefecit. Hanc legem pro crucifixoribus suis Patrem exorans Christus implevit, hanc nobis tenendam verus magister indixit. Ait enim: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est*. In quo profecto ostendit, quia filii Dei aliter esse non possumus, nisi misericordiæ legem servantes, inimicos diligamus. Hanc etiam nobis Paulus tenendam insinuat, cum ait: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*. Quis autem portat alterius onera, nisi qui caritatem habet? Qui enim veraciter diligit, læsus non lędit, contumeliis vicem non reddit, detrahentibus sibi non detrahit, qui eum oderunt, non odit. Scriptum namque est: *Caritas patiens est, benigna est*. Patiens quidem, ut aliena mala toleret: benigna vero, ut ipsos etiam quos portat, amet. Qui ergo illata mala æquanimiter tolerat, quasi infirmi fratris onera portat. Hęc lex misericordię, per quam perpetuam evadere damnationem confidimus, per quam etiam Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum expectamus. Qui si, ut supra dictum est, iniquitates observaret, nemo sustinere sufficeret. Sustinemus autem eum propter legem suam, qui peccantibus in nos idcirco dimittimus, ut peccatorum nostrorum ab eo veniam percipiamus. Hinc namque per semetipsam Veritas ait: *Dimittite, et dimittetur vobis*.

[Luc. 23. Luc. 6. 27. Qui in tenendo inimicos observare. Gal. 6. 2. 1. Cor. 13. 4. Phil. 3. Luc. 6. 37.]

[Vers. 5.] ***Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.***

[Manendum in eo qui manet in æternum.]

7. Vide perfectę caritatis ordinem. Ascendens iste & in amore divino proficiens, qui fide & dilectione introrsus accenditur, desiderio ad ęterna erigitur, spe ad summa levatur, proximorum non negligit curam, non postponit salutem: ad eos inter ipsa divinæ gaudia contemplationis convertitur, & ut gradibus eisdem ad Deum accedant, hortatur: eis nimirum exemplum se proponens, ut si infirmitate aliqua impediantur a desiderio proficientis, jam & pervenientis promoveantur exemplo. Ideoque ait: *Sustinuit anima mea in verbo ejus*. Nolite diffidere, nolite dubitare, ponite corda vestra in virtute ejus; quia *sustinuit anima mea in verbo ejus*. Qui manet in verbo, non fraudatur a regno. Aliter namque fructum facere non possumus, nisi in eo maneamus. Ideoque ait: *Manete in me, et ego in vobis*. Ubi enim manendum, nisi in ipso? Deficient domus, palatia corruent, destruentur civitates, ab imis sedibus turres evellentur: postremo, cęlum & terra transibunt, verbum autem Domini manet in æternum. Non sequamur vanitatem, deserentes veritatem: nec contristemur sicut cęteri, qui spem non habent, sed sustineamus eum. Et si moram fecerit, expectemus, ne contingat nobis quod per prophetam dicitur: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam*. Unde & subditur: *Speravit anima mea in Domino*. Quicumque mundanæ adversitatis fractus molestiis, diabolicæ tentationis infestatione dejectus, a spe cęlestium promissionum deciderit, sustinentię quam prius habuerat, mercedem amittit. Qui vero sustinebit, magnam reportabit remunerationem. *Fidelis* enim *Dominus in omnibus viis suis*. Promisit in hac vita pœnitentibus veniam. Manifestum est ergo quia sicut confitentibus remissionem tribuit peccatorum, ita a spe non decidentibus dabit regnum cælorum. Ideo qui in verbo ejus sustinuit, in Domino sperare se dicit. Sicut enim maledictus homo, qui confidit in homine; ita & beatus cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

[Psal. 47. Johan. 15. 4. Matth. 24. Isai. 40. 8. 1. Thess. 4. Eccli. 2. 17. Psal. 144. 13. Jerem. 17. Psal. 39.]

[Vers. 6.] *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.*

[Resurrectio spei nostræ fundamentum est. Rom. 8. 25.]

8. Si ad litteram hoc accipiamus, dehortari nos potius quam monere videtur. Quis enim tam pusillanimis, ut una tantum die speret in Domino? Ubi jam erit illa Pauli sententia, qua ait: *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus*? Quam parva unius diei patientia, & quam brevis expectatio! Sed ut hunc locum melius intelligamus, ad vicesimi primi Psalmi titulum curramus. Intitulatur enim, *Pro assumtione matutina*. Quę est assumtio matutina, nisi resurrectio a Deo mane facta? Ibi nempe & custodia facta fuit, ad hoc usque prorumpente Judaicę perfidiæ cæcitate, ut quem viderant mortuum, crederent non resurrecturum: et ne eum discipuli nocte raperent, custodibus sepulcrum munierunt. Alia translatio habet, *A vigilia matutina*: per quod aptius ipsa Domini resurrectio exprimitur. Qui enim dormivit in morte, vigilavit in resurrectione. Ideoque dicit: *Ego dormivi, & soporatus sum, & resurrexi*. Et iterum: *Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto*. Hęc itaque resurrectio spei nostræ fundamentum est: quia illuc nos perventuros speramus, quo caput nostrum præcessisse cognoscimus. Multos enim ante hanc resurrectionem legimus resuscitatos, et tamen dicit Apostolus: *Quia primitiæ dormientium Christus*. Johannes quoque primogenitum mortuorum eum nominat. Quotquot enim ante eum resurrexerunt, iterum mortui sunt: *Christus vero resurgens a mortuis, jam non moritur*. Christi ergo resurrectio spei nostræ fundamentum est: quia in illa vita resurrecturos nos credimus, in qua nos cum eo victuros sine fine speramus. Nec debet jam homo de resurrectionis veritate ambigere, cum sciat verum hominem Christum a mortuis resurrexisse. Ad hoc enim mortuus est, ut viveremus: accepit a nobis, ut offerret pro nobis. Moriendo itaque mortem destruxit, resurgendo vitæ aditum nobis patefecit. Hinc est quod eidem Ecclesia dicit: *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Ante adventum quippe ejus, vitæ via omnibus ignota fuerat, tendentibus cunctis ad mortem, et ad inferos descendentibus etiam electis, donec ille veniret, qui et impios ad justificationem, et mortuos vocaret ad vitam; veram fidem adstruens mortis et resurrectionis suæ indicio, et doctrinæ novæ nos formans institutis, per quæ nimirum et mortem possemus evadere, et in novitate vitę per adjunctam Spiritus sancti gratiam ambulare.

[Psal. 21. 1. Matt. 27. Psal. 3. 6. Psal. 101. 8. 1. Cor. 15. 20. Apoc. 1. Rom. 6. 9. Psal. 15. 11.]

9. Pos-

9. Possumus quoque per custodiam matutinam ipsa fidei nostræ rudimenta accipere, ut a tempore accepti baptismatis, post illustrationem gratiæ salutaris, intentionem suam unusquisque ad eum dirigat, & spem suam in eo singulariter ponat. Quasi enim matutinam lucem recipit anima, cum tenebris infidelitatis expulsis, & vitiorum detersa caligine, & emundatis peccatorum maculis per lavacrum regenerationis, paulatim incipit Deum agnoscere, & in lumine jucundari cognitionis divinæ. Est enim lumen cognitio Dei, de qua scriptum est: *Illuminate vobis lumen cognitionis*. Magnum lumen, quod tenebras cordis evacuat, mentis oculos purgat, animos erigit, corda accendit, edocet semitas justitiæ, desiderium virtutis adauget. Magnum lumen, per quod vitamus offendicula, præcipitia præcavemus, evadimus pericula, pertransimus laqueos, non timemus prospera, sustinemus adversa, respuimus errorem, sequimur veritatem. Quis non desideret hoc illuminari lumine? quis non hoc fulgore illustrari exoptet? Hinc est quod Propheta nos admonet, dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini*. Qui accedit per fidem, illuminatur per cognitionem. Statim autem post illuminationem, gratiæ spem sequi oportet. Hoc enim monet qui dicit: *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino*. Quæ est hæc custodia? Numquid auri vel argenti? Num monilium, vel lapidum pretiosorum? Num vestium, vel pecuniarum? Nonne hæc sunt quæ mergunt hominem in interitum? Sed est his multo pretiosius, quod illuminatum custodiri oporteat. Dicit enim Propheta: *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa: desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum*. Denique de Sapientia dictum est, quia est pretiosior cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Hæ sunt ergo divitiæ, quas custodire debet qui de nocte ad matutinum pervenit, multo pretiosiores terrenis, & temporalibus veriores, quas nec ignis exurere, nec tinea comedere, nec prædo potest auferre. Hæc etiam mihi videtur Propheta sensisse eum in præcedentibus quæreret: *In quo corrigit adolescentior viam suam?* Ne si hoc sine discussione assereret, videretur quod adjunctum est, magis præcipitatione prolatum, quam ex judicio definitum. Et ne consilium eo salubrius crederetur; quo propensiori meditatione examinatum videretur, secutus adjunxit: *In custodiendo sermones tuos*. Conversus autem ad Deum, ad interrogata respondet, ut divinæ pietatis remedium crederetur, quod esset inventum non præsumtione humana, sed inspiratione divina. Hinc Jeremias ait: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & tacebit*. Jugum est verbum Dei, mentis nostræ collo impositum, ut nec alta cervice, aut nutibus procedamus oculorum, nec de accepta qualibet gratia inflemur, nec extollamus in altum cornu nostrum, nec adversus Deum iniquitatem loquamur: sed in omnibus sicut Dei ministros nosmetipsos exhibentes, animas nostras humiliemus, & juxta Apostolum, imitatores Dei sicut filii carissimi existamus.

10. Portandum autem hoc jugum ab adolescentia, ut juventutis annos congrua disciplinæ correctione unusquisque præveniat: ne si post decursæ juventutis annos jugum tulerit, suorum stimuletur rememoratione peccatorum, & erroris usu & peccandi consuetudine exagitetur, & novis

Per h[...] [...]nem, [...] recepi. us.
Osee 10. 12. sec. Septuag.
Psal. 33. 6.
Illud sequitur spes gratiæ.
Psal. 18. 10.
Et judiciorum Dei custodia.
Prov. 3.
Matth. 6.
Psal. 118. 9.
Thren. 3. 27.
Isa. 3.
Psal. 74.
2. Cor. 6.
Ephes. 5.
Portandum ab adolescentia Dei jugum.

semper insurgentibus præliis, eos in seipso sentiat impugnationum tumultus, per quod quotidie aut victor existat, aut victus. Nam si ab ipsis adolescentiæ primordiis cervicem verbi jugo subdiderit, omnibus in seipso rite compositis, in pace sedebit. Sedebit quidem, animæ carnem subjiciens, & de tribunali rationis, quasi de judiciaria sede omnibus internis motibus velut quibusdam civibus edicta proponens. Sedebit, inquam, nullum metuens hostem, nullam sentiens impugnationem. Stare namque pugnantis est, sedere vero feriati. Sedebit quoque solitarius, id est ab omni carnalium desideriorum tumultu remotus. De hac solitudine David dicit: *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine*. Neque enim rex potentissimus qui tot millibus populorum præerat, in solitudine habitabat. Habitabat autem in solitudine cordis sui, in qua nullos hostium spiritalium impetus, nullos perversarum cogitationum strepitus, nullos pateretur clamoris iniqui tumultus. Qui vero solitarius sedet, tacet: intelligens melius esse silere, quam loqui incaute. Hinc etenim scriptum est: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus*. Prius namque oportet discere, quam docere. Ideo dictum est: *Audi Israel*. Neque enim prius dixit, loquere, sed audi. Sed Prophetæ dictum est a Domino: *Fili hominis, sta super pedes tuos, & audi quæcumque loquar ad te*. Qui audit, tacet. Tacet ergo qui in lege Dei meditatur die ac nocte, & audit quid loquatur in eo Dominus Deus qui loquitur pacem in eos qui convertuntur ad cor. Restat ergo ut dicamus, quid sit quod usque ad noctem sperandum in Domino dicit. Quis dubitat noctem finem esse diei? Sic & unicuique homini finis: istius vitæ mors sua est. Potest quoque per noctem intelligi illa extremi judicii dies, quam Propheta diem nominat tenebrarum & caliginis, in qua ad cæleste regnum vocantur electi, ubi jam spes eorum terminabitur, receptis omnibus quæ in hac vita speraverunt, & ad laudem Dei concinentibus Sanctis: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum*. Quod enim videt quis, quid sperat? Speravimus ergo in hac vita, ut quod hic in spe concipimus, ibi in re habeamus.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio.

11. Commendat nobis Dei caritatem, ut nos ad sperandum hortetur. Ex hoc enim usque ad noctem speramus; quia eum misericordem credimus, longanimem scimus. Unde non incongrue per quemdam sapientem dictum est: * *Tribularer, si non scirem misericordias tuas, Domine*. Tribulationi quippe cordis nostri remedium miserationis divinæ occurrit: & contra diffidentiæ malum firmissimæ spei adhibet consolationem, promissionum divinarum certa nobis proponens exempla, quibus peccantium salutem se malle asserit quam perditionem: quorumdam quoque correctionem ad animum reducens, quos etsi a statu rectitudinis error subruit, Conditoris tamen gratia in melius reformavit. Ecce gravium delictorum mole obrutus, & de meritorum qualitate diffisus aspicio Zachæum, intueor Mariam, considero Petrum, perpendo latronem: in quibus miserationis divinæ splendor apparuit, atque per eos spem veniæ peccantibus dedit. Hæ sunt inæstimabilis miserationis Dei divitiæ, humano quidem generi a seculis absconditæ, novissimis vero temporibus per mediatorem Dei & hominum declaratæ. Quæ pro sui immensitate adeo incomprehensibiles sunt, ut in explanatione eorum manus torpeat, fatiscant ingenia, eloquentiæ conti-

Psal. 54. 8.
Ad id solitarii sedeamus & taceamus.
Prov. 12. 12
Deuter. 6.
Ezec. 2. 1.
Psal. 84.
Joel 2.
Psal. 47. 9
Rom. 8.
Vers. 7.
Divinarum promissionum certitudo contra diffidentiam munit.
* Initium est Responsorii 8. in officio noct. Dominicæ 2. Quadragesimæ.
Ezec. 33.
Miserationis divinæ miracula.
Luc. 19.
Luc. 7.
Matth. 25.
Luc. 23.
1. Tim. 2.

cescant. Superant enim sensum, sermonem transcendunt, intellectum excedunt. Quis enim digne enarrare sufficiat quantæ misericordiæ fuit, unigenitum Dei Filium de sinu Patris ad publicum nostrum descendere, carnem mortalem assumere, irrisiones pro nobis, vincula, flagella, crucem, mortemque tolerare? Quis cogitare valeat quantæ fuerit gratiæ, ovem perditam quærere, quæsitam invenire, inventam in humeris portare? Quis exponere queat, quantæ fuerit miserationis, sacratissima pretiosi sanguinis effusione genus humanum redimere, & sacrosanctum vivifici corporis & sanguinis sui mysterium membris suis tribuere? cujus perceptione corpus suum, quod est Ecclesia, pascitur & potatur, abluitur, & sanctificatur? Ideo & plenitudo temporis tempus gratiæ nominatur, in quo juxta Pauli vocem, *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & juste & pie vivamus in hoc seculo.* Et iterum: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Hinc per Zachariam Prophetam dicitur: *In die illa erit fons patens domus David inhabitantibus Jerusalem, in ablutione peccatoris & menstruatæ.* Quis est iste fons, nisi unigenitus Dei Filius? de quo per Prophetam dicitur: *Apud te est fons vitæ.* Qui nimirum tunc patens extitit, quando in mundo visibilis apparens, pro liberatione nostra carnem suscepit. Qui etiam domus David dictus est; quia ex semine David secundum carnem natus est. Jerusalem vero visio pacis interpretatur. Hi ergo Jerusalem inhabitant, qui ad amorem cælestium mentem levant. Peccator vero & menstruata, est vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ labitur in prava cogitatione. Menstruata namque mulier ita in seipsa polluitur, ut aliena carne minime tangatur. Quasi ergo menstruata illa est anima, quæ etsi in pravi operis affectum non ducitur, in immundarum tamen cogitationum delectatione versatur. Quia igitur jam patet nobis fons misericordiæ Redemtor noster, toto hunc pectore hauriamus, ut extinguere sitim carnalium desideriorum valeamus. Lavemus in eo maculas criminum, notas diluamus carnalium cogitationum. Et qui fontem misericordiæ, si clausus esset, quærere debuimus, saltem apertum & patentem non negligamus. Sperandum namque nobis est, quia ibi pœnitentiæ nostræ locus non deerit, ubi innumerabilium hominum compunctio locum invenit. Ad hoc enim patet ut lavet, ad hoc fluit ut lætificet, ad hoc redundat ut purget. Nam subditur:

Tit. 2. 11. — *Tit. 3. 4.* — *Zach. 13. 1.* — *Psal. 35. 10.* — Rom. 1.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus. (*Vers. 8.*)

12. Restat igitur ut Israel efficiamur, & omnem transcendentes creaturam, in eum qui omnia creavit, mentis aciem dirigamus. Disponamus ascensiones in corde nostro, & per eas ad Conditorem Angelorum puro & simplici intellectu ascendamus. Quid enim tam suave & tam jucundum, quam mentis oculis & cordis desiderio contemplari Deum, atque ejus suavissimam degustare dulcedinem, dulcissimamque sentire suavitatem? Adest nobis gloria Redemtoris nostri, quæ nos a terrenis ad cælestia erigat, oculos cordis nostri ad videndum solem justitiæ aperiat, ac per hoc ex omnibus nos iniquitatibus nostris redimat: Qui vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

In Deum, mentis acies dirigenda.

PROOEMIUM

in septimum Psalmum pœnitentialem.

Psalmus David, quando persequebatur eum Absalom filius ejus.

De Psalmi centesimi quadragesimi secundi titulo, juxta quod pietas divina contulerit, locuturus, prius volo modos aperire prophetiæ: quatenus dum ejus diversitas ostenditur, ejus & intelligentia facilius acquiratur. Sciendum namque est, quia prophetia tribus modis fit: videlicet verbis, factis, somniis. Quicumque enim Propheta futura innotuit, aut verbis, aut factis, aut somniis prophetavit. Verbis namque futura prædixit Isaias, cum ait: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Somniis vero Nabuchodonosor futura prævidit, quæ Spiritu sancto Daniel repletus enodavit. Factis Abraham futura nuntiavit, quando unicum filium suum ad sacrificia obtulit. Quem nimirum, quem in hoc opere designat, nisi eum qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Ipsa enim antiquorum patrum gesta nobis prophetiæ sunt; qui dum aliud agunt, & aliud innuunt, occulta nobis quasi per operis linguam produnt. Quod hoc in loco evidenter ostenditur, cum Absalom facta ad memoriam reducuntur. Absalom namque patrem persequens, ad hoc usque livore feralis prorupit invidiæ, ut in seipso destrueret jura naturæ. Quem enim naturaliter amare debuerat ut patrem, eum inhumane persequebatur ut hostem. Absalom autem pax patris interpretatur: non quod ei pax ulla cum patre fuerit, sed quia quantæ pacis & patientiæ extitit, in ejus perversitate pater ostendit. Quis autem per Absalom, nisi Judaicus populus; quis vero per David, ni Redemtor noster signatur? Hinc namque per Prophetam Veritas ait: *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt.* Denique ipse est filius senior, qui adolescentioris inventioni invidens & saluti, domum renuit intrare Ecclesiæ. Qui profecto canticum non cantat lætitiæ, nec concinentium admiscetur choris, & annulo carens fidei, nec stola immortalitatis induitur, nec vituli saginati alimento satiatur. Qui etiam hœdum quærit; quia agnum qui tollit peccata mundi, non sequitur: & ideo inter hœdos in judicio statuitur, nec ad cœnam nuptiarum ejus vocatur. Patrem ergo Absalom persecutus est; quia Judaicus populus dum monita salutis respuit, in propria venientem Dei Filium recipere recusavit. In tantum autem vesaniæ suæ extendere conatus est rabiem, ut suum occidere præsumeret Creatorem. In quo nimirum facto patientia Christi declarata est, qui non solum eis malum pro malo non reddidit, verumetiam ad mortem ductus pro eis oravit, dicens: *Pater ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt.* Unde & Apostolus admonet, dicens: *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* Orat autem caput in hoc Psalmo pro membris, Christus pro Ecclesia, virtus pro infirmitate. Orat quippe ut non severe judicentur, sed misericorditer exaudiantur. Persequitur etiam hoc tempore schismaticus corpus Christi, impugnat hæreticus Ecclesiam, unitatem infidelis perturbat.

Quot modis fiat prophetia. — *Isai. 7. 14.* — *Dan. 2.* — *Gen. 22.* — Rom. 8. — 2. *Reg. 18.* — Absalom Judaici populi, David Redemtoris figuram gerebat. — *Psal. 17. 46.* — *Luc. 15.* — *Joan. 1.* — *Luc. 23. 34.* — 1. *Pet. 2. 21.*

Sed

Sed clamat ad Deum Ecclesia, capiti suo Christo in unitate spiritus conjuncta. Quæ etsi omni tempore ad Deum clamat, præcipue tamen in tribulatione se ad orandum excitat, unde & dicit: *In die tribulationis meæ clamavi ad te*. Sed videamus quid dicat:

Psal. 85. 7.

EXPOSITIO.

PSALMI QUARTI POENITENTIALIS.

Psal. 142. Vers. 1.

Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia.

Pro justorum perseverantia, & pro peccatorum conversione orant Christus & Ecclesia.

1. Sancta universalis Ecclesia secundum digniorem partem sui in spe cælestium præmiorum roborata, sicut in electis habet quod conservari desideret, ita in infirmis invenit quod sibi dimitti exoret: sciens omnes divino egere auxilio, quos infelicis vitæ conditio angustat, cum & justus inter pericula securus esse non valeat, & peccantem nonnisi sola gratia divinæ miserationis absolvat. Utrobique ergo pavida, utrobique suspecta, & pro currentibus orat ut perveniant, & pro regressis obsecrat ut currant. Inter orationem autem & obsecrationem hoc interest, quod oratio pro perseverantia virtutum, obsecratio vero fit pro indulgentia peccatorum. Orat ergo caput vel Ecclesia, ut & bene operantes in justitia roborentur. In eo vero quod ait: *Auribus percipe obsecrationem meam*, delinquentium designat debilitatem, qui ad similitudinem ægrotantium quadam omnipotentis medici indigent condescensione, cum se non valeat ad eum peccator levare. Vel auribus percipe, id est obsecrationibus intende. Hoc namque per Prophetam pollicetur, dicens: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Unde & subditur: *In veritate tua*. In hoc enim vera apparet promissio; quia converso tribuitur remissio peccatorum, juxta quod scriptum est: *Justificeris in sermonibus tuis; & vincas cum judicaris*. EXAUDI *me in tua justitia*. Qui gloriatur in se, non exauditur. Non exaudiuntur illi qui ignorantes Dei justitiam, & suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Denique Pharisæus justitiam suam in templo statuere voluit, & ideo a Domino reprobatus fuit. Gloriemur ergo in justitia Dei, si exaudiri quærimus, ut nos cum Propheta dicere possimus: *Exaudi me in tua justitia*. Quis autem gloriatur in justitia Dei, nisi qui nihil boni suis meritis tribuit, & justum esse quidquid adversi tolerat, sentit? Gloriabatur Paulus in infirmitatibus suis, nihil boni non accepti se habere testabatur, humilitatis nobis exempla proponens, *ut qui glorietur, in Domino glorietur*.

Zac. 1. 3. Psal. 50. 6. Qui gloriatur in se non exauditur. Luc. 18. 2. Cor. 12. 1. Cor. 1. 31.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Vers. 2.

2. Qui contra Conditoris flagella murmurat, quasi cum eo in judicium intrat. Dei namque accusat judicium, qui se æstimat injuste percussum. Et quasi cum Deo in judicio contendit, qui inter flagella innocentem se ostendit. Hinc etenim Dominus ad beatum Job loquitur, dicens: *Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit?* Utique qui arguit Deum, debet & respondere illi. Tunc beatus Job quasi Deum arguit, cum de percussione sua an fuerit justa dubitavit. Nullius quippe delicti sibi conscius, injuste se percussum credidit; quia merita sibi augeri ex percussione nescivit. Sed qui multa de operatione sua locutus, audita Sanctorum vita tacuit, quasi cum Deo contendens facile conquievit. Vel certe ille cum Deo in judicium ingreditur, qui cum oraverit, murmurat si non exauditur. Quibus dicitur: *An vultis mecum judicio contendere?* Quasi enim judicio contendebant, qui dicebant: *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Siquidem stultum est ab oratione deficere, si Deus differat, cum rogatur, exaudire: & iniquum arguere Conditorem, si effectus non sequitur orationem, præsertim cum quid oremus sicut oportet, nesciamus. Nonnullis quippe impatientibus Dominus quod petebant, sæpe concessit iratus: sicut e contra Apostolo negavit propitius. Dedit enim regem petentibus secundum desideria cordis eorum: dedit etiam postulanti diabolo, ut Job simplicem & rectum & timentem Deum tentaret. Malignos spiritus exaudivit, & in porcorum gregem dæmonum concessit legionem intrare. Non igitur pro magno quis habeat si fuerit exauditus, cum aliquid petat quod non impetrare plus prosit. Quod si postulata non obtinet, non se abjiciat, aut de divina erga se miseratione desperet, cum forte ea peteret, quibus acceptis vel affligatur atrocius, vel inutilius prosperetur. Scriptum quippe est: *Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos*. QUIA *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Scio multos in conspectu hominum justos videri, & ad spem cælestium promissorum erectos innocenter in mundo vivere: qui etsi non delinquant in opere, labuntur tamen aliquando vana aut perversa cogitatione. Cujus enim mentem cogitationes vanæ non laniant? cujus cor tentationes non vexant? cujus animum desideria carnis non turbant? Non ergo in conspectu Dei justificatur qui corde delinquit, quod intuetur Deus.

Cum Deo in judicio contendunt, qui vel se flagellatos ab eo conquerantur, vel non exauditos. Job. 39. 32. Jerem. 2. 29. Isai. 58. 3. Rom. 8. Deus sæpe postulata concedit iratus. 2. Cor. 9. a. 1. Reg. 8. Job. 1. & 2. Matth. 8. Prov. 1. 32. Nemo in conspectu Dei perfecte justus.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Vers. 3.

3. Quis sit generis humani inimicus, ostendit qui parabolam zizaniorum exponens, ait: *Inimicus autem diabolus est*. Et Apostolus Petrus ait: *Inimicus vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. Ipse enim est qui animas persequitur, qui mortem inferre perpetuam molitur. Ipse est, inquam, qui incautos decipit, & in via hujus vitæ gradientibus laqueos tendit. Ideo Propheta ait: *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi*. Rursum de eo scriptum est: *Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitas*. Dum enim humanæ saluti invidens perdere innocentem appetit, prius ei aliquid quod libeat ostendit: quod dum appetere incautus nititur, occulto peccati mucrone transverberatur. Quasi ergo in terra pedica absconditur, dum in terrenis commodis peccatum occultatur. Decipula quoque ab antiquo hoste super semitam ponitur, cum in actione hujus mundi quam mens appetit, peccati laqueus paratur. Ita namque in terra decipula ponitur, ut exposita esca ipsa non videatur. Sic nimirum sic antiquus hostis dum subruere aliquem cupit, quasi escam in muscipula, lucrum in culpa ponit. Ad quod dum aviditatis amore viator inhiat, ex improviso eum peccati laqueus suffocat. Quis hujus hostis versutias non metuat, qui tanto est perniciosior, quanto occultior? Non enim quæ extra nos sunt auferre nititur, sed diripere thesauros interiores conatur. Nulla sibi temporalium bonorum cupiditas, nulla divitiarum ambitio, nullum dignitatis desiderium, sola interiora appetit, solas virtutes diripit, solam animam occidit. Quod si aliquando ex-

Quibus artibus diabolus nos decipiat. Matt. 13. 39. Luc. 8. 1. Petr. 5. 8. Psal. 141. 4. Job. 18. 10.

teriora tetigerit, non ea aufert ut habeat, sed ut ea auferendo animam evertat. Novimus quomodo multos quotidie fraudibus suis occupet, quomodo vestimentis gratiæ exspoliet, deceptos virtutum privet ornatu, divitiis opum defraudet, livoribus infuscet tentationum, vulneribus peccatorum transfigat. Hæc est namque perversitatis ejus intentio, ut omnibus noceat, omnes dejiciat: Denique quos in viis Dei ambulantes viderit, & in proposito justitiæ cognoverit fortiores, eos gravius persequitur, a statu rectitudinis subruere conatur: Ideoque ait: *Persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam*. Gravis persecutio. Qui cœperam amore cælestium terrena relinquere, & contemtis divitiis secularibus, in cælis conversari, jam impulsione diabolica cogor summa & æterna despicere, & de mundi hujus providentia incerta cogitare. Terrenarum rerum curis aggravor: carnalium voluptatum captus illecebris, ad ima deducor. *Deprimit enim terrena habitatio sensum multa cogitantem*. HUMILIAVIT *in terra vitam meam*. Qui contemtis cælestibus, ad ima solummodo appetenda deducitur, ejus vita in terra humiliatur. Unde fit, ut eo morti fiat proximus, quo a Deo factus est per dissimilitudinem longinquus. Hinc namque Apostolus ait: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, quæ mergunt homines in interitum*. Unde & apte subditur:

Sap. 9. 15 — *1. Tim. 6. 9*

Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Vers. 4.

Infelix peccatoris status.

4. Quid infelicius? Vivebam olim Deo, mortuus seculo: nunc e contrario mortuus Deo, mundo vivo. Quid est enim peccatum, nisi mors? Hinc etenim scriptum est: *Non est in morte qui memor sit tui*. Et iterum: *Intravit mors per fenestras nostras*. Mors namque est quæ animam a Deo separat, sensuum internorum intercludit officia, divinam deturpat imaginem, lucis adimit claritatem. Denique qui Christo moritur, in sepulcro conscientiæ tumulatur, ligatur concupiscentiarum institis, a conspectu Dei projicitur, duritie operitur, lapide iniquitatis intus clauditur. De talibus scriptum est: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*. Hos tamen aliquando resuscitat Jesus, & sublato impœnitudinis lapide, a tenebris ad lucem revocat. Et cum pro eis Ecclesia intercesserit, per ministerium eos sacerdotum absolvit. Venit ipse ad monumentum, ad lacrymas Ecclesiæ commovetur: jubet ut ad justitiam resurgat, qui pridem in iniquitate jacuerat. Tantummodo opus est ut per confessionem foras veniat, sentiat cordis dolorem, timeat judicium Dei, ab iniquitate recedat. Habet etiam in hoc Prophetæ documentum. Nam subditur: *Anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum*. Pœnitentis viri spiritus anxiatur, cum superna desiderans, carnis corruptione deprimitur. Cum enim terrenæ labis pondere prægravatus, sustolli ad altiora nititur, ipso suo conamine fatigatus lassatur. Sed eo enixius superiora desiderat, quo verius sarcinam agnoscit quam portat. Turbatur vero cor peccatoris in recordatione peccati, cum primum cœperit seipsum cognoscere, & quam longe a Deo recesserit cogitare. Nec vacat quod addidit, *In me*. Quasi enim extra se fuerat, qui spretis salubribus & æternis, de noxiis & temporalibus cogitabat: qui ægritudinis suæ molestias non sentiebat: qui se videre cum cæcus esset, putabat.

Psal. 6. 6 — *Jer. 9. 21.* — *In sepulcro ligatus & a conspectu Dei projectus jacet.* — *Psal. 72. 2.* — *Quomodo a Christo ad vitam revocetur.*

Sed eo in se rediit, quo seipsum qualis fuerat, recognovit. Scriptum namque est: *Redite prævaricatores ad cor*. Sed de filio prodigo narravit Dominus, quia cum distractis & profusis paternis bonis, vitæ cælestis alimento egeret, in se reversus sit. Non enim in se reverteretur, nisi a se prius exisset. Ideoque & pater ejus ait: *Hic filius meus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus est*. Si ergo a patre, a quo per inobedientiam discesseras, inveniri desideras, & deliciose in domo illius epulari, ad teipsum statim revertere, & discussis actibus tuis, unde excideris recordare: ut eo magis movearis ad pœnitentiam, quo incipies cognoscere quod amiseris, & perdere quod inveneris. Sequitur:

Isai. 46. 8 — *Luc. 15.* — *Ibidem. Luc. 15. 24*

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.

Vers. 5.

5. Felices antiqui dies, nihil tenebrarum, nihil caliginis præferentes. Quas divinitatis illustrabat præsentia, securitatis purgabat serenitas, lætitiæ immensitas decorabat. Dies gaudiorum & luminis, dies virtutum & pacis, dies deliciarum & suavitatis: quos non perturbabat mœror, non infestabat angustia, non obumbrabat infirmitas. Hos dies in paradiso habuit anima, antequam a statu rectitudinis per culpam caderet prævaricationis: sed eosdem tunc infeliciter perdidit, cum præcepta Conditoris servare contempsit. Potest quoque intelligi per antiquos dies, primorum parentum transgressio, per quam oculos eorum apertos testatur Scriptura. Vel etiam illecebrosa istius mundi prosperitas, fraudulenta quadam amœnitate stultis arridens, cui maledicit justus, dicens: *Pereat dies in qua natus sum*. Sancti etenim viri mundi hujus prospera magis quam adversa metuentes, in ipsis successibus suis seipsos discutiunt, & quam cito transeat mundanæ felicitatis fumus, attendunt, revolventes quod scriptum est: *In die malorum ne immemor sis bonorum*. Si quem vero in mundo prosperari viderint, & in gloria divitiarum suarum exultare; non culmen dignitatis ejus considerant, sed finem illius mente pertractant: ut tanto obnixius vera bona considerent, quanto apertius bona non esse quæ transeunt vident. Hinc namque Job dicit: *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus statim*. Qui enim in multitudine divitiarum suarum confidit, quasi in terra radicem firmavit. Sed vir sanctus ejus maledicit pulchritudini, cum illius derogat prosperitati. *Meditatus sum in omnibus operibus tuis*. Qui mundi hujus divitias fallaces esse agnoverit, & amore cælestium contemserit terrena, meditatur in operibus bonis, quæ vita hac transeunte permaneant, & æternæ vitæ præmia ferant. Neque enim tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum quo in æternitate vivatur. Sequitur: *Et in factis manuum tuarum meditabar*. Loquitur Propheta ad Deum: *Opera manuum tuarum sunt cæli*. Et alibi: *Cæli enarrant gloriam Dei*. Illi sunt cæli, qui enarrant gloriam Dei: qui opus manuum Dei dicuntur, quia divinam in se non deformant imaginem, charismatum non excludunt dona, animæ speciem non demoliuntur. Qui nihil boni sibi, sed totum gratiæ Dei tribuunt, scientes se nihil habere quod non acceperunt. Hoc enim operatus est in eis, qui vasa misericordiæ fecit eos, qui illos ante mundi constitutionem in seipso elegit, ut in se non glorientur, nec altum sapiant, sed timeant, nec dicant in abundantia sua: *Non movebor in æternum*. In his

Quas animo res volvere pœnitens debeat. — *Genes. 3.* — *Job 3. 3* — *Prospera magis metuenda, quam adversa.* — *Eccli. 11. 27.* — *Job. 5. 3* — *Temporalis vita utendum ad æternam comparandam.* — *Psal. 101. 26* — *Psal. 18. 1.* — *Qui cælorum nomine intelligendi.* — *1. Cor. 4.* — *Rom. 9.* — *Ephes. 1.* — *Psal. 29.*

his meditabitur, qui de Babylone reverſus, exempla eorum ſibi ad imitandum proponens, ne deceptus converſatione eorum qui terrena ſapiunt, in eadem quæ dimiſerat relabatur, & fiat deterior erroris confuſio, ſi poſt acceptum aratrum cœperit retro aſpicere, aut ad tollendam tunicam in domum remeare. Eorum itaque exemplo ſe ad bene operandum excitat, & cum eis abſens corpore, mente converſatur. Gloriam ergo beatitudinis æternæ quam receperunt, aut recepturi ſunt, attendit; ut eo magis ad opus bonum animetur, quo cœperit agnoſcere quod egerunt, & ſperare quod acceperunt.

Luc. 9. Matt. 23.

Verſ. 6.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Manus ad Deum expandere, ſi pro Deo bene operati. Thren. 3. 41.

6. Non ſufficit bene velle, niſi ſequatur & facere. Ideo qui in operibus bonis meditatum ſe dixerat, & in meditatione laudis Sanctorum immoratum, ſecutus adjunxit: *Expandi manus meas ad te*. Hinc namque Propheta nos admonet, dicens: *Levemus corda noſtra cum manibus ad Deum*. Quid eſt manus ad Deum expandere, niſi operationem ad omnipotentem levare? Denique ille manus ſuas contrahit, qui indigentibus nihil tribuit, qui vocem pauperis non exaudit. Hinc quidam ſapiens admonet, dicens: *Non ſit manus tua ad dandum contracta, et ad accipiendum porrecta*. Docuit ille manus expandere, qui dixit: *Date eleemoſynam, et ecce omnia munda ſunt vobis*. Et Propheta teſtatur, dicens: *In die tribulationis meæ Deum exquiſivi manibus meis*. Quid eſt enim manibus Deum exquirere, niſi operibus ſanctis Salvatorem invocare? Nec otioſe additum eſt, *Ad te*: quia ſunt plerique qui in eo quod bene agunt, laudari ab hominibus appetunt. Hi manus ſuas ad Deum non expandunt, quia per opera ſanctitatis non Deum, ſed mundi gloriam quærunt. De talibus dicit Dominus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*. Expandamus ergo manus noſtras ad Deum, ne juſtitiam noſtram faciamus coram hominibus: nec cum fatuis virginibus lampades vacuas accipiamus; ſed in vaſis noſtris oleum ſumentes, venienti ſponſo occurramus, ut dicere cum Apoſtolo poſſimus: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*.

Eccli. 4. 36. Luc. 11. 41. Pſal. 75. 3. Matt. 6. 2. Ibidem. Matt. 25. 2. Cor. 1. 12.

Ut bene operemur, a Deo eſt.

7. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*. Hoc eſt propter quod magis timoratus quiſque ſe ad bene operandum excitat, ſi ſe non extollat de meritis, ſi in ſe ſuperbiam humanæ præſumtionis extinguat, ſi nihil ſe eſſe reputet, ſi virtutis incrementum a Conditore expectet. Ideoque ait: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*. Quaſi enim terra ſine aqua, eſt anima ſine gratia. Sicut enim terra quæ imbre non perfunditur, non veſtitur herbis, non venuſtatur floribus, non abundat meſſe: ſic anima gratia carens non operitur virtutibus, non cogitat de cæleſtibus, non inſiſtit utilibus. Vitiato namque in primo parente libero arbitrio, jam nec velle quidem bonum poſſumus, niſi illius gratia adjuvemur, apud quem greſſus hominis diriguntur. Scriptum quippe eſt: *Præparatur voluntas a Domino*. Et Dominus diſcipulis ait: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Et Apoſtolus: *Deus eſt*, inquit, *qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate*. Et iterum: *Gratia Dei ſalvati eſtis, per fidem*. Si ergo fidem ſine gratia Dei nemo habet, quis ſe facere fructum æſtimet ſine adjutorio illius, qui ait: *Poſui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus veſter maneat*? Quicumque enim plantet aut riget; incaſſum vox correptionis exterius perſtrepit, niſi ille incrementum dederit, ſine quo nihil poſſumus facere.

Prov. 8. 35. ſec. lxx. Johan. 15. 16. Philip. 2. 13. Epheſ. 7. 8. Johan. 15. 16. 1. Cor. 3.

Velociter exaudi me, Domine, defecit ſpiritus meus.

Verſ. 7. Ut orantes exaudiamur, humilitas præſtat.

8. Non incongrue a quodam ſapiente dictum eſt: *Cupiditatis ipſa celeritas tarda eſt*. Parum enim eſt deſideranti juſtificationes Dei ut exaudiatur, niſi etiam velociter exaudiatur. Addit etiam cauſam, quare exaudiri debeat, quaſi inſtantem jam ſpiritum non habeat, qui ſpem ſuam omnino in Deo ponit. Dicendo enim: *Defecit ſpiritus meus*, pauperem ſpiritu ſe eſſe teſtatur, & de ſeipſo non præſumere, ſed ſacrificium Deo ſpiritum contribulatum offerre. Agnoſcit hoc etiam ſe ex gratia Dei habere quod humiliatus eſt, confidens ſe ejus auxilio erigendum, cujus gratia ſe ſentit eliſum. Hinc namque Propheta Dominum exorans, ait: *Auferes ſpiritum eorum, et deficient, et in pulverem ſuum revertentur: emittes ſpiritum tuum, et creabuntur*. Non enim receptaculum ſpiritus Dei quiſquam efficitur, niſi ſpiritu ſuo primitus evacuetur. Nam nec requieſcit ſpiritus Dei niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones Dei. Denique qui tremit, deficit. Hinc Propheta ait: *Defecit in ſalutari tuo anima mea*. Niſi enim quis a ſemetipſo deficiat, ad eum qui ſupra ipſum eſt, non appropinquat. Hinc de regina Saba ſcriptum eſt, quod audita ſapientia Salomonis, & viſis miniſtris domus ejus non habebat ultra ſpiritum: quia electorum Eccleſia de Gentibus congregata, cognita Chriſti gratia, & Evangelicæ doctrinæ inventis magiſtris, abjecto ſuperbiæ ſpiritu, omnique elationis faſtu depoſito, didicit de ſeipſa diffidere, & in Regis ſui miſericordia magna ſperare.

Gratiæ Dei adſcribendum quod humiliemur. Pſal. 103. 29. Iſai. 66. Pſal. 118. 81. 3. Reg. 10.

Non avertas faciem tuam a me, et ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Verſ. 8.

Dei erga pœnitentes miſericordia.

9. Solent domini irati ab his quibus offenſi ſunt ſervis oculos avertere, & ſi quando illi pro gratia ſupplicaverint, in partem aliam faciem declinare. Et quia recto eos intuitu conſpicere nequeunt, animorum ſuorum motus in ipſo corporis habitu oſtendunt. Deus quoque idem delinquentibus avertitur: quia turpitudinem eorum ſereno vultu inſpicere dedignatur. Sed qui abjicit delinquentem, convertitur ad pœnitentem, vocat etiam averſos, donat peccata converſis, hortatur pigros, conſolatur afflictos, docet ſtudioſos, adjuvat dimicantes, confirmat laborantes, exaudit corde clamantes. Ipſe namque per Prophetam dicit: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*. Sed quia converti ad eum ſine ipſo non poſſumus, quotidie cum Propheta clamemus: *Ne avertas faciem tuam a me, et ſimilis ero deſcendentibus in lacum*. Avertente Domino faciem, peccator in lacum deſcendit; quia niſi illum Deus miſericorditer reſpexerit, poſt multa perpetrata ſcelera in deſperationis foveam cadit. Nam & Petrus amare non fleviſſet, niſi eum Dominus reſpexiſſet. Eſt enim pœnitentia unum de perfectis donis deſcendentibus a Patre luminum. Niſi ergo benigna Dei miſericordia mentem hominis illuminaverit, impoſſibile eſt ei in novam naturam mutari, cum ſcriptum ſit: *Non poteſt a ſe facere quidquam, niſi datum fuerit deſuper*. Et Apoſtolus: *Fiduciam*, inquit, *talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Si ergo nec cogitare aliquid a nobis ſufficimus, quomodo ſine reſpectu miſericordiæ Dei pœnitentiam agemus? Sunt enim tenebræ ubi Chriſtus non reſpicit, ubi lux illa vera non ingreditur; quæ ſic lucet in tenebris, ut tamen non comprehen-

Zach. 1. 3. Niſi Deus miſericorditer nos reſpiciat in deſperationem labimur. Jac. 1. Johan. 19. 11. 2. Cor. 3. 4. Johan. 1.

Psal. 118. 135. hendatur a tenebris. Ideoque Propheta Dominum exorans dicebat: *Faciem tuam illumina super servum tuum*. Quid est autem facies Dei, nisi quædam claritas cognitionis ejus? Hanc cognitionis ejus claritatem non vident, qui misericordiam ipsius ignorant, qui de peccatorum suorum venia desperant. Illi denique in lacum descendunt, ubi lumen non videant misericordiæ, intentionem cordis non dirigant ad cælos, carnis satisfaciant desideriis, Deum contemnant, sicut scriptum est: (Prov. 18. 3.) *Peccator cum in profundum venerit, contemnit*. De talibus per Amos (Amos 9. 3.) Prophetam Dominus intonat, dicens: *Si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos*. Quid est enim celari in profundo maris, nisi in altitudine delitescere desperationis? Celat vero se, qui non confitetur peccata sua. Non confitetur autem, qui desperat de misericordia Dei. Vel certe ille se ab oculis Dei celat, qui a mandatis ejus avertitur. Oculi enim Domini, spiritus Dei, qui legem, id est mandata dedit. Qui ergo se ab oculis Dei in profundo desperationis celaverint, potestatem accipit diabolus ut eos mordeat, & in ventrem eos suæ malitiæ inducat. Ipse est enim serpens, cui dictum est: (Gen. 3. 14.) *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*.

Vers. 9. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.*

Vita præsens, nox est; futura, dies.

10. Quid est mane, nisi sequentis diei initium? Quæ autem dies, nisi illa de qua Propheta dicit: (Psal. 83. 11.) *Melior est dies una in atriis tuis super millia?* Et Apostolus: (Rom. 13. 12.) *Nox*, inquit, *præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus*. Illa est enim dies, quam verus ille sol illuminat, qui nescit occasum, quem non obtenebrat nubes, non obscurat nebula, non obumbrat turbo. Quæ recte una dicitur, quia nullius finis termino angustatur. In hac quippe vita diem non habemus, in qua per fidem, non per speciem ambulamus. In qua cæcitatis nostræ patimur tenebras, & erroris humani deflemus caliginem. In qua assiduis mœroris & angustiæ premimur nebulis, & per devia trahimur, quasi captivi lumen sapientiæ non habentes, & in cogitationibus nostris evanescentes. Cum autem Christus (Col. 3.) apparuerit vita nostra, & revelata facie Deum videre cœperimus, tunc omnis effugiet caligo tenebrarum, omnis evanescet ignorantiæ fumus, omnis dissipabitur tentationis nebula: quia & corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem. (1. Cor. 15.) Illa erit claritatis & lucis dies, quam electis omnibus præparavit, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ. Hujus diei mane est futura resurrectio, juxta quod scriptum est: (Psal. 5.) *Mane adstabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus*. (Psal. 91. 2.) Et iterum: *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime, ad annuntiandum mane misericordiam tuam*. In ea quippe justorum lucescet felicitas, apparebit gloria, videbitur exultatio; ubi absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum; (Apoc. 21.) ubi novissima destruetur mors; ubi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. (Matt. 13.)

Qui æterna felicitas, quæ secundum opera redditur, et Dei misericordiæ tribuatur.

11. In illo autem mane auditam faciet Dominus misericordiam suam, cum segregatis justis ab impiis, ovibus scilicet ab hædis, dicet his qui a dextris ejus erunt: (Matt. 25. 34.) *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*. Ibi nota fiet misericordia Dei, quam in præsenti vita mens humana capere non potest. Præparavit enim Dominus diligentibus se, quod oculus (1. Cor. 2.) non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Ideo qui per bonam conversationem a gratia Dei venientem, ad desiderium æternæ vitæ erigitur, dicit: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam*, scilicet æternam. *Misericordia* enim *Domini ab æterno usque in æternum super timentes eum*. (Psal. 102. 17.) Quod si illa Sanctorum felicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, ubi erit quod scriptum est: *Et tu reddes unicuique secundum opera sua?* (Psal. 61. 13.) Si secundum opera redditur, quomodo misericordia æstimabitur? Sed aliud est secundum opera reddere, & aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint bona opera, ejus sit & retributio gloriosa. Illi namque beatæ vitæ in quam cum Deo & de Deo vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, præsertim cum Apostolus dicat: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. (Rom. 8. 18.) Quamquam & ex hoc quoque misericordia jure possit nominari: quia pro illis operibus datur, quæ sine præventu misericordiæ Dei nemo assequitur. Unde in Psalmis dicitur: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me*. (Psal. 58. 11.) Nisi enim vasa iræ fecisset vasa misericordiæ, neminem ab illa perditionis massa conversatio sancta discerneret, neminem a pœna perpetuæ mortis justitia propria liberaret.

Bona opera, gratia prævenit.

Constat ergo quia quibus misericorditer tribuit ut in hac vita bene operentur, eis misericordius largitur ut in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur. Hæc est gratia, quam pro gratia dandam sanctus Dei Apostulus perhibet, ut quibus in hac vita divinitus datur gratia sanctificationis, eis ex hac quoque in futuro detur gratia æternæ felicitatis. Quod vero ait: *Quia in te speravi*, quasi causa est justæ petitionis: quia cum spem suam quis in Deo posuerit, ad exorandum Deum confidentior erit. Dixerat quoque superius: *Defecit spiritus meus*; nunc vero in Deo sperare se dicit. In quo majoribus usus confidentiæ remediis, spei nostræ saluberrimum adhibet documentum, ut discamus parum esse quod a nobis deficimus, nisi non transcendentes, in Deo proficiamus.

Vers. 10. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.*

Ut in Deo proficiamus, a nobis deficiendum.

12. Quis est qui pervenire possit ad audiendam mane vocem misericordiæ, nisi ambulaverit in via justitiæ? Hinc Propheta Dominum exorans, ait: (Psal. 118. 27.) *Viam justificationum tuarum instrue me*. Et illud: *Dirige me in semitam rectam propter inimicos meos*. (Psal. 26. 11.) Et, *Dirige in conspectu tuo viam meam*. (Psal. 5. 9.) Sciebat enim viam esse quæ recta videtur hominibus, cujus novissima ad mortem ducunt. (Prov. 14.) Ideoque ait: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam*. Vide ordinem. Primum est ut a teipso deficias, nec super te causa jactantiæ rapiaris, sed omnibus inferiorem te sentias, & sic in te spiritum superbiæ extinguas. Non te generis nobilitas extollat, non erigat honor, non inflet prudentia. Qui enim confidit in homine, maledicto subjacet. (Jerem. 17.) Deinde sequitur ut in Deo speres; ut derelictus, (juxta Prophetam,) a patre & matre, assumaris a Domino, (Psal. 26.) & ejus præsidio guberneris inter fluctus mundanæ tentationis. Postremo ut animam ipsam leves ad Deum, & omni vanitate expulsa, in cælestibus converseris; ubi deliciarum Dei reficiaris dulcedine, & visionis ejus perfruaris claritate.

Non

Non tibi subrepat terrenarum delectatio cupiditatum, non vanitatum phantasmata mentem occupent, quæ cum animum in diversa traxerint, tantam inducunt caliginem negligentiæ, & cæcitatis tenebras opponunt, ut cum appetere cœperit infima, nullatenus erigatur ad summa. Si amore cælestium accensus fueris, & per istos ascenderis humilitatis gradus, poteris & tu dicere cum Propheta: *Ad te, Domine, levavi animam meam*. (Psal. 24. 1) Beatus qui hoc potest dicere. Beatus plane quem iniquitas non onerat, non revocat delectatio, non inclinat voluptas, quem non gravat cupiditas, non deprimit opulentia, non trahit ambitio, sicut scriptum est: *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit*. (Psal. 83. 6.)

(Vers. 10.) *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

(In hac via ambulantes quæ circumstant pericula.) 13. Qui in via ambulat, insidias metuit, hostium timet incursus, prædonum impetus perhorrescit. Ideo qui viam nosse salutis desiderat, ut etiam ab inimicis eripiatur exorat. Novit quia inter inimicos graditur, in medio laqueorum, undique pericula imminent, undique ponuntur insidiæ, undique incauti præcipitantur. *Adversarius enim noster diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. (1. Petr. 5. 8.) Occupat incautos, inermes sauciat, incautos exspoliat. (2 Cor. 11.) Alios necat, alios captivat, alios suffocat. Aliquando transfigurat se in Angelum lucis, & incautæ menti quædam agenda bona proponit: ut dum a proposito tentatus deciderit, & tentationum ventis velut arundo cœperit agitari, facilius ad delicti inducatur consensum. Inserit inutiles cogitationes, vana adhibet desideria, virtutum figmenta depingit. (In fortiores parantur graviores aculei.) Si quem vero invenerit fortiorem, in bono proposito perseverantem, eum acrius persequitur, & gravioribus admotis tentationum aculeis, extinguere conatur. Habet quoque secum nequitiæ ministros, duces & satellites suos, cum quibus adversus humanam fragilitatem congreditur; ut ea tanto facilius superetur, quanto non ab uno, sed a multis impugnatur. Contra hunc potentem adversarium ejusque plurimos apparatus nos instruebat Paulus, cum diceret: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus*. (Ephes. 6. 12.) Quis tot inimicorum catervas evadere, eorumque insidias investigare potest? Non gravantur carne, nullis occupantur curis, sed sunt ad nocendum parati. Quis hominum adversus eos dimicans illæsus abire potest, nisi auxilio divinæ gratiæ vallatus fuerit, & scuto bonæ voluntatis ejus coronatus? Etiamsi bonæ operationis studio floreat, si lumine polleat virtutum, non poterit inimici rugientis superare nequitiam, nec potestatis iniquæ reprimere vires, nisi illius fuerit fretus præsidio, qui sic manet in nobis, ut etiam pugnet pro nobis.

(Ut a tantis periculis eruamur, quid præstandum.) 14 Restat ergo ut in omnibus divinæ gratiæ auxilium postulemus, & ad illud inexpugnabile occurramus semper refugium, in quo nullius hostis timeamus incursum. Ad illud nempe refugium confugerat qui dicebat: *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi*. Et alibi: *Domine, refugium factus es nobis*. (Psal. 89. 1.) Notandum vero quia non ait, protege me, sed eripe me, quasi dicat: Jam me fraudum suarum laqueis implicant, jam deceptionum astringunt nodis, jam retibus iniquitatum involvunt. Quis autem ad eripiendum idoneus, nisi ille, cui cum Propheta cantamus: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus*? (Psal. 123. 7) Et ne quis sibi placens de ereptione sua glorietur, adjunctum est: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram*. (Ibidem 8.) Ambulantes itaque in via hac in qua absconderunt laqueos nobis, totis ad Deum medullis cordis clamemus: *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*. Justum est ut Deo suo omnis homo serviat, creatura obediat Creatori, Domini sui mandata servus non transgrediatur. Contendat Christiana anima facere voluntatem Dei sui, agnoscat Creatorem suum, audiat vocem ejus, dirigat viam ejus, obediat præceptis ejus. Oret ut doceatur, postulet ut dirigatur, supplicet ut confirmetur. Hoc quippe sine auxilio divinæ inspirationis assequi nemo potest, sed in omnibus divina nobis est exoranda clementia: ut infuso cordibus nostris spiritu, cujus unctio docet nos de omnibus, discamus quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. (1. Joan. 2. Rom. 12.)

(Vers. 12.) *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.*

(Cum spiritus noster defecerit, a Dei spiritu assumpti deducemur in viventium terram.) 15. Qui a spiritu suo defecit, a spiritu Dei deducitur. Dixerat autem superius, suum spiritum defecisse. Constat itaque quia ad malum eum suus spiritus deduxerat. Et fortasse deduxerat eum in regionem longinquam, in qua substantiam suam dissipasset, in qua fames esset verbi Dei, in qua uni civium, videlicet diabolo, qui princeps est mundi hujus nuncupatus, adhærens, ad porcos mitteretur pascendos: ubi porcorum cibis ventrem suum cuperet implere, id est malignorum spirituum suggestionibus carni suæ satisfacere. (Luc. 15. Joban. 14.) Jam vero malo spiritu deficiente, a Dei bono assumtus, in terram rectam speret introduci: quæ tribulos non germinet & spinas, nec deserta sit, vel invia, vel inaquosa; sed centenis exuberet fructibus, & deliciis abundet æternis. *Qui enim spiritu Dei aguntur, hi*, juxta Apostoli vocem, *filii Dei sunt*. (Rom. 8. 14.) Si autem filii, & heredes: & si heredes, hereditatem possidentes. Quæ est autem hereditas, nisi terra viventium? Hinc namque Propheta ait: *Mansueti hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*. (Psal. 36. 11) Hinc rursus ait: *Benedicentes ei, hereditabunt terram*. (Ibidem v. 22.) Et ne quis crederet terram illam quæ transitura est, benedicentibus & mansuetis hereditatem promitti, subjunxit atque ait: *Justi autem hereditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam*. (Ibidem v. 29.) Et: *Novit Dominus dies immaculatorum, & hereditas eorum in æternum erit*. (Ibid. v. 18.) Si ergo hereditas filiorum est, & illi sunt filii Dei, qui aguntur spiritu Dei, cum hereditas terra viventium sit; qui spiritu Dei illuminantur, in terram rectam deducentur. Ad quam quicumque deducitur, in multitudine pacis delectatur. Hanc pacis multitudinem Dominus per Prophetam pollicetur, dicens: *Dabo illis solatium verum, pacem super pacem*. (Hic tantum multitudo pacis. Isai. 57. v. 18. 19. sec. septuag.) Super pacem enim quam dilectis suis in hac vita tribuit, in æterna felicitate aliam divina miseratio dabit; ut jam caro non repugnet spiritui, nec aliqua ullius tentationis subrepat occasio, omnibus jam compositis: ut reformata in melius humana natura, nemo jam cadere, nemo possit peccare. Hæc est pax Christi, quam Apostolis ipse promisit, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. (Johan. 14. 27) In quo notandum, quia cum bis eis suam pacem promisit,

intelligamus Sanctos Dei quamdam in hac vita pacem habere, sed veram perfectamque pacem ibi solummodo inventuros, ubi eos jam nulla vana movebit cogitatio, nulla turbabit illusio, cum eripuerit Deus animas eorum de morte, oculos eorum a lacrymis, pedes eorum a lapsu. Hanc pacem Christus solus habuit, quia solus inter mortuos liber, peccati aculeum in corde non sensit. Nos vero quamdiu corruptibili carne premimur, & corporis innectimur nodis, integræ illius perfectæque pacis ignari vane conturbamur, irrepentibus nobis terrenarum illecebris cupiditatum, & cogitationibus vanis, quæ frequenter quasi facto agmine ex improviso erumpentes, mentem confundunt, atque alio quam proposuerimus, animum trahunt. Non enim in potestate nostra est cor nostrum: non ad Deum secundum voluntatem nostram erigitur, deducitur ad ima, trahitur ad devia. Si ergo in terram rectam cupimus ingredi, a spiritu Dei bono optemus deduci.

Ut vivamus justitiæ quid agendum.

56. *Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua*. Non vivit justitiæ, nisi qui moritur iniquitati. Sicut autem quod seminavimus non vivificatur, nisi moriatur prius: sic qui mundo & concupiscentiis ejus non moritur, in fructu bonorum operum non multiplicatur. (Col. 3.) Superest ergo ut mortificemus membra nostra quæ sunt super terram, quatenus vivificet nos auctor vitæ. (1. Petr. 2.) Ad hoc enim ipse mortuus est, & resurrexit, ut nos peccatis mortui, justitiæ vivamus. (Osee 6. 3) Hinc Propheta dicit: *Vivificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos*. Illa nempe resurrectio, nostra vita fuit, per quam a morte animæ (1. Thess. 4. 13) liberati sumus, atque vitæ restituti perpetuæ. *Si enim credimus quod Jesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*. Vides quia qui Christo commoritur, cum eo convivificatur, sicut testatur Apostolus, dicens: (Rom. 6. 5.) *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*. Plus est autem vivificari in æquitate, quam vivificari æquitati. Denique qui in æquitate vivificatur, in ipsam æquitatem introducitur, ut nihil iniquum sapiat, nihil impium agat. Potest etiam per æquitatem ipse Christus intelligi, in quo vivificatur qui mundo moritur. Denique corpore suo & sanguine pascimur & vivificamur, alimur & saginamur. Nec otiose additur: *Propter nomen tuum*. Ad omne enim bonum quod agimus, non nostram, sed Domini gloriam quærimus. In eo namque opus bonum Deo acceptum efficitur, si ex virtute operis, non servi, sed Domini nomen glorificetur.

Aliud vivificari in æquitate, aliud vivificari æquitati.

(Vers. 23.) *Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos*.

Nulla major afflictio, quam quæ ex conscientia delictorum.

57. Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, & innumerabiles afflictionum molestias, nulla est major afflictio, quam conscientia delictorum. Cum enim exterius patitur homo, ad Deum confugit, ad virum fortitudinis recurrit. Singulare namque & saluberrimum est consolationis remedium, tribulationes exterius patienti: ut si eum contristat orbitas, si angit paupertas, si venit infirmitas, recedat ab eo qui foris est strepitu, & ingressus in interiora mentis penetralia, ibi Deum invocet, ubi nemo videt. Restat quoque ut ostium cordis contra illatas claudat molestias; ut sævientium exterius non sentiat impetus, sed in spe cælestium promissorum exultans postponat damna, molestias negligat, seculi blandimenta contemnat, humiliet se in confessione peccati, magnificet & laudet Deum corripientem & consolantem. Quod si malæ conscientiæ tribulationem perferens, in arcano cordis Deum non invenit, quoniam forte recessit ab hospitio cordis pro abundantia iniquitatis, quid facturus est homo? ubi consolationem inveniet? ubi requiem perquiret? Grandis tribulatio, ubi nullus evadendi aditus, ubi nulla libertatis spes, ubi nulla ereptionis fiducia. Si ad exteriora recurrit, si in transitoriis consolationem quæsierit, ibi animi afflictio urgebit, sollicitudinum stimulabit calamitas, miseriarum turba vallabit. Quæ enim in temporalibus consolatio? quale in divitiis gaudium? Numquid nobiscum permansuræ sunt? Nonne illæ sunt spinæ, quæ semen (Luc. 8.) verbi suffocant? Quæ sicut acquisitæ lætificant, sic etiam amissæ contristant. Superest itaque ut in tribulatione positus peccator ad eum recurrat in quo solo vera est consolatio, & per istius vitæ noctes in lectulo cordis Deum quærat. Quem si primo non invenit, magis ad quærendum animetur, surgat ad amorem cælestium, civitatem circumeat exultatione universæ terræ fundatam, interroget vigiles qui custodiunt Ecclesiam, nudetur pallio secularis ornatus, & caritatis sagitta interiùs vulneretur. Nec prius a quærendo desistat, quam mœrentium consolatorem inveniat. Inventum autem summopere teneat, donec redemtus ope adjutricis gratiæ, a conscientiæ eripiatur tribulatione. Si enim naufragus cupiens vitam in undis servare, semel adeptam tabulam non ante dimittit, quam fractus labore sævientium procellarum deficiat, aut vehiculi præsidio adjutus, optatum littus attingat: quis in hujus maris magni & spatiosi naufragio Dei non amplectatur sapientiam, cujus gubernetur præsidio, regimina deducatur? De ipsa namque scriptum est: *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus*. (Prov. 3. 18.) Quæ est autem Dei sapientia, nisi Christus? secundum quod Apostolus ait: *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. (1. Cor. 1. 24) Teneamus ergo lignum salutis in pelago procellosæ tempestatis, per quod possimus & a periculo horrendæ mortis eripi, & de tribulatione diabolicarum tentationum educi. Dat nobis magnam ereptionis nostræ fiduciam quod subditur: *Et in misericordia tua disperdes inimicos meos*. Qui sint inimici humani generis, & Christianæ animæ impugnatores, superiori satis expositione declaratum est. Quos tunc clementia divina disperdit, cum eis vires nocendi adimit; cum adversus jacula tentationis diabolicæ scutum opponit suæ protectionis. Quasi enim confusi abscedunt, cum se ad prævalendum impotentes agnoscunt.

Quia in arcano cordis Deus consolator non invenitur.

Ideo omni sollicitudine quærendus est.

(Vers. 24.) *Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum*.

Ut duplex est Dei timor, ita duplex servitus.

58. Justum est ut bonus servus a bono domino adjuvetur, contra hostiles muniatur incursus, a periculo liberetur. Sed quid est quod se nominat servum, cum servus non maneat in domo in æternum? Hinc ipsa Veritas discipulis ait: *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus*. (Johan. 15. 15) Et Apostolus: *Non accepistis*, inquit, *spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater*. (Rom. 8. 15) Sed sciendum, quoniam sicut sunt duo timores, ita etiam sunt duæ servitutes. Est enim timor (1. Johan. 4.) pœnam habens, quem perfecta caritas foras mittit. Est & timor Domini sanctus permanens in seculum seculi: (Psal. 18.) de quo etiam scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini*. (Psal. 110. 10) Et iterum: *Timentibus Deum nihil deest*. (Psal. 33. 10.) Ille igitur timor qui a caritate excluditur,

tur, ad servum non manentem in domo pertinere A videtur. Timor vero sanctus servo illi convenire [Matth. 25. 21.] noscitur, cui voce Dominica dicitur: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.*

[Sanctorum in æterna vita felicitas.] 19. Quod vero ait: *Perdes omnes qui tribulant animam meam*, ad illam beatæ vitæ felicitatem referendum est, in qua nullum habebimus adversarium, nullum metuemus inimicum, [1. Cor. 15.] cum absorbebitur mors in victoria, cum illa novissima inimica destruetur mors, cum immutati fuerimus, & æquales Angelis effecti. Modo enim nihil quietis aut securitatis invenire possumus, dum adhuc in nobisipsis ingemiscimus gravati, B adoptionem expectantes, redemtionem corporis [2. Cor. 5.] nostri. [1. Cor. 15.] Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc nulla erit diabolicæ fraudis impugnatio, nullum hæreticæ pravitatis dogma, nulla infidelis populi impietas, omnibus ita pacatis & compositis, ut in tabernaculis justorum [Psal. 117.] sola audiatur vox exultationis & salutis. Ibi Sancti sine fine laudabunt Deum, & in lumine [Gal. 4.] claritatis ejus exultabunt, cives effecti illius civitatis, quæ libera est, & æterna in cælis. Quam non obscurant tenebræ, non obumbrat nox, non consumit vetustas, non in ea rutilat lumen solis, aut lunæ splendor, aut stellarum jubar, C non ibi lucerna quæritur, non lampas accenditur, non lychnus aptatur. Claritas quippe divina eam illuminat, sol clarificat justitiæ, lux vera illustrat, lux, inquam, inaccessibilis, quæ non clauditur loco, non finitur tempore, non obumbratur tenebris, non variatur nocte. Hoc immenso & indeficiente & lucidissimo lumine illustrata Jerusalem sancta, quæ est mater nostra, filios abdicat tenebrarum, cives recipit pacificos; filios videlicet lucis & diei, filios adoptionis, consortes supernæ hereditatis. Nullus in eam ingreditur impius, nullus habitat iniquus, nullus intrat immundus. Muri ejus ex lapidibus construuntur vivis, [Apoc. 21.] portæ ejus ex optimis adornantur margaritis, plateæ ejus ex auro purissimo sternuntur, & canticum lætitiæ sine fine in ea cantatur. Ibi est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Ibi sancti & humiles corde, ibi spiritus & [Dan. 3.] animæ justorum, ibi cuncti cælestis patriæ cives & beatorum spirituum ordines Regem in decore suo videntes, & in gloria virtutis ejus exultantes. Perfecta viget in omnibus caritas, una omnium lætitia, una jucunditas.

BONE Jesu, Verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, ut a spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies æternus, & unus omnium spiritus: ubi est certa securitas, & secura æternitas; & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas; & felix suavitas, & suavis jucunditas: ubi tu Deus cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas per infinita seculorum secula. Amen.



DE SEQUENTI OPUSCULO
MONITUM.

QUOD *hic damus Opusculum non aspernandum, S. Gregorii Papæ nomen in codicibus manuscriptis præfert; at in paucissimis extat. In unico sane, qui est majoris Monasterii prope Turones, nobis occurrit. In Bibliotheca quoque Vaticana unum dumtaxat repertum est Concordiæ hujus exemplar manu exaratum, ut suis litteris Romæ datis xvj. Kalend. Aprilis 1699. nobis significavit D. Claudius Estiennot; qui simul nos admonuit, sibi dictum a viro Clariss. & Doctiss. D.L. de Zacagnis Vaticanæ Bibliothecæ Custode, vix aliud in totius Italiæ Bibliothecis inveniri posse. Codicem hunc Romam ex Bibliotheca Palatina fuisse asportatum id nobis persuadet, quod in editione Romana Vaticanis typis jussu Sixti V. diu ante adornata, quam Bibliothecæ Pontificiæ ex Palatina, tanta librorum manu exaratorum supellectilis fieret accessio, nulla Concordiæ hujus mentio injiciatur. Si enim in hoc Opusculum nomine S. Gregorii munitum & insignitum, neque quod ipsi tribuatur indignum, incidissent Editores accuratissimi, ab eo vel edendo, vel saltem commemorando nullatenus abstinuissent.*

Inter Clariss. viri Jacobi Sirmondi Opuscula, legitur Epistola Alexandri VVilthemii societatis Jesu, qua diligentissimo huic codicum mss. investigatori ac exploratori peritissimo inventam a se in Bibliotheca Collegii Luxemburgici ejusdem societatis, illam de qua hic agimus Concordiam indicat his verbis: Incidi in Opusculum D. Gregorii de Concordia testimoniorum, quod Pamelius in fine operum Patris illius promissum non repræsentat. Titulus in nostro codice, scripto, ut opinor, Othonibus Imperatoribus, hic est: *Incipit de Concordia testimoniorum S. Gregorii Papæ urbis Romæ.* Quod Opusculum, cum capita quædam de prædestinatione, aut ei disputationi affinia delibet, judicavi Reverentiæ vestræ indicandum, si forte mitti velit. *Ex epistola quam rescripsit Sirmondus liquet, eum sibi mitti codicem peroptasse; quod utrum consecutus sit, aut quale de hoc Opusculo judicium tulerit vir doctissimus, nobis incognitum.*

*Quid de illo senserit Johannes Gilotius, vir multarum litterarum, qui cum ceteris S. Gregorii operibus tam genuinis quam spuriis illud edidit Paris. an. 1571. publico testimonio, quod hic exhibendum duximus, declaravit: dum evolveremus codices antiquos, ut ad illorum collationem hujus doctoris scripta quæ extant, restitueremus, invenimus hunc librum in exemplari quodam pervetusto Bibliothecæ D. Dionysii, quem minime dubitamus esse D. Gregorii: non tantum quia ejus habebat nomen, sed etiam quia stylus facilis, popularis, simplex illius est: & quod nos magis movet mens ipsa atque sententia tota Gregorii. In responsione ad primam interrogationem agit de duplici timore iisdem prope verbis ac certe sententiis, quibus lib. 34. Moral. * cap. 15. In quarta interrogatione eodem modo de prædestinatione loquitur, atque lib. 1. Reg. cap. 14. Quid distet inter crimen & peccatum iisdem verbis interrogatione 10. & lib. 21. Moral. * cap. 9. Quod si de authore dubitaremus, dignum tamen judicaremus, ut in lucem ederetur, quod tam exiguo volumine tam multam doctrinam contineat.*

* Imo potius cap. 17 nunc num. 40
* Nunc num. 12

Certe inficias ire non possumus stylum ac doctrinam hujus auctoris, quicumque sit, Gregorium redolere. In interrogatione quarta, eo modo qui sancto Doctori familiaris est & fere singularis, laudat libri Sapientiæ scriptorem: Quia quidam Sapiens dixit, Raptus est, &c. *Verum neque ex hac observatione nostra, neque ex Gilotianis continuo sequitur, Gregorio vindicandam hanc Concordiam. Quidni enim quispiam in illius Operibus evolvendis assiduus, potuerit ex ejusdem tum sententiis, tum etiam verbis Opusculum hoc contexere & consarcinare?*

Vide lib. 19 Moral. num. 26. & lib. 27. n. 47. & 53.

In Bibliotheca veteri Hispaniæ, Martino cuidam Presbytero Legionensis Ecclesiæ circa finem XII. *seculi adscribitur* Liber sic nuncupatus, Concordiæ veteris & novi Testamenti. *Quo nomine utrum intelligi debeat nostra Concordia dubitare licet. In ea enim non solum veteris Testamenti testimonia cum aliis ex novo specietenus pugnantibus conciliantur; verumetiam plerumque ejusdem novi Testamenti loca quæ videntur opposita componuntur, & ab omni contradictione solvuntur.*

Tom 2 lib. 7 cap. 9 num. 102.

Editum Johannis Gilotii cura hoc Opusculum denuo contulimus ad ms. codicem majoris Monasterii 800. fere annorum; cujus ope multa in Gilotiana editione corrupta sanavimus, nec tamen omnia: mendorum enim expers non est hic codex, neque alterius ms. codicis copiam habere potuimus. Nostris vero conjecturis plus æquo indulgere metuimus, cum inde corruptelam editorum librorum maximam effluxisse nobis pene constet.

SAN-

SANCTI GREGORII PAPÆ CONCORDIA

QUORUMDAM TESTIMONIORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

Vers. 6 Ad Rom. I. *Paulus servus Jesu Christi*.
Vers. 15 In sancto Evangelio secundum Johannem xv.[b]
b *Non dicam vos servos, sed amicos*.

INTERROGATIO I.

QUid est, quod Magister Christus in alio loco Apostolos non dixit servos, sed amicos: & ejusdem magistri discipulus, imo Apostolus, in quo Christus loquebatur, nominavit se servum? Et dum utrumque a Christo dictum est, quomodo intelligi debeat, solerter intuendum est, maxime cum idem Dominus ac Salvator noster ad eosdem Apostolos secundum Lucam di-
Luc. 17. 10. Matt. 25. 21 & 23. xerit: *Dicite, servi inutiles sumus, quia quod debuimus facere*, [c]*fecimus*. Et iterum: *Euge serve bone*
c *& fidelis*. Et iterum: *Beatus ille servus, quem,*
Luc. 19. 17. Matt. 24. 46 Luc. 12. 37 *cum venerit Dominus, invenerit sic facientem*.

RESPONSIO.

Sine prejudicio alterius sententiæ melioris sciendum est duo genera esse bonæ servitutis: unum timoris, aliud dilectionis: unum timentium ancillarum & servorum, aliud diligentium & placentium filiorum: timet enim ancilla, ne flagelletur; timet matrona, ne offendat animum viri sui. Sed
d servitutis timor, qui habet pœnam, [d]foras mittit perfectam caritatem. Perfectus autem servitutis timor non solum non habet pœnam, sed ad ipsam pervenit letitiam, Psalmista attestante, qui ait:
Psal. 85. 11. *Letetur cor meum, ut timeat nomen tuum*. Et iterum:
Psal. 18. 21. *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi*. Hunc namque timorem habent & sancti Angeli, quem profecto habuerunt & sancti Apostoli, per adventum scilicet Spiritus sancti, *per quem* [e]
e *diffunditur caritas in cordibus nostris*. Idcirco & a Domino non dicti sunt servi, sed amici, qui tamen & a semetipsis, & a Domino dicti sunt servi: nimirum non ex timore, sed ex amore Deo placendi.

Vers. 1. Ad Rom. I. *Segregatus in Evangelium Dei*.
f Et secundum Johannem xvij. *Pater sancte*, [f]*serva*
Vers. 11. *eos quos dedisti mihi, in nomine tuo, ut sint unum*.

INTERROGATIO II.

ET dum se sanctus Paulus unum effectum cum servatis credidit, quid est quod se segregatum
A esse fatetur? Nam dicitur segregatus, [g]quia a grege
g separatus est: maxime cum Dominus dixerit: *Et*
Johan. 10. 16 *erit unus grex, & unus Pastor*. Et sanctus Spiritus in
Act. 13. 2. Actibus Apostolorum imperando locutus est: *Segregate mihi Paulum & Barnabam* [h] *in opus, ad quod*
h *vocavi eos*.

RESPONSIO.

Sciendum profecto in primis est, quia ista testimonia non solum a semetipsis non discrepant, verumetiam sibimetipsis in unitate concordant. Nam Paulus & Barnabas a grege non erant separati, sed gregati, hoc est ad opus apostolatus fuerant electi. Quibus enim cor unum & anima una cum grege
B erat, nulla separatio usqoam esse poterat. Attamen a grege separati fuerant qui ad Apostolatum electi erant. Nam & manus ad operandum porriguntur, sed tamen ab unitate corporis oon separantur.

Ad Rom. ix. *Testimonium mihi perhibente con-*
Vers. 1. *scientia mea in Spiritu sancto: quoniam tristitia*
i *est mihi magna, & continuus dolor* [i] *cordi meo*.
In parabolis Salomonis xij. *Non contristabit justum quidquid ei acciderit*.
Vers. 21.

INTERROGATIO III.

C QUid ergo? numquid Paulus Apostolus justus non erat, qui non contristari justum quidquid ei acciderit, noverat: etsi contristari, cum justus erat, debuerat, ut quid iterando Philippensibus gaudium commendabat, dicens: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*? Sed & sanctus Jacobus gaudere in variis tentationibus imperat. Et
Philip. 4. 4 Jacob. 1. 2 2. Cor. 12. 9. ipse etiam Paulus in suis [k] tribulationibus gloriatur, & sanctus Matthæus Evangelista testatur de
k Domino ac Redemtore nostro, dicens: *Tunc cœ-*
Matth. 26. 37 Marc. 14. 33 *pit contristari, & mœstus esse: tristis est anima mea usque ad mortem*.

RESPONSIO.

Sciendum profecto est, aliud esse contristari secundum Deum, aliud secundum seculum, eodem Paulo dicente, qui ait: *Contristari secundum Deum fa-*
2. Cor. 7. 10 *lutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem* ope-

a In Mf. Incipit Concordia testimoniorum S. Greg. Papæ urbis Romæ.
b a.f. non dico .... sed amicos meos. c mf. non fecimus.
d mf. foras mittit perfecta caritatem. e mf. descendit.
f mf. conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum.
g mf. quasi a grege separatus est. h mf. in opus quod vocavi eos.
i mf. in corde meo. k mf. infirmitatibus gloriatur.

operatur: iſta deſperabilis, illa laudabilis eſt: iſta re- A
Ioan. 12. pletus Judas * Scarioth, laqueo ſe ſuſpendit: il-
lam ſe habuiſſe ſanctus Paulus ad Corinthios ſcri-
2. Cor. 2. 5. pſit, dicens: *Si quis contriſtavit * me, non me contri-*
a *ſtavit, ſed ex parte;* Ac ſi apertius diceret: Non ego
ſolus zelum Dei habeo, ſed me contriſtatum cum
veſtra triſtitia ex mea parte cerno. Et niſi iſta tri-
ſtitia non vitium ſed virtus eſſet, nequaquam illam
Dominus in Evangelio beatificaret, dicens: *Beati*
Matt. 5. 5. *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur;* & ſeipſum di-
xit triſtem ſecundum humanitatem, profecto non
ſecundum impaſſibilem divinitatem.

Verſ. 11. Ad Rom. ix. De Jacob & Eſau. *Cum non-dum nati fuiſſent, aut aliquid egiſſent boni aut mali, ut propoſitum quod per electionem Dei factum eſt, permaneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſerviet minori.* B

Verſ. 13. In Pſal. lxj. *Quia tu reddes unicuique, ſecundum opera ſua.*

INTERROGATIO IV.

CUm non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: *Quia major ſerviet minori*, quomodo reddet Deus unicuique ſecundum opera ſua? Cur ergo Paulus dixerit; *Non ex operibus?* Nos proculdubio credimus, quia nec utique ex futuris: nec enim quiſquam exiſtimat tantum dixiſſe de præteritis, qui utique non erant, cum ſupradicti diſtincti fuerant. Si enim hominem præſentem futura adhuc C
bona juſtificant, & futura adhuc mala ulterius damnant. Sed hoc credere abſit a nobis: quia quidam
Sap. 4. 11. ſapiens dixit: *Raptus eſt, juſtus, ne malitia mutaret*
intellectum ejus. Etenim iſte nec juſtus diceretur, ſi de futura adhuc malitia damnaretur.

RESPONSIO.

Antequam aliquid de iſta quæſtione dicamus, Prophetam & Apoſtolum eodem ſpiritu locutos fuiſſe credamus. Contrarius enim ſibi ipſi eſſe non poterat idem ſpiritus, qui utrumque implebat, & ipſe ſpiritus, qui Deus eſt, per Prophetam locutus eſt: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* E-
Malach. 1. 2. lectio ergo Dei numquam defuerat, [b] ea quę in
b temporibus facta fuerant diſcernebat: quia futura
tempora non electionis divinæ, ſed ipſa omnium
futurorum naturalium cauſa erat. Hinc Redem- D
Actor. 9. 15. tor noſter ad Ananiam de Saulo, non adhuc de
Paulo dixit: *Noli timere eum, quia vas electionis*
mihi eſt. Intuere quod dixit: Eſt, non autem,
erit. Nam non ideo electus eſt, quia Apoſtolus
eſſet: ſed ideo Apoſtolus erat, quia electus eſt.
Deus ergo noſter bonorum omnium Creator eſt,
Rom. 9. majorum autem juſtiſſimus ordinator. Tanto e-
c nim bonus omnibus eſt, [c] ut benefaciat etiam de
malis. Nam ſi mali non eſſent, nullæ rei utique prodeſſent. Reddet ergo Deus unicuique ſecundum opera ſua: quia vaſis præparatis in honorem, reddet vitam ęternam: & aptis in contumeliam, debitam damnationem. Nam & mali ſi vellent, boni utique eſſe potuiſſent. Boni autem qui ex Adam nati ſunt, contrariam legem E
in membris ſuis vident: ut iſti non conſentiendo per miſericordiam ad præmia perveniant: & illi conſentiendo per juſtum judicium ad ſupplicium pertrahantur.

Ad Rom. x. *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit,* Verſ. 13.
Et ſecundum Matthæum vij. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Verſ. 21.

INTERROGATIO V.

ISta [d] diſſona videntur, ſed ſcire volumus quomodo intelligantur. Nam ibi dixit, Omnis: Hic dixit, Non omnis. Si ergo omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit, quomodo non omnis qui ingeminat nomen Domini, ſalvus erit? d

RESPONSIO.

B Aliud eſt, invocare nomen Domini, aliud ingeminare. Nam illud ſemper invocant boni, ingeminant autem mali: quia eamdem fidei vocem, quam loquendo [e] proferunt, moribus deſtruunt. Hinc e
de quibuſdam Paulus ait: *Deum ſe [f] confitentur noſſe, factis autem negant.* Bonis nomen Domini in- f Tit. 1. 16
vocare, eſt in omnibus illi placere. Idcirco *omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.*

Ad Rom. iv. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Verſ. 2.
In Epiſtola Jacobi ij *Abraham, pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt?* Verſ. 21.

INTERROGATIO VI.

ETſi Abraham ex operibus juſtificatus eſt, *apud* quem habet gloriam, ſi non apud *Deum*, cujus amicus per Jacobum dictus eſt? & ſi nulla vera gloria eſt, niſi apud Deum, & nulla vera juſtificatio, niſi ab illo, quis juſtificatus habet gloriam ſine Deo?

RESPONSIO.

Paulus Apoſtolus contra Saducæos ſcripſit, ſanctus vero Jacobus de juſtitia fidei dixit. Illi ex operibus Legis ſemetipſos juſtificabant, nam Saducęi
latino ſermone dicuntur juſtificati. Per [g] juſtitiam g
autem fidei, qui juſtificantur fidę; per caritatem,
opera demonſtrantur. Nam ut idem Jacobus ait:
Mortua eſt fides ſine operibus caritatis, non Legis. San- Jacob. 2. 26.
ctus autem Paulus contra habentem gloriam, ſed
non apud Deum: & contra Saducæum ſemetipſum
D juſtificantem dirigit ſermonem, dicens: *Ubi eſt er-* Rom. 3. 27.
go gloriatio tua? excluſa eſt. Per quam Legem? factorum? non, ſed per Legem fidei: arbitramur enim hominem juſtificari operibus Legis. Ac ſi aperte diceret: Abraham pater noſter, ante tempora Legis fuerat, ſed tamen apud Dominum juſtificatus erat, quia fidem, quam corde tenebat, operibus demonſtrabat.

Ad Rom. xj. *Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei.* Verſ. 29.
In Geneſ. vj. *Pœnitet me feciſſe hominem.* Et in Verſ. 7.
Samuele. 1. Reg. xv. *Pœnitet me unxiſſe Saul* Verſ. 11.
in regem.

INTERROGATIO VII.

E CUm unus idemque Dominus in patribus & in Apoſtolo locutus eſt, quomodo pœnituiſſe & non pœnituiſſe ab his dictus eſt?

RES-

a Deeſt *me* in mſ. b Mſ. *&* *ea quæ.*
c Præter hanc lect. mſ. hanc aliam exhibet, *ut bonos faciat.*
d Mſ. *diſtonare.*
e Mſ. *adſtrahunt.* Fortaſſe quia non ſpontanee, ſed timore coacti proferunt. f Mſ. *ſe confitentes.*
g Gilot *per juſtitiam ergo fidei qui juſtificabantur fide, per caritatis opera demonſtrantur.* Quibus nihil obſcurius.

RESPONSIO.

Solerter intuendum nobis est, quia patres locuti sunt de Deo incommutebili mutabilia faciente. Et Apostolus protulit sermonem de incommutabili prædestinatione. Hinc de eodem Domino sanctus Jacobus ait: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Sed Deus præter [a] prædestinationem mutabilia facit. Per convenientem etenim usum loquendi, & iratus & pœnitens, & zelans & præscius Dominus dicitur: sed sine ira iratus, sine pœnitentia pœnitens, sine zelo zelans, sine provisionibus præscius intelligitur.

Jacob 1.17 a

Vers. 1. Ad Rom. xiij. *Non est potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo ordinata sunt.*

Vers. 4. In Propheta de quibusdam regibus, Oseæ viij. *Ipsi regnaverunt, & non ex me.*

INTERROGATIO VIII.

SI nulla potestas nisi a Deo, quomodo dictum est veraciter ab ipso: *ipsi regnaverunt & non ex me?* Item si ipsi reges ex Deo non erant, quomodo reges per se regnasse dixerat: *Per me*, inquiens, *reges regnant?*

Prov. 8.15

RESPONSIO.

Ex illo, & non ex illo reges regnant, qui & potestatem a Deo datam habent, & tamen se ab eo accepisse stulte denegant. Hinc per Prophetam scriptum est: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. Propterea ergo isti reges ex Deo non sunt, qui non ex bono, sed propter peccata populi regnare permissi sunt. Item, Omnis potestas nonnisi a Deo est: quia non per se mala, sed utique bona est. Mala autem sine bonis, [b] & nisi in bonis esse non possunt, & idcirco nonnisi in rationabilibus creaturis fiunt. Bonis ergo regibus Spiritus sanctus comminando loqui dignatur, cum ad eosdem Psalmistæ voce dicitur: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram*.

C

Job 34 30. b Psal. 2. 10

Vers. 14. Ad Rom. xiv. *Scimus autem quia nihil commune per ipsum*.

D

Vers. 29 In Actibus Apostolorum xv. *Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum*.

INTERROGATIO IX.

SI nihil rerum per ipsum est commune, quid [c] de morticino, & sanguine, & suffocato, & de idolis immolato debemus sentire? Nam ista non solum in veteri testamento immunda esse leguntur, sed & in novo Gentes credentes ab his abstinere, ab Apostolis præcipiuntur. Intellectu igitur satis opus est, quo pacto ista dissonantia solvi possit.

c

RESPONSIO.

E

Dominus ac Redemtor noster secundum Marcum dixit quando de his sermonem habere voluit: *Nihil est*, inquit, *extra hominem quod possit eum coinquinare*; Et hoc non intelligentibus discipulis, increpando subintulit dicens: *An & vos sine intellectu estis? nondum intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?* Ergo rudes adhuc Apostoli & necdum a Spiritu sancto illuminati, sensu Judaico credebant, quod hominem non prohibitiones, sed res coinquinarent. Res autem non coinquinant hominem, quæ in ventrem vadunt, & exeunt: sed prohibitionis transgressio, & quæ de ipsa procedunt. Nam & primus homo non propter morticinum, aut sanguinem, aut suffocatum, sed propter poma immundus factus est, cum mandatum Dominicum suadente sua conjuge transgressus est. Sed sancto Petro quod dictum est audiamus, ut de his quid sentire debeamus, intelligamus. *Surge*, inquit, *Petre, macta & manduca*. Huic dicto Petrus intuendo litteram respondit, dicens: *Absit a me, Domine, quia omne commune & immundum numquam intravit in os meum*. Cui sub testificatione prohibitionis protinus respondetur: *Quod Deus*, inquit, *purificavit, id ne commune aut immundum dixeris*. Hinc data est licentia Christianis, exceptis in novo Testamento prohibitis, ut manducent quod velint cum moderatione, & gratiarum actione. Non ergo per se morticinum aut sanguis ex natura immunda sunt, sed quia prohibita sunt, manducata hominem coinquinant. Et pomum nullam immunditiam naturalem habuit, sed manducare prohibitum, hominem coinquinavit. [d] d

Marc. 7.15 A Ibid. v. 18. B Act. 10.13 Ibid. v. 14 Ibid. v. 15

Vers. 8. 1. Ad Corinthios 1. *Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine [e] in adventu Domini*. e

Vers. 8. In epist. 1. Johan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*.

INTERROGATIO X.

CUm seductio sit, æstimare se esse sine peccato, quomodo confirmamur a Domino sine crimine in adventu ejus, maxime cum etiam infans unius diei non possit esse sine peccato? Numquid ergo & crimen peccatum est, sine quo quis confirmatus a Domino fieri potest?

RESPONSIO.

Sciendum profecto nobis est, quia non omne peccatum crimen est, attamen omne crimen peccatum est: sicut omnis impius peccator est, non autem omnis peccator, impius. Minima ergo & levia, peccata dicuntur: crimina autem nisi magna minime leguntur. [f] f

Vers. 9. 1. Ad Corinth. iij. *Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis*.

Vers. 2. Et in Job xxvj. *Cujus adjutor es? numquid imbecilli?*

INTERROGATIO XI.

E NUmquid sanctus Paulus approbando justificat, quod beatus Job in Eliu damnat. Cujus adjutor es? numquid imbecilli? Apostolus autem dixit, Dei sumus adjutores. Si ergo bonum est esse adjutores Dei, quid Eliu reprehenditur de adjutorio Dei?

RE-

a Ms. *destinationem*.
b Ed. *& nonnisi in bonis esse possunt*; lectio ms. quam sequimur obscuritatem loci hujus sanat, ipsique favet Augustinus.
c Gilot. *de mortuo*. Legendum, *morticino*; & sic habetur in responsione: *non propter morticinum*.

d In ms. legitur; *Explicit epistola ad Romanos, incipit epistola ad Corinthios*.
e Ms. *in adventum ejus*.
f In ms. additur. *Quia nimirum vita humana, Deo confirmante, potest esse sine crimine, sine peccato vero nullatenus potest, nec uno die*

RESPONSIO.

Nimirum scire nos convenit, quia nonnulli defendendo Deum offendunt: & sunt nonnulli qui quantum in eis est, causam Dei defendunt. Isti veraciter prędicando Dei adjutores sunt: illi increpando fallaciter spiritus pro Deo satagunt, sed satagendo offendunt. Isti non ignoti sed cogniti de Deo loquuntur: illi etiam vera loquentes a Deo minime cognoscuntur, Domino de Eliu dicente:
Job. 38. 2 *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Quid est quod Dominus de illo interrogat, dicens: *Quis est iste involvens sententias:* Et tamen interrogando reprobat subjungens, *sermonibus imperitis?* Ille ergo sententias veras dicebat, sed eas sermonibus imperitis involvebat: quia dicta sancti Spiritus B de reprobis in Job retorquebat: de quo quia sine querela erat, Dominus testimonium dederat.
Psal. 61. 9. Non eodem modo esse dicimus, *Deus adjutor noster in æternum*, [a] quo dicimus: *Dei adjutores sumus*. Ille enim non eget adjutorio nostro: nos autem nihil possumus sine illo.

Vers. 13. 1. ad Corinth. iij. *Opus uniuscujusque, quale sit, ignis* [b] *probabit*.

Vers. 28. Secundum Matth. xix. *Cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.*

INTERROGATIO XII.

Et dum uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, numquid & ipsi Apostoli per ignem probabuntur, qui non judicandi, sed etiam judicaturi duodecim tribus Israel dicuntur? aut etiam illos ignis probabit, cum quibus seipsum numeravit
1. Thess. 4. 16 sanctus Paulus dicens: *Nos autem qui relinquimur simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.*

RESPONSIO.

Si vim dictorum Christi pensemus, hanc obscuritatem, ipso illuminante, ad lucem perducimus,
Luc. 12. 49. Nam ipse dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Spiritus quoque sanctus super Apostolos descendens in specie ignis ap-
Act. 2. paruit, qui in signo [c] apparens in fidelibus, fideles intus ut ignis probavit. Opus ergo uniuscujusque quale sit, ignis probavit: quia quos ignis spiritalis in præsenti tempore non examinat, in futuro judicio per ignem probat. *Quicumque ergo spiritu Dei*
Rom. 8. 14 *aguntur, hi filii Dei sunt*, qui licet per ignem probati, examinati sunt. Nam illum per impositionem manuum Episcopi accipientes, nullatenus ab eo deviarunt, sed etsi in aliquo delinquunt, cognoscendo & confitendo corriguntur. [d] Omnis enim, inquit Dominus, per ignem salvabitur: ant enim hic per spiritalem, aut illic per corporalem ignem probabitur. Nimirum ergo sicut non omnis in die judicii per ignem probabitur, ita in ipsa eademque die non omnes omnino judicabuntur, Domino te-E
Johan. 3. 18. stante, qui ait: *Qui credit in Filium, non judicabitur, qui autem incredulus est, jam judicatus est.* Quosne ergo ignis futurus probabit, si Deus nec credulos, nec incredulos judicabit? Sed quasi a nobis interrogaretur: Quod ergo erit judicium? protinus A subjunxit dicens: *Hoc est judicium; quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Ibidem. Hi ergo soli in die judicii judicabuntur, qui licet lucem scirent venire, sed tamen magis tenebras diligere dicuntur. Nam qui in tenebris manent, jam judicati sunt: qui autem nihil tenebrarum habent, sine ullo judicio ad lucem pertinent. Illi vero qui licet baptizati sunt, in futuro judicandi erunt. De illis ergo solis judicium habebitur, ut aut ad lucem, aut ad tenebras plus pertinere debeant, demonstretur. Resurgent ergo isti, [e] ut judicentur, justi ut judicent, impii ut damnentur: Psal. 1. 5. quia & illi resurgent, sed non in judicio, Psalmista testante, qui ait: *Non resurgunt impii in judicio.*

Vers. 5. 1. ad Corinth iv. *Nolite ante tempus judicare.*

Vers. 18. Ad Philipp. iij. *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus.*

INTERROGATIO XIII.

Dum Paulus Apostolus ad Corinthios loquens, prohibuit ante tempus judicare, cur ipse quasi ante tempus judicando de quibusdam videtur dicere: Quorum finis interitus?

RESPONSIO.

Christus in Paulo locutus futura jam quasi præterita agnoscit, & idcirco, etiam Paulo dicente, nihil C ante tempus judicavit. Nam & sanctus Spiritus per Apostolum Petrum ad Simonem Magum ait: *Non est tibi pars, neque sors in hac vita:* quis Simonis Magi Act. 8. 21 futura, quasi præterita, Petro in Spiritu sancto fuerant revelata: a quibus autem futura ut præterita minime videntur, a Domino ante tempus judicare prohibentur: de quibus & per Prophetam increpando dicitur: *Væ iis, qui prophetant de corde.* De corde Ezech. 13. 17 namque prophetare, est ex sola præsumtione non per Spiritum sanctum aliquid dicere.

Vers. 6. 1. ad Corinth. vij. *Volo omnes homines esse sicut meipsum.*

Vers. 14. Et ad Timoth. j. cap. v. *Volo autem juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.* D

INTERROGATIO XIV.

Numquid duas voluntates sibimetipsis contrarias habuit sanctus Paulus, qui aliter ad Corinthios, aliter ad Timotheum se voluisse dixit? Nam de non nubendo videtur dixisse ad Corinthios: de nubendo vero scripsit ad Timotheum: Ibi de omnibus hominibus, sicut ille erat, ut essent, voluit: hic, adolescentioribus ut nubant, se voluisse scribit.

RESPONSIO.

Nobis solerter intuendum est, sanctum Paulum concionatorem Ecclesiæ fuisse, & ex multorum personis sermones diversos jam protulisse. Nam ibi ex persona virginum dixit: Volo omnes homines esse sicut meipsum. Hic ex persona volentium nubere scripsit: Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse. Sicut & Salomon ex multorum

a mſ. *quod dicimus.*
b mſ. *ignis probat.*
c mſ. *apparens infidelibus.*
d Ubi hæc leguntur? fortasse Ecclesiastici 36. 21. *In ira flamma devoretur qui salvatur.* In mſ. Tur. lego: *per ignem salietur*, quod referri potest ad Marc. 9. 48. *omnis enim igne salietur.*
e Deseruimus hic Gilot. ut sequeremur mſ. cod. qui licet nonnihil adhuc habeat obscuritatis, præferendus est tamen edit. Gilot. ex quo nullus sensus potest extundi.

torum personis in Ecclesiaste loquitur, qui latino sermone concionator exprimitur. Nam ibi ex persona quorumdam dicentium, scripsit: (Ec. 2. 4) *Nonne melius est manducare & bibere?* Ex persona autem perfectorum intulit dicens: (Ibi. 7. 3) *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; in ipsa enim finis cunctorum admonetur hominum:* In hac enarrabatur etiam virtus fortium. Mira ergo dispensatione largitoris agitur ut etiam de conjugatis electi præmium virginitatis recipiant, quamquam omnes virgines esse non possunt. Voluntas namque perfecta faciendi, reputatur pro opere facti. Hinc nato Domino sancti Angeli dixerunt: (Luc. 2. 14) *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quod ergo unusquisque nostrum in semetipso agit voluntarius, hoc recipiet a Domino, quasi de omnibus hominibus. Sed & malevolus econtra cogitet, ne quasi de malis omnium iniquorum damnetur: quia sicut misericors, ita & justus est. Matrimonium igitur & virginitatem Paulus laudavit, sed virginitatem matrimonio prætulit, dicens: (1. Cor. 7. 38) *Qui matrimonio virginem suam jungit, bene facit: qui autem non jungit, melius facit.* Quia ergo utrumque bonum vidit in spiritu, utrumque profecto fieri voluit.

(Vers. 10 & 11) 1. Ad Corinth. vij. *Ceteris ego dico, non Dominus: Uxorem a viro non discedere, sed etsi discesserit, manere innuptam.*

(Vers. 3.) Et 2. ad Coriuth. xiij. *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?*

INTERROGATIO XV.

SI continue in Paulo Apostolo loquebatur Christus, quid ergo fatetur se aliquid dicere, & non Dominum?

RESPONSIO.

Si duos Phophetas in medium proferamus, hanc nimirum dissonantiam cito solvemus. David quippe quia non continue spiritum prophetiæ habuit, interrogando alterum Prophetam demonstravit. Et Nathau de constructione templi, quia & ipse in illa hora spiritum prophetiæ non habuit, hoc dicendo declaravit: (2. Reg. 7. 3) *Omnia, quæ sunt in corde tuo, fac; Dominus enim tecum est in omnibus.* Sed Spiritus sanctus adveniens, construi templum a sanguinario, bellisque dedito prohibuit, & hoc a Davide fieri per eumdem Nathan contradixit. (Ibidem.) Consilia ergo non continue habentium spiritum prophetiæ, aliquando prætermittenda sunt, [a] aliquando non sunt. Nam consilium Nathan a David debuit prætermitti: consilium autem Apostoli Pauli a Christianis debuit semper observari. Aliqua namque consilia infra mandata qui implet, tantum justus est: qui vero transcendit, jam perfectus est. Nam consiliando Dominus ait: (Matth. 19. 21) *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælo.* Et idem Paulus eumdem habens spiritum, [b] consilium dedit: (1. Cor. 7. 25) *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Ista consilia in mandatis utique non sunt, [c] sed supra mandata: ideoque majora præmia acquirunt.

Tom. III. Pars secunda.

(Vers. 13.) 1. Ad Corinth. x. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

(Vers. 8.) Et 2. Corinth. 1. *Nolumus autem ignorare vos, fratres, de pressura nostra, quæ nobis facta est in Asia: quoniam supra modum, & supra virtutem gravati sumus.*

INTERROGATIO XVI.

ETsi supra virtutem gravamur, quomodo gravari nos Deus non patitur? Item, si supra virtutem non gravamur, quomodo supra virtutem gravari dicimor?

RESPONSIO:

Ut istam dissonantiam celerius dissolvamus, ad aliud propheticum testimonium recurramus, ubi ait: (Psal. 59. v. 13 & 14) *Quia vana salus hominis, in Deo faciemus virtutem.* Frequenter ergo gravari dicimur supra humanam fragilitatem, quia vana salus hominis est: sed numquam gravamur supra Dei virtutem, quia ille medicus est. Ægrotus ergo sub manibus medici aliquando plorat: quia quo pacto ad salutem perveniat, ignorat; sed sapiens medicus plerumque secat, ut ægrotum quoque ad salutem perducat. Paulus ergo intuendo fragilitatem suam, gravari se dixit supra virtutem; [d] sed ulterius ait: (Phil. 4. 13) *Omnia possum in eo qui me confortat.*

(Vers. 16.) 2. Ad Corinth. v. [e] *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam secundum carnem non novimus.*

(Vers. 39.) Secundum Luc. xxiv. *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

INTERROGATIO XVII.

QUomodo concordant verba discipuli verbis Christi magistri sui? Hoc Christum dixisse post resurrectionem legimus, & de ipso eodemque tempore Paulus ait: *sed nunc jam non novimus* Quid ergo? Numquid hoc quod confitetur Christus, hoc nosse se denegat Apostolus?

RESPONSIO.

Deum ac Redemtorem nostrum secundum carnem cognovimus vixisse, hoc est absque ullo peccato verum hominem se in omnibus demonstrasse: sed post resurrectionem idcirco non novimus, quia carnem illius in æternum victuram sine alimentorum sustentaculis manere credimus. Esurientem ergo & sitientem, & ab itinere fatigatum ante passionem, & ipsa passione minoratum ab Angelis legimus: sed subjectis sibi Angelis & Potestatibus & virtutibus, eum hæc operari nunc jam non novimus. Confitetur ergo Dominus se habere veram carnem post resurrectionem, sed Paulus nunc jam non novit, ut erat ante passionem. Sed hoc testimonium idcirco Paulus protulit, veteri homine deposito, ut renovationis formam nobis insinuaret, dicens: (Rom. 6. 4) *Ut sicut Christus resurrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

(Vers. 5.) 3. Ad Corinth. xj. *Existimo enim me nihil minus*

Oo   fe-

a Adjecimus ex ms. Tur. *aliquando non sunt.*
b Gilot. *consilium dedit non Dominus*: De Virg.
c Ms. *Sed supra mandata majora præm. adquirunt.*
d Ms. *Nihilominus ait*: Omnia.
e Hic multa restituimus ex ms. quæ in ed. Gilot. deerant.

fecisse a magnis Apostolis. A

Vers. 3 1. Corinth. xv. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.*

INTERROGATIO XVIII.

DUm minimum Apostolorum Paulus se esse confitetur, quid nihil minus fecisse a magnis Apostolis se testatur?

RESPONSIO.

Sciendum est quod crimina præsentia Paulus non habuit, & idcirco peccata jam dimissa humilitatis gratia ad memoriam reduxit: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Habens autem sermonem de hæreticis & pseudo-apostolis, profitetur se nihil minus a magnis Apostolis fecisse. Bene agentium ergo Apostolus per humilitatem erat minimus, sed contra delinquentium pseudo-apostolorum vitia per zelum justitiæ erectus. (1. Cor. 15. 9)

Vers. 1. Ad Galat. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis.*

Vers. 5. 1. Ad Timoth. ij. *Mediator Dei, & hominum homo Jesus-Christus.*

INTERROGATIO XIX.

a NUmquid[a] non per hominem Jesum Christum Paulus vocatus est in Apostolatum, qui se non ab hominibus neque per hominem vocat Apostolum?

RESPONSIO.

Hoc est, non per præsentiam humanitatis ante passionem, sed ex vocante Apostolus electus est post resurrectionem, Domino ad Ananiam dicente: *Noli timere eum, quia vas electionis est mihi.* (Act 9. 15)

Vers. 10. Ad Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

Vers. 33. 1. Corinth. x. *Sicut per omnia omnibus placeo.*

INTERROGATIO XX.

SI Paulus per omnia omnibus placet, quomodo placendo hominibus, Christi servus[b] non esset? b

RESPONSIO.

Placet Paulus, & non placet: placet namque in rebus non prohibitis, sed in prohibitis minime placuit: *factus est enim omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret.* (1 Cor. 9. 19)

Vers. 3 Ad Ephes. ij. *Et eramus natura filii iræ, sicut & ceteri.*

Vers. 31. In Genes. 1. *Et vidit Deus omnia quæ fecit, & erant valde bona.*

INTERROGATIO XXI.

CUm sint benedicta & omnia valde bona, quæ Deus creavit, quomodo homines filios iræ ex natura Paulus scripsit?

RESPONSIO.

Omnipotens Deus omnium naturarum Creator est; & omnis natura, in eo quod natura est, bona est. Mos namque confirmatus longo tempore, vim quodammodo obtinet naturæ. Hinc Paulus ait: Eramus natura filii iræ; ac si aperte diceret: Cum eramus sani, devenimus ægroti, & ex ipsa pessima consuetudine, eramus quasi ex natura filii iræ.

Ad Ephes. iij. *Mihi minimo omnium Sanctorum data est gratia hæc inter Gentes, evangelizare investigabiles divitias Christi.* Vers. 8.

B In Psalm. ix. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.* Vers. 1.

INTERROGATIO XXII.

QUid est hoc? Numquid omnia mirabilia Dei poterant ab ipso etiam Propheta narrari, cum Paulus Apostolus scripserit investigabiles esse divitias Christi? Sed & ipse Paulus quomodo non est sibimetipsi contrarius in eo quod ait, evangelizare investigabiles divitias Christi?

RESPONSIO.

Et narrantur ergo omnia mirabilia Domini, & investigabiles sunt divitiæ Christi: quia & narrando omnia, in brevi simul complectuntur, & tamen in ænigmate videntibus ex parte cognoscuntur. Nam cum de Deo aut de præsenti seculo, vel de futuro aliquid narratur, omnia in brevi simul sermone complectuntur, & hæc quia sunt, ab auditoribus audiuntur. Quomodo autem aut qualia sint, etiam a prædicatoribus non intelliguntur. Hinc prædicator egregius ait: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ illius.* (Rom. 11. 33) Psalmista autem ut omnia simul narraret, de Domino ait: *Omnia quæcumque voluit fecit:* (Psal. 113. 3) non solum de Creatore, sed etiam de ipsis creaturis quales sunt, narravit.

D Ad Philip. iij. *Unum autem quæ quidem retro sunt obliviscens,* [c] *& in futurum convalescens.* Vers. 13. c

2. Ad Timoth. iiij. *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Vers. 7.

INTERROGATIO XXIII.

ET dum ista præterita Apostolus ad memoriam reduxit, quomodo ea quæ retro sunt oblivisci se dixit?

RESPONSIO.

Quo magis temporibus & rationi congruunt, quæ proferuntur, eo celerius ab auditoribus intelliguntur. Nam Paulus Apostolus causa confirmationis suæ ista enumeravit, quia tempus[d] resolutionis suæ proprius instabat. Scriptum quippe est: *In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum.* (Eccle. 11. 27) Paulus ergo præterita obliviscens, non erat immemor malorum, quando dixit: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* (1. Cor. 15. 9) Iterum, appropinquante die resolutionis suæ, immemor non erat

a Gil. *Numquid per* & in respons. *hoc est per præs.* ubi omissa in utroque loco negatione, sensus mutilus erat.

b Expungenda videtur particula negativa, quæ tamen legitur tam in ms. quam in edit.

c In Vulgata, *ad ea quæ sunt priora extendens meipsum.* Græce, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, *ad ea quæ a fronte sunt enitens,* quibus correspondent quæ hic legimus: nam futura dicit quæ sunt a fronte, quæque opponuntur præteritis iisque retro positis. Et pro *enitens*, posuit quod æquipollet *convalescens*.

d Ms. *resolutionis ipsius.*

2. Tim 4.7 erat bonorum, dicens: *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi*. Solent quippe sancti viri hoc proprium habere [a] & prospera in adversis, & in prosperis adversa commemorari. Hinc beatus Job in prosperis cum erat, sic timuisse se dixit:
Job 31.23 *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum*. Item cum erat in adversis, bona præterita, quæ egerat, ad memoriam revocavit, dicens:
Job 29. v. 15 & 16 *Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam*. Sancti ergo viri utrumque alternatim dicunt, quatenus nec extollantur in prosperis, nec desperatione frangantur in adversis.

Vers. 8. & 9 Ad Philip. iv. *Si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me.*

Vers. 2. In Parabolis Salomonis xxvij. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.*

INTERROGATIO XXIV.

SI nulli laudare seipsum ore proprio licuit, cur Paulus bona enumerans de seipso dixit: Quæ & vidistis in me?

RESPONSIO.

Aliter est loqui de corde proprio, aliter in Spiritu sancto. Nam Paulus in adversis carceris bona se egisse in spiritu meminit, & idcirco non ore proprio dixit: quia prospera in adversis commemorari debent. De semetipso autem loqui laudanti, & propriam gloriam quærenti Veritas ait:
Joban. 7.18 *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est*. Sed idem Paulus:
2 Cor. 10. 18 Non, inquit, *qui semetipsum commendat, ille probatus est*. Ille ergo nimirum commendatur, qui nec in Spiritu sancto, nec in adversis prospera de se narrat.

Vers. 12. Ad Philip. iv. *Ubique & in omnibus institutus sum: scio & saturari & esurire.*

Vers. 25. In sancto Evangelio secundum Lucam vj. *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.*

INTERROGATIO XXV.

CUm væ saturatis Dominum dixisse Evangelista narraverit, cur Paulus Apostolus saturari se scire dixit? aut quid magni est, scire saturari & esurire, cum hoc omnium animantium videatur esse commune?

RESPONSIO.

Omnipotens & verax [b] Deus væ saturatis dixit: quia saturari nescientes, nec gratias agentes, eos intemperatos vidit. Magnæ namque discretionis est saturari scire, hoc est cum moderatione & gratiarum actione alimenta percipere.
Rom. 14.6 *Qui enim*, inquit Paulus, *manducat, Domino manducat, gratias enim agit Deo*. Ipsi ergo saturari nesciunt, qui tunc solum manducare desinunt, quando carne imperante, manducare nolunt. Et isti econtrario Domino manducant, qui semper temperati, largitori gratias agunt.

1. Ad Thess. ij. *Ego quidem Paulus & semel & iterum volui venire ad vos, sed impedivit nos satanas.* Vers. 18.

Secundum Lucam xxij. *Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Vers. 31. & 32

INTERROGATIO XXVI.

QUomodo isdem satanas cribrare sanctum Petrum, sicut voluit, non permittitur: & quasi per se potuisse impedire, a Paulo scribitur? Et si Paulus Apostolus Dei voluntati in hoc congruit, [c] cur iterum illum satanas impedivit?

RESPONSIO.

Indubitanter nobis sciendum est quod diabolus voluntatem tentandi semper habet: quomodo autem, & quantum, & quando faciat, potestate caret. In tantum enim eum Creator aliquid in seculo agere permittit, quantum ante secula sine termino in prædestinatione habuit; & quia Sanctos suos Dominus plerumque per satanam probat, idcirco quasi ipse [d] satanas impediat, Paulus indicat. Sed inter hæc sciendum est, quia plerumque omnipotens Deus facit voluntatem consilii sui, etiam per malevolam voluntatem [e] servi sui. Aliquando autem boni servi ea desiderare conceduntur, quæ ita, ut desiderant, a Domino non permittuntur. Abraham quippe præcepto Dei obedire voluit, sed decollari Isaac idem Dominus non permisit, & hanc voluntatem omnino perfectam remuneravit dicendo: *Quia non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*. Gen 22.16
Et David de voluntate construendi templi laudatus fuit, licet ad hoc construendum in ea re pervenerit. 2 Reg. 7
Et dum ista specialiter locuti sumus, quomodo fiunt generaliter videamus. Plagæ namque generis humani [f] a Justo judice dispensatæ sunt, sed electi Dei caritate jam pleni, eas fieri nolunt. Et contra Deum ergo volunt, & ab ipso non discedunt, quia de omnibus plagis gratias agunt. Sed ut manifestius sit quod loquimur, per exempla demonstrando gradiamur. Verbi gratia: Aliquis filius suo ministrat patri, quem, quia pius est, non vult etiam mori. Sed & cum ægrotos, quos Dominus castigat, visitamus, ut sani deveniant, satis desideramus. Ista ergo cum volumus, quasi discordando Dei voluntati discordamus. Item, cum Dominus humano generi bona fieri jubet, nostra voluntas non contraria, sed congratulans esse debet, quatenus est perfecta, sed idcirco pii Domini & justitia Judicis laudanda sit.

1. Ad Thess. iv. *Et in tuba Dei descendet de cælo.* Vers. 15

In Apocal. viij. *Et septem Angeli qui habebant septem tubas, præparaverunt se, ut tuba canerent.* Vers. 6

INTERROGATIO XXVII.

ET dum in tuba Dei de cælo descendet Christus, in qua de iis septem creditur descensurus? Si in septima, quomodo præcesserunt ceteræ? Si in prima, quomodo secuturæ sunt aliæ?

a Corruptum Gilotianum textum ex ms. emendavimus: prius enim legebatur contra mentem auctoris: *ut prospera in adversis, & in prosperis adversa pertimescans.*
b Ms. *Judex.*
c Ms. *cur iter illius.*
d Ms. *Satanas impedire Paulus ind.*
e Ms. *mali servi.*
f Ms. *justo judice dispensante, sunt.*

RESPONSIO.

Idcirco septiformis Spiritus descendit in Apo-
stolos, ut quasi septem tubis acceptis, intona-
rent in populos, & Christus ad eorum posteros
sub illorum persona promisit quod apud ipsos us-
que ad consummationem seculi mansurus sit, di-
Matt. 28. 20 cens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad
consummationem seculi*. Septima ergo prædicatio,
quasi septima tuba ad consummationem seculi
pertinet: quia finita senaria prædicatione, novis-
1. Cor. 15. 52 sima tuba canet. *Canet enim*, inquit Paulus, *tuba,
& mortui resurgent incorrupti*. Et licet credere per
novissimam tubam, significari septimam prædica-
tionem, tamen attendimus Evangelicam lectio- B
Matt. 24. 31 nem, ubi ait de filio hominis: *Et mittet Angelos
suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos
ejus, a quatuor ventis, a summis calorum usque ad
terminos eorum*. Sciendum etenim est, quia & voa
quasi tuba audita est in monte Sinai, quando po-
pulus Israel accepit decalogum verborum Dei,
a quam qui audierunt, [a] excusaverunt se, ne eis
iterum fieret. Sed tunc omnino locutus est per
subjectam creaturam, profecto oon per pro-
priam naturam, sicut & ad filium suum locu-
tus est, postquam a Johanne idem filius bapti-
Matth. 3. 17 zatus est, dicente Patre: *Hic est filius meus dilectus,
b in quo mihi bene [b] complacuit*. Qui quod significaba-
tur io voce, omnino paternæ divinitatis est:
syllabæ autem & sonitus syllabarum profecto C
creaturarum erat. Cum ergo talem consuetu-
dinem habeant sancti Angeli, aeriis corporibus
vestiri, sicut potuerunt ab aliquantis patribua
c videri: nihil nimirum obstat intelligi, [c] quia
tali tuba tunc cantaturi sunt quando novissime
in die ultimo intonabunt, quando mortuorum
dormientium corpora resuscitabuntur.

Vers. 13. a. Ad Timoth. 1. *Sed misericordiam sum consecutus,
quia ignorans feci in incredulitate*.

Vers. 15. Ad eumdem ibid. *Fidelis sermo, & omni acceptio-
ne dignus: quia Christus Jesus venit in hunc mun-
dum peccatores salvos facere, quorum primus ego
sum*.

INTERROGATIO XXVIII.

d QUid te excusas, sancte Paule, in uno, & [d]
accusas in altero, dum per ignorantiam erat
quidquid commisisti, quia cum venia omnium
peccatorum primus fuisti, maxime cum nec tem-
pore, nec magnitudine peccatorum inveneris ita
fuisse?

RESPONSIO.

Sciendum est quod tribus modis peccatum ad-
mittitur; aut enim ignorantia, aut infirmitate,
aut studio perpetratur: & gravius quidem infir-
mitate, quam ignorantia: similiter studio gra- E
vius, quam infirmitate. Excusas ergo teipsum,
sancte Paule, per veram rationem, & nihilomi-
nus accusas per humilem confessionem. Ut vera-
citer justus, accusator tui fuisti in uno, & gratias
A agens de Domini misericordia, Dominum laudi-
sti in altero.

Vers. 4. 1. Ad Timoth. ij. *Qui omnes homines vult salvos fie-
ri, & ad agnitionem veritatis venire*.

Vers. 3. In Psalm. cxiij. *Deus autem noster in cælo & in terra,
omnia quæcumque voluit fecit*.

INTERROGATIO XXIX.

CUm Deus omnia, quæcumque voluit, fecit,
numquid totum genus humanum ad salutem
perduxit? aut si hoc agere noluit, quomodo san-
ctus Paulus voluisse scripsit, dicens: *Qui vult om-
nes homines salvos fieri?*

RESPONSIO.

Indubitanter credendum est, quia non alia
Deus in temporibus fecit, quam quæ ante tempo-
ra præscivit, & prædestinavit. Sed hoc nimirum
intelligendum est, quia omnipotens Deus ali-
quid in sacra Scriptura se agere dicit, quod non
per propriam naturam, sed per creaturam profe-
cto agit. Sicut ad patrem Abraham dixerat, cum
occidi Isaac omnino oolebat, dicens: *Nunc cogno-* Gen. 22. 12
vi quia tu times Deum: hoc est, nunc cognoscere
te feci, quod sine ullo termino ego cognovi. Et
sicut in Ezechiele de impio ait: *Nolo mortem impii*: Ezec. 33. 11.
hoc est, feci nolentem mori, licet hoc ipse agat
C unde ad mortem perveniat, in natura ejus posui,
quod nequaquam velit mori. Vult ergo Domi-
nus omnes homines salvos fiari, qui in hoc uti-
que sunt conditi quod volunt, licet indigni, sem-
per esse salvi. Seu Deus omnes homines vult sal-
vos fieri, quia salvos fecit ex omni ordine generis
humani, scilicet, reges ex regibus, duces ex du-
cibus, & ex viris & ex mulieribus, & ex omnibus
omnino hominibus. Hoc ergo genere locutionis
loqui poterat Paulus cum diceret: *Qui vult omnes* 1. Tim. 2. 4
homines salvos fieri. Quoniam secundum * Marcum * Lucam.
[e] Evangelistam locutus est etiam ipse Dominus Luc. 11. 42.
dicens: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui decima-* e
tis mentham, & omne olus: hoc est, omne ole-
rum genus. Unde enim poterant universa deci-
D mare, qui omnino non valebant cuncta simul
congregare?

1. ad Timoth. ij. *Docere autem mulieri non per-* Vers. 12.
mitto.

Ad Tit. ij. De mulieribus: *Bene docentes, ut* Vers. 3.
prudentiam doceant.

INTERROGATIO XXX.

CUm Paulus Apostolus docere mulieri omnino
non permittat, quid de mulieribus scribens,
bene docentes dixit, ut prudentiam doceant?

RESPONSIO.

In planioribus non debemus diutius impediri,
ut aliquanto latius in obscurioribus libeat immo-
rari. Bene docentes ergo dictæ sunt mulieres, non
viros, sed suas juniores. Ut prudentiam, inquit,
do-

a Ms. duplicem suppeditat lectionem *excausaverunt* & *ex-
cusaverunt*; quasi dare voluisset etymologiam verbi *excusare*,
quod idem est, inquiunt Grammatici, ac ex causa detrahere
& absolvere.
b Ms. *complacui*.
c Ms. *quia talia tuba tunc canituri sunt, quia novissima
tuba in die ult. intonabunt*.
d Mendose Gilot. *& Christianos accusas*. Ac infra, *Christia-
nos accusas per hum. conf.* Quid enim hic de Christianis, ubi
de solo agitur Paulo?
e Ita legitur in Gil. & in nostro ms. licet mendose nomen
Marci pro *Luca* irrepserit.

dxceant, quatenus cum filiabus suis doctrina sua agant, unde ad æternam vitam perveniant.

Vers. 20. 1. Ad Timoth. v. *Peccantes, coram omnibus argue, ut & ceteri videntes, timorem habeant.*

Vers. 15. Secundum Matth xviij. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum.*

INTERROGATIO XXXI.

Dum discipulo dictante peccans coram omnibus arguendus est, quid ipse magister veritatis inter te & ipsum solum locutus est?

RESPONSIO.

Hanc quæstionem celerius absolvemus, si vim dictorum diligentius coosideremus. Ibi dixit, Peccantes, sed non addidit, in quem: hic dixit, si peccaverit in te. Si ergo occulte in te peccaverit frater tuus, & tu vis coram omnibus arguere, non es corrector sed proditor. Peccantes autem in Deum coram omnibus increpa, ut illud verbum *argue*, ad sequentem vocem adjungas. Hinc Paulus ait: *Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem illis restiti, eo quod non recte incederet ad fidem Evangelii.* Et post pauca: *Dixit Petro coram omnibus*; ac si dixisset, eo quod simulationem coram omnibus habuisset: *Si tu*, inquit, *Judæus cum sis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* Occulta ergo peccata possunt occulte corripi, & publica peccata coram omnibus debent argui, ut & ceteri timorem habeant. Quidquid enim mentem movet aliorum, nequaquam reticendum est, sed eum magna humilitate proferendum est.

Gal. 2. 11. *Ibid. v. 14.*

Vers. 16. 1. Ad Timoth. vj. *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.*

Vers. 2. Et 1. Joan. iij. *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

INTERROGATIO XXXII.

Cum Paulus Apostolus dixerit quod nullus hominum Deum vidit, sed nec videre potest, quomodo sanctus Johannes scripsit: quoniam videbimus aum sicuti est?

RESPONSIO.

In his duobus testimoniis sancti duo Apostoli omnino dissonant, sed dissonando veraciter concordant. Sed inter hoc sciendum est, gnia omnipotens Deus antiquis patribus non in sua propria natura monstrabatur, sed etiam per creatnram cum Moyse, quasi amicus cum amico loquebatur. *Nemo enim*, inquit, *videbit me, & vivet.* Hoc utique congruenter convenit ad illud quod Paulus Apostolus ait: *Quem nullus hominum videt.* Quod autem ait: *Sed nec videre potest*, ad illud convenit, quod sanctus Johannes dixit: *Quoniam videbimus eum sicuti est.* In ista ergo vita posteriora sua Dominus per creaturas monstravit: quia adhuc peregrinantibus filiis naturæ propriæ veritatem occultat, eodem Johanne attestante, qui ait: *Carissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ex hoc testimonio intuendum est quod Paulus ait: *Sed nec videre potest*; ac si aperte diceret: Tamdiu unusquisque filius cælestem patrem videre non potest, quamdiu in hac vita peregrinus, patri utique dissimilis est. Sed unusquisque electus Deum, non per creaturas, sed sicuti est, videre poterit, cum quid erit, apparuerit, & similis ei fuerit. Vel certe ut idem Johannes Evangelista ait: *Deum nemo vidit unquam*; quasi manifestius diceret: Sicut est, videt in se. Nulla enim creatura firme intelligit Deum, quemadmodum Deus intelligit semetipsum.

Exod. 33. 20. *1. Joan. 3. 2.* *Ibidem.* *Johan. 1, 18.*

Vers. 11. 2. ad Timoth 1. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus & Magister Gentium.*

Vers. 10. Secundum Matth. xxiij. *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester, qui in cælis est.*

INTERROGATIO XXXIII.

Cum Dominus Apostolis suis dixerit: Nolite vocari nomine magistrorum, quid Paulus Apostolus Christi confitetur se Magistrum fuisse Gentium?

RESPONSIO.

[a] Numquid sermo Domini prohibentis a Paulo Apostolo contemnebatur? Sed ab eo omnibus credentibus insinuabatur ne sub nomine Apostolorum a pseudo-apostolis seducerentur: sed eum Magistrum, in quo Christus loquebatur, sequeretur.

Vers. 14. 2. Ad Timoth. iiij. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddat illi Dominus secundum* [b] *opera sua.*

Vers. 16. Et post pauca: *In prima mea*, inquit, *defensione, nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.*

INTERROGATIO XXXIV.

Quid Paulus de Alexandro scribens optando dixit, reddat illi Dominus secundum opera sua. Et aliorum misertus, optando locutus est, non illis impotetur?

RESPONSIO.

In uno eodemque spiritu Paulus prævidit, qui tam utraque diversa ad Timotheum scripsit, quod Alexander duricors ad Deum nomquam converteretur: & aliis gentibus per veram præsentiam aoteacta ooo imputarentur.

a Apud Gilot. mendosissime, nunquam sermo Domini prob..... contemnabatur. sed ab omnibus. Codex noster remedium attulit.

b Ms. secundum opera ejus.

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
quæ in tomi III. ſecunda parte Operum S. Gregorii citantur.

Exodi,

oſten-

Proverbiorum.

Ecclesiastæ.

Cantici canticorum.

Ieremias.

Threni.

Baruch.

Ezechielis.

Danielis.

quæ in 2. parte III. tom. Operum S. Gregorii citantur.

Marci.

51. Ado-

Johannis.

nec-

peccati, 186. a
36. Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis, 351. c
44. Vos ex patre diabolo estis, 78. a
Quia in veritate non stetit, 125. d
46. Quis ex vobis arguet me de peccato, 502. e
47. Quis ex Deo est, verba Dei audit: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, 120. c. 461. a
48. Dæmonium habes, 518. a
50. Ego quæro gloriam meam, 320. d.
56. Abraham exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est, 66. d.
58. Antequam Ambraham fieret, ego sum, 44. e
9. 4. Me oportet operari opera Patris mei, qui me misit, donec dies est: venit (veniet) nox, quando nemo operari potest, 308. c. 519. d
24. Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est, 68. d
28. Tu sis discipulus illius, nos autem Moysi discipuli sumus, 43. d
29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc nescimus unde sit, 43. e
10. 7. Ego sum ostium, 459. b
9. Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, & egredietur & ingredietur, & pascua inveniet, (ingredientur & egredientur, & pascua invenient) 134. e 382. a
11. Ego sum Pastor bonus, qui pono animam meam pro ovibus meis, 12. a
15. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis, 8. d. 12. a. 488. d
16. Et erit unus grex, & unus Pastor, 562. a
17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam, 12. a
18. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipsa. Potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam, 12. a. 488. d
24. Usquequo animas nostras tollis, si tu es Christus, dic nobis palam, 71. e
27. Oves meæ vocem meum audiunt, 240. d. 344 a
28. Et vitam æternam do eis, 240. d
35. Illos dixit deos, ad quos factus est sermo Dei, 301. d
36. Quem Deus sanctificavit, & misit in mundum 527. e
11. 9. Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt, 521. e
34. Ubi posuistis eum? 204. a
47. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? 77. b.
48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani..... 77. b
51. Hoc autem a semetipso non dixit (Caiphas): sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, 242. a
12. 19. Videte, quia nihil proficimus; ecce mundus totus post eum vadit, 79. b
26. Qui mihi ministrat (me diligit) me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit, 441. c. d
35. Qui in tenebris est, nescit quo vadat, 133. c
13. 2. Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes, 54. d.
18. Ego scio quos elegerim, 446. a
31. Nunc clarificatus est filius hominis, 366. d
35. In hoc cognoscent omnes, quia vere mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem, 456. c
14. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, 80. b
Vado parare vobis locum, 80. b. 390. d
3. Et iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum. ut ubi ego sum, & vos sitis, 80. b. 390. d
6. Ego sum Via, Veritas, & Vita, 131. d. 529. d
9. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, 217. b
21. Qui habet mandata mea, (verba mea) & facit ea, hic est qui me diligit, 96. e. 154. e
Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum. & manifestabo ei meipsum, 154. d. 436. a
27. Pacem relinquo vobis, meam do vobis, 555. e
30. Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam, 165. b. 555. e
31. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, 12. d
15. 4. Manete in me, & ego in vobis, 540. e
Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic & vos nisi in me manseritis, 522. b
5. Sine me nihil potestis facere, 455. e
12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, 91. d. 150. a. 273. a
14. Vos amici mei estis, 229. c
15. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus, 557. e
16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, 550. a
Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, 229. c. 550. e
20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: non est servus major domino suo, 255. d
Si me persecuti sunt, & vos persequentur, 488. b
22. Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo, 73. a. 389. c. 489. a
24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, 7. e. 45. c. 73. a. 320. d. 389. c. 489. a. 529. e
Nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum, 73. a. 389. c. 489. a
16. 13. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis, 242. c
15. Omnia quæ habet Pater, mea sunt, 44. a
20. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini. 13. d. 240. e
Tristitia vestra vertetur in gaudium, 240. e
22. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, 390. d
30. Nunc scimus, quia scis omnia, & non est opus ut quis te interroget, 391. a
33. In mundo quidem pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum, 443. d
17. 1. Pater clarifica filium tuum, 490. d
3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, 529. c
24. Pater, volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum, 447. b. 522. d
19. 11. Non potest a se facere... nisi datum fuerit desuper, 551. e
Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum, habet, 489. a
12. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se regem, facit contradicit Cæsari, 488. d
28. Ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio, 520. b
30. Consummatum est, 467. a
20. 17. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum 198. a. 337. b
Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum, 249. d
19. Cum sero esset una Sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli propter metum Judæorum, 47. c. 234. a. 458. e
22. Hæc cum dixisset insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, 166. e
23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt, 167. a. 229. c. 533. a
26. Post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis, venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis, 234 a
21. 20. Hic est discipulus ille, quem diligebat Jesus, 318. d

Actuum Apostolorum.

1. 1. Quia cœpit Jesus facere & docere, 343. d
2. Usque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit assumtus est, 243. d
13. Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant, 458. c
26. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, 325. e
2. 1. Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, 234. b
2. Et factus est repente de cælo sonus (tamquam) advenientis spiritus vehementis....47. c. 126. d. 218. c. 234. b. 242. c
3. Et apparuere illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque, 234. b. 503. b. 567. d
4. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, 18. d. 234. b 414. d. 458. c
Et cœperunt loqui variis linguis, 458. c
6. Quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes, 242. d
7. Nonne isti qui loquuntur, Galilæi sunt? 242. e
22. Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus, & prodigiis, & signis, 7. a. 47. e. 113. a
23. Hunc præfinito consilio, & præscientia Dei traditum, 7. a. 113. a
25. David enim dicit, 113. a
27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, 113. a
38. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum, 122. a
41. Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia, 16. c
3. 6. Argentum & aurum non est mihi, 460. a
4. 4. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia, 16. c. 73. c
12. Non est aliud nomen datum sub cælo,

39. Nul-

Ad Corinthios primæ.

Ad Corinthios secundam.

3. Mor-

Ad Thessalonicenses primæ.

Ad Timotheum primæ.

Ad Timotheum secundæ.

Ad Titum.

Ad Hebræos.


Jacobi.

Petri primæ.

Petri secundæ.

Johannis primæ.

Apocalypsis.



INDEX
RERUM ET VERBORUM
quæ in secunda parte tomi tertii continentur.

A

d. Agag

quæ in secunda parte tomi tertii continentur.

B

quæ in secunda parte tomi tertii continentur.

Re iij

dele-

CUPI.

D

DOMI-

quæ in secunda parte tomi tertii continentur.

F

G

H

quæ in secunda parte tomi tertii continentur.

I

L

M

quæ in secunda parte tomi tertii continentur.

Q

R

S

SPI-

T

V.

Ver-

Index rerum & verbor. quæ in secunda part. tomi tertii continen.

F I N I S.

